

ACTA
SANCTORUM
ORDINIS
S. BENEDICTI

SÆCULUM QUARTUM,

Quod est à Christo nato Nonum,

divisum in duas Partes.





ACTA
SANCTORUM
ORDINIS
S. BENEDICTI
IN SÆCULORUM CLASSES DISTRIBUTA.
SÆCULUM IV.
QUOD EST AB ANNO CHRISTI DCCC AD DCCCC.

Colligere cœpit Domnus LUCAS D'ACHERY, Congreg. S. Mauri Monachus; D. JOHANNES MABILLON, ejusdem Congreg. absolvit, illustravit, edidit, atque in duas partes distribuit.

PARS PRIMA.





LUTECIÆ PARISIORUM,
Apud LUDOVICUM BILLAINE, in Palatio Regio.

CIↃ IↃC LXXVII.
CUM PRIVIL. REGI. ET SUPERIOR. LICENTIA.









AD PIOS ERUDITOSQUE LECTORES PRÆFATIO.

1. POST longas studiorum inducias, quas adversa mihi valetudo ante annos ferme quatuor indixit; post intermissam à triennio hujusce operis editionem, cujus filum in anno Christi DCCCXXIX abrumpere coactus sum; denique post editos veterum Analectorum tomos duos, quos per ea morbi tædia atque otia pro modulo digessi; jam tandem, quatenus affectæ vires sinunt, redeo ad optata studia, id est ad Sæculum Ordinis nostri quartum, Ecclesiæ nonum: cujus lætis ac magnificis initiis (ut rebus humanis accidere solet) perturbatus decursus, infelix ac miserabilis exitus successit.

2. Carolus, cognomento Magnus, sed animi rerúmque gestarum præstantiâ maximus, acceptum à Pippino patre Regnum in eam amplitudinem & majestatem evexerat, nullum ut in orbe potentius foret, nullúmque fortunatius, si magis diuturnum fuisset. Parebat ejus legibus non solùm Gallia omnis, sed etiam magna pars Italiæ, Germania, Noricum, Pannonia, Dacia, & aliæ Septemtrionales regiones; eidémque manum Hispania dare gestiebat. Sed ubi tantum Imperium extra sortis aleam positum videbatur, magnitudine sua laborare cœpit: ut non facilè ab uno homine teneri ac regi posset, qui Carolo Magno esset minor. Tanto Principe cadente cessit Ludovico filio paterna hereditas, bellica virtute ac pietate comparata: qui Ludovicus cùm à pleris- Europæ status.

que principio amaretur ut pius, ab omnibus demum desertus, abjectusque est, memorando ac miserando humanæ inconstantiæ exemplo. In thronum postea restitutus, Imperium in tres filios divisum reliquit: qui sua sorte non contenti, cùm alter alteri insidias & bella parant, Septemtrionalibus populis (Nortmannos vocant) in has regiones aditum præbuere. Illi omnia igni & ferro vastantes, & cum legitimis Regibus per annos ferè septuaginta sæpius conflictati, eversi tandem Imperii reliquias cum vero herede partiti sunt. Dani haud absimilem cladem intulere majori Britanniæ, Hiberniæque adjacenti: cùm Arabes antè in Hispanias effusi, diram Christianorum stragem edidere.

Ecclesiæ, 3. Iisdem propemodum gradibus processit Ecclesiæ status. Quo sua cumque Carolus, eo etiam Crucis tropæa inferebat, templis, arisque, Episcopatibus, ac Monasteriis erectis: adeò ut non tam sibi, quàm Christo vicisse non immeritò credatur. Ludovicus Augustus patris religionem æmulatus, majorem etiam curam regni Christi gessisse visus est, quàm sui, quando in boreales trans Albim regiones, quas ferro domare desperaverat, Evangelii præcones direxit, Anscharium, aliosque è nostris viros doctrinâ ac pietate præstantes: qui efferis illis nationibus Christi jugum imposuere, quod bellicæ artes, armaque perficere non potuerant.

& rei monasticæ. 4. Utrique etiam Imperatori magna fuit sollicitudo restituendæ cùm ecclesiasticæ, tum regularis disciplinæ, ac monastici Ordinis propagandi. Varia hac de re Concilia indicta, Capitularia edita, utiles conditæ leges, quas extemplo violavit bellorum intestinorum licentia. Eo verò Caroli studium in rem Christianam exarsit, ut Saxonibus Baptismum detrectantibus, iisdemque jam conversis, sed Ecclesiæ de Quadragesima leges abjicientibus, mortis supplicium interminatus sit. Ludovicus Augustus in restituenda monastica disciplina plurimùm usus est operâ Benedicti Anianæ Abbatis, quem alterum Ordinis nostri parentem Gallia sortita est.

Controversiæ. 5. Ut bella rempublicam, sic graves controversiæ per id tempus Ecclesiam perturbarunt. Ex Oriente quippe in Occidentem permanavit quæstio de colendis Imaginibus: quæ Gallorum animos integro sæculo à Græcis abalienavit. Galli vicissim Orientalibus contentionis materiam subministrarunt, ob additamentum Symboli de processione Spiritus-sancti. Quin etiam ex Hispania in Galliam per Elipandum & Felicem Episcopos hæresis Adoptivorum infeliciter disseminata est: at continuò repressa. Accessere quatuor capitula de gemina prædestinatione, de li-

bero arbitrio, de divina voluntate salvandi omnes homines, ac de pretio sanguinis Christi Domini: quæ ingentes in his regionibus turbas excitavere. De Eucharistia etiam hinc inde graviter agitatum apud Gallos; atque de modo, quo Christus è Virgine processit. His omnibus malis cumulum imposuit funestum Græcorum discidium, qui Photio auctore ac incentore in Latinos debacchari cœperunt, variis objectis criminationibus: quæ non tam simultatis causæ, quàm colores fuere. In his omnibus quantum pro Ecclesia Majores nostri adlaboraverint, testantur libri ab ipsis editi: in quibus renascentis scientiæ & eloquentiæ, paullo pòst intermorituræ, vestigia præclara invenias. Hæc breviter ob oculos posita, fusiùs pro more meo illustrare convenit in gratiam studiosorum: quibus non ingrata est istarum rerum plana & pacata tractatio. Exigit etiam institutum meum, ut de restituta per Benedictum Anianensem Abbatem, aliosque monastica disciplina, data opera iterum edisseram, ut in loco: tum de celebrioribus Ordinis nostri Scholis per ea tempora institutis. cui argumento succedent Observationes ecclesiasticæ, monasticæ, atque historicæ.

§. I.

De hæresi Feliciana, seu Adoptivorum.

6. CUM octavo ac nono sæculo negotiorum ecclesiasticorum summa aut per nostros, aut cum nostris gereretur, penes quos & Ecclesiæ dignitates, & studiorum cura maximè residebant; quænam illorum partes fuerint in controversiis, quæ ea tempestate Ecclesiam sollicitarunt, brevi oratione explicandum est.

7. Ex septem controversiarum capitulis, quæ per illa tempora efferbuisse in Ecclesia mox dicebam; tria tantùm hac in Præfatione explicare juvat, aliis in alium tomum rejectis. Cùm enim hujus Sæculi Acta in duo volumina partiri coactus sim; simul etiam præloquendi argumenta necesse est dividere in duas partes, ut sua utrique tomo Præfatio respondeat. Hîc itaque agendum ante omnia de hæresi Feliciana; tum de Symboli additamento; ac demum de cultu Imaginum: quæ tria origine priora turbarum capita exstiterunt.

8. Atque ut à primo exordiar, cùm circiter annum DCCLXXX Elipandus Toletanæ ecclesiæ præesset, Felicem Urgelitanæ sedis Episcopum, præceptorem quondam suum, consuluit, quo pacto Christum Dei Filium agnosceret, naturalem,

an adoptivum. Hic litteris suis professus est, Christum secundùm naturam assumtam filium esse non naturalem, sed nuncupativum adoptivumque. Rescripto accepto Elipandus (qui eâ doctrinâ sine dubio antè imbutus fuerat) hoc pestiferum dogma per Asturias & Galliciam disseminavit; Felix verò per Septimaniam, testante Jona Aurelianensi Episcopo initio libri primi de cultu Imaginum. Inter eos, quos Elipandus ad partes suas adduxit, fuere Ascaricus Bracarensis Episcopus, & Fidelis Abbas, cui primo sectæ suæ arcana revelavit, scriptâ ad eum epistolâ *mense Octobri*, *æra* DCCCXXIII, seu anno Christi DCCLXXXV, testante Beato Abbate ab ipso initio libri I adversus Elipandum. Accessere etiam ad eamdem sectam Cordubenses nonnulli, ut mox ab ipso Elipando discemus. Id ubi rescivit Hadrianus Papa primus, ad universos Hispaniarum Episcopos scripsit epistolam, quæ est 97 codicis Carolini. Hac eos monet, ut Migentii cujusdam, ejusque asseclæ, nomine Ægilæ, turbas de Paschatis die festo; atque adeo Elipandi & Ascarici Nestorianam in Christum Dominum blasphemiam coërcerent. Convocato provincialium Episcoporum cœtu, Elipandus Migentianos, uti ipse in epistola ad Fidelem Abbatem gloriatur, reprimit incunctanter: at proprium errorem, quem à Felice acceperat, publicare pergit. Gliscenti hæresi occurrerunt in primis Beatus Abbas Hispanus, & Hitherius ejus discipulus: quibus in operæ consortionem accessit, præter Paulinum Aquileïensem Patriarcham, Alcuinus, de utroque ita scribens in libro adversus Felicem primo. *Quod verò quemdam Beatum Abbatem, & discipulum ejus Hitherium Episcopum dicitis huic vestræ sectæ primùm contraire; laudamus eos in eo, quòd veritatem defendere conati sunt. Sed si verum est quod dixistis, eos duas naturas Christi in unum confundere, sicut vinum & aquam; hoc nullatenus consentimus.* Falsa erat hæc criminatio, quam adversarii ex ipsorum sententia perperam inferebant, quasi inde consequeretur, si Christus censeretur filius Dei naturalis, quà homo est, ut natura humana cum divina confundi deberet. Ubi Felicis epistola in Alcuini manus pervenit, auctorem ab errore amica admonitione retrahere conatus est: cui Felix litteras remisit amarulentis, aculeatisque verbis plenas, ut vel ipsa earum probat inscriptio in hunc modum: *Reverentissimo Fratri Albino Diacono, non Christi ministro, sed Antiphrasii Beati fœdissimi discipulo.* Ita locum hunc restitui, cùm legatur in editis *antiphrasi beato fœdissimi discipulo*, apud Chesnium: qui etiam in superiori Alcuini versu, ubi de Beato Abbate agitur, *beatum Abbatem* adjectivo nomine expressit.

9. De eodem Beato intelligendus est Elipandus in epistola ad

ad Felicem nuper conversum in hæc verba. *Ego verò direxi epistolam tuam ad Cordobo fratribus, qui de Deo recta sentiunt, & mihi multa scripserunt, quæ in tuo adjutorio debueram dirigere, sed ab ipso hæresiarcham Albini magistro Antiphrasio Beato direxi relegenda.* id est *ad ipsum hæresiarcham Albini magistrum, Antiphrasium Beatum.* Ad hanc antiphrasim respexit ejus Vitæ scriptor, qui de Beati Abbatis libris duobus adversus Elipandum editis ita scribit. *Cujus cùm in manus Elipandi & aliorum sequacium pervenit codex, illum infestissimis sunt dedecorum ulceribus verbo & paginis insecuti, inter quæ Antiphrasii nomine macularunt.*

10. Acceptis Felicis litteris Alcuinus respondit libris septem; idemque adversus Elipandum quatuor libros composuit, præmissâ epistolâ, quæ Elipandi bilem in ipsum excitavit. Felix Narbone primùm anno DCCLXXXVIII, dein Ratisponæ anno DCCXCII; tum Francofurti ad Mœnum biennio pòst; mox Hadriano Pontifice Romæ; ibidemque sub Leone anno DCCXCIX; ad hæc eodem anno in Synodo Urgelitana, cui Benedictus Anianensis Abbas à Carolo Magno legatus interfuit; ac demum in Synodo Aquisgranensi confutatus, convictusque ab Alcuino est. Totius ferè negotii seriem describit Felix ipse in Confessione Fidei suæ, quam Clericis parochiæ suæ jam sanior factus transmisit. Hæc tametsi omnia octavo sæculo gesta sint, ad hunc locum revocavi: propterea quòd ea facta ad Beatum Abbatem, Alcuinum, & Benedictum itidem Abbates, quorum Acta refero in hoc Sæculo nono, pertineant.

11. Post obitum Felicis, quem Lugduni decessisse ex famâ refert Ado in Chronico, Agobardus quemdam illius invenit dialogum; eoque perlecto animadvertit, *hominem diligenter & fraudulenter instaurasse, quantum in se fuit, omnem pravitatem dogmatis sui, in qua dudum fuerat detectus & convictus, & propter quam ab honore Episcopatus depositus.* Agobardi hoc de libello censuram *quidam ex fratribus indignè tulerunt*, arbitrati, eam non procedere *ex Zelo fidei, sed invidentiæ.* Hinc est, quòd tum judicii sui æquitate, tum Fidei integritate ac religione impulsus, *schedulam* (ut vocat) istam sive dialogum impugnare aggressus est in gratiam simplicium, rudiumque Christianorum, *qui incautè admirantes vitam prædicti Felicis, probanda cuncta putabant quæ dixisset; nescientes, quia non ex vita hominis metienda est fides, sed ex fide probanda est vita.* Opusculum hac de re suum Agobardus nuncupavit Ludovico Imperatori, ad cujus exordium imperii Felicem pervenisse inde conjicere licet. Eum etsi *religiosa vita* ac *sanctitate spectabilem* appellet Alcuinus non semel; tamen *in errore suo mortuum* ferebant Adonis ætate. Mala sanè (si ita res est) boni hominis fortuna! B

§. II.

De additamento Symboli.

12. EODEM tempore exorta est quæstio de processione Spiritus sancti, ventilata primùm anno DCCLXVII in Synodo Gentiliacensi; dein anno DCCCIX in Aquisgranensi; ac paullo pòst in Collatione eodem anno Romæ cùm Leone Pontifice habita, cui Adalhardus Abbas Corbeïensis jussu Caroli Magni, unà cum Jesse Ambianensi & Bernario Wormatiensi Episcopis, interfuit, comitante Smaragdo Monasterii S. Michaëlis in pago Virdunensi Abbate, qui prædictam collationem in litteras retulit. Dogma probavit singulari edito libello Theodulfus Episcopus Aurelianensis, cui Carolus Augustus hanc provinciam demandaverat. Hujus controversiæ occasio petita est ex more Gallorum, qui cùm in Symbolo Constantinopolitano addidissent vocem *Filioque*; in quorumdam reprehensionem incurrêre, præcipuè Johannis Monachi Jerosolymitani. Is quippe anno jam dicto in Galliam missus ad Carolum, controversiam hac de re commovit, quæ ad Romani Pontificis judicium delata est. Gallorum sententiam probavit Leo Papa III, non factum: ratus nefas esse quidquam citra Ecclesiæ universæ definitionem in Fidei Symbolum admittere. *Licet*, inquit, *docendo cantare, & cantando docere: sed illicitè in prohibitis, nec scribendo, nec cantando licet inserere.* Legatis persuadentibus consensit Pontifex, ut ne vox *Filioque* penitus expungeretur, ne videlicet id crederetur esse contra Fidem: sed tamen ut paullatim in palatio intermitteretur consuluit, quatenus aliæ Ecclesiæ ejus exemplo eam vocem cantare dediscerent. Verùm vox semel admissa revocari non potuit, immo propagatus est ejus usus ad alias Ecclesias, adeoque per totam Ecclesiam Latinam ante medium sæculum nonum, testante Photio Patriarcha, qui litem de hac additione Latinis intentavit, ac post eum Michaël Cetularius Leonis Papæ noni pontificatu, uti suo loco demonstrandum. Ab hac voce ventum est ad dogma ipsum, quod fuit seminarium & præcipua causa funestæ discessionis Græcorum à Latinis: de qua etiam nunc ingemiscimus.

§. III.

De cultu sacrarum Imaginum.

13. LONGE gravior ac diuturnior fuit contentio de cultu sacrarum Imaginum, quæ ex Oriente in Occidentem ea tempestate propagata est. Imaginum sacrarum usus in Ecclesia antiquus, & à primis Christianæ Religionis incunabulis institutus; usus varius atque multiplex pro variis temporibus fuit. De planis seu pictis Imaginibus loquor: nam fictarum seu exstantium (quas statuas vocant) longè seriùs frequentatus est usus in ædibus sacris, præterquam in ecclesiarum aditu sive portis: ubi jam inde à sæculo septimo, saltem apud nostrates Gallos, protuberantes erectæ sunt icones sacræ. Imaginũ usus antiquus.

14. Theodorus Lector in historiæ libro 1 commemorat, Eudociam ab urbe Jerosolymitana ad Pulcheriam misisse Imaginem Matris Domini, quam Lucas Apostolus depinxisse ferebatur. De statua Christi per Syrophœnissan (ut fama erat) confecta Eusebius Pamphili agens in historiæ lib. 7 cap. 18, ait non mirum esse, si gentiles à Salvatore nostro beneficiis affecti hæc « præstiterint: cùm & Apostolorum, inquit; Petri & Pauli, « Christique ipsius pictas imagines ad nostram usque memoriam « servatas viderimus. Mitto Basilii Magni, Gregorii Nysseni, Pru- « dentii, aliorumque Veterum in hanc rem testimonia. «

15. Jam ergo tum, id est procedente sæculo quarto, antiquus in Ecclesia censebatur Imaginum usus. An cultum initio probaverit, aut exegerit Ecclesia, non constat. Nam etsi Imagines Christi Domini, aliorumque Sanctorum esse venerabiles doceat ipsum rationis lumen, nec umquam Ecclesia secus senserit; nihilo minus principio à cultu Imaginum fortasse temperavit, ne si id permisisset, Gentiles ad Christi Fidem conversi in simulacrorum cultum, cui maximè priùs addicti fuerant, relapsuri essent. *Si enim Sanctorum Imagines*, inquit Agobardus, *hi qui dæmonum cultum reliquerant, venerari juberentur, puto quòd videretur eis non tam idola reliquisse, quàm simulacra mutasse.* Sed quia prona quadam facilitate vulgus in visibilia ferri ac diffluere solet; quibusdam Ecclesiarum Pastoribus principio consultius visum est omnino temperare ab Imaginum usu, quàm eo admisso occasionem date colendi Imagines cum Gentilium scandalo & offensa. Hinc Patres Eliberitani statuerunt, *picturas in ecclesia esse non debere, nec quod colitur aut adoratur, in parietibus depingi.* Et S. Epiphanius à vicana quadam ecclesia velum removit, in quo An etiam cultus?

Imago Christi vel Sancti cujusdam depicta erat, ut ipse testatur in epistola ad Johannem Jerosolymitanum.

An necessarius?

16. Neque verò Imaginum cultus adeo necessarius est, ut citra salutis dispendium intermitti aut dispensari ab Ecclesia non possit pro temporum ac locorum conditione. Id ante omnia constituendum censuit vir præstantissimæ doctrinæ Dionysius
» Petavius in Theologicorum dogmatum lib. 15 cap. 13. Imagines
» scilicet ex eorum per se genere esse, quæ ἀδιάφορα nominantur, hoc
» est, quæ ad salutem omnino necessaria non sunt, nec ad sub-
» stantiam ipsam Religionis attinent: sed in potestate sunt Ec-
» clesiæ, ut ea vel adhibeat, vel ableget, pro eo atque satius
» esse decreverit.

Quibus modis inductus.

17. Permisso ac propagato Imaginum usu, ex præconcepto Christi Domini, sanctissimæ ejus Matris, aliorumque Sanctorum amore facilè inducti sunt Fideles, tum ad ornandas & nitidè habendas eorum Imagines, decentique loco exponendas; tum ad eos exsectandos, qui eas contemtui ac ludibrio habuissent. Hoc autem studio non solùm affecta est rudis ac religiosa plebes: sed etiam Ecclesiæ Pastores & Episcopi eas hoc præcipuè nomine probaverunt, quòd & idiotis essent librorum loco, ad discenda Christi Domini atque Sanctorum ejus egregia facta; & quibusque utiles ad memoriam eorum refricandam. Et quidem hæc ferè prima fuit priscæ Ecclesiæ religio in Imagines sacras. Deinde ventum est ad oscula, ad salutationes, ad geniculationes, thuris ac thymmiamatis suffitum, cereorumque accensiones: quæ omnia primùm, quidam ut superstitionis germina aversari; alii tolerare tamquam rudis simplicitatis facta; alii denique ut sinceræ pietatis officia probare, modò animus in exemplaria dirigeretur.

Ab Iconoclastis impugnatus.

18. Ea res commovit in primis (sic ferunt) Judæos: qui cùm Christi Domini, quem Cruci adfixerant, Imaginem coli animadverterent, rem se præclaram facturos arbitrati sunt, si discidium de cultu Imaginum inter Fideles excitarent. Facilis ac lubrica huic facinori occasio accessit. Quippe Leo Imperator, cognomento Isauricus, Judæorum præstigiis in certam spem adductus Imperii; ubi compos ejus est factus, ut se gratum illis exhiberet, primò quidem Christi effigiem, quæ supra portam æream collocata erat, per suos satellites dejecit anno imperii decimo; tum anno XIV, qui reparatæ salutis DCCXXX fuit, apertum bellum Imaginibus sacris indixit, promulgato edicto de illis evertendis. Obstitit incassum Germanus novæ Romæ Patriarcha sanctissimus: nec Gregorii Papæ secundi, tertiive admonitio, dirarumque imprecatio furentem hominem à pro-

posito revocare valuerunt. Leoni è medio sublato successit anno DCC XLI Constantinus dictus Copronymus, paternæ impietatis non minùs, quàm imperii heres: qui anno DCC LIV, coacto trecentorum triginta octo Episcoporum gregario cœtu, cultum Imaginum damnari curavit. Eidem infeliciter exstincto Leo filius suffectus est anno DCC LXXV in annos quinque; successorem sortitus Constantinum, qui cum Irena matre catholica regnare cœpit anno DCC LXXX. Interim Tarasius in sedem patriarchalem cooptatus, non priùs ad eam dignitatem capessendam adduci potuit, quàm Augusti potestatem fecissent congregandi Synodum generalem ad restituendum Imaginum cultum. Ea concessa facultate, Constantinopolim Episcopi Orientales unà cum Apostolicis Legatis convenere anno DCC LXXXVI, translati anno insequenti Nicæam Bithyniæ, (unde Synodus aliquando Constantinopolitana; aliquando, & rectiùs quidem, Nicæna secunda, septima universalis dicta) ubi totum negotium pro voto sanctissimi Patriarchæ, omniumque Catholicorum perfectum est, decreto edito in Actione 7 his verbis. *Statuimus cum omni exacta cura & diligentia, similiter ac sanctæ Crucis & vivificæ figuram, venerandas & sanctas Imagines palam proponi, quæ coloribus tessellisve constant, aut alia quavis idonea materia, in sanctis Dei ecclesiis, in sacris vasis ac vestibus, necnon parietibus & tabulis, ædibus ac viis: nempe tum Domini ac Dei ac Salvatoris Jesu-Christi Imagines, tum incontaminatæ Dominæ nostræ sanctæ Dei Genitricis, necnon honorabilium Angelorum, ac Sanctorum omnium, ac piorum virorum. Quanto enim frequentiùs per imaginatam expressionem videntur, tanto magis qui illas intuentur, ad prototyporum recordationem & desiderium excitantur. Et ut ipsis osculum & honorariam adorationem deferant*, seu, ut Græca verba reddam, καὶ ἐπιπόθησιν καὶ ταύταις ἀσπασμὸν, καὶ τιμητικὴν προσκύνησιν ἀπονέμειν; *non tamen verum secundùm Fidem nostram latriæ cultum, qui soli divinæ naturæ convenit*, οὐ μὴν τὴν κατὰ πίστιν ἡμῶν ἀληθινὴν λατρείαν, ἣ πρέπει μόνῃ τῇ θείᾳ φύσει. *Sed eodem modo veneremur, quo figuram pretiosæ ac vivificæ Crucis, & sancta Evangelia, ac cetera sacra donaria: tum ut suffitus & lumina ad illas honorandas adhibeantur, quæ fuit antiquorum religiosa consuetudo.*

Nicænæ Synodi in eos decretum.

19. His omnino verbis continetur septimæ Synodi decretum de colendis Imaginibus: in quo multa occurrunt observanda. Primum, nullam in eo fieri mentionem statuarum, quas nondum usus ferebat, immo neque ad hunc usque diem fert apud Græcos; sed planarum, seu pictarum, tessellatarumque Imaginum. Unum tamen huic sententiæ opponi potest ex epistola Michaëlis & Theophili Imperatorum ad Ludovicum Augu-

ſtum; ubi conqueruntur, quòd quidam Græcorum *corpus Domini in manus Imaginum ponebant*, à quibus communio accipiebatur. quod quidem pictis Imaginibus convenire non poteſt, ſed tantùm fictis. Harum proinde uſus apud Græcos nonnullos ea tempeſtate obtinebat, tametſi rarior, & nulla Eccleſiæ auctoritate approbatus. Unde in æde S. Sophiæ, ab Juſtiniano Auguſto conſtructa ſæculo ſexto; cùm multæ eſſent Imagines, nullæ tamen fictæ exſtabant; ſed tantùm cælatæ, inſculptæque in argenteis tabellis, referente Paulo Silentiario, teſte oculato: quæ quidem effigies à pictis & planis parum differunt, uti & teſſellatæ. Deinde in ſuperiori Concilii Nicæni definitione obſervo, nihil etiam decerni de ſanctiſſimæ Trinitatis, Dei Patris, aut Spiritus-ſancti picturis, quas necdum etiam admittebat ætas illa. Tertium, Imaginibus Chriſti Domini ac Sanctorum, non abſolutum, ſed relativum dumtaxat cultum concedi, qui ad πρωτότυπα referatur. Quartum, τιμητικὴν προσκύνησιν, id eſt honorariam ſeu externam adorationem, non verum latriæ cultum, ſoli divinæ naturæ debitum, deferri, cùm ad modum, quo *Crucem ac ſacra donaria*, hoc eſt propoſita ſacroſancti Miſſæ ſacrificii munera, quæ Græci etiamnunc ante conſecrationem honorant, venerabantur. Ex quo manifeſtum eſt, deceptos fuiſſe, quemadmodum notavit in primis Guillelmus Eſtius, Scholaſticos pleroſque, qui Imagini Chriſti & ſanctæ Cruci latriæ relativam (quam vocant) adorationem tribuendam eſſe affirmarunt, contra expreſſam hujuſce Concilii ac veterum Patrum definitionem. Cum Nicæna Synodo hac in parte omnino tum conveniebat Gallicana Eccleſia; quæ *ex ſanctorum Patrum traditione Crucem Chriſti venerabatur, adorabat, colebat, non cultu & adoratione, quæ ſolius Divinitatis eſt*; ſed inferiori, nimirum eam ſalutando, & ad eam procumbendo, directa mente ad Chriſtum, qui per eam nos redemit, uti explicat Jonas Aurelianenſis Epiſcopus in lib. 1 adverſus Claudium Taurinenſem, & ante eum Dungalus Reclufus.

20. Abſoluta Synodo Nicæna, Patres ejus decreta retulere ad ſummum Pontificem Hadrianum, qui ea probavit, atque auctoritate ſua confirmavit, miſſis ſynodalium actorum exemplis ad Carolum Magnum, alioſque Principes Latinæ communionis. Offendit Gallicanos Præſules προσκυνήσεως ſeu adorationis nomen, quod Imaginibus ſacris Synodus tribuebat. Hinc querelis ad Carolum delatis, commiſſa eſt cura nonnullis Epiſcopis colligendi capitula quædam ex ſanctis Patribus de Imaginum cultu. Anno poſt Synodum tertio, hoc eſt anno Chriſti DCCXC, editum eſt hac de re opuſculum in quatuor libros diviſum: quod quidem integrum, aut certè quædam capitula ex eo ſele-

Gallis haud probatū.

cta, ut censet Petavius, Carolus anno DCC XCII per Angilbertum Abbatem Centulensem transmisit ad Hadrianum Papam, ut Gallicanæ Ecclesiæ ejusque expostulationis rationem Pontifex haberet. His capitulis acceptis Hadrianus alia opposuit in decreti Nicæni confirmationem. Nec sic tamen acquievit Gallicana Ecclesia: sed anno DCC XCIV in Synodo Francofurti ad Mœnum habita maximè in causa Felicis Urgelitani Episcopi, contrarium Nicænæ definitioni decretum Patres edidere cap. 2 in hæc verba. *Allata est in medium quæstio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis Imaginibus Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut qui Imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati, servitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui suprà sanctissimi Patres nostri, omnimodis adorationem & servitium renuentes, contempserunt, atque consentientes condemnaverunt.* Idem in Anglia paullo antè sancitum dicitur, simulque Alcuinus epistolam contra Nicænum statutum exarasse *ex auctoritate divinarum scripturarum mirabiliter affirmatam, illamque ex persona Episcoporum & Principum* istius insulæ *Regi Francorum attulisse*: cujus rei fides est penes Symeonem Dunelmensem Monachum, ac Rogerium Hovedenum, quibus accedit Matthæus Monachus Westmonasteriensis.

21. Anno dein DCCC XXIV, Legati Michaëlis & Theophili Imperatorum ex Oriente ad Ludovicum Augustum missi, traditis divalibus litteris exposuerunt intempestivum (ut ferebant) Græcorum studium in sanctas Imagines, quòd scilicet *sanctas Cruces de templis* expellerent, & earum loco pictas Imagines statuerent, accenderentque *lucernas coram eis*, simul & incensum adolerent; quòd eas psallendo adorarent, atque ab eisdem Imaginibus *auxilium* peterent, easque *filiorum suorum* de baptismatis fonte susceptrices facerent. Quin etiam addebant, quosdam Sacerdotum colores de Imaginibus erasos immiscere vino & oblationibus sacris; & ex hac oblatione post Missarum sollemnia Fidelibus communionem sacram porrigere, aliaque multa id genus superstitiosè patrari.

22. Ludovicus his litteris commotus, petita licentia ab Eugenio Papa Episcoporum conventum Luteciam Parisiorum indixit, in quo conditus est alius libellus ad probandum retinendas quidem Imagines, at nullatenus adorandas esse, ullove superstitioso cultu honorandas. Sed cùm vereretur Augustus, ne lecto integro libello commoveretur Eugenius Papa; collecta ex eo libello capitula ipsi direxit per Hieremiam Senonensem, & Jonam Aurelianensem Antistites, dato mandato, ut hac de re prudenter ac moderatè cum Pontifice agerent. Quid inde actum

sit, incertum: at constat Gallicanam Ecclesiam in eadem sententia perstitisse usque ad finem sæculi noni, quo ferè tempore cum Græcis & Romana Ecclesia in modo colendi Imagines convenire cœpit, ut postea exponam.

23. Post Synodum Parisiensem Claudius Taurinensis Episcopus, natione Hispanus, Felicis Urgelitani discipulus, auctoritate qua apud Ludovicum Augustum pollebat, nimis quàm elatus, Imagines & Cruces ex parochiæ suæ basilicis abegit, confregitque. Ea re comperta, Theodemirus Gallus Abbas cujusdam Monasterii, in quo *centum quadraginta Monachi sub Regula S. Benedicti* vivebant, Claudio ceteroquin familiaris admodum & acceptus, adversus eum ob istud factum commotus, conquestusque est scripta epistola, quæ retinendas Imagines, non tamen adorandas asserebat. His litteris ab amico directis superbè ac protervè Claudius respondit apologetico (quod vocat) edito adversus Theodemirum: cujus defensionem Dungalus Reclusus suscepit biennio post Synodum Parisiensem; tum Jonas Aurelianensis Episcopus sub extremum tempus vitæ Ludovici Augusti tribus libris, quos iisdem Ludovico & Claudio mortuis perfecit, & Carolo Calvo nuncupavit. Ambo verò in opusculo suo tria moliuntur adversus Claudium. Quippe *de tribus*, inquit Dungalus, *causis ille impudens calumniator in sua disputavit epistola, hoc est primò de Imaginibus confringendis ac projiciendis. secundò de Cruce non adoranda amplius, quàm asinus quilibet, aut spinosa rubus. tertiò Memorias*, id est oratoria, *Sanctorum, & specialiter ecclesiam S. Petri prohibebat adiri.* Hos Claudii errores Dungalus & Jonas libris suis confutant.

24. De sanctæ Crucis & Imaginum cultu eadem fuit aliorum Galliæ, immo & Germaniæ Episcoporum sententia, testante Jona in lib. 1. *Qui quæso te sunt isti, qui agnos pictos velint adorare? Numquidnam Galli aut Germani? qui cuicumque picturæ adorationem non solùm defendere detrectant, sed & adorantibus libera voce resultant, eosque quantum possunt invectione redarguunt, & ut ad sanam mentem redeant, toto conamine elaborant.* Aperta est hac de re Eginhardi, Agobardi, Annalium Francorum, Bertinianorum, atque Fuldensium, Hincmari & Adonis sententia in Synodum Nicænam. At videndum porro est, in quo sita fuerit Gallorum sententia pro Imaginibus sacris, qua in re discreparint à Græcis; ac quomodo tandem in consensionem cum eis venerint.

25. Gallos, uti & alios populos catholicæ communionis, Imaginibus in basilicis & in privatis ædibus usos antiquitus fuisse constat. Præclarus hujus rei locus est apud Gregorium Turonensem Episcopum in lib. 1 de gloria Martyrum cap. 22. *Etiam & isto nunc tempore per credulitatem integram tanto Christus amore diligitur,*

ligitur, ut cujus legem in tabulis cordis credentes populi retinent, ejus etiam Imaginem ad commemorationem virtutis in tabulis visibilibus pictam per ecclesias ac domos adfigant. Sed in hoc inimicus semper humani generis æmulus exstat. Deinde commemorat Judæi cujusdam factum, qui cùm hujusmodi Imaginem in tabula pictam ac parieti adfixam in Ecclesia sæpe vidisset; telo ipsam Imaginem perfodit, elisamque de pariete clanculum deportavit in domum suam, ut eam flammis exureret: at divinitus impeditus fuit, fluente sanguine ex vulnere inflicto. Eadem religio fuit Anglorum in Imagines, testante Beda in lib. 1 de vita Biscopi Abbatis sui. Is *picturas Imaginum sanctarum*, scilicet beatæ Mariæ & duodecim Apostolorum, præterea *Imagines evangelicæ historiæ, & visionum sancti Johannis Evangelistæ Roma detulit, & in ecclesia sua collocavit: quatenus intrantes ecclesiam omnes, etiam litterarum ignari, quaquaversum intenderent, vel semper amabilem Christi, Sanctorumque ejus, quamvis in imagine, contemplarentur adspectum; vel dominicæ Incarnationis gratiam vigilantiore mente recolerent; vel extremi discrimen examinis, quasi coram oculis habentes, districtiùs se ipsi examinare debuissent.* Hinc errati arguuntur Centuriatores Magdeburgenses, qui ex Nauclero & Balæo, sine veteris alicujus (ait Spelmannus) testimonio, asserunt, Imagines per Egvvinum Wigorniensem Episcopum in Anglicanas primùm ecclesias fuisse invectas, pontificatu scilicet Constantini Papæ, qui sedere cœpit anno DCCVIII, octodecennio post mortem Biscopi Abbatis. Ad Galliam revertor, ubi notum est factum Sereni Massiliensis Episcopi, qui sub initium sæculi septimi, cùm populum sibi creditum ad adorandas Imagines fervescere animadverteret; eas è templis eliminavit, projectasque confregit. Sereni zelum probavit Gregorius Magnus, prohibentis ne quid manu factum adoraretur: factum improbavit, quòd scilicet easdem Imagines confregisset. *Idcirco enim*, inquit, *pictura in ecclesiis adhibetur, ut hi qui litteras nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent. Tua ergo fraternitas & illa servare, & ab eorum adoratu populum prohibere debuit: quatenus & litterarum nescii haberent, unde scientiam historiæ colligerent; & populus in picturæ adoratione minimè peccaret.* Qua in epistola duo tantùm exigit sanctissimus Pontifex, nempe Imagines in ecclesiis retinendas esse, non tamen adorandas. Hanc regulam, à summo & verè magno Pontifice Gallicano Antistiti præscriptam, tota quanta est Gallicana Ecclesia sibi sequendam esse indubitanter existimavit.

26. Quamobrem Imaginibus sacris plus tribuerint Græci, eorumque exemplo Massilienses; Græcorum colonia quondam; Græci cur in Imaginum cultu magis effusi.

quadamtenus conjecisse mihi videor. Id siquidem in more positum erat apud Græcos, aliosque populos Romano subjectos Imperio, ut statis diebus Imagines & statuæ Imperatorum, qui beneficiis rempublicam demeruissent, quotannis colerentur certis ritibus: quos postea Imaginibus sacris exhibendos esse religio facilè persuasit. Quantus honos Constantini Magni statuæ delatus sit, perspicuè innuit Theodoritus in Historiæ lib. 2 cap. 34, ubi de iis quæ ejusdem jam defuncti cadaveri exhibita fuerant, fidem facturus, hæc habet. Εἰ δέ τις ἐκείνοις δυσπιστεῖ, τὰ νῦν περὶ τὴν ἐκείνου θήκην καὶ τὴν ἀνδριάντα γινόμενα βλέπων, πιστευσάτω τοῖς γεγραμμένοις, id est juxta emendatam suspiciendæ memoriæ Henrici Valesii versionem: *Quòd si quis istis non vult credere; is ea intuens quæ nunc ad ejus loculum & statuam geruntur, credat his quæ scripta sunt.* Quænam verò fuerint illa, quæ ad Constantini sepulcrum & statuam fiebant, observat idem Valesius ex Philostorgii lib. 2 cap. 18, ubi auctor iste tradit, Julianum Apostatam Christianos accusasse, quasi Constantini Imaginem, in porphyreticâ columna stantem, sacrificiis propitiarent, lucernis atque odoribus colerent, precesque velut Deo allegarent, & ad depellenda mala ei supplicarent. quæ sollemnis pompa celebrabatur quotannis undecima die mensis Maii. Quod mortuorum Imaginibus deferebatur, id etiam vivorum statuis non rarò fiebat tanta cum adulantis vulgi licentia, ut Theodosius Imperator piissimus edita lege jusserit, ut si quando ejus statuæ vel imagines erigerentur, seu diebus (ut adsolet) festis, sive communibus; adesset Judex sine adorationis ambitioso fastigio; curaretque, ut excedens cultura hominum dignitatem, superno numini reservaretur. Effusam hanc statuas & imagines imperiales colendi licentiam, tametsi rantisper castigaram, improbat Zacchæus Christianus in Dialogi lib. 1 cap. 28. ubi conquerenti Apollonio Philosopho, cur imagines hominum, vel ceris pictas, vel metallis defictas, sub Regum reverentia etiam publica adoratione venerarentur; respondet id sibi probari nec posse, nec debere. Divini quippe speciale hoc nomen officii esse. *Sed sicut in hujusmodi malum*, inquit, *primùm adulatio homines impulit: sic nunc ab errore consuetudo vix revocat. In quo tamen incautum obsequium, non aliquem divinum deprehenditis cultum: sed propter similitudinem amabilium vultuum, gaudia intenta plus faciunt, quàm hi fortè exigant, quibus defertur; aut perfungi oporteat deferentes. Et licèt hanc incautioris obsequii consuetudinem cautiores horreant Christiani, nec prohibere desinant Sacerdotes; non tamen Deus dicitur, cujus effigies salutatur: nec adolentur thure imagines, aut colendæ aris superstant: sed memoriæ pro meritis exponuntur, ut exemplum factorum pro-*

L. unica Cod. Th. de Imag. Imperial.

babilium posteris præstent, aut præsentes pro abusione castigent. Perseveravit mos iste usque ad tempora Gregorii Magni, ut patet ex initio libri XI epistolarum, ubi hæc verba lego: *Venit icona Focæ & Leontiæ Augustorum Romam, & acclamatum est eis in Lateranis in basilica Julii ab omni Clero vel Senatu: Exaudi Christe. Focæ Augusto & Leontiæ Augustæ vita.*

27. Ita ergo res accidisse videtur, ut cùm adorationem, odores, aliosque sollemnis pompæ ritus augustalibus statuis deferrent Græci; visum est etiam religiosis quibusque, nihil minus Christi Domini, beatæ Mariæ, aliorumque Sanctorum Imaginibus deferendum. Sicque honoraria illa imperialium statuarum veneratio ad sacras Imagines traducta est primùm apud Græcos, seriùs apud Gallos, quibus inauditus inusitatusque fuit cùm prioris, tum posterioris generis cultus. Certè Carolini operis scriptor Imaginum imperialium adorationes magnopere reprehendit in lib. 3 cap. 15. Quam ob rem, ubi ejusmodi cultum synodali auctoritate Imaginibus sacris delatum accepere Gallicani Præsules; contrà obniti cœpêre, quasi honor Deo proprius ad simulacra transferretur.

28. Atque ut perspicuum fiat, qua in re versaretur Gallorum discrimen tum à Græcis, tum ab Imaginum effractoribus seu Iconoclastis; quidve moliti sint Patres Synodi Francofurtensis, & Parisiensis; observandum est Latinos tribus in rebus consensisse cum Græcis. Primò retinendas & exponendas in ædibus privatis atque sacris Christi & Sanctorum Imagines ad excitandam eorum memoriam, & ad erudiendos simplices ac illiteratos Christianos. Secundò colendam & adorandam esse Crucem, non quidem adoratione summa & latreutica, ac τῇ πίστει, secundùm fidem, quasi quid divinum, aut cultu dignum ei inesse credatur; sed honoraria, id est illam salutando, aut caput inclinando vel procumbendo ad illam, mente ad Christum directa. Tertiò etiam reliquias Sanctorum congruo cultu venerandas esse. Quæ postrema duo disertè asserunt Jonas & Dungalus in libris suis adversus Claudium Episcopum Taurinensem. At unum erat, in quo Galli à Græcis dissidebant: nimirum quòd cultum etiam honorarium seu externum Imagini cuilibet denegabant, non tantùm absolutum, sed etiam relativum (ut vocant) & transitorium. Denique ab Imaginum effractoribus omnino recedebant, tum in eo, quòd illi Imagines sacras penitus abjicerent; tum in eo, quòd Imaginum adoratores vocarent idololatras. Quod convicium Latini, saltem nonnulli, Græcis impingi nolebant ob Imaginum cultum, tametsi ab eis dissentirent. Hæc paucis, quoad ejus fieri poterit, explicanda. Gallorum sententia explicatur.

29. Adorationem & cultum Imaginibus sacris detrahebant Galli, hac inducti ratione, quòd omnis cultus & adoratio soli Deo debeatur. Hinc Carolinus auctor in lib. 2 cap. 21 probat cultum & adorationem Imaginum pæne cunctarum divinarum scripturarum abdicari eloquiis. *Solum namque Dominum*, inquit, *colere, ipsum adorare, ipsum glorificare debere totus divinæ Scripturæ tuba intonat.* Eodem ferunt Jonæ verba in lib. 1. *Creaturam adorari, eique aliquid divinæ servitutis impendi nefas ducimus; hujusque sceleris patratorem detestandum & anathematizandum liberâ voce proclamamus.* Et Agobardus, *Soli Domino*, inquit, *offeramus gloriam & honorem, nec cum simulacris fornicemur.* Et intrà: *Nemo se fallat, nemo se seducat, nemo se circumveniat. Quicumque aliquam picturam, vel fusilem, sive ductilem adorat statuam* *; *non exhibet cultum Deo, non honorat Angelos vel homines sanctos, sed simulacra veneratur.*

* *Erant ergo tum in usu, saltem alicubi, statuæ Sanctorum.*

30. Neque dixeris hæc intelligi de cultu absoluto, non verò de transitorio, qui ad exemplaria refertur. Tam enim secundarium hunc cultum auctores isti, quàm primarium refutabant. Audiamus Agobardum in cap. 19. *Dicit forsan aliquis, non se putare Imagini, quam adorat, aliquid inesse divinum; sed tantummodo pro honore ejus, cujus effigies est, tali eam veneratione donare. Cui facilè respondetur: quia si imago, quam adorat, Deus non est; nequaquam veneranda est, quasi pro honore Sanctorum, qui nequaquam divinos sibi arrogant honores.* Et in cap. 35. *Nec iterum ad sua latibula fraudulenta recurrat astutia, ut dicat se non Imagines Sanctorum adorare, sed Sanctos. Clamat enim Deus: Gloriam meam alteri non dabo.* Eadem est sententia Jonæ in lib. 1. Nam relatis ex Claudio eorum, qui colebant Imagines, hisce verbis: *Non putamus Imagini quam adoramus, aliquid inesse divinum; sed tantummodo pro honore cujus effigies est, tali eam veneratione adoramus.* hæc subinfert: *Unà autem reprehendimus ac detestamur. Quia cùm eorum sententiam non subterfugiat Imaginibus nihil esse divini; majori digni sunt invectione, eo quòd debitum honorem divinitati impenderint infirmo & egeno simulacro.*

31. Ex his manifestum est, Gallos ejus temporis, saltem nonnullos, omnem penitus cultum, absolutum atque relativum, Imaginibus abdicasse; ac proinde solam Crucem, cujus cultus ad Christum Dominum refertur, Angelos & homines sanctos, hoc secundario cultu esse honorandos; non tamen cultu divinitatis, ut identidem inculcat Jonas. Quapropter dispiciendum est, num tota controversia in adorationis & cultus vocabulis hæserit; ob idque solum ejusmodi officia Imaginibus denegarent Galli, quòd hæc supremi cultus nomina ab ipsis crederentur. Quod ut magis exploratum evadat, investigare necesse est, an aliquid observantiæ Imaginibus detulerint, quam tamen cul-

tus aut adorationis nomine designandam esse negaverint.

32. Hac in controversia, ut ferè in omnibus aliis, quidam media via; quidam extremis ambulabant. Auctor Carolinus, & scriptor libelli editi nomine Synodi Parisiensis, simulque Agobardus (quem istius libelli auctorem agnoscunt nonnulli) aliquanto ferventiùs rem agunt, & longiùs progrediuntur. Paullò moderatior est Jonas: at Walafridus Strabus & Dungalus non longè à sententia Nicænæ Synodi recedunt. Hujus discriminis causa petenda est tum ex novitate controversiæ, qua incipiente contentiones ampliùs fervere solent: tum ex diverso hominum genio, quorum alii æquiores, alii magis præcipites, in diversa feruntur; alii adversariorum sententiam iniquè æstimant, exprimuntque.

33. Carolinus auctor in lib. 2 cap. 24 censet fas esse, hominem *adorare* caritatis & salutationis officio: secus Imagines manu factas, quibus nequidem eumdem honorem, qui sacris vasis defertur, concedit in cap. 29. tametsi Sanctorum, sacrarumque reliquiarum venerationem approbat in lib. 3 cap. 24 & 31.

34. Eodem fertur libellus Synodi Parisiensis, in quo legitur non mediocriter errasse septimæ Synodi Patres, *qui eas* (Imagines) *non solùm coli & adorari, & sanctas nuncupari sanxerunt, verùm etiam sanctimoniam ab eis se adipisci professi sunt.* Quin etiam Hadrianum qui Synodi decreta confirmavit, eo nomine reprehendit, quòd Imaginum superstitiosam (sic appellat) venerationem auctoritate sua probaverit.

35. Ulteriùs progreditur Agobardus, in cap. 31 scribens, Imagines, vel pictas, vel sculptas, causa historiæ ad recordandum, non ad colendum admitti oportere. Et cap. 33 errorem invalescentem eo evasisse, *ut idololatriæ vel anthropomorphytarum hæresi propinquum aut simile sit adorare figmenta, & spem in eis habere.* Ad hæc, Imagines sanctas appellari non patitur in cap. 34. quod etiam improbat libellus Synodi Parisiensis. Denique eo progressus est Agobardus in cap. 23, ut dixerit, exemplo Ezechiæ Regis, qui serpentem æneum à Deo institutum magna cum laude contrivit, quoniam errans populus eum tamquam idolum colere cœperat; multo religiosiùs Sanctorum Imagines comminuendas esse, & usque ad pulverem eradendas: præsertim *cùm non illas fieri Deus jusserit; sed humanus sensus excogitaverit.*

36. Jonas etsi omnem Imaginibus cultum abjudicare videtur, easque ad memoriam dumtaxat & eruditionem exhibendas putat; non tamen cultores *idololatras* vocari sinit, ut ejus verba testantur in lib. 1. *Nam & illi*, inquit, *qui nimio & indiscreto amore ob honorem Sanctorum eorum Imaginibus supplicant, nescio an te-*

mere idololatræ sint vocandi. Videntur sanè potiùs ab hac superstitione adhibito rationis moderamine revocandi, quàm idololatræ (cùm utique sanctæ Trinitatis fidem veraciter credant & prædicent) nuncupandi. Contendit tamen Jonas, nequaquam venerandas esse Imagines. Id nescio an, vel quid aliud improbaverit Lupus Abbas Ferrariensis, cui opus suum discutiendum transmiserat. Huc enim refero Lupi epistolam 27, quam *reverentissimo Præsuli Jonæ* inscribit cum W. Monacho (ut credere par est) suo, respondens in hunc modum. *Librum vestrum, sicut rogastis, excurrimus; sed, ut parcissimè dicamus, in eo mutare nihil voluimus: ut operis vestri sitis ipsi correctores, cujus estis auctores. Siquidem expendenda nobis fuit teneritudinis & tenuitatis nostræ ratio, & ætatis ac Ordinis vestri habenda consideratio: nec facilitatem ac delectationem quamdam reprehendendi, quam in quibusdam notare solemus, debuimus imitari.* Ita pro modestia sua Lupus, cujus sententiam hoc de argumento inde elicere nobis non licet.

37. Walafridus Strabus Abbas Augiensis in lib. de rebus ecclesiasticis cap. 8, tantillo amplius Imaginibus indulget, quàm Jonas; censetque non tantùm esse retinendas, sed etiam ob amorem eorum; quorum similitudines sunt, animis videntium artiùs imprimendas. Et quidem in eo *devotionem & utilitatem, quæ commoveri vel instrui appetimus, non esse culpandam: sed in his colendis superstitionem & hebetudinem, quæ spiritalem cultum ad corporalia traducere erronei nituntur, esse damnandam.* Itaque tam eos improbat, *qui easdem Imagines ultra quàm satis est venerantur;* quàm qui illas ut quasdam idololatriæ species penitus respuunt. Unde intelligitur à Walafrido non damnari quemlibet Imaginum cultum; sed tantum immodicum, maximè *spiritalem.* Quod omnino consonat Nicænæ Synodi decreto, quæ *honorarium* dumtaxat cultum, id est externum Imaginibus tribuit.

38. Præter ea Walafridus *ne ipsos quidem sanctos homines*, vivos vel mortuos, divinis colendos honoribus vel honorandos ait. quæ certè doctrina sana est, maximè si ad ejus interpretationem expendatur. *Rogamus enim*, inquit, *Sanctos, non ut ipsi præstent per se, quæ saluti nostræ necessaria sunt: sed ut ab auctore bonorum, utpote illi proximiores meritis, & ideo certiùs audiendi, impetrent, quæ saluti petentium opportuna non nesciunt. Deum autem oramus, ut sua bonitate gratuita, meritis & intercessionibus Sanctorum, quæ nobis judicat commoda, largiatur. Et huic quidem ut Deo, Domino, Judici, Creatori, Omnipotenti & Salvatori supplicamus: illos verò ut Dei amicos, Domini famulos, patronos, verè honoratos, & pleniter salvatos in adjutorium vocamus. Tales esse preces fidelium, qui publicas Ecclesiæ orationes considerare norunt, dubitare non poterunt.* Ex his patet, Wa-

lafridum de Sanctorum honore & appellatione rectè ſenſiſſe, eos nempe honorari, precibus interpellari poſſe, ac debere: at nequaquam iis uti Deo, Domino, ac Judici ſupplicandum, quaſi ab ipſis petita accipere poſſimus. qua in re divinos honores reponit. Poſt hæc demum, tam Sanctorum, quàm ſacrarum Imaginum cultum ita concludendo exponit. *Cùm itaque talis ſit Chriſtiani perfectio ſenſus; non ſunt omnimodis honeſti & moderati Imaginum honores abjiciendi.* Hæc tam clara ſunt pro religioſo ac legitimo cultu Imaginum, ut mirum ſit aliquos dicere, cautè hoc in loco legendum eſſe Walafridum. Nam etſi divinos Imaginibus, ipſiſque Sanctis honores negat; honeſtos tamen & moderatos concedit. Neque ſubſcribere poſſum magno certè viro Dionyſio Petavio, ſcribenti in Dogmatum lib. 15 cap. 16 n. 8, Walafridum in hoc tantùm illos honores repoſuiſſe, ut minimè conculcentur, aut deleantur. Etſi enim id ſubinde admonet; tamen aliquid amplius deſiderat, cùm agit de moderato Imaginum cultu, quo aliquam externi honoris ſignificationem omnino deſignat. Immo non tantùm in externo cultu reponit hunc honorem, ſed & in affectu interno, ut patet ex ultimis ejuſdem capituli verbis. *Sic itaque Imagines & picturæ habendæ ſunt & amandæ; ut nec deſpectu utilitas adnulletur, & hæc irreverentia in ipſorum, quorum ſimilitudines ſunt, redundet injuriam: nec cultu immoderato Fidei ſanitas vulneretur, & corporalibus rebus honor nimiè impenſus arguat nos minùs ſpiritalia contemplari.* Itaque ex Walafridi ſententia *amandæ* ſunt Imagines, non deſpiciendæ, ita ut amor ille externum à nobis honorem in picturas ſacras exigat, & in exemplaria dirigatur internus affectus.

Sic Anaſtaſius σχετικὴν προσκύνησιν, ex Theophane, vertit affectivâ adorationem, *in Hiſt. eccleſ.*

39. Cum Walafrido conſentit Dungalus Recluſus Monaſterii (ut puto) Dionyſiani in agro Pariſienſi. Is ſiquidem epiſtolam ad Carolum Magnum de duplici ſolis eclipſi, quæ anno DCCC x contigit, ſcripſit interventu Waldonis Abbatis, cui ejus rei gratiâ Carolus direxerat epiſtolam, ut per illam ipſe ex Caroli *verbis* Dungalum *interrogaret de ratione defectus ſolis.* Unde conjector Dungalum fuiſſe Recluſum in Cœnobio Dionyſiano; tum quia Waldo Abbas per id tempus huic loco, uti & Augiæ, præerat: tum quia liber Dungali contra Claudium, judicio Papyrii Maſſoni primi ejus editoris, ſcriptus eſt in Monaſterio beati « Dionyſii ad Sequanam flumen, ubi in manibus Velii Benedi- « ctini Ordinis, & Bibliothecarii, nobilis & docti viri, à multis « viſus eſt. Itaque Dungalus contra Claudium agens in fine libri « ſui de cultu Imaginum, hæc habet. *His ergo omnibus ſuperiùs comprehenſis, certiſſimè & evidentiſſimè patet, picturas ſanctas, & ſanctam Domini Crucem, & ſacras electorum Dei reliquias, dignis & con-*

gruis honoribus à Catholicis & Orthodoxis in Deo, & propter Deum venerari oportere: non ut sacrificando eis divinus honor & cultus, soli Deo omnium Creatori debitus, sit à quoquam deferendus: sed ut in ejus amore, honore, laude & gloria sua sancta insignia & venerabilia vasa, prout decet, singula eorum à fidelibus & religiosis salva fide & non ficta honorentur, & amplectantur. Ubi nemo non videt Imaginibus à Dungalo tribui religiosum cultum, qualem sanctæ Cruci ac reliquiis sacris tunc temporis impendebat Gallicana Ecclesia.

40. Eumdem etiam cultum picturis sacris concessit Hincmarus Remorum Antistes, qui *flagitantibus Coepiscopis fratribus suis librum scripsit, qualiter Imagines Salvatoris nostri, vel Sanctorum ipsius venerandæ sint*, testante Frodoardo in historiæ Remensis lib. 3 cap. 29. quod Hincmari opus etsi exciderit, tamen ex Frodoardi verbis intelligimus, Hincmarum Imaginibus non denegasse cultum omnem, sed qualemcumque concessisse. Itaque inter eos omnes, quos hactenus commemoravi, auctores Gallicanos, nulli sunt qui propiùs ad Nicænæ Synodi decretum accesserint, quàm Hincmarus, Dungalus, & Walafridus Strabus, quem Gallicanis scriptoribus hoc in loco accenseo; omnes ex Ordine S. Benedicti.

41. Ex iis quæ hucusque dicta sunt, intelligimus, quænam fuerit Gallorum sententia de cultu Imaginum; & qua ratione explicari debeat honos ille divinus, quem scriptor Carolinus, libellus Synodi Parisiensis, Agobardus, & Jonas picturis sacris abrogant. Nempe sentiebant Galli Imagines honore moderato coli posse, eas scilicet decenti in loco collocando, ornando, curandoque, ut quàm maximè niterent; & ne pulvere sordibusve inficerentur. Sic Servatoris nostri statuam, hominum incuriâ jam mutilatam, deformatamque, & ignoratam cujus esset; postea agnitam, Christiani in Diaconico, id est in sacrario ecclesiæ, collocarunt, teste Philostorgio in historiæ lib. 7, competentem ei curam atque observantiam deferentes, τὰ πρέποντα ἐθεράπευον, nequaquam tamen eam colentes aut adorantes, σέβοντες μὲν ἢ προσκυνοῦντες οὐδαμῶς. Neque enim fas erat, inquit Philostorgius, æneam, aut aliam quamlibet materiam adorare. In hoc, inquam, Gallorum nostrorum religio in Imagines eo tempore ferè sistebat, eorum scilicet, qui res sacras meliùs callebant. Nam simpliciores, immo & fortè religiosiores Christiani, à salutationibus, & capitis saltem inclinationibus abstinuisse non facilè crediderim.

42. Quòd verò opus Carolinum, libellus Synodi Parisiensis, & Agobardus vehementiùs in cultum sacrarum Imaginum invehuntur; id factum ex præjudicio & præconcepta opinione immo-

immoderati cultus, quem Græci Imaginibus ita deferre censebantur, ut in eis spem suam ponerenr, & internum cultum adorationemque eis adhiberent. Quippe προσκυνήσεως vocabulum, quo usi sunt Patres Nicæni, vehementer Gallos offendit, ratos illam vocem in proposita materia legitimum sensum pati non posse: propterea quòd adoratio religiosa, qualiscumque sit, aut soli Deo convenire, aut spiritalem internumque cultum, quem picturis exhibere nefas, designare videatur. Et oscula quidem ac thymiamatum suffitus, cereorumque accensiones Imaginibus citra superstitionis culpam concedi non posse putabant. Hinc Auctor Carolinus ex præconcepto adorationis, aliorumque rituum Græcanicorum odio longiùs progressus est, ut ne eum quidem honorem, qui sacris vasis conceditur, Imaginibus tribui pateretur, nimirum propter periculum superstitionis. Huc referri potest Augustini sententia in Psalmum 113, ubi paganos arguens ob cultum simulacrorum, innuere videtur eo tempore non viguisse in Africana Ecclesia Imaginum usum, sed sacrorum vasorum: *quæ quidem ipso ministerio consecrata sancta dicuntur. Verumtamen*, inquit, *numquid os habent, & non loquuntur? numquid oculos habent, & non videbunt? numquid eis supplicamus, quia per ea supplicamus Deo?* Et hinc forsan Carolinus Auctor vasis sacris qualemcumque honorem indulsit, quem Imaginibus sacris abjudicavit. Sic etiam affecti erant Galli in libros sacros. *Nam*, teste Jona in Præfatione lib. 2 contra Claudium, *sacræ religionis usus in sancta Ecclesia tunc servabatur, ut perlecta sacri Evangelii lectione, ab Episcopo, vel Presbyteris, ceterisque sacri Ordinis religiosis, codex in quo Evangelii lectio recitata est, multiplicibus osculis veneraretur*, capite inclinato ad codicem, *illius* scilicet *causâ, cujus verba esse creduntur.* Hinc verò contra Gallos argumentum sumsit Anastasius in Præfatione ad versionem Synodi Nicænæ, contendens, ob eamdemmet causam Imaginibus sacris cultum non esse denegandum. Hæc ergo Carolinum Auctorem movebant adversus decretum Nicænum.

43. Simili ratione Patres Synodi Francofurtensis duabus offensi sunt rebus, nempe adorationis vocabulo, & prima interpretatione sententiæ Nicænæ, quam Carolinus Auctor attulerat. Quippe ipsi adorationis vocem non ferenres, omnino Imaginum *adorationem & servitutem* admittere recusarunt, ob id scilicet, quòd ista vocabula cultum uni *Deificæ Trinitati* competentem designarenr. Quapropter ubi dicunt, *Allata est in medium quæstio de nova Græcorum Synodo, in qua scriptum habebatur, ut qui Imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati, servitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur.* hæc verba, *ut Deificæ Tri-*

nitati, ab ipsis Patribus Francofordiensibus adjecta esse puto, ut explicarent adorationis vocabulum; non verò quòd ea legissent in decreto Nicæno, in quo hoc additamentum non repetitur, immo contraria omnino sententia. Quo fit, ut nonnulli existiment, Synodum Francofordiensem adversari, non Synodo Nicænæ, sed Conciliabulo Constantinopolitano, quod eodem anno (ut aiunt) coactum, supremum Imaginibus cultum decreverit. Verùm quid de hac re sentiendum sit, accuratè docet Jacobus Sirmondus in admonitione ad Canonem Francofordiensem.

44. Ad Agobardum quod attinet, (idem esto judicium de libello Synodi Parisiensis) præter invidiosum adorationis vocabulum, accessit etiam ad inflammandum ejus animum epistola Michaëlis & Theophili Imperatorum ad Ludovicum Augustum: in qua multa commemorantur de superstitiosa religione Græcorum in Imagines, quæ non immeritò Agobardum commoverunt. Quis enim non indignè ferret, audito quòd Græci ejectis Crucibus è basilicis, substituerent Imagines, eisque incensum adolerent, lucernis insuper admotis? quòd eas psallendo adorarent, & ab eis auxilium peterent? quòd plerique linteaminibus easdem Imagines circumdarent, & filiorum suorum de baptismatis fonte facerent susceptrices? quòd ab eis alii religiosum habitum susciperent? quòd quidam Sacerdotum colores de Imaginibus eradentes immiscerent sacrificio; alii verò corpus Domini in manus Imaginum ponerent, ab illis communionem accepturi? quòd denique nonnulli spretis ecclesiis, in profanis ædibus altarium vice tabulis Imaginum uterentur, & super eas sacra mysteria celebrarent? Quis, inquam, hæc audiens non aversetur, saltem pleraque, ut superstitiosa? Ea porro in litteris ab Imperatoribus directis continebantur. Quam ob rem his lectis ultra modum exarsit Agobardus, idololatriæ & Anthropomorphytarum errori proximum esse existimans, sic adorare simulacra, & spem in eis ponere: maximè verò invehitur in eos, qui sine *basilica, sine altari, absque Sanctorum reliquiis, super hujusmodi* (uti ipse vocat) *figmenta Missam celebrabant;* censetque rectiùs esse Imagines abjicere & comminuere, quàm ad hujusmodi superstitiones declinare. Quod quidem dixit, non quòd Imagines è basilicis sublatas vellet; sed ut superstitiosa id genus errata emendanda esse demonstraret; neque hac religionis specie pacem Ecclesiæ Orientalis perturbari licere. Ea res in primis movit Patres Synodi Parisiensis, quibus persuasum fuit Ecclesiæ tranquillitatem, sine qua caritas & necessitudo Christiana constare nequit, longè præponendam esse huic

controversiæ, quâ detinebantur Græci, *inflammati ultra quàm oportuisset, vel umquam priùs actum esset in Imaginum cultura*, ut scribunt sub finem libelli sui.

45. Hæc non eo animo à me dicta sunt, quasi Gallos ejus temporis omni penitus culpa vacasse existimem, si non in ritu colendi Imagines, saltem in modo impugnandi decretum Nicænæ Synodi; quam Universalem esse pernegabant, ut probat caput 28 libri 4 Carolini. Et sanè perspectam probatamque fuisse Romanis Pontificibus Gallorum religionem in Imagines sacras, satis apparet, tum ex responsis Hadriani primi, qui eos nusquam erroris notat: tum ex aliis Pontificibus, qui nullum hac de re negotium Ecclesiæ Gallicanæ facesserunt. Observatu digna est admonitio Nicolai Papæ primi ad Adonem Viennensem Archiepiscopum. Is cùm initio sui episcopatus cautionem seu Fidei suæ professionem ad Nicolaum direxisset, professus se probare quatuor Synodos generales, nulla ceterarum mentione facta; ita ipsi rescribit Nicolaus. *In petitione pallii vobis annuimus. Verùm tamen istiusmodi occasione nacta, non fuerat postulatio vestra implenda, nisi recensita intentione directæ scripturæ cognovissemus, vos per omnia tenere velle, quod sancta dogmatizat Ecclesia. Ideoque volumus, pariterque sanctitatem vestram rogamus, ut sub omni celeritate dirigatis, qualiter vos de ipsis quinta & sexta Synodis sentiatis.* Qua in epistola Pontifex nullam mentionem facit septimæ Synodi, sive quòd eam à Gallis universalem non censeri haud ignoraret; seu quòd nullatenus ipsi suspecta foret Gallicanæ Ecclesiæ in Imagines religio, tametsi longè moderatior fuerit, quàm Græcorum.

Galli ob id à Romana secede non divisi.

46. Sub idem tempus in Romano Concilio sub eodem Nicolao; dein in octava Synodo universali, quam anno DCCCLXIX reponit Baronius, Annales verò Bertiniani anno DCCCLXXII, sub Hadriano secundo confirmatus est Imaginum cultus, & diræ in Iconomachos prolatæ. *In qua Synodo*, inquit Annalista Bertinianus, *de Imaginibus adorandis aliter, quàm orthodoxi Doctores antea definierant; & pro favore Romani Pontificis, qui eorum votis de adorandis Imaginibus annuit; & quædam contra antiquos canones, sed & contra suam ipsam Synodum constituerunt, sicut qui eamdem Synodum legerit, patenter inveniet.* Hæc paullo duriùs scribit Bertinianus Annalista: sed tamen inde intelligimus, Gallos nondum colendis Græcanico ritu Imaginibus adsuevisse: quod factum pedetentim post septimæ Synodi Latinam versionem, quam Anastasius Bibliothecarius, cùm Constantinopoli pro octava Synodo versaretur, elaboravit: cujus in versionis præfatione Gallos adhortatus est ad colendas Imagines more &

Ad cultum Imaginum accedunt.

exemplo Græcorum; eum ad modum quo Crucem & librum Evangeliorum Galli ipsi venerabantur.

Modus in his habendus. 47. Procedente tempore tanto cum fervore Galli in cultum Imaginum effusi sunt, ut magis retinaculo, quàm incitamento jam opus habeat vulgi religio. Pia quidem est Imaginum veneratio: sed optandum esset, ut plus sedulitatis tribueretur sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, in quo ipse Christus, non imagine, sed re ipsa exsistit. At (quod maximè dolendum est) videas non raro Fideles ecclesiam ingressos, insalutato tanto hospite ad Imagines procumbere, quasi plus præsidii esset in istis, quàm in ipso Eucharistiæ Sacramento. Verùm hæc errata sunt rudis & imperiti vulgi, ab Ecclesiæ emendanda Pastoribus, quorum officii est instruere plebem sibi commissam de congruo cultu Imaginum; & legitimum ipsi præscribere modum, ne ad superstitiosa effluat. Ad ipsos etiam spectat pictorum sculptorumque licentia, qui Imagines aliquando, non tam ad excitandam, quàm ad corrumpendam pietatem componunt. Nunc optandum esset, ut id eveniret, quod sua ætate Narbone accidisse Gregorius Turonensis Episcopus commemorat in lib. 1 de gloria Martyrum cap. 23, de pictura, quæ Christum Dominum Cruci affixum, quasi linteo præcinctum exhibebat. Ait quippe Christum semel ac tertiò cuidam per visum intimasse, ut se non parte tantùm, sed toto corpore operirent. Re tandem ad Episcopum delata, is *jussit desuper velum expandi: & sic obtecta*, inquit Gregorius, *nunc pictura suspicitur. Nam etsi parumper detegatur ad contemplandum, mox demisso velo contegitur, ne detecta cernatur.* Hinc factum puto, ut in nonnullis ecclesiis Crucifixi statuæ veteres talari veste indutæ conspiciantur: qualis est ea quæ in æde sanctæ Ciliniæ B. Remigii nutricis apud Remos hodie quoque visitur.

48. Ceterum optandum esset, ut qui conciones ad populum habent, sive qui concertationes edunt de Imaginum cultu; Conciliorum verba, integras, non dimidiatas sententias religiosè adhiberent; sequerenturque ad amussim Ecclesiæ definitionem, quæ duobus præcipuè decretis continetur, Nicæno scilicet, ac Tridentino. Nicænum superiùs articuli, veluti fundamentum harum observationum: quas aptissimè claudet Tridentinum, his conceptum verbis in Sessione 25. *Imagines porro Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in templis præsertim habendas & retinendas, eisque debitum honorem & venerationem impertiendam. non quòd credatur inesse aliqua in eis divinitas vel virtus, propter quam sint colendæ; vel quòd ab eis sit aliquid petendum, vel quòd fiducia in Imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat à gentibus,*

quæ in idolis spem suam collocabant: sed quoniam honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant: ita ut per Imagines quas osculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Christum adoremus; & Sanctos, quorum illæ similitudines gerunt, veneremur. Hæc vera ac sana Ecclesiæ doctrina de Imaginum usu atque cultu. Ad res monasticas accedo.

§. IV.

Specimen monastici Ordinis, qualis fuerit ævo S. Benedicti, ac post eum.

49 DE prima regularis disciplinæ in Ordine nostro remissione, deque ejusdem restitutione, maximè per Benedictum Anianensem Abbatem facta, dicturus, quatuor in præsenti demonstranda suscipio. Primum, restitutionem hanc non esse primariam (ut quibusdam videtur) Regulæ nostræ propagationem in omnia Galliæ Monasteria; sed regularis normæ in eis instaurationem. Quod etsi ordine postremum sit, primo tamen loco id exsequi necesse est, ad præstruendam consequentium fidem. Alterum, quo in statu publica res Benedictina esset ante ejusmodi restitutionem. Tertium, quibus gradibus ad remissionem lapsa sit. Quartum, quibus modis facta fuerit regularis observationis restitutio. Sed priùs in antecessum quædam præmittenda sunt de statu seu republica veterum Monachorum.

Quinque hic examinanda.

50. Cùm primùm ad illustranda Sanctorum nostrorum Acta me contuli, statutum apud me erat, nuntium remittere altercationibus illis privatis, quæ de Sanctis Ordini certo vindicandis præter modum excitari, ac progredi solent. Sanè id mihi persuadebat tum necessitudo religionis Christianæ, ejusmodi singularia partium studia non probantis: tum caritas veterum Monachorum, quibus unus Ordo erat, atque una societas: tum instituti mei ratio, ut ad tractandas vetustas res accederem animo ipso veterum, qui ab hujusmodi discidiis animum semper alienum habuere: tum denique majorum nostrorum exempla, qui de priscis Monachis agentes, Benedictinos ab aliis nusquam discrevere ante Trithemii ætatem. Testis hac de re Bernardus Casinensis Abbas, postea Cardinalis: testis & Willelmus Abbas Romani Monasterii S. Pauli, in suo uterque sanctorum Monachorum catalogo, quem Willelmus exemplo Johannis Papæ XXII se condidisse testatur. Primus qui privatum id genus indicem virorum illustrium Ordinis S. Benedicti texuit, invenitur Trithemius, eoque vivente Johannes Griesheremus, Monasterii S. Udalrici Augustæ Vindelicorum Presbyter ac Monachus,

Lites de Sanctis Ordinum antiquis ignotæ.

Trithemius Benedictinos ab aliis sejunxit primus.

quibus accessit Wion: quorum etsi quædam errata sunt, certè probabilis est labor, & quidem difficilis, pro novo ac nondum trito argumento.

51. Neque tamen ego, ubi Sanctos nostros in certas Sæculorum classes redigere proposui, id citra delectum facere institueram: sed ea lege id à me præstandum susceperam, non ut magnificum quemdam Sanctorum nostrorum catalogum adornarem ad pompam, sed ut factum ad historicæ veritatis amussim expenderem; & si quid peccatum esset contra veritatis leges, id pro modulo emendarem. Nimirum id postulabat sæculi nostri genius, cui obsequendum erat: ut sodales nostri, qui magis domesticis, quàm alienis exemplis moveri solent, accuratum, quantum in me esset, haberent indicem majorum suorum, quorum sanctitatem debeant imitari. Verùm mihi id agitanti accidit præter votum, ut disputationes de Sanctorum nostrorum delectu, & longiores, & forsan etiam acriores, quàm optassem, inire coactus sim; tametsi justæ defensionis modum tenere diligenter studui.

52. Certè multùm contrahi poterant concertationes nostræ, si utrique animo recogitassemus, quàm ferè inutiles sint ejusmodi altercationes, maximè ubi agitur de privatis Ordinibus veterum Monachorum, quibus unus (ut sæpius dixi) Ordo fuit ante annos retro sexcentos. Una quippe erat eorum societas, facilis & promiscuus in alia Monasteria Monachorum invicem cum Præfectorum licentia commeatus: tametsi omnia separata erant; sed una caritatis lege confederata. Primaria vitæ monasticæ regula erat abdicatio rerum omnium, tum propriorum studiorum, qualis in Evangelio præscribitur. Ad hæc secessio à sæculi tumultu, officia divina statis horis, obedientia summa, juge silentium, labor manualis, ciborum tenuitas & delectus, corporis castigatio, delictorum etiam levium pœnæ graves; in summa, propriæ salutis una feè & maxima cura; pro aliena continentes ac sollicitæ preces; pro Ecclesia etiam suscepti labores, ubi postulabat caritas, aut necessitas. Legumlatorum omnium regulæ eo spectabant: & quæ ad id magis conducere videbantur, eam suscipiebant Monachi cujusque Monasterii pro Rectorum arbitrio & voluntate apud Occidentales seu Latinos. Hinc mutatæ passim Regulæ, & plures in uno eodemque Monasterio non rarò servatæ, uti Gregorius Turonensis Episcopus scribit de Athanensi, in quo ait servatas fuisse *Regulas sancti Basilii, Cassiani, Cæsarii, & aliorum Patrum*, detractis scilicet & usurpatis iis, quæ pro locorum ac temporum conditione intempestiva, aut opportuna videbantur.

Unus Ordo veterum Monachorum.

Vitæ forma æqualis.

Regulæ mutatæ pro nutu Rectorû.

Greg. Turon Hist. lib. 10 c. 29.

Mutationem hanc temperavit S Benedictus.

53. Vagam illam Regulas mutandi licentiam primus tantisper castigavit sanctus Pater Benedictus, cujus discipulis susceptam semel Regulam abdicare numquam fas fuit. Id verò inde processit, quòd cum sanctissimus Legislator primus, aut certè inter primos, sollemnis professionis formam, modumque præscripserit; intra professionis terminos incluserit Regulæ suæ observationem, à qua deinceps recedere non liceat. Hinc est, quòd Novitiis frequentem Regulæ suæ lectionem commendat in cap. 58; ac demum, *si habita secum deliberatione promiserit* Novitius *se omnia custodire, & cuncta sibi imperata servare; tunc suscipiatur*, inquit, *in congregatione, sciens lege Regulæ constitutum, quòd ei ex illa die non liceat de Monasterio egredi, nec collum excutere de sub jugo Regulæ, quam sub tam morosa deliberatione licuit recusare aut suscipere.* Hanc servandæ S. Benedicti Regulæ promissionem ab ipsis Ordinis nostri incunabulis disertè semper expressere ejus alumni, tum in petitione ac professione adultorum, tum in oblatione parvulorum. Veterrima hujusce oblationis exempla bene multa nobis suppetunt in scriptis atque editis libris: unum in nova Capitularium editione, quam vir de republica litteraria optimè meritus Stephanus Baluzius recens adornavit: aliud in Chronico Novaliciensi, ubi Amblulfi pueri oblatio, imperante Carolo Magno facta, conceptis verbis exprimitur: alia item in Notis Acherii nostri ad Lanfrancum, quæ formulæ in Remigiano apud Remos Cœnobio usitatæ erant sæculo IX. In his porro formulis omnibus, quæ iisdem omnino verbis ubique constant, parentes filii oblati nomine sanctè jurant, se ita filium suum tradere Deo, *ut ab hac die non liceat illi collum de sub jugo Regulæ excutere.* Huic Petitioni accedebat Promissio, testante Hildemaro, iisdem omnino verbis à parentibus vice filii facta, atque ab adultis pro se ipsis. Utrumque sponte sua confirmabant, approbabantque filii, cùm ad intelligibilem ætatem pervenerant, ex Synodi Aquisgranensis cap. 36.

Petitio à Professione distincta.

54. Hanc adultorum Petitionem cum ipsa Professione confundunt Menardus noster & Haëftenus, doctissimi viri, aliique recentiores. At aliam ab alia diversam esse constat. Eas quippe non obscurè distinguit S. Benedictus in Regulæ cap. 58, ubi post verba superiùs præmissa, de Promissione hæc habet. *Suscipiendus autem in oratorio coram omnibus promittat de stabilitate sua, & conversione morum suorum, & obedientia coram Deo & Sanctis ejus: ut si aliquando aliter fecerit, ab eo se damnandum sciat, quem irridet.* Tum de Petitione subdit. *De qua Promissione sua faciat Petitionem ad nomen Sanctorum, quorum reliquiæ ibi sunt, & Abbatis præsentis. Quam Petitionem manu sua scribat; aut certè, si non scit litteras, alter*

ab eo rogatus scribat; & ille Novitius signum faciat, & manu sua eam super altare ponat. En Promissio & Petitio à S. Benedicto distinctæ. Promissio Monachum Deo; Petitio, veluti contractus & pactum, (sic appellat Fructuosus) etiam hominibus ac religioni obnoxium reddebat. Eum verò esse istius loci sensum patet ex antiquis Regulæ commentatoribus, Hildemaro & Smaragdo. Uterque enim hunc initiandi Monachi ordinem commemorat, ut primò Novitius promittat *de stabilitate, conversione & obedientia secundùm Regulam sancti Benedicti. Et cùm hæc dixerit promittens,* inquit Hildemarus, *tunc debet facere Petitionem, id est aut tunc debet scribere ipsam Petitionem: aut si scripta fuerit ipsa Petitio, tunc ibi in præsentia debet scribere aliquid, hoc est nomen suum: aut, si non sapit scribere, tunc in præsentia Fratrum ibi debet facere signum Crucis.* Duo ista signantiùs distinguit Smaragdus, qui formulas & Promissionis, & Petitionis in commentario suo refert: quibus alias octavo sæculo receptas in hujusce tomi appendice adjicio ex editione Baluziana. Porro in oblatione parvulorum parentes edebant, non solùm Petitionem, sed etiam Promissionem, testante Hildemaro in cap. 59.

55. Denique in utrisque formulis, Promissionis scilicet ac Petitionis, includitur votum ac promissio servandæ Regulæ, uti mox asserebam. Id cuivis planè perspicuum fiet ex vetustis formularum exemplis, quæ ad nos usque pervenerunt. Nam præter Baluzianas superiùs memoratas, in ejus rei argumentum alias habemus Professionis formulas, tum in epistola Theodemari ad Carolum Magnum, tum apud Hildemarum & Smaragdum, sæculi noni auctores; tum apud Haeftenum. Atqui formulæ istæ omnes in cunctis Monasteriis Regulæ nostræ subjectis principio receptæ sunt ex veteri more. Certè Fuldenses Monachi *Regulam S. Benedicti se impleturos* ab initio *promiserunt*, ex Sturmii Abbatis Vita num. 14. & Germanici itidem Monachi atque Sanctimoniales omnes idem præstabant ineunte sæculo IX, ex Concilii Moguntiacensis can. 11. & 13. Huic Professionis ac Regulæ retinaculo accesserunt aliæ duæ ejusdem Regulæ prærogativæ. Una, quòd ex omnibus veterum Patrum Regulis, hæc sola à summis Pontificibus, videlicet Gregorio Magno ac Bonifacio IV, commendata sit ac promulgata. Altera, quòd sola etiam in frequentibus Conciliis, maximè Gallicanis, celebrata, ac Monachis omnibus præscripta. quod nulli alteri Regulæ concessum legimus. Hoc triplici funiculo repressa est promiscua illa Regularum mutatio in Monasteriis Occidentalium seu Latinorum.

56. Neque tamen sic Regulam suam instituit S. Benedictus, ut

ut secessionem aut quasi divortium faceret à corpore sive cœtu ceterorum Monachorum. Etsi enim discipulos suos Regulæ servandæ voto adstrinxit, non tamen aliarum Regularum usum eis interdixit, aut aliorum Monachorum societatem. Quippe Regularum qualis tunc erat diversitas, non magis omnium Monachorum unioni obstabat, quàm variæ in eamdem Regulam commentationes, quas modò admittunt Congregationes diversæ, quæ sub eadem Regula, eodemque Ordine militant. Deinde S. Benedictus discipulis suis potestatem fecit alias superinducendi Patrum Regulas, putà S. Basilii, aliorumque, ad ea supplenda, quæ in sua vel indefinita reliquerat, vel imperfecta (quæ viri sanctissimi modestia erat) ipse reputabat, ut ex Regulæ capite ultimo perspicuum est. adeo ut hæc supplementa ex aliis petita Regulis, quasi Regulæ nostræ commentationes tunc haberentur. Illustre est hanc in rem exemplum Benedicti Anianensis Abbatis, qui non solùm omnes Regulas in unum codicem redegit; sed etiam ex eis conflavit Concordiam (quam vocat) Regularum: in qua relatis Regulæ nostræ singulis capitulis, singula aliarum Regularum capita pro argumenti materia subjungit, aptatque: tum ut ex mutua collatione amplior accederet Regulæ nostræ auctoritas; tum ut inde supplerentur ea, quæ S. Benedictus indefinita reliquerat: qualis est pænitentiarum modus, vestium forma & color, aliaque id genus, Abbatis arbitrio commissa.

57. Huc etiam pertinent capitula, quæ Grimaldus & Tatto *Regimberto præceptori*, aliisque Cœnobii S. Galli Monachis transmiserunt ad explicandam Regulam, quæ capitula in Appendice nostra reperies. Præterea alienis Monachis in Cœnobia Regulæ suæ subjecta accedendi licentiam dedit Pater sanctus in cap. 61, si modò probata eorum vita esset, ipsique Monachi stabilitatem in Monasterio promitterent. Hujus promissionis formam invenio in Regulæ nostræ commentario perantiquo, qui Paulo Diacono hactenus adscriptus est, at Hildemarum Monachum auctorem habet. En promissionis forma. *Ego ill. veniens de longinquis provinciis in hoc Monasterium, quia placuit mihi conversatio Fratrum istius loci, & illis mea placuit conversatio; ideo stabilitatem meam in hoc Monasterio per hanc scripturam manu mea scriptam perpetuùm confirmo.* Ut verò de adventantium Monachorum constaret moribus, probatio non porrigebatur in annum, sed breviori tempore definita erat. Magister in Regula sua, quæ tota ex Benedictina conflata est, duorum tantùm mensium exigit probationem, in capite 39, quod Fratribus jam conversis, uti & alia duo superiora, competere manifestum est.

Regula S. Benedicti quibus modis propagata.

58. Jam qua via, quave ratione alia Monasteria, quæ vel ante S. Benedictum, vel eo vivente aut mortuo sub alia Regula erecta sunt, ad Institutum nostrum accesserint, ex dictis explicare non fuerit operosum. Id quippe nulla vi, nullo dolo malo, nullis machinis (ut quidam perperam fingunt) admotis patratum est; sed prona voluntate cujusque loci Monachorum, qui Regulam nostram *discretione præcipuam*, *sermone luculentam* attendentes, sicque Gregorii Magni oraculo approbatam, propriis institutis præferendam esse existimarunt. Nulla, aut certè admodum rara, ex Monasteriis nostris transmissa colonia veteres inquilinos è propriis sedibus ejecit: sed spontaneos ad sui cultum adduxit Regulæ sanctæ auctoritas. Ad id porro quibusdam quasi gradibus pedetentim ventum est.

59. Primò enim cùm in voluntate Abbatum posita esset tunc cujusque Monasterii Regula; ex nostra plerique in suos usus transtulere, quæ ad informandos sibi subjectorum mores ac pietatem instruendam magis conducere videbantur, nulla tamen Regulæ nostræ promissione sollemniter ac disertè facta. Alii ad nostros propiùs accessere, non solùm plerosque ritus ex Regula S. Benedicti mutuando, sed etiam admittendo substantialem hanc (ut ita dicam) ejus partem, hoc est sollemnem ipsius Regulæ professionem. Sic in Regula Donati Vesontionensis Episcopi, quæ in Jussanensium Sanctimonialium gratiam ex Regulis S. Cæsarii, S. Benedicti maxima ex parte, ac S. Columbani condita est; ubi de probandis Virginibus agitur, id est in cap. 6, tota hujus negotii institutio petitur ex Regula nostra, ad cujus præscriptum professionis forma exigitur in hunc modum. *Prædicentur ei omnia dura & aspera, per quæ itur ad Deum: & si promiserit de stabilitate sua perseverantiam; tunc demum post anni circulum in Cœnobium ingrediatur; & obedientia ac stabilitate promissa, in congregatione societur.* quæ totidem verba exstant in Regulæ nostræ cap. 58, hoc solùm addito, quòd promissio illa fiat non modò *de stabilitate ac perseverantia*, sed etiam *de conversione morum*, & quidem *secundùm Regulam*, ut habent veteres formulæ superiùs memoratæ. Quamquam in veteri Benedictinæ professionis formula apud Theodemarum, in duabus aliis in Appendice nostra relatis, atque in Regulæ Magistri cap. 89, (quæ Regula non tam specialis est, quàm commentatio Benedictinæ) nulla etiam occurrit mentio conversionis morum: nimirum quia *obedientiæ secundùm Regulam* voto satis contineri videbatur. Ad eumdem modum Fructuosus Bracarensis Episcopus *Conversorum*, id est adultorum, *professionem* ordinavit, statuto edito in Regulæ primæ cap. 22, ut Abbas candidati Monachi

accipiat pactum, omnem suæ professionis continens originem: in quo etiam ita se idem convertens alligabit, ut omnia se instituta Cœnobii mente devota profiteatur implere, nec ea ullo umquam tempore violare; neque à districtione Cœnobii, quam expetiit, polliceatur ullatenus evagari. Quibus verbis Fructuosus, qui Regulam suam maximè ex nostræ decretis contexuit, obedientiam & stabilitatem non obscurè describit; apertiùs verò in istius *Pacti* formula, quam refert in fine Regulæ suæ communis. Qui priori modo Regulam nostram sibi assumebant, dimidiati (ut sic loquar) Benedictini; qui posteriori seu Donatiano, veri ac perfecti censeri debent Instituti nostri alumni. Porro Donatianus omnibus S. Columbani discipulis, Waldeberto Abbate, communis fuit.

60. His duobus inducendæ Regulæ modis accessere alii duo, nempe ut mitterentur unus aut alter Monachi, vel è nostris in aliena Cœnobia, qui docerent; vel ex alienis in nostra, qui discerent, aliisque postea traderent Instituti nostri rationem. In hoc genere invenio Abbatem Fundani in Italia Monasterii, qui cùm omnia totius Italiæ Monasteria ad Benedictinam vivendi normam certatim concurrere adverteret; duos ex discipulis suis Casinum misit ad Simplicium, ejus loci post S. Benedictum Abbatem secundum, ut *juxta prædictam sanctam Regulam & observantiam pleniùs instruerentur in Casinensi sancta Congregatione.* Ejus epistolæ, quam alibi integram retuli, exordium hujus facti rationem exponit his verbis. *Experientiâ compertum est, multorum Rectorum mores varias vivendi normas in Monasteriis peperisse. Hinc factum est, ut jam omnia Monasteria Campaniæ, Samniæ, Valeriæ, Tusciæ, Liguriæ, & aliarum provinciarum Italiæ, certam & rectam regulam vivendi, quam sanctissimus & Deo acceptus Benedictus magister tuus instituit, servare decreverint: ut juxta illam viventes, nec ad dexteram, nec ad sinistram declinare præsumant.* Quibus verbis probatur id quod superiùs dixi, scilicet varias in singulis Monasteriis Regulas antiquitus acceptas fuisse pro Rectorum arbitrio; eamque demum licentiam S. Benedicti Regulâ castigatam. Sed ut ad propositum revertar, aliquando unus alterve Monachi ex Monasteriis nostris in aliena mittebantur, ut Regulæ sanctæ institutis alios informarent. Id verò potiùs conjectura, quàm certo ullo argumento inductus affirmo contigisse. Nullum enim hujus facti exemplum apud veteres scriptores legere memini. Missi sunt quidem persæpe ex probatis Instituti nostri Cœnobiis Monachi ad alia emendanda seu reformanda, in quibus Regulæ nostræ jam collapsa erat disciplina. At qui eam in aliena primis illis sæculis induxerit, missum lego neminem. His duobus modis affines sunt alii itidem duo. Unus, cùm pere-

grini Monachi à nostris humanissimè de more accepti, Regulæ nostræ observationem, quam hospitii consuetudine didicerant, ad suos reversi commendarent, eisque approbarent. Sic sancti Wandregisilus & Filibertus varia Galliæ & Italiæ Monasteria perlustrarunt, atque ex iis Regulæ Benedictinæ aliarumque cultum in sua derivarunt. Postremus denique modus est, cùm extranei Monachi in nostrorum societatem firmata stabilitate admissi, cum licentia remearent ad pristinas sedes, ibique Instituti nostri rationem observari curarent. Neque enim ea, quam apud nostros voverant, stabilitas huic rei obstabat: ut docent Regulæ commentatores, in primis Hildemarus in capita 58 & 60. Lege formulam Petitionis primam in Appendice nostra. Omnibus istis modis, certè benignissimis, primitus propagata est Regula sancta in vetera Monasteria alienis subjecta regulis: non verò Monachorum ejectione aut substitutione aliorum.

61. Paullo aliter actum est cum Scotticis Monachis: qui cùm à Romanis ritibus in multis desciscerent, ob idque schismatici judicarentur, è propriis aliquando sedibus eliminati sunt, ut nostris facerent locum. Id factum in Monasterio Lindisfarnensi auctoritate Alchfridi Northumbrorum Regis; in Rippensi, aliisque diœcesis Eboracensis Cœnobiis per Wilfridum Episcopum sæculo septimo: denique in Landevenecense sæculo nono per Ludovicum Pium Regula nostra inducta est.

Monasteria quando in unum corpus coaluerint.

62. Sic ergo ad partes nostras commigravere vetera Monasteria: quæ tamen non in unum quasi corpus redacta sunt, non alia aliis subjecta, aut subordinata; non ab uno generali Præfecto administrata: sed ab invicem singula discreta ac separata, diversos habuere Rectores sub ejusdem Regulæ institutione, variis aliquando ritibus distinctâ. Primus Galliæ ac Germaniæ Monasteria ad uniformem sub Regula nostra vivendi modum adducere tentavit Benedictus Anianæ Abbas, favente Ludovico Augusto: cujus auctoritate Synodus Aquisgranensis eo fine indicta est ac celebrata, convocatis totius Galliæ ac Germaniæ Abbatibus. Quin etiam eidem Benedicto multa commissa sunt regenda Cœnobia, quibus ipse omnibus Abbatis primarii vice præerat. Eo mortuo, eadem Monasteria denuo translata sunt ad proprios quæque Rectores, qui hanc Benedictinæ Congregationis veluti primam ideam violarunt, & ad diversos ritus iterum redacti sunt. Rem feliciùs exsecutus est S. Odo Abbas Cluniacensis. Is enim ipsiusque successores infinita pæne Monasteria sub unius Abbatis regimine coadunarunt, & principi Monasterio Cluniacensi subjecerunt. Cluniacensi successit sæculo XI

Camaldulensis Congregatio auctore S. Romualdo, tum Vallumbrosana auctore S. Johanne Gualberto, ac Cistertiensis auctore S. Roberto Abbate Molismensi, aliæque complures, quas hîc enumerare otiosum est, omnes sub eadem Regula S. Benedicti. Eodem sæculo XI institui cœpit Ordo Cartusianus per S. Brunonem, dein Præmonstratensis insequenti per S. Norbertum, ac demum sæculo XIII variæ Mendicantium Religiosorum societates. Ordinũ varietas ut incœpit.

63. Ab istis temporibus scindi cœpit monasticæ reipublicæ communio in varios Ordines. Nam antea, ut jam dixi, unus Monachorum Ordo censebatur, non solùm quòd Monasteria pæne omnia in Europa sub una S. Benedicti Regula militabant; verùm etiam quòd, etiamsi qua alieno instituto addicta supererant, una tamen cum nostris societatis lege connecterentur. Primus Ordinem sancti Benedicti, quasi specialem, ab aliis distinxisse videtur Lupus Ferrariensis Abbas in epistola 29, ubi non modò *Patrem nostrum Benedictum* vocat; verùm etiam ex ejus Regula asserit, Sacerdotes in Monasteria fuisse admissos *jam inde ab initio nostri Ordinis*. Ast ita locutum fuisse Lupum existimo, non quò discernat Ordinem S. Benedicti ab aliis; sed quòd unicus tum esset in Gallia Monachorum Ordo Benedictinus. Certè in eadem epistola, paullo ante verba mox relata, *nostram*, *hoc est monachicam Religionem* interpretatur. Eadem ratione explicanda sunt, quæ in sancti Mauri Abbatis Vita leguntur, hæc verba: *Observatio Ordinis nostri summam deposcit quietem*, id est monastici. quæ eadem ferè verba reperio in Actis S. Hermelandi Abbatis cap. 2. Neque etiam Ordinum varietatem arguunt Litaniæ ab Alcuino conditæ pro feria tertia, in quibus *omnium Monachorum Ordines* precibus interpellat. Hic enim locus intelligendus est de variis Monachis in cælum receptis: quorum alii Martyres, Confessores alii; alii Doctores in vivis fuerant. Aliàs sanè non *omnium Monachorum Ordines*, sed *omnium Ordinum Monachi* erant appellandi. Sæculo insequenti cùm per sanctum Odonem erecta fuisset Cluniacensis Congregatio, propriis ritibus adstricta Regulæ S. Benedicti; quæ priscos ritus retinebant Monasteria, alterius Ordinis dicebantur, tametsi ejusdem Regulæ unione confederata; maximè quæ varias sub se Cellas ac Monasteriola habebant. Sic *Ordo Majoris Monasterii* vocatur apud Willelmum Gemeticensem Monachum in lib. 7 cap. 37.

64. Cartusiensi, Camaldulensi, Vallumbrosana, Grandimontensi, ac Cistertiensi familiis exortis, major facta est Monachorum discretio, ob varias vestes, aut Regulas, variosque ri-

tus, quibus utebantur. Nigros appellabant veteres Benedictinos; Cistertienses principio griseos, tum albos seu candidos. Certè Robertus de Monte *Ordinem Cistertiensem*, uti & Cartusiensem vocat in tractatu de mutatione Ordinis Monachorum cap. 2. Hinc S. Bernardus in Apologia ad Guillelmum Abbatem: *Unum Ordinem professione teneo, ceteros caritate.* In variis tamen hisce Ordinibus perseveravit unus atque idem veteris monastici Ordinis genius, unus idemque scopus, qualem superiùs exposui.

65. Tandem sæculo XIII & subsequentibus antiqua reipublicæ monasticæ facies non parum immutata est; distracta unio in diversos fines, unus Ordo in multiplices distinctus Ordines, immo & Religiones. Neque enim omnes capit unum Monachorum nomen, nec illud ipsum ferunt omnes. Hinc pro divinis officiis & labore manuum, alii concionandi officium, alii studia, alii utrumque; quidam etiam pro studiis caritatis officia; alii pro ceteris prisci monachatus insignibus varios ritus induxere, omnes ferè in aliorum commoda & salutem instituti. Profecit Ecclesia tot Ordinum varietate, quamdiu intra Regulæ quisque suæ limites constitere; proficitque in dies, ubi primis Ordinis moribus statur. Omnes hos Ordines probi quique laudant, approbant, foventque, & meritò certè. At Monachis maximè cavendum est, ne à primario instituti sui proposito atque scopo retrahantur, sive exemplo aliorum, qui alienæ saluti procurandæ sese totos addixere; sive querelis hominum sæcularium, qui eos quasi reipublicæ Christianæ inutiles traducunt, & à solitudinis secessu revocare moliuntur.

Monachi reipublicæ Christianæ perutiles.

66. Jam dudum adversus hunc scopulum Eugenius Papa III præmunivit Cistertienses suos in epistola ad Capitulum generale. *Et quoniam*, inquit, *filii sæculi hujus vos renitentes etiam ad regimen sui trahere moliuntur, & de quiete contemplationis & deserti silentio volunt vos aliquoties ad occupationes & negotia revocare; ad mentis oculum Patrum vestrorum instituta reducite: & propheticum habentes exemplum, eligite magis abjectus esse in domo Dei, quàm habitare in tentoriis peccatorum.* An verò desidiosum hominum genus instituissent Antonius, Pachomius, Basilius; laudasset Athanasius; defendisset Chrysostomus; sectati essent cum Basilio & Chrysostomo Gregorius Nazianzenus, Martinus, Hieronymus, Augustinus, Fulgentius, Cæsarius, & (ut infinitos alios sileam) Gregorius Magnus, omnes præclarissima Ecclesiæ lumina? Itane otiosos approbaret Ecclesia; Concilia, Patresque laudarent, tamquam illustriorem gregis Christi portionem; confirmarent, foverentque piissimi quique Principes, Reges, Imperatores? Audiant illi Monachorum censores, quid de Mo-

nachorum instituto pronuntiarit Justinianus in novella 133. *Singularis vita, hujusque contemplatio res est sacra, & ex hoc evehens animas ad Deum; & non solùm juvans eos qui ad hanc accedunt; sed etiam aliis omnibus pro ejus puritate & supplicatione ad Deum præbens inspectam utilitatem. Unde & priscis Imperatoribus studii fuit, & à nobis non pauca sancita sunt de eorum honestate & ornatu.* Hanc verò utilitatem inferiùs explicat his verbis. *Si enim illi puris manibus & nudis animabus pro Republica supplicent Deo; manifestum, quòd & exercitus habebunt bene, & civitates bene disponentur. Deo quoque placato & propitio exsistente, quomodo non universa plena totius pacis & devotionis? sed & terra nobis feret fructus, & mare quæ sua sunt dabit, illorum oratione propitiationem Dei ad omnem rem publicam deducente. Sed & ipsum commune schema hominum reverentius erit, & vivet meliùs illorum erubescens perdurationem.* Idem sensit de Monachorum instituto magnus ille Johannes Alexandrinæ ecclesiæ Episcopus, cognomento Eleemosynarius: qui cùm non fuisset Monachus, *nolens autem*, teste Leontio Episcopo, *hujus boni esse expers, congregavit Alexandriæ duos Ordines sanctorum Monachorum*, & *statuit eis omnem utilitatem tribui de villis suis in civitate sua: & faciens eis cellulas in duobus oratoriis*, Ego, inquit, *post Deum utilitatem corporalem vestram procurabo, vos autem spiritalis habetote meæ curam salutis.* Quantum verò inde utilitatis acceperit Alexandria, subdit Leontius, dicens, *ad similitudinem Monasterii ex his civitatem pæne vixisse, & in diversis locis pervigiles hymnodias Deo resultisse.* Hæc vera Monachorum officia, quorum institutum nemo poterat meliùs aut exprimere, aut tueri. Ad eum siquidem modum comparata est proborum quorumque hujus etiam temporis Monachorum vita, qui non minùs secessus ac silentii exemplo Fidelibus aliquando prosunt, quàm alii concionandi officio. Quis enimvero, si modò de Christiana pietate rectè sentit, remque coram Deo examinat; quis, inquam, Ecclesiæ non perutiles existimet eos, qui Christi vitam atque Evangelium factis suis assiduè pro modulo confirmare ac protestari conantur? qui religionis præcipuum officium, Dei scilicet cultum, quanta possunt religione celebrant, corpore & animo in perfectum laudis sacrificium contrito & mactato? qui Christianæ pænitentiæ antiqua vestigia specimenque in Ecclesia retinent? qui virtutis publicas scholas aperiunt? qui veterum scriptorum monumenta labore suo transmisere ad posteros? qui Clericis laudabiles instituendi societates exemplum dedere? qui denique quot Monasteria, tot xenodochia erexere, in quibus animorum morbi curantur, innocentia per baptismum parta inviolata servatur, aut perdita restauratur, omnium pauperum egenorumque ino-

pia sublevatur? Xenodochia, inquam, Monasteria sunt, in quibus non solùm Monachi à sæculi corruptelis vindicantur; sed etiam *mundus omnis*, ut testatur Leodegarius, immo Gallicani cum eo Episcopi in Concilio Augustodunensi: qui cùm adservandam S. Benedicti Regulam Abbates & Monachos cohortati essent, hæc subdunt in canone 15. *Si enim hæc omnia fuerint legitimè apud Abbates vel Monasteria conservata; & numerus Monachorum Deo propitio augebitur, & mundus omnis per eorum orationes continuas malis carebit contagiis.* Denique quis dicat eos civili ac Christianæ reipublicæ inutiles, qui provincias ferè totas incultas & in solitudinem redactas, opidis, vicis impleverunt, ornarunt ædificiis, litteris excoluerunt, erectis Episcopatibus, pastoribus institutis, multis paganorum millibus ad Fidem adductis? Hæc qui per Monachos patrata nescit, planè in historia » novus hospes est. Quænam igitur est animi perversitas, ut ejusdem verbis utar, qui Monachorum potiùs censor, quàm adulator est, odisse Monachum ob hoc ipsum, quòd Monachus est? profiteris te Christianum, & aversaris eos, qui Christo simillimi sunt? Hic protinus occinent, scio, plerosque plurimùm abesse ab hac imagine priscorum Monachorum. Nullum igitur vitæ genus probabimus, si propter malos oderimus & bonos. Deflexerint sanè tantisper à primario proposito suo Monachi. At quotus quisque est Christianorum, qui primitivæ Ecclesiæ sanctimoniam hactenus retinuerit? Nullus ordo, nullus status, nullusve locus à generali corruptela ex integro immunis est. De probis Monachis illud audeo dicere, nullum esse in Ecclesia statum, qui ad primigenios instituti sui mores postliminio redire ferventius contendat, & in dies fieri melior. Hæc per excursum attigerim, non quo sæcularium hominum probra, dicas, ac querelas hoc modo temperari posse putem: sed ut apud æquos homines monastici Ordinis causam paucis perorem; ac demum ut status sui dignitatem intelligant sodales nostri, neque ab eo deflectant adversariorum improperiis, quæ homini Christiano (quanto magis Monacho?) æquanimiter toleranda sunt.

Erasm. in epist. ad Iohan. Emstedium Cartusian.

67. Neque porro his detractum imus aliis recentiorum temporum Ordinibus, quorum institutum probamus ac veneramur. Manet sua cuique laus & prærogativa: nec ex eorum numero esse velim, qui de Ordinis sui præ aliis dignitate, de vitæ contemplativæ præstantia supra activam longas serunt disputationes. Quæ hactenus de variis Ordinibus retuli, eo tantùm spectant, ut diversos monasticæ reipublicæ status exponam. Nunc ergo (ut dicere cœperam) tanta facta est Ordinum, quanta

ta Regularum, immo & rituum sub eadem Regula, ac statutorum diversitas: adeo ut violatæ fidei reus censeatur Monachus aut Religiosus quisque, qui in alterius Ordinis aut professionis locum migrarit absque pontificia passim auctoritate. Ex hac familiarum & Ordinum discretione nata est bonorum cujusque Ordinis propria ac privata possessio, certis legibus definita. Hinc est, ut quod uni comperit Ordini, ad alium transferri non magis possit, quàm singularis cujusque personæ facultates ad aliam.

68. Ex his omnibus quæ hactenus dixi, manifestum est, quàm facile fuerit antiquis Monachis admittere S. Benedicti Regulam, ubi ejus dignitas, discretio, & præstantia ipsis perspecta esse cœpit; quave ratione ea res demum perfecta sit. Hæc cùm ita sint, non tantopere disceptandum erat de Monachis sanctis, qui ævo S. Benedicti vixere, nimirum an & quando ejus Regulam susceperint; deque instituto Columbani, an fuerit à Benedictino diversum, an Regula ejus peculiaris. Certum quippe est, unicum fuisse, non solùm Benedicti & Columbani, sed etiam omnium Monachorum eo tempore Ordinem, tametsi varias Regulas atque ritus habuerint diversos. Constat etiam, non solùm S. Benedictum, sed & Columbanum, cùm duo in Gallia Cœnobia ædificasset, *Spiritu-sancto repletum*, ut restatur Jonas, *condidisse Regulam quam tenerent*. Præter hanc Regulam Columbanus scripsit Pænitentialem librum: quod utrumque opus habemus in codice Regularum. Tota lis est, an hæc Regula semper in unoquoque Columbani Monasterio cum Benedictina ita coaluerit, ut nullo tempore ab illa sejuncta sit: aut si sejuncta aliquando, quo demum tempore cum ea coaluerit. Quod sanè non magni momenti esse videbitur, si attendamus, utriusque Patris discipulos unius Ordinis consodales ac commilitones fuisse. Diversi quidem in nonnullis fuere Columbani, ejusque discipulorum mores à Latinorum Monachorum ritibus, quos Regulæ S. Benedicti professores sectabantur. At, si quædam discidiola inde exorta excipias, unius Ordinis unionem non magis violabat illa diversitas, quàm variæ nunc commentationes in Regulam nostram. Tametsi verò quidam Columbani ritus à nostris differebant; eodem tendebant præcipua quæque, penitusque similia erant. qualis est oblatio infantium in Monasteriis, cujus oblationis ritum Columbanus ex Regula S. Benedicti forsan acceperit. nam ea de re nullum in ejus Regula decretum invenio. Certè Donatus puer *in Monasterio Luxoviensi alitus*, ibidemque Deo *à teneris consecratus est* Columbano Abbate: quod etiam de Agilo puero legitur.

Columbani institutum ab aliis an divisum.

69. Atque ut ampliùs elucescat, Columbani Ordinem non fuisse ab aliis sejunctum ac separatum; insigne affero exemplum Eustasii, post Columbanum Abbatis Luxoviensis: qui ad eum in Italiam profecturus, *introiens Cœnobium Agaunense*, ubi tum Monachi degebant, *sciscitari cœpit, quis inter primos sanctitate primus ibidem haberetur.* Cognito eum esse Amatum Monachum, qui post annos triginta inibi exactos, *in excelsissima rupe jam ferè per triennium duram gerebat vitam; ipse revertens ab Italia, ablatum sanctum hominem Luxovium usque perduxit: ubi is aliquod temporis spatium conversatus, ab omnibus amatus effectus est*, ut scribit gravis auctor & æqualis in Actis S. Amati in Sæculo secundo relatis. Quo in facto observandum est, Agaunenses non vixisse ad præscriptum Regulæ S. Columbani, sed aliùs, nempe (ut probabile est) Benedictinæ: quam à S. Mauro in Galliam accedente, illacque transeunte suscepisse dicuntur. At sive hanc, seu aliam Regulam professi sint Agaunenses; ex superiori facto apertè intelligitur, Columbani Institutum ab aliis non fuisse diversum: quandoquidem Amatus nulla habitus aut professionis mutatione facta Luxovium admissus sit & cooptatus.

70. Non diffiteor tamen secus actum aliquando cum alienis Monachis, quorum non ita perspecti erant mores ac probata vita, ut patet ex Actis S. Walarici Abbatis, qui in Monasterio Autumo apud Arvernos Monachum professus, cùm Luxovium se recepisset ad Columbanum, *in primis humilitatis causa & ritu Novitiorum hortum excolere cœpit.* Hinc explorata ipsius virtute, Columbanus *jussit eum inter condignos probatosque Monachos constitui, quem Fratres adhuc, quasi Novitium, inter modernos esse judicandum æstimabant.* Itaque Walaricus jam antè Monachus, apud Luxovium probatus est *ritu Novitiorum*, eumque Fratres *quasi Novitium* æstimabant, quoad usque Columbanus eum *inter probatos Monachos* admisit. Verùm, ut dixi, id non fiebat adversus omnes, sed erga eos dumtaxat, quorum vita dubia atque mores incerti erant. Alioquin statim ab ingressu ejus loci Monachi censebantur, ut ex Amati facto discimus: qui inter Luxovienses non aliter acceptus est, quàm Luxovii proprius alumnus.

§. V.

Regula S. Benedicti ante sæculum VIII *recepta ubique Galliarum.*

71. QUORSUM, inquis, hæc tam longo repetita principio? nimirum ut appareat, quàm otiosi sint eorum conatus, qui non solùm Columbanum, sed etiam ejus discipulos Ordini nostro detrahere conantur, & Regulæ S. Benedicti generalem in Monasteriis usum rejiciunt in sæculum octavum, immo & nonum. Nam cùm ab initio unicus fuerit Benedicti, Columbani, aliorumque Legumlatorum monasticus Ordo, etsi quidam ritus (ut hodie etiam in unius ejusdemque Ordinis variis familiis cernuntur) diversi fuerint; consequens est Columbanum ejusque discipulos non immeritò sodalibus nostris vindicari posse; & hos quidem eo potiori jure, quòd cum Regula Institutoris sui etiam Benedictinam, si non ipso Columbano auctore, certè propria sponte ipsi susceperint. Quia verò id non placet recentioribus nonnullis, qui Regulæ S. Benedicti propagationem seriùs admittunt; operæ pretium me facturum puto, si argumenta quædam, sive à me jam relata in superioribus Præfationibus; seu nova & postmodum inventa huc referam historico more, non contentioso illo modo, qui in controversiis adhiberi solet. Quod ut dilucidiùs exsequar, & quibuscumque adversariorum argumentis & effugiis aditum præcludam; hîc demonstrare aggredior, neque Benedictum Anianensem, aut Ludovicum Augustum; neque Carolum Magnum, aut Casinenses Monachos; neque Bonifacium Moguntinum Archiepiscopum, aut Pippinum Regem, Carlomannumve ejus fratrem, generalis propagationis Regulæ Benedictinæ auctores, sed ejusdem observationis restitutores fuisse. Hæc singulatim explicanda. *Quæ hîc explicanda.*

72. Ludovico Pio imperante Regula sancti Benedicti adeo propagata erat, ut S. Benedictus *cunctorum Monachorum Pater* appelletur ab Ardone Monacho, Ludovici temporis æquali. Et ante eum Alcuinus idipsum iisdem ferè verbis tradiderat, de S. Benedicto ita canens in epigrammate 112.

Turba Monachorum celebrat te sancta per orbem,
Quorum vita fuit famine scripta tuo.

Itaque labente sæculo octavo, regnante Carolo Magno, tam longè lateque *per orbem*, saltem Occiduum seu Latinum, sancti Patris Regula propagata erat, ut *turba Monachorum per* *Regulæ S. Benedicti propagator,*

orbem, ipsum velut parentem ac præceptorem suum celebraret. Quod si advertisset quidam vir doctus, S. Benedictum anno DCC XLII *omnium Monachorum Patrem* dici potuisse forsan non negasset: cùm ab annis inde ferè XL ita dictus sit ab Alcuino. Sed ne fortasse huic Alcuini loco plus, quàm ejus verba præ se ferant, tribuere videar; affero alium ejusdem Auctoris ex carmine 141, ubi Benedictus absolutè *Monachorum Pastor* appellatur.

O Benedicte vale, Monachorum maxime Pastor:
Quos generas verbis, hos rege jam precibus.

Baluz. in Append. Capitul. n. XXI. Sic in charta Ludovici Pii, tum Aquitaniæ Regis, S. Benedictus *Monachorum Pater* laudatur, nimirum anno DCCC VII, ut legitur in Appendice Capitularium. Sed rixas hîc serere non est animus; præstatque audire S. Odonem Abbatem Cluniacensem, qui in sermone de S. Benedicto eam fuisse dicit ipsius prærogativam, eumque fulgorem; *ut etiam remotissimos totius Christianitatis sinus radiis suæ beatitudinis illustraret.* Tum subdit. *Nec Monachorum cohortes ubique terrarum diffusæ tantam ejus altitudinem ignorant, qui sanctam ipsius institutionem præ ceteris sectantur: ita ut etiam in illorum Patrum Cœnobiis, qui normam sancti propositi fideliter ac religiosè promulgarunt, hanc proprii clientes eorum malint profiteri; non immeritò arbitrantes, quòd hunc specialiter, tamquam alterum Moysen, Deus mundo prædestinavit: ut sicut ille Judæis; ita iste tam Judæis, quàm gentibus monasticæ legis decreta sanciret.* Ex his omnibus conficitur, Regulam nostram sæculo IX adeo fuisse diffusam, ut sola, saltem in orbe Latino, generali usu recepta esset. Atque ut de aliis modò regnis & provinciis sileam, certè id maximè constat de Gallia: sed quando & quo auctore id factum sit, investigandum est.

I. non Benedictus Anianensis. 73. Benedictum Anianæ Abbatem, non istius propagationis auctorem, sed Benedictinæ disciplinæ jam collapsæ restitutorem fuisse certis argumentis demonstrare facile est. Huic rei probandæ sufficere posset testimonium Indensium Monachorum, qui ipsius Benedicti obitum, resque ab eo gestas Ardoni Monacho scriptis litteris commemorantes; *Hic est*, inquiunt, *Benedictus, per quem Dominus Christus in omni regno Francorum Regulam S. Benedicti restauravit.* quæ verba in proposito argumento tam clara, tamque perspicua sunt, ut commentariis non egeant. *Restauravit*, aiunt: non monasticum in communi Ordinem, non quamlibet Regulam, sed *Regulam S. Benedicti.* Non ergo primus eam instituit in Gallicanis Cœnobiis: sed collapsam restituit in integrum; & quidem non in paucis dumtaxat Monasteriis, sed *in omni regno Francorum*, data opera, ut eodem mo-

do ubique servaretur, quo fuerat olim instituta. Hoc unum testimonium, quod testium est oculatorum, sufficit ad rem, de qua agimus, finiendam: cùm adeo perspicuum, validum, ac necessarium sit, ut nulla dissimulatione, aut tergiversatione eludi possit. Accedit ipsius Benedicti auctoritas ex epistola, quam morti proximus Anianensibus Monachis scripsit, commendans illis Cœnobia, quæ ab se reducta fuerant ad meliorem frugem. En ejus verba: *Sicut ergo Monasteria dudum vitiata, jam aliquid emendationis à nobis accepisse videntur largiente Domino: ita maximè nunc cavete, ne (quod absit, te posco, misericors Deus) sinistram viam ullo tempore tendant.* Jam ergo cùm Benedicti, tum ipsius discipulorum testimonio perspectum ac demonstratum habemus, *dudum vitiata* Galliæ Monasteria per Benedictum emendationem accepisse, & in eis Regulam S. Benedicti, non primitus institutam fuisse, sed restitutam. Quippe *hic est Benedictus per quem Christus in omni regno Francorum Regulam S. Benedicti restauravit.*

74. Tota Vitæ ejusdem Benedicti series idipsum nos docet, *num. 27.* auctore Ardone ejus discipulo. Primò enim Benedictus cùm primùm condito Anianensi Monasterio præesse cœpit, Carolo regnante, *dedit cor suum ad investigandam beati Benedicti Regulam; eamque ut intelligere posset, satagere, circumiens Monasteria, peritos quoque interrogans quæ ignorabat.* Nimirum quia in singulis Monasteriis erant mores, ritusque diversi, & varius Regulæ usus; ea circumibat vir sanctus, ut ex variis locis perfectam Regulæ observationem deflorarct, quam ex uno haurire non poterat. Tum *omnium Sanctorum quascumque invenire potuit Regulas congregavit.* Nimirum eo consilio, ut concordiam texeret, codicemque Regularum, ex quarum comparatione demonstraret legitimum Regulæ S. Benedicti sensum, ad quam *investigandam* id agebat; & ut ex hac comparatione ac convenientia major accederet eidem Regulæ auctoritas. Hoc modo *normam utilem & Monasteriorum salubres consuetudines didicit, suisque eas tradidit Monachis observandas.* Hic locus notatu dignus est. Quippe non alias Monachis suis imposuit consuetudines, quàm Regulæ sancti Benedicti ab eis promissæ convenientes. Atqui aliorum *Monasteriorum consuetudines didicit, suisque eas tradidit Monachis observandas.* Constat igitur in illis Monasteriis consuetudines ad mentem & institutum Regulæ nostræ antè observatas fuisse, quàm Benedictus ea Monasteria emendaret, & ad strictiorem normam revocaret.

75. Postquam ita Monasterium suum instituit Abbas pius, *num. 28.* jam aliorum correctioni curam & operam suam adhibuit. Siquidem *omnium Monasteriorum tam in Provincia, quàm in Gothia & Novempalitana* provincia consistentium, erat quasi nutrix fovens*

*Novempopulana, *la Gascogne.*

num. 31. *juvansque, atque ab omnibus amabatur ut pater, venerabatur ut dux, reverebatur ut magister. Caritatis enim amore, ut plures faceret salvos, aliorum circuibat cellas, & eis Regulæ suæ pandebat abscon∫a. Regulæ,* inquit, *suæ*, id est cujusque Monasterii. Non ergo aliam tum inducebat, sed receptam confirmabat, explicabatque. Porro non aliam explicabat, ut ipsi fatentur adversarii, à Regula S. Benedicti, quam ipse professus erat. Pergit Ardo ejus vitæ scri-
num. 40. ptor. *Gloriosissimus autem Ludovicus, tum Rex Aquitanorum, comperta ejus sanctitatis fama, eum omnibus in regno suo Monasteriis præfecit, ut normam salutiferam cunctis ostenderet.* Ad quid putas? an eo animo, ut Regulam S. Benedicti, quasi eatenus istic inauditam, & needum receptam traderet? Immo verò ut longè antè inductam, & jam servari desitam revocaret ad usum, & Monachos ad Canonicorum vitam prolapsos emendaret. Id namque disertè probant Ardonis verba quæ sequuntur. *Erant enim Monasteria instituta canonica servantes*, Regulæ autem præcepta ignorantes. Cujus ille obediens jussis, circuivit singulorum Monasteria, non solùm semel & bis, sed & multis vicibus: ostendens monita Regulæ, eamque eis per singula capita discutiens; nota confirmans, ignota elucidans. Sicque actum est providente Deo, ut omnia pæne Monasteria in Aquitania sita regularem susciperent formam.* Insignis hic locus est, neque ullus in rem nostram luculentior afferri potest. Quippe Monasteria illa, quæ *instituta canonica* servabant, *Regulæ autem præcepta* ignorabant, erant illorum Monachorum, qui sponte sua ad Canonicorum mores, & forsan etiam habitum accesserant, ignorantes præcepta Regulæ, quæ in ipsis Monasteriis jam dudum instituta fuerat. Certè de solis Monachis intelligi potest hic locus, nam hîc de Monachorum Cœnobiis agitur. Id patet ex sequentibus verbis, quibus dicitur Benedictus prædictis Cœnobitis *ostendisse monita Regulæ*, non primùm imposuisse, eisque *per singula capita excussisse*, seu exposuisse; adeoque *nota confirmasse*, (Ergo nota illis erant quædam Regulæ capita, ea scilicet quæ usu adhuc retinebant.) ac demum *ignota elucidasse*. In his porro omnibus nihil est, quod de novæ Regulæ institutione explicari possit: sed omnia eo conspirant, ut Regulam S. Benedicti his in locis restitutam fuisse demonstrent.

* servantia.

76. Hunc locum egregiè illustrat canon 25 Concilii Turonensis anno DCCCXIII celebrati, inscriptus *de Monasteriis Monachorum Regulæ S. Benedicti*. Sic autem canon iste se habet. *Monasteria Monachorum, in quibus olim Regula beati Benedicti Patris conservabatur, sed nunc fortè qualicumque negligentia subrepente remissius ac dissolutiùs custoditur, vel certè penitus abolita negligitur; bonum videtur ut ad pristinum revertantur statum: & Abbates eorumdem in*

eodem habitu & vita, qua ipsa Regula præcipit eos incedere, vivere studeant. Erant ergo tum Monasteria quædam, in quibus tum Regula S. Benedicti remissa erat; immo nonnulla, in quibus penitus defecerat: ita ut Abbates etiam regulares habitum monasticum deposuissent. quæ Monasteria Patres Concilii jubent, *ut ad pristinum revertantur statum.* Idem in eodemmet canone clariùs explicant subsequentibus verbis. *Quoniam aliqua sunt Monasteria, in quibus jam pauci sunt Monachi, qui prædicti Patris Regulam suis Abbatibus promissam habeant, quippe cùm ipsi Abbates magis canonicè, quàm monachicè inter suos conversari videntur.* Ex quibus patet, & Abbates regulares in quibusdam Monasteriis, Regulæ sancti Benedicti pridem addictis, *magis canonicè quàm monachicè* tum vixisse; & Monachos in tantam remissionem fuisse prolapsos, ut servandæ Regulæ promissionem, quam Abbatibus fieri Regula præcipit, facere desiissent. Hoc in numero fuere Turonenses Monachi Cœnobii S. Martini, ut lego in epistola Caroli Magni ad ipsos scripta in reum Theodulfi Aurelianensis Episcopi Clericum, qui ad S. Martini tumulum confugerat, defendentibus eum Monachis, quos Carolus ita increpat. *Ipsi quoque nostis, qui congregatio hujus Monasterii ac servi Dei, & utinam verè, dicimini, qualiter jam crebrò vita vestra à multis diffamata est, & non absque re. Aliquando enim Monachos, aliquando Canonicos, aliquando neutrum vos esse dicebatis.* Erant ergo ex institutione sua *Monachi & servi Dei* Turonenses illi: sed tamen abjecta Regulæ observatione ita deformati, ut aliquando *Monachos*, aliquando *Canonicos* se dicerent. His emendandis adhibitus est Alcuinus, testante Carolo in eadem epistola, quam recèns publicavit vir eximiæ eruditionis Stephanus Baluzius in tomo 1 Capitularium, qualis in hujusce tomi Appendice habetur. Fontanellenses etiam Monachi, cadente *almæ Regulæ* statu, *Canonico ordine* vivebant: dum Ansegisus Abbas pristinam revocavit disciplinam, *juxta quod voluntatem Domni Imperatoris* Ludovici *super hoc noverat.* Utrisque adjungendi sunt Monachi Dionysiani, testante eodem Ludovico Pio in insigni diplomate, quod de eorum correctione & emendatione scripsit: cui negotio adhibitum ait ab se Benedictum nostrum unà cum Arnulfo Abbate, quem vel Heriensis, vel Glonnensis, vel certè utriusque Monasterii Abbatem fuisse puto. Et hæc erant Monasteria *instituta canonica servantia*, ut loquitur Ardo: de quibus agit Concilium Turonense: quæ cùm à Regula S. Benedicti jam pæne defecissent; ad eamdem per Benedictum revocantur. *Vide Acta hic pag. 632.*

77. Si à Benedicti factis ad ejus scripta reflectamus animum; eumdem etiam in eis scopum inveniemus. Ex variis opusculis, quæ vir pius edidit in gratiam Ordinis sui, duo præcipua sunt,

nempe Codex Regularum, earumque Concordia cum Regula S. Benedicti. Sunt qui existiment Concordiam ab eo fuisse conditam, ut ad suscipiendam S. Benedicti Regulam omnium animi magis benevoli redderentur. Immo alias ob causas omnino duas. Erant quippe tunc temporis duo Monachorum genera. Alii prorsus dissoluti, *instituta canonica servantes*, Regulæ præcepta ferè ignorabant ex dictis, vixque ad monasticas leges, regularesque mores à Benedicto reduci poterant. Alii *tepidi ac segnes*, cùm Regulæ nostræ usus & officia utcumque exsequerentur, ad sublimiora quædam aliarum Regularum capita provehi se non ferebant, allegantes promissionem ab se factam unius Regulæ servandæ, nempe Benedictinæ. In utrorumque gratiam Benedictus scripsit Concordiam Regularum: ut dissoluti, quanti sint facienda S. Benedicti instituta, discerent ex aliarum comparatione Regularum; tepidi verò non rejicerent alias Patrum Regulas, ex quibus S. Benedictus suam ferè deflorasset. Priorem istius libri scribendi causam aperit Ardo his verbis. *Rursus ut ostenderet contentiosis*, iis nempe, qui ad Regulæ praxim non facilè reduci poterant, *nulla frivola cassaque à beato Benedicto edita fore, sed suam ex aliorum fultam esse Regulis; alium collectis Regularum sententiis composuit librum, cui nomen Concordia Regularum dedit: ita dumtaxat, ut beati Benedicti præcederet sententia; ei verò rationabiliter convenientes jungerentur deinceps.* Præmiserat Ardo Benedictum antea composuisse alium librum ex Regulis diversorum Patrum collectum, qui *Codex Regularum* appellatur: in quo præcederet sancti Benedicti Regula, ceteræ subsequerentur. tametsi alius ordo exstat in editis. Hunc librum *ad Collectam matutinam*, id est ad communem lectionem manè fieri solitam, legi jussit. Cùm verò Monachi nonnulli aliam sibi prælegi, quàm sancti Benedicti Regulam ab se voto promissam, indignè ferrent; alterum composuit librum de Concordia aliarum Regularum cum Benedictina, ut earum etiam lectionem (quæ altera hujus operis occasio est) Monachis suis approbaret. Eam porro fuisse viri sancti mentem in hoc posteriori opere, docet ipse in prologo, quem *Abbatibus, & Monachis omnibus* nuncupavit. Modò ergo constet librum hunc directum esse Monachis Regulam S. Benedicti professis; constet etiam necesse est, omnes tum in his partibus eidem Regulæ fuisse addictos. Id verò patet ex ipsa præfatione, cujus initium ejusmodi est. *Dum communi utilitati consulens, attentiùs quærerem, quo modo utiliùs possem cunctis prodesse; cœpi Sanctorum Vitas, Regulasque legere Patrum. quas dum sagaci intentione percurrerem, & eadem pæne, quæ à sancto Benedicto prolata sunt, verba in quibusdam locis, in quibusdam verò sensum* eumdem

eumdem cognoscerem ; occurrerunt animo ea, quæ à segnibus tepidisque Monachis dici assolent : Quid ceteræ huic conferunt Regulæ ? quid ad me quas non promisi, pertinet legere. ? Ergo ab aliarum lectione Regularum *tepidi* illi Monachi ideo avertebantur, propterea quòd de eis servandis non fecissent promissionem, sed de una S. Benedicti Regula : quam proinde unam sibi prælegi, & imponi patiebantur. *Et hæc quidem dicunt*, subdit Concordiæ auctor Benedictus, *ignorantes beatum Benedictum suam à ceteris assumsisse Regulam, & veluti ex manipulis unum strenuè contraxisse manipulum.* Hac ergo ratione Concordiæ scriptor aliarum lectionem Regularum, tametsi eis non sese addixissent Monachi, nequaquam insuper habendam dicit, quòd S. Benedicti Regula, quam promiserant ac lectitare debebant, ex illis Regulis sit conflata. Ergo isti, in quorum gratiam hunc librum condebat, omnes S. Benedicti Regulæ adstricti voto erant. Cùm igitur operis titulus librum hunc *Abbatibus & Monachis omnibus* nuncupatum esse disertè præ se ferat ; Abbates & Monachos omnes, quotquot scilicet Gallicano tum Imperio subjacebant, eidem Regulæ nomen dedisse manifestum est. Non ergo ad hoc condita Concordia Regularum, ut Monachorum animi ad Regulam nostram suscipiendam magis benevoli redderentur. : sed ut ad ipsius praxim & usum dissoluti postliminio revocarentur, & tepidi ad lectionem aliarum Regularum. Jam quid in eadem causa gestum sit in Synodo Aquisgranensi, etiam explicandum est.

78. Mortuo Carolo, Ludovicus ejus filius ac successor Aquasgrani Synodum indixit anno DCCCXVII, VI Idus Julias : ubi *convenientes Abbates complures unà cum suis Monachis*, septuaginta duo capitula *communi consilio ac pari voluntate inviolabiliter à regularibus conservari decreverunt.* Huic Synodo interfuere in primis Benedictus Anianensis, penes quem summa negotii erat ; Arnulfus Heriensis, Apollinaris Casinensis, Euticius Balmensis, Alveus Andaginensis, Apollinarius Flaviniacensis, Josue Monasterii S. Vincentii ad Vulturnum Abbates, & alii bene multi, omnes Regulam S. Benedicti servantes. Primo capitulo statutum ab eis est, *ut Abbates mox ut ad Monasteria sua remeaverint, Regulam per singula verba discutientes pleniter legant, & intelligentes Domino opitulante efficaciter cum Monachis suis implere studeant.* His verbis manifestum est declarari Regulam cuivis notissimam, receptamque in cunctis Monasteriis. Nam si de inducenda nova Regula hîc sermo fuisset institutus, explicandum erat, quæ esset hæc Regula, & de aliis abjiciendis decretum fieri debuerat. Eodem modo pergit capitulum secundum, *ut Monachi omnes, qui possunt, Regulam memoriter discant.* Hîc si dicant significari pro-

2. non Ludovicus Pius.

priam cujusque Monasterii Regulam, ipsi sententiam suam evertunt adversarii. nam in ea Synodo Regulam S. Benedicti Monasteriis omnibus imperatam affirmant. Ergo de eadem Regula ubivis jam recepta intelligenda sunt capitula duo superiora. Et certè id manifestè declarant tum secundi capituli titulus, qui sic habet: *De Monachis ut Regulam S. Benedicti qui valuerint, memoriter discant.* tum subsequentia, quæ pleraque ex ipsis nostræ Regulæ verbis ac sententiis constant. Et cap. 3 præcipitur, *ut officium juxta quod in Regula S. Benedicti continetur, celebrent Monachi.* Ad hæc in capitulis 22 & 29 eadem Regula absolutè *Regula* vocatur. Nam in cap. 22 relatis omnibus, quæ Monachis dari præcipit Regula S. Benedicti, subdunt Patres: *Et quæcumque præter hæc Regula jubet, singuli, cùm necessitas fuerit, absque dilatione accipiant.* Et cap. 29. *Ut nihil Lectori, nisi quod Regula jubet, detur.* Nempe Regula, de qua cap. 1 præcipitur, *ut eam per singula verba discutientes, pleniter legant Monachi*, id est Regula S. Benedicti, ut disertis verbis præfert secundi capituli inscriptio. Itaque Synodi Aquisgranensis auctoritate Regula nostra non primùm inducta est in Monasteria: sed ejus lectio, memoria, & observatio commendata, inculcata, præscripta: quæ antea pæne tota neglecta erat.

79. Id verò luce clariùs demonstratur ex Ardone, qui de hac
num. 50. Synodo loquitur in hunc modum. *Præfecit eum quoque Imperator Ludovicus cunctis in Regno suo Cœnobiis*; nempe ut quemadmodum eo Aquitaniæ Rege omnia Galliæ, id est Aquitaniæ, Septimaniæ, Provinciæ, ac Novempopulanæ Cœnobia Benedicto commissa fuerant: sic eo jam facto Imperatore, Benedictus omnia ipsius Imperio subjecta Monasteria regeret & emendaret. *Multa quippe Monasteria erant, quæ quondam regulariter fuerant instituta: sed, paullatim tepescente rigore, regularis pæne deperierat Ordo. Ut autem sicut una omnium erat professio, fieret quoque omnium Monasteriorum salubris una consuetudo; jubente Imperatore, aggregatis Cœnobiorum Patribus unà cum quamplurimis Monachis, per plures resedit dies.* En Synodi Aquisgranensis occasio & causa: nempe ut Monasteria in quibus *regularis deperierat Ordo*, & quorum jam *una* erat *professio*, non solùm monasticæ vitæ, sed etiam Regulæ, *fieret quoque omnium salubris una consuetudo.* Ergo de uniformi rituum ac consuetudinum usu agebatur, non de Regula ipsa inducenda. Atque ut id magis magisque exploratum fiat, hæc subdit Ardo. *Omnibus ergo simul positis, Regulam ab integro discutiens, cunctis obscura dilucidans, dubia patefecit, priscos errores abstulit, utiles consuetudines, affectusque confirmavit.* Tantum igitur abest, ut novam Regulam Synodi auctoritate imposuerit Benedictus,

quin immo explicatâ Regulâ noſtrâ, *utiles conſuetudines*, Regulæ ſcilicet convenientes, confirmavit: noxias tantùm *abſtulit*, quas nempe remiſſio vitioſa ac veternoſa invexerat.

80. Jam videamus, quid novi hac in Synodo Monaſteriis impoſitum ſit. *Judicia igitur Regulæ*, inquit Ardo, *cunctaque dubia ad proficuum deducta effectum, quas minus Regula pandit conſuetudines, aſſentientibus cunctis protulit: de quibus etiam capitularem inſtitutum Imperatori confirmandum præbuit, ut omnibus in regno ſuo poſitis Monaſteriis obſervare præciperet, ad quem ſcire cupientem dirigimus.* Ad hoc igitur condita ſunt capitula Synodi Aquiſgranenſis, non ut Regula S. Benedicti primitus inveheretur: ſed ut conſuetudines, quas ipſa non ſatis explicat, aſſentientibus cunctis ratæ haberentur, ſuſciperenturque. Poſt hæc totius negotii ſummam ita concludit Ardo. *Perfectum itaque propagatumque eſt opus, divina opitulante miſericordia; & una cunctis generaliter poſita obſervatur Regula: cunctaque Monaſteria ita ad formam unitatis redacta ſunt, acſi ab uno magiſtro, & in uno imbuerentur loco.* Nempe *uniformis menſura in potu, in cibo, in vigiliis, in modulationibus, cunctis obſervanda eſt tradita.* Quæ fuſiùs in conſequentibus explicat Ardo. *Quia enim multa Regula implere jubet; ſed permulta ſunt, quæ uſus explere cotidianus expetit, ipſa tamen reticet: nonnulla autem præcipit, quæ aut propter concordiam unitatis, aut certè propter obſervantiam honeſtatis, ſeu propter conſiderationem fragilitatis commutantur: idcirco venerabilis Abbas quæque obſervanda comperit, abſque ulla cunctatione vel excuſationis fuco, implere decrevit. Ea verò quæ certis pro cauſis, aut dimittenda cognovit, aut commutanda inſpexit; nihilo minus prout rectiùs, & ſecundùm poſſe locique poſitionem decere cognovit, ſuis obſervanda diſcipulis tradidit. Si qua nempe minùs lucidè pagina Regulæ pandit, aut omnino ſilet, rationabiliter apteque inſtituit.* Hæc tota œconomia Synodi Aquiſgranenſis, quæ ad uniformem Regulæ noſtræ obſervationem, non ad ipſius admiſſionem ſpectat, uti perſpicuùm redditur ex iis ſtatutis, quæ Ardo ſingillatim ſubjungit, *ut Monachi omnes convenirent in officiis divinis, in cibo & potu, & maximè in habitu*: in quo *diſſimiles fecerat multorum conſuetudo*, non Regula diverſa.

81. His omnibus conſonat id, quod in Vita Ludovici Pii de hac Synodo memoriæ proditum eſt: nempe Ludovicum conſtituiſſe *Benedictum Abbatem & cum eo Monachos ſtrenuæ vitæ, qui per omnia Monaſteria euntes, redeunteſque uniformem traderent cunctis Monaſteriis, tam viris, quàm Sanctimonialibus, vivendi ſecundùm Regulam S. Benedicti incommutabilem morem.* Itaque jam antè *cunctis Monaſteriis* impoſita fuerat Regula S. Benedicti: ſed cùm eam ſecundùm varios ritus obſervarent Monachi, à Ludovico

Augusto provisum est, ut missi *per omnia Monasteria* Monachi *uniformem traderent tam viris, quàm Sanctimonialibus incommutabilem vivendi morem secundùm Regulam S. Benedicti.* Ergo in hac Synodo non de novæ Regulæ susceptione actum est, sed de uniformi ratione vivendi secundùm Regulam S. Benedicti. Invictum ejusdem rei argumentum colligo ex capitulis, quæ Missi dominici post Synodum Monasteriis omnibus proposuere. Capitulorum inscriptio sic habet. *Capitula novitiarum * de his, in quibus præceptum Regulæ & constitutiones novellorum Conciliorum acutiùs nos considerare, & promtiùs exercere jussio imperialis ammonet.* Tum sequitur capitulum primum. *In primis, ut nulla in ullis rebus inter hujus professionis viros in toto regno suo, nisi ubi impossibilitas non permittit, inveniatur varietas: cujus impossibilitatis qualitatem summo studio Missi pro hoc directi satagant inquirere.* Capitula hæc numero XXXI, quæ ex codice Monasterii S. Galli vir clarissimus Stephanus Baluzius primus in lucem edidit, in Appendice nostra denuo recusa, omnia condita sunt *secundùm præceptum Regulæ*, vel *ut Regula mandat*, nulla Legislatoris mentione facta, tametsi ipsissima Regulæ nostræ verba passim adducuntur. Ex quo manifestum est ea Monasteriis fuisse præscripta, ut Regula jam recepta, id est Regula S. Benedicti, uniformi ritu observaretur, seu ut primo capitulo statuitur, *ut nulla in ullis rebus inter hujus professionis viros inveniretur varietas in toto regno* Ludovici Augusti. Id porro luculenter demonstrat epistola, cum XII capitulis ante Missorum dominicorum adventum ad Augiense Monasterium directa per quosdam Monachos, qui inde ab Abbate & Conventu, ad Benedicti (ut puto) Abbatis Cœnobium transmissi fuerant, ut ejus probatos mores ac ritus coràm addiscerent, ac sodalibus suis postea renuntiarent. Hæc epistola, quæ item in hujusce tomi Appendice exstat, Abbati & Congregationi Augiensi inscripta est, incipitque in hunc modum. *Quia igitur, sanctissime Pater, vestræ auctoritatis voluntas exstitit, ut huic sanctissimæ legationi nostra parvitas deserviret; placuit & nobis, ut, sicut ipsi injungere estis dignati, quidquid morum honestorum in Ordine regulari apud venerabilem illum Abbatem & erga ejus Fratres constituti addiscere possemus, vestræ panderemus sanctitati.* Et infrà. *Duodecim igitur capitula ex his omnibus, quæ vos maximè de pernecessariis commoneri faciliùs posse credidimus, facere, & vestræ beatitudini destinare curavimus.* Nempe *ne dum regulares Monachi venerint, qui jussu imperiali tota Cœnobia gentis nostræ, ubi opus fuerit, regulariter instruere debebunt, imparatiores vos inveniant ad ea informanda, quorum partem aliquam hæc capitula quæ sequuntur, continent.* Hæc omnia capitula desumta sunt ex Regula S. Benedicti; quæ tamen nusquam nominatur.

* *supple* Constitutionum

Quod verò de regularibus Monachis, qui jussu imperiali Cœnobia circumibant, scribitur; referendum est ad Missos dominicos superiùs memoratos, qui post Synodum Aquisgranensem in omnia Monasteria directi sunt à Ludovico Pio ad instituendum in eis Regulæ nostræ uniformem ritum: eum ad modum quo alii jussu Caroli Magni Cœnobia itidem circumiere ad instaurandas regulares officinas (ut legitur in Concilio Moguntino anno DCCCXIII celebrato cap. 20) ad præscriptum *sanctæ Regulæ*, id est Regulæ S. Benedicti, cujus verba referunt Patres Moguntini. Porro ex hac epistola Augiensium Monachorum, subjunctisque capitulis intelligimus, Missos dominicos à Ludovico per *tota Cœnobia* gentis illius, id est Germaniæ, fuisse directos; idemque præstitisse, quod Augienses illi Monachi in Cœnobio suo, qui Missos illos prævertêre, non novam Augiensibus Monachis imponendo Regulam, sed ritus uniformes, quales scilicet in Cœnobiis per Benedictum ordinatis ipsi observaverant.

82. Hactenus Benedicti Abbatis Anianensis facta & scripta; tum Synodi Aquisgranensis occasionem, processum, decreta & effectum expendimus. Hæc omnia eodem prorsus collimant, nimirum ut Regula S. Benedicti, quæ in plerisque locis jam ferè obsoleverat, ubique verò sub variis ritibus servabatur, ad uniformem ejusdem observantiæ concentum reduceretur. Huc non veri similes dumtaxat rationes, non probabiles conjecturas protulimus; sed argumenta (ut quidem existimo) invicta, manifesta, ac necessaria: quibus, spero, acquiescent æquissimi quique rerum æstimatores. Si quis ulteriùs in posterum refragari volet, cum eo ampliùs contendere non est animus, ne otio ac litteris abuti videar. Ceterùm apud nos æternùm vigebit memoria Ludovici Pii benefactorum in Regulam nostram, cujus *decreta* ut in Monasteriis omnibus imperio suo subjectis inviolata *tenerentur*, data *lege sancivit*; ejusdemque *norma* jam *antiquæ* seu antiquatæ *legalia*, id est instituta, *renovari* curavit, ut vetus Poëta, qui de exordio & origine gentis Francorum carmen scripsit ad Carolum Calvum, his versibus cecinit. *Poëta editus per Thomam à S. Iosepho Carmel. Excalc.*

Hic decreta Patris BENEDICTI *lege tenenda*
Sancit, & antiquæ renovat legalia normæ,
Cujus erat fautor devota mente.

83. Jam (quod secundo loco mihi probandum incumbit) Carolum Magnum Regulæ nostræ, non propagationem primam, sed restitutionem procurasse, satis itidem ex superioribus conspicuum est: cùm ea quæ hoc in negotio patravit Benedictus, partim ipsius Caroli, partim Ludovici principatu ge- *3. non Carolus Magnus.*

sta sint. Ad majorem tamen hujus rei illustrationem specialia quædam argumenta huc conferre juvat.

ex Capitularibus.

84. Varia Concilia & Capitula promulgari curavit Carolus Magnus, in quibus multa sancita sunt in gratiam Regulæ S. Benedicti, in cujus observationem maximè propensus erat. adeo ut sicuti *Monachos voti sui prævaricatores despexit*; ita *observatores, omni affectu dilexerit*, testante Monacho Sancti Gallensi, in lib. 2, cap. 16. In capitulis *quæ ad Monachos propriè spectant*, omnia condita sunt ad mentem Regulæ S. Benedicti, quæ absolutè *Regula* vocatur. quod argumento est eam omnibus tum notam fuisse, solamque observatam. Exemplo sint capitula, quintum *de Decanis & Præpositis, ut eorum mutatio secundùm Regulam fiat.* sextum *de Cellerariis Monasterii, ut non avari, sed tales mittantur, quales Regula præcipit.* id est Regula S. Benedicti, uti explicat canon 14 Concilii Francofurtensis, eodem Carolo regnante celebrati. nonum *de susceptione hospitum, sicut Regula continet.* Ex quo sic argumentari licet. Caroli Magni Capitulare, quod anno regni ejus XXI, Christi DCCLXXXIX editum est, ita de Regula nostra loquitur, quasi jam dudum ab omnibus recepta, utpote quæ Regulæ nomine nudè prolato designatur. Ergo longè ante istud tempus ubique invaluerat. Id autem confirmatur ex Capitulari anni DCCLXXIX, decernentis cap. 9, *de Monasteriis quæ regularia fuerunt, ut secundùm Regulam vivant.* Ubi Regulæ nomine, non propria ac singularis cujuslibet Monasterii Regula intelligitur, sed Benedictina, ut patet ex superiori Capitulari. Idem etiam de aliis Capitulis dicendum est, in quibus eadem Regula simpliciter dicta servari præcipitur. Aliis omissis consideratione dignum est illud, quod à Carolo anno imperii XI emissum lego, in quo varias proponit quæstiones, quas solvi ac sibi explicari postulat Imperator: ubi cap. 12 interrogat *de conversatione Monachorum, & utrum aliqui Monachi esse possint præter eos, qui Regulam S. Benedicti observant. Inquirendum etiam, si in Gallia Monachi fuissent, priusquàm traditio Regulæ S. Benedicti in has parochias pervenisset.* Ubi vides dubitasse Carolum, an alii Monachi præter Benedictinos tum potuissent admitti. Unde consequens est, eos solos in Gallia tunc extitisse, & Regulam S. Benedicti unicam usu receptam in Imperio Caroli Magni, non recentiori tempore, sed ante omnem ejus temporis hominum memoriam. Si enim aut Caroli Magni ætate, aut præcepto, in Gallicana Cœnobia invecta fuisset; certè id non ignorasset Carolus, nec interrogationem hac de re proposuisset. Eodem spectat quæstio Capitularis sequentis in cap. 12, *Qua Regula Monachi vixissent in Gallia, priusquàm Regula S. Bene-*

Sirmond. tom. 2 Conc. p. 156.

dicti in ea tradita fuisset: cùm legamus S. Martinum & Monachum fuisse, & sub se Monachos habuisse, qui multo ante S. Benedictum fuit. Tradita proinde, id est recepta, jam erat in tota Gallia S. Benedicti Regula. Nam si in paucis dumtaxat, vel etiam plerisque Cœnobiis usitata tum fuisset, aut si Caroli mandato invecta; supervacua, immo & absurda esset interrogatio.

85. In Conciliis ferè omnibus regnante Carolo habitis eadem Regula commendatur, maximè in Francofurtensi, in Aquisgranensi universali anni DCCC II, & in aliis quinque Conciliis anno DCCC XIII congregatis, in quibus multa decreta sunt ad ipsius Regulæ restituendam observationem, non ad eam propagandam. & ex Conciliis.

86. Ordior à postremis quinque Synodis, in quinque totius Francici Imperii partibus simul convocatis, nempe Cæsaroduni Turonum, Moguntiaci, Remis, Arelate, & Cabilone; & quidem anno DCCC XIII, qui Caroli supremus fuit. In his quippe Conciliis Monachorum mores ad præscriptum Regulæ nostræ emendari curarunt: quam proinde jam ubique receptam agnoscunt. Observandus in primis canon 25 Concilii Turonensis superiùs jam memoratus, decernentis, ut *Monasteria Monachorum, in quibus olim Regula beati Benedicti Patris conservabatur; sed tunc fortè qualicumque negligentia subrepente remissiùs ac dissolutiùs custodiebatur, vel certè penitus abolita negligebatur; ad pristinum revertantur statum.* Neque dici potest, hunc canonem de Cœnobiis dumtaxat aliquibus, in quibus Regula S. Benedicti jam pæne in desuetudinem abiisset, interpretandum esse. Nam Patres sine dubio Monachorum omnium Turonensis provinciæ rationem habuere: nec dubium quin mentionem fecissent, non eorum solùm qui Regulam S. Benedicti servassent; sed etiam aliorum Monachorum, si præter nostros alii exstitissent in eadem provincia.

87. Idem etiam de Germania universa attestatur Concilium Moguntinum, constans Episcopis provinciæ Moguntiacensis, Trevirensis, Coloniensis & Saltzburgensis: quo in Concilio varia statuta edita sunt à capite XI *de vita Monachorum*, ubi necessariò exigebat locus, ut si qui alii præter Benedictinos in quatuor illis provinciis reperti fuissent, ad suam quique Regulam vivere compellerentur. Verùm una ubique mentio fit Regulæ S. Benedicti: una proinde in illis partibus servabatur, non solùm à Monachis, sed etiam à Sanctimonialibus. Id planè demonstrat canon XI *de vita Monachorum* inscriptus. *Abbates autem censuimus ita cum Monachis suis pleniter vivere, sicut ipsi qui in præsenti Synodo aderant, palam nobis omnibus promiserunt, id est secundùm doctri-*

nam sanctæ Regulæ Benedicti, quantum humana permittit fragilitas. Quippe in plerisque Monasteriis ipsius Regulæ observatio jam remissa, ac (ut ita dicam) dimidiata erat. Patres verò Moguntini censuere *pleniter* servandam esse; idque *palam omnibus* promisere Abbates. Hunc locum egregiè illustrat canon XIII *de sacris virginibus*, in quo hæc verba. *Abbatissas cum Sanctimonialibus omnino rectè & justè vivere censemus. Quæ verò professionem sanctæ Regulæ Benedicti fecerunt, regulariter vivant. Sin autem, canonicè vivant pleniter.* Duo tum erant Sanctimonialium Ordines, Monacharum & Canonicarum. His præscribitur, *ut canonicè vivant pleniter*, non remissè, ut de Monachis dictum est. Illis, *quæ professionem sanctæ Regulæ Benedicti fecerant, ut regulariter vivant.* Ergo non primùm istis imposita est hæc Regula, sed denuo commendata & inculcata.

88. De Gallia Lugdunensi aperta est itidem Cabilonensis Concilii auctoritas in cap. 22, cujus inscriptio attendenda est. *De Abbatibus & Monachis ut secundùm Regulam vivant.* Dixerit aliquis, hunc esse tituli sensum, ut secundùm Regulam quique suam vivant. Immo verò, ut secundùm Regulam S. Benedicti, uti explicat capitis series. *De Abbatibus verò & Monachis, idcirco hîc pauca scribimus, quia pæne omnia Monasteria regularia in his regionibus constituta secundùm Regulam sancti Benedicti se vivere fatentur: quæ B. Benedicti documenta per omnia demonstrant, qualiter eis vivendum sit. Inquiratur ergo diligenter, ubi secundùm ipsum ordinem vivitur, & ubi ab ipso ordine digressum est: ut juxta ejusdem beati viri institutionem vivere certent, qui se ut ita viverent, cum attestatione professi sunt.* Vides Abbates & Monachos totius Galliæ Lugdunensis (ut habent acta Concilii) non adigi ad novæ Regulæ susceptionem, immo verò *pæne omnia Monasteria regularia in his regionibus constituta, secundùm Regulam S. Benedicti*, ut fatebantur, eatenus vixisse. Monasteria, inquam, regularia *pæne omnia in his regionibus*, id est Gallicanis: in quarum nonnullis Monasteriis id contigerat, quod in Dionysiano contigisse testatur Ludovicus Augustus in diplomate pro restitutione monastici Ordinis in eodem Cœnobio: ubi monastica professio adeo labefactata erat, ut ex his qui *in eodem loco regularem promissionem fecerant, quidam desertores ejusdem propositi effecti; quidam etiam non eamdem professionem se fecisse mentiti sint.*

89. Ad hæc, in Remensi Concilio, quod totius Belgicæ secundæ Episcopis constabat, quemadmodum ad ordinandam Canonicorum vitam *lecti sunt sancti Canones, ut quisque Canonicus legem vitamque suam minimè ignoraret*, ex capite 8: sic ad Monachorum mores informandos lecta est *Regula Monachorum*; (id enim

enim absolutè præfert titulus capitis noni) hoc est Regula S. Benedicti, uti caput ipsum explicat: quatenus ad istius Regulæ præscriptum viverent Monachi omnes, quemadmodum Canonici omnes ad præscriptum Canonum. Ita habet textus cap. 9. *Lecta est Regula S. Benedicti, ut ad memoriam reduceretur Abbatibus minùs scientibus, si qui fortè adfuerint, qualiter & se, & suos secundùm eamdem Regulam custodire valerent, atque gubernare.* En ad quid *lecta est Regula S. Benedicti*, nempe *ut ad memoriam reduceretur Abbatibus minùs scientibus, si qui fortè adfuissent*: non ut recens eis imponeretur. Quippe quæ jam dudum suscepta fuerat: adeo ut jam ad memoriam reduci eam oporteret. Ergo in tota Belgica secunda longè ante istud tempus Monachi omnes informati fuerant S. Benedicti institutis.

90. Denique in Concilio Arelatensi, quod ex quinque superiùs memoratis unicum superest examinandum, nihil singulare decretum est de Regula Monachorum, nisi quod provisum est cap. 6, *qualiter secundùm Ordinem Regularem vivere deberent*, uti & Canonici *secundùm ordinem canonicum*. Hîc *Ordinis regularis* nomine haud dubiè intelligitur Ordo regularis secundùm Regulam S. Benedicti: tum quia Concilium Arelatense conflatum erat ex Episcopis non solum utriusque provinciæ Viennensis, sed etiam Narbonensis, in qua sita erant Anianense, Gellonense, aliaque Monasteria, quæ à Benedicto Anianæ Abbate regebantur: tum quia Benedictus ipse Concilio Arelatensi, ut veri simillimum est, interfuit: tum denique quia in his regionibus, nempe Gallicanis, *omnia penè Monasteria regularia secundùm Regulam S. Benedicti se vivere fatebantur*, ut superiùs ex Concilio Cabilonensi præmissum est. In his porro quinque Conciliis nulla fit mentio provinciæ Maximæ Sequanorum, quam cum Lugdunensi Cabilonem; nulla de secunda & quarta Lugdunensi, id est Rotomagensi & Senonensi, quas Remos; nulla denique de duabus Aquitaniis, quas Turonos convenisse existimo. In toto itaque Francico Imperio, id est in tota Gallia & Germania, una in Monasteriis Regula S. Benedicti servabatur anno DCCCXIII, quo hæc quinque Concilia celebrata sunt.

91. Idem verò Benedictinæ reipublicæ status erat tempore Synodi generalis Aquisgranensis, quæ procurante Carolo Imperatore Aquisgrani convenit anno DCCCII. De hac Synodo Annales veterrimi, qui in anno DCCCXVII desinunt, à Petro Lambecio editi in tomo 2 Bibliothecæ Cæsareæ cap. 5, ita memorant ad annum DCCCII. *Et mense Octimbrio congregavit universalem Synodum in jam nominato loco: & ibi fecit per Episcopos cum Presbyteris seu Diaconibus relegi universos canones, quos sancta*

Synodus recepit; & decreta Pontificum, & pleniter jussit ea tradi coram omnibus Episcopis, Presbyteris, & Diaconibus. Similiter in ipsa Synodo congregavit universos Abbates & Monachos qui ibi aderant, & ipsi inter se conventum faciebant, & legerunt Regulam S. P. Benedicti, & eam tradiderunt sapientes in conspectu Abbatum & Monachorum. Et tunc jussio ejus generalis super omnes Episcopos, Abbates, Presbyteros, Diacones, seu universo Clero facta est, ut unusquisque in loco suo juxta constitutionem sanctorum Patrum, sive in Episcopatibus, seu in Monasteriis, aut per universas sanctas ecclesias, ut Canonici juxta Canones viverent; & quidquid in Clero aut in populo de culpis aut de negligentiis apparuerit, juxta Canonum auctoritatem emendassent. Et quidquid in Monasteriis seu Monachis contra Regulam S. Benedicti factum fuisset, hoc ipsum juxta Regulam S. Benedicti emendare fecissent. Sed & ipse Imperator interim quòd ipsa Synodus facta est, congregavit Duces, Comites & reliqua Christiano populo cum legislatoribus: & fecit omnes leges in regno suo legi, & tradi unicuique hominum legem suam, & emendare ubicumque necesse fuit, & emendatam legem scribere; & ut judices per scriptum judicassent, & munera non accepissent: sed omnes homines, pauperes & divites, in regno suo justitiam habuissent. In hoc itaque Concilio tres factæ sunt turmæ; prima Episcoporum cum ceteris Clericis; altera universorum Abbatum cum Monachis: tertia Ducum, Comitum & Procerùm. Ab his omnium mores examinati, Clericorum ad præscripta Canonum: Monachorum ad Regulam S. Benedicti: populorum ad cujusque proprias leges. Quidquid contra Regulam S. Benedicti peccatum fuerat, emendari curavit Imperatòr. Ea proinde jam longè ante id tempus recepta erat ab universis Francici Imperii Monachis: uti Canones à Clericis, & privatæ cujusque gentis leges à singulis populis. Hunc locum eo lubentiùs retuli, quòd nulla ejus Concilii supersint acta, nec ferè ulla memoria, præterquàm in Chronico Moisacensi, ubi eadem verba leguntur de Regula S. Benedicti.

92. His Conciliis accedit Francofurtense anno DCCXCIV habitum, in quo varia pro Monachis sancita sunt decreta, cap. 13: *Ut Abbas cum suis dormiat Monachis secundùm Regulam S. Benedicti.* cap. 14: *Ut Cellarii in Monasteriis tales electi sint, quales Regula S. Benedicti docet.* cap. 16: *Ut pro suscipiendis in sancto Ordine Fratribus nequaquam pecunia requiratur: sed secundùm Regulam S. Benedicti recipiantur.* Quæ omnia eo tendunt, non ut recepta pridem Regula abjiciatur, novaque inducatur; sed ut Regulæ S. Benedicti observatio restituatur in melius.

93. Sive ergo Caroli Magni Capitularia, sive Concilia eo regnante ac procurante habita consideremus; is erat Monaste-

riorum in ejus Imperio omnium ordo ac status, ut ante ipsius Caroli principatum viverent ad præscriptum S. Benedicti Regulæ, ad cujus accuratam observationem Imperator Monachos Imperii sui omnes jam aliquantum prolapsos revocare curavit. Non longè à sententia nostra recedere videtur eruditus vir Carolus Cointius, professus se nusquam negasse, sub Carolo Magno Regulam S. Benedicti *communi usu* receptam in Gallia. *Coint. to. 6 ad ann. 789 n. 153*
Tum subdit: Sub Meroveadis Regibus & Pippino Caroli Ma- “
gni patre steterunt in Galliis multa Benedictinæ Familiæ Mo- “
nasteria. Hæc, ut & alia ceterorum Ordinum, quoniam Mo- “
nastice plurimum remittebatur, ad antiquos mores veteremque “
disciplinam revocare conatus est Carolus; remque, quamvis “
arduam, non parum promovit, ut inferiùs pleræque Syno- “
di docebunt. Opus autem à patre tam feliciter inchoatum “
triennio post ejus obitum vix elapso perfecit Ludovicus filius. “
Quod de ceterorum Ordinum Monasteriis habet hæc commentatio, id intelligendum de uno aut altero Monasteriis, quæ alterius instituti, quàm Benedictini partes regnante Carolo Magno & Ludovico ejus filio tenere pergebant: quale erat Landevenecense in Armoricæ finibus, quod cùm Scottorum mores atque ritus eatenus sectaretur; re comperta Ludovicus Augustus ejus loci Monachos ad Benedictinos adduxit. Nescio an ullum aliud fuerit alieni instituti Cœnobium in Gallia. Certè si plura ejusmodi tum exstitissent, aliqua de illis, deque eorum Regula speciatim mentio facta fuisset, aut in Capitularibus Regum, aut in Conciliis Episcoporum, quæ pro instauranda monastica disciplina condita sunt. Verùm una semper in utrisque audit S. Benedicti Regula: quæ passim *Regula*, & *Regula Monachorum* nullo addito appellatur. Ex ea itidem unica tum Capitularia, tum Synodorum decreta pro Monachis eruuntur. Ad ejus etiam præscriptum, quæcumque in Monasteriis peccata fuerant, emendare curarunt Francici Imperii *universi Abbates* in generali Synodo Aquisgranensi: & in Cabilonensi *omnia pæne Monasteria regularia* secundùm eamdem Regulam in his Gallicanis regionibus se vivere confessa sunt, paucis admodum, quæ à S. Benedicti institutis ad canonica prolabi cœperant, *mendaciter* negantibus se de ejusdem Regulæ observatione promissionem fecisse. Denique nulla cujusvis alius Regulæ memoria est, sive in Capitularibus, sive in Conciliis, aliisve scriptis ejus temporis: frequentissima verò Regulæ S. Benedicti, quæ proinde una in Gallicanis Germanicisque Cœnobiis tum obtinuerat, id est regnantibus Carolo Magno & Ludovico Augusto.

94. Cur nihil simile in Italicis Cœnobiis Imperio suo subje-

ctis tentaverint ambo isti Imperatores; id duabus ex causis accidisse existimo. Una, quòd rem gratam Romano Pontifici, in cujus oculis sita erant hæc Monasteria, se facturos arbitrati sint, si Monachorum Italicorum correctionem ejus providentiæ committerent. Altera, quòd in meliori statu esset tunc disciplina regularis penes Italos, quàm penes Gallos. Quippe restituto Casinensi Monasterio, denuo viguit in eo, tamquam in capite, monastica norma: quæ inde in alia Italiæ Cœnobia sensim propagata est. Hinc est, quòd non solùm Willibaldus, futurus Eistetensis Episcopus, Casinum; sed etiam Sturmius Abbas Fuldensis in alia etiam Italiæ Monasteria profectus est, eo directus à S. Bonifacio Moguntiacensi Archiepiscopo, ut *conversationem regularem*, qualis tum ibi servabatur, *perfectè disceret*. Id contigit anno à conditione Fuldensis Cœnobii quarto, Christi DCC XLVIII, quo anno Sturmius *adsumtis secum duobus Fratribus Romam profectus est: atque in illa terra cunctis Monasteriis lustratis, & omnium mores ibi Fratrum consistentium, traditionesque Monasteriorum ad plenum discens, integrum annum apud illa Monasteria perseverans, secundo inde anno repletus quibus viderat virtutibus, regressus est.* Cùm verò *mores gentis illius & disciplinas Monachorum retulisset* Bonifacio, ab eo remissus est ad *novellum* Monasterium Fuldense, sub S. Benedicti Regula primitus institutum, *ut ad instar morum Monachorum*, quos in Italia viderat, illud *institueret.* Rem protinus exsecutus est Sturmius, & *ea quæ in Italiæ & Tusciæ provinciæ Monasteriis à sanctis Patribus didicerat, & verbis prudentibus promsit, & exemplis in semetipso monstravit. Tunc desiderium ingens inerat Fratribus* Fuldensis Cœnobii *ad omnia, quæ eis dicta vel ostensa fuerant, sanctorum exemplis semetipsos toto adnisu aptare; & Regulam S. Benedicti quam se implesse*, id est impleturos, *promiserant, ad omnia observabant.* Ex quo intelligitur, quàm accurata fuerit per id tempus apud Italos monastica disciplina.

neque ex Theodemari epistola ad Carolum M quæ vindicatur.

95. Eodem animo Carolus Magnus Casinates Monachos consuluit super ipsorum observatione, ut Gallicanis eam Cœnobiis, quæ ad meliorem frugem revocare destinabat, sectandam proponeret. Exstat in Chronici Casinensis lib. 1 cap. 12 epistola à Paulo Diacono ad Carolum scripta nomine Theodemari Abbatis, qua ei gratulatur, quòd *Dei agrum studiosè excoleret, ac Monachorum religionem ad meliorem perduceret statum.* Scio hanc epistolam eruditis viris nonnullis, in primis Menardo nostro, quibusdam in locis suspectam videri; Carolo Cointio suppositiciam, existimanti has litteras intra illud temporis spatium, quod ab excidio Casinensi anni DCCC LXXXIV ad tempora Leonis Marsicani, id est ad sæculi XII initium

Coint. to. 6 ad an. 789 nu. 137 & seqq.

effluxit, Theodemaro fuisse affictas. At neque suspicionis, neque suppositionis argumenta tanti mihi videntur, ut isti epistolæ fidem abrogare debeamus. Ea quippe reperitur, teste Angelo de Nuce, in pervetusto codice Johannis Casinensis Abbatis, qui codex non integro sæculo post Paulum & Theodemarum compilatus fuit. Deinde ejus epistolæ veritati Hildemarus in commentario Regulæ ante annos octingentos & quadraginta scripto apertè suffragatur, uti postea ostendam *. *num. 99.
Ad hæc, nulla fingendæ epistolæ causa probabilis afferri potest; nihilque continet sive à Pauli Diaconi stilo, sive à Theodemari ætate alienum.

96. Præcipua secus opinantium conjectura desumitur ex enormi panis quantitate, nimirum unciarum octo & quadraginta, quam in dicta epistola singulis Monachis in diem assignari arbitrantur. Theodemari hæc verba sunt. *Dreximus quoque pondus quatuor librarum, ad cujus æqualitatem ponderis panis debeat fieri, qui in quaternas quadras singularum librarum, juxta sacræ textum Regulæ, possit dividi. quod pondus, sicut ab ipso Patre est institutum, in hoc est loco repertum.* Ubi mirari subit, eruditos viros, Haëfrenum, & Angelum de Nuce, non assecutos sensum hujus loci, qui de pane quatuor librarum, non singulis Monachis in solidum concedendo; sed *in quaternas quadras singularum librarum* prò totidem Monachis *dividendo* interpretandus est, ut ipsa lectionis series docet, & ego inferiùs manifestè demonstrabo *. Nihilo validior est objectio petita ex *cappæ* vocabulo ad designandam monasticam vestem. Ambigua est, fateor, hujus vocis acceptio, aliquando pro clericali, vel etiam sæculari; aliquando pro monastica veste. Clericalem significat in Chronici Fontanellensis cap. 10, in Concilii Trosleïani cap. 6, apud Ordericum Vitalem in lib. 8, pag. 711, & alios. At nego id quod Peïratius in antiquitatibus regiæ Capellæ, & ex eo Carolus Cointius affirmat, nullum è scriptoribus rerum Francicarum reperiri, qui cappæ nomen sub Carolinis Regibus, in eadem ac Theodemarus acceperit significatione. Certè sub Carolinis Regibus vivebant Wlfinus Boëtius, Ansegisus Abbas Fontanellensis, Smaragdus Abbas, Walafridus Strabus, Rudolfus Fuldensis Monachus: qui omnes cappæ nomine usi sunt ad designandam vestem monachalem. Wlfinus quidem Boëtius in libello de vita S. Juniani Abbatis, *Vestis ejus*, inquit, *cilicina de caprarum pilis, quæ in modum caracallæ, quam nunc cappam vocamus, perseveras usque hodie.* Ansegisus Fontanellensis Abbas in constitutione sua pro Fontanellæ Monachis, *saccos quindecim seu griseos siccisos* concedit, *unde cappæ fiant.* Smaragdus Abbas S. Michaë- *num. 153.

lis in agro Virdunensi, in commentario super caput 55 Regulæ S. Benedicti, *cucullam dicit ille*, nempe S. Benedictus, *quod nos modò cappam dicimus.* Walafridus in lib. de Vita S. Othmari cap. 2 scribit, Othmarum vestes plerumque suas nudis pauperibus tribuisse; *ita ut interdum sine tunica, solâ cappâ contectus ad Monasterium remearet.* Postremo Rudolfus in Vita S. Liobæ Abbatissæ cap. 17, *Cappam*, inquit, *qua erat induta, abjiciens*, &c. His omnibus accedit auctoritas Patrum Synodi Aquisgranensis anni DCCC XVII, in qua ter mentio fit de cappis Monachorum, nempe cap. 13, ubi Monachus à Priore suo increpitus, *cum cappa veniam petere* jubetur. Et cap. 21, *unusquisque Monachorum duas cappas habere* permittitur. Denique cap. 61 statuitur, *ut Monachi cappas dissutas, præter villosas non habeant.* Hæc tam perspicua sunt ac decretoria, ut nullus, opinor, dubitaturus sit in posterum, sub Carolinis Regibus *cappæ* nomen in eadem, qua apud Theodemarum, significatione usurpatum à scriptoribus rerum Francicarum, id est ad designandum Monachorum habitum: neque hinc quidquam contra Theodemari epistolæ veritatem elici posse; immo eam inde confirmari. Tanta nubes testium gravissimorum, qui Ludovico Pio imperante floruerunt, cappæ nomen non tunc primùm inolevisse satis superque probat; sed ejus originem ad superiora sæcula, quæ ad Merovingicos Reges pertinent, referri oportere, contra quàm sentiunt Peïratus, ejusque sequaces. Et quidem in ea persuasione fuit Walafridus Strabus, qui in lib. de rebus ecclesiasticis capite ultimo existimavit, *dictos* fuisse *primitus cappellanos à cappa S. Martini, quam Reges Francorum ob adjutorium victoriæ in prœliis solebant secum habere.* quod etiam approbat Monachus Sancti-Gallensis in Vita Caroli Magni. Itaque existimavit Walafridus, cappæ nomen sub Meroveadis Regibus receptum fuisse. Verùm hoc πάρεργον est, sufficitque ad propositum meum id, quod superiùs demonstravi, scilicet cappæ nomen sub Carolinis Regibus pro monastico habitu invaluisse.

97. His minutias quasdam addunt ad Theodemari epistolam elevandam, nempe quòd vestes plures, plura item fercula, volatilium etiam esum frequentiorem, quàm Casinensis Monasterii per id tempus ferat status, Monachis hæc epistola indulgeat; multò utique remissiùs, quàm Synodus Aquisgranensis. De vestimentis quæ in ea epistola scribit auctor, Cointius censet adeo laxa esse, adeoque Benedictinæ Regulæ refragari, ut scripta minimè videantur ab Abbate Benedictino, Monachos ad reformanda Galliarum Monasteria transmissuro. At idem dici posset de Synodo Aquisgranensi, quæ tametsi ad re-

ſtituendam Regulæ Benedictinæ obſervationem celebrata eſt, non pauciores Monachis veſtes, immo plures indulget, quàm epiſtola controverſa. De ferculis ſilet Concilium: & ſiquidem volatilium eſum in feſtis Natalis Domini & Paſchæ redigit ad quatuor dies, quam licentiam epiſtola ad octo prorogat; certè uſum pinguedinis, quem epiſtola non habet, Gallicanis Monachis tribuit in cap. 77. Ceterum non ita laxa videntur, quæ in ea epiſtola legimus: quandoquidem eo tempore apud Caſinum *plures ex Fratribus, qualibet quarta & ſexta feria, pane tantùm herbiſque hortenſibus veſcebantur; plerique etiam vinum non bibebant*, ait epiſtolæ ſcriptor. Neque verò mirandum, ſi quid paullulùm ſeveriùs in Synodo Aquiſgranenſi, quæ ad reſtituendos in melius Monachorum mores indicta eſt, ſtatutum fuiſſet, quàm in epiſtola Theodemari. Sanè etſi ſpeciatim pro Franciæ Monachis convocata eſt; nihilo minus ab aliarum regionum Cœnobiis recepta ſunt ejus decreta, maximè à Caſinenſibus Monachis, apud quos Aquiſgranenſia capitula, *acſi beati Benedicti Regula olim obſervata* ſunt, referente Leone Marſicano in Chronici Caſinenſis lib. 1 cap. 16.

98. Ad Theodemari epiſtolam redeo, in qua lego hæc verba. *Quare quia beati Patris noſtri Benedicti doctrinam & luculenta exempla aliquos Monachorum regionis illius*, nempe Gallicanæ, *veſtræ clementiæ informari placuit; juxta præceptionem en vobis Regulam ejuſdem beati Patris de ipſo codice, quam ille ſuis ſanctis manibus exaravit, tranſſcriptam direximus.* Non quòd Regula S. Benedicti tunc ignota eſſet in Gallia; ſed ut eo carior & acceptior eſſet, quòd ejus exemplum ex ipſo autographo Carolus Magnus habuiſſet. Aut potiùs id muneris loco Theodemarus Carolo miſit, eum ad modum quo Carolus ipſe librum Pſalmorum aureis ſcriptum litteris tranſmiſit ad Hadrianum Papam. Simili modo Grimaldus & Tatto ſub annum DCCC XVII ex Gallia Sancti-Gallenſibus Monachis *Regulam beati Benedicti egregii Doctoris direxere, quæ de illo tranſſcripta eſt exemplare, quod ex ipſo exemplatum eſt codice, quem beatus Pater ſacris manibus ſuis exarare ob multorum ſanitatem animarum curavit.* Exiſtimo exemplar iſtud non aliud fuiſſe ab illo, quod beatus Maurus ſecum attulit in Gallias: quod quidem exemplar deſtructo Glannafolienſi Cœnobio in poteſtatem Majoris-Monaſterii Monachorum perveniſſe colligo ex Browero. Is enim in Fuldenſium antiquitatum lib. 2 cap. 16 memorat, in Fuldenſi Monaſterio adſervari codicem Regulæ noſtræ perantiquum, ad cujus calcem hoc præclarum attexitur *mnemoſynon* beati Patriarchæ. CODEX PECCATORIS BENEDICTI. VÆ MIHI MISERO HABENTI CONTRARIAM MIHI

REM, QUI REUS IN HIS OMNIBUS, QUÆ ADVERSANTUR MORIBUS MEIS MALIS. TU VERÒ HORUM LECTOR, SI TUAM VIDERIS VITAM CONCORDARE PRÆCEPTIS, ORANS PRO SCRIPTORE, CODICEM REDDE DOMINO SUO. *Hæc verba S. Patris,* ſubdit hujus clauſulæ exſcriptor, *reperta ſunt in fine Regulæ, quam ipſe manibus ſuis propriis ſcripſit, & S. Mauro, cùm eum ad Gallias mitteret, tradidit. Quæ Domnus ac venerabilis Abbas N.* (Rutchardus ſcilicet, qui Fuldenſi Monaſterio præeſſe cœpit anno M LXXV) *cùm apud Majus-Monaſterium Turonenſe in eadem Regula, quæ ibi pro reliquiis ſervatur, inveniſſet; rogavit ſibi apud Cluniacum tranſmitti, & in hac Regula noſtra pro amore ipſius ſanctiſſimi Patris noſtri juſſit ſtudiosè deſcribi.* Grimaldus & Tatto haud dubiè hoc exemplari uſi ſunt, forſan cùm reſiderent in ſcholis Martiniani Cœnobii Turonenſis.

99. Poſt ſuperiora verba Theodemarus ſubjicit miſſos ab ſe libros hymnorum & ritus pſalmodiæ tum uſitatæ, unà cum menſura panis & vini; demumque agit de menſura & forma veſtimentorum. Nempe Carolus ſollicitè curabat, ut Monachi à primaria vivendi norma prolapſi, ad beati Benedicti normam, qualis Caſini ſervabatur, informarentur, id ſatagente in primis Benedicto Anianenſi; qui, teſte Ardone, *quos peritos in Regulæ cultu eſſe compererat, attentè ſciſcitabatur circa longeque poſitos, eos etiam qui iſtis in partibus ad montem Caſinum accederent, veluti qui non audita ſolummodo, ſed viſa perciperent:* ut ſcilicet Monaſterium ſuum ad Caſinenſium mores emendaret. Quapropter rogatu Caroli Magni Theodemarus ea, quæ ſuperiùs commemorata ſunt, in Galliam miſit, ut ad eorum normam Gallicani ſeſe Monachi conformarent. Id perſpicuè declarat epiſtolæ titulus, qualem ex mſ. codice Trevirenſi excepit Haëftenus, in fine Diſquiſitionum ſuarum ita redditus: *Epiſtola Congregationis S. Benedicti ad Carolum Regem Francorum, de privatis eorum moribus.* Ad hoc ergo miſſa eſt epiſtola, non ut vetuſtis Regulis abrogatis Benedictina inveheretur in Gallicana Cœnobia: ſed ut peculiares Caſini ritus Benedictinis Galliæ Monachis traderentur. Ad iſtam epiſtolam Hildemarus, qui Regulam noſtram commentatus eſt imperante Ludovico Auguſto, indubiè reſpexit, cùm ſuper cap. 40 de hemina loquitur in hunc modum. *Carolus Rex qualiter ipſam heminam intelligere ac ſcire potuiſſet, miſit Beneventum ad ipſum Monaſterium, videlicet S. Benedicti: & ibi repperit antiquam heminam; & juxta illam datur Monachis vinum.* Quæ verba ſic prædictæ epiſtolæ tenori reſpondent, ut vel hoc ſolo argumento penitus corruant omnes contradicentium rationes. Denique hæc epiſtola ſcripta eſt poſt Caroli Magni acceſſum Caſinum,

ut ex Leonis Marsicani Chronico discimus; id est post annum DCC LXXXVI, quo anno Carolus Casinum acceptus est. Scripta est, inquam, eo anno, quo Carolus *victoriam de hostibus triumphosque* reportavit, nempe anno (ut mihi videtur) DCC XC, post victoriam scilicet Avaricam: ob quam trium dierum litaniam indixit, scriptis hac de re litteris ad Fastradam Reginam. Certè in Capitulari anni præcedentis multa pro Regula S. Benedicti decrevit à capite 73. quo nuntio accepto Theodemarus Christianissimo Regi gratias egit, *quòd Monachorum religionem ad meliorem statum perducere* moliretur. Ceterum si per Casinates Carolo regnante propagata fuisset in Gallia Benedictina Regula, id profectò non ignorasset Carolus; nec proinde quænam Regula in his partibus viguisset ante Benedictinam, inquisisset in Capitulari inquisitionum superiùs memorato.

100. Et certè (quod quarto loco demonstrandum occurrit) Regula nostra jam ubique vigebat in Galliæ principatu Carolomanni ac Pippini ejus fratris, tempore S. Bonifacii Romani Pontificis Legati, qui omnes Regulæ nostræ cultores eximii, non primarii propagatores dicendi sunt; nisi propagatores appellaveris eos, qui nova in nostrorum gratiam Cœnobia construxere: quales non solùm Carolomannum ac Pippinum, sed etiam Carolum, ac maximè Ludovicum exstitisse constat. In Synodo Germanica, quæ anno DCC XLII *sub Carolomanno Majore domus regiæ* coacta est Kalendis Martiis, decernitur cap. 7, *ut Monachi & ancillæ Dei monasteriales juxta Regulam S. Benedicti Cœnobia vel Xenodochia sua ordinare, gubernare ac vivere studeant; & vitam propriam degere secundùm prædicti Patris ordinationem non negligant.* Observandum est in primis id absolutè de *Monachis & ancillis Dei monasterialibus* universis, quotquot scilicet Carolomanni principatui, hoc est Austrasiæ regno, subjacebant, intelligendum esse. Deinde verbum, *non negligant*, satis superque indicare, istud decretum, non de primaria, sed de strictiori Regulæ nostræ observatione interpretandum, quæ in nonnullis Monasteriis jam remitti cœperat. Et quidem cùm ea Synodus habita sit in Germania, ubi Bonifacius ejusque discipuli Regulam S. Benedicti ubique instituerant; statutum hoc non aliò spectat, quàm ad refricandam fugientis observationis memoriam. Denique id confirmatur ex præfatione Concilii, quod ideo congregatum dicitur, *ut lex Dei & ecclesiastica religio recuperetur, quæ in diebus præteritorum Principum dissipata corruit.*

4 neque Carolomannus, aut Bonifacius.

101. Anno sequenti in Synodo Liptinensi, cui etiam Bonifacius noster præfuit, confirmata sunt Synodi Germanicæ decreta, & nova quædam condita, in quorum primo ita scriptum

legitur. *Omnes venerabiles Sacerdotes Dei, & Comites, & Præfecti prioris Synodi decreta consentientes firmaverunt, seque ea implere velle & observare promiserunt. Et omnis ecclesiastici ordinis Clerus, Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi cum reliquis Clericis, suscipientes antiquorum Patrum canones, promiserunt se velle ecclesiastica jura & moribus, & doctrinis, & ministerio recuperare. Abbates verò & Monachi receperunt Regulam S. Patris Benedicti ad restaurandam normam regularis vitæ.* Quo in loco eodem modo, & ob eamdem causam Abbates & Monachi Regulam S. Benedicti *recepisse* dicuntur, sicut Clerici antiquorum Patrum canones *suscepisse*. Atqui non tum primùm Clerici canones susceperunt; sed eorum observationem jam neglectam denuo revocarunt. Quod eodem modo etiam de Regula S. Benedicti interpretandum est, cujus disciplinam jam in desuetudinem abire cœptam *receperunt* Abbates & Monachi ad restaurandam normam regularis vitæ, quæ tum labefactata erat. Sic Patres Concilii IV Toletani, *Recipimus*, inquiunt, *quatuor Synodos*. non quòd tunc primùm eas ratas, acceptasque haberent: sed ut earum sanctionibus adhærere in posterum, uti ante Synodum, se velle, publica confessione contestarentur. Sic in Concilio Aquisgranensi anni DCCC II superiùs laudato, *universos canones* sancta Synodus *recepit*, id est tamquam veram ac legitimam Clericorum regulam à majoribus institutam, servatamque agnovit, approbavit, eisque se subjecit. Ceterum si verborum severior esset habenda ratio in decreto illo Synodi Liptinensis, ubi Clerici canones *suscepisse*, Monachi Regulam S. Benedicti *recepisse* perhibentur; Clerici primùm canones, Monachi S. Benedicti Regulam, quam scilicet remissiùs observare cœperant, denuo atque iterum admisisse dicendi essent. Nam *recipere* tantumdem valet, atque iterum accipere. Quod si neutrum verbum in rigida hac significatione usurpari velis; saltem concedas necesse est, legitimo niti fundamento assertionem nostram, cùm dicimus, Monachos tum Regulam S. Benedicti *recepisse* eodem modo, quo Clerici *susceperunt* sacros canones, quibus antea subjecti fuerant. Et certè hunc loci istius sensum exigunt argumenta, quæ pro generali Regulæ nostræ per Galliam propagatione septimo sæculo facta mox adducturus sum. Quod de Synodo Germanica & Liptinensi dixi, Carolomanno curante in Austrasiano regno gestum est.

Itemque Pippinus. 102. Eodem tempore alteram Franciæ ditionis partem sub Childerico Rege administrabat Pippinus Princeps, cujus mandato celebratum est anno DCC XLIV Suessione Concilium, cui S. Bonifacius apostolicæ Sedis Legatus præsedit. In eo Concilio definitum est cap. 3, *ut Ordo Monachorum vel ancillarum*

Dei secundùm Regulam sanctam stabilis permaneat. Ubi *Regula sancta* nomine Benedictinam significari constat. Etsi enim sanctæ sint sanctorum Patrum Regulæ omnes, suasque Cæsarius & Fructuosus, uti Benedictus, Regulas sanctas appellent, & cujusvis Regulæ professores suam quisque sanctam Regulam dicant; nulla tamen alia Regula præter nostram hoc elogium obtinuit apud omnes, ut nudo, sed præclaro Regulæ sanctæ nomine designaretur. Sanctæ sunt quidem Regulæ omnes: sed quemadmodum etsi plures sunt Apostoli, unus tamen Paulus Apostoli nomine censetur; uti Oratoris nomine solus apud Latinos Cicero, tametsi plurimi alii Oratores exstitere: sic una Regula S. Benedicti ob sui dignitatem & æstimationem apud omnes Regula sancta nuncupatur. Sed ne extra propositi fines longiùs abeam, nullam aliam per octavum nonumve sæculum Regulam esse contendo, quæ hoc nomine affecta sit in Actis sanctorum Monachorum apud Latinos, in Gallicanis Conciliis, atque Scriptoribus, & in diplomatis Francorum Regum & Imperatorum. Nimius sim, si ex Actis Sanctorum referam locos omnes, in quibus Regulæ sanctæ nomen soli Benedictinæ tribuitur. Id disertè probant Vitæ sanctorum Richmiri Cenomannensis, Walafridi Palatiolensis, Sturmii Fuldensis Abbatum, & Harlindis Abbatissæ, in Sæculo nostro tertio: item in hocce tomo Vitæ Willelmi Gellonensis Monachi, Eigilis Fuldensis, Benedicti Anianensis, Walæ Corbeiensis Abbatum: quæ Vitæ omnes à Scriptoribus ejus temporis editæ sunt. Eamdem honoris prærogativam S. Benedicti Regula meruit in Concilio Moguntino cap. 20, ubi loca & ædificia Monachis congrua providentur, *sicut in sancta Regula dicitur.* Et ne fortè ad aliam Regulam detorqueatur hic locus, mox istius sanctæ Regulæ referuntur hæc verba. *Monasterium autem ita debet constitui, ut omnia necessaria infra Monasterium exerceantur.* quæ totidem verba reperiuntur in Regulæ nostræ cap. 66. Moguntino accedit Trosleïanum in cap. 3, ubi laudatâ *sancti & sancto Spiritu pleni beatissimi Patris Benedicti Regulâ*, post aliquot versus hæc leguntur: *In ipso ingressu lectionis sanctæ Regulæ legitur de eligendo Abbate, & qualis debeat esse.* quod argumentum est capitis secundi Regulæ S. Benedicti. Ex variis Regum nostrorum diplomatis, duo tantùm huc profero, unum Caroli Magni, alterum Ludovici Augusti, in quibus *Regula sancta* pro Benedictina usurpatur. Caroli Magni hac de re præceptum pro Cella-nova exstat in hocce tomo, rogatu Benedicti Anianensis Abbatis concessum. Ludovici Augusti litteræ pro subjectione Cœnobii Glannafoliensis Fossatensi habentur apud V. C. Stephanum Baluzium in appendice tomi secundi Capitu-

Regula sanctæ vocabulum Benedictinæ affectum.

pag. 222

num. LIII.

larium. Ad hæc, præter memorata Sanctorum Acta, ex Auctoribus sæculi octavi duos, totidemque noni hanc in rem conferre juvat. Primus sit Paulus Diaconus, qui in lib. 6 de gestis Langobardorum cap. 40 de Petronace Casini Abbate agens, *Multorum*, inquit, *ibi Monachorum, nobilium & mediocrium, ad se concurrentium Pater effectus, sub sanctæ Regulæ jugo & B. Benedicti institutione reparatis habitaculis agere cœpit.* Hæc verba, *sub sanctæ Regulæ jugo*, specialem designant Casini Regulam, non aliam quamcumque, aut monasticæ vitæ commune institutum. Nec aliam sanè indicant, quàm S. Benedicti Regulam, ad cujus verba ex cap. 58 *sub jugo Regulæ*, hìc Paulus alludit. Ergo quod *de B. Benedicti institutione* subdit, explicationis gratiâ adjectum est. Paulo Diacono suffragatur Alcuinus in Formula Confessionis ad Monachos Turonenses. Sic enim in parte 1 loquitur nomine istorum Monachorum. *Præcepta tua sine intermissione contemno; promissiones meas, quibus me sanctam Regulam servaturum spopondi, momentis singulis violo.* Hìc sine dubio intelligit propriam Cœnobii Martiniani Regulam, id est Regulam S. Benedicti, ut patet tum ex libello de Psalmorum usu, parte 2 ante medium, ubi ait in persona eorumdem Monachorum: *Concede mihi, dilecti tui, Patris mei Benedicti sequi & imitari vestigia.* tum ex his, quæ de ejusdem Monasterii Regula postea dicturus sum. His duobus Auctoribus tertium adjungo Benedictum Anianæ Abbatem, qui in Præfatione metrica ad Concordiam Regularum Benedictinos convenit in hunc modum.

Sumite hæc, Monachi, monita, quæ Regula sancta
Vos monet assiduè.

Nimirum Regula S. Benedicti, in cujus capite ultimo Pater sanctus suos cohortatur ad aliarum lectionem praximque Regularum. Denique Regulæ sanctæ notionem egregiè explicat Hincmarus Remorum Antistes in libro de non trina Deitate. *Sancta Regula*, inquit, *eodem Spiritu sancto, quo & sacri Canones in venerandis Conciliis, per os beati Benedicti promulgata, &c.* Quibus verbis nihil luculentius ad propositum afferri potest. Sic ex Actis sanctorum Monachorum, ex Conciliis Gallicanis ac diplomatis Regum; denique ex auctoribus octavi sæculi ac noni, patet Regulæ sanctæ nomen per octavum nonumve sæculum nulli alii attributum, quàm Regulæ S. Benedicti. Neque locus ullus certus & exploratus ex eorum temporum scriptoribus in contrarium afferri potest. Ex quo consequens est, præmissum Concilii Suessionensis decretum eidem soli Regulæ convenire. Verùm fac elogium istud, non soli Regulæ nostræ proprium, sed omnibus aliis esse commune: nec sic tamen Suess-

Hincmar. to. 1. p. 443.

sionense statutum ulli alii, quàm nostræ aptari potest. Quippe temporis, loci, ac personarum circumstantiæ omnes ad eam speciatim spectant. In primis cùm dictante S. Bonifacio, aut saltem eo agente istius Synodi decreta, uti & Germanicæ ac Liptinensis, condita sint; hunc locum de Regula S. Benedicti, quam Bonifacius professus erat, jure interpretandum esse nemo non videt. Deinde Synodi Germanicæ Liptinensisque eadem ferè sunt pleraque capitula, atque Suessionensis; quæ Synodi alia post aliam celebratæ sunt intra biennium, eodem Bonifacio singulis præsidente. Ergo ubi capitulorum argumenta respondent, eodem modo ubique explicanda sunt. Itaque cùm in Synodis Germanica & Liptinensi *Monachis & ancillis Dei monasterialibus* præcipiatur, *ut secundùm Regulam S. Benedicti vivant*; eodem etiam sensu Synodi Suessionensis decretum, *ut Ordo Monachorum vel ancillarum Dei secundùm Regulam sanctam stabilis permaneat*, de Benedictina interpretandum est. Et certè si Carolomanus in Regulæ nostræ observationem, quam postmodum amplexus est, propensus fuisse dicatur; idem etiam de Pippino ejus fratre, quo præsente Synodus Suessionensis habita est, asserere meritò possumus; siquidem Monasterio S. Galli per Othmarum Abbatem restituto idem Princeps *libellum quem Benedictus Pater de Cœnobitarum conversatione composuerat*, eidem *Abbati* transmisisse memoratur apud Walafridum Strabum in lib. de miraculis S. Galli cap. 11. Denique sub ejus principatu, quotquot in Gallia Cœnobia exstructa sunt, non aliam, quàm S. Benedicti Regulam accepere, quibus Pippinus ipse privilegia amplissima prona voluntate indulsit. Exemplo sunt privilegium Soriciniensi Monasterio concessum anno DCCLIV, aliud Juncellensi anno DCCLXVIII in Appendice Capitularium. Ad hæc ut Monasteria non minùs duodecim S. Pirminius vel instituit, vel restituit Pippini principatu: sic duo Chrodegangus Mettensis Episcopus in parochia sua construxit sub Regula S. Benedicti, testante Paulo Warnefridi in libro de Mettensibus Episcopis. Adde Eikense Virginum, quod à sanctis Harlinde & Reinula *secundùm normam S. Regulæ* ineunte sæculo VIII conditum est. Ex his omnibus, ut puto, manifestum est, prædictum Suessionensis Concilii decretum, statuentis, *ut Ordo Monachorum vel ancillarum Dei secundùm Regulam sanctam stabilis permaneat*; explicandum esse de Regula S. Benedicti: quæ proinde ante id tempus in Gallicano regno jam ubique recepta erat in Monasteriis: cùm ad Regulæ jam receptæ stabilitatem, non ad ejus admissionem pertineat hic locus.

B. Inz. Append. num. XIII & XV.

103. Jam satis, ni fallor, demonstratum apparet, eamdem Regulam in antiquiora Monasteria non fuisse invectam sæculo octa-

Regula S. Benedicti una in Cœnobiis sæculo 8.

vo, multo minùs nono, neque per Ludovicum Pium, aut Benedictum Anianensem; neque per Carolum Magnum, aut Casinenses Monachos; neque per Carolomannum, Pipinumve, aut Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum; quos omnes Regulæ nostræ cultores ac fautores eximios fuisse constat, non auctores primariæ ejus propagationis in antiquiora Monasteria, quæ ipsam ante sæculum octavum omnia, aut ferè omnia jam admiserant. Et quidem principio illam servavere cum propriis cujusque loci Regulis: at sæculo octavo sola jam ubique servabatur, audiebaturque Regula S. Benedicti apud Gallos & Germanos, ut patet ex omnibus Conciliis, Regum & Imperatorum Capitularibus ac litteris ejus temporis, in quibus nulla Regulæ S. Columbani, aliorumve Patrum mentio reperitur.

Farfensis privilegii clausula explicatur.

104. Unicum invenio diploma Caroli Magni, datum anno septimo & primo regni ejus, hoc est anno Christi DCCLXXIV, quo diplomate Carolus jubet Farfense Monasterium eodem privilegio gaudere, *sicut cetera Monasteria Lirinensium, Agaunensium, & Luxoviensium, ubi prisca Patrum Basilii, Benedicti, & Columbani, vel ceterorum Patrum Regula custodiri videtur.* Qui locus hoc modo explicari debet, ut in illis Monasteriis plures simul Regulæ servatæ fuerint, nempe Regula prisca cujusque Monasterii cum Regula S. Benedicti, quæ in omnibus tum recepta erat. Sic in Luxoviensi Regula nostra servata est cum Regulæ S. Columbani ritibus nonnullis, in Agaunensi cum Tarnatensi, & in Lirinensi cum Regula S. Basilii. Certè in litteris Ludovici Pii eidem Farfensi Monasterio concessis, quibus Caroli patris præceptum confirmat, una fit mentio Regulæ S. Benedicti, ubi de iisdem Monasteriis agitur. *Sicut cetera*, inquit, *Monasteria, quæ in Francia sub S. Patris Benedicti norma consistunt.* Adeo ut Carolus Magnus in dicto privilegio non tam sui temporis rationem habuisse videatur, quàm superioris: quo tempore plures simul Regulæ Lirini, Agauni, & Luxovii servabantur.

105. Neque verò negari potest, S. Benedicti Regulam in tribus illis Cœnobiis ante sæculum octavum observatam fuisse. Ejus quippe notitiam atque usum Agaunenses accepere à S. Mauro, cùm is in Franciam veniens apud eos hospitatus est. De Luxoviensi res patet, tum ex eo quod initio sæculi noni Fontanellense Cœnobium ad Regulæ nostræ strictiorem disciplinam revocatum est per Monachos Luxovienses, procurante Ansegiso Abbate, ut constat ex Chronici Fontanellensis scriptore æquali: tum maximè ex eo quòd Sequanenses Monachi eamdem institutionem à Luxoviensibus acceperunt ante sæculum octavum. Certum enim est eo tempore quo Benedictus Anianensis ad S.

Sequani Cœnobium accessit, id est anno DCCLXXIII aut insequente, Regulam S. Benedicti eo in loco servatam, immo jam negligi cœptam fuisse. Eam proinde longè ante istud tempus admiserant Sequanenses. Unde verò acceperant? nempe ex Luxoviensi Monasterio, uti nos docet liber de vita S. Frodoberti Cellensis Abbatis. Quippe cùm Waldebertus Abbas Luxovio præesset, ibique moraretur Frodobertus; *vir Apostolicus Bertwaldus, Lingonicæ urbis Episcopus, quemdam ex Cœnobio S. Sequani Abbatem, Theudolenum nomine, eruditionis gratiâ illuc destinare curavit.* Non dubium quin Theudolenus iste, qui *eruditionis gratiâ*, hoc est addiscendæ Luxoviensis disciplinæ causâ, eo perrexerat; ad propria reversus, eamdem postea Monachis imposuerit suis. Hæc verò disciplina jam istic remissa erat, testante Ardone, cùm Benedictus ibi Monachum induit, scilicet anno DCCLXXIII. Regula, inquam, S. Benedicti, ut disertis verbis attestatur Ardo. Itaque fateri necesse est, ejus primariam institutionem, aut certè strictiorem observationem ad Sequanenses per Theudolenum Abbatem fuisse derivatam ex Cœnobio Luxoviensi, ubi proinde medio sæculo VII jam vigebat. Si verò id constet de Luxoviensi, quanto magis de aliis beati Columbani Monasteriis, quæ principis hujus Cœnobii exemplum sequebantur? De Lirinensi nihilo major dubitandi occasio relicta est. Nam Benedictus Anglus, cognomento Biscopus, qui variis perlustratis Monasteriis eam vivendi normam, teste Beda, Wiremuthensi ac Girwensi ab se erectis imposuit, qualem in aliis perspexerat, didiceratque: Monachi vestem induit in Cœnobio Lirinensi. Quam verò Regulam Monachis suis tradiderit, exponit Beda in lib. I de ejus vita, scilicet *Regulam magni quondam Abbatis Benedicti*, quam morti proximus discipulis suis commendavit. Eam igitur Lirini didicerat sub annum DCLVI, quo ferè anno istuc accessit. Paullò pòst S. Aigulfus, is qui B. Patris Benedicti reliquias Casino Floriacum transtulit, Lirino præfectus est, ubi tam Regulam nostram tunc temporis viguisse, quàm Aigulfum eidem paruisse exploratum est. Hinc explicata manet clausula Farfensis privilegii à Carolo Magno concessi, idque unum ex eo colligi potest, nimirum primarias Lirinensium, Agaunensium & Luxoviensium Regulas, id est S. Basilii & S. Columbani, saltem aliqua ex parte & secundùm aliquos ritus unà cum S. Benedicti Regula viguisse in istis locis. tametsi hæc Regularum conjunctio longè ante concessi privilegii tempus, ut demonstravi, facta fuerat in illis, immo & in aliis tam Columbani, quàm aliorum veterum Patrum Cœnobiis: in quibus haud seriùs sæculo septimo recepta est Regula S. Benedicti.

Regula nostra sæculo VII in Gallia recepta ubique.

106. Et quia huc devenimus, quædam hanc in rem momenta cùm nova, tum alibi jam à me exposita adhuc semel exhibere juvat, ut in posterum non sit necesse idem argumentum retractare. In primis occurrit Synodus Augustodunensis, in cujus cap. 15 ita statutum invenio. *De Abbatibus verò vel Monachis ita observare convenit, ut quidquid canonicus ordo vel Regula S. Benedicti edocet, & implere, & custodire in omnibus debeant.* Ubi observare convenit hæc verba, *canonicus ordo*, tantumdem sonare, ac Canonum leges, quas cum Regula S. Benedicti observari præcipit Synodus Augustodunensis. nam *vel* hoc in capite, uti alibi passim, non disjunctivè, sed conjunctivè usurpatur. Hanc canonici ordinis acceptionem probat capitis argumentum, quod est *de Abbatibus, eorumque Monachis.* Neque enim hîc de Canonicis sermo est. Hujus statuti ratio, quæ mox subjicitur, sententiam nostram apertè confirmat. Est autem ratio ejusmodi. *Si enim hæc omnia fuerint legitimè apud Abbates vel Monasteria conservata; & numerus Monachorum Deo propitio augebitur, & mundus omnis per eorum orationes assiduas malis carebit contagiis.* Si hoc in loco de Canonicis ac Monachis actum esset, ratio utrisque communis esse debuerat. Præter ea in subsequentibus ejus capitis sententiis varias Monachis leges præscribunt, aut potiùs inculcant Patres, Canonicis nullas. Certè in eodem sensu *canonicus ordo* sumitur à Gregorio Magno in lib. 11 epistola 54, & apud alios Auctores. Gregorii locum huc afferre sufficiat. Is Johanni Defensori significat, *Monachos Monasterii in Capricanâ insula* perversè agere; eidemque mandat *ad prædictum Monasterium accedere, & quæ resecatione digna repererit, corrigere, sicut* CANONICUS ORDO *desiderat*, id est canonum sanctiones atque decreta. quo in sensu etiam accipitur in præmisso capite Augustodunensi. Porro hæc Synodus constabat *quinquaginta quatuor Episcopis Christiaci* congregatis, ut ex Leodegarii testamento observavi in Præfatione secundâ Sæculi tertii. Non ergo diœcesana dumtaxat fuit hæc Synodus, sed ferè nationalis. tum quia per ea tempora Synodi pæne omnes, in quibus canones condebantur, erant minimùm provinciales: tum quia statuta Synodi Augustodunensis censentur inter canones Ecclesiæ Gallicanæ: tum quia pro universa Gallia condita sunt, probante canone sexto, *ut in civitatibus non inveniantur Monachi.* Dicuntur autem *canones S. Leodegarii*, quòd eorum auctor fuerit Episcopus sanctus: *Augustodunenses* verò *canones* ab antiquis, ut patet ex Formula 36 novæ collectionis Baluzianæ, propterea quod in diœcesi ejus civitatis conditi sunt. Itaque in toto Franciæ regno, anno tertio sive quarto Theoderici Regis, una

Præfat. num. 33.

S.

S. Benedicti Regula cum decretis canonum Monachis præcipitur, non ut primùm admittatur, sed ut *conservetur & impleatur.*

107. In tanta rerum veterum distantia & obscuritate, huic rei confirmandæ quædam argumenta conferre satis fuerit de nonnullis variarum Galliæ provinciarum Monasteriis: ut de ceteris conjecturam faciant æqui rerum æstimatores. In Burgundiæ regno sola S. Benedicti Regula novis Cœnobiis imponebatur sub medium sæculum septimum. Id colligo ex duplici ejus temporis Formula, quam utramque ex vetustissimo codice ab annis ferè nongentis exarato eruit eruditus vir Stephanus Baluzius. Prima formula est ordine XXXVII, nempe *qualiter chartam faciat qui Monasterium in proprio ædificat.* Inter cetera statuitur, *ut cùm Abbas istius loci accéperit transitum, quemcumque de semetipsis Monachi ibidem habitantes secundùm Regulam B. Benedicti meliorem invenerint, ipsum Abbatem ibidem constituant.* Si verò talis istic defuerit, *potestas maneat ipsis Monachis, ubicumque in propriis Monasteriis rectiùs & sanctiùs secundùm Regulam S. Benedicti invenerint expetere, &c.* In fine conditor supplicat *glorioso Domno, qui est temporibus modernis, & futuris successoribus, quos Deus regnum Burgundiæ gubernare permiserit, ut hoc suæ voluntatis statutum adversus omnes* inviolatum servet. Eadem leguntur in sequenti formula, *Qualiter privilegium condatur.* Porro utraque hæc formula, in Appendice nostra habetur, conditaque est sæculo VII, quo tempore Burgundiæ regno proprius Rex præerat. Nam ab eo tempore, nimirum à principatu Chlotharii secundi, defecit istorum Regum successio usque ad annum DCCCLV, quo Carolus Provinciæ Rex constitutus est ab Lothario parente suo, cui regno pars magna Burgundiæ parebat. Verùm regius codex, quo usus est Baluzius, ante imperium Ludovici Pii scriptus fuerat. Unde consequens est prædictas formulas superiorum Burgundiæ Regum tempore fuisse conditas, id est ante finem sæculi septimi: quo proinde tempore, & nova quæ condebantur, & alia vetera jam S. Benedicti Regulam servabant. Siquidem ubi mortuis Abbatibus deficiebant in novis Monasteriis Monachi ad ea regenda idonei, ex vicinis alii ejusdem Regulæ professores accersebantur. Hanc scribendi instrumenti formam imitatus est Widradus anno DCCXX in suo Testamento pro conditione Cœnobii Flaviniacensis. In eo enim testamento Widradus constituit, ut Abbas Flaviniacensis Monachos suos *regat secundùm Regulam S. Benedicti*: Abbate verò mortuo eligant Fratres religiosum successorem, aut ex seipsis, aut certè (si talis apud eos inveniri non possit) ex *proximis Monasteriis.* Itaque eamdem Regulam sectabantur proxima quæque Monasteria, scilicet Reomaënse S. Johannis, Sigestericense S. Sequani, Besuense,

In Burgundia.

Divionense S. Benigni, Æduense S. Martini, Autissiodorense S. Germani, & Melundense, quod Molomense vocant recentiores.

In provincia Lugdunensi. 108. In provincia Lugdunensi prima, ad quam pleraque ex his Monasteriis pertinebant, facilè principem locum obtinebat insulæ Barbaræ Cœnobium, in Araris meditullio, paullo supra Lugdunum situm: in quo, eodem tempore, id est medio sæculo VII, vigebat Benedictinum institutum. In hujus rei confirmationem proferuntur Chlodovei secundi litteræ, quæ nulla infitiatione legitima refelli possunt. Sanè Benedictus Anianensis Abbas eidem loco præfectus est à Carolo Magno, ut senio lapsam Regulæ Benedictinæ disciplinam ibidem restitueret, testante Leidrado Lugdunensi Archiepiscopo in epistola ad Carolum Magnum: nec dubium quin eamdem etiam restituerit Viennæ, ubi duodecim sæculo VII Cœnobia erant utriusque sexus. De Lirinensi Asceterio actum superiùs.

Narbonensi. 109. In provincia Aquitanica prima, Albigensi pago, Castrensem Abbatiam *construxerunt tres viri pii & nobiles sub Regula S. Benedicti*, & ecclesiam in ejusdem Sancti honorem dedicari curarunt *anno Domini* DC XLVII. Eodem tempore Cadurcis præerat Desiderius piissimus Episcopus, ante cujus pontificatum *à Cadurcis secta Columbani procul aberat, instituta B. Benedicti longè distabant. Desiderii autem tempore hæc secta Caturcæ intravit, hujus sub die hæc religio adolescere cœpit*, nempe in Marciliacensi, aliisque Cœnobiis. Hujus rei testis est auctor gravis in Vita ejusdem Desiderii. In Aquitania secunda apud Pictones Mariacense Cœnobium sub S. Juniano Abbate Regulæ nostræ paruit, ut scribit Wlfinus Boëtius in ejus Vita. Et S. Maxentii Abbatia idem institutum servabat sub regimine S. Leodegarii Abbatis, postea Episcopi Æduensis. Idem de Ansionensi S. Jovini, & Quinciacensi Asceteriis sentiendum est, ex Vita S. Aicadri Abbatis.

Turonensi. 110. In civitate Turonica unum ex præcipuis Monasteriis erat Martinianum, in quo S. Benedicti Regula vigebat sæculo VII. Id disertè probant litteræ Ibbonis ejus urbis Episcopi, in quibus Chrotperti ac Bertoni hac de re privilegia laudantur. Exstant in hujusce tomi appendice Ibbonis litteræ, quarum fragmentum olim accepi ex chartario Martiniano, idque retuli in Præfatione Sæculi primi. At postea integrum privilegium in ms. codice Thuaneo ante annos octingentos exarato reperi, in privilegii formam redactum: in quo eadem omnino verba, atque in fragmento Martiniano, leguntur, suppressis dumtaxat propriis nominibus Episcoporum. In eo porro privilegio, quod sub

Præfat. Sæculi I num. 61.

Christi annum DCC X Guntramno Abbati concessum est, statuit Ibbo, *ut si Abbas ab hac luce discesserit, per electionem memoratæ congregationis Monasterii, quorum vita perfecta creditur, sicut Regula S. Benedicti edocet, in eorum consensu solidetur, sicut & auctoritas Papæ urbis Romæ Adeodati continet per privilegii seriem.* Et multis interpositis: *Nos inspirante Domino plena devotione deinceps in idipsum venerabilem Guntramnum Abbatem, suamque congregationem, vel præfati Monasterii S. Martini Antistitem, volumus confirmare, ut inspecta ipsa privilegia tam decessoris nostri Chrotperti, Bertoni, quàm & Adeodati Papæ urbis Romæ, seu confirmationes gloriosorum Regum, ut nostro tempore vel successorum nostrorum omnimodis inviolabiliter conserventur,* &c. *Ego in Christi nomine Ibbo, etsi peccator, Episcopus hoc privilegium integra voluntate & devotione ad Monasterium S. Martini, ubi ipsi Monachi secundùm Regulam S. Benedicti conversari videntur, subscripsi.* Has litteras nemo in falsi suspicionem adducere potest; idque vetant causæ potissimùm duæ. Prima est, quòd in privilegii formulam redactæ sunt ab annis ferme nongentis, ut patet ex codice Thuaneo, in quem relatæ fuerunt vel ex ipso autographo, vel ex autographi exemplo incorrupto: quandoquidem Martiniani Cœnobitæ jam inde ab ineunte Caroli Magni principatu cucullam monasticam abjicere meditabantur, & deficere à S. Benedicti Regula, cujus proinde memoriam Ibbonis privilegio inserere abhorruissent. Altera causa est, quòd privilegium istud ab octingentis & septuaginta annis penes se adservant Monachis suffecti Canonici sæculares: quorum potiùs intererat Regulæ S. Benedicti mentionem supprimere, quàm in ejus gratiam ficta interpolatione illud vitiare. Verùm etsi nobis deesset Ibbonis privilegium, alia suppeterent argumenta, quibus Martinianam ecclesiam nostris quondam institutis paruisse demonstraremus. Una quippe id evincit Alcuini auctoritas, qui in formula confessionis Martinianis Monachis directa, eos inducit pœnitentes, quòd *promissiones suas, quibus sanctam Regulam servaturos se spoponderant, momentis singulis violarent.* Et in libello de Psalmorum usu, in eorum persona, *Concede mihi,* inquit, *dilecti tui Patris mei Benedicti sequi & imitari vestigia.* Illud autem præsidii causæ nostræ addit Ibbonis privilegium, quòd ante illud tempus, id est ante annum DCC X, Martiniani *Monachi secundùm Regulam S. Benedicti conversari videbantur*, ut privilegii verbis utar, id est re ipsa conversabantur, ut res palam omnibus erat. Ex quo consequens est, Regulam hanc jam ibidem viguisse sæculo septimo. Si verò id de Martiniano constat, cur non etiam de Majori-Monasterio?

III. Fluxit ea disciplina in hæc aliaque ejusdem provinciæ

Cœnobia ex Glannafoliensi agri Andegavensis, *in quo venerabile corpus S. Mauri Patris Benedicti discipuli jacebat humatum, ubi olim ipse Deo dilectas cum sibi subjectis multis Fratribus sub sancta Regula degit*, ut lego in diplomate Ludovici Pii apud V. C. Stephanum Baluzium in Appendice ad Capitularia. Prope Namnetum civitatem Martinus Abbas Vertavum condendo Monasterio elegit, in quo *Regulæ beatissimam statuit normam, quam satis arduam & discretionis censura præcipuam* (quod Benedictinæ elogium est apud Gregorium Magnum) *olim ipse à transalpinæ regionis partibus fertur detulisse*, nimirum post medium sæculum sextum, ex secunda ipsius Vita. Apud Cenomannos sæculo septimo duo vigebant sub eadem Regula Parthenones, unus de Prato, in quod S. Adrechildis Abbatissa Regulam nostram ex Suessionensi B. Mariæ Parthenone intulisse perhibetur: alter S. Scholasticæ, ubi ipsius sanctæ Virginis reliquiæ Casino advectæ reconditæ sunt. Pæne prætermiseram Heriense Asceterium, quod S. Filibertus; & Antrense, quod S. Hermelandus in Namnetensi pago ad idem institutum composuere. Filibertus Abbas erat etiam Gemeticensis, Hermelandus Monachus Fontanellensis.

Append. ad Capit. num. III.

Rotomagensi.

III. Duo hæc Cœnobia in provincia Rotomagensi cæteris præeminebant sæculo VII; erantque veluti duo seminaria sanctorum Monachorum. Fontanellense condidit regnante Chlodoveo juniori, rexitque per annos ferè viginti Wandregisilus Abbas sanctus: cui successit Lantbertus in annos undecim; Lantberto Ansbertus, dein Archiepiscopus Rotomagensis, qui in Synodo apud eamdem urbem habita statuit, *ut sicuti sub ejus regimine, ita inantea, & ipsi Fontanellenses, & posteri eorum, secundum Regulam sancti Patris Benedicti fideliter Christo deservirent*: eum ad modum quo Patres Synodi Suessionensis postea decreverunt, *ut Ordo Monachorum vel ancillarum Dei secundum Regulam sanctam stabilis permaneret*. Hæc Synodus Rotomagensis celebrata est anno XVI Theoderici Regis, teste Aigrado Monacho subæquali, qui annus Christi anno DCLXXXIX respondet. Itaque sub Ansberti Abbatis regimine Fontanellenses jam vivebant ad Regulæ nostræ præscriptum. Certè ab ineunte dignitate Ansbertus *assiduè meditabatur, quale susceperat onus, videlicet commissi à Domino gregis regere animos, & multorum servire moribus*, uti præscribit S. Benedictus in Regulæ cap. 2. Sub Lantberto Abbate ejus decessore idem vigebat institutum. Is enim Condedum, futurum Monachum, Fontanellam accipiens, *post orationes ad Dominum & salutationes fraternas & spiritalia colloquia, omnem humanitatem, ut monastica dictat Norma, eidem viro sancto cum suis omnibus exhibuit*. Hæc monastica Norma haud alia est à Benedictina, quæ hunc

suscipiendi hospitis ritum totidem verbis præscribit in cap. 53. Accedit quod S. Hermelandus ab eodem Lantberto in Monachum attonsus, ac deinde ab ipso in Armoricam missus, *ut novus Benedictus effulsisse* in Antrensi Monasterio perhibetur. Quod sanè elogium Hermelando non rectè tribueret vitæ scriptor æqualis, si is sancti Patris mores ac Regulam non fuisset sectatus. Denique nulla mutatæ ab Ansberto Abbate Regulæ vestigia, nulla occasio, mentiove reperitur. Quin immo apud Aigradum Lantbertus *cœpit cariùs diligere Ansbertum; sicut monastica docet Norma, nitore religionis pollentem omnimodis diligendum*, nempe Regula S. Benedicti, qui in cap. 2 Abbatem monet, ut *nullum Monachorum suorum plus amet, quàm alium, nisi quem in bonis actibus invenerit meliorem.* Hanc ergo Regulam cum suis sectabatur Lantbertus, quam proinde à Wandregisilo primo loci Abbate acceperat. Certè, Aigrado referente, postquàm Wandregisilus Monasterium construxit, *cum magna Monachorum cohorte sub sanctæ Regulæ jugo laudabilem ducebat vitam.* Aigradus Fontanellæ Monachus erat sub Hiltberto Ansberti successore, Benedictinæ utique Regulæ sectator: quam *sanctæ Regulæ* nomine haud dubiè designavit, uti ab auctoribus sæculi octavi ac noni omnibus designatam fuisse superiùs * demonstravi. Pergit idem auctor scribere de Wandregisilo, qui Ansberti monasticum habitum petentis *postulationem audiens, inducias consulendi super hoc dicebat habere se velle, ut, sicut apostolica & monastica docet Regula, sciret ad quid venerat.* Quæ totidem verba sunt Regulæ S. Benedicti in cap. 58. Præterea Waningus filium suum Desideratum monasticis disciplinis *sub forma & institutione S. Patris Benedicti* Wandregisilo imbuendum tradidisse memoratur in fragmento relato apud Bollandum. Ad hæc sanctus Wlframnus instante morte, quæ DCC XX accidisse dicitur, Fontanellenses admonuit, ut *instituta disciplinæ regularis, quæ à sancto Patre Wandregisilo didicerant, vel in ipso vidissent, vel in Patrum præcedentium factis sive dictis invenissent, indefessa instantia sequerentur.* Proinde eadem instituta, quæ Fontanellæ præscripserat Wandregisilus, immutata vigebant anno DCC XX, qui secundus & vigesimus erat ab obitu S. Ansberti. Denique Fontanellensis Chronographus anonymus, qui principatu Ludovici Pii scribebat, conqueritur de Teutsindi Abbatis regimine, *cujus tempore status vitæ innocentis, quem in eodem Cœnobio secundùm eximii Patris Benedicti Normam excolendum fore beatus Pater Wandregisilus instituerat, ob inopias plurimas fluctuare cœpit.* Hinc nemo dubitare potest, non aliam, quàm S. Benedicti Regulam Fontanellæ primitus fuisse impositam à S. Wandregisilo, idque ita sensisse non solum Chronographum Fon-

* num. 102.

tanellensem, sed etiam Aigradum, cujus auctoritatem nonnulli perperam nobis objiciunt: quæ objecta dilui in Sæculi tertii Præfatione secunda. Ceterùm ex Fontanellensi eadem institutio derivata est in Ogiense diœcesis Trecensis Monasterium per S. Godonem; & in Fiscamnense per sanctam Hildemarcam Abbatissam, quam Wandregisilus ex Burdigala civitate, ubi Sanctimonialium Parthenona regebat, accersivit.

113. Wandregisili amicus & æqualis erat S. Filibertus, qui Monachum Resbaci professus sub sancto Agilo Abbate, in ejus locum postea successit: sed ob quorumdam vexationes loco cedere compulsus, *cœpit Sanctorum Cœnobia circuire, ut aliquid emolumenti ex susceptione sanctitatis valeret accipere.* Quippe *lustravit Luxovium & Bobium, vel reliqua Cœnobia sub norma S. Columbani degentia; atque omnia Monasteria, quæ intra suum gremium Francia & Italia, ac tota concludit Burgundia: astuta intentione providens, ut quidquid melioribus florere videret studiis, hoc suis traheret exemplis.* Hinc *Basilii sancti charismata, Macarii Regulam, Benedicti decreta, Columbani instituta sanctissima, lectione frequentabat assidua: sicque onustus virtute aromatum sequacibus sanctum monstrabat exemplum.* Harum Regularum præsidio atque usu fultus, Cœnobium Gemeticense condidit in agro Rotomagensi ad Sequanam; illudque ad earumdem Regularum præscriptum administravit. Dein *multa Monasteria per ejus exemplum sunt constructa in Neustria: & confluebant ad eum Sacerdotes Domini, cupientes exemplum illius imitari, & de ejus Regula sua ornabant Cœnobia.* Prodiit ex Gemetico Sidonius Monachus sanctus, ejusdemque loci Cellerarius, qui ad Caletos eo annuente migravit, ut Cœnobium nomine suo postea insignitum exstrueret. Istic monastica veste donatus est sanctus Leutfredus, primus Abbas & conditor Cœnobii Madriacensis. Ipse verò Filibertus *aliud construxit Cœnobium, nomine Pauliacum, decem millibus à Gemetico sequestratum: ubi sanctarum congregavit multitudinem feminarum,* quas *sub Religionis norma gubernabat* sancta Austroberta, quæ ex Tatuanensi pago istuc accita est. Tandem Filibertus Ebroini invidiam declinans, sanctum Aicadrum Quinciacensem Abbatem, Regulæ sancti Benedicti (ut ejus actis patet) servantem, Gemetico præfecit: tum in Herium insulam transmigravit, ubi condito Heriensi Cœnobio mortuus, sepultusque est.

Belgicâ. 114. Eadem tempestate rem monasticam mirificè illustrarunt, propagaruntque in primis Audomarus cum collegis suis, Remaclus, Amandus, Berchatius, & Ursmarus, præter Eligium Episcopum, qui Tornaci Cœnobium S. Martini; Walaricum, qui Leuconaense; & Richarium, qui Centulense & Forestense

condiderunt. Audomarus ex Monacho Luxoviensi Morinorum Episcopus promovente Dagoberto creatus, præcipuè satagit, ut diœcesim suam novo Monachorum cœtu exornaret. Erant id genus piorum hominum apud Morinos plurimi jam inde à tempore Victricii Rotomagensis Antistitis, probante Paulini Episcopi Nolani epistola ad ipsum. Et S. Treverius Monachus, *ex genere Romanorum Cadurcensi territorio ortus, Monasterium, quod in suburbio Tarowanicæ urbis situm erat, expetiit* sæculo VI. Ad Audomarum protinus accessere populares ejus Mummolenus, Ebertramnus, & Bertinus. In horum gratiam ædificatum est Vetus-Monasterium, cui Mummolenus; tum Sithiense, cui Bertinus Abbas præfuit primus, Mummoleno rapto ad sedem Noviomensem; Ebertramno in Abbatem basilicæ S. Quintini, quæ tum Monachorum erat, assumto. Monasterio Sithiensi constructo consultum voluit Audomarus, dato privilegio, *ut quieti sub Regula sancta Monachi* ibi *viverent, anno Chlotharii Regis sexto.* Ex eodem Asceterio processere Monasteria (si Iperio credimus) duodecim: ex quibus Bergense conditum est à S. Winnoco Abbate, quem Bertinus *sub Norma pii Patris Benedicti edocuit ferre jugum Christi.*

115. Totidem Monasteria in Arduennæ saltu erexisse dicitur ab Herigero Sigibertus Austrasiorum Rex, hortante in primis Remaclo Trajecti ad Mosam Episcopo, cui Stabulense ac Malmundariense Monasteria acceptam referunt originem suam. Remaclus Monachus fuerat, Abbasque primus Sollemniacensis apud Lemovicenses Cœnobii, quod S. Eligius in fundo paterno ædificarat *ea conditione, ut Monachi Regulam beatissimorum Patrum Benedicti & Columbani firmiter tenerent.* Testes ejus rei litteræ ab Eligio concessæ *anno decimo Dagoberti Regis*, quales exstant in fine Sæculi secundi. Has litteras probat Vita S. Tillonis, confirmat Synodus Suessionensis anni DCCC LXVI, quæ solius Regulæ S. Benedicti meminit, relata hac clausula testamenti Eligiani. Per idem ferè tempus floruit S. Adela Dagoberti Austrasiorum Regis filia, quæ Palatioli apud Treviros Cœnobium exstruxit, *in eoque Monacharum cœtum sub disciplina & Regula S. Benedicti viventium aggregavit*, quibus ipsa præfuit Abbatissa. Id probat ejus testamentum, quod anno XII Theoderici Regis conditum est.

116. Remaclo in sedem Trajectensem suffectus est S. Amandus, qui Monachus primùm Cœnobii S. Martini apud Turonos, dein procurante Chlothario Francorum Rege absolutè ordinatus Episcopus, demum jussu Dagoberti post Remaclum admotus est cathedræ Trajectensi. Is non solùm Nantense Vabrensis pagi Cœnobium, sed alia complura in Belgio exstruxit;

quorum præcipua fuere Gandense, postea S. Bavonis dictum; & aliud Blandiniense S. Petri in eadem urbe Gandavo; tum Elnonense virorum, & Marcianense duplex in pago Tornacensi: quibus postea Barisiacense agri Laudunensis accessit. Unus ex Amandi præcipuis discipulis fuit S. Bavo, primæ in Belgio nobilitatis vir: cujus acta in litteras retulit Anonymus fere æqualis, à Rabano atque Adone laudatus in Martyrologiis. Ex his actis discimus, Gandense Monasterium (quod etiam de Blandiniensi dicendum) primitus insedisse Monachos, quibus S. Amandus Abbatem Florbertum imposuit cum Regula S. Benedicti, quam ipse in Martiniano Cœnobio professus erat, uti demonstravi in Præfatione Sæculi secundi, & in Præfatione secunda tertii. Idem præstitum in Elnonensi & Marcianensi. Istic Monasterium erat duplex, virorum ac puellarum. Viris præfectus est Jonatus, quem nonnulli eumdem esse cum Jona Bobiensi Monacho existimant. Nec vana sanè conjectura. Nam Jonas iste Abbatis nomine donatur in Vitæ S. Walarici cap. 6, his verbis: *Jonas Abbas vir magnus, eloquentiâ plenus, dictandi peritus;* idemque est *Jonas Abbas*, qui librum de vita S. Johannis Reomaënsis Abbatis expolivit. Denique Jonas ipse Bobiensis Monachus in præfatione ad Vitam S. Columbani huic sententiæ non obscurè attestatur in hæc verba. *Quamquam me & per triennium Oceani per ora vehat & scabra lintris adacta; has quoque scatens, molles sectando vias, madefacit sæpe & lenta palus Elnonis plantas; ob venerabilis Amandi Pontificis ferendum suffragium, quibis constitutus in locis veteres Sicambrorum errores evangelico mucrone coërcet.* Quidquid sit de Jonæ prælatura Marcianensi; hinc saltem constat eum sæpe ventitasse ad Elnonense Monasterium causâ visendi Amandi, qui ex ejus consuetudine coràm didicit S. Columbani ritus, quos cum Regula S. Benedicti, ut probat ejusdem Amandi privilegium à me editum ad calcem Sæculi secundi, præscripsit Cœnobio Barisiacensi ab se constructo *sub Regula*, inquit, *domni Benedicti seu domni Columbani.* Sub S. Pontificis auspiciis Ghislenus Cellense, Gertrudis Nivialense, Aldegundis Melbodiense, Waldetrudis Castrilocense, Vincentius seu Madalgarius Altimontense ac Sonegiense Monasteria condiderunt: & S. Vindicianus Atrebatensis Episcopus Cœnobio S. Vedasti ab se instituto Abbatem primùm præfecit Hattam, accitum ex Blandiniensi.

117. Interea Landelinus, cognomento Morosus, Autberti Cameracensis Episcopi hortatu conversus ad meliorem frugem, secessit primùm *in locum super fluvium Sambram situm, qui ex nomine rivuli decurrentis in prædictum flumen vocatur Laubacus: & ibi construxit sibi & discipulis suis monasteriales habitationes.* Postea Crispiniacum

niacum se recepit, & Laubaco *præfecit beatum Ursmarum*, teste Balderico, *piis moribus præditum, in functoria tantùm prædicatione sacratum Episcopum*. Is præter S. Mariæ ecclesiam, quam in vertice montis ad Fratrum sepulturam erexit, alia duo condidit Cœnobia, Alnense scilicet, quod nunc Cistertiensis est Ordinis, *ad Sambram; & Waslarense in finibus Faniæ, versus Teorasciæ saltum*. Waslarensi *Dodonem præfecit, virum admodum sanctum*, inquit Fulcuinus in Chronici Laubiensis cap. 4.

118. Quin etiam Berchatius, monasticis Regulis apud Luxovium institutus, favente Nivardo Remorum Pontifice rempublicam monasticam egregiè illustravit. Et primùm quidem opitulante Childerico Rege Cœnobium Altivillarense in agro Remensi, postea Dervense in Catalaunensi ædificavit cum Parthenone puellarum, quibus Waltildem præfecit Abbatissam. Waltildis hæc unà cum marito suo Waimero fundum suppeditavit condendo Cœnobio Dervensi: tum postea velo suscepto Sanctimonialis, ac demum Abbatissa effecta est. Dervensi virorum ac puellari Monasterio privilegium concessit Bertoëndus Catalaunensis Episcopus *anno secundo Chlodovei Regis*, quale exstat in Spicilegii tomo x, decernens inter cetera, *ut si aliquando ipsa Congregatio de eorum religione tepidè egerint, secundùm Regulam sancti Benedicti vel domni Columbani ab eorum Abbate vel Abbatissa, qui pro tempore spiritalis Pater vel Mater exstiterint, corrigantur*. Nivardus idem sancivit pro Altivillarensi, referente Frodoardo in historiæ lib. 2 cap. 7; idemque Viriziacensis Cœnobii *Monachis sub Perrone Abbate Deo servientibus immunitatem instituit, ut nullus ecclesiasticorum judicum eos indebitè in aliquo inquietare præsumeret; sed eis quieto ordine sub sancta Regula vivere, ac Deo servire liceret*, ex eodem auctore in lib. 2 cap. 6. Nivardo successit Regulus seu Reolus, qui *construxit Monasterium Orbacense in loco, quem promeruit dono Regis Theoderici per ipsius licentiam, suffragante quoque Ebroino Majore-domus*, inquit Frodoardus in ejusdem libri cap. 10. *Impetravitque domnus idem Reolus à Monasterio Rasbacensi sex Monachos, qui regimina sanctæ Regulæ ibidem tenerent, & alios ea docerent*. Per sæculum septimum *Regulæ sanctæ* nomine ita designatur Regula S. Benedicti, ut tamen Regulam S. Columbani, aliasque complectatur nonnumquam, ut patet conferenti duplicem S. Præjecti Vitam. Nam in priori, quæ ab Auctore æquali scripta est, Camelariensis Parthenon dicitur fabricatus *ex Regula dumtaxat virorum sanctorum, id est S. Benedicti, & S. Cæsarii, atque Columbani*: in posteriori Auctoris item coætanei, *sub norma sanctæ Regulæ*. At sæculo octavo & insequenti Regulæ sanctæ vocabulum soli Benedictinæ tribuitur. Tametsi Frodoardus, sæculi decimi

ſcriptor, Regulæ ſanctæ nomen ac ſenſum ex ſæculi ſeptimi litteris atque uſu aliquando uſurpavit, nempe pro Regulis S. Benedicti & S. Columbani ſimul conjunctis. Cùm igitur Reolus ex Cœnobio Reſbacenſi Monachos, qui Regulæ utriuſque *regimina* ſectarentur, Orbacum induxerit; conſequens eſt, utramque hanc Regulam jam tum viguiſſe apud Reſbacenſes.

Apud Meldos, Parifios, &c.

119. Situm eſt Monaſterium iſtud in Briegio ad torrentem Reſbacem, conditum à Dadone ſeu Audoëno, poſtea Epiſcopo Rotomagenſi. Dadoni fratres duos tribuit Dagoberti diploma pro Cœnobio Reſbacenſi, & Hildegarius Meldorum Antiſtes in Vita S. Faronis Meldenſis Epiſcopi, videlicet Adonem, & Radonem: ex quibus Radonem rejiciendum cenſet eximius vir Hadrianus Valeſius, cujus ſententiæ ſubſcripſi in Sæculo 2. Adonem Jotrenſe Monaſterium duplex, Radolienſe Radonem auctores agnoſcunt. Præterea Monaſterium ſanctæ Crucis apud Meldos à ſancto Farone erectum eſt, Eboriacenſe à ſancta Fara ſeu Burgundofara, paullo antè, quàm Furſeus Latiniacenſi, ac Balthildis Regina Calenſi Virginum intra Pariſienſem pagum, & Corbeienſi virorum intra Ambianenſem conſtruendis admoverent manum. His omnibus illuſtrius fuit S. Dionyſii ampliſſimum Cœnobium, quod Dagobertus in agro Pariſiaco regia magnificentia exſtruxit, inſtituto perennis pſalmodiæ officio, quod poſtea Aigulfus Abbas abrogavit. Ejus loci Monachos ad Canonicorum ſolutiorem vitam inclinantes Ludovicus Pius revocavit ad cultum Regulæ S. Benedicti. Eodem Dagoberto favente Geremarus Flaviacenſi Aſceterio dedit originem, *conſtruxitque omnia neceſſaria monaſticæ vitæ congrua, vel artes diverſas, quas intra Monaſterium exerceri utile eſt, ut non eſſet Monachis neceſſitas vagandi foras: quia, ſicut B. Benedictus dicit, omnino animabus eorum non expedit*; ut legitur in ipſius Geremari Vita, ſcripta ab auctore (ut puto) æquali.

In provincia Senonenſi.

120. In urbe Senonica antiquum eſt S. Petri Cœnobium ab Theodechilde Regina conditum ante medium ſæculum ſextum: cujus loci Monachis Emmo ejuſdem civitatis Epiſcopus privilegium conceſſit anno tertio Chlotharii Regis, Chriſti DC LVII, hac inductus ratione, *quòd ſancto deſiderio ſuccenſi ſub Regula B. Benedicti, & modò Luxovienſis Monaſterii conſiſtere deliberarent.* Annuit Emmo cum Epiſcopis comprovincialibus, ſtatuitque, ut ſi aliter ipſi Monachi egerint, *ſecundùm Regulam ipſius domni Benedicti & S. Columbani corrigantur.* Præerat tum iſti Cœnobio Aighilenus Abbas: ſub quo S. Ebbo Monachus, poſtea Epiſcopus Senonenſis, *obedientiam Regulæ magiſtram cum humilitatis gradibus* (quos in Regulæ cap. 8 exponit S. Benedictus) familiari

usu exercuisse dicitur. Habes in Sæculi tertii appendice integrum Emmonis privilegium, ad cujus exemplum Drausio Suessionensis Episcopus, qui eidem subscripsit, consimile imperriit illustri Parthenoni B. Mariæ apud Suessionas, editum in Probationibus Gallicæ historiæ ejusdem Cœnobii. Inde educta est sancta Ada seu Adrechildis, quæ petente Cenomannensi Episcopo ad Cenomannicam urbem venit, & in suburbano Parthenone de Prato, cujus superiùs mentio facta est, *Regulam S. Benedicti docuit*, ut tradunt acta vetera Aldrici Episcopi Cenomannensis. Revertor ad provinciam Senonensem, in qua nescio an situm erat Cœnobium Virginum, B. Mariæ, S. Columbæ, atque S. Agathæ sacrum: cui Cœnobio Joannes Papa IV privilegium concessit, in quo ejus loci Sanctimoniales ait militasse sub Regula S. Benedicti, aliisque, ut postea fusiùs exponam *. De Gajacensi * beatæ Mariæ Parthenone (qui modò Prioratus est in pago Wastinensi, pendens à Cœnobio S. Faræ) privilegium istud explicari posse aliquando suspicabar. At S. Mariæ, & beatis Apostolis Petro & Paulo sacratum erat, ut patet ex Formula 41 apud Bignonium. * num. 121. * Giy

121. Floriacense Asceterium in agro Aurelianensi ad Ligerim erexit Leodebodus Abbas Aurelianensis, illudque B. Mariæ & S. Petro dedicari curavit. Ibi *Monachi juxta Regulam sanctissimi Benedicti & domni Columbani* primitus *constitisse* memorantur in ipsius hac de re testamento, *quod anno secundo Chlodovei* junioris conditum est. Istuc sancti Patris Benedicti reliquiæ curante Mummolo Abbate paullo pòst Casino advehuntur. Ad eadem quoque tempora pertinere videtur Cœnobium, quod MAGNULFUS *venerabilis Abbas* construxit in honorem *S. Petri & S. Benedicti*, testante Alcuino in epigrammatibus 162, & 163, ubi *Fratres ad normam Regulæ* vivere deberent. Quo in loco situm fuerit Cœnobium illud, quisve ejus auctor Magnulfus, nondum adsequi mihi licuit. An fortasse Menulfus, quem Britanniæ minoris Episcopum ferunt, patronumque suum agnoscunt Sanctimoniales Cœnobii Borbonensis, quod S. Menulfi nomine, tumulo ac reliquiis decoratum, aliquando etiam virorum fuit? Aliorum hac de re exspecto judicium. Interim observo habitum fuisse sæculo VII Concilium Aurelianense, in quo decreta quædam pro Regulæ nostræ observatione sancita. Unum ex istis (ni fallor) refert Egbertus Eboracensis Antistes, in Excerptionum cap. 63 apud Spelmannum, ubi canon Aurelianensis refertur in hunc modum. *Si quis Abbas cautus in regimine, & humilis, & castus, sobriusque, misericors, & discretus non fuerit, ac divina præcepta verbis & exemplis non ostenderit; ab Episcopo in cujus consistit territo-*

* l. Deum *rio, & à vicinis Abbatibus, & ceteris Domini * timentibus, à suo arceatur honore, etiam si omnis congregatio vitiis suis consentiens Abbatem eum habere voluerit.* Has omnes Abbatis dotes totidem verbis exigit S. Benedictus in Regulæ suæ capitibus 2 & 64, ex quibus sine dubio Patres Synodi Aurelianensis depromserunt statuti sui formam, quod Monachis hanc Regulam servantibus altè infixum esse volebant. Celebrata est hæc Synodus ante Egberti pontificatum, qui sedem iniit anno DCC XXXIV. Ad sæculum proinde septimum referenda est, fortasse ea ipsa, cujus præclara mentio est apud S. Audoënum in lib. 1 de vita S. Eligii cap. 34, cujus Eligii studio & opera coacta est hæc Synodus sub annum DC XLV adversus quemdam hæreticum Monotheletam. Si in illa Synodo sancitum est superius decretum, inde consequitur Regulam nostram tum viguisse non solùm in diœcesi Aurelianensi, sed etiam in aliis: quandoquidem hæc Synodus ex multis Gallicanis Episcopis, Audoëno, Eligio, aliisque constabat. Neque enim solent condi canones ad Regulas arbitrarias, sed ad communes receptasque leges, pro cujusque statu & conditione. Aurelianis proxima est provincia Bituricensis, in qua S. Sigirannus Abbas *sub sancta Regula à beatissimo edita Benedicto* militavit. Eadem haud dubiè vigebat in Navensi S. Sulpicii, & in aliis Cœnobiis, quæ sub Regula S. Columbani primitus instituta fuisse tradit Jonas in Vita Eustasii Abbatis. Denique in pago Arvernensi Præjectus Pontifex sanctus unum, Genesius alterum Virginum Cœnobia condidere sub sancta Regula, quam Donatus ex Benedictina maxima ex parte collegerat.

Regulæ S. Benedicti conjunctio cum aliis asserta.

122. Ex his omnibus, quæ de variis Galliarum Cœnobiis hactenus exposui, satis superque compertum est, quàm latè propagata fuerit sæculo VII S. Benedicti Regula in vetustissima quæque ac nova hujusce regni Monasteria. Id factum conjunctione Regulæ S. Benedicti cum aliis aliorum Patrum, maximè Columbani institutis. Ejus rei exemplum, referente Gregorio Turonensi Episcopo in Historiæ lib. 10 cap. 29, præcesserat in Cœnobio Atanensi, in quo *non modò Cassiani, verùm etiam Basilii & reliquorum Abbatum qui monasterialem vitam instituerunt, celebratæ sunt Regulæ* sub Aredio rectore. Idem in plerisque Cœnobiis Gallicanis sæculo VII contigisse plurima probant vetera instrumenta, quæ in singulis eisdemque locis varias ac diversas Regulas simul observatas fuisse evincunt. Ejusmodi sunt litteræ Leodebodi pro Floriacensi, Eligii pro Sollemniacensi, Amandi pro Barisiacensi, Bertoëndi pro Dervensi, Bertefridi pro Corbejensi, Emmonis pro Senonensi S. Petri, Drausionis pro Suessionensi B. Mariæ, Blidegisili pro Fossatensi, Hidulfi pro

Deodati, Chlotarii tertii Francorum Regis pro Besuensi, Theoderici item tertii pro Mauri-Monasterio, & aliæ complures: in quibus omnibus monumentis istorum locorum Monachi vixisse memorantur *secundùm Regulam S. Benedicti & domni Columbani*, item *secundùm Regulam S. Benedicti ad modum Luxoviensis Monasterii.* Harum litterarum Usserio Armachano viro doctissimo tanta visa est auctoritas, ut ex eis conjunctionem Regulæ S. Benedicti cum institutis S. Columbani asserere non dubitaverit. Certè hæc instrumenta multitudine sese tuentur sua. *Usser. in Addend. Antiquit. Britann. p. 1050.* Si enim unum dumtaxat aut alterum ejus rei testimonium in promtu haberemus; aliqua forsan interpolationis suspicio veniret in mentem. Nunc verò cùm tot, tamque locis ac personis diversa, in quibus hæc Regularum unio deprehenditur, monumenta supersint; nemo de hac conjunctione jure merito controversiam movere potest. Et quidem eam agnoverunt pro Sollemniacensi Monasterio Scriptor Vitæ S. Tillonis ejus loci Monachi; pro Altivillarensi Frodoardus sæculi x scriptor; pro Floriacensi Helgaldus Frodoardi suppar; pro Besuensi anonymus sæculi x i Chronographus; pro Vesontionensi veteres membranæ à Johanne Jacobo Chiffletio in sua Vesontione relatæ. Denique hanc Regularum unionem aliquando factam esse fatendum est. Atqui eam ante sæculum octavum contigisse constat, tum ex iis quæ superiùs dixi, tum ex eo, quòd nulla ejus conjunctionis jam tum primùm factæ vestigia restent in sæculi v i i i monumentis, sive in Conciliis Episcoporum, sive in diplomatis ac Capitularibus Regum, sive in ejus temporis auctorum scriptis: in quibus omnibus Regulæ S. Benedicti mentio frequens occurrit, aliarum nulla, præterquam in privilegio Farfensi, quod certè unionem hanc longè antè factam designat.

123. Præ his omnibus luculentissimum est hac in causa privilegium Johannis Papæ IV, postulante Chlodoveo juniori concessum Parthenoni *beatæ Mariæ, & S. Columbæ atque S. Agathæ, seu aliorum sanctorum Martyrum:* quo in loco Sanctimoniales vivebant secundùm *edicta Antonii, Pachomii, & haud procul à nostris temporibus* (sic loquitur Pontifex) *Benedicti Abbatis istius Romæ urbis.* Hoc privilegium, quod in ejus tomi Appendice integrum exstat, in formulam privilegii ante annos octingentos redactum est in codice Thuaneo, ex quo illud erui. Quodnam fuerit Cœnobium istud, quove in loco situm, divinare non licuit, suppressis scilicet nominibus propriis personarum ac locorum plerisque. In Actis S. Clari Abbatis invenio apud Viennam Cœnobium *Sanctimonialium beatæ Virginis Columbæ, quod triginta Monachas* alebat: cui nescio an Johannis Papæ privilegium ap-

tari possit, quod Cœnobio sanctæ Mariæ & sanctæ Columbæ concessum est. Et hinc certè longè validius in rem nostram argumentum deducimus, ad probandam sæculo VII Regularum conjunctionem. Si enim in authentico privilegio Regularum Antonii, Pachomii, & Benedicti mentio facta non fuisset; nemini venisset in mentem communi privilegii formulæ eam inserere. Ceterum quod Benedictus Abbas Romæ urbis à Pontifice vocatur; hoc nomine comprehenditur pro veteri more tota ditio Romanæ civitatis, ad quam Sublacus & Casinum, ubi S. Pater Abbatis gessit officium, pertinet. Ex hoc igitur privilegio manifestum est, S. Benedicti Regulam cum *edictis Antonii & Pachomii* observatam fuisse in Gallicano Parthenone B. Mariæ, eamque Regularum conjunctionem per ea tempora obtinuisse.

124. His veterrimis instrumentis suffragantur aperta æqualium scriptorum testimonia omni exceptione majora. Primum desumo ex Actis sancti Filiberti Abbatis, qui in Monasterio Resbacensi sub Agilo Abbate S. Columbani discipulo primùm institutus, dein creatus Abbas Resbacensis, *Basilii sancti carissmata, Macarii Regulam, Benedicti decreta, Columbani instituta sanctissima lectione frequentabat assidua: sicque onustus virtute aromatum, sequacibus sanctum monstrabat exemplum.* Columbani instituta professus erat Filibertus: qui tamen eodem in loco habebat Basilii, Macarii, & Benedicti Regulas, nimirum ut eas factis exprimeret suis, ac discipulis sectandas proponeret, non solùm in Resbacensi, sed etiam in Gemeticensi, aliisque Cœnobiis, ab se vel erectis, vel institutis. *Multi* quippe *de ejus Regula sua ornabant Cœnobia.* Hîc Regulæ nomine intelligendum est complexum ex præmissis Regulis, quas in Cœnobio suo Filibertus omnes servari curabat, quemadmodum Aniani Aredius Regulas Basilii, Cassiani, & aliorum Patrum. Non enim assentior doctissimo viro Dadino Alteserræ, existimanti Filibertum ex Regulis Macarii, Basilii, Benedicti & Columbani propriam concinnasse. Eas quippe Regulas omnes Filibertus à discipulis suis legi, & observari satagebat, conciliatis iis, quæ in speciem contraria; aut omissis, quæ loco ac personis incongrua videbantur.

Alteserr. Asectic. lib. 6. c. 1.

125. Alterum argumentum, idque invictissimum, suppeditat Regula sancti Donati Archiepiscopi Vesontionensis. Is sancti Columbani discipulus, ac Monachus in Cœnobio Luxoviensi, postea adeptus Episcopatum Vesontionensem, duo condidit Monasteria, unum virorum, puellarum alterum. Primum in honorem B. Pauli Apostoli, ubi *fideles viros* (ut habent antiquæ

membranæ Vesontionenses à Johanne Jacobo Chiffletio relatæ) *sub beati Benedicti & beati Columbani Luxoviensi Regula victuros instituit.* Alterum in eadem urbe *sanctarum Monialium in honore beatæ Mariæ, matre ejus Flavia cooperante*, quæ inibi Sanctimonialis effecta est. Idem quoque rogante Gauthstruda Jussani (hoc loco nomen) Monasterii Abbatissa, ejusque Congregatione *enchiridion* composuit ex tribus collectum Regulis, sanctorum videlicet Cæsarii Arelatensis Episcopi, Benedicti & Columbani Abbatum: & tria supra quadraginta capitula ex Regula S. Benedicti adduxit. Cæsarii Regulam, utpote Sanctimonialibus aptatam, servare non recusabant Monachæ Jussanenses: at Benedicti & Columbani Regulas etiam aptari sibi postulabant, *dicentes, quòd Regulæ prædictorum Patrum minimè convenirent* sexui suo, *cùm easdem viris potiùs, & nequaquam feminis edidissent.* Quæ causa has Sanctimoniales ad id impulerit, nulla alia occurrit, quàm studium æmulandi Luxovienses Monachos, Donati consodales, qui ambas Benedicti & Columbani Regulas tum observarent. Earum postulata ægrè tandem admisit Donatus, idque tandem perfecit, *quod bonis* piarum Virginum *desideriis placuit*, seligendo ea, quæ ipsis expediebant, *quemadmodum regulariter rectum Christi tramitem tam vos*, inquit, *quàm ceteræ vobis succedentes, Christo opitulante tenere valeatis.* Hanc itaque Regulam ex illis tribus conflatam, Jussanensi Monasterio imposuit Donatus, eamque in succedentia tempora observari præcepit ante annum Christi DCL, quo ferè tempore vivere desiit. Hæc eadem est, ut puto, Regula, quæ in Camelariensi apud Arvernos Parthenone paullo pòst servata est. Quippe vir illustris Genesius consilio S. Præjecti *Monasterium sacrarum Virginum suburbano præfatæ civitatis, in loco cui Camelaria nomen inditum est, omni nisu atque conamine fabricare adorsus est ex Regula dumtaxat virorum sanctorum, id est S. Benedicti & S. Cæsarii atque Columbani*, ut tradit auctor ejus temporis in priori Vita S. Præjecti Episcopi Arvernensis, qui aliud item Virginum Cœnobium sub iisdem institutis instruxit.

126. Etiamsi unum hunc locum haberemus, is certè sufficeret ad probandum Regulam S. Benedicti unà cum S. Columbani Norma ante medium sæculum septimum viguisse apud Luxovienses. Nimirum Donatus, ejus loci Monachus, Columbani alumnus, Vesontione Monasterium S. Pauli instituit sub utraque hac Regula. tum Sanctimoniales Jussanenses ab ipso itidem institutæ ambas utriusque Patris Regulas cum Cæsariana sibi aptari postulant. Rem exsequitur Donatus, ac Regulam ex illis tribus collectam Jussanensibus imponit. Quis credat Donato Luxo- Conjunctio ejusdem Regulæ cum Regula S. Columbani.

viensi Monacho in mentem venire potuisse, ut Monachos in urbe sua episcopali institueret ad alterius Regulæ, quàm Luxoviensis præscriptum? An rem Donato gratam facturæ fuissent Jussanenses, si aliam à Luxoviensi Regulam, quam is professus erat, sectari voluissent? Verùm non desunt nobis alia, quibus id probemus, argumenta. Id enim diserte probat libellus de vita S. Salabergæ jam sæpius relatus: in quo Waldebertus, post Eustasium in Luxoviensi regimine Columbani successor, laudatur, quòd *ejus tempore per Galliarum provincias agmina Monachorum, ac sacrarum puellarum examina non solùm per agros, villas, vicosque atque castella, verùm etiam per eremi vastitatem ex Regula dumtaxat beatorum Patrum Benedicti & Columbani pullulare cœperint: cùm ante illud tempus Monasteria vix pauca illis reperirentur in locis.* Huic testimonio auctoris gravis & æqualis respondet Jonæ auctoritas ex Vita S. Eustasii Abbatis in hæc verba. *Deinde Monachorum sub ejus obedientia in sæpe fato Cœnobio Luxoviensi concio maxima erat, ut ex hoc jam multa per vicina loca Monasteria construerentur, quæ ejus successor beatus Vvaldebertus firmavit atque ædificavit.* Ergo ex Jonæ testimonio cum Vita S. Salabergæ comparato liquidò apparet, Waldebertum ea ædificasse Monasteria, quæ *per Galliarum provincias ex Regula dumtaxat beatorum Patrum Benedicti & Columbani pullulasse* referuntur in Actis S. Salabergæ. Et certè hunc sensum exigit hujus Vitæ scriptor. In ea quippe laudatur Waldebertus, quòd ejus tempore, id est eo Abbate atque procurante, complura *pullulare cœperint* Monasteria sub duplici hac Regula. Sic enim habent verba mox relatis superiora. *In cujus*, videlicet Eustasii, *locum beatæ recordationis Vvalbertus in regimine fratrum subvectus est, vir omnium fama laudabilis.* Quid ita? nempe quia *hujus tempore per Galliarum provincias agmina Monachorum ac sacrarum puellarum examina ex Regula dumtaxat beatorum Patrum Benedicti & Columbani pullulare cœperunt.* Si inde *laudabilis* Waldebertus; ergo horum Monasteriorum auctor fuit, quæ sub ejus regimine *ex Regula beatorum Patrum Benedicti & Columbani* pullularunt. Alia porro hujus rei argumenta postea recurrent. Hinc apparet, Monasteria illa, quæ Jonas in Eustasii Abbatis Vita sub institutis Columbani condita fuisse dicit post Synodum Matisconensem, sub utraque Regula militasse. De Sollemniacensi virorum, ac de Jussanensi & Cameliarensi, itemque de alio Arvernensi Virginum id constat, quæ sub utraque hac Regula surrexisse superiùs demonstratum est certissimis argumentis. De Laudunensi Parthenone S. Salabergæ, quæ ab ipso Waldeberto in rebus monasticis instituta fuerat, idem etiam intelligitur ex ejus Vita, in qua hæc verba lego. *Sed cùm vas adplenè*

Vita S. Salab. num. 19.

plene refertum ex poti liquore non esset, famulaque Christi, cui obedientiæ causa eodem anno juxta tenorem Regulæ ad cellarium custodiendum, Sororibusque ministrandum ordo evenerat, &c. In Regula S. Columbani nulla Cellerarii mentio est, cujus officium describitur à S. Benedicto in Regulæ cap. 31. Porro officium istud (obedientiam vocabant veteres) in annum committi, antiquus mos est in Ordine nostro usitatus. Quod de Laudunensi dico, idem etiam asserere licet de aliis Cœnobiis, quæ à B. Columbani discipulis in Briegio erecta sunt. Ea quippe cùm perlustrasset Botulfus Anglus cum Adulfo, indeque *monasterialibus imbutus regulis*, in patriam remeasset; postea intra Lincolniæ Comitatum Ikanhoense Asceterium *ad instar Monasteriorum, ubi conversatus fuerat in partibus Galliæ, perfecit, sanctorum Patrum instituta assiduâ in se observans diligentiâ.* Ad hæc, *quod in transmarinis partibus didicerat de Monachorum districtiori vita & regulari consuetudine*, subditis suis cotidie inculcare solitus erat. Uno verbo, *præcepta salutis secundùm beati Patris* BENEDICTI *documentum, vetera novis, nova veteribus miscens, nunc antiquorum instituta, nunc per se intellecta discipulos edocuit.* Ecce Botulfus cum Regula S. Benedicti alias Patrum Regulas, cùm veteres, tum novas, qualis erat Columbani, à Monachis suis observari curavit *ad instar Monasteriorum, ubi conversatus fuerat in partibus Galliæ*, nempe Briegensibus: in quibus nimirum istæ simul Regulæ tunc temporis receptæ erant, id est, post medium sæculum septimum. Ex his testimoniis accedit auctoritas vetustis illis instrumentis, quæ Regulas S. Benedicti & S. Columbani in eisdem simul viguisse Monasteriis tradunt. Id confirmat libellus de rebus gestis S. Serenici Monachi, qui præter orationes peculiares, *Romanum seu Gallicanum, necnon & sanctorum Patrum Benedicti seu Columbani cursum horis singulis Domino decantabat. Congruum enim illi visum fuerat, ut horum officia Christo persolveret, quorum virtutum actus jam dudum in mentis arce locaverat: & quos ardua imitatione studuerat sequi, in orationum sollemniis conaretur imitari.* Ex quibus intelligimus, Serenicum sibi in exemplum proposuisse vivendi morem, quem sancti Benedictus & Columbanus in se se expresserant. Eamdem sententiam probat Chronici Fontanellensis caput 12, ubi Wando Abbas ab anno DCCXLII, isti Cœnobio inter alios libros perhibetur tradidisse codicem unum, *in quo continebatur Regula S. Benedicti & S. Columbani, & Martyrologium.* Istorum verò temporum, uti & posteriorum, ferebat usus apud Monachos, ut quam quique servarent Regulam, eam in Cœnobiis descriptam atque simul compactam haberent cum Martyrologio; ac sic utrumque esset in promtu ad legendum in Capitulo post Pri-

mam, ut aliàs observavi. Atqui jam longè ante Wandonis Abbatis regimen scriptus erat iste Fontanellensis codex, qui usui fuerat sæculo VII quibusdam Monachis utramque Regulam servantibus. Hinc cum Orderico Vitali concludere licet, B. Columbani discipulos *sancti normam suscepisse Benedicti, ita tamen ut non abhorrerent sui statuta magistri, almi videlicet Columbani.*

Qua occasione facta.

127. Quo tempore, quave occasione duæ istæ Regulæ in unam coaluerint; an ab ipsis Luxovii primordiis, an aliquanto pòst intervallo; res non est penitus explorata apud omnes. Existimavi aliquando hanc unionem esse factam non nisi post Synodum Matisconensem, cui occasionem dederunt Agrestii & aliorum querelæ adversus Regulam Columbani. Querelarum capita erant ritus à Romanis diversi, cochlearis signatio frequens, orationum multiplicitas singularis, tonsuræ diversitas; in summa Scottorum ritus à Romanis alieni. Agrestii partibus adhæsit Amatus, tum Monachus, pòst Abbas Habendensis piissimus, qui cùm Agauni ritibus Latinis adsuevisset, Scoticos ægrè ferebat. Quapropter *abjectis institutis pristinis*, nimirum Scotticis, *plebem*, id est Monachos sibi subjectos, *rudibus doctrinis* (ut loquitur Jonas) cum Romarico *instruere conatus est.* Hinc observabam Columbanum in Luxoviensium gratiam afflante Spiritu-Sancto scripsisse Regulam, quæ nihil cum Benedictina commercii habere videbatur. Deinde ipsum *in Gallias venientem*, id est post suum ipsius in Gallias adventum, *nihil discrepasse à Britonibus in eorum conversatione*, ut patet ex epistola Laurentii Dorobernensis Episcopi relata apud Bedam: qui Laurentius id per ipsum Columbanum, scilicet ex ejus factis, compererat. Insuper hos Brittonum ritus apud Luxovium perseverasse ad annum DC XXV, quo habita est Synodus Matisconensis in hac causa. Aliunde advertebam, Regulam S. Benedicti nusquam coaluisse cum ritibus Scotticis, quibus maximè infensi erant Latini plerique; immo, sicubi Romani ritus Scotticis successerint in Monasteriis, ibidem etiam successisse Regulam S. Benedicti. Id quippe evenisse in Lindisfarnensi anno DC LXV post conventum hac de re habitum, conflictumque Wilfridi cum Colmanno Scottorum antesignano; idem etiam in Magensi, ubi *conversi ad meliora instituta* Monachi, *ad exemplum venerabilium Patrum sub Regula & Abbate canonico vivere* cœperunt, apud Bedam. quem locum de Regula S. Benedicti interpretandum esse hîc ostendo in Observationibus præviis ad librum Eddii de Vita S. Wilfridi. Denique idem item evenisse in Landevenecensi, procurante Ludovico Augusto. Uno verbo, hac in re duo mihi certa & explorata videbantur, tertium omnino probabile. Certum quidem unum, Regulam S. Columbani à Re-

Beda lib. 2 cap. 4.

Anonym. in Vita S. Cuthberti

Beda lib. 4 c. 4.

gula S. Benedicti esse diversam, neque hujus commentarium esse: alterum certum, ambas in unam haud seriùs apud Luxovienses convenisse, quàm sub primis Columbani discipulis: tertium, quod omnino probabile existimo, est, hanc conjunctionem factam esse post Synodum Matisconensem, si non sub Eustasio Abbate, qui intra annum à Synodo facta decessit; certè sub Waldeberto ejus successore. Is enim, referente Adsone Abbate in ipsius Vita, *si quid in rebus vel ceteris utriusque vitæ commoditatibus tempore illorum duorum Patrum, Columbani videlicet & Eustasii, imperfectum restabat, omni industria supplevit, auxit, & ad unguem perfectiùs elimavit.* Quidquid sit tandem de hoc tertio capite, non dubito quin duobus primis assensuri fuissent Trithemius & Yepezius, si S. Columbani Regulam atque Vitam à Jona scriptam, quas numquam viderunt, attentè legissent.

128. De Bobiensi Monasterio sic conjectabar in Præfatione *num.* 14. Sæculi secundi, nimirum Columbanum in Italiam profectum, ut se Romanis moribus accommodaret, S. Benedicti Regulam admisisse in Cœnobio Bobiensi. quod tamen extra lineas disputationis posui: quoniam ejus rei tum mihi certa non suppetebant argumenta. At verò constanter asserui, Regulam S. Benedicti apud Bobienses jam fuisse receptam tempore Bobuleni Abbatis, pontificatu Theodori, non Lucii Papæ secundi, uti Ferdinandus Ughellus, & post eum Carolus Cointius innuebant. Id autem confirmabam litteris Theodori Papæ Bobuleno Abbati concessis, in quibus utriusque Regulæ simul inibi servatæ fit mentio his verbis: *In quo Monasterio Monachi sub Regula sanctæ memoriæ Benedicti, vel prædicti reverendissimi Columbani fundatoris loci illius conversari videntur.* His in verbis interpolationem causatur Ughellus, Carolo Cointio suffragante; censetque superiora verba in privilegio *addita ab alio aliquo parum cauto.* Hujus assertionis duas affert rationes. Prima est *Quid enim illa significant*, REVERENDISSIMI COLUMBANI FUNDATORIS, *cùm jam cælestibus fuisset adscriptus, veluti Benedictus, quem* SANCTÆ MEMORIÆ *vocat?* Frigida sanè ratio. Ab obitu S. Columbani ad tempus concessi privilegii, viginti sex admodum intercedunt anni. Columbanum per illud intervallum Sanctorum loco habitum fuisse non dubito; non tamen sollemni ritu cælitibus adscriptum constat. Jonas qui paullo post concessum privilegium scribendis Columbani gestis dedit operam, eum in ipso limine *almi patris Columbani* nomine tantùm insignit. Ad hæc Gregorius Magnus Vitam S. Benedicti in lib. 2 Dial. scribens post annos ab ejus obitu quinquaginta, cum *vitæ venerabilis virum*; & B. Æquitium, qui ante S. Benedictum vivere desierat, *reverendissimum* appellat in lib. 1. Quid mirum si Theodo-

An Bobii ab initio servata Regula nostra.

rus idem elogium tribuit Columbano? Neque potior est altera Ughelli ratio. *Judicet lector*, inquit, *an Theodoro Pontifici ignotum potuerit esse, quam Regulam Bobienses profiterentur Monachi, an Columbani ab ipso præscriptam filiis discipulisque nuper; vel Benedicti, Monachis omnibus traditam?* Ughelli ratio, vel potiùs erratum, fundatur in particula disjunctiva *vel* ad hæc verba, *sub Regula Benedicti vel Columbani.* At mirum est virum doctum, & in evolvendis Italiæ scriniis apprime versatum, non advertisse, apud veteres passim particulam *vel* conjunctivè usurpari, ut sexcentis exemplis probare possem, nisi res esset vel mediocriter litteratis tritissima. Nihil ergo rationes Ughelli efficiunt adversùs Theodori privilegium, ejusque integritatem: immo illud egregiè fulciunt. Certè hæc Theodori verba redolent antiquum morem; eaque legerat in ejus privilegio anonymus Bobiensis Monachus, qui librum de miraculis S. Columbani composuit sæculo x ineunte. Itaque pontificatu Theodori Papæ, sub regimine Bobuleni Abbatis, id est anno DCXLIII, apud Bobienses vigebat S. Benedicti Regula cum institutis Columbani, ut in præfatione Sæculi secundi, & in altera Sæculi tertii fusiùs demonstravi.

129. Quod verò insuper dixi, Columbanum in Italiam profectum, ut se Romanis moribus accommodaret, Regulam S. Benedicti suscepisse; non me pænitet. Ejus enim rei adstipulatorem habeo Paschasium Radbertum in lib. 2 de epitaphio Walæ Abbatis cap. 21. En Paschasii verba. *Fortè non legisti vitam & actus ejusdem beati Columbani, qui expulsus Zelo cujusdam feminæ à Luxovio, hunc rursus coædificavit locum, & præfuit ibi multis Fratribus laudabiliter usque ad finem vitæ. Non enim talentum sibi creditum abscondere in terram debuit* (Wala,) *sed erogare Fratribus. quod beatum Benedictum, & alios quàm plurimos fecisse legimus. Nequaquam igitur minùs videtur eum defendisse ab hostibus, & religiosissimè rexisse sub sancta Regula, & augmentasse studiosissimè; in ipsa eademque professione quàm primum illud inchoasse.* Hîc in primis observandum, interpunctionem in exemplari appositam esse post vocem *studiosissimè*, more Paschasio familiari. Deinde *primum* sumendum esse, non adjectivè, sed adverbialiter: ita ut *illud* referatur non ad Corbeiense, sed ad Bobiense Monasterium, sicut *eum* in priori membro. Præterea hoc posterius comma, *in ipsa eademque professione quàm primum illud inchoasse*, intelligi posse aut conditionatè de Wala, aut absolutè de Columbano. Conditionatè quidem, quasi diceret, *quàm si primùm illud inchoasset Vvala.* Absolutè verò sic, *quàm Columbanus, qui illud primum inchoavit.* Sed posterior sensus Paschasii scopo & institutæ Columbanum inter & Walam comparationi magis quadrat. Nunc tota difficultas est, quid verbis *sanctæ*

Regulæ intellexerit Paschasius, specialem S. Benedicti Regulam, an Columbani, an utramque simul. Regulam S. Benedicti in Conciliis & in scriptis sæculi octavi ac noni hoc nomine passim designari ex dictis constat. Etsi verò id non constaret, nemo tamen infitiari posset, eam hoc elogio designari ab Auctore, qui ipsam professus erat. Atqui Paschasius cum sodalibus suis Regulam S. Benedicti servabat in Cœnobio Corbeiensi, ut patet tum ex Vita S. Adalhardi eorum institutoris, tum ex Statutis ejusdem, in quibus Regula S. Benedicti servanda proponitur. Denique quid Paschasius Regulæ sanctæ nomine intelligat, apertè significat in lib. 1 de Epitaphio Walæ cap. 21, de Wala Corbeiæ Abbate ita disserens. *Nihil enim ex omni contextu Regulæ relinquens intactum, nihil indiscussum, &c. Quod si quispiam ex omnibus* SANCTÆ REGULÆ *verbis aliquid excedens non satisfaceret, &c.* Hîc certè agit Paschasius de Regula tum servata apud Corbeienses, id est de Regula S. Benedicti, cujus in tantum mores æmulabatur Wala, ut Paschasius asserat, *nullum amplius nostro*, inquit, *in tempore Patris Benedicti formam gessisse.* Ergo similiter in primo ejusdem Epitaphii loco, à me superiùs relato, *Regulæ sanctæ* nomen sumitur pro Regula S. Benedicti. Unde consequens est, hæc itidem verba, *sub ipsa eademque professione*, de eadem S. Benedicti Regula esse interpretanda, ut certè probat ipsa verborum series & genuina significatio. Nemo igitur jure dubitaverit, quin Radbertus in ea fuerit sententia, Bobiense Monasterium S. Benedicti Regulæ à primordiis paruisse: ac proinde etiam Columbanum. Et quidem id confirmant sequentia Paschasii verba in lib. 2 cap. 23, ubi Columbani & Walæ *una religio, una conversatio* fuisse perhibetur. Unde hæc auctoritas, à viro gravi, tametsi à Columbani ætate annis ampliùs ducentis summoto, profecta, magni momenti esse debet ad probandum id, quod jam dixi, Columbanum admisisse Regulam nostram cum sua in Cœnobium Bobiense, quod ipse à fundamentis erexit.

lib. 1. de Vvala cap. 2.

130. Erit forsan qui in prælaudato Paschasii loco, ubi de Bobiensi conditione agitur, *Regulam sanctam* pro complexo utriusque Regulæ sumi contendat: propterea quòd Paschasius ignorare non potuit, Columbanum propriam scripsisse Regulam, Bobiensibus perinde atque Luxoviensibus præscriptam: quandoquidem Jonæ lucubrationem, in qua Columbani Regula commendatur, legerat, ut superiora ejus verba probant; & ipse Monachus erat Corbeiæ, quæ principio sub utraque Regula militavit. Verùm etiamsi hanc duplicis Regulæ conjunctionem apud Bobienses ab initio invaluisse persuasum habuerit Radbertus; hîc tamen *Regulam sanctam* pro speciali Regula S. Be-

nedicti, ut in priori libro, usurpare videtur: aut certè hoc nomine involvit Regulam S. Columbani sollemni illo loquendi modo, quo totum à nobiliori parte significant Rhetores: eum ad modum, quo Patres Synodi Suessionensis, agentes de primaria Sollemniaci Regula, quam duplicem fuisse sciebant, unius Regulæ S. Benedicti meminerunt. Et quidem hoc loco Paschasius rationem habuit solius S. Benedicti Regulæ, quæ sola quoniam apud Corbeienses vigebat sub Walæ regimine, Paschasii scopo ac institutæ comparationi sufficiebat. Sic Jonas in libro de gestis Columbani ejusque discipulorum, quem post ambarum Regularum unionem scripsit, datâ operâ unicam laudat Columbani Regulam: quoniam hæc una ad Patris sui elogium pertinebat. Sanè affectatum videtur Jonæ silentium de regulis aliorum Patrum. Id colligitur ex Actis S. Columbani, in quibus singula Cœnobia, quæ Donatus, ejusque mater Flavia construxere, commemorans, Regulæ S. Columbani studiosè meminit. At de Jussanensi Parthenone agens, nullam mentionem facit institutæ isto in loco Regulæ, quam Donatus ex Regulis sanctorum Cæsarii, Benedicti & Columbani defloraverat. Quid ita? nimirum quia à Columbani elogio (ut jam dixi) aliena videbatur commemoratio aliarum Regularum. Quamquam cur Jonas de S. Benedicti Regula siluerit, alia etiam subesse potuit causa. Cùm enim hanc Regulam in Gallicanis, Italicisque, etiam Columbani Monasteriis celebrari animadverteret, Columbani verò Regulam ab ea veluti obscurari; patris ac institutoris sui amore raptus, Benedictinâ (quæ omnibus perspecta, ac probata erat) dissimulatâ, Columbani Regulam quàm maximo potuit studio commendavit & inculcavit, ne tandem aliquando in desuetudinem posterorumque oblivionem penitus abiret. Porro etiamsi Jonas (quod gratis interim admissum sit) S. Benedicti Regulam excluderet; nequaquam ejus silentium ultra annum DC XLIII, quo Actis Columbani supremam imposuit manum, protrahi debet: nec quidquam efficit in præjudicium eorum Monasteriorum, quæ ab eo tempore sub utraque Regula vel primitus instituta, vel post suam demum conditionem aggregata fuisse probant superiora testimonia.

Jonæ silentium de Regula nostra expenditur,

131. Alia ratio est de S. Audoëno, qui in lib. 1 de Vita S. Eligii cap. 21, ubi Luxoviensis Cœnobii regularem disciplinam prædicat, nusquam Regulæ S. Columbani disertè meminit; sed tantùm usus est vocabulo *Regulæ* ac *Regulæ sacræ*: quo nomine complexum ex utraque S. Benedicti & Columbani Regula sine dubio intelligit. Verba ejus expendenda sunt ita de Eligio loquentis. *Ipse quoque properabat ad Cœnobia, maximè Lussedium, quod erat*

& S. Audoëni.

eo tempore cunctis eminentius atque districtius. Neque enim tam crebra erant adhuc in Galliis Monasteria: & sicubi essent, non sub regulari quidem disciplina, sed erant prorsus in malitia fermenti veteris sæcularia. Præter Lussedium ergo, quod solum (ut dictum est) districtionem Regulæ sollerter tenebat; Sollemniacense Monasterium in partibus occiduis hujus religionis exstitit caput, ex quo multi demum sumserunt & initium, & exemplum: adeo ut nunc quoque, propitia Divinitate, innumera per omnem Franciam & Galliam habeantur sub regulari disciplina alma utriusque sexus Cœnobia. Et infrà commemorat Audoënus, in Sollemniacensi Asceterio tantam *sacræ Regulæ* observantiam se vidisse, *ut ejusdem Monachorum vita singularis videretur præ ceteris Galliæ Monasteriis*; sanctumque Eligium Virginum ædificasse Monasterium, ubi *districtam Regulæ disciplinam constituens, usque ad trecentarum puellarum numerum ex diversis gentibus, tam ex ancillis suis, quàm ex illustribus Galliæ matronis congregavit* sub Aurea Abbatissa. De tribus his locis quædam observanda. Primus egregiè illustratur testimonio ex Actis S. Salabergæ petito, cui vicissim etiam multum lucis refundit. Sollemniacensis Monasterii conditio eo tempore contigit, quo Luxovio præerat Waldebertus Abbas: sub cujus regimine *per Galliarum provincias agmina Monachorum, ac sacrarum puellarum examina ex Regula dumtaxat beatorum Patrum Benedicti & Columbani pullulare cœperunt: cùm ante illud tempus Monasteria vix pauca illis reperirentur in locis*, ut scribit Salabergæ laudator. Ergo *utriusque sexus Cœnobia, quæ sub regulari disciplina per omnem Franciam & Galliam* condita fuisse tradit Audoënus, ea *sub Regula beatorum Benedicti & Columbani* pullulabant. Nec obstat, quod Audoënus hoc complexum *Regulæ* nomine appellat, ubi ait Lussedium solum *districtionem Regulæ* tenuisse. Nam Donatus complexum ex triplici Regula, Cæsarii videlicet, Benedicti, & Columbani, eodem nomine afficit in prologo suo, ubi Jussanenses monet, ut juniores ac negligentes *juxta tenorem ipsius Regulæ* coërceant. Accedit & alia auctoritas ex Actis S. Salabergæ, ubi auctor ejus temporis, qui Waldeberto Abbate Monasteria utriusque sexus *ex Regula beatorum Patrum Benedicti & Columbani* pullulasse scribit, idem alibi repetit his verbis. *Cum egregia sanctitatis opinio B. Walberti pæne per universos Francorum terminos eximiè pullularet, Monasteriaque virorum ac mulierum Christi ex ejus Norma affatim conderentur, &c.* Quid clarius ad propositum afferri potest? Quæcumque in Galliis Monasteria utriusque sexus condebantur Waldeberto Luxovii Abbate, ea *ex ejus Norma* condebantur. Quænam illa Norma? nempe Norma in Cœnobio Luxoviensi tum servata. At quæ tandem illa Luxoviensis norma? scilicet *Regula beatorum Patrum Benedicti & Columbani*, sub qua Mo-

nasteria tunc temporis pullulare cœperunt, ut habet idem Salabergæ Encomiastes. qui quidem complexum ex utraque hac Regula *Normam* Waldeberti vocat, quasi à Waldeberto institutam ac promotam: quam Normam Audoënus *Regulæ* ac *sacræ Regulæ* elogio designat. Hæc itaque est illa *Norma* seu *Regula sacra*, quam sectabantur Sollemniacenses, aliique ad eorum exemplum informati, ex Audoëno: id est *Regula beatissimorum Patrum Benedicti & Columbani*, uti explicat Eligius ipse in testamento suo pro conditione Cœnobii Sollemniacensis. Hæc est, inquam, Regula, cui parebant Sanctimonialium Parthenones per ea tempora instructi, qualis S. Aureæ Parthenon apud Parisios ab Eligio erectus: ubi Regulam Donati viguisse existimo, quemadmodum in Jussanensi & Camelariensi.

132. Hinc validissimè atque invictissimè confirmatur superior assertio, nimirum Regulam S. Columbani cum Benedictina sub primis Columbani discipulis coiisse apud Luxovienses; duplicemque hanc Regulam, simul conjunctam, latè propagatam fuisse in Galliis Waldeberto Abbate, post Synodum Matisconensem: quo ex tempore Luxovienses abjecere singulares Scottorum ritus, quos Bobienses aut nusquam admiserunt, aut citius repudiarunt.

Columbanus cur Regulam S. Benedicti admiserit Bobium. 133. Hujus rei desumo argumentum ex Actis Bertulfi tertii Abbatis Bobiensis, qui primo regiminis sui anno à Dertonensi Episcopo de Cœnobii sui libertate sollicitatus, Romam confugit ad Honorium Papam. Is comperta Bertulfi adventus causa, *de industria quærit, quæ sit consuetudo regularis disciplinæ* in Monasterio Bobiensi. *Cumque cuncta alacri animo in aures Præsulis digessisset* Bertulfus; *placuit Honorio regularis series, religionis cultus, ac humilitatis indicia*. Tum *præbuit optatum munus, privilegia sedis Apostolicæ largitus est: quatenus nullus Episcoporum in præfato Cœnobio quolibet jure dominari conaretur*. Id contigit anno DCXXVIII, qui Bertulfi regiminis primus erat. Quàm adversi fuerint Romani Scottorum ac Brittonum ritibus, manifestum est ex iis, quæ in Britannia insula per Augustinum, aliosque à Gregorio Magno Roma missos, patrata leguntur apud Bedam: ex quo discimus Scottos ac Brittones Schismaticorum loco fuisse habitos. Si tonsuram, aliosque Scottorum mores atque ritus tum servassent Bobienses; nequaquam sanè eorum consuetudines exoticamque disciplinam probasset Honorius Papa; multo minus immunitatis privilegium Bertulfo ac Bobiensibus Monachis impertisset. Eo igitur tempore Romanis ritibus adhærebant Bobienses; an ab ipsis primordiis, nunc inquirendum est. *Beda hist. lib. 2 cap. 2.*

134. In Actis S. Attalæ Abbatis, qui Bertulfi decessor, Co-

lumbani

lumbani successor proximus fuit, apud Jonam invenio Bobienses Monachos contra eum insurrexisse, conquerentes, *se nimii fervoris austeritatem ferre non posse, & arduæ disciplinæ pondera portare non valere*; nec quoquo tandem pacto per virum sanctum in officio suo retineri potuisse: sed alios *marinis finibus receptos*, alios *locum eremi ob libertatem habendam petiisse*. Haud absimile factum istud ab Agrestii discidio, quod Luxovii contigisse superiùs vidimus. Verùm illud interest discriminis, quòd Agrestius cum asseclis suis Scottorum ritus singulares carpebat: Bobienses solam *nimii fervoris austeritatem, & arduæ disciplinæ pondera* causabantur. Ex quo intelligitur, simultatem hanc non processisse de Scottorum moribus: quos sine dubio objecissent Bobienses illi seditiosi, idque notasset Jonas in Actis Attalæ, ut in Actis Eustasii. Sub ipso proinde Columbano, id est ab ipsis Bobiensis Cœnobii primordiis, Romanos ritus admisere Bobienses, simulque Regulam S. Benedicti, ut Paschasius Radbertus auctor est.

135. Moveat fortasse nonnullos, cur Columbanus potiùs in Bobiense Cœnobium Romanos ritus admiserit, quàm in Luxoviense. Ejus rei duplicem afferri posse causam existimo. Una est, quòd Columbanus Luxovium condidit sub annum D X C ante adventum Augustini ejusque sociorum in Britanniam insulam: post quorum adventum, atroces inter eos ac Brittones simultates excitatæ sunt causâ rituum diversorum à Romanis. Hinc est, quòd Columbanus, qui ejusmodi discidia non prævidit, patrios ritus Luxoviensibus suis præscribere non dubitavit. At cùm hos ritus tantarum causam turbarum exstitisse postea animadverteret; in Italiam profectus, eos saltem magna ex parte abdicavit, Romanosque Bobiensibus suis imposuit. Sic enim (quæ altera præmissi discriminis ratio est) à Romano Pontifice, cui vicinior erat, gratiam inire se posse reputavit; veritus scilicet, ne pro contrariis moribus schismaticorum hominum loco haberetur. Itaque pro tonsura Scotica Romanam usurpavit, Paschalis festi legitimum admisit tempus, eosque solos retinuit patrios ritus, quos Romanis non ingratos fore existimavit. Ad hæc, Regulam S. Benedicti cum sua adunatam Bobiensibus proposuit, quam videlicet meliùs quàm antea noverat. Nimirum cùm Luxoviense Monasterium erexit, Gregorius Magnus nondum scripserat Dialogorum libros, in quibus S. Benedicti facta posteris commendavit: ejusque Regulam *discretione præcipuam, sermone luculentam* nondum prædicaverat. Propterea Columbanus, cui minùs perspecta erat ejus Regulæ præstantia, specialem Regulam in Luxoviensium gratiam condidit. At postquàm accessit in Italiam, ubi omnia

Latinorum Monasteria sub S. Benedicti Regula militabant; postquam ejus Regulæ elogium Gregorii Magni oraculo pronuntiatum accepit; postquam eamdem Regulam Latinis Monachis ab eodem Pontifice propositam, & à Bonifacio Papa IV in Synodo Romana laudatam animadvertit; tum ne ab aliorum Monachorum institutis penitus recedere videretur, hanc Regulam cum sua conjunxit, Bobiensibus commendavit ac præscripsit.

Conclusio pro sæculo VII.

Hæc sunt, quæ de utriusque Regulæ conjunctione, tum in Cœnobiis per Columbanum ejusque discipulos erectis, tum in aliis Gallicanis facta observare potui, adhibitis (quantum in me fuit) certis probatisque argumentis, rejectis inanibus conjecturis, quæ veritatis cognitionem non tam promovere, quàm obscurare solent. Ex his demonstrare conatus sum, Regulam S. Benedicti per sæculum septimum viguisse ubique Galliarum, receptam apud Luxovienses sub primis Columbani discipulis, ab ipsis primordiis apud Bobienses. quod postremum si minus exploratum nonnullis videatur; certè maximè probabile esse infitiabitur nemo, qui Paschasii Radberti auctoritatem, aliasque rationabiles conjecturas à me huc allatas æqua lance expenderit. Si quis eamdem Regulam apud Luxovienses etiam ab initio invaluisse contendat; ejus sententiæ lubens subscribam, ubi hanc partem congruis probationibus assertam perspexero. Interim quanta sæculo sexto per B. Maurum Regulæ nostræ propagatio facta fuerit, quatenus Scriptorum inopia & temporum longinquitas patientur, breviter exponam.

Regulæ nostræ propagatio sæculo VI.

136. Initium duco à S. Odilone Cluniacensi Abbate, qui in Vita S. Maïoli de Regulæ nostræ propagatione hæc habet. *Processu temporis, post transitum videlicet suprà dicti piissimi Patris, per B. MAURUM ejus discipulum omnis pæne Gallia ejus institutionis suscepit exordium. Deinde per eum & eos, quos ipse ad justitiam erudivit, per plurima temporum spatia eadem religio ad cumulum perfectionis excrevit.* Eadem est sententia Leonis Marsicani, in Chronici Casinensis lib. 1 cap. 1 scribentis, *per S. Maurum* scilicet, *ejusque discipulos omnem ordinem & regularis disciplinæ normam, quæ per sanctum Patrem Benedictum fuerat constituta, per totam Galliam diffusam ac disseminatam fuisse.* Utrumque hoc testimonium confirmat Wlfinus Boëtius Ludovici Pii compar, in libello de vita S. Juniani Abbatis Mariacensis apud Pictones: qui Junianus Chlothario Francorum Regi de ipsius vitæ genere sciscitanti respondit, se *sub monastico ordine vitam degere, & Monachis prælatum, & beatissimi Benedicti instituta servare.*

Idem quoque constat de S. Martino Abbate Vertavensi, de quo hæc lego in priori ejus Vita. *Monasterium instituit, quod Ver-*

tavum dicitur, in quo turmam Christo militantium aggregans, ipse quoque cum eis regulari lineæ morum se subdidit, quam Regulam priorum Patrum decretis institutam à Transalpinis ferunt regionibus ab ipso delatam. Hæc cùm de S. Benedicti Regula ex Italia per Martinum allata dubitanter dixisse videretur anonymus iste sæculi x scriptor; Martinum sodalibus nostris indubitanter adscribendum esse non putavi. Verùm alter ejusdem Vitæ scriptor omnem ejus rei dubitationem adimit his verbis: *Regulæ quoque beatissimam statuit normam, quam satis arduam & discretionis censura præcipuam olim ipse à Transalpinæ regionis partibus fertur detulisse.* Ubi secundus iste auctor indubitanter affirmat, Martinum in Vertavensi Monasterio statuisse *Regulæ beatissimam normam, discretionis censura præcipuam*: quod Benedictinæ elogium est à Gregorio Magno aptatum. tametsi idem auctor non ita incunctanter asserere audeat, hanc Regulam *è Transalpinæ regionis partibus* à Martino fuisse delatam. Itaque ex hujus auctoris testimonio intelligimus, Martinum Vertavensibus Monachis Regulam hanc præscripsisse, immo & pluribus aliis Monasteriis ab se erectis, quibus non aliam utique imposuit, quàm principi Asceterio. De aliis porro à Martino erectis ita scribit primus Vitæ scriptor. *Plura præterea condens Cœnobia, multaque devotorum aggregans collegia, usque ad trecentorum & eo amplius discipulorum greges traditur cumulasse numerum.* Idem clariùs explicat alia ejusdem Martini Vita hoc modo. *Ex ejus ergo loci sancto contubernio, velut fertili apiastro, cælestis institutionis melle redolentia tanta eruperant exàmina, ut mirum in modum tota ex eorum coadunatis floribus fragraret Neustria.* Nam Martinus *ab hoc loco digressus, plurima undique vitæ regularis construxit Cœnobia, in quibus Monachorum multitudo inerat magna: adeo ut tercentenus multitudine vinceretur numerus, quibus communis erga Deum & sanctæ vitæ propositum coalebat affectus.* Non solùm ergo in Vertavensi, sed etiam in aliis à Martino per Neustriam conditis viguit Regula S. Benedicti: quam potiùs à S. Mauro apud Andegavos commorante, quàm ex Transalpinis partibus Martinus accepisse mihi videtur. Ex his Monasteriis duplex erat apud Durivum, virorum unum, alterum Sanctimonialium.

Eidem etiam auctori Ordericus Vitalis tribuit originem Cœnobii ad Duos Gemellos apud Bajocasses: ubi S. Ebrulfus, postea Uticensis Abbas, monasticæ vitæ tirociniis informatus est. Ordérico non obscurè suffragatur altera S. Martini Vita, in qua *Neustria hujus floribus fragrasse* perhibetur. Certè Ebrulfus in libello de ejus vita versibus Gallicis ab annis quadringentis scripto Regulam S. Benedicti Uticensi monasterio præscripsisse dicitur. Idem proinde præstiterit in aliis Cœnobiis omnino *quindecim, tam viro-* *Orderic. hist. lib. 6.*

rum, quàm mulierum, ab ſe inſtitutis. Hinc apparet, quantum Martino Vertavenſi Abbati debeat publica res Benedictina; nec immerito proinde noſtris adſcribendum eſſe. Hinc ſi aliquando primum Actorum noſtrorum Sæculum recudi contingat, ejus Vitam non minutioribus, ſed majoribus typis donari velim.

Ceterum non ſolùm in provincia Turonenſi ac Rotomagenſi nota erat ſæculo VI Regula Benedictina, ſed etiam in Arelatenſi, probante Regula S. Aureliani ejus urbis Epiſcopi, qui „ Regulam S. Benedicti præ oculis habuit procul dubio, inquit „ Carolus Cointius, cùm ſuam conderet, in qua meminit Com„ pletorii à S. Benedicto inſtituti. Et quidem in utraque Regula Aurelianus cavet, ne *extra menſam communem quicquam cibi potuſve accipere liceat abſque infirmis, & illis qui minoris ſunt ætatis.* quod ſtatutum omnino reſpondet Regulæ S. Benedicti capiti 43. Aurelianus etiam infirmis carnium uſum concedit, ſanis negat, uti & S. Benedictus. Adde libellum de vita S. Augendi Jurenſis Abbatis, de quo Auctor ejus æqualis hæc commemorat. *Iſte Abbas ſanctus menſulam ſuam, ut quoſdam facere nuper audivi, nec victum umquam exceptavit à Fratribus.* Quibus verbis notare videtur S. Benedicti Regulam, quæ menſam Abbatis cum hoſpitibus ſtatuit cap. 56. Verùm quantos progreſſus in aliis Galliarum partibus ſæculo ſexto fecerit Benedictinum inſtitutum, impoſſibile eſt explicare per partes: tametſi S. Odilo Cluniacenſis ſæculo XI Abbas perſuaſum habuit, *omnem pæne Galliam per B. Maurum ejus inſtitutionis ſuſcepiſſe exordium.* quod etiam aſſerit Leo Marſicanus. Hoc argumentum nemo meliùs concludat, quàm V. C. Dadinus Alteſerra, cujus hæc verba ſunt in Aſceticôn lib. 1 cap. 15. *In Occidente quinto ſæculo, religione quoque intepeſcente, ortus eſt ſol, qui ſua luce defectam religionem ac emortuam ſuſcitaret. Hic eſt B. Benedictus, qui propriam religionem non modo inſtituit, & Regulam dedit; ſed & cetera Monaſteria quæ antè erant, ad ſe & obſequium ſuæ Regulæ traxit, & religionem jacentem reſtituit: de quo verè & ſine fuco dici potuit, quod falſò & adulatoriè de Juliano Libanius Orat. 10 tom. 2* φυγάδα τὴν εὐσέβειαν κατήγαγε, fugitivam pietatem reduxit. *A beato Benedicto miſſus eſt in Galliam B. Maurus, qui Regulam B. Benedicti tradidit, & per univerſa ferè Monaſteria Galliæ propagavit.* Hactenus Alteſerra. Jam ſatis, ſuperque ſatis de Regulæ noſtræ propagatione per Gallias, dum ſe ſe offerat occaſio agendi de aliis regnis.

§. VI.

Prima declinatio disciplinæ regularis in Ordine S. Benedicti, ejusque lapsus causæ.

137. EX iis omnibus, quæ initio superioris capitis dicta sunt, intelligitur, quantum Monachi ab exacta Regulæ S. Benedicti observatione deflexissent ætate Caroli Magni; & quantum ad ejus restitutionem contulerit Benedictus Abbas Anianensis. Ad præcavenda verò mala, quibus obnoxii sumus, non minùs conducit morborum causas aperire, quàm ipsa remedia. Proinde antè quàm de restitutæ per Benedictum disciplinæ regularis modis agamus, juverit ostendere, quibus gradibus ad relaxationem ventum sit: ut ex majorum detrimento posteri documentum accipiant.

Variæ fuerunt, ut in aliis rebus, ejus rei causæ; aliæ remotæ, aliæ propiùs rem ipsam afficientes. Nam ut ne quid de communi humanæ conditionis inconstantia loquar, tria maximè ab ipsis Monasteriis exorta morbi principia invenio, primum à Rectoribus ipsis, alterum à Monachis, tertium ab indigentia. Tres etiam causas externas, scilicet Abbates sæculares, exterorum cupiditatem, ac bella. De hoc posteriori causarum genere, à quo mali prima labes, supervacaneum fuerit multa dicere: cùm nec earum remedia in nostra potestate consistant, nec cautelæ. Grande malum nec paucis verbis describi potest, nec multis patitur. Sufficiant hanc in rem, quæ in superioris Sæculi Præfatione exposui. Ad mali domestica principia convertatur oratio.

138. Primum ex Abbatibus regularibus nonnullis repeto: à quibus ut totus regularis disciplinæ vigor, ita ejusdem languor & occasus maximè pendet. Ex his Caroli Magni ævo nonnulli nimia, seu rigiditate, seu indulgentia, seu magnificentia, multas reipublicæ monasticæ clades intulerunt. In Cœnobio Fuldensi eousque processit Ratgarii Abbatis ferocia, ut Monachis duro operi addictis nec concederet spatium feriatis diebus sacra faciendi: quin immo festos dies propria auctoritate rescinderet; libros, studiaque interdiceret; infirmis remedia, omnibus vestimenta necessaria denegaret, uti Fuldenses Monachi in libello supplici Carolo Magno porrecto conqueruntur. Querelis apud Imperatorem depositis, cùm nec sic defervesceret Abbatis sævities, è propriis sedibus palabundi discedere coacti sunt Monachi: donec abjecto tandem Ratgario Eigili Abbati piissimo regimen com-

Causa 1 lapsus.

Lege Vitam S. Eigilis Abb. hic, & Elogium Rabani in tomo seq.

missum est. Ejusmodi Rectores, qui duras & serviles operas à Fratribus exigebant, *Abbates sæculares* vocat Hildemarus in Regulæ caput 48. alios qui mitiùs cum illis agebant, *Abbates spiritales*.

139. Neque verò solùm in Monasterio Fuldensi, sed etiam in aliis grassatum est hoc malum. Adeo ut Abbates quidam, quorum judicio Regula culparum remedia credit ac pœnas; errata Monachorum suorum punirent orbatione oculorum, ac membrorum mutilatione. Unde Carolus Magnus in Capitulari anni DCC LXXXIX, pro Monachis edito, præcipit cap. 16, *ut disciplina Monachis regularis imponatur, non sæcularis: id est, non orbentur, nec mancationes alias habeant, nisi ex auctoritate Regulæ.* Idem Patres Concilii Francofurtensis anno DCC XCIV statuunt cap. 18. *Abbates, quâlibet culpâ à Monachis commissâ, nequaquam permittimus cæcare, aut membrorum debilitatem ingerere, nisi regulari disciplinæ subjaceant.* Ex quibus intelligitur, malum hoc latius serpere cœpisse principatu Caroli Magni. Quapropter Fuldenses Monachi in libello supplici jam dicto contestantur, se præ omnibus optare, ut non solùm *unitatem & concordiam* habeant cum Abbate suo: sed *& misericordiam & familiaritatem, pietatem, & modestiam in illo sentiant.* denique ut *quando aliquis de Fratribus praeoccupatus fuerit in aliquo delicto, non statim tyrannicâ vindictâ excruciet Abbas; sed misericordi disciplina corrigere festinet, conversumque clementer excipiat, nec prava suspicione denuo illum fatiget, vel odio.* Talem pro voto suo experti sunt ipsi Eigilem Abbatem, Ratgarii successorem, cujus in diebus *Fratribus pax, cor unum & anima una in Deo fuit*, referente Candido ejus discipulo: adeo *ut numquam illi congregatio, nec ille congregationi Monachorum, ullam molestiam perturbationis intulerit.* Tales etiam experti sunt Corbeienses Adalhardum (ut de aliis infinitis sileam) & Walam Abbates præstantissimos: quibus natalium splendor uberiorem modestiæ materiam suppeditavit, non superbiendi, dominandive (ut fit) aut durè agendi libidinem auxit.

Causa 2. 140. Ex adverso quorumdam Abbatum nimiâ indulgentiâ & facilitate pessum abiit regularis disciplina, dum illi non quos & quales, sed quot haberent Monachos, curabant: nec eos spiritalibus, sed aliis quibuscumque inferioribus studiis imbuere satagebant. Istud erratum Carolus Magnus in brevi Capitularium edito anno imperii XI universim reprehendit cap. 11, his verbis: *Quam utilitatem conferat Ecclesiæ Christi, quòd is qui pastor vel magister nec cujuscumque venerabilis loci esse debet, magis studet in sua conversatione habere multos, quàm bonos: & non tantùm probis, quàm multitudine hominum delectatur: plus studet, ut suus Clericus, vel Mona-*

chus bene cantet & legat, quàm justè & beatè vivat. Tum subdit. *Quamquam non solùm minimè in Ecclesia contemnenda sit cantandi vel legendi disciplina, sed etiam omnimodis exercenda. Sed si utrumque cuilibet venerabili loco accedere non potest; tolerabilius tamen ferenda nobis videtur imperfectio cantandi, quàm vivendi.* Ita piissimus Imperator. Hinc statuit in Capitulari Aquisgranensi anni DCCLXXXIX, *ut ad Monasteria venientes, secundùm regularem ordinem primò in Pulsatorio*, seu domo Novitiorum, qui Pulsantes dicti, *probentur, & sic recipiantur.* Senserant malum illud Fuldenses Monachi, qui in libello supplici ad eumdem Augustum deprecantur, *ut nullus ante probationem suscipiatur, neque corpori Monasterii societur: ne fortè aliquis magis propter commoda terrena, quàm propter æternæ vitæ amorem se Monasterio sociare voluerit; & receptus inhonesto suo more conturbet Fratres.* Huc spectat caput 16 Francofurtensis Concilii, *præmia pro introeuntibus in Monasterium requiri* prohibentis.

141. Alia labefactatæ disciplinæ causa ex nimia ædificiorum magnificentia orta est: quam eodem loco idem Imperator notat his verbis. *Et quamvis bonum sit, ut Ecclesiæ publica sint ædificia; præferendus tamen est ædificiis bonorum morum ornatus & culmen. quia, in quantum nobis videtur, structio basilicarum veteris legis quamdam trahit consuetudinem: morum autem emendatio propriè ad novum Testamentum & Christianam pertinet disciplinam.* Hac de re Fuldenses Monachi apud eumdem Imperatorem in libello jam dicto expostulant, supplicantes, *ut ædificia immensa atque superflua, & cetera inutilia opera omittantur, quibus Fratres ultra modum fatigantur, & familiæ foris dispereunt: sed omnia juxta mensuram & discretionem fiant.* Lectu dignum est exemplum Wlstani Episcopi Wigorniensis, qui referente Willelmo Malmesburiensi, *cum Monasterii Wigorniensis novam ecclesiam perfecisset, & veterem ecclesiam, quam S. Oswaldus construxerat, subrui videret; lacrymas fundendo dixisse fertur: Nos miseri Sanctorum opera destruimus, ut nobis laudem comparemus. Non noverat illa felicium virorum ætas pompaticas ædes construere: sed sub qualicumque tecto seipsos Deo immolare, subjectosque ad exemplum attrahere. Nos è contra nitimur, ut animarum negligentes curam, accumulemus lapides.* Hæc verò censura minimè cadit in eos, qui non modò regularem disciplinam in Cœnobiis pæne emortuam denuo excitant, sed & collapsa instaurant ædificia, veteresque parietinas farciunt: quatenus solida atque æternum (si fieri possit) duratura pietati domicilia, & congruas locorum dignitati ac celebritati ædes restituant. Neque enim decorum fuerit, basilicis augustissimis, quas Regum, aliorumque Fidelium pietas pro Monachis erexit, circumponere humiles ac rudes casas. Quamquam ab his etiam locis longè abesse debet vana & inanis or- Causa 3.

namentorum ostentatio, quæ insanos sumtus in speciosa, superfluaque ædificia profligat. Lege Petri Damiani epistolam 2 lib. 8.

Causa 4. 142. Monachis & Abbatibus nonnullis communis fuit morbus, habendi cupiditas, non extremum vitæ monasticæ venenum. Id maximè discipulis suis præcavebant Adalhardus & Wala Corbeienses Abbates, testante Paschasio Radberto in lib. 1 de Walæ gestis cap. 18. *Ad hoc quippe*, inquit, *duo isti eximii fundamenta in gentibus ad boream civitatis cum ponerent unà cum turribus & propugnaculis suis, tria ista omnino monebant: ne rebus multum ditescere gauderent, neque divitias sæculi appeterent, ita ut in eis cor apponerent: sed omnino delicias & voluptates, acsi venena fugerent. Ad ultimum, ne ullis, acsi pro religione, honoribus & fastu delectarentur superbia: ne fortè ex toto fatescerent, & in vacuum deperirent, sicut in Galliis*, inquit, *multas deperisse à religione ecclesias bene olim fundatas cernimus. Quapropter isti multis jam edocti exemplis, suos præmonebant filios, ne rebus affluerent humanis, pro quibus sæculo deservirent: sed ut essent pauperes spiritu, humiles & mansueti, mites ac misericordes; & justitiam semper in omnibus esurientes: quatinus de illis omnes bene vellent propter munditiam cordis eorum, bene optarent; ne propter invidiam rerum & felicitatem eis inviderent, & opprimerent eos sæculi servitute.* Lege sequentia apud eumdem auctorem. Cupiditati affinis est alia labes, nempe retinendæ rei familiaris nimia sollicitudo, & litigandi misera conditio, quæ sanctissimas quasque Christianæ pietatis leges corrumpit, servos Dei à sæculi rebus abstractos revocat ad forenses tumultus, immo etiam aliquando loca sacra in forum convertit. Hanc pestem, veluti monasticæ religioni penitus exitialem, meritò damnant Congregationis nostræ Præfecti; eamque, quantum in se est, funditus exstinguere conantur. Sed eo evasit sæculi iniquitas, ut Monachis, aut bonis omnibus cedendum sit, aut subeunda litigandi necessitas. Hanc porro necessitatem si in gravioribus causis admittere licet, certè pro levi detrimento non licet. Qui secus sentiunt, quantum ab Evangelii sensu absint, nondum satis intelligunt.

Causa 5. 143. Ex cupiditate oriri solet, non copia, sed inopia, aliud grande malum, quod ruinæ Monasteriorum ultimam manum imposuit. Exsulare quippe debet à Monachis rerum cupiditas; sed non possessio ipsa, quæ Deo vacantibus necessaria est. At mira Dei providentia contingit, ut quo quis plus cupit, eo magis inops fiat; & si quidem divitiis affluit, ab aliis spolietur, dum cupiditas omnium invidentiam ad se trahit, ut superiùs ex Paschasio observabam. Et inopia quidem, si modò summa non est,

virtuti

virtuti materiam subministrat hominibus temperantiæ Christianæ amantibus: *& ubi caritas est, etiam exigua sufficiunt*, inquit Ardo in Vita Benedicti Anianæ Abbatis. At verò è contrario cupidos & avaros ad extremas angustias rerum tenuitas redigit, eaque ad omnia flagitia sternit viam. Quanta mala pepererit ætate Caroli Calvi indigentia Monasteriorum, in primis Patres Concilii Vernensis anno DCCC XLIV celebrati docent nos cap. 3. *In locis sanctis, hoc est Monasteriis, alios studio, nonnullos desidia, multos necessitate victus & vestimenti à sua professione deviare comperimus.* Et miserandis vocibus id ampliùs exponunt cap. 12. *Veniemus nunc ad ultimam partem admonitionis nostræ, quam qua intentione fundimus, dederit Deus, ut vos, ac Proceres, cæterique fideles, ea devotione suscipiatis. Videmus enim iram Dei nobis & vobis imminere, cùm pro rapinis & immanibus aliis sceleribus; tum etiam maximè, quòd Ecclesiæ facultates, quas Reges & reliqui Christiani Deo voverunt ad alimentum servorum Dei & pauperum, ad exceptionem hospitum, redemtionem captivorum, atque templorum Dei instaurationem; nunc in usu sæcularium detinentur. Hinc multi servi Dei penuriam cibi & potus, ac vestimentorum patiuntur; pauperes consuetam eleemosynam non accipiunt; negliguntur hospites, fraudantur captivi; & fama omnium meritò laceratur. Et quidem si hæc à paganis pateretur Ecclesia, patientiam flagitaret. Nunc autem oppressi à filiis nostris, hoc est ab his, quos vel nos, vel decessores nostri in Christo genuimus, Christianos eos nostro ministerio facientes, nullam patientiæ consolationem recipimus: quoniam de illorum interitu formidamus.* Hæc & alia plura Episcopi in ea Synodo congregati non magis patheticè, quàm piè, ad Carolum Calvum. Cùm verò quidam ad detrahendas Monasteriis, aliisque ecclesiis facultates egregio prætextu uterentur, quòd scilicet divitiæ venenum essent Ecclesiæ; ad hoc speciosum argumentum respondent Patres Concilii sexti Parisiensis in lib. 1 cap. 18. *Convenit Pastoribus ecclesiarum res Ecclesiæ possidere, non ab his possideri; &, ut Prosper * scribit, eas possidendo debent contemnere, & non sibi, sed aliis possidere. Constat autem sanctissimos Pontifices, qui cum Christo remuneratore suo regnant, quorum nos indigni locum tenemus; res Ecclesiæ, non sibi, sed aliis possedisse; & non ad suam gloriam & delectationem, sed potiùs ad Dei honorem & fidelium commoditatem eos his usos fuisse.·. Cesset ergo ambitio quæ dicere solet, nimis rerum habere ecclesias Christi: & perpendat, quia quantæcumque sunt res Ecclesiæ, si eo modo quo dispensandæ sunt, dispensentur, nimiæ non sunt. Cupiditas quippe, immo negligentia quorumdam dispensatorum, non Ecclesiæ amplæ res, in vitio sunt. Mira namque res, ambitio mundialis satis non habet, & Ecclesia Christi nimium habet.* Certè multas opes olim possedit Ordo S. Benedicti in nonnullis

Ardo num. 43.

* *immo Julian. Pomerius lib. 2 de vita contempl. c. 9.*

Monasteriis : sed iis etiam rectè usi sunt majores nostri. In Cœnobio Cluniacensi una die septemdecim millia pauperum congrua stipe donati sunt, ut legitur apud Udalricum. Denique quot & quanta mala eidem Ordini attulerit direptio rei familiaris, testantur omnes eorum temporum auctores, Letaldus Monachus de Cœnobio Mitiacensi, Chronographus Anonymus de Fontanellensi, Ingulfus Abbas de Crulandensi, & Johannes Monachus de toto Ordine S. Benedicti initio lib. 3 de vita S. Odonis Cluniacensis. Hinc intelligitur, quàm verum sit id quod Concilium Aquisgranense sub Ludovico Pio scriptum reliquit cap. 115. *Monachis, quia nihil sibi proprium reliquerunt, manifestum est illos copiosioribus Ecclesiæ sumtibus, quàm Canonicis, qui suis & Ecclesiæ utuntur rebus, indigere.*

Vdalric. lib. 3. consuet. Clun. c. 11.

Causa 5. 144. Hæc inopia procedit quidem ex sæcularium rapacitate tamquam ab extraneo principio : at varias subinde à Monachis ipsis etiam causas habet, quales sunt incuria sui status, negligentia Regulæ ac monasticæ disciplinæ : qua semel violata, necesse est temporales quoque facultates pessum ire. Hinc rectè Hildebertus Cenomannensis Episcopus in epistola 38 ad Ecolismensem Antistitem. *Inter tot sacræ professionis injurias, hoc etiam præjudicio respublica premitur, ut quia Monachi ab infestatione Ordinis non abstinent; ab infestatione Monachorum sæculares minimè abstineant. Res sanctuarii rapinis expositæ, dispositæ flagitiis, exteriùs violentiâ, vinolentiâ & petulantiâ interiùs atteruntur.* Ætate Caroli Magni in Ordine nostro etiam locum habuit hæc labes, dum essent Monachi complures, qui, referente Ardone, sic disciplinam regularem abjecerant, ut Regulæ præcepta penitus ignorarent; & status sui immemores, Monachos abnegarent se se, Canonicos profiterentur. Hæ ferè causæ sunt corruptæ per id tempus disciplinæ regularis : nunc de malorum remediis agendum.

§. VII.

Remedia his malis adhibita.

Benedictus remediorum præcipuus auctor. 145. IN remediis primum locum tenet peritus medicus, qui morbos pro suo cujusque genere peritè tractare ac curare feliciter valeat. Regulari Ordinis S. Benedicti disciplinæ jam labenti & ad defectum vergenti alterum Benedictum Deus opt. max. providit : ut sicut per magnum Benedictum hæc sancta institutio acceperat exordium ; ita ab æquivoco restitueretur. Hinc Benedictum Anianensem Abbatem, tanti operis administrum, Theodulfus Aurelianensis Episcopus, cum S. Patre

Benedicto conferre non dubitavit in carmine 6 libri 2.

Quod fuit Ausoniis BENEDICTUS *rector in arvis*,
Hoc modo tu in nostris es, BENEDICTE, *locis*.

Quia verò tantæ molis opus per unum hominem perfici non poterat; adjutores accessere in primis Carolus Magnus & Ludovicus Pius, qui regia auctoritate pios optimi viri conatus juvare non destiterunt. Accepta siquidem ab eis potestate Benedictus lustravit Galliæ Monasteria, morum excussit errata, eisque remedia opportuna adhibuit. Huc varia pro Monachis condita capitularia, indictæ variis in locis Synodi, in quibus sancita sunt salubria reipublicæ monasticæ decreta, maximè in Synodo Aquisgranensi anni DCCCXVII, quæ magno operi supremam imposuit manum. In ea Synodo condita sunt capitula LXXII. Tot enim enumerat Leo Marsicanus in Chronici Casinensis lib. 1 cap. 16, & Chronographus Monasterii S. Vincentii ad Wlturnum; tametsi variat numerus in libris editis & mss. ob varias capitulorum divisiones. Omnia verò istius Synodi decreta in articulos triginta & unum redegerunt, & ad S. Galli Monasterium direxerunt Grimaldus & Tatto Monachi: quos articulos in Appendice nostra legere licet. Porro his Synodi capitulis quædam adjecit Benedictus, maximè pro officio divino, ut scribit Ardo in ipsius Vita. Jam totius negotii œconomiam inspiciamus. Synodus Aquisgranensis ob id habita.

146. In primis visum est operæ pretium quoddam Congregationis corpus constituere, & omnia Monasteria conformare ad æqualem quamdam vitæ rationem: ut Monachi ejusdem professionis iisdem ritibus addicti, mutuis se se exemplis ad regularem disciplinam accenderent. Ejus rei cura præcipuè Benedicto demandata est: cujus opera, teste Ardone, *cuncta Monasteria ita ad formam unitatis redacta sunt, acsi ab uno magistro, & in uno imbuerentur loco. Uniformis* quippe *mensura in potu, in cibo, in vigiliis, in modulationibus cunctis observanda est tradita.* Insigne istius præclaræ institutionis specimen nobis exhibet epistola * quorumdam Augiensium Monachorum, qui in Galliam explorandæ gratiâ regularis disciplinæ ab suis missi, eam duodecim capitulis comprehenderunt. Hæc verò capitula, quorum primam editionem cum aliis multis eruditissimo Baluzio acceptam referre debemus, condita videntur ante Synodum Aquisgranensem, quæ ritus in Anianensi Monasterio, aliisque per Benedictum ordinatis institutos comprobavit, & ubique observari præcepit. *Ardo num. 52.* Decretum pro uniformi vita. * *exstat in Appendice nostra.*

Hæc prima fuit species Congregationis sub Regula sancti Benedicti. Nam cùm omnia Galliæ Monasteria ab se

se invicem antea separata fuissent, nulli generali Præfecto subjecta; omnia tum primùm ad formam quamdam unionis coaluere, & unius Benedicti regimini, correctioni, & emendationi subesse cœperunt. Verùm rudis hæc fuit Congregationis forma. Nam mortuo Benedicto, de successore, qui totius corporis pondus humeris exciperet, provisum non est: sicque contigit, ut eo cadente unumquodque Monasterium pedetentim ad varios pro libito ritus moresque denuo abierit, maximè accedente Normannorum tempestate. In Casinensi tamen Cœnobio, quod etiam de aliis nonnullis sentire par est, Aquisgranensis Concilii capitula eadem fere religione, qua S. Benedicti Regula, observata sunt usque ad tempus Leonis Marsicani, cujus relatu id discimus.

Chron. Casin. lib 1 c. 16.

Regulæ lectio inculcata.

147. Constituto corpore, prima Patrum agitatio fuit de Regulæ frequenti lectione ac meditatione: qua de re prima condidere capitula, rati, ut reipublicæ monasticæ salutem ex Regulæ observatione; sic ejusdem observationem ex meditatione pendere.

Officium divinum ut ordinatum.

148 Deinde capite 3 actum est de Officio divino, statutumque, *ut Officium quod in Regula S. Benedicti continetur, celebrent Monachi.* Et tamen Ardo tradit Benedictum sanciviſſe, ut diurna officia juxta Romanum morem Psalmo CXVIII persolverentur, non secundùm Regulæ præscriptum. tametsi Benedictus quotidie præter *cursum*, id est sollemnes ritûs Romani preces, quas Horas diurnas vocant, *regulare* explebat *officium.* quod de Regulæ psalmodia interpretor. Certè ante prædictam Synodum lectiones tres in matutinis vigiliis canebant Casinenses, testante Theodemaro Abbate in epistola ad Carolum, *ne à sancta Romana Ecclesia recedere viderentur.* Et Carolus Magnus in Capitularis Aquisgranensis cap. 80 statuerat, *ut Monachi cantum Romanum pleniter & ordinabiliter per nocturnale vel gradale officium peragerent*, uti genitor ejus Pippinus fieri præceperat. quod tamen de solo cantu, non de Psalmorum numero ac serie intelligendum. Anno siquidem DCCCII in Synodo Aquisgranensi statutum est, *ut in Monasteriis Regulam S. Benedicti servantibus* (nam & Canonicorum Monasteria erant) *Officium S. Benedicti facerent, sicut Regula docet*, ex Chronico Moisacensi Et tamen Walafridus Strabus in lib. de rebus ecclesiasticis cap. 25 conqueritur, quòd suo tempore Monachi à ritu psalmodiæ S. Benedicti recessissent. Quod de paucis tantùm, non de universis Cœnobiis interpretandum esse constat ex Amalario ejus temporis auctore, qui Monachorum divina officia à clericalibus diversa tum fuisse testatur in Supplemento libri 4 de Officiis divinis, quod Supplemen-

tum in tomo 2 Analectorum à me editum est.

149. Abbatum nimia severitas in Monachos repressa est edito decreto, ut quibusque necessaria suppeditarent, maximè infirmis: & ut ne mensam alibi, quàm in communi refectorio; lectum non nisi in dormitorio haberent; contentique essent Fratrum regulari mensura in victu ac vestitu. Ad hæc multa pro Monachis capitula edita sunt, tum ad rite probandos Novitios; tum ad restituendum laborem, qui corpore exercetur; tum ad reformandam vestimentorum mensuram, formamque; tum ad præscribendam victus rationem sanis & infirmis. Statuta pro Abbatibus.

150. Ut incautæ Novitiorum susceptioni provideretur, statutum est cap. 34, *ut Novitio non facilis in Monasterio tribuatur ingressus; & ut in cella hospitum, probationis causâ, hospitibus serviat paucis diebus. Res verò si quas habet, parentibus suis commendet. Expleto autem probationis suæ anno; secundùm quod Regula præcipit, inde faciat. Ipse verò nec tondeatur, nec vestimenta pristina immutet, priusquàm obedientiam promittat.* Hæc paucis explicanda ex Hildemaro, Regulæ nostræ commentatore perantiquo. Primùm vitæ monasticæ candidatus ad portam Monasterii exteriorem, id est in cella ibidem pro ejusmodi candidatis instructa, morabatur *per quinque dies.* Deinde probatâ ejus constantiâ, admittebatur in cellam hospitum *adhuc laïcus*: ibique committebatur hospitii custodi, cujus jussis obtemperabat, discalceando hospites, focum instruendo ac lectos, aliaque id genus præstando, quibus explorarentur ejus mores. Tum post exactos in hospitio menses duos, ei Regula prælegebatur *sub duobus vel tribus diebus*: postea verò si ad eam servandam se parem esse testabatur, tunc indutus *suis bonis vestimentis*, id est *lorica, scuto, lancea, spatha, & balteo*, in capitulum adducebatur. Post exhortatorium Abbatis sermonem, si sæculo nuntium remittere pergebat; acceptis rursus induciis, denuo in capitulum accedebat eodem ritu: & ibi coram Fratribus, aut *balteum & armillas, aut spatham solummodo deponebat.* Jam si ad sæculum reverti pernegabat; tunc ibidem *omnibus vestimentis suis* abjectis *radebatur*, & *aliis vestibus, id est clericalibus suis, induebatur.* Postmodum in cellam Novitiorum perductus, reliquum ibi probationis tempus exigebat. Et siquidem in proposito perdurabat suo, sollemnem professionem emittebat post decem menses: sin verò, *liber discedebat à professione monachica*, non à clericali: propterea quòd Nicæni Concilii cap. 12 sancitum erat, ut iis qui *vocati per gratiam semel militiæ cingulum deposuissent*, ad sæculum reverti nequaquam integrum esset. Alium ritum observabant nonnulli, qui non nisi post annum probationis exactum, arma vestesque sæculares deponebant: ut scilicet hoc pacto, si ad sæ- pro Novitiis.

culum ante professionem reverti vellent; non constringerentur pœnâ Nicæni Concilii, quod decem pænitentiæ annos iis, qui militiæ cingulum resumsissent, imposuit. Et ad hos quidem magis accedere videtur prædictum Synodi Aquisgranensis decretum, cui illustrando superiora ex Hildemaro adducere visum est operæ pretium. Tandem hunc decreti Aquisgranensis ritum abrogavit Congregatio Cluniacensis, quæ Novitio tonsuram, aliasque monasticas vestes exceptâ cucullâ impertiit, ut tradit Udalricus in Consuetudinum Cluniacensium lib. 2 capitibus 1 & 2.

151. Insuper sanis & infirmis dicta Synodus eam præscribit victûs rationem, ut his carnium usus concessus sit, illis negatus etiam volatilium esus, præterquàm certis Natalis Domini & Paschæ diebus, quibus volatilia permissa sunt. Pinguedinem extra Quinquagesimam ante Pascha, octo dies ante Adventum, & quaslibet ferias sextas adhibere ad condienda pulmenta concessum est. Hujus indulgentiæ rationem affert fragmentum historicum de Concilio Aquisgranensi à me vulgatum in veterum Analectorum tomo I. *Et quia oleum olivarum non habent Franci, voluerunt Episcopi ut oleo lardivo utantur.* Eamdem rationem tradunt scriptor vitæ S. Meinwerci Paderbornensis Episcopi, & Ordericus Vitalis. Addit idem fragmentum statuisse Episcopos, concordante domino Papa, *ut Monachi à gravi opere & labore propter honestatem sacerdotii cessent; & loco laboris ad horas psalmos quosdam nominatos pro vivis & defunctis fidelibus cantent cum orationibus ordinatis.* Quod ita intelligendum, ut aliquantum remissi sint corporales labores, scilicet graviores; non penitus abrogati, immo præscripti variis istius Synodi decretis, quorum auctores fuere, non Episcopi, sed Abbates cum Monachis. Denique in eadem Synodo panis libra *triginta solidis per duodecim denarios* definita: hemina vini concessa; & loco heminæ vini, de cervisia mensura duplex.

de ratione victus.

de pinguedine.

Order. in Hist. lib. 8 pag. 712.

152. Multos torsit hic locus de libra panis, quam Patres sic statuunt cap. 57, *ut libra panis triginta solidis per duodecim denarios metiatur:* & quidem *antequam coquatur*, ut capituli præfert inscriptio. Adelardus Gazæus in Notis ad Cassianum id de pretio panis interpretatur, eique suffragatur Dadinus Altecerra. Haëftenus verò de pondere quatuor librarum. Illic panis enorme pretium, hîc enormis mensura. Difficultatem declinasse videtur Menardus noster in Concordia Regularum. Primus (ni fallor) ex recentioribus propiùs ad rei nodum accessit Antonius Yepezius in Notis ad Concilium Aquisgranense, quas tomo 3 Chronici Benedictini adjecit. Censuit quippe vir doctus eam legem de pondere libræ editam more Francorum, qui libram numericam vi-

de libra panis.

Gazæus in Cass. lib. 5. c. 5. Dadin. Ascet. l. 5. Haëften. lib. 10. tract. 4. Disq. 2.

ginti solidis computare solent, solidum verò duodecim denariis: quem eumdem computandi morem in ponderibus etiam olim adhibuerint. Ex qua observatione divinavit, libram crudi panis à Synodo designatam constitisse librâ sesquimediâ, ut coctus panis constaret librâ unâ Parisino more, quæ pro una libra viginti quinque solidos exigit: & hanc demum esse libram, quam S. Benedictus *propensam* vocat. Ycpezio suffragatur Petrus Boërius in secundo Regulæ commentario, his verbis: *Libra denariorum ideo libra dicitur, quia tantum ponderare solebat.* At locum hunc egregiè illustrat libellus de hemina vini & libra panis Benedictina anno M DC LXVII Gallicè Parisiis editus, cujus auctor, vir eruditus, postquam de Ordine S. Benedicti bene meruit studio atque operâ suâ, nunc in eodem Ordine ipse meretur sub severa ejusdem Regulæ disciplina. Is in libello suo ex vetustis Fran- *num.* XXV. corum legibus observat, vigesimam partem unciæ denarium " esse, duodecim verò solidos assem efficere. adeo ut tres unciæ " quinque asses, & duodecim unciæ libram viginti solidorum con- " stituant: solidum verò denarii duodecim. Certè in lib. 3 Capi- " tularium cap. 14 editionis Baluzianæ, ab homine qui habuerit trium dumtaxat librarum pretium, pro heribanno *solidi triginta* exiguntur, *id est libra & dimidia.* Hanc verò interpretationem adhibuisse videtur Ansegisus. nam in secundo Capitulari anni DCCC V, ex cujus capite 19 præmissa verba ab Ansegiso desumta sunt, non reperitur ista commentatio. Itaque cùm Patres Synodi Aquisgranensis libram panis ante coctionem triginta solidis per duodecim denarios constantem adsignant; octodecim uncias crudi panis concedunt, fere quatuordecim, aut sexdecim cocti; quatuordecim quidem, si primarius ac levior esset panis; sexdecim verò, si secundarius. Eodem fert antiquus Regulæ commentator Hildemarus, qui in Regulæ cap. 30, ubi de puerorum cibo agit, *Libra*, inquit, *viginti duos solidos habet, quando crudus est panis: ut cùm coctus fuerit, habeat solùm viginti.* Rectè quidem de libra communi, secus de Benedictina, quæ *propensa* esse debet. Quamquam veteres quique Regulæ commentatores ita vocem *propensam* exponunt, ut perinde sonet, ac *præponderata*, apud Hildemarum, & Bernardum Casinensem ac Boërium: seu *antè pensata*, apud Smaragdum. At magis nativa est prior expositio. Eumdem fere expendendæ libræ modum olim adhibebant Hispani, testante Eldefonso Episcopo in libello de forma & pondere hostiarum, condito ante annos octingentos, cujus Auctoris verba huc adscribo. *Trecenti nummi antiquam per viginti & quinque solidos efficiunt libram; & duodecim tales libræ, quæ fiunt per tria millia sexcentos nummos, sextarium tritici efficiunt unum, ex quo*

ſeptem panes formari poſſunt, de quibus per totam hebdomadam homo vivere unus poteſt, aut ſeptem in una die. Ex quibus verbis intelligitur, Hiſpanorum libram aut tantiſper graviorem tum fuiſſe Gallicana, aut ſolidos leviores. Porro hic libellus ad calcem Diſſertationis de Azymo à me editus eſt ex Bibliothecæ Vaticanæ codice mſ. cujus ſimile exemplum recens noſter Claudius Stephanotius reperit in Bibliotheca eccleſiæ Anicienſis, ab annis fere ſeptingentis exaratum. Alio modo panis libram expendit Petrus Damiani, apud quem *libra panis tria ova anſerum penſat.*

Petrus Dam. Opuſc. 15 c. 7.

Judicium de libra Theodemari.

153. Ad hanc libræ noſtræ conſiderationem pertinet oratio de quibuſdam libræ Benedictinæ ponderibus, quę nonnulli tamquam enormia, & à Regulæ Benedictinæ modo prorſus aliena ſuppoſiticiorum loco habent. Primum eſt pondus, quod Theodemarus Caſinenſis Abbas in epiſtola ad Carolum Magnum deſignat his verbis. *Direximus quoque pondus quatuor librarum, ad cujus æqualitatem ponderis panis debeat fieri, qui in quaternas quadras ſingularum librarum, juxta ſacræ textum Regulæ, poſſit dividi. quod pondus, ſicut ab ipſo Patre eſt inſtitutum, in hoc eſt loco repertum.* Ad quem locum Haëftenus: *Ex hoc fortaſſis capite, ait, ſuſpicatur eruditiſſimus Menardus, epiſtolam hanc non eſſe Theodemari. Si enim pondus libræ, ut in ſuis Declarationibus aiunt Caſinenſes, fit unciarum triginta trium & ſemis, eaque menſura nonnullis enormis videatur; quid dicendum de hac Theodemari quatuor librarum ſive unciarum* XLVIII, *ita ut triginta duæ prandio, cœnæ verò ſexdecim deputentur? Voluit enim S. Benedictus tertiam partem reſervari cœnaturis.* Attamen Angelo de Nuce in Notis ad Chronicon Caſinenſe, enormis non videtur hæc menſura, *propter varias complexiones, agrorum labores, & opſoniorum parcitatem.* Sed has rationes nihili facit Carolus Cointius in Annalium tom. 6, ubi hanc Theodemari epiſtolam vel hoc nomine ſuppoſiticiam exiſtimat, quòd tantam panis menſuram ſingulis Monachis indulget. Et ego quidem uti genuinam non facilè approbarem, ſi eſſet hujus loci iſta ſententia. Verùm Theodemari verba non ita accipienda ſunt, quaſi pondus quatuor librarum Monachis per capita concedat: ſed ut adſignet *pondus quatuor librarum, ad cujus æqualitatem ponderis panis debeat fieri, qui in quaternas quadras ſingularum librarum* totidem Monachis poſſit dividi. Quia enim in tanto Monachorum numero, quem unumquodque Cœnobium olim capiebat, difficile fuiſſet ſingulos panes in ſolidum pro ſingulis Monachis conficere & coquere; ea demum compendioſa ratio inventa eſt, ut majores panes, ſinguli quatuor librarum, fierent, *qui in quaternas quadras ſingularum librarum* pro totidem Monachis dividi poſſent. Atque ut id expeditius fieret, crudi panes cruce per medium ſignabantur.

Vide ſuprà num. 96.

tur, ut cocti in quadras æquales nullo negotio scinderentur. Athenæus ex Philemone tradit, *Blomilios panes dici, incisuris divisos, quos quadratos appellant Romani.* Ejus rei præclarum suppeditat argumentum Gregorius Magnus in lib. 1 Dialogorum cap. 11, de Martyrio Monacho ita scribens. *Dum quadam die fratres illius panem subcinericium fecissent, eique obliti essent crucis signum imprimere, sicut in hac provincia crudi panes ligno signari solent, ut per quadras quatuor partiti videantur, &c.* Eodem spectat libellus de vita S. Severi Abbatis Agathensis, in qua Bæticus Antistes unum paximatium panem famulo Christi direxisse de more dicitur, *in quo crux Dominica videbatur impressa* Nihil his locis luculentius afferri potest ad illustrandam, probandamque Theodemari epistolam. Moris erat apud Italos, teste Gregorio, ut crudi panes ligno signarentur in modum crucis, ut per quadras quatuor facilè dividi possent. Eumdem præscribit Theodemarus, adsignando *pondus quatuor librarum, ad cujus æqualitatem ponderis panis debeat fieri, qui in quaternas quadras singularum librarum possit dividi* quatuor Monachis; idque *juxta sacræ textum Regulæ*, quæ singulas libras singulis Monachis tribuit. Non ergo enormis videri debet Theodemari mensura, sed penitus ad Regulæ præscriptum concinnata.

Athenæus lib. 3. pag. 86.

Sæcul. 2. Bened. pag. 566.

154. Aliam rationem iniêre nonnulli, qui integros panes, non per quatuor libras partiebantur, sed per duas, ut panis in medio divisus duobus Monachis sufficeret. Apud Casinenses servatur pondus triginta trium unciarum cum dimidia. Consimile olim exstabat in Cœnobio Fossatensi, teste Jacobo Brolio: aliud item in Suessionensi S. Medardi ejusdem ponderis, exceptâ unciâ dimidiâ. Ad hæc accedit *mensura panis S. Crucis Burdegalensis* ex ære Cyprio, quam Menardus noster ait esse octo & viginti unciarum. Qui his mensuris utebantur, duas totidem Monachorum portiones conferebant in unum panem, qui per medium divisus, duas libras propensas efficeret, singulas quidem sexdecim unciarum secundùm Casinenses, Fossatenses, & Sancti-Medardenses: at secundùm Burdegalenses sanctæ Crucis quatuordecim unciarum. Hac ratione superiora pondera legitima esse ostendit noster Jacobus Clericus, in rebus Mathematicis & Musicis peritissimus, in libello inedito de Hemina Benedictina. Huc probatione opus ad faciendam fidem. Eam dividendi in duos Monachos integri panis consuetudinem approbat Regula Magistri in cap. 26. *Medius panis*, inquit, *pensans libram unam, singulis Fratribus in die sufficiat.* Ergo ex Regula Magistri, quæ ferè tota ex Benedictina desumta est, duabus libris constabat solidus panis: cujus medietas *pensans libram unam*, uni Fratri

item de Casinensi, Fossatensi, &c.

competebat. Translatus verò est mos iste etiam ad Benedictinos, probante Smaragdo in Regulæ caput 39, ubi Magistri auctoritatem præmissam adducit. Nemo igitur ambigere debet, quin legitima sint pondera, de quibus hîc agimus, ad conficiendos scilicet singulos binarum librarum panes: qui per medium divisi, duobus Monachis ad præscriptum Regulæ distribuerentur. Antequam hinc discedo, expendere juvat, quod Gallicus Dissertator de pondere libræ Fossatensi, aliisque similibus contra Brolium scribit. Inde quippe Fossatensis ponderis falsitatem satis arguisse sibi visus est, quòd nullus scriptor ejusmodi ponderis auctoritatem adduxerit in medium. Immo verò eam adduxit Petrus Boërius seu Boërii, tum Abbas Monasterii S. Aniani * Tomerarium, dein Urbevetanus Episcopus, qui in prima ex duabus Regulæ expositionibus, provinciali Capitulo nigrorum Monachorum nuncupata, prædictum pondus se vidisse ac tenuisse affirmat. En ejus verba in Regulæ cap. 39. *Monachi verò Monasterii S. Mauri apud Galliam habent primum pondus panis & mensuram vini, quæ (prout habet scriptura ejusdem Monasterii & vulgaris assertio) idem Sanctus jussu B. Benedicti unà cum Regula attulit: quæ, prout notatur, vidi & tenui, & in tantum consimilia exportam * in sacrario reverenter conservant. Verumtamen pondus panis duas libras quintales excedit. quod forsan non est multum pro die homini plura alia fercula delicata non habenti, & operibus manuum regulariter insistenti.* Hoc itaque pondus, quod in S. Mauri Cœnobio Petrus Boërius olim vidit, ibidem adservari potuit usque ad tempus Brolii, qui illud ipsum eo in loco vidit & contrectavit.

num. xl.

* S. Chignan

*l. & iis tantum consimilibus expertis

155. Quærat aliquis an ponderandi panis exemplar, quod S. Benedictus Casini reliquit, fuerit quatuor, ut illud Theodemari; an duarum librarum, uti recentius exemplum Casinense? Ego quidem existimo unius fuisse libræ, uti colligo ex Bernardi Casinensis commentario in Regulæ caput 39. *Libra propensa*, inquit, *appellatur præponderata & ad pondus mensurata*. Pondus autem illud quod instituit B. BENEDICTUS, *usque hodie in Casinensi Monasterio reservatur, &c.* Erat ergo pondus istud unius libræ. quod amplius declarant sequentia Bernardi verba, quibus explicans modum reservandæ tertiæ partis libræ cænaturis, hæc habet: *Hoc usque ad tempus meum fuit observatum, quòd quædam distinctio fiebat in tertia parte panis, ut non essent duo, vel tres panes, sed unus. Sed ego videns hoc non multum esse decens, libram massæ farinæ in tres partes divisi, ut tertia pars libræ possit, non in pane fracto, sed in integro reservari.* Ex quibus intelligitur, panes integros pro singulis Monachis tum fuisse confectos, ad primarium sci-

licet pondus S. Benedicti: si tamen genuinum ac primarium erat S. Benedicti pondus, quod Bernardi Abbatis tempore Casini servabatur. Hæc de libra panis.

156. De hemina vini major est difficultas. Dissertator Gallicus superiùs laudatus rectè probat, heminam seu cotylam esse semisextarium; sextarium verò congii sextam partem: ac proinde heminam sex cyathis, sextarium duabus heminis, congium sex sextariis constare. Deinde ex congii mensura rectè infert heminæ, aliarumque partium capacitatem: idque melius vasis mensurâ, quàm liquoris pondere, quod pro diversitate liquorum variat, æstimari censet. Hæc, inquam, rectè probat, nec quidquam solidi argumenti in contrarium afferri potest. At verò quod inde assumit, non perinde certum est: nempe heminam vini à S. Benedicto adsignatam æstimari debere ex mensura congii Romani, qualis in Farnesianis ædibus adservatur. Hoc congii Romani exemplar legitimum quidem esse concedo: at heminam Benedictinam ad ejus exemplum conformatam esse nullis constat argumentis. De hemina vini.

157. Ad probandam Farnesiani congii veritatem, præter varia experimenta à peritis viris facta, aliud etiam me præsente de mensura heminæ Romanæ factum est in Bibliotheca S. Genovefæ apud Parisios, in qua veteres unciæ Romanæ cùm exemplari heminæ itidem Romanæ adservantur. Istuc cum invitatus fuissem à R. P. Molinetio ad comparandam heminam cum unciis Romanis, allatus est etiam vetustus sextarius Romanus, qui est penes illustrissimum Harlæum, Senatus Parisiensis Procuratorem generalem. Primùm itaque facta est libratio decem unciatum cum hemina vini: tum heminâ in sextarium bis refusâ, deprehensa est perfecta mensurarum æqualitas, congio Farnesiano apprime respondens.

158. Etsi verò id constat de hemina Romana; nego tamen id de qualibet hemina dici posse. Pro variis enim regionibus, variisque temporibus etiam variarunt pondera & mensuræ. Carolus Calvus in Præcepto pro stipendiis Clericorum S. Petri, qui Sanctimonialibus Suessionici B. Mariæ Parthenonis subjecti sunt, cuilibet Sacerdoti per singulos dies *heminam, id est tres libras*, vini tribuit. In ms. codice Bibliothecæ S. Remigii apud Remos, qui codex ante annos octingentos Ebone Pontifice à Bertigario Monacho scriptus est, post Macrobii libros exstat vetustioris auctoris tractatus de ponderibus & mensuris, in quo hæc leguntur de mensuris liquidorum. *Apud quosdam cyathi novem heminam facere videntur, quod sunt drachmæ* X C. *apud quosdam verò acetabula quatuor, quod sunt drachmæ* XLVIII. *Hemina autem juxta quosdam*

in Probat. Historia Gallica B. Mariæ Suession. auct. nostro Michaële Germano. Pag. 435.

appendit libram unam, apud quosdam verò libram & dimidiam. Similiter sextarios duplices judicaverunt. Nam alii voluerunt, ut sextarius duarum esset librarum: alii verò trium. Utrique tamen, ut duæ heminæ sextarium facerent, definierunt. Chœnix autem quinque sextariis adimpletur: cui si sextum addideris, fit congius: congius quater missus modium complet. Quemadmodum autem de sextario, sic & de modio aliis placuit XVI *sextariis modium impleri, aliis* XXII, *aliis verò* XXIV. *Sed has mensuras ad votum Principum vel Judicum esse deprehendimus. · . · Nobis verò videtur rectissimum, ut trium librarum sextario vicies & quater multiplicato modius impleatur. Qui modius medii talenti pondere coæquatus, septuaginta & duabus efficitur libris: sive ut quinque libras habens sextarius, similiter vicies & quater ductus, maximi talenti, id est* CXX *librarum pondere mensuretur.* Hæc idcirco fusius refero, quòd ad illustrandam heminæ nostræ mensuram plurimum conferat iste locus.

159. Primò hujus auctoris sententia est, heminam debere constare librâ, vel sesquilibrâ, non mensurali, (ut Isidori libram Dissertator interpretatur) sed ponderali. *Hemina*, inquit, *juxta quosdam* APPENDIT *libram unam: apud quosdam libram & dimidiam.* quam sententiam Anonymus iste inferiùs præfert.

Deinde mensuræ istæ *ad votum Principum vel Judicum* olim mutabantur, ut tradit vetus iste auctor: cui suffragatur in primis Concilium Aquisgranense anni DCCCXVI pro Canonicis, in cujus capite 122 hæc verba lego. *Cùm hujuscemodi mensuræ diversissimæ & inæquales soleant haberi; publicum tamen pondus provinciis, civitatibus, metallisque inditum, nihil diversitatis aut inæqualitatis pati debet, &c.* At, inquis, hemina Benedictina ad modum congii Romani exacta erat, utpote ab homine Italo, in Italia nato ac vivente constituta. Et id certè probandum erat. nam in hoc versatur totius difficultatis cardo. Verùm an vivente S. Benedicto, regnantibus in Italia Gothis, Romæ viguerit antiquæ mensuræ norma, incertum est: siquidem *ad votum Principum vel Judicum* olim variabant mensuræ, ex dictis. Deinde etiamsi Romæ viguerit prisca mensura, dubium an etiam in Italia tota. Variæ enim passim pro variis locis ac civitatibus habentur mensuræ. Denique quamvis in Italia tota viguisset, peculiarem instituere potuit S. Benedictus, & re quidem vera instituit, libram panis. quid mirum si heminam vini peculiarem? Quippe libra panis Benedictina quatuordecim, aut sexdecim unciarum erat, ut ex superioribus patet: Romana tantùm duodecim. Itaque etiamsi apud Romanos hemina decem unciis appendens tum obtinuisset, S. Benedictus rationem habere potuit aliarum provinciarum, in quibus hemina sesquilibrâ constabat. Certè quemadmodum libræ panis ab se constitutæ exemplar

Casini concinnari curavit, quia libra hæc à Romana diversa erat: ita heminæ itidem pondus videtur condidisse, propterea quòd hemina ista itidem à Romana variaret. Cur enim si Romanâ mensurâ constitisset, peculiare heminæ exemplar fabricaturus erat? Quid necesse fuisset, ut per S. Maurum primùm, tum per Theodemarum Abbatem ejus exemplum in Galliam transmitteretur. Uno quippe verbo exprimi poterat hemina Romana, id est decem unciarum. Qualis verò & quanta fuerit heminæ mensura, cùm Casinensis, tum Gallicana, per S. Maurum allata, hîc investigandum est.

160. Jacobus Brolius in Supplemento Antiquitatum Parisiensium testatur, in archivo Cœnobii S. Mauri Fossatensis olim adservatum fuisse sacculum coriaceum, continentem pondera plumbea panis & vini à S. Benedicto præscripta. Primum erat *panis triginta trium unciarum & semis*, ut superiùs dictum est. Alterum, *quod erat heminæ vini*, *25 uncias pendebat*, *pintam Parisinam tribus unciis excedens*. Hîc mendum irrepsit in Brolii contextum, ubi non 25, sed 35 *uncias* legendum est: quandoquidem pinta Parisiensis triginta duabus unciis constat, ut docet Dissertator *. Hæc duo pondera penes se diu retinuisse, ac demum Canonicorum incuriâ deperdita fuisse Brolius commemorat. Petrus Boërius, qui post medium sæculum XIV florebat, in primo Regulæ commentario utrumque pondus itidem in Monasterio S. Mauri se vidisse, ac tenuisse dicit. Et de Fossatensi quidem vini mensura hæc habet in cap. 39. *Ea verò ratione dico mensuram vini prædictam non excedere, quæ tres copinas Parisienses continet valde justè.* Brolius habet tantùm pintam, seu *duas copinas* cum tribus unciis. siquidem copina Parisiensis sexdecim uncias capit. Unde si non mutavit mensura Parisiensis, certè crediderim erratum potiùs irrepsisse in Boërii calculum vel contextum, quàm in præmissum locum Brolii, qui mensuram Fossatensem accurratè expendit, ejusque exemplum sibi fabricari curavit. Ex Boërii verò testimonio, si non habemus accuratam Fossatensis heminæ mensuram, saltem vindicatur Jacobi Brolii bona fides, qui Fossatense pondus se vidisse contestatur. Guido Juvenalis, Abbas Sulpicianus apud Bituriges, in Regulæ versione Gallica, quam labente sæculo XV concinnavit, heminam interpretatur *copinam*, prout habent primæ istius versionis editiones anni 1500 & 1501. Eamdemmet mensuram Stephanus Poncherius Parisiensis Episcopus Calensibus Sanctimonialibus concedit ineunte sæculo XVI; & Fontebraldenses in Gallica Regulæ versione mss. At Petrus Masius Abbas Casalis Benedicti, auctor Congregationis ejusdem nominis anno MDXVI erectæ,

* *num.* XLVII.

Hemina, inquit, *ſicut à quibuſdam expoſitoribus Regulæ accepimus, eſt quædam menſura, continens unam libram cum quarta parte alicujus liquoris: & eſt quaſi tertia pars quartæ vini Pariſienſis*, id eſt quartarii, quatuor copinas Pariſienſes continentis. Eadem partim eſt ſententia Monachi Clarævallenſis anonymi, qui Guidonis verſionem interpolavit, ediditque anno M D XIV, ac Sanctimonialibus aptavit. Is quippe libram unam cum quarta parte tribuit heminæ, eamque pintæ Pariſinæ adæquat. In tanta opinionum varietate vix certi quidquam ſtatuere licet.

161. Si ad Caſinenſe exemplar recurramus, iterum ambages. Bernardus ante annos quadringentos Abbas Caſinenſis, ita heminæ locum interpretatur. *Hemina vini menſura eſt, apud nos uſque hodie reſervata, quam veteres certo pondere menſuraverunt: quodcauſa brevitatis hic ſcribere prætermitto.* De hac menſura Nicolaus de Fractura, qui anno M C C X C I X Regulam commentatus eſt Caſini, & poſt eum Boërius in primo commentario ſuo, id memoriæ prodidit. *Eſt menſura competens ad bibendum in uno prandio, quæ uſque hodie in Caſinenſi Monaſterio conſervatur. Et facta conſideratione, ſicut de facto ſum expertus, parum plus aut minus poteſt recipere, quàm Petitum, quod eſt menſura quædam apud Romanos. Et quod de tali menſura Magiſter intellexerit, eſt valde veri ſimile, ex eo quòd in Nurſia provincia, unde ortus idem fuit, talis menſura habetur in uſu: & homines illius provinciæ in emendo, vendendoque communiter circa menſuram hujuſmodi uſum ſequuntur Romanorum.* Quantum verò caperet Petittum Romanorum, non explicat Nicolaus, neque Boërius, qui eadem omnino Nicolai verba retulit. Si Lucæ Pæto, qui ſub finem ſuperioris ſæculi de menſuris ſcripſit, fides eſt, Petitum ſeu Petittum idem eſt ac bocalis. At foglietris quatuor conſtat bocalis, utrumque atteſtante Villalpando. *Foglietris quatuor*, inquit, *conſtat bocalis, quem auctore Pæto non multò antè vocabant Petittum.* Porro foglietta ſeu follietta ſexdecim Romanas uncias pendit, ut ſcribit eo loci Villalpandus: ac proinde bocalis conſtat Romanis unciis quatuor & ſexaginta. Hanc verò Petitti à Nicolao & Boëtio memorati menſuram eſſe, adduci non poſſum ut credam. Quippe Boërius agens de Foſſatenſi menſura, quæ, ex ipſius ſententia, *tres copinas Pariſienſes continet valde juſtè*, hæc ſubdit: *Debilitas vini Gallici fecit forſan excreſcere communem menſuram Caſinenſem, de qua plena notatio infrà.* Si menſura Foſſatenſis excedebat heminam Caſinenſem ſeu Petitum Romanum; ergo menſura Caſinenſis minus capiebat, quàm tres copinas, quas Foſſatenſi adſignat Boërius: immo minùs, quàm uncias triginta quinque, ſi Brolius Foſſatenſe pondus rectiùs expendit. Hactenus, ut Foſſatenſis, ita & Caſinenſis hemina non penitus nobis ex-

Villalpand. tom. 3 lib. 3 de menſ. cap. 20.

plorata est: sed tamen utramque Romana veteri, sive semisextario Parisiensi longè graviorem fuisse inde compertum habemus. Porro Casinensis mensuræ antiquitatem probant, non solùm Bernardus, ante annos quadringentos Abbas Casinensis, sed etiam Petrus Diaconus, centum annis Bernardo superior, in commentario suo; & post Bernardum Nicolaus de Fractura. Jam antiquiores Regulæ expositores consulamus.

162. In primis occurrit Hildemarus, cujus hæc verba sunt. *Sciendum est, quia unaquæque regio suam mensuram habet. Et idcirco Doctores cùm de mensura dicunt, secundùm sui loci consuetudinem dicunt. ... Ita S. Benedictus cùm heminam dicit, secundùm consuetudinem sui loci dicit. Similiter de officiis facit, & ceteris. Unde* KAROLUS *Rex qualiter ipsam heminam intelligere ac scire potuisset; misit Beneventum ad ipsum Monasterium, videlicet S. Benedicti, & ibi repperit antiquam heminam: & juxta illam heminam datur Monachis vinum: similiter & juxta illam habemus & nos.* Ex quibus verbis intelligimus, Hildemaro perspectam fuisse Benedictinam vini mensuram, eamque Monachis tum fuisse communem, id est imperante Ludovico Pio. Deinde auctor iste adducit Isidori auctoritatem, heminæ libram unam assignantis; idemque præstant Smaragdus & Boërius: qui in re non tam commentatoris officium agunt, quàm collectoris, qui quodlibet argumentum habuerit præ manibus, corrasis undique communibus locis, quantumvis malè cohærentibus, illud exponere conatur. Uno verbo, auctores isti heminæ thesim utcumque ornant, Benedictinæ hypothesim non adstruunt. Et quidem Boërius probata ex Nicolao heminæ Casinensis mensura, ita Isidori locum ex Smaragdo acceptum interpretatur in commentario primo. *Licet, ut aquis libravi stateris, modica videatur unius libræ hemina; aquâ tamen junctâ vino forti, maximè sicut est in partibus Casinensibus, satis sufficere credo: si voluptati tamen sobrietas & necessitas præferantur. Sufficere namque debet homini pœnitenti, si ista mensura tria vel quatuor contineat pocula: cùm ultra tertiam vicem in prandio minimè sit bibendum.* Ubi vides, Boërium non satis sibi consentire, qui cùm heminam Benedictinam ad Petitti capacitatem paullo antè revocasset; mox opinione quasi mutata in Isidori sententiam transmigrat. Porro neque sibi ipse constat Isidorus, uti Menardus noster observat in Concordia Regularum. Duo igitur certa ex veteri Hildemari commentario elicere licet, nempe Casino ac Beneventanæ regioni peculiarem fuisse heminæ mensuram, qua usus est S. Benedictus; eamque in Monasteriis ineunte sæculo IX receptam. At quantum caperet hæc hemina, neque ex Hildemaro, neque ex Smaragdo, aliisve colligi potest. Certè Hildemarus longè amplio-

rem, quàm Isidorus, heminæ mensuram admisit: siquidem in eodem commentarii sui capite post prædicta, ubi exponit S. Benedicti sententiam crapulæ occasionem à Monachis suis amovere volentis, ait minuendam esse mensuram ei, *qui de sola heminæ mensura crapulam sentit, id est qui aut in locutione, vel in ingressu vacillat.* quod certè nulli quantumvis infirmo capiti accedere posset, qui unico semisextario Parisiensi in diem uteretur. Superest, ut in investiganda heminæ mensura sequamur sententiam Richardi de S. Angelo Monachi Casinensis, qui in Regulæ commentario ante medium sæculum XIII scripto, dicit heminam esse *quamdam mensuram, quæ melius potest agnosci de facto, quàm de jure.* Ad facta igitur & exempla jam tandem consideratio nostra convertatur.

163. Nullum aptius antiquiusve nobis occurrit exemplum ad probandam heminæ monasticæ capacitatem, quàm Regulæ Magistri: quæ cùm fere tota verbis ac sententiis constet S. Benedicti Regulæ, ejusque veluti commentarius censenda sit; eo utique tempore scripta est, quo S. Benedicti institutum in viridi erat observatione, hoc est exeunte sæculo sexto, aut septimo ineunte. Illud argumento est, quòd hæc Magistri Regula in duobus Bibliothecæ Corbeiensis membraneis codicibus invenitur litteris uncialibus descripta ante annos mille. Et quidem in fine unius exstat index Pontificum Romanorum, paullo recentiori manu additus, desinens in Johanne Papa VI, qui anno DCCV devixit. Existimavit porro Menardus noster conditam fuisse hanc Regulam circa tempora Chlodovei secundi Francorum Regis: *quia utitur vocabulo Majoris domus, quod tunc maximè erat in usu.* Utitur autem in capite 11, non tamen ad designandam domus regiæ dignitatem; sed cujuslibet potentis hominis officialem. Istius denique Regulæ scriptor, qui libram panis, duo fercula, & calicem vini ministris mensarum & Lectori adsignat, omnino ad mentem S. Benedicti; paullo aliter de Monachorum potu statuit in cap. 27, singulis concedens æstivo tempore primo singulos *meros*, id est meri calices: tum *caldos omnibus quaternos extra illum merum; &, cùm ad sextam reficitur, ternas serâ potiones.* Quantum verò caperent singulæ tres illæ potiones, ita explicat eodem in loco. *Calix verò aut galleta, per quem erit in diversis vicibus ministrandum, talis sit, qui tertius impleat mixtam heminam.* Itaque hemina Magistri, quæ haud alia sine dubio à Benedictina erat, capiebat tres calices. Tantumdem etiam continebat hemina seu semisextarius Fructuosi, qui ita vini potionem temperari præcipit in Regulæ primæ cap. 5, *ut inter quatuor Fratres sextarius dividatur:* & in præcipuis sollemnitatibus, singulis

gulis præbeantur *tres potiones*, id est hemina. Apud Isidorum in Regulæ cap. 10. *Ternis poculis fraterna reficienda est sitis.* Atqui Isidorus & Fructuosus in condenda Regula sua Benedictinam præ oculis habuêre, ejusque ritus expressêre, ut in Præfatione Sæculi primi ostendi. Quantum verò caperent singuli tres illi calices, statim discutiendum erit.

164. Eamdem sententiam confirmat S. Adalhardus Corbeïensis Abbas in Statutis suis, quæ anno DCCCXXII condita sunt, id est anno quinto post Synodum Aquisgranensem. Is in libro 1 cap. 4 de Eleemosynis ita præscribit. *De potu autem quotidie detur modius dimidius, id est sextaria* VIII. *de quibus dividuntur sextaria quatuor inter illos duodecim* Canonicos *suprascriptos, ita ut unusquisque accipiat calices duos. Ex aliis quoque quatuor sex dantur Clericis, quibus pedes lavantur à Fratribus, unicuique calix unus; & Willeranno servitori calix unus. Quod residuum fuerit, in arbitrio Hospitalarii relinquimus, quo modo illud, sive infirmis, sive aliis pauperibus dividat.* Hoc in loco Abbas pius sextarios quatuor dividit in duodecim Canonicos, ita ut unusquisque acciperet calices duos. Proinde sextarius in Monasterio Corbeiensi tum constabat calicibus sex: hemina verò calicibus tribus, quorum unus operario uni sufficiebat. At verò semisextarius Romanus seu Parisiensis vix ampliùs capit, quàm satis sit ad calicem unum, qui manuali operæ sufficiat. Neque dixeris, aquam misceri potuisse ad supplendum quod minus erat ad congruam potionem. Nam hîc agitur de potu cervisiæ, quæ & largiùs propinari solet, & aquâ minimè diluitur.

165. Si hæc erat (ut certè erat) heminæ mensura apud Corbeïenses, non dubium, quin eadem esset in aliis Galliarum Monasteriis post Synodum Aquisgranensem: nec minùs certum est, hanc mensuram exactam fuisse ad pondus Casinense, cujus exemplum Theodemarus ad Carolum Magnum direxerat. Certè Benedictus Anianæ Abbas Casinenses ritus quàm proximè imitabatur, teste Ardone. Et Ludovicus Pius post Synodum Aquisgranensem direxit *pondus & mensuram, secundùm quæ Clericis & Sanctimonialibus panis & potus æqualiter tribuenda* erant, ut probat ejus epistola ad Sicharium Episcopum Burdegalensem. quod idem etiam de Monachis à Carolo provisum esse constat ex Hildemari testimonio superiùs * relato. Præterea Adalhardus, Statutorum Corbeïensium auctor, Casini diu fuerat versatus, ibidemque heminæ Benedictinæ mensuram didicerat. Itaque cùm apud Corbeïenses hemina constaret calicibus tribus; eamdem in aliis Monasteriis mensuram viguisse non immeritò concludimus. Ad hæc Patres Concilii Aquisgranensis in Regulæ Cano-

* num. 162.

nicorum cap. 129, cuilibet Canonico *quinque libras vini* concedunt. Quid mirum, si cuilibet Monacho in diem tres vini calices indulserit anno sequenti alia Synodus Aquisgranensis? quæ heminam vini singulis ex Regulæ præcepto concedit cap. 22; &, si defuerit, duplicem *mensuram de cervisia bona* vult suppleri. Denique Regula Magistri, quæ in nonnullis Benedictinâ severior est, & in plerisque eam imitatur, in prandio per æstatem quinque tribuit calices, unum meri, quatuor alius liquoris; tres verò in cæna, præter illum vini haustum, qni post Nonam æstate sumebatur. Et quidem tres in Benedictina hemina calices vini meri (neque enim dilutum tribuit S. Benedictus, sed merum, à singulis aquâ postea diluendum) admittere necesse est, idque ultro admittet Dissertator. Nam cùm in ejus sententia Lector mensæ calicem vini ex præscripta mensura ante lectionem accipiat; duos superfuisse calices fatendum est, quorum unum in prandio, alterum in cæna, quando bis comedebatur, idem Lector perciperet. Jam quantum ad unum calicem seu haustum moderatum, qui uni mensæ sufficiat, satis sit, quæstio est. Villalpandus antiquos vini abstemios singulis potationibus, & quidem sæpius repetitis, quatuor cyathos; quincunces & septunces exhausisse probat. Hemina autem Romana sex dumtaxat cyathos capiebat. Ego verò existimo ad unum moderatum haustum, qui uni parcissimæ corporis refectioni sufficiat, non minus concedi posse, quàm uncias quinque aut sex. Hinc factum puto, ut vasculum illud modicum, quo Parisienses etiamnunc utuntur, proprium vocabulum retinuerit Poculum, vulgo *Poçon*: propterea quòd una mediocri potatione absumatur. Atqui tria hujusmodi pocula sesquiheminam Romanam pendunt, adæquantque copinam Parisiensem. Hanc excedebat mensura Petri Masii, qui heminam cum nonnullis Auctoribus tertiam partem quartarii Parisiensis interpretatur. At ejusmodi mensurâ antiquior est ampliorque, cùm Casinensis, tum Fossatensis. siquidem Fossatensis constabat unciis triginta quinque, ex Brolio: qui calculus accedit ad heminam Suessionicam, quam tres libras appendere superiùs observabam *. Neque porro minus capiebat semisextarius ille, quem Fructuosus duobus Monachis in diem adsignat: quandoquidem sextarium in quatuor Monachos partitur in Regulæ primæ cap. 5. Alioquin cuilibet Monacho per diem integrum non cessissent nisi vini cyathi admodum tres, & aquâ admistâ fere quatuor: *qui potus vix gallinæ sufficiat in diem, nedum humano corpori jejuno*, inquit Villalpandus. Secundùm Fossatensem istam mensuram singuli terni heminæ calices unciis fere duòdecim constabant: non quòd

Villalp. tom. 3 pag. 439, 440. & 446.

* num. 158

Villalp. ibid. pag. 446. col. 2.

tantum vini singulis vicibus singuli Monachi perciperent: sed ut hoc modo explicetur heminæ Benedictinæ mensura. Sic Budæus cheopinam seu chopinam Parisiensem ita dictam arbitratur, *quòd eâ tantum funditur vel hauritur vini, quantum homo sitibundus uno haustu*, non quidem re vera absumat, sed *absumere possit*. Ita ergo se habebat Fossatensis mensura, ad quam proximè Casinensis accedebat, tametsi tantisper levior ob præstantiam vini Italici. Scio homines alios aliis vini parciores, & nonnullos quidem esse, quibus hemina Romana sufficiat in diem. At in instituendo religioso cœtu S. Benedictus rationem habuit communis multorum facultatis, non paucorum. *Infirmorum*, inquir, *contuentes imbecillitatem, credimus heminam vini per singulos sufficere per diem: quibus autem donat Deus tolerantiam abstinentiæ, propriam se habituros mercedem sciant.* Quæ hactenus de hemina Benedictina dixi, non ita accipi velim, quasi rem ipsam me attigisse putem, aut monasticæ temperantiæ modum ampliari velim: verum ut probem, me huic argumento, quod in manus incidebat, non omnino defuisse, sed qualemcumque illustrandæ rei obscurissimæ diligentiam adhibuisse. *Bud. lib. 5 de asse.*

166. Superest dicendum de Bibere & Mixto, quorum aliud mensæ ministris, aliud Lectori concedit S. Benedictus. De ministris septimanariis ita statuit cap. 35. *Septimanarii ante unam horam refectionis accipiant super statutam annonam singulos biberes & panem.* Biber, seu Biberis, de cujus notione legendus Haeftenus, est haustus vini, quem cum frusto panis sumebant septimanarii. Theodemarus Abbas Casinensis Carolo Magno direxit *mensuram unius calicis, quem obsequuturi* * *Fratres juxta sacræ textum Regulæ solent accipere.* & Boërius in primo commentario: *Biberes sunt parva vascula, quæ plena sufficiunt ad unum moderatum haustum.* An hæc vini potio, frustumque panis de indicta singulis mensura, an præter illam acciperetur, non ita perspicuum est apud veteres. Hildemarus, antiquus Regulæ commentator, rem non satis explicat his verbis. *Cùm dicit ante unam horam, non dicit propter terminum horæ, sed propter intervallum, ut possint rationabiliter accipere hoc quod jussum est. quia sicuti alibi de lectore dicit., accipiat Mixtum priusquam incipiat legere. v. g. si tempus est quando ad nonam reficiunt Fratres, cùm canitur Missa ad octavam; post Missam vadant omnes qui debent accipere Mixtum, id est hebdomadarii coquinæ, Lector, hospitalarii, & qui infirmis serviunt pariter: & inveniant singuli præparatam quartam partem libræ, id est quinque solidos pensantes, de pane in loco suo.* Si hæc Regulæ verba, *super statutam annonam*, decerpendo de regulari mensura intellexisset Hildemarus, dicturus fuisset *quartam partem libræ suæ*, & de pane suo. Nunc autem cùm absolutè

De Bibere ministrantium ad mensam.

* al. obsequiaturi

rem enuntiet; hoc ſubſidium miniſtris præter ſtatutam annonam indultum fuiſſe ſatis innuit. Illud tamen in contrarium movet, quòd S. Benedictus in cap. 49 agens de Quadrageſimæ obſervatione, præcipit, *ut unuſquiſque ſuper menſuram ſibi indictam aliquid offerat Deo, id eſt de cibo, de potu, &c.* ubi hæc verba, *ſuper menſuram ſibi indictam*, ita explicanda ſunt, ut de menſura ſibi indicta id offerant Fratres, id eſt de cibo & potu in Regula præſcriptis. Unde conſequi videtur, ut alter locus, *ſuper ſtatutam annonam*, eodem modo reddendus ſit, de ſtatuta annona, ut etiam explicat Menardus noſter, Boerii commentario primo non obſcurè ſuffragante. Verumtamen Congregatio Cluniacenſis aliter hunc Regulæ textum intellexit, ac ſubſidium iſtud ſeptimanariis conceſſit præter ſolitam menſuram. *Ad Mixtum*, inquit Udalricus, *non accipiunt, niſi quod S. Benedictus præcipit, quartam partem panis abſque libra ſua, & de vino ſimiliter.*

Udalric. lib. 2 Conſuetud. Clun. c. 35.

De Mixto Lectoris.

167. Quæ ſeptimanariis S. Benedictus adſignat Biberes & panem, Udalricus communi vocabulo appellat *Mixtum*: quo nomine S. Benedictus Lectoris ſubſidiolum deſignat in Regulæ cap. 38. *Frater hebdomadarius accipiat Mixtum, priuſquam incipiat legere, propter communionem ſanctam, & ne fortè grave ſit ei jejunium ſuſtinere.* Et Synodus Aquiſgranenſis cap. 29, *ut Lectori nihil, niſi quod Regula jubet, detur.* Mixti nomine hauſtum vini aquâ diluti citra panem intelligi putat Gallicus Diſſertator. At his verbis etiam comprehendi fruſtum panis docent præter Udalricum veteres quique Regulæ commentatores. *Mixtum intelligit panem & vinum*, inquit Hildemarus, *ſicut ſuperiùs dixit, ſingulos biberes & panem. Nam illius temporis conſuetudo fuit ſic dicere, unde nos dicimus mordere, Mixtum vocare.* Et Smaragdus: *Quod dicit, accipiat Mixtum, panis intelligitur ſimul & vinum. In multis enim provinciis panis tantùm & vinum, quod ſuper altare offertur, Mixtum vocatur.* Hæc Smaragdus Abbas ſcripſit ſtatim poſt Synodum Aquiſgranenſem, cujus proinde ſtatuto ſuperiùs relato nequaquam adverſatur mos ille antiquus Lectori concedendi fruſtum panis cum vini calice. Et quidem mos ita obtinebat in Monaſteriis per Benedictum Anianenſem ordinatis, ut conſtat ex epiſtola quorumdam Augienſium Monachorum ad calcem hujuſce tomi adducta: in cujus capitulo quinto hebdomadariis miniſtris, quibus Regula ſingulos biberes & panem concedit, nihil aliud tribuitur, quàm Lectori, ſcilicet *Mixtum*; quod proinde utrumque comprehendit.

num. xxxiii. & ſeqq.

168. Opponit Diſſertator concedi Mixtum propter communionem ſanctam; nulla panis mentione facta: poſt communionem verò moris eſſe præberi non panem, ſed ſolum vinum aquâ

dilutum. Et quamvis Belethus dicat suo tempore *bucceam* seu buccellam panis simul cum vino communicatis datam; id factum ex imitatione recentiorum Monachorum, qui hunc Regulæ locum ita perperam interpretabantur. Verùm ex primis Regulæ commentatoribus jam probatum est, Mixti nomine etiam panem comprehendi vulgari more illius ætatis. Deinde Lectori conceditur Mixtum, non tantùm *propter communionem sanctam, ne aliquid inde sumtum excreans projiciat in sputo*, ut ait Smaragdus: sed etiam ad confirmandum ejus stomachum, *ne fortè ei grave esset jejunium sustinere*, ex Regula. Prima concessi Mixti ratio, quæ propter communionem sanctam, ad Dominicos sollemnesque dies pertinet, quibus diebus communicabant omnes. Hinc S. Benedictus singulos biberes & panem, quod utrumque ante unam horam refectionis per hebdomadam concedit septimanariis coquinæ, percipi vetat diebus sollemnibus ante Missas. *In diebus*, inquit, *sollemnibus usque ad Missas sustineant.* nimirum quia in Missa communicabant, uti & Lector, qui diebus singulis non communicabat, contra quàm supponit Dissertator. Certè in diebus Quadragesimæ, exceptis Dominicis, *non canebatur Missa tempore* S. Benedicti, ait Hildemarus in Regulæ caput 48. Altera Mixti ratio est ob levandum jejunii pondus: quæ ratio valet ad singulos dies; nec minus panis, quàm vini subsidium exigit.

169. Rursus objicit Dissertator Regulam Magistri, qui in capite 24 solum *merum* indulget Lectori *propter sputum Sacramenti*, non verò panem. At vel ex hoc loco confirmatur id, quod dixi de Mixto Benedictino. nam Magister sine dubio hoc nomine etiam comprehendit frustum panis. Verba ejus expendenda sunt. *Et cùm primùm mensæ Abbas cum omnibus acceperit merum, & ipse* Lector *similiter suum merum propter sputum Sacramenti accipiat: & sic incipiat legere.* Itaque Lector ex Regula Magistri merum accipiebat initio comestionis cum Abbate, aliisque Fratribus. Jam quo ritu Abbas, ceterique merum illud acciperent, explicat idem Magister in cap. 27. *Mox cùm sederint ad mensas Fratres, antequam comedant, singulos meros accipiant. quos meros accipientes, singuli porrigant Abbati sibi signandos . . . in quibus omnibus mensis in suos meros quisquis frater de suo pane ternas sibi non amplius buccellas intinguant.* Ergo singuli Fratres sumendo meros suos, ternas panis buccellas vino intinctas sumebant: ac proinde etiam Lector, cui suum merum, quemadmodum aliis, indulget Magister; ex imitatione scilicet Regulæ S. Benedicti, qui Mixti nomine panem & vinum simul comprehendit.

170. De hac Mixti origine ac significatione litigant eruditi

viri. Est qui suspicatur *Mixtum* hoc loco à librariis positum pro *mystro*, quæ cyathi quarta pars est. At vocem *Mixtum* retinere præstat cum omnibus libris editis ac manu descriptis. Cùm enim mystrum cyathi quarta pars sit, cyathus verò sexta pars heminæ, decem drachmas appendens; si S. Benedictus unum dumtaxat mystrum Lectori concederet, vix unam potus sorbitiunculam tribueret, id est drachmas admodum duas cum dimidia. Porro quod dixi de mystri mensura, confirmatur carmine de ponderibus & mensuris, quod plures Prisciano tribuunt, alii Fannio, ut ex antiquis Hildemarus.

At cotilæ cyathos bis ternos una receptat.
At mystrum cyathi quarta est, ac tertia mystri
Quam vocitant chemen: capit hæc cochlearia bina.*

* *al.* cyanem

Retinendum igitur Mixti nomen, quod non puto sic dictum, ut plerique censent, ob mixtionem aquæ. Hæc quidem vox formata est à verbo *misceo*. At *miscere* apud mediæ latinitatis scriptores idem valet, atque haustum vini præbere. Hinc Johannes Januensis in Catholico. *Miscere, id est potare, vinum præbere. Et est tractum inde, quòd antiqui miscebant calida frigidis, & frigida calidis in calice. (unde calix dictus à calida potatione.) sicut nos miscemus adhuc aquam vino, vel è converso.* Certè Theodemarus in epistola ad Carolum Magnum hoc verbum eodem sensu usurpat. *Aliis diebus prandentibus Fratribus, cùm vinum nobis abundat, singulas phialas miscere facimus.. In summis quoque festivitatibus ad prandium facimus miscere.* Quid sit verò *singulas phialas miscere*, explicat in consequentibus, ubi ait: *Æstatis tempore post Nonam singulas phialas nostris Fratribus præbemus.* Eodem modo etiam usurpatur apud Gregorium Turonensem Episcopum in lib. 2 de miraculis S. Martini cap. 22, apud Venantium Fortunatum in lib. 1 de vita S. Radegundis, apud Alcuinum in vita S. Willibrordi non semel, aliosque auctores, quorum nonnullos protuli in Notis ad præmissum Alcuini librum. Nec ab re erit etiam adducere hoc loco testimonium ex Vita ipsius Alcuini: propterea quod non solùm hujus verbi significationem exprimit, sed etiam præclarum suppeditat argumentum de ablutione ab antiquis concessa post Communionem. Auctor iste anonymus commemorat, Carolum Magnum cum Pippino ac Ludovico Turonos profectum percepisse communionem sacram. tum subdit: *Cùm post communionem corporis Christi & sanguinis, manu propria eis misceret* Alcuinus; *isdem Ludovicus, humilitate clarissimus, præ omnibus Patri sancto se inclinans, ejus osculatus est manum.* Ubi vides *miscere* idem esse, ac vini potum præbere.

171. Aliam Mixti notionem tradit Petrus Boërius in primo

Commentatio suo in Regulæ caput 38 his verbis. *Apud nos in quibusdam Monasteriis sunt quidam panes, qui Mixtones, seu Mixtoni vocantur: sic fortè dicti, quia ex mixtura frumenti & hordei vel siliginis sunt; & sunt ita modici panes, quòd quatuor aut quinque sunt necessarii uni Fratri per diem. Et quia quarta pars annonæ debet dari Fratri prægustanti; dicitur hîc quòd frater Lector Mixtum accipiat, id est unum panem, modicum vocatum, sive Mixtonum. Vel ab hoc Mixto sunt veriùs appellati mixtones.* Idem in secundo Commentario: *Vulgare est*, inquit, *Italicorum dicere Mixtum illam levem comestionem, quæ prandium antecedit.* Itaque ex his omnibus perspicuum est, Mixti nomine comprehendi non tantùm calicem vini, sed etiam modicum panis fragmentum, id est *libræ quartam partem*, ut habet Hildemarus in Regulæ caput 35. cui suffragantur Udalricus superiùs laudatus *, Boërius in loco mox relato, atque Usus Ordinis Cistertiensis: qui Usus pro Mixto *quartam partem heminæ* Lectori & septimanariis indulgent. Tum subdunt: *Sumto itaque Mixto, si quid residuum fuerit, referant panem in arcam, & vinum in vas.* quod argumento est, hunc vini calicem non ita modicum fuisse. Hæc in Capitula Synodi Aquisgranensis observasse sufficiat.

* num. 166. *Usu Cistert. c. 73.*

172 Præter statuta ejus Synodi & Benedicti Anianensis, exstat etiam alius liber, *Ordo conversationis monasticæ* inscriptus apud Haëftenum, & in ms. codice Gemeticensi, *Memoriale Monachorum.* Hujus libelli conditor est, vel Benedictus Anianæ Abbas, qui *Ordinem* observandum omnibus Monachis tradidisse, præter statuta Synodi Aquisgranensis, perhibetur ab Ardone; aut certè Euticius Abbas, qui *ex beatorum Patrum Regulis & institutionibus diversas consuetudines sumsit, unoque volumine conligavit*, referente Johanne Monacho in lib. 1 de vita S. Odonis Abbatis cap. 11. In excerptis quæ Ardo in Benedicti vita ex *Ordine* superiùs memorato adducit, vix ullum apparet vestigium hujus libri, de quo hîc agimus. Unde potiùs Euticio adscribendus videtur, quàm Benedicto. Huic porro tribuitur judicium de diverso pænitentiarum modo, qui Monachis lapsis imponi debet ex Regulæ præscripto: quod opus in Appendice Capitularium recens editum est num. x i. Eidem Benedicto multum etiam obstricta est res litteraria, quam disciplinæ regularis sociam & opitulatricem vir prudens non immeritò reputavit, ob idque quanta potuit sedulitate promovere sategit, ut ex consequentibus perspicuum fiet.

§. VIII.

De Scholis Parisiensibus, Palatinis, & Monasterialibus sæculi IX.

173. POSTQUAM de litterarum studiis per Monasteria nostra principio institutis disserui in superioris Sæculi præfatione; nunc consequens est, ut de Scholis nostris sæculo nono celebrioribus agam hoc loco, & primum quidem de Academia Parisiensi, cujus initia majoribus nostris omnes accepta referunt. At quos habemus ejus sententiæ auctores, tot fabulis involuti sunt; ut non facile sit verum ac certum à falso & incerto secernere. Inter primos occurrit Vincentius Bellovacensis, qui in Speculo historiali scribit, idemque alii permulti post eum, Parisiensis studii institutores exstitisse quatuor Monachos Bedæ discipulos, scilicet Rabanum, Alcuinum, Claudium, & Johannem Scotum: quos omnes Beda vivente constat necdum fuisse natos, si fortè unum Alcuinum excipias. Claudium verò confundunt pleríque cum Clemente, quem ex Hibernia in Galliam docendi gratiâ cum alio socio accessisse tradit Monachus Sancti-Gallensis initio vitæ Caroli Magni. At Claudium, qui in palatio Caroli Magni aliquamdiu litteras docuit, alium esse ab isto Clemente exploratum est: tum quia hic Claudius natione Hispanus fuit, Felicis Urgelitani Episcopi discipulus, postea Taurinensis Episcopus, ut demonstravi in veterum Analectorum tomo I. tum quia ex Hispania in Galliam arcessitus à Carolo est. Aliâ proinde viâ investiganda origo Academiæ Parisiensis. Atque ut ne in verbo ludamus, præmonitum lectorem velim, hîc Academiæ nomine non significari à me corpus illud (quod vocant) Universitatis, quatuor facultatibus constans, in quo certi honoris gradus litteratis sollemni ritu conferuntur: sed intelligi publica quæcumque litterarum studia uno in loco instituta, & continuata.

Vincent. Spec. hist. lib. 23. al. 24 c. 73.

Studia in Galliis antiqua.

174. Quantum Carolo Magno res litteraria debeat, testantur illorum temporum auctores, qui ejus studium in scholis instituendis certatim commendant. Huc spectant præclara ipsius epistola ad Baugolfum Abbatem Fuldensem, ad alios itidem Abbates, immo & Episcopos missa; ejusdem Capitularia, & decreta maximè Concilii Cabilonensis ad restituenda ubique studia, quæ plerisque in locis ad interitum vergebant. Hoc in opere usus est incentore simul & adjutore in primis Alcuino: cujus operâ factum est, *ut Athenæ novæ perficerentur in Francia*, ut scribit ipse in epistola 10.

175.

175. Jam quidem longè ante illud tempus litterarum exercitia in Gallia viguerant. Tacitus in libro 3 Annalium sub Vespasiano, & Eumenius sub Diocletiano ac Maximiano Augustis Scholarum Augustodunensium meminere: qua de re Notitia Galliarum, à viro clarissimo Hadriano Valesio Historiographo regio nuper edita, legenda est. Apud Juvenalem, *Notit. Gal. pag. 61 & 62*

Gallia causidicos docuit facunda Britannos.

Exstat Gratiani rescriptum in codice Theodosiano relatum, quo Antonio Prætorio Galliarum Præfecto mandat, ut in singulis metropolibus litterarum studia instituat, eisque idoneos professores præficiat cum congruo supplemento. Hæc studia potissimùm floruere in civitatibus Lugdunensi, Augustodunensi, aliisque usque ad sæculum VII. quo tempore Sigeberchtus Orientalium Anglorum Rex, in Gallia quondam profugus, *ubi regno potitus est, mox*, referente Beda, *ea quæ in Galliis bene disposita vidit, imitari cupiens, instituit scholam, in qua pueri litteris erudirentur, juvante se Episcopo Felice*, quem natione Gallum, professione Monachum fuisse referunt. quod argumento est, in pluribus jam Galliarum locis scholas viguisse. At per varias bellorum procellas, quæ sæculo VIII Galliam universam infestarunt, cùm otia & quies amica musis prærepta fuissent, ubique litterarum studia languere, brevi intermoritura, cœperunt: donec Carolus Magnus ea postliminio excitavit denuo, invitatis in Galliam litteratis viris, Alcuino, aliisque Anglis, qui acceptam ex hoc regno eruditionem ac doctrinam Gallis tandem vicissim refunderent. Idem curavit Ludovicus Augustus ejus filius, ut constat tum ex ipsius vita, tum ex Wandalberto Prumiensi Monacho in Præfatione ad vitam S. Goaris, ubi scribit, *apud Gallias multos annos litterarum studia jacuisse, quousque sua ætate Principum liberalitate, & optimorum virorum sollertiâ, disciplinarum studia profecerunt.* Hericus Autisiodorensis Monachus idem elogium Carolo Calvo tribuit in prologo ad carmen de S. Germano Episcopo Autisiodorensi: tametsi Caroli Calvi principatu grave dispendium passæ sunt artium disciplinæ ob Nortmannorum infestationes; at longè gravius sub istius sæculi finem. Sed ad Carolum Magnum & ad Alcuinum reflectenda oratio est.

Beda hist. lib. 3. c. 18

à Carolo M. &c. denuo excitata.

176. Ut à minimis ad majora progrederetur Alcuinus, Carolum in primis monuit, ut scribendi ratio, quæ per librariorum socordiam corruptissima erat, ad meliorem formam reduceretur; curarentque scriptores amanuenses, ut commatum distinctiones antea neglectas observarent. Hortatoria ea de re habetur Alcuini epistola 15 ad Carolum in hæc verba. *Punctorum*

distinctiones vel subdistinctiones, licèt ornatum faciant pulcherrimum in sententiis, tamen usus illorum propter rusticitatem pæne recessit à scriptoribus. Sed sicut totius sapientiæ decus & salutaris eruditionis ornatus per vestræ nobilitatis industriam renovari incipit: ita & horum usus in manibus scribentium redintegrandus esse optimè videtur. Deinde librum edidit de septem liberalibus artibus; tum Dialogum de Grammatica, aliosque duos interlocutore Carolo de Rhetorica & Dialectica: quibus varios tractatus, libros & epistolas de rebus moralibus ac theologicis adjecit. Adeo ut duo tantùm restent studiorum genera, Legum scilicet Jurisque scientia, ac Medicinæ, de quibus nulla exstant ejus Auctoris monumenta.

177. Neque ea solùm libris editis docuit Alcuinus; sed etiam in publicis Scholis, illis maximè, quas in Turonensi S. Martini Cœnobio Abbas ipse aperuit. *Ego Flaccus vester*, inquit in epistola 1 ad Carolum, *secundùm exhortationem & bonam voluntatem vestram, aliis per tecta S. Martini sanctarum mella Scripturarum ministrare satago: alios vetere antiquarum disciplinarum mero inebriare studeo: alios grammaticæ subtilitatis enutrire pomis incipiam: quosdam stellarum ordine, ceu picto cujuslibet magnæ domus culmine, inluminare gestio, plurima plurimis factus, ut plurimos ad profectum sanctæ Dei Ecclesiæ, & ad decorem imperialis regni vestri erudiam.* At de isto, aliisque locis ab eo illustratis agendum in ejus Elogio, quod inferiùs suo loco exhibendum est. Interim hoc loco inquirendum, an Alcuinus auctor, aut certè instaurator dicendus sit Academiæ Parisiensis, eo modo, quo Academiæ nomen superiùs exposui: hoc est, an publica litterarum studia, quæ per continuas temporum vices postea perstiterint, Luteciæ Parisiorum favente Carolo Magno instituerit.

Scholæ palatinæ Alcuino quantum debeant.

178. Scholam in palatio Caroli Magni ab Alcuino aut institutam, aut certè excultam fuisse, in qua pueri nobiles ac ministeriales Palatini litteras docebantur, nemo negare potest Quippe Carolus eruditus ab eo est, indubiè in palatio regio, eoque præceptore Rhetoricæ & Dialecticæ, præcipuè tamen Astronomiæ dedit operam, uti Eginhardus auctor est. Hinc Alcuinus in epigrammate 199 Fratres Eboracenses ad pangendos versus invitans, de se ipse ita canit.

Talia namque placent vestro quia munera Patri,
Qui nunc egregias regalibus insonat artes
Auribus, & patrum ducit per prata sequentem,
Præpulcro sophiæ regnantem stemmate celsæ.

Id contigit in prima Alcuini mora apud Gallias: quo tem-

pore Gislam & Richtrudem regias virgines; Angilbertum, cui cognomen indidit Homero; aliosque viros illustres litteris imbuit. Cùm verò computum ecclesiasticum secundùm Romanæ Ecclesiæ ritum scholaribus palatinis tradidisset; postea in epistola 9 ad Carolum conquestus est, quòd *calculatores Ægyptiacos*, eos scilicet qui calculum Alexandrinum sequebantur, admisisset in scholam palatinam. *Ego ignarus*, ait, *nesciens Ægyptiacam Scholam in palatio Davitica versari gloriæ*, (nam Carolum Davidis nomine compellare solitus erat) *ego abiens Latinos ibi dimisi: nescio quis subintroduxit Ægyptios.* Quinam fuerint Ægyptiaci illi præceptores, conjicere mihi videor ex carmine Theodulfi Aurelianensis Episcopi ad Angilbertum: quo in carmine Scottum quemdam in aula degentem ac docentem salsis amarulentisque dicteriis impetit. Nam Scotti ex Hibernia orti olim sequebantur Paschalem circulum Alexandrinorum, qui Pascha Lunæ quarta decima die, si quando in dominicam incidisset, celebrabant. Et forsan is erat Clemens Scottus, quem in Gallia ad docendum fuisse relictum à Carolo tradit Monachus Sancti-Gallensis initio libri primi.

179. Erat ergò schola palatii regnante Carolo Magno: at quo in loco extiterit, immo an constiterit uno in loco, indagandum est. Posterius hoc mihi certum videtur. Neque enim facilè de loco in locum transferri poterat totus ille præceptorum, scholarium, librorumque comitatus & apparatus, si quando Rex mutabat sedem, quod frequenter contingebat. Et erat amplissima in palatio, non illo circumforaneo, sed fixo Bibliotheca: ex qua Ludovicus Augustus *copiam librorum* Amalario Diacono suppeditavit, ut is ex diversis Doctorum sententiis Regulam Canonicorum excerperet, referente Ademaro Monacho Ecolismensi. Stata proinde erat palatii schola. Id tamen non ita adseveranter affirmem, ut palatinos scholares de loco in locum aliquando cum regio comitatu non existimem commigrasse. Nam Alcuinus, quem scholæ palatinæ moderatorem fuisse constat, fere numquam aberat à contubernio Caroli Magni; & Carolus Calvus *liberalium artium ferulas à palatio numquam deesse* patiebatur, ut lego in historia Episcoporum Autissiodorensium. Varia per id tempus erant palatia Regum nostrorum. Aquisgranensi maximè delectabatur Carolus Magnus, & post eum Ludovicus Augustus. An fixa.

Hist. Episc. Autis. c. 41.

180. An Schola Parisiensis ea tempestate inter Scholas Palatinas censeretur, dubitaverint fortasse nonnulli: propterea quòd postremis primæ stirpis regiæ, & totis secundæ temporibus rariùs Luteciæ Parisiorum residebant Francorum Reges. Palatinæ Parisienses Scholæ.

tamen dici potuere Parisienses Scholæ, utpote sitæ juxta palatium Thermârum, quod erat in australi pomœrio civitatis, ad montem scilicet S. Genovefæ, qui olim *Locuticius* dicebatur. Certe antiquitus hunc locum insedisse viros doctos qui litteras profitebantur, patet tum exemplo Hucboldi, qui *dum adolescentulus è scholari disciplina confugisset Parisius, S. Genovefæ Canonicis adhæsit* tempore Rotberti Regis Francorum, *& in brevi multorum scholarum instructor fuit.* Anselmus Leodicensis Canonicus auctor. Sæculo insequenre Abaëlardus *extra civitatem in monte S. Genovefæ scholarum suarum castra posuit*, ut ipse memorat in historiæ calamitatum suarum lib. 1 cap. 2. Eumdem montem occupant modò collegia fere omnia Universitatis Parisiensis. An Parisiensibus scholis aliquando præfuerit Alcuinus, non ita compertum est apud veteres. Huc tamen facit epistola Gislæ & Rictrudis, regiarum virginum, præfixa ejus commentario in Johannem. In ea enim epistola se nonnihil *de melliflua sanctæ Scripturæ cognitione*, Alcuino *exponente*, *hausisse*, confitentur, & quidem apud Parisios, ut ex sequentibus istius epistolæ verbis intelligitur. Nam adducto Hieronymi exemplo, qui rogatu quarumdam Romanæ urbis matronarum plurima in sacram Scripturam opuscula apud Bethleem condiderat, hæc subdunt. *Minori vadosum Ligeris flumen, quàm Tyrrheni maris latitudo periculo navigatur: & multo faciliùs chartarum portitor tuarum de Turonis Parisiacam civitatem, quàm illius de Bethleem Romam pervenire poterit.* Turonis tum degebat Alcuinus, Gisla & Rictrudis apud Parisios: ubi proinde eas erudierit Alcuinus. Quis post ipsum rexerit Parisienses Scholas, non invenio. Neque enim ferenda est Parisiensium Præceptorum successio, quam tradit sive Vincentius Bellovacensis, seu Ademarus Ecolismensis Monachus, Smaragdum Theodulfi; Hericum Remigii præceptores perperam appellans: cùm ex adverso Remigius Heiricum auditorem habuerit; & Theodulfus litteras didicerit in Italia, antequam in Galliam invitante Carolo Magnô accederet, Smaragdo natu major. Ex his unum Remigium Parisiensibus Scholis præfectum fuisse constat: quo præceptore Odo, postea Cluniacensis Abbas piissimus, in Parisiaca civitate usus est.

181. Quia ergo in tanta rerum obscuritate, quinam litteras apud Parisios Carolinis temporibus docuerint, designare difficile est; saltem palatinarum scholarum, ubicumque demum in Gallia steterint, Rectores enumerare juvat. Alcuino ejusmodi scholarum moderatori facilè principi, cùm ad Turonicum S. Martini Cœnobium tandem secessisset; successit CLEMENS Scottus ille, quem Theodulfus versibus insectatur, uti modò observabam.

Palatini Præceptores.

Eodem tempore CLAUDIUS Hiſpanus, Felicis Urgelitani Epiſcopi diſcipulus, *cui in explanandis ſanctorum Evangeliorum lectionibus quantulacumque notitia ineſſe videbatur*, ut ait Jonas in libro primo contra eum ſcripto, in palatio moratus eſt juſſu Caroli Magni, nimirum ut Scripturas ſacras Palatinis exponeret. Claudio ad ſedem Taurinenſem promoto per Ludovicum Auguſtum, eaſdem ſcholas moderatus eſt AMALARIUS Diaconus: quem iſtic Præceptorem habuit ANGELOMUS Monachus Luxovienſis. Is quippe in præfatione explanationis ſuper Cantica canticorum Lothario Auguſto ſcribit, *ſe excubaſſe in veſtro*, inquit, *ſacro palatio, ſub obtentu traditionum liberalium artium, enucleationumque divinarum ſcilicet Scripturarum.* Et in præfatione ad Commentarios Regum, fatetur eos ab ſe conditos ex mente Præceptoris ſui, quem Amalarium fuiſſe reor. Hinc eſt, quòd Ludovicus Pius eidem Amalario copiam librorum ſuppeditavit ex Bibliotheca palatii ad componendam (ut dixi) Regulam Canonicorum: eumdemque Romam miſit, ut Gallicanum cantum & officium ad ritum Romanum emendaret. Ludovico item imperante Palatii præceptor fuit THOMAS, ad quem hoc nomine Walafridus Strabus carmen edidit. REMIGIUS, Cœnobii S. Germani apud Autiſiodorum Monachus, *Dialecticam & Muſicam* apud Pariſios profeſſus eſt, regnante Carolo Calvo. ſiquidem eo præceptore has artes S. Odo Abbas Cluniacenſis ibidem didiciſſe memoratur à Johanne Monacho ipſius Vitæ ſcriptore. Remigii æqualis fuit JOHANNES Scottus, qui etiam in palatio Caroli Calvi ſcholas tenuit, diſcipulumque inter alios habuit Uribaldum, poſtea Epiſcopum Autiſiodorenſem. Quinam poſt eos palatinas ſcholas rexerint ſæculo nono, mihi nondum compertum eſt.

182 Hæc de Palatinis Scholis dixerim occaſione Academiæ Pariſienſis, quam nomine Scholæ Palatinæ, propterea quod Palatio vicina erat, itidem affectam fuiſſe veri ſimillimum eſt. In ſcholas porro palatinas Monachi non raró admittebantur cùm ad docendum, tum ad diſcendum. In his facilè princeps fuit Alcuinus, de cujus monachatu fuſiùs diſſeram in ipſius Elogio hîc relato. Alcuino poſt aliquod tempus ſucceſſit Amalarius, quem Sigebertus itidem *Monachum* vocat in lib. de Scriptoribus eccleſiaſticis cap. 87. Unde ſuſpicor eumdem me eſſe Amalarium, cui Eginhardus epiſtolam tertiam dirigit, *Reverentiſſimo Chriſti famulo Amalhario* inſcriptam. Et primùm quidem Clericus, tum Diaconus Mettenſis eccleſiæ fuit, ac demum Preſbyter & Abbas fortaſſe Gorzienſis: ſub cujus regimine vixit Gontardus Monachus, ad quem exſtat ejus epiſtola de ſputo poſt com- Monachi Præceptores admiſſi.

munionem, ubi Gontardum *filium in disciplina Christi* appellat. Non longo post Amalarium intervallo Parisiensibus scholis præfuit Remigius Monachus Autisiodorensis. An etiam Johannes Scottus inter Monachos censendus sit, in secundo hujus sæculi tomo expendam. Si à domesticis ad externas scholas transeamus, Monachos etiam ad docendum admissos inveniemus. Egregium hujus rei argumentum exstat in Vita Alfredi Anglosaxonum Regis, qui cùm liberales disciplinas, tum in Palatio, tum in regno suo restituere vellet, istuc Grimbaldum & Johannem Ordinis nostri Monachos invitavit, idque per eos feliciter exsecutus est, ut in secundo tomo fusiùs exponam.

iidemque auditores.

183. Præter præceptores in scholas palatinas admittebantur etiam Monachi ad discendum. Nam in istis Angelomum Luxoviensem Monachum studiis sacris dedisse operam superiùs observabam. Neque mirum sanè, cùm in palatiis Reges haberent etiam Cœnobia Monachorum. De Euticio Abbate explorata est res testimonio Johannis Monachi in lib. 2 de vita S. Odonis Abbatis Cluniacensis, ubi Euticius *in tanto amore* apud Ludovicum Augustum habitus fuisse prædicatur, *ut intra palatium suum illi construeret monasterium.* Quonam in loco situm fuerit Monasterium istud, mihi divinare non licet. nam varia fuere per id tempus, ut dixi, palatia Regum nostrorum. Idem præstitit Ludovicus in Benedictum Anianæ Abbatem: in cujus gratiam, *quia Imperatori multis pro causis erat necessarius, placuit Imperatori, ut non longè à palàtio provideret locum aptum sibi, in quo cum paucis quiescere posset.* Id exsecutus est Ludovicus constructo Indæ Monasterio prope palatium Aquisgranense, ubi Ludovicus frequens morabatur.

184. Superest, ut de Scholis Monasteriorum nostrorum, quæ sæculo nono celebriores fuere, paucis agam hoc loco. Erant in singulis Cœnobiis ejusmodi Scholæ, majores aliæ, aliæ minores.

Capitul. Aquisgr. c. 70, & Capitul. l. 1. c. 68

Carolus siquidem constituit in primo Capitulari Aquisgranensi anni DCCLXXXIX, ut Canonici & Monachi, *non solum servilis conditionis infantes, sed etiam ingenuorum filios aggregarent, sibique sociarent; fierentque apud eos Scholæ legentium puerorum*, ut hi *psalmos, notas, cantus, compotum, grammaticam per singula Monasteria vel Episcopia discerent.* Publicæ igitur, omnibusque communes erant Monasteriorum Scholæ, nimirum *exteriores* seu *canonicæ*. nam claustrales solis Monachis destinatæ erant, teste Ekkehardo Monacho de casibus S. Galli cap. 1. Hinc Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, *In omnibus*, inquit, *Ordinis nostri Cœnobiis, in Germania & Gallia maximè, Monachorum Scholastici ex Monachis habebantur, qui juniores quosque & ingenio præstantes in primitivis lit-*

Trithem. in Chron. Hirsaug. ad an. 952.

terarum scientiis erudirent; & postea qui habiles inventi fuissent, ad altiora transmitterent. Erant hæ minores scholæ, in quibus pueri condiscebant *Fidem catholicam & Orationem dominicam*, ex Concilii Moguntini cap. 45. item *psalmos, notas, cantus, computum, & grammaticam*, ex Capitulari Aquisgranensi mox relato. De majoribus scholis ita subjungit Trithemius. *In solis autem famosioribus Cœnobiis, quibus & abundantia rerum temporalium erat copiosior, & Monachorum numerus major, constituebantur ad officium docendi alios Monachi omnium doctissimi, & non solùm in divinis, sed etiam in sæcularibus litteris eruditi, ad quos mittebantur Monachi altioribus disciplinis imbuendi.* Porro in singulis Cœnobiis majoribus Scholasticus instituebatur, id est scholarum Magister, qui non solùm in scripturarum divinarum scientia excelleret; sed etiam *in litteris sæcularibus*, id est *in Mathematica, Astronomia, Arithmetica,* *Idem ad an. 890.* *Geometrica, Musica, Rhetorica, Poësi, & in ceteris omnibus. Quoties autem idoneum ad hanc subeundam provinciam in suo Cœnobio Monachum Abbas minimè habuisset; de aliquo alio Monasterio petere aptum non erat verecundum, &c.* Denique præcipua Monasteria, in quibus ejusmodi studia fervebant sæculo nono, enumerat idem Trithemius, scilicet *Fuldense, S. Galli, Augiense, Hirsfeldense, Hirsaugiense, S. Albani Moguntinense, Corbeiense, Prumiense, Mediolacense, S. Dionysii Parisiense, S. Maximini Trevirense, Remense, Altisiodorense, Turonense, Stabulense & Weissemburgense.* His adjunge Anianense, Flotiacense, Parisiense S. Germani, Ferrariense, Gorziense, Insulæ Barbaræ, S. Michaëlis Virodunense, Fontanellense, Sithiense, apud Italos Casinense, Ticinense, & alia complura. Ut de singulis pro argumenti dignitate hîc edisseram, non sinit brevitatis studium: de quibusdam nonnulla delibare sufficiat.

185. Benedictus, magnus ille Anianæ Abbas, simul ut de restituenda regulari disciplina cogitavit, mox etiam studia litterarum redintegrare adnisus est. *Anianensis.* *Normam utilem*, inquit Ardo, *& Monasteriorum salubres consuetudines didicit, suisque eas tradidit Monachis observandas.* Tum *instituit cantores, docuit lectores, habuit grammaticos; & scientia Scripturarum peritos, de quibus etiam pòst fuêre Episcopi, aggregavit*: denique *librorum multitudinem congregavit.* Ex hujus discipulis unus fuit Ardo ipsius Vitæ scriptor, quem *Magistrum* vocant Indenses in epistola sua, alio nomine Smaragdus appellatus.

186. Floruit eodem tempore alius Smaragdus Abbas Monasterii S. Michaëlis in pago Virdunensi, pietate ac scriptis clarus, *S. Michaëlis.* à quo schola hujus loci originem habuit, ut fusiùs exposui in notis ad Chronicon ejusdem Cœnobii, quod typis vulgatum est in Veterum Analectorum tomo 1.

Floriacensis.

187. Jam ante Smaragdum vigebat ſchola Floriacenſis, de qua hæc lego in Capitulari Theodulfi Epiſcopi Aurelianenſis. *Si quis ex Preſbyteris voluerit nepotem ſuum, aut aliquem conſanguineum ad ſcholam mittere in eccleſia S. Crucis, aut in monaſterio S. Aniani, aut S. Benedicti, aut S. Liſardi, aut in ceteris de iis Cœnobiis, quæ nobis ad regendum conceſſa ſunt; ei licentiam id faciendi concedimus.* Quidam vir doctus hîc obſervat, ſcholas epiſcopales in cathedrali S. Crucis eccleſia; cœnobiales in Monaſteriis S. Benedicti, aliiſque, ſic tum fuiſſe inſtitutas, *ut privatæ eſſent utræque, nec publicè cuilibet paterent: quandoquidem Preſbyterorum nepotibus ac conſanguineis, ut eas adire poſſent, loco privilegii conceſſum eſt ab Epiſcopo diœceſano.* Id quidem Theodulfi privilegium eſt: ſed Preſbyterorum conſanguineis, non ſcholis ipſis conceſſum. Preſbyterorum quippe nepotes ac conſanguinei, quos hîc memorat Theodulfus, erant adoleſcentes in Clerum cooptati, ac certis addicti eccleſiis, alii urbicanis, alii vicanis: utriſque licentiam concedit adeundi quas ex his vellent ſcholas. Neque enim licebat Clericis ab eccleſia, cui ſemel incardinari erant, recedere inconſulto Epiſcopo. Has ergo ſcholas, uti publicas, agnoſcit Theodulfus. alias fruſtrà concederet licentiam ad eas adeundi, niſi adventicii in illas admitterentur. Sic Epiſcopi, ſic collegia Canonicorum ſubditis ſuis facultatem indulgent adeundi ſtudium Pariſienſe. Sic Theodulfus junioribus Clericis permittebat aditum ſcholæ Floriacenſis, uti & aliorum ſuæ diœceſeos Cœnobiorum: in quibus idem mos obtinebat, atque in Sancti-Gallenſi, ubi duplices erant Scholæ, *interiores* ſeu clauſtrales pro Monachis, *exteriores* ſeu *Canonicæ* pro ſæcularibus, quorum conſuetudo junioribus Monachis interdicta erat. Ut verò hunc Theodulfi locum de junioribus Clericis exponam, præcipuè me movet Beati Abbatis Hiſpani, Theodulfi æqualis, liber adverſus Elipandum primus, in quo docet ſolos eos, qui *futuri* ſunt Sacerdores, *Scholæ* tradi rum ſolitos; ceteros *doctrinæ. Ex ipſis baptizatis*, inquit, *alii traduntur Scholæ, & offeruntur à parentibus Chriſto, ut poſſint futuri eſſe Sacerdotes, & ſerviant Chriſto. alii tantùm doctrinæ traduntur, ut legant, & cognoſcant Chriſtum, & accipiant cum benedictione intra Eccleſiam uxores, ut ſerviant conjugio.* Ex quo intelligitur, ſuperiorem Theodulfi locum explicandum eſſe de Clericis, aut de vitæ clericalis candidatis: qui ſoli mittebantur ad Scholas. Hinc ſoli ferè Clerici litteris inſtructi erant, uti vulgarum hactenus retinet proverbium. Quamquam Scholæ Palatinæ apud Francos nobilibus quibuſque deſtinatæ erant. Atque ut laïcis ac Clericis communes fuerint etiam aliæ Scholæ, id etiam ſententiæ noſtræ favet. Neque enim eas Scholas adeundi licentiam Theodulfus reſtrinxiſſet ad nepotes

Coint. an. 786. n. 85.

&

& consanguineos Presbyterorum, si laïcis itidem quibusvis non patuissent istæ Academiæ. Sæculo IX Scholam Floriacensem illustrarunt in primis Adalbertus, Adrevaldus, Adelerius; insequenti Constantinus Scholasticus, Abo, & Aimoinus.

188. Nulla verò per id tempus celebrior Academia fuit, quàm Fuldensis Rabano præceptore, cui adjunctus Haimo postea Halberstadensis Episcopus, aliique. Eò Freculfus Lexoviensis Episcopus, Lupus Monachus, dein Abbas Ferrariensis; Heiricus Autisiodorensis Monachus, & alii permulti se contulere ex Gallia, ut litteras sacras addiscerent. His etiam adnumero Wsinum Eginhardi filium ac Monachum, ad quem ipse scripsit epistolam 30, cujus hîc verba referre operæ pretium duco. *Mi nate*, inquit, *stude probos æmulari mores, & quem te semper sequi hortabar, ne ullo pacto offensum habere velis: sed professionis tuæ memor, quantum ipse annuerit, cui te totum commisisti, ejus mandatis insiste discendis. His edoctus, & in opere eorum assuetus, nullo vitalis scientiæ commodo carebis. Sicut te præsens monui, in studio discendi te exerce; & quidquid ex ipso lucidissimo & abundantissimo magni Oratoris ingenio assequi nobilis scientiæ potueris, nihil intactum relinque: maximè autem probos mores illius, quibus excellit, imitari memento. quoniam Grammatica & Rhetorica, ceteraque liberalium artium studia, vana sunt, & valde nociva servis Dei, nisi per gratiam divinam bonis moribus subesse noscantur. quia scientia inflat, caritas verò ædificat. Melius mihi quidem est, ut te mortuum videre contingat, quàm inflatum & scatentem vitiis.* Hæc piissimi parentis monita, qui Rabanum præceptorem his verbis imitandum videtur proponere Wsino, qui vel filius ejus verus, vel certè filius in Christo ac propinquus erat. Fuldensis.

189. Ex Fuldensi Academia propagata est Hirsaugiensis, de qua fusè Trithemius in historia Hirsaugiensi. Augiensis etiam Fuldensi debet Walafridum suum, qui Rabani auditor fuit, tametsi etiam Augiæ Tattonem præceptorem habuit. Ast ante Walafridum Hetto Abbas Augiensis, à Scotto quodam (quem Clementem esse puto) edoctus, Augiensem scholam illustraverat. Successorem habuit Erlebaldum, Erlebaldus Tattonem & Wetinum, de cujus viso carmen edidit Walafridus hoc in tomo relatum, in quo hæc omnia memorantur. Veri item simile est, Gothescalcum in eodem loco edoctum fuisse, uti colligunt nonnulli ex Walafridi carmine ad ipsum, & ex schedis Monasterii Altivillarensis. Augiensis.

190. Fuldensi vicinum erat Moguntiacense S. Albani Monasterium, in quo florebant studia per Probum & Altwinum Monachos, non minùs pios, quàm doctos. Probi res gestas referamin hujus Sæculi tomo 2. De Altwino condiscipulo suo agit S. Albani.

Lupus Abbas Ferrariensis in epistolis 20, 34, & 36 ad ipsum scriptis: in quarum prioribus duabus varias Grammaticæ quæstiones ab eo propositas solvit. In his etiam de Episcopi cujusdam sanitate sollicitum se esse significat: quod de Rabano Præceptore suo, qui tum Moguntiacensi ecclesiæ præerat, intelligendum est.

Prumiensis.

191. Non ita longè ab his duobus aberat Prumiense Monasterium, in quo etiam litterarum cultus maximè viguit Marcwardo Abbate: cujus discipuli fuere Ado Viennensis postea Archiepiscopus, Wandalbertus Diaconus, & alii, quibus accedit Regino celebris Abbas Prumiensis. Ado quippe Monachus quidem erat Ferrariensis: sed ob sociorum quorumdam invidiam inde exire compulsus, Prumiam se recepit sub Marcwardi disciplina; deinde Lugdunum, ubi à Remigio Episcopo perhumaniter acceptus est, ac demum ejus opera provectus in sedem Viennensem. Horum omnium probationes adducam in præsentis Sæculi tomo 2, in quo Adonis res gestas expositurus sum. Sed mihi temperare nequeo, quin cum litteratis viris communicem egregium de eodem Adone testimonium, quod hactenus in Lupi Abbatis epistolis lectum est, sed non intellectum. Locus occurrit in epistola 122, quæ Gerardo Provinciæ Duci seu Comiti, & Bertæ ejus conjugi inscripta est. In hac enim epistola Lupus ipsis contestatur, quemdam Monachum suum, qui à Monasterio suo quondam cum *regularibus litteris* discesserat Prumiam, ac postmodum discendi studio Lugduni constiterat sub Remigio Pontifice, esse hominem probatæ vitæ, idoneum ad docendum, progenitorum nobilitate ornatum; uno verbo prorsus dignum sede episcopali, ad quam electus erat. quæ omnia in Adonem convenire certis demonstrabo argumentis. Interim primam hujusce observationis meæ originem acceptam refero diligentiæ eruditissimi viri Stephani Baluzii, qui in nova editione Lupi Abbatis operum hanc mihi eruendæ veritatis viam aperuit duarum dumtaxat litterarum correctione. Nimirum in editione Massoniana sic legebatur hic versus: *Ceterum, quod diligenter scrutamini, noveritis Monachum & discipulum meum nonnumquam à nostro Monasterio aufugisse.* Ita verò eum restituit Baluzius, *Monachum & discipulum meum* A D. *numquam*, &c. cui loco vir diligentissimus hanc adnotationem adhibuit. *Ita vetus codex, pro quo editio Massonii habet*, nonnumquam. *Sanè necessaria est isthæc emendatio. Quis autem fuerit hic homo, quem duabus illis litteris* A D. *expressum videmus, nondum potui divinare.* Ita ille. Nec ego certè umquam divinassem, nisi istuc me perduxissent vetera hac de re monumenta, quæ præ manibus habeo. Id me in antecef-

ſum monuiſſe non erit (opinor) viris ſtudioſis ingratum.

192. Prumienſi Monaſterio magna affinitate conjunctum erat Ferrarienſe, quod famoſiſſimum fuit, maximè ſub regimine Lupi Abbatis, ut hîc dicendum in Vita S. Aldrici ex Abbate Pontificis Senonenſis. Quantum in litteras propenſus fuerit Lupus, teſtatur ipſe in epiſtola 1 ad Einardum. *Amor litterarum*, inquit, *ab ipſo fere initio pueritiæ mihi eſt innatus; nec earum, ut nunc à pleriſque vocantur, ſuperſtitioſa otia faſtidio ſunt.* Hoc amore affectus, in peregrinas regiones profectus eſt, ſcilicet in Fuldenſe Monaſterium, non ut linguam Germanicam diſceret, ut alicubi dicit: ſed ut ſacra lectione & eruditione paſceret animum. Reverſus Ferrarias, Abbaſque factus, duplici pabulo pavit gregem, ſcilicet doctrinâ ſalutis, & humanioribus diſciplinis. De inculcando tum bonæ vitæ, tum ſcientiæ ſtudio quàm ſollicitus fuerit, teſtatur in epiſtola 35 ad Ebrardum Monachum, propinquum ſuum. *Reviviſcentem*, inquit, *in his noſtris regionibus ſapientiam quoſdam ſtudioſè colere pergratum habeo: ſed hinc haud quaquam mediocriter moveor, quòd quidam noſtrûm partem illius appetentes, inſolenter partem repudiant .˙. Etenim plerique ex ea cultum ſermonis quærimus: & paucos admodum reperias, qui ex ea morum probitatem (quod longè conducibilius eſt) proponant addiſcere. Sic linguæ vitia reformamus, & purgare contendimus: vitæ verò delicta parvi pendimus & augemus.* Eamdem occupationem aliquamdiu intermiſſam repetere ſe velle Catolo Regi teſtatum facit per Æneam Pariſienſem Epiſcopum in epiſtola 119. De auditoribus ſuis agit in epiſtola 34 ad Altwinum, & in epiſtola 116 gratiſſimum auditorem ſuum Fridilonem memorat. Inter hos auditores adnumerandi ſunt etiam Ado prælaudatus, & Heiricus Autiſiodorenſis Monaſterii S. Germani Cœnobita. Id enim ipſe conteſtatur in carmine ad Hildeboldum Autiſiodorenſem Epiſcopum, cui collectanea ſua (quæ præ manibus habeo) ex ore Lupi & Haimonis præceptorum ſuorum accepta dedicavit, præmiſſis verſibus à me in Veterum Analectorum tomo 1 editis, ex quibus ſequentes ad propoſitum pertinent.

Hîc præceptorum ſunt ludicra pulcra duorum,
Quîs ego præſulibus ingenium colui.
His LUPUS, *his* HAIMO *ludebant ordine grato,*
Cùm quid ludendum tempus & hora daret.
Humanis alter, divinis calluit alter:
Excellit titulis clarus uterque ſuis.

Ex quibus intelligimus Heiricum Ferrariis & Fuldæ operam litteris navaſſe.

193. Dein ſcholas Monaſterii ſui, ſcilicet S. Germani apud S. Germani

Ferrarienſis.

apud Autisiodorum. Autisiodorum, rexit Heiricus, cui ad educandum commissus est Lotharius Caroli Calvi filius, uti Heiricus ipse testatur in epistola ad Carolum Calvum, Vitæ S. Germani præfixa his verbis. *Quidquid igitur litteræ possunt, quidquid adsequuntur ingenia, tibi debent: tibi, inquam, qui natus ad agendum semper aliquid dignum viro, cùm virtute præcellis, tum etiam sapientia refulges. Quorsum ista protulerim, illud causa est, divæ memoriæ* LOTHARIUM, *tuæ filium majestatis, annis puerum, mente philosophum, (ingenuè confiteor) animi indole & sollertiæ opibus, ut tibi uni concedam, præ ceteris sui ævi mortalibus exstitisse pretiosum. Is quod tua dispositione & Deo devotus, & beato Germano ad educandum fuerat commendatus, tantum devotionis in Sanctum, tantum ardoris in eum conceperat, ut vitam illius mors livida nobis merito invidisse putetur.* Fuerat Lotharius iste Clericus, id est Monachus, factus in Cœnobio Reomaensi*, ut patet ex Annalibus Bertinianis, in quibus hæc verba ad annum DCCCLXI. *Karlus Rex filium suum Lotharium claudum in Monasterio S. Johannis Clericum fieri jubet.* Ejus mortem anno DCCCLXV referunt iidem Annales. Heirici apud Autisiodorum sodalis fuit Remigius Lupi Abbatis propinquus, & forsan discipulus, qui primo quidem in suo ipsius Monasterio litteras docuit, tum Luteciæ Parisiorum, atque etiam apud Remos; eo vocatus à Fulcone Archiepiscopo Remensi, testante Frodoardo in lib. 4 cap. 9.

* *Monstier S. Jean.*

S. Germani apud Parisios. 194. Commune & nomen, & studiorum commercium erat in S. Germani Monasterio Parisiacensi, quod à pratis appellationem traxit: quo in loco sub Aimoino, ac deinde sub Abbone Magistris scholæ pro miserabili Galliæ statu floruerunt, perseveraruntque sæculo x, quo Olbertus, Gemblacensis dein Abbas, huc eruditionis gratiâ missus est. Refloruere studia hæc maximè sub Guillelmo Episcopi Abbate procedente sæculo xv. qui Abbas Jus Canonicum in Universitate Parisiensi prælegisse fertur.

Corbeiense utrumque. 195. Multa dicenda essent de studiis utriusque Corbeiæ, Gallicanæ scilicet ac Saxonicæ: quæ utraque magnum illum Anscharium præceptorem habuit: Gallicana verò Paschasium Radbertum, ex cujus disciplina permulti viri scientia & pietate illustres prodierunt. At de his legenda eorum Acta, quæ in præsenti Sæculo exhibentur.

Elnonense. 196. Venio ad Elnonense S. Amandi Monasterium, in quo Milo Monachus studiis præfuit: cujus disciplinæ commissi sunt filii duo Caroli Calvi, Drogo & Pippinus: qui cùm eo in loco morte correpti fuissent ab ipsis vitæ incuntis primordiis, sepulturâ ibidem & epitaphio donari sunt à me alibi relato. Miloni successit Hucbaldus nepos in regendis scholis, qui & ipse Re-

mos à Fulcone Archiepiscopo arcessitus est ad Canonicos erudiendos, ut tradit Frodoardus in loco mox citato..

197. Casinense Monasterium (quod honoris causâ primum nominari debuit) pæne prætermeram: ubi Paulo Diacono præceptore non minùs claruerunt artes liberales, quàm virtutis ac religionis disciplina. Huic accedit Ticinense S. Augustini Cœnobium, in quo etiam academiam aperuit Scottus quidam, Clementis alterius Scotti socius: qui cùm ambo in Galliam accessissent ad Carolum Magnum, *unum*, scilicet Clementem, *in Gallia residere præcepit* Imperator ad pueros quosque erudiendos: *alterum verò in Italiam direxit, cui & Monasterium S. Augustini juxta Ticinensem urbem delegavit, ut qui illuc ad eum voluissent, ad discendum congregari potuissent*, ut scribit Monachus Sancti-Gallensis initio libri primi.

Casinense.

Ticinense.

De aliis Ordinis nostri academiis, quas superiùs commemoravi, hîc agere supersedeo: tum quia id exigit instituti mei brevitas: tum quia de earum origine jam præclarè egit nominatissimus vir Johannes Launoïus in libro de Scholis celebrioribus per Occidentem instauratis.

§. IX.

Observationes historicæ, præsertim de Dagoberto secundo, Austrasiorum Rege.

198. TRIBUS maximè observationibus illustrata est nostra ætate Francica sæculi septimi historia. Prima est de anno obitûs Dagoberti senioris, atque initi à Chlodoveo ejus filio principatûs. Secunda de restitutione Dagoberti secundi in regnum Austrasianum. Tertia de tempore atque genere mortis ejusdem Dagoberti. Prima & tertia multum conferunt ad stabiliendam sæculi septimi chronologiam: media, uti & postrema, continet insigne factum ab historicis nostris ante annos fere nongentos ignoratum.

199. Primam observationem explicavit V. C. Hadrianus Valesius Historiographus Regius, duobusque argumentis ex Fredegarii auctoritate petitis demonstravit, annos regni sexdecim, qui Dagoberto seniori tribuuntur, non esse computandos à morte Chlotharii ejus patris, quæ anno DC XXVIII contigit: sed ab anno DC XXII, quo Rex Austriæ constitutus est, vivente Chlothario patre: adeoque hujus Dagoberti supremum annum coincidere cum anno DC XXXVIII; non cum anno DC XLIV, uti ante Valesii observationem omnibus persuasum erat. Duo-

Dagoberti I confirmantur anni principatûs.

bus Valesii argumentis tertium adjecit eruditus vir Carolus Cointius, desumtum ex Jonæ prologo in Vitam S. Columbani cum Actis S. Eustasii collato. Quippe Jonas hunc prologum scribebat triennio vixdum elapso à morte Bertulfi Bobiensis Abbatis, qui anno DC XL vivere desiit: idemque auctor Eustasii Vitam Columbani Actis continenter subjectam exarabat tum, cùm jam *ecclesiæ Veromandensi præerat Elegius*, qui *anno tertio Chlodovei* junioris Episcopus ordinatus est. His tribus argumentis etiam ego alia duo superaddidi in præfatione Sæculi secundi ex Fredegario, qui Sisenandi Vesigothorum Regis principatum orditur ab anno nono regni Dagoberti, cùm Sisenandum anno DC XXXI regnum iniisse constet: idemque tradit *Sentilam*, aliis Chintilam dictum, *qui Sisenando in regnum successerat, defunctum* esse *anno secundo Chlodovei Regis*, hoc est anno DC XXXIX, uti Johannes Mariana probat.

200. His omnibus aliud item gravissimum accidit argumentum ex tempore mortis Dagoberti secundi, quem anno DC LXXIX necatum fuisse in præfatione Sæculi tertii ostendi, tum Fridegodi, tum Eadmeri auctoritate in Actis S. Wilfridi Episcopi Eboracensis. Tanti visa est eruditissimo viro Godefrido Henschenio horum scriptorum auctoritas, ut cùm ipse in Diatriba de tribus Dagobertis, & in Exegesi præliminari ad Martii tomum tertium, vulgatam Dagoberti senioris epocham constanter retinuisset, ac Dagoberti secundi obitum rejecisset in annum DC LXXXVII; mutatâ tandem sententiâ (quæ optimi viri sinceritas est) hujus Dagoberti cædem summoverit ad annum DC LXXX; atque adeo Dagoberti senioris itidem obitum ad calculum Valesianum revocaverit, id est ad annum DC XXXVIII, ut legere licet in ejus Exegesi præliminari ad Aprilis tomum tertium. Sic ab omnibus tandem approbata est Valesiana epocha de tempore obitus Dagoberti senioris. Huic calculo coronidis loco novissimum adjicio argumentum ex privilegio Johannis IV Romani Pontificis, quod Sanctimonialibus *beatæ Mariæ & sanctæ Columbæ* concessit rogatu Chlodovei, haud dubiè junioris. Porro Johannes IV anno DC XXXIX iniit pontificatum, eumque anno post tertio Theodoro successori morte sua resignavit. Jam ergo summâ rerum apud Francos potiebatur Chlodoveus sedente Johanne IV, hoc est anno DC XXXIX, vel insequente. Hoc verò Johannis privilegium in Appendice hujusce tomi vulgatum habes, erutum ex pervetusto codice Thuaneo.

S. Eligii ordinationis

201. Opponitur epocha beati Eligii ordinationis in Episcopum Noviomagensem: quæ ordinatio, referente Audoëno,

facta est eo tempore, *quo apud Gallias Rogationes celebrabantur.* epocha expenditur.
Tunc quippe Eligius & Audoënus *convenientes simul in civitatem Rotomagensem quarto-decimo die mensis tertii*, seu Maii, *tertio anno Chlodovei juvenculi adhuc Regis, die Dominico ante Litanias consecrati sunt Episcopi*, Audoënus quidem *Rodomo*, Eligius autem *Noviomo.* *Audoën. lib. 2 de vita S. Eligii c.1.* Adversæ partis auctores id referunt ad annum DCXLVI, quo Dominica dies Rogationes præcedens in quartum-decimum Maii diem incidebat. Qui certè annus, si Chlodovei tertius regni erat, Chlodoveum anno DCXLIV principatum iniisse fatendum est. Hunc nodum solvere tentant alii atque alii variis modis. Uni quippe interpolationem in hæc Eligii Acta irrepsisse causantur: in cujus rei argumentum proferunt locum ex initio libri 2, ubi *sancti viri* Eligius & Audoënus appellantur. quem titulum sibi, inquiunt, non tribuisset Audoënus ejus operis scriptor. Verùm elogium istud, quod communi nomine sibi atque Eligio aptat Audoënus, non magis ipsi repugnat, quàm pleraque alia, quæ sibi sumserunt illorum temporum auctores. Sic Willibaldus in Actis S. Bonifacii Episcopi & Martyris agens de sua ac Lulli electione, se ipse ac Lullum *bonæ industriæ viros* appellat. Sic Anastasius Bibliothecarius de se item scribens in Scholiis ad Synodum VIII, se primum inter Missos Ludovici Imperatoris nominat his verbis: *Anastasius Deo amabilis Bibliothecarius Romæ.* *V. tom 1 Analect. pag. 111.* Quin etiam ipse in vita Hadriani Papæ II (si tamen ipse ejus scriptor est) se se *disertissimum, fidelissimum* ac *prudentissimum* dicit. Atque ut præmissus Audoëni locus vitiosus sit, ubi Sancti nomen sibi ipse assumit; certè integer est alter de tempore ordinationis Eligianæ. Non solùm enim in omnibus, quotquot vidi, ejus vitæ codicibus mss. sed etiam in ejusdem compendiis & exscriptis præmissæ circumstantiæ omnes adducuntur. Alius proinde modus solvendæ difficultatis afferendus est. Ingeniosa planè & acuta mihi aliquando visa est Caroli Cointii ratio, qui Eligium quidem & Audoënum Maii die XIV Rotomagum convenisse, at sequenti Dominica consecratos fuisse sentit: qui calculus anno DCXL rectè convenit. At in veterrimo Noviomagensis ecclesiæ Kalendario, quod libro Psalmorum ab annis bene nongentis exarato præmissum est, aliisque, *ordinatio sancti Eligii* assignatur II *Id. Maii*, quo die hactenus celebratur. Non ergo distingui potest dies XIV Maii ab Eligii ordinationis die. nisi dixeris, ecclesiam Noviomagensem hac in re aberrasse ab annis ampliùs nongentis: quod certè haud temere proferre licet. Denique Henschenius in Exegesi præliminari ad Aprilis tomum 3, alias duas conciliandi hujus loci methodos adducit. Una est, ut Dominica ante Litanias sit Dominica

quarta post Pascha, seu Dominica ante hebdomadam Rogationum sive Litaniarum. Altera ut octiduo citiùs Pascha celebraverint Galli, quemadmodum aliàs, anno DC XL, quo Eligii ordinatio contigerit. Utramque hanc methodum multis refellit Carolus Cointius in Annalium tomo 6. Et primam quidem satis confutat Audoënus ipse, cùm hanc ordinationem statuat eo tempore, *quo apud Gallias Rogationes celebrabantur*. Non itaque octiduo ante Rogationes. Certè neque octiduanum Paschæ discrimen obtinuit anno DC XL, ut ex Clavii, aliorumque Paschalibus tabulis Cointius rectè probat. In tantis ambagibus unum mihi modò succurrit, nimirum annum tertium *Chlodovei juvenculi adhuc Regis*, quo anno Eligii ordinationem reponit Audoënus, interpretandum esse habita ratione temporis, quo Chlodoveus, statim atque natus est, Neustriæ Rex designatus fuit. Id verò Fredegarius Scholasticus docet accidisse anno XII regni Dagoberti, quo anno *Austrasiorum omnes primates, Pontifices, ceterique Leudes Sigiberti sacramentis firmaverunt, ut Neptricum & Burgundia solidato ordine ad regnum Chlodovei post Dagoberti discessum adspiceret*. Chlodoveus itaque Neustriæ Rex designatus est anno XII regni Dagoberti, qui anno DC XXXIII respondet. adeo ut annus designati Regis Chlodovei tertius cum anno Christi DC XXXV conveniat: quo quidem anno Dominica Rogationum in Maii diem XIV incidebat. Certè hunc ipsum Eligianæ ordinationis annum statuit non modò Fridegodus Monachus in vita beati Audoëni, sed etiam vetustissimus auctor anonymus, qui Chronica Regum Francorum digerebat anno DCCC LV. Sic enim lego apud Labbeum. *Hujus Chlodovechi anno tertio, Incarnationis Dominicæ* DC XXXV, *sub Martino Papa, Audoënus & Eligius apud Rotomagum una die ordinantur Episcopi*. Fallit calculus hujus auctoris in Martini Papæ pontificatu: at forsan Eligianæ ordinationis annum rectè assignaverit. Illud tamen in contrarium nonnullos moveat, quòd Eligius ad Episcopatum promotus videtur non nisi post mortem Dagoberti, quam Audoënus refert in lib. 1 de gestis S. Eligii, ubi privatam ejus ac sæcularem vitam memorat. Sed facilè reponi potest, Audoënum in eodem libro quædam etiam anticipatò retulisse, ut mortem Martini Papæ, quæ sub extremum Eligii jam Episcopi tempus contigit. Hæc de epocha Eligianæ ordinationis dicta sunt, dum certior occurrat conciliandæ & illustrandæ veritatis via.

Coint. to. 6 pag. 670 & seqq. — *Fredeg. cap. 76.* — *Labbe tom. 1 Bibl. nove pag. 330.*

Dagoberti II restitutio denuo item asserta.

212. Sigebertus, alter Dagoberti Regis filius natu major, paulo ante Chlodoveum fratrem è medio sublatus, unicum filium, nomine Dagobertum, moriens Grimoaldo palatii præfecto commendavit, ut ipsius opera in paterno regno confirmaretur.

At

At ille pueri imbecillitate ad ejus perniciem abusus, Dagobertum tonso capite Clericum fecit; & per Didonem Pictavorum Episcopum in Scottiam majorem, seu Hiberniam Scottorum insulam, perpetuo (si Deo ita visum esset) exsilio relegavit; ejusque loco Childebertum filium suum Austrasiorum throno imposuit. Hæc apud veteres Francorum Annales legebantur de isto Dagoberto, de quo nihil ampliùs in posterum referunt. Primus inter nostrates Hadrianus Valesius Dagoberti in paternum regnum restitutionem observavit; inter exteros Godefridus Henschenius: eamque tribus uterque argumentis probavere, nimirum auctoritate Willelmi Malmesburiensis Monachi, scriptoris vitæ S. Salabergæ anonymi, alteriusque item anonymi, qui beati Memmii Catalaunensis Episcopi gesta in litteras retulit. Tribus his auctoribus adjunxi alios duos in Sæculi tertii parte prima; scilicet Fridegodum Poëtam, & Eadmerum Monachum, in libello utrumque suo de vita S. Wilfridi Episcopi Eboracensis. Verùm etsi tam illustre factum idoneis monumentis stabilitum videbatur; unus tamen desiderabatur auctor Eddius Stephanus, à quo tam Willelmus Malmesburiensis, quàm Fridegodus & Eadmerus auctoritatem acceperant. Hunc verò auctorem tandem ex Anglia, post multas ultro citroque missas epistolas, favente Deo accepi: ejusque in hocce tomo exhibeo lucubrationem, quâ luculentius nihil ad illustrandam Dagoberti restitutionem umquam afferri potest. Eddius quippe æqualis & familiaris fuit Wilfridi, rerumque ab eo gestarum testis plerumque oculatus: cujus Wilfridi operâ Dagobertus ab exsilio in thronum revocatus est. Eddius verò hac de re testimonium perhibet cap. 27 in hunc modum. *Postquam Deo amabilis Pontifex noster in* Freis *hiemaverat, populum multum Domino lucratus; verno tempore adveniente cæptum iter, Deo adjuvante ad sedem apostolicam cum comitibus carpebat, veniens ad Francorum Regem nomine* Daëgberht, *qui eum cum honore mansuetissimè pro meritis ejus anteactis in eum suscepit. Nam supra dictus Rex in juventute sua ab inimicis regnantibus in exsilium proditionis pulsus, navigando ad Hiberniam insulam, Deo juvante, pervenit. Post annorum circulum amici & propinqui ejus viventem, & in perfecta ætate florentem à navigantibus audientes, misêre nuncios suos ad beatum Wilfridum Episcopum, petentes, ut eum de Scottia & Hibernia ad se invitasset, & sibi ad Regem emisisset. Et sic sanctus Pontifex noster perfecit, suscipiens eum de Hibernia venientem, per omnia ditatum, & viribus sociorum elevatum magnificè ad suam regionem emisit. Et hunc Rex beneficiorum ejus memor erat, diligenter poscens, ut in regno suo Episcopatum maximum ad civitatem Streitburg pertinentem susciperet: & eum nolentem accipere, cum mune-*

ribus & donis magnis, & cum DEODATO *Episcopo suo duce ad apostolicam sedem emisit.* Hactenus Eddii verba: cujus hac in re auctoritas instar omnium esse debet, & Dagoberti restitutionem mirificè illustrat.

Quo tempore facta. 203. Unum hîc superest discutiendum, nimirum quo tempore Dagobertus ex Hibernia in Austriam reversus sit. Henschenius in Exegesi præliminari ad Aprilis tomum tertium, id factum arbitratur circa annum DCLXI, quo tempore, inquit, » Wilfridus erat carus Regi Oswio, ejusque filio Alfrido, ac reli» quis regni Proceribus, ut faciliùs potuerit Dagoberto auxiliari. At Valesius, & post eum Carolus Cointius, Dagoberti reditum in patriam rejiciunt post mortem Childerici Regis: quo exstincto, à Wlfoaldo Majore domus regiæ, & à ceteris Austrasiosiorum Optimatibus ex Hibernia revocatus sit, & in regnum patrium restitutus. Et ego quidem Dagoberti ex Hibernia reditum existimo contigisse post mortem vel Chlotharii Regis, vel Childerici ejus fratris. Primùm quia jam adultæ ætatis erat Dagobertus, cùm in Galliam revocatus est. Expendenda sunt superiora Eddii hæc verba. *Post annorum circulum*, quàm scilicet exsilio deportatus in Hiberniam fuerat Dagobertus, *amici & propinqui ejus viventem, & in perfecta ætate florentem à navigantibus audientes, misêre nuntios suos ad beatum Wilfridum Episcopum, petentes, ut eum de Scottia & Hibernia ad se invitasset, & sibi ad Regem emisisset. Et sic sanctus Pontifex noster perfecit, &c.* Itaque jam tum *perfectæ ætatis* erat Dagobertus, id est annos minimùm viginti natus, qui sub annum DCL prodiit in lucem. Deinde jam Episcopus erat Wilfridus, qui nonnisi anno DCLXIV Episcopus consecratus est; nec ante annum DCLXIX in sedem Eboracensem admissus: quam postea pacificè rexit per annos ferè novem, Egfridi per id tempus amicitiâ usus: quo tempore Dagoberto in patriam revertenti auxilium ferre potuit. Ad hæc, ab amicis & propinquis revocatus est Dagobertus, ut *sibi in Regem* præficeretur: idque statim ab ipsius reditu consecutum esse satis declarat Eddius in cap. 31, ubi Episcopum quemdam ejusdem Dagoberti cædis conscium inducit, Wilfrido insultantem in hunc modum. *Qua fiducia tam temerariè per Francorum regionem pergis, qui dignus es morte, quia nobis Regem subsidio tuo factum exsilio emisisti?* Quod sanè improperium Wilfrido non objiceretur, si tantùm reversionis auctor, non etiam recuperandi regni adjutor Dagoberto fuisset. Ex his consequens est, Dagobertum non ante Chlotharii mortem, quæ anno DCLXIX accidit, in patriam revertisse, atque Austrasiæ throno fuisse admotum.

204. Insigne hujus restitutionis argumentum nobis suppedi-

tat Paulus Warnefridi in libro 5 de gestis Langobardorum, ubi Grimoaldus Langobardorum Rex cum Dagoberto pacem iniisse memoratur eo anno, quo ipse è vivis sublatus est. Ita enim scribit Paulus in lib. 5 cap. 32. *Hac tempestate Francorum regnum apud Gallias Dagobertus regebat, cum quo Rex Grimoaldus pacis firmissimæ fœdus inierat.* Observatu maximè dignus est hic locus: cui illustrando ostendere convenit, quo tempore initum sit hoc fœdus. Id verò perspicuum fit ex subsequentibus Pauli verbis. *Cujus Grimoaldi vires Bertaridus apud Francorum patriam constitutus metuens, egressus è Gallia ad Britanniam insulam Saxonumque Regem properare disponit.* Tum idem Auctor subdit capite insequenti, Bertaridum, cùm Oceani fretum quod inter Galliam Britanniamque insulam interjacet, nave trajiceret; cælesti voce admonitum fuisse, *ut in patriam suam reverteretur:* nimirum quia *tertia jam die Grimoaldus ab hac luce subtractus* erat. Nunc, quo anno id contigerit, explorandum est. Si Paulus Grimoaldo annos regni novem rectè tribuit, non anno DCLXXIII, ut Baronius existimavit, sed DCLXXI interiisse dicendus est. Quippe Grimoaldus anno Christi DCLXIII regnare occœpit, cum sexto regni sui anno, mense Julio, Indictione XI, id est anno Domini DCLXVIII, edictum Rotharis emendasse, & auxisse se dicat. Unde Hadrianus Valesius rectè infert, Grimoaldum anno DCLXXI decessisse. Itaque jam ante hunc annum Dagobertus in Galliam reversus erat, utpote qui ante Grimoaldi obitum pacis fœdus cum eo inierat; ob idque Bertaridus, qui à Grimoaldo regni sorritione spoliatus exsulabat in Gallia, fugam in Angliam cogitabat. Hic est Bertaridus, quem Wilfridus Romam adiens, salutato Dagoberto, jam in regnum restitutum invisit, à quo perhumaniter acceptus est, ut tradit Eddius in prælaudato capite 27, ubi eum *Berchterum Campaniæ Regem* appellat. Hunc verò locum de Bertarido ut exponerem, viso Eddii testimonio admonuit me vir, cùm de republica litteraria, tum de me optimè meritus Hadrianus Valesius, ut suo loco fusius ostendam *. Hinc intelligimus, Dagobertum mortuo Chlothario in patriam ab Austrasiis revocatum fuisse, cùm Childericus ad capessendum Neustriæ regnum advolavit; tumque fœdus pepigisse cum Grimoaldo, ut ejus amicitiâ adversus æmulos se tutum præberet. Constat tamen eumdem Dagobertum non statim integro Austriæ regno potitum fuisse, cùm Childericus utrumque principatum sibi retinere conatus sit: immo etiam Theodoricus ejus frater ac successor, quo regnante Ebroinus Major-domus Trajectensem Episcopatum, qui Austriæ regno continebatur, expulso Landeberto commisit Faramundo, suarum par-

Vales. in rerum Francic. lib. 19. p. 128.

* *hic pag. 675.*

tium fautori. Henschenius in novissima Exegesi existimat, Alsatiam & provincias dumtaxat Transrhenanas huic Dagoberto principio cessisse, eumque cum Childerico pacem tenuisse. Id secus accidit cum Theoderico, contra quem Dagobertus de finibus regni dimicavit. Hæc de restitutione Dagoberti.

Dagoberti ejusdem genus ac tempus mortis.

205. Non minùs illustre est Eddii testimonium de nece ejusdem Regis, quem Wilfridus, cùm ex Romano itinere in patriam se reciperet, in Gallia didicit. Rem gestam Eddius ita commemorat in cap. 31. *Pergente sancto Præsule nostro ab apostolica sede cum triumphali judicio per Campaniam, & montana transscendente, in regionem Francorum pervenit: ibique nuper amico suo fideli* DAEGBERHTO *Rege per dolum Ducum & consensu Episcoporum (quod absit) insidiosè occiso: ex quibus unus cum ingenti exercitu obviavit, cogitans impiè in corde suo insidias, nisi Deus restitisset ei, sodales suos omnes spoliatos aut in servitutem redigere, aut vendere sub corona, seu rebellantes occidere, atque Pastorem sanctum nostrum anxiatum in custodia usque ad* EFRUINI *Ducis reservare judicium. Interrogavitque eum Episcopus, dicens:*
„ *Qua fiducia tam temerariè per Francorum regionem pergis, qui dignus es*
„ *morte, quia nobis Regem subsidio tuo factum exsilio* * *emisisti? Dissipa-*
„ *tor erat urbium, consilia seniorum despiciens; populos, ut Roboam filius*
„ *Salomonis, tributo humilians; ecclesias Dei cum Præsulibus contemnens:*
„ *quorum malorum pœnas luens occisus; cadaver ejus humatum jacet. San-*
„ *ctus verò Pontifex humiliter respondit Episcopo: Veritatem dico in Chri-*
„ *sto Jesu, & per sanctum Petrum Apostolum non mentior, quia talem*
„ *virum exsulantem, & in peregrinatione degentem, secundùm Dei præ-*
„ *ceptum Israëlitico, qui accola fuit in terra aliena, auxiliatus enutrivi, &*
„ *exaltavi in bonum, & non in malum vestrum.*

* f. ex exsilio.

206. Hîc in primis observandum est tempus, quo Wilfridi reditus iste Româ contigit, adeoque Dagoberti cædes. Wilfridus ab Egfrido Rege abalienatus, ex Anglia solvit in Frisiam anno DCLXXVIII, ibique cum S. Willebrordo hiemem exegit. Tum Dagobertum Austrasiorum Regem invisit; & post aliquantam apud eum moram, transscensis Alpibus à Berthero seu Bertarido Langobardorum Rege benignè acceptus, Romam tandem pervenit sub autumnum anni DCLXXIX. Deinde Octobri insequente cogitur Synodus Episcoporum L, in qua purgatus est Pontifex sanctus, qui Romæ hiemavit: ac demum Concilio CXXV Episcoporum interfuit, Monotheletarumque hæresim signo suo diris addixit. Hæc omnia tum ex Wilfridi Actis ab Eddio scriptis, tum ex observationibus à me appositis constant. Istius porro Concilii, quod anno DCLXXX celebratum esse Conciliorum acta docent, tempus signantiùs exprimit unus Eddius Stephanus in cap. 50, nimirum *in sancto*

Pascha, tertia die. Postmodum Româ revertens Wilfridus, cùm Franciam attigisset, obvium habuit Episcopum, qui ipsi beneficium Dagoberto impensum exprobravit, ejusque interitum nuntiavit, uti superior Eddii locus ostendit. Recens igitur erat tum Dagoberti cædes; quæ proinde vel sub finem anni DCLXXIX, vel sub Pascha anni insequentis accidisse dicenda est.

207. Deinde in præmisso Eddii testimonio advertendum est, Dagobertum *per dolum Ducum, & consensu Episcoporum* quorumdam *insidiosè occisum fuisse*, hoc est factione Optimatum aliquot regni Austrasiani, conspirantibus Pseudepiscopis nonnullis, iis nimirum, qui Ebroini partibus favebant. Illud argumento est, quòd Episcopus ille, qui Wilfrido *cum ingenti exercitu*, id est cum multis armatis, obviavit, eum ad *Efruini* seu Ebroini *Ducis judicium reservare* minabatur. Istius porro factionis origo nata videtur hoc pacto. Cùm enim mortuo Childerico Ebroinus Luxovio, ubi in monachum attonsus fuerat, excessisset; Majoris-domus officium apud Austrasios invadere conatus est obsistente Wlfoaldo, cui Austrasiorum pars adhæsit, pars Ebroino. Qui Wlfoaldo adhærebant, Dagobertum opitulante Wilfrido ex Hibernia reversum, & Austriæ parti jam imperantem, eidem regno in solidum præficere moliebantur. Ex adverso Ebroinus alium Regem, nomine Chlodoveum, quem Chlotharii quondam Regis filium fingebat, Francis omnibus imponere conatus est, quos ad partes suas pertraxerat. Hæc anno DCLXXIII contigêre. Tum Ebroinus ut plures per fas, nefasque sibi conciliaret; Episcopatus perversis pastoribus tradidit, legitimis ejectis: ut Trajectensem Faramundo in locum Landeberti in exsilium pulsi; Trecensem Waimero Campaniæ Duci, qui ambo, id est Faramundus & Waimerus, Ebroini facinorum fautores erant. Dein anno DCLXXIV cæso Leudesio Majore-domus in Neustria, Ebroinus cum Theodorico Rege in gratiam rediit, & in pristinam dignitatem restitutus est. Sic Ebroïno apud Neustrasios agente, summam rerum apud Austrasios paullatim sibi vindicavit Dagobertus, & de regni finibus (ut S. Salabergæ gestorum scriptor ejus temporis docet) collatis cum Theodorico Rege signis dimicavit. Sed cùm Pseudepiscopos illos, aliosque Ebroini satellites exagitaret; hi conjuratione in eum factâ, necem ipsi intulerunt.

208. Quia verò in Austrasia contigit hæc cædes; nequaquam credibile est, Dagobertum Sigeberti filium, Austrasiorum Regem, in Rotomagensi S. Audoëni basilica fuisse sepultum. Cùm enim infensum habuerit Theodoricum Regem, maximè verò Ebroinum; tantum ei honorem delatum fuisse, ut ejus corpus Sepultura.

Rotomagum transferretur rumulandum, nemo facilè sibi in animum induxerit. Neque moror Fridegodum sæculi x scriptorem oscitantem, qui non solùm Dagobertum hunc, sed etiam Childericum Theodorici fratrem, & uxorem ejus Bilhildem cum filio, Beretrudem quoque Reginam Chlothario secundo nuptam, in eadem S. Audoëni ecclesia sepultos fuisse affirmat, egregio planè commento: cùm horum tumuli hactenus exstent in basilica S. Germani à Pratis apud Parisios; nec de eorum translatione Rotomago istuc factâ ulla vel mentio, vel occasio afferri possit. Nulla proinde fides homini de Dagoberti secundi sepultura rem à veri similitudine adeo alienam referenti. Hinc asserere non dubitem, Dagobertum, qui Saranaci humatus, atque ante annos sexcentos cultus est, non alium esse à Dagoberto II Austrâsiorum Rege: qui quòd innocens ab adversariis nefariè cæsus sit, à posteris Martyr habitus est pro more illius ætatis. Et siquidem ejus martyrii diem x Kal. Januarii rectè statuit anonymus auctor, qui de Dagoberto Satanacensi scripsit, eum desinente anno LXXIX interiisse dicendum est. Certè eumdem quoque diem vetus Kalendarium, quod Psalterio Emmæ Francorum Reginæ, Lotharii uxoris, præfixum est, his omnino verbis assignat. x *Kal. Januarii* SANCTI DAGOBERTI REGIS ET MARTYRIS. Is apud Satanacenses colitur IV *Non. Septembris*, qui translationis ejus est dies. Ex hoc porro Kalendario seu Psalterio, quod in Remigiana apud Remos Bibliotheca etiam nunc habetur, intelligimus, S. Dagobertum Satanacensem *Regis* nomine ante annos septingentos ornatum fuisse.

209. Antequam Wilfridum dimittamus, quædam observare juvat de Dalfino Lugdunensi Episcopo, quem Wilfridus adolescens Romam adeundo, indeque redeundo invisisse perhibetur apud Eddium Stephanum, Bedam, aliosque eorum sequaces. Existimaveram cum viris doctis, Dalfinum hunc non alium esse ab Annemundo Lugdunensi Episcopo, cui competere videbatur non modò temporis ratio, sed etiam mortis genus, quod prælaudati auctores Dalfino tribuunt. Postea verò cùm in manus meas incidisset Annemundi Testamentum pro puellari S. Petri Monasterio Lugdunensi, non penitus sincerum, in quo Annemundus memorat *fratrem* suum, *nomine* DALFINUM; suspicio mihi injecta est, num esset is Dalfinus à Beda & Eddio commendatus, qui fratri Annemundo successerit in sede Lugdunensi. Sed quoniam neque in recentioribus Lugdunensium Pontificum indicibus, neque in vetustioribus duobus à Petro Francisco Chiffletio in suo Paulino editis, ullus Dalfini nomine ejus sedis Episcopus invenitur; rem in medio relinquere satius

visum est. tametsi apud me plurimum valet Eddii ac Bedæ comparium scriptorum auctoritas, qui Dalfinum Lugdunensem Episcopum appellant. Hæc sunt quæ de Wilfrido, deque Dagoberto Austrasiorum Rege observare operæ pretium duxi, occasione & argumento acceptis ex Eddii libello: quod præclarissimum Gallicanæ, Anglicanæque historiæ monumentum suppeditat hic tomus.

210. Non minùs illustris est Paschasii Radberti lucubratio de gestis venerabilis Walæ Corbeïensis Abbatis. EPITAPHIUM ARSENII inscribit Auctor. Epitaphium quidem, id est laudatorium opus, quo hominem pietate insignem recèns mortuum prosecutus est, eum ad modum, quo S. Hieronymus Nepotiani, Paulæ, Marcellæ, & Fabiolæ epitaphia fusiori oratione explicavit; & ante eum Gregorius Nazianzenus Basilii Magni *epitaphium*, seu orationem funebrem scripsisse dicitur apud Ursum in præfatione ad Basilii Vitam Amphilochio adscriptam. ARSENIUM verò appellat Walam Paschasius, uti etiam in Præfatione ad librum de Corpore & Sanguine Domini, non solùm usitato Carolinis temporibus more viros insignes adjecticiis cognomentis efferendi; sed maximè ut totam Walæ historiam fictis nominibus adumbraret, ne pleraque facta in ea relata, eorumve auctores (quæ invidiam ipsi conflare poterant) à quibusvis statim intelligerentur. Neque verò fortuita personis nomina tribuit, sed dignitati ac moribus cujusque accommoda; Imperatoribus, Regibusque imperatoria & regia. Arsenium porro appellat Walam ob gratiam lacrymarum, quâ is, ut Arsenius quondam ille celebris Asceta, præditus erat. Bernardum autem Septimaniæ Ducem vocat Nasonem eam forsan ob causam, (ut rectè augurari mihi videtur præstantissimus vir Carolus Fresnius) quòd ex patre Guillelmo, quem curti seu brevis nasi fuisse ferunt, processerit. Hæc historia duobus constat libris, quorum prior privatam Walæ vitam; posterior lugubrem exauctorationis Ludovici Augusti scenam repræsentat: adeo ut arcana hæc omnium ejus rei calamitatum historia, & veluti ἀνέκδοτος dici possit. Totam autem istius facti causam rejicit Paschasius in Bernardi Septimaniæ Ducis ac Imperatoris Cubicularii obscenos mores, feritatem, & nimiam cum Juditha Augusta consuetudinem. Qua in re Paschasio, auctori non minùs gravi quàm pio, rerum gestarum plerumque testi oculato, nemo jure fidem abrogare potest. Is enim nulli parti favebat præter æquum. Primùm, quia Walâ per hos motus apud Lemanum lacum exsulante, ut in ejus Epitaphio legitur lib. 2 cap. 10, Paschasius legatione functus est pro Ludovico Augusto: cui proinde suspecta

Wala Epitaphium auctore Paschasio.

Auctoris hujus fides.

non erat ipsius fides. Deinde neque in Bernardum (quantumvis acrioribus eum verbis passim insectetur) pravè affectus erat Paschasius: siquidem Wala, cui is adhærebat, Bernardi sororem in matrimonium duxerat. Certè Nithardus, regiæ familiæ scriptor, Ludovici Pii sororius, Carolo ejus filio addictissimus, non minùs acerbè invehitur in Bernardum in libro primo, ubi Bernardus *republica abusus, quam solidare debuit, penitus evertisse* perhibetur. & sub initium libri 2 idem Caroli Calvi mandatum insuper habere solitus, in ejus offensam incurrisse propter *seductiones, quas patri fecerat, & hactenus illi faciebat.* Hinc *grandia moliens, summisque inhians, majestatis reus, Francorum judicio, jussu Caroli in Aquitania capitalem sententiam subiit anno* DCCC XLIV, ut tradunt Annales Bertiniani, in quibus etiam *tyranni* nomine afficitur. Præter ea neque à partibus Lotharii stabat Paschasius. Huic rei illud argumento est, quòd cùm à Proceribus nonnullis Lothario monarchia deferretur, obstitit cum Wala Paschasius. Ad hæc Carolo Calvo, Judithæ Augustæ filio, acceptissimus fuit: à quo ejus electio in Abbatem Corbeïensem probata est: cui etiam librum de Sacramento altaris, ab se olim compositum, obtulit in Natali Domini cum insigni epistola, observantiæ in Carolum plena, quam in tomo sequenti, Deo dante, proferam in lucem.

Nithard. lib. 1 ad an. 829

Pasch. lib. 2 de Vvala c. 18.

Walæ sanctimonia.

211. Ceterum Walæ sanctimoniam egregiè commendant Paschasii libri duo de ejus epitaphio, maximè primus, in quo privata ipsius vita describitur. Is quippe jam inde ab ineunte instituti monastici tirocinio (ut cetera ejus acta hîc omittam) ita comparatus ad pia officia fuisse memoratur, ut *in die agrum corporis sui refunderet sudoribus; in nocte verò fletibus.* Et nocte quidem *somno expleto parvissimi temporis non minùs ante vigilias Fratrum, quàm post vigilias coram sanctis altaribus prostratus humo jacebat, lacrymarum imbre solum rigabat:* fateturque Paschasius, *sæpe vidisse se loca suis mane madentia lacrymarum imbribus, & conspexisse oculos pæne consumtos à fletibus.* Ubi observare convenit, moris fuisse olim apud majores nostros, ut sive ante, sive post matutinum officium, Fratres orando altaria circumirent: quem ritum *post Matutinos ante Primam* instituerat Benedictus Anianensis, ut tradunt Monachi Sancti-Gallenses in epistolæ suæ capitulo 31. Quin etiam apud laïcos id in usum transierat testante Prudentio Tricassinensi Episcopo in sermone de sancta Maura, quam quondam *adspexit artiùs amplectentem & osculantem altare, ubi corpus beatæ virginis Mastidiæ requiescit; & ad pedes ejusdem altaris lacrymarum suarum rivulum* effundentem. Ea res in memoriam revocat aliud ejusdem Mauræ insigne factum: quæ *hanc à tenera ætate*

Id. lib. 1 c. 10. hic pag. 471

V. Append. hic p. 742

ætate consuetudinem observavit, ut *quotidie* coram triplici Salvatoris effigie *se toto corpore prosterneret in ecclesia Apostolorum* cathedrali apud Treeas: *ubi tribus modis Imago depingebatur Salvatoris, nempe tamquam pueri sedentis in gremio Matris; tamquam magni Domini sedentis in solio majestatis; & tamquam juvenis pendentis in patibulo crucis.* Ex hoc verò facto confirmatur id, quod superiùs conjiciebam*, Gallos scilicet religiosiores sæculo nono (quo tempore B. Maura florebat) non omnem sacris Imaginibus cultum detrectasse; neque à salutationibus, & capitis saltem ad eas inclinationibus abstinuisse. * num. 41

212. Alia multa sunt, quæ hîc observare possem, nisi Præfatio mea jam excederet modum. Hoc in genere adducere liceret historiam Otgerii, regnante Carolo Magno heroïs olim celebratissimi, nostris verò temporibus obscurissimi, quem Pugnatorem seu Prœliatorem fortem appellabant: deinde observationes meas de Vetula civitate Vellavorum, ac Dissertationem de veterum Notitiarum origine atque usu, in Appendice nostra editas: ad hæc singularem locum ex Manuali Duodanæ, uxoris Bernardi Septimaniæ Ducis ac Ludovici Pii Camerarii: quo in loco Duodana LUDOVICUM *fratrem* suum vocat. An Ludovicum Pium? Verba ejus expendenda sunt. *Inchoatio hujus libelli secundo anno obitus Ludovici quondam mei fratris*, II *Kal. Decembris, S. Andreæ Missa inchoante, sancto Domini Adventu: finitus est autem, auxiliante Deo*, IV *Non. mensis Februarii.* Inchoatus est autem liber paullo post nativitatem, certè ante lustrationem seu rinctionem Bernardi, ejusdem Duodanæ alterius filii: quem *anno sequente* obitum Ludovici Augusti, & quidem XI *Kal. April.* natum esse dicit in præfatione Manualis sui: additque in capite 7 ejus nomen se ignorare, utpote qui necdum baptismatis gratiam percepisset. Præterea scriptus est liber iste ante mortem Bernardi Duodanæ mariti, ut fidem facit præfatio, quem Bernardum anno DCCCXLIV interiisse constat. Denique Willelmus, cui Manualem suum nuncupavit Duodana, tum sexdecimum annum agebat, ut divinare licet ex his verbis capitis 68. *Quadrans in quatuor jam habes annos usque perductos*, id est, si quid hîc capio, quater quatuor annos. Willelmus porro natus est *anno* XIII imperii Ludovici Augusti, id est anno DCCCXXVI, III *Kal Decemb.* uti habet Manualis præfatio: ac proinde annus ejus sextus-decimus conveniebat cum anno DCCCXLII, qui secundus erat à morte Ludovici Pii. Si eruditis viris placet hæc observatio, Duodana seu Dodana inter liberos Caroli Magni (quod nemo hactenus dixit) connumeranda est. hic pag. 757

Et fortasse huc facit, quòd nuptiæ Duodanæ cum Bernardo celebratæ sunt *in Aquisgrani palatio.*

213. Alias observationes remitto in istius Sæculi tomum secundum: quem jam magna ex parte dispositum continuò edidissem, si aliquantisper ab opere respirare non cogerent afflictæ valetudinis vires. Neque verò facilè sive studiorum, sive typographici operis labores sustinere solus valuissem, nisi languentem relevasset noster Michaël Germanus, studiorum meorum socius & adjutor. In fine magnam à lectoribus meis mercedem retulero, si Deum opt. max. pro me orent, ut mihi & gratiam ad patiendum augeat, & vires ad agendum: quatenus operi jam aliquantum provecto supremam imponere manum valeam, si quid conferat in Dei gloriam, & in reipublicæ Christianæ ac monasticæ utilitatem.

FINIS.



CHRONOLOGIA BREVIS

AD PRIMAM PARTEM

SÆCULI QUARTI BENEDICTINI.

SUMMI PONTIFICES.

ANNO

DCCXCV LEO III sedit annos 20, menses 5, dies 17.
DCCCXVI STEPHANUS IV an. 1, mens. 4, dies 3.
DCCCXVII PASCHALIS I ann. 7, mens. 3, dies 16.
DCCCXXIV EUGENIUS II ann. 3, mens. 2, dies 23.
DCCCXXVII VALENTINUS per dies tantùm quadraginta.
DCCCXXVII GREGORIUS IV ann. 15, mens. 4.
DCCCXLIV SERGIUS II ann. 3, mens. 1, dies 2.
DCCCXLVII LEO IV ann. 8, mens. 3, dies 5.

IMPERATORES.

DCCC CAROLUS Magnus imperavit annos 13, mensem 1, dies 5.
DCCCXIV LUDOVICUS Pius ann. 26, mens. 4, dies 3.
DCCCXL LOTHARIUS post patris obitum ann. 15.
DCCCLV LUDOVICUS II post obitum patris ann. 20.

FRANCORUM REGES.

DCCC CAROLUS Magnus Regnum partitus anno DCCLXVIII cum fratre CAROLOMANNO, Austriam & Burgundiam cum Aquitaniæ portione eidem reliquit. Anno DCCLXXI mortuo germano summam rerum obtinet solus: dein anno DCCLXXIV Italia potitur, subacto Desiderio Langobardorum Rege; anno demum DCCC Romæ coronatus Imperator à Leone Papa, die 25 Decembris.

DCCCXIV LUDOVICUS Pius Regnum Aquitaniæ regendum suscepit anno DCCLXXXI. Defuncto patre, Galliarum & totius Germaniæ Regnum adeptus cum Imperatoria dignitate anno DCCCXIV, imperavit annis 25, mens. 4, dies 3.

DCCCXL CAROLUS Calvus Neustriam & alias Regni Francici ditiones adeptus Galliæ, Tetrarcha vixit ad annum DCCCL, quo Lotharii regni partem sibi comparavit: deinde anno DCCCLXXV Italiam & Imperatoris dignitatem consequutus est.

LOTHARII REGNI REGES seu TETRARCHÆ.

DCCCXL LOTHARIUS Imperator à morte patris Lotharii Regnum rexit ann. XV.
DCCCLV LOTHARIUS secundus ann. 14.
Provinciam seu Burgundiæ Transjuranæ Regnum annos 8 rexit CAROLUS Lotharii Imp. filius.

AQUITANIÆ REGES.

DCCLXXXI LUDOVICUS Pius ab anno DCCLXXXI ad obitum patris Aquitaniæ Regnum tenuit an. 38.
DCCCXVII PIPPINUS Aquitaniam regendam suscepit ad annum DCCCXXXVIII, seu annis 21.
DCCCXL CAROLUS Calvus ann. circ. 30.

FRANCIÆ ORIENTALIS seu BAJOARIÆ REGES.

DCCCXXXIV LUDOVICUS Transrhenanus ab initio Franciæ Orientalis seu Bajoariæ regno regnavit an 41, ab obitu patris ann. 36, mens. 5, dies 8. Lege quæ de initio ejus principatûs observo hic pag. 527.

ITALIÆ REGES.

DCCLXXXI PIPPINUS cum Carolo patre Italiam regit ad annum DCCCX, seu annis 29.

DCCCX — Bernardus Pippini filius anno DCCCXVI excæcatus vitam finivit post regni annos 6.

DCCCXVII — Lotharius Aquisgrani Romanorum Imperator anno DCCCXVII unà cum patre salutatus, Italiæ seu Langobardiæ regnum Ludovico filio consignat anno DCCCXLIV.

DCCCXLIV — Ludovicus anno DCCCXLIV Italiæ seu potiùs Langobardorum Rex à patre creatus anno DCCCXLIX Imperii sumsit insignia. regnavit ann. 31, imperavit ann. 2D.

BRITANNIÆ INSULÆ REGES.

Anno

DCCC — Vuest-Saxonum Rex Egbertus, aliis Eghirihus & Egbrebtus, insulæ ferè totius Monarcha, nutis Cantiæ, Northumbriorum, Merciorum, & Saxonum occidentalium regnis, regnavit annis 37, mortuus anno DCCCXXXVI: successorem habuit filium Ethelvvlfum seu Edelulfum, qui anno DCCCLVI morte correptus est, diviso inter duos filios, Ethelbaldum, qui Saxonibus occidentalibus; & Ethelbertum, qui Cantiis, aliisque imperaret, principatu.

DCCXCVI — Merciorum Rex Kenvvlfus obiit anno DCCCXIX, ex Epitome Saxonica: post quem Ceolvvlfus regnum capessit, tenuitque ad annum DCCCXXI, quo Beornulfus, eum ex throno deturbat. Huic post annos tres successère Ludecanus in annos duos, Vvithlasius seu Vvilafus in annos 13, per annum DCCCXXVII regno spoliatus ab Egberto Vvest-Saxonum Rege, at sequenti anno restitutus. Hunc excepit Berthvvlfus in annos 13, postea Burhardus anno DCCCLII in annos 20.

DCCCV — Cuthredo anno DCCCV mortuo successor datus Baldredus, qui ab Egberto Rege spoliatus est anno DCCCXXIII.

DCCXCV — Northumbrorum regnum Ethelredo Rege interfecto, post annorum 33 interregnum, occupavit idem Egbertus. Nominantur tamen quidam Northumbrorum Reguli, qui Danicis temporibus vixere.

HISPANIÆ REGES CHRISTIANI.

DCCXCI — Alfonsus, cognomento Castus, regnavit an. 52, mens. 5, dies 13.

DCCCXLIII — Ramirus Rex ann. 7 integros.

DCCCL — Ordonius ann. 12 inchoatos.

SANCTI & MONASTERIORUM ORIGINES.

Anno

DCCCIII — S. Anselmus seu Arsenius Abbas Nonantulanus in Italia, condidit Monasteria Fananam anno DCCL, Nonantulanum anno DCCLII, tum oratoria duo Vicentiæ, & aliud sanctæ Justinæ Martyris Cœnobium in loco Susonia.

DCCCIX — S. Lindgerus Episcopus Mimigardefordensis, Vverthinensis ad Ruram Cœnobii an. DCCXCIII & Helmenstadiensis in Ducatu Brunsvvicensi auctor.

DCCCIX — S. Amandi Episcopi Trajectensis corporis elevatio secunda in Elnonensi Monasterio facta.

DCCCXI — V. Harduinus Reclausus Monasterii Fontanellensis.

circ. DCCCXII — S. Vvillelmus Dux ac Monachus Gellonense in Gallia Cœnobium, nunc S. Vvillelmi de deserto, erigit in Septimania ad Araurim fluviolum anno DCCCIV.

DCCCXIV — S. Angilbertus Abbas Centulensis in Gallia.

DCCCXV, meliùs DCCCIV — B. Alcuinus Abbas & Levita in Gallia, Caroli Magni Imperatoris Præceptor.

DCCCXVIII — V. Josue Abbas Monasterii S. Vincentii ad Vulturnum in Italia.

DCCCXXI — S. Benedictus Abbas Anianensis in Gallia Narbonensi, Anianense condit Cœnobium circiter annum DCCLXXXII, Indense anno DCCCXV.

DCCCXX — V. Egil Abbas Fuldensis in Germania.

DCCCXXIV — Vvetini Monachi Augiensis Visio & obitus.

DCCCXXV — S. Huberti Episcopi Tungrensis Translatio in Monasterium Andaginense. Miracula ejusdem Sancti.

DCCCXXVI — S. Adalhardus Abbas Corbeiensis in Gallia, Corbeiæ novæ seu Saxonicæ auctor cum Vvala fratre anno DCCCXXII.

DCCCXXVI — S. Findanus Reclusus Rhinaugiæ in Suevia, à Vvolfchardo ejus Cœnobii conditore & Abbate primo exceptus.

DCCCXXVI — S. Sebastiani Martyris & S. Gregorii Papæ translatio in Suessionense S. Medardi Cœnobium.

DCCCXXVIII — Item sanctorum Tiburtii, Marcellini, &c.

DCCCXXVII — SS. Marcellini & Petri Martyrum translatio in Monasterium Seligenstadiense sub idem tempus ab Eginhardo constructum.

circ. DCCCXXX — S. Antoninus Abbas Surrentinus.

DCCCXXX — S. Glodesindis Virginis & Abbatissæ Metensis Translatio.

DCCCXXX — S. Juniani Abbatis translatio è Mariacensi Monasterio in Nobiliacense apud Pictones circiter annum DCCXCIX constructum.

Item Delatio corporis ejusdem S. Juniani in Synodum Carrofensem.

DCCCXXXV — S. Ansegisus Abbas Fontanellensis & Luxoviensis, Capitularium auctor.

CHRONOLOGIA PARTIS I. SÆCULI IV. BENEDICT.

DCCCXXXIII S. Balthildis Reginæ Francorum, dein Monachæ Kalensis translatio.
DCCCXXXV V. Vvala Abbas Corbeïensis in Gallia, cum Adalhardo fratre Corbeïæ novæ seu Saxonicæ institutor anno DCCC XXII.
DCCCXXXVI S. Viti Martyris translatio in Saxoniam, ubi de origine Corbeïæ novæ anno DCCC XXII exstructæ; itemque Parthenonis Herfordensis.
DCCCXXXVI S. Filiberti Abbatis Translatio ex Monasterio Heriensi in varia Galliæ loca, ubi Deensis Monasterii initia.
DCCCXXXVIII B. Ethelthrita Reclusa in Cœnobio Crulandensi.
DCCCXL S. Aldricus Archiepiscopus Senonensis, ubi Ferrariensis Cœnobii primordia.
DCCCXLII S. Barnardus Archiepiscopus Viennensis, Ambroniacense & Romanense Monasteria condidit circa annum DCCC.
DCCCXLIII S. Ardo, cognomento Smaragdus, Anianæ Monachus, & Benedicti Anianæ Abbatis vitæ scriptor.
DCCCXLVI S. Gorgonii Martyris translatio in Majus-Monasterium in Gallia.
DCCCXLVI S. Hildemannus ex Corbeïensi in Gallia Monacho Episcopus Bellovacensis.
DCCCLII S. Vedasti Episcopi Atrebatensis Invectio corporis & miracula.
DCCCLIII V. Marcvvardus Abbas Prumiensis apud Trevirenses, ubi agitur de conditione Prumiensis Cœnobii anno DCCLXIV erecti, ac de translatione sanctorum Martyrum Chrysanti & Dariæ in Monasterium S. Naboris à Chrodegando Metensi Antistite fundatum. Postremo de Lothario Imperatore ac Prumiensi Monacho.
DCCCLIII V. Haimo ex Monacho Fuldensi Episcopus Halberstadensis.
DCCCLV S. Folcuinus Episcopus Taruennensis in Gallia.
DCCCLV S. Vincentii Levitæ & Martyris translatio ex Hispania in Castrense Galliæ Monasterium, ejusdemque Sancti miracula.
circ. DCCCLV S. Eusicius Abbas Gallus, & quidem Balmensis virorum (ut creditur) Cœnobii, cujus auctor primarius dicitur.
circ. DCCCLV Otgerius & Benedictus nobiles Franci in Faroniano sanctæ Crucis apud Meldos Cœnobio Monachi, quorum ibi insigne mausoleum exstat, ubi de Rotbaldo & Otgerio Carmentriacensi ibidem Monachis.

Appendix.

DCCIX S. Vvilfridus Episcopus Eboracensis in Anglia eo nomine primus.
DCCIX S. Aldhelmus Episcopus Schireburnensis in Anglia primus, ex Meldunensi seu Malmesburiensi Abbate primo.
DCCXCVIII S. Beatus Presbyter & Abbas Hispanicus in Vallecavensi apud Asturicenses Cœnobio, Felicis & Elipandi hæreticorum impugnator.

Consequuntur vetera quædam monumenta ad Præfationem Actaque illustranda, cum duabus Dissertationibus, una de Vetula civitate Vallavorum, altera de Notitiis.

INDEX SANCTORUM

PRIMÆ PARTIS

SÆCULI QUARTI BENEDICTINI.

A

Absolutus

Absolutus inde discedit, 694. periclitatur in via, 695. Ab Alfrido Rege carceri mancipatur, 696 *& seqq.* Libertate donatus, paganorum saluti invigilat, 700. redit in gratiam cum Theodoro Archiepiscopo, 701. Sedem Eboracensem, aliáque recuperat, 703. Mox iterum pellitur in exsilium, *ibid.* à pseudoconventu ad Romani Pontificis judicium provocat, 705. Romam iterum pergit, 706. ab Johanne Papa & Concilio absolvitur, 707 *& seqq.* Meldis graviter ægrotat, 713. Pacem reformat cum Bertvvaldo Archiepiscopo, 714. In Synodo Niddensi sua omnia recuperat, 715. morbo iterum afficitur & sanatur, 717. condit testamentum, *ibid.* obitus ejus, & officia eidem mortuo persoluta, 719. miracula, 720 *& seqq.*

Supplementum Carminis FRIDEGODI de S. Vvilfrido ex mss. cod. Cottoniano, 722.

VVILLELMUS Septimaniæ Dux, tum Monachus Gellonensis. Vita ejus ex mss. codicibus & Stengelio, cum Observationibus prævia de vitæ hujus auctoritate, Vvillelmi memoria, genere, dignitatibus, & Gellonensi Monasterio, 70. Vvillelmus in aula Caroli acceptus & honoratus, 73 *& seqq.* Saracenos reprimit, 74. Gellonense Cœnobium exigit, 72, 75, 76. Sorores duas offert Deo, 77. Sæculo valedicit, 78 *& seqq.* Privata arma sua offert S. Juliano, 81. Monachus efficitur, 83 Humilitas aliæque ejus virtutes, 84 *& seqq.* varia diplomata, 88 *& seqq.*

Appendix de Vvillelmi testamento, ara & cultu, translationibus & reliquiis, 88 *& seqq.*

Vide librum Dodana manualem, p. 750 *& seqq.* & *Additiones* pag. 766, 767.

KALENDARIUM SANCTORUM,

quorum Acta in prima parte Sæculi quarti Benedictini exhibentur.

NOMINA AUCTORUM PRÆCIPUORUM

INDEX TOPOGRAPHICUS SANCTORUM
Partis primæ Sæculi quarti Benedictini.

IN GALLIA.

IN GERMANIA.

IN ITALIA.

IN ANGLIA.

IN HISPANIA.

NOMINA AUCTORUM PRÆCIPUORUM
qui hujusce primæ Partis Acta scripserunt.

A & C

Æ & F



INDEX
RERUM MEMORABILIUM
IN PRÆFATIONE CONTENTARUM.

Cifri sunt numeri sectionum, quarum initium, ubi prolixiores sunt, littera a; *medium* m, *finem* f *designant.*



PRÆCEPTUM
LUDOVICI PII IMPERATORIS,

Quo Cauciacum Monasterio sancti Medardi attribuit, S. Sebastiani causâ eò tunc recèns translati.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu-Christi HLUDOVICUS divina ordinante providentia Imperator Augustus. Licèt nihil ad augmentum gloriæ Sanctorum conferre possit id, quod à Fidelibus ad loca venerabilia, in quibus eorum corpora quiescere noscuntur, fuerit oblatum; credendum tamen est, multum eorum saluti proficere, qui sua propter amorem Dei ad memorias Martyrum deferunt: quia de his oblationibus pauperes aluntur, & egeni, quibus de suo non suppetit unde vivere possint: certumque est Christum in illorum veneratione coli atque honorari, qui pro illo suas animas ponere non dubitarunt, & cum quibus se futurum usque ad sæculi consummationem veridica voce promisit. Igitur cum industria atque instantia venerabilis HILDUINI Abbatis Monasterii sancti Medardi, sacrique Palatii nostri Archicapellani, corpus beatissimi ac pretiosissimi Martyris Christi SEBASTIANI, per auctoritatem & largitionem Domni EUGENII Apostolici specialis [patroni] nostri, ab urbe Roma apud Suessionem civitatem in Monasterio sancti Medardi Confessoris Christi, quod vir venerabilis Hilduinus Abba tempore præsenti regere cognoscitur, fuisset translatum; tanta ibi signorum ac prodigiorum vis in omni genere sanitatum per ejusdem gloriosissimi Martyris merita coruscat, ut meritò ad venerationem illius cunctorum Fidelium corda moverentur. Qua de re cùm & nos orandi gratiâ ad memoratum locum venissemus, & ecclesiam ob venerationem sancti Medardi, præfatique præclarissimi Christi Martyris Sebastiani à fundamentis construere & ornare, atque mysteria aurea gemmisque ornata ad Missarum sollemnia celebranda conferremus; placuit nobis propter opus suprà memoratum perficiendum, & ad luminaria concinnanda, sustentationemque pauperum, atque hospitum receptionem, ad memoriam beatissimi Martyris Christi Sebastiani aliquid de rebus propriis nostris sollemni donatione conferre, ut per intercessionem ejus præmia perennis vitæ percipere, & regnum nostræ curæ commissum sub divina protectione feliciter gubernare mereamur. Donamus igitur eidem beatissimo sancto Sebastiano Martyri quoddam Monasterium nostrum, cujus vocabulum est Cauciacum *, quod est constructum in honore sancti Stephani protomartyris, situm in pago Noviomense super fluvium Axonam, cum omni thesauro & supellectile sua, & cum ecclesiis, domibus, ædificiis, villis, terris cultis & incultis, vineis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, molendinis, exitibus, & regressibus, necnon & forestam, quæ dicitur Veruga, cum suis feraminibus, & cum omnibus appendiciis vel adjacentiis suis, vel quantumcumque prædicto Monasterio antiquo & moderno tempore adspicere vel deservire videtur, totum & ad integrum vel inexquisitum, sicut superiùs dictum est, ad memoriam sæpe dicti beatissimi Sebastiani Martyris Christi, ad luminaria concinnanda, & ad hospitum receptionem & sustentationem pauperum de nostro jure in jus & dominationem ejus transferimus: ita tamen, ut rectores ejusdem Monasterii, ubi illud sacratissimum corpus requiescit, non habeant potestatem prædictum Monasterium Cauciacum, vel appendicia ejus cuilibet in beneficium, aut in usum meriti dare: sed tantùm ad hoc semper permaneat, ad quod nos illud devovimus atque tradidimus, scilicet ad luminaria concinnanda, & ad susceptionem pauperum, & receptionem hospitum. Sed & hoc huic præcepto largitionis nostræ inferere placuit, ut Abbates præfati Monasterii beatissimorum sanctorum Medardi & Sebastiani, in eorum providentiam habeant coram Deo, ut in prædicto Monasterio Cauciaco, quod memorato sancto Sebastiano Martyri contulimus, tanta congregatio ibi sit, quæ & religionem sanctam tenere possint, & divinum officium pleniter Deo persolvere queant. Et ut hæc auctoritas largitionis nostræ per curricula annorum inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subterfirmavimus, & more nostro subscribere, ac de bulla nostra sigillari jussimus.

* *Choisy.*

ADNOTATIO.

Superius diploma, quod supplenda præsenti pagina hìc apponere visum est, S. Sebastiani translationis historiam in hocce tomo editam illustrat, simulque Ludovici Augusti in Suessionense S. Medardi Cœnobium peregrinationem, quæ fusius descripta est pagina 406 & sequentibus. Huic verò diplomati respondet aliud Caroli Calvi, varia eidem Cœnobio prædia largientis ipso die, quo nova basilica ab ipsius parente amplificata dedicatio celebrata est.

VITAS *sanctorum virorum & virtutes eorum, qui à mundo recesserunt sua rectè facta occultandi studio, investigent Dei amantes homines, quò illorum institutum imitentur.... Auditio* quippe *earum rerum, quas præclarè sancti viri gesserunt, dum viverent; & diligentia cognoscendi præclara illorum opera, multum iis quos ea meditatio exercuerit, prodest. Lampas enim velut quædam est: cujus usi lumine, & agnoscant & faciant ea, quæ, licèt utilia, tamen ignoraverant eatenus.* S. Nilus Senior in Oratione laudatoria Albiani.

ACTA

ACTA SANCTORUM ORDINIS S. BENEDICTI.

SÆCULUM QUARTUM,

Quod eſt à Chriſto nato nonum.



VITA SANCTI ANSELMI

An. Chr. DCCC III. Mart. III.

ABBATIS NONANTULANI IN ITALIA PRIMI,

Auctore Monacho Nonantulano anonymo, ejusdem (ut videtur) ætatis.

Ex Italiæ sacra tomo 2, & Martio Bollandiano.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.



1. ANSELMUS, *Erkemperto* ARSENIUS, *Dux primùm Forojuliensis, tum Monachus ac Monasteriorum conditor, ac demum Abbas Nonantulæ primus, tanta fuit modestia, ut facta sua perpetuo contegi silentio preceperit. Id quippe de eo testatur auctor sequens num. 7.* Fecit quidem mira Dominus multa per eum ejus in vita: sed eo interminante stili officio commendata non sunt. *Vitam subjectam Bollandiani socii, qui ejus fragmenta quædam ediderunt in Martii tomo 1, existimarunt* aliquot post obitum sancti Anselmi sæculis exaratam, & nonnullis mendis inspersam fuisse, potissimùm in iis quæ spectant ad translationem corporis sancti Silvestri Papæ, quasi illud donâsset Hadrianus I Papa Regi Longobardorum Aistulfo, qui interim mortuus est anno DCCLVI, id est, annis sedecim antequam crearetur Pontifex Hadrianus. *Verùm hæc aliaque errata non sunt nostri Auctoris, sed amanuensis scriptoris, qui fragmenta prædicta Bollandianis suppeditavit, ut patet ex sequenti editione, quæ ex Ughelli tomo 2 Italiæ sacræ desumta est. Auxilio tamen mihi fuerunt fragmenta Bollandiana ad corrigendas mendas quasdam editionis Ughellianæ. Ad hujus Vitæ conditorem quod attinet, eum paullo post Anselmum vixisse existimo, tum quia eam ætatem sapit stilus orationis; tum quia is qui seriem Abbatum Nonantulensium anno M XXXVII ordinare desiit Monachus anonymus, libellum hunc de gestis sancti Anselmi laudat, ut postea videbimus in Appendice hujus Vitæ.*

Anselmi modestia.

Vita antiqua.

2. *Anselmi memoriam sacris fastis inscriptam recolunt Ferrarius in catalogo Sanctorum Italiæ, Dorganius, & Vuion in Martyrologiis: eumdemque Sanctum pluribus commendant Baronius ad annum* DCCLII, *Carolus Sigonius in libro 3 de Regno Italiæ, & Leander Albertus in descriptione regionis 14 Italiæ. Nonantulani verò ut Patronum colunt ritu sollemni cum Octava.*

Memoria in sacris.

3. *Plura Monasteria condidit Anselmus. Primò* Fananum *anno* DCCL *in montano loco*

Monasteria,

AN. CHR. DCCC III. MART. III.

*à Mutina * urbe viginti duobus millibus passuum in Meridiem. tum Nonantulanum anno* DCC LII *milliario quinto à Mutina in Orientem trans Panarum seu Scultemnam fluvium. dein Vincentia, quod opidum est caput pagi Vincentini Patavino adjacens ad Occidentem, duplex oratorium pro Monachis construxit, unum beatæ Mariæ, alterum sancti Petri. denique aliud in loco Susenia in honorem sanctæ Justinæ Martyris. Monasteriis xenodochia ubique adjunxit. Leander Albertus hoc postremum Monasterium idem esse putat cum celebri Abbatia sanctæ Justinæ apud Patavinos, cujus Abbatiæ auctorem Anselmum laudat in descriptione Romaniolæ. Verùm alios hujus Monasterii auctores fuisse lege, tum apud Bernardinum Scardeonium in libris de antiquitate urbis Patavii, tum apud Vghellum in Italia sacra tomo 5, ubi* OPILIO, *vir consularis, templum sanctæ Justinæ primus erexisse procedente sæculo* V, *&* ROSIUS *Patavinus Episcopus, natione Gallus, anno* DCCC LXX *templo Cœnobium Monachorum sub* CHRISTIANO *Abbate adjunxisse perhibentur.*

* Modeno

& xenodochia.

Nonantulense.

4. Postquam Fananum aliquamdiu incoluit Anselmus, in conditum ab se Nonantulanum Cœnobium se recepit, Abbas factus in annos quinquaginta. Ex quibus per annos septem jussu Desiderii Langobardorum Regis Casinum exsulasse dicitur in libello de serie Abbatum Nonantulensium, & VALENTINUS *Presbyter per id tempus ipsius loco Monasterium rexisse. De hujus Monasterii origine agens Erkempertus in fusiore historia, Aistulfum ejus conditorem scribit his verbis:* Aistulfus regnavit annis septem, menses quinque. Fuit audax & ferox: & ablata multa Sanctorum corpora ex Romanis finibus in Papiam detulit, construxitque eorum oracula. Ibi & Monasterium virginum, & suas filias dedicavit. Idemque fecit Monasterium in finibus Æmiliæ, loco qui nuncupatur Nonantula. pro ejus cognato Abbate ARSENIO virorum Cœnobium fundatum est. Necnon & ipse per certas * provincias sacris Monachorum Cœnobiis multa est dona largitus. Sed & valde dilexit Monachos, & in eorum mortuus est manibus. *Ex hoc loco intelligimus, Aistulfum Nonantulani Cœnobii auctorem dici, quòd scilicet fundum construendo Monasterio dederit Anselmo. tum Anselmum appellatum aliquando* Arsenium, *si non est hæc librarii menda. denique ipsum dici Aistulfi* cognatum, *quo nomine etiam afficitur in sequentis Vitæ num. 7, ubi etiam* Forojolii monarchiam, *id est Ducatum rexisse perhibetur. Forsan cognati vocabulum sumitur hoc loco pro affini. Aistulfus verò Anselmi sororem nomine* GISELTRUDAM *in matrimonium duxerat.*

* s. ceteras

Anselmus an Dux Forojulii.

* Friuli

*5. De Forojulii * Ducibus* PEMMONE *&* RATCHISO *agit Paulus Vvarnefridi in lib. 5. de gestis Langobardorum capp. 51 & 52. ait quippe Pemmonem, propterea quòd Callistum Patriarcham in vincula conjecerat, à Liutprando Rege depositum, & Ratchisum Pemmonis filium in patris locum subrogatum fuisse, obtentâ veniâ pro Pemmone & ejus duobus filiis* RATCHAIT *& Ahistulfo. Liutprando mortuo,* Ratchisum Ducem Langobardi elegerunt in Regem, *ut legitur in Pauli supplemento apud Pithœum. quod factum anno* DCC XLV *consentiunt recentiores, Blondus, Carolus Sigonius, & alii. Ratchiso in Ducatum successisse Anselmum veri simile est, qui postea exemplo Ratchisi à Zacharia summo Pontifice in Monachum attonsi, & ipse nuntium sæculo remisit, ac Romæ ab Stephano Papa tonsuram vestesque monasticas accepit anno* DCC LII, *cùm antea per annos duos condendis Monasteriis dedisset operam, suffecto in suum locum Irprando Duce.*

1. QUIA benignum & gloriosum videtur esse, ut bonorum hominum vita atque benefacta Dei fidelibus in memoriam veniant; dignum duximus ut eis innotescat, qualiter, & in quibus temporibus, & à quibus religiosissimis viris Monasterium sancti Silvestri in loco Nonantula vocato situm, & structum atque ædificatum fuit; etiam à quo sanctissimo & beatissimo viro religiosissimè & regulariter rectum primo in tempore sit.

Anselmus condit Monasterium Fanani anno 750.

2. Igitur anno dominicæ Incarnationis septingentesimo quadragesimo nono, centesimo verò octogesimo ingressionis Longobardorum in Italiam, vir gloriosissimus AISTULFUS (RATCHIS germano suo, devicta Pentapoli, suasu domni Zachariæ Papæ facto Romæ Clerico [a]) sceptrum Longobardorum strenuè regens, cui GISELTRUDA excellentissima Regina, ANSELMI præclari viri, Abbatis, olim Ducis, soror dignissima, in conjugio hærebat: cujus interventu idem Aistulfus Rex in primo anno regni sui per suum præceptum concessit venerabili viro Anselmo locum qui nuncupatur Faina-

[a] Id est Monacho. qua de re legendi vulgarus Anastasius in Zacharia, & Leo Marsicanus in Chronici Casinensis lib. 1 cap. 8.

nus *, in quo idem vir Dei Anselmus Monasterium ad honorem Dei & Salvatoris nostri JESU-CHRISTI construxit, & Monachos ibidem regulares constituit, atque hospitium ad suscipiendos hospites & peregrinos magno cum studio illic ædificavit: de quibus illi die noctuque cura maxima & sollicitudo fuit, ut nullus inde sine refectionis misericordia abire possit.

An. Chr. DCCL III. Mart. III.
* al. Fananus

3. Tertio autem anno regni sui prædictus Rex eidem Anselmo eximio Abbati in finibus Æmiliæ locum Nonantulæ dono dedit, quem adjuvante superna pietate idem venerabilis Anselmus, suique Monachi propriis manibus laborantes, de sentibus & de deserto ad perfectionis culmen perduxerunt: in quo fundamentum templi & Monasterii claustra cum ceteris ædificiis fundare studuit. In quarto autem anno regni ejusdem, hujus templi consecratio facta est per domnum GEMINIANUM sanctæ Regiensis Ecclesiæ Episcopum, ad honorem sanctæ Dei genitricis MARIÆ & beati BENEDICTI Abbatis, per jussionem domni STEPHANI summi Pontificis Romanæ Ecclesiæ & universalis Papæ. In ipso autem anno per deprecationem prædicti Regis & ipsius Anselmi Abbatis ac totius congregationis, advenit domnus SERGIUS Archiepiscopus Ravennensis Ecclesiæ, & consecravit templum & altare ad nomen & honorem sanctorum omnium Apostolorum per jussionem prædicti domni Stephani Papæ: & ibi cum Fratribus in Dei laudibus & in divinis colloquiis gratulatus per triduum mansit: atque completis pro quibus venerat, gaudens ad propriam reversus est sedem.

Anno 752. Nonantulanum,
B. Mariæ & S. Benedicto dicatum.

4. Præfatus verò venerabilis Pater Anselmus regali ortus prosapia, meritisque clarus, eumdem Aistulfum adiit Regem, per sororem scilicet suam Giseltrudam, quæ regio hærebat thalamo. Hujus namque imperatu tria non modica intra collationem * paullo antè idem vir construxerat Cœnobia, Fratrumque decorarat agminibus: in quorum maximo quod Nonantulæ vocitatur, Monachorumque præpollet phalangiis, cùm sanctissimos vellet artus adquirere Silvestri, in dominicæ Incarnationis anno DCC·LIII supradictum petiit Regem suppliciter rogans, ut causâ orationis, maximeque hujus negotii, unà secum Romam veniret. Rex annuit, & Abbas Fratribus stipatus Romam advenit ad virum per omnia beatissimum Stephanum, qui tunc Romanam & apostolicam gubernabat Ecclesiam: à quo benignè suscepti sunt, & eos thesauro quem petiere, in hunc tenorem, sicuti hìc legitur, ditavit.

Cum Aistulfo Romam petit;
S. Silvestri reliquias obtinet.

STEPHANUS *servus servorum Dei, omnibus venerabilibus fratribus & Coepiscopis, cunctisque religiosis Christianis Deo deservientibus Regno Italico & Patriarchatu Romano.* Residentibus nobiscum plurimis Episcopis, ad beatorum Petri & Pauli Apostolorum Principum limina, synodale commonente concilio, venit FLAVIUS AISTULFUS, vir excellentissimus, Rex Italici Regni, ad prædictorum Apostolorum vestigia inter cetera quæ contulit dona beati Petri Apostoli ecclesiæ, obtulit præceptum unum, in quo continebatur, quòd ob reverentiam Domini Salvatoris, atque beatæ semper virginis Mariæ, omniumque sanctorum Apostolorum, construxisset Monasterium in territorio Mutinensi, loco nuncupato Nonantula; ipsumque præceptum concessisset viro venerabili nomine ANSELMO Abbati: & eumdem virum Anselmum cùm secum haberet, obtulit illum pariter & præceptum supra sacratissimum corpus sancti Petri Apostoli, sicque dotavit prædictum Monasterium sanctæ sedis Romanæ, quam Deo auctore regere cernimur. Petiit præfatus Rex nostram munificentiam, ut corpus sanctissimi Papæ Silvestri cum aliis Sanctorum pignoribus eidem Anselmo Abbati ad prædictum venerabile Monasterium deferre conce-

An. Chr. DCCCIII. Martii III.

„ deremus, & per benedictionem protinus nostris manibus consecraremus ipsum Abbatem, & cucullâ indueremus secundùm Regulam sancti Benedicti; ejus manibus traderemus simul & baculum pastoralem & pedales [a] secundùm ordinem: cujus sanctissimam petitionem hilari vultu quam petebat concessimus. Et quoniam nobiscum aderat sanctissimus confrater noster Sergius, sanctæ Ravennatensis Ecclesiæ Archiepiscopus, commendavimus ipsum venerabilem Abbatem & ejus Monasterium sub suo tegimine, nostra vice gubernandum omni tempore, tantùm si ab Abbate Monasterii fuerit invitatus: & si ei vel suis successoribus aliqua adversa contigissent à quocumque Præsule, maximè ab Episcopo Mutinensis Ecclesiæ, in cujus parochia constat esse constructum, sub sancta Ravennatensi Ecclesia haberet refugium propter terrarum longitudinem, qua distat à nostra sede. Præcepimus ei etiam, ut prædictum sanctum corpus [b] sancti Silvestri & alias Sanctorum reliquias per seipsum ad jam dictum Cœnobium deferat & recondat, altariaque simul & ecclesiam nostra apostolica auctoritate consecraret. Robur etiam nostræ sanctæ Romanæ Ecclesiæ eidem sancto loco per apostolicum privilegium contulimus, veluti sanctissimus Papa Gregorius plurimis ecclesiis protulit, & jussimus huic opusculo subterscribi.

Stephani Papæ privilegium.

„ Stephanus *servus servorum Dei, S. R. E. Apostolicus*, Anselmo *religioso Abbati venerabilis Monasterii sancti Silvestri siti Nonantula territorio Mutinense, & per te in eodem venerabili Monasterio in perpetuum.* Quæcumque ad laudem Redemtoris Domini nostri Dei & Salvatoris pertinere noscuntur, & ad stabilitatem venerabilium locorum respiciunt, cum magno sollicitudinis studio nos convenit apostolica & rationali censura procurare, quatenus ex hoc juges eidem propitiatori nostro Domino Deo efficaciùs persolvi possint cardinum * laudes, & nobis qui, licèt immeriti, divina tamen gratia proveniente, pastoralis regiminis curam gerimus, optima in sideriis arcibus remunerationis præmia adscribantur. Igitur quia constat religiositatem tuam nobis detulisse præceptum D. piissimi Regis Aistulfi de præfato Monasterio & omnibus ei pertinentibus locis ac possessionibus, atque petiistis ut per nostri apostolici privilegii paginam reconfirmaremus. Unde nos precibus vestris inclinati hac hora, præsenti XIV Indictione, in perpetuum suprà dictum Monasterium successorum tuorum Abbatum ditione & potestate cum omnibus sibi pertinentibus confirmantes, & irrefragabili jure decernimus permanenda, id est Monasterium sancti Silvestri, quod & Nonantula, territorio Mutinense. Quapropter auctoritate beati Petri Apostoli, cui à Domino Deo nostro cælorum regni claves traditæ sunt, & potestas ligandi & solvendi cælo terraque concessa est, promulgantes decernimus, & firma stabilitate censura statuimus, ut ipsum venerabile Monasterium cum omnibus locis, mansis, fundis & casalibus, domibus atque familiis, servis, originalibus, simulque rebus & possessionibus & frugibus & decimationibus, necnon aquis, molis, olivetis, vel quidquid in quibuscunque locis habere vel tenere videtur; vel si quid in potestate legaliter donatum vel largitum fuerit, aut quolibet modo justè evenerit, tenere & possidere sine qualibet controversia perpetuis temporibus valeat, & nulli umquam liceat Regum, Episcoporum, Ducum, vel Actorum parvæ vel magnæ personæ in prædicto

[a] Lege *pedules*, quorum usum ante mille annos Abbatibus concessum cum baculo fuisse docet nos Theodorus Cantuariensis Archiepiscopus in collectione canonum, ubi agit de ordinatione Abbatis per Episcopum, qui *dat ei baculum & pedules*. De his aliàs fusiùs.

[b] Et tamen corpus sancti Silvestri, forsan ejus partem, Romani contendunt apud se adservari in ecclesia beatorum Silvestri & Martini de montibus.

An. Chr. DCCC III. Martii III.

venerabili Monasterio, vel in eis quæ eidem pertinere nosceuntur, quocumque modo incumbere, aut invasionem facere, nec quispiam Sacerdotum ibidem præsumat accedere, vel Missarum sollemnia celebrare, & neque Episcopus, neque Abbas, vel Comes, aut quælibet magna parvaque persona in præfato Monasterio, vel in ejus cellis aut ecclesiis mansiones facere, aut expensas expetere, aut aliquod per potestatem servitium, præter peregrinos & hospites, & neque colloquium qualecumque aut placitum in ipso Monasterio aut in ejus prænominatis cellis tenere quis audeat, nisi ab Abbate fuerit invitatus: quatenus hoc quod ad laudem Dei & stabilitatem prædicti Monasterii statuimus, firma stabilitate permaneat. interdicentes omnino Episcopo, in cujus parochia esse videtur suprà dictum Monasterium constitutum, ut nihil contra tenorem præsentis decreti pia postulatione indulti quidquam attentet, neque ullo modo ejus baptismales ecclesias sibi vindicet, neque ipse suique successores præsumant prohibita contingere; sed neque Missarum sollemnia ibidem persolvere præsumat, nisi ab Abbate suprà scripti Monasterii fuerit invitatus: neque ordinationem Sacerdotum quilibet Episcoporum in præfato Monasterio, vel ejus jure, aut suo Clero agere audeat, nisi, ut præfatum est, ab Abbate fuerit invitatus: chrismaque vel quidquid ad sacra mysteria pertinet, si à parte Monasterii fuerit postulatum, à quibuscumque prævoluerit Præsulibus concedimus tribuendum. Sed neque decimas umquam dare concedimus, nisi ecclesiis suprà dicti venerabilis Monasterii ad nostram diœcesim pertinentibus. Sed & hoc statuimus & inviolabili sanctione apostolica auctoritate firmamus, ut nullus aliquando in prædicto Monasterio de aliis Monasteriis seu quibuscumque ecclesiis atque locis Abbas esse præsumat, neque à quacumque potestate eis introducta: sed cùm divina vocatione Abbas præfati Monasterii pertinxerit, & resolutionis tempus advenerit, de propria semper congregatione eligatur Abbas, qui ab omnium Monachorum consensu in eis constituatur ad augmentum & sollertissimam gubernationem eorum pro Dei amore morantium monastico Ordine militantium. nihilo minùs omnibus hujus nostri pontificii interdictione inhibemus, aliquam scripturam vel confirmationem de prædicti Monasterii rebus vel de prænominata Abbatia quoquo ingenio contra hoc nostrum præceptum petere. Si qua verò scriptura vel petitio impetrata fuerit, vel in reliquo apparuerit, has irritas esse vacuasque omni robore jubemus. Si quis præterea (quod non credimus) præsumserit hoc nostrum apostolicum privilegii constitutum in aliquo transgredi aut contemnere, sciat se auctoritate beatorum Petri & Pauli Apostolorum Principum & CCCXVIII Patrum anathematis vinculis esse innodatum, & cum diabolo & ejus atrocissimis pompis, atque cum Juda traditore Domini nostri JESU-CHRISTI æterni incendii supplicio concremandum deputatum, & è regno Dei penitus segregatum. Porro qui observator & custos exstiterit, benedictionis gratiam à misericordissimo Domino Deo nostro & vitam perpetuam consequatur.

Scriptum per manum Sergii S. R. E. scrinarii Indictione VI, mense Januario. Data Idibus Januarii per manum Anastasii primi Episcopi diocesanorum sanctæ sedis Apostolicæ, anno Deo propitio pontificatus domni Stephani summi Pontificis & universalis Papæ in sacratissima sede beati Petri Apostoli primo. Bene valete. anno 751.

5. Aistulfi Regis privilegium, quod Nonantulano Cœnobio concessit, est tale.

FLAVIUS AISTULFUS *vir excellentissimus, Rex, Monasterio beatissimorum Principum Apostolorum Petri & Pauli sito territorio Mutinensi, loco qui dicitur Nonantula, & venerabili viro* ANSELMO *Abbati, seu cunctis congregationis ibidem con-* Aistulfi diploma.

An. Chr. DCCC III. Martii III. „ *sistentibus*. Còm . ·. nos non solùm coram Deo, sed coram hominibus providere monuit bona; quid aliud docuit, quàm nos omnes diligere homines, „ maximè venerabilibus locis, & sapientibus de nostris opibus subvenire? Manifesta causa est, quoniam ante hos dies concessimus venerationi tuæ silvam ex curte nostra Gena, cohærente per loca designata ex una parte fluvio „ Panario, & ab alia parte usque piscationes & suptà scripta silva usque in rivo „ mortuo; à tertia parte strata publica; à quarta verò prædicta silva, & paludes, unà cum basilica beati Martini confessoris Christi, quatenus ibi jam „ sanctum Cœnobium construeretis, sicut & factum est. Nunc autem postulavit „ veneratio tua nostram præcelsam potestatem & dilectam conjugem nostram Gisaltrodam, quatenus jam dicto Monasterio vel tuæ venerationi jam dictam silvam, sicuti cohærentia dicta est, cum omnibus quæ „ superiùs sunt, per nostrum præceptum confirmare deberemus. Aqua de „ fluvio Gena, ut ad cujuspiam hominis potestatem subtractam * non fiat, „ atque subtus strata publica nullus molendinum ædificare præsumat usque „ fines illorum fluminum, præter duos molendinos in curte Panciano ædificanda, sine ipsorum licentia Monachorum. Nos verò Dei omnipotentis „ confidentes misericordiam, & vestram congruam obaudientes petitionem, „ confirmamus in ipso sancto Monasterio vel venerationi vestræ jam dictam „ silvam juxta ut cohærentia dicta est. confirmamus etiam in eodem sancto „ Monasterio vestro insulam unam, quæ esse videtur inter Panarium & fossam, quæ dicitur Munda, per designata loca, ab Oriente prædictus fluvius „ Panarius, à Meridie villa Saliceto, ab Occidente prædicta fossa Munda, & „ Militantia, atque silva commonis, & de subtus fossa mortua exsistente in „ Panario, ut nemo in prædictis fossis vel flumine audeat molendinum ædificare absque consensu Abbatis aut Monachorum. Necnon confirmamus „ tibi omnes illas res, quas ante hos dies tuæ largivimus venerationi, &c.

* *f. subtracta*

„ Insuper propter vestram insignitam prædictam petitionem justè concedimus vobis, & successoribus vestris confirmamus Monasterium sancti Salvatoris, situm in Fananum, cum universis legalibus ejus pertinentiis & adjacentiis, terminis & accessionibus, casalibus, alpibus, ripis, rupinis, planiticbus, cultis, incultis, aquis, aquarumque decursibus, finibus, monte & flumine, seu silva de Scoplano cum castro Sestula, monte Catino, Conianolo, & alpe currente, rivo Cetciliense, & Lardaniola fluvio percurrente. necnon Masalizano & Gabba cum viculis suis, id est Aquaviva, Rivo-frigido, Viliciatico, Saxo-Siliciano, Epicla, Variana, & Porcile cum „ montibus, vallibus, alpibus, silvis, servos pro servis, liberos pro liberis, „ cultum & incultum cum casis omnibus, quæ modò inde ædificatæ sunt, vel „ futuris temporibus ædificabuntur, percurrentibus ipsius massæ finibus. „ Ab uno latere fine Capuanense & fluvio Cecla, ex alio latere Lardaniola, „ Jugalo desuper ponente capite in monte Mulceto, veniente usque in „ Gaium Deginæ; desubtus autem veniente uno capite in fluvium Lio. Sancimus ergo, ut nullam potestatem habeant homines ibidem residentes de „ ipsa massa vel eius finibus prænominatis vendere per quemlibet titulum, „ neque extraneos homines illud vexare aut Inrtoducere, nec placitom quis „ tenere præsumat, nisi Rectores & Præpositi Monasterii: & si per licentiam „ Rectorum ipsius Monasterii inter se vendiderint, censum solitum ad partem „ Monasterii emtor persolvat. Quòd si in ipsis silvis aliquis roncare fecerit, „ aut si peculia pabulaverit redditum escaticum seu caseum, ad Fratres Nonantulanæ famulantes perveniant totum. Similiter etiam plebem sancti „ Mammæ Viligino constructam concedimus vobis vestrisque successoribus eo ordine, ut nullus Episcopus Bononiensis vel aliunde in ea aliquid „ agere, aut ordinare præsumat, nisi tantùm consecrationem confirmatio„ nemque faciat; & Presbyterum, quem vos vel vestri successores idoneum ibidem

Presbyteri instituendi facultas.

An. Ch. DCCCIII. Martii. III.

ibidem constitueritis, de potestate vestra nullatenus submovere præsumat, neque aliquam dominationem in condicta plebe facere, aut exinde quidquam tollere rentet: & ut in omnibus silvis jam fati Cœnobii nullus Comes, sive Gastaldus, seu quilibet nobilis vel ignobilis, cum canibus aut quocumque ingenio venationes exercere præsumat propter inquietudinem animalium Monasterii. Necnon concedimus; ut in quibuscumque commitatis * locis cellas acquisiveritis, aut villas ubi silvæ communes sunt, vestram semper portionem habere. præcipimus etiam ut nullus in Regno nostro Italico, vel Romano, cujuslibet ordinis, præfati Monasterii servos aut ancillas, qui fugâ lapsi fuerint, contra Abbatem, aut Præpositum, vel Advocatum, cùm inventi fuerint, quoquo modo audeat retinere. Similiter donamus etiam præceptales .·.· videlicet XLVIII, qui nunc sunt, vel futuris temporibus ex aliis esse voluerint, ut ad Monachorum utilitatem peragendam habeant potestatem, remota vestræ potestatis inquietudine. Igitur perdonamus vobis & eidem sancto Cœnobio vestro, ut notarii in omni ditione regni vestri * chartas, judicata emphyreutis & libellos scribant absque ullius personæ impedimento. Confirmamus etiam vobis & prædicto Monasterio vestro, ut .·.· civitatem sive de Ferrariam vel Comaclium, ut quamlibet ubilibet functionem .·.· in quibuslibet locis & civitatibus seu clusis Regni nostri atque negotiis, sive de instrumentis chartarum disrumpendis, seu de Advocatis, quales & undecumque eligere voluerint, liberam habeatis potestatem. necnon de inquisitionibus faciendis per idoneos homines de possessionibus & rebus Monasterii vestri per viginti annos, seu de placitis & de pignorationibus vestrorum hominum, sive de immunitate quæ est triginta libras argenti, & de via per Wialzachinum, seu de aqua fluvii Genæ ad molendina. Similiter & confirmamus vobis & in præfato Cœnobio vestro chartulas vestræ donationis, quas vobis Anscausus Episcopus & Guidualdus Medicus emiserunt cum omnibus rebus illis in his, quibus in eis liberi homines per chartulas præscriptas contulerunt, ut firmiter vos & præfatum Cœnobium possideatis. Mercata etiam in propriis ejusdem ecclesiæ agris & terris construendi licentiam habeatis, & conducendi ibidem diversa mercimonia & negotiatores, cunctumque tunoleum *, & quidquid de ipsis mercatis exigi potest, Fratribus ibidem Deo famulantibus pertinere sine ullius contradictione. Jubemus itaque ut quicumque ex liberis hominibus voluerit Advocatus eorum hominum fieri, qui causas suas peragere nesciunt, absque alicujus potestatis injutia libera potestate persistere faciatis: & si guardias eorum recipere volueritis, & Abbas vel Præpositus seu Advocatus aut Missus eorum reddere voluerit, nullus impedire præsumat. Addimus quippe vobis vestrisque posteris & in præfato Monasterio vestro, ut quæcumque persona nobilis vel ignobilis in omni Regno de sacro vel sæculari ordine ad prædictum sanctum Cœnobium refugere voluerit, aut res suas ibidem conferre quæsierit, non Comes aut minister publicus, videlicet Missus noster, ei contradicere audeat: sed liceat ei libera potestate de se suisque omnibus rebus, quidquid voluerit, in eodem Monasterio conferre. Volumus quoque & concedimus, ut quandoquidem divina vocatione Abbas ipsius Monasterii, ejusque successores .·.· de ipsa congregatione, qualem inter se digniorem invenerint, licentiam habeant eligendi Abbatem. Iterumque concedimus vobis vestrisque successoribus, ut de singulis navibus portaticum libera vestra exigatis potestate. Statuimus & modis omnibus jubemus, prout suprà dictum est, quatenus in præfati Monasterii res nullus superioris vel inferioris ordinis, vel Episcopus, aut Comes, aut Gastaldus, vel reipublicæ proximior, in qualibet prædicta invasionem facere audeat ullo in loco, non ad causas judiciario more audiendas, vel fienda *

f. commemoratis

* f. nostri

Mercata.

* teloneum

Monasterii asylum.

Abbatis electio.

* l. fieda

An. Chr. DCCCII. Martii III.

exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, vel perafredos aut fidejussores tollendos, aut homines tam ingenuos libertos, quámque servos super terram ipsius ecclesiæ manentes, sive emphyteuticarios & suprascriptos . · . · nullo modo distringendos, nec ullas publicas functiones aut redhibitiones vel illicitas occasiones inquirendas, consurgere audeat vel exigere præsumat: sed liceat vobis & vestris posteris cum omnibus rebus vobis subjectis, atque hominibus sub immunitatis vestræ defensione quieto ordine consistere, ac pro nobis nostraque conjuge, totiusque Regni nostri stabilitate Dei misericordiam delectabiliter exorare. Præcipimus insuper, ut nec vos, nec futuri Abbates audeant in aliquorum hominum potestatem conferre scriptiones sine nostra vel filiorum nostrorum jussione, aut consilio vel consensu omnium Monachorum, aut injustè disponendarum rerum munerationem delegare; nec ullus Monachus aliqua præsumat confirmatæ * scriptione, qui suæ probatur non esse potestatis. Quòd si fecerit, robur nullum obtineant. Conferimus etiam vobis & in ipsum vestrum sacrum Cœnobium olivetum unum in luminaribus ecclesiæ positæ prope Castellum Aginulsi, quod pertinuit de curte nostra Lucense, & duas casas masaritias ex ipsa curte, quæ regebantur per Manifrit & Fulculonem germanos & nepotes eorum, Crespulo, Lucciolo, & Bertulo. Quin etiam perdonamus sanctitati vestræ vestrisque posteris in perpetuum, ut ex ipso sancto Cœnobio, & rebus quas vobis & ibi contulimus, vel futuris temporibus acquirere Deo propitio potueritis, tam vos quàm posteri vestri, nullum servitium, vel donationes à nobis exinde exigantur * pro benedictione in Quadragesima majore XL lucios, & in Quadragesima sancti Martini similiter, per Missum ipsius Monasterii consignatos in Papiam, aut in Mantuam, sive, si fuerimus, Ravennam. Cedimus & vestræ reverentiæ successorumque vestrorum in sempiternum, ut habeatis licentiam retia trahendi per Padum ad pisces majores minoresve capiendos, à laco qui dicitur fossatum usque in mare; & ubicumque in omni Regno nostro habeatis nunc, vel habueritis in futuro silvas communes, habeatis & piscarias si ibi sunt, ac ceteri homines, unà cum medietate de porto in Aqua-longa, quæ est juxta strata publica, & pertinuit de curte nostra civitati novæ, unde reliqua medietate ecclesiæ sancti Geminiani habere probatur: atque granum illum quod annuè colligitur de portatico in curte nostra, quæ sita est in civitate nova de . · . quantum pro ipso colligitur portatico: quatenus ab hodierna die nostrum habentes serenissimum præceptum, ipsum sanctum Monasterium vestrum firmiter superiùs comprehensa valeatis possidere, ut nullus Episcopus, vel Clericus, Dux, Comes, Gastaldus, vel Actionarius noster, aut quispiam magnus, parvusque Gasindius, contra hoc nostrum firmitatis præceptum audeat ire quandocumque: sed omni tempore in jam fato Monasterio vestro, vel vobis successoribusque vestris stabilis permaneat in perpetuum. Si quis autem hujus nostræ inscriptionis temerario ausu violator exstiterit, & hanc nostram jussionem per omnia non observaverit, sciat se compositurum centum libras auri optimi, medietatem in palatio nostro, & medietatem supradicto Monasterio vestro. Concedimus insuper omnia vobis vestrisque successoribus in perpetuum, ut si (quod absit) quicumque Rex vel Imperator, seu quilibet sacræ legis Canonici, aut præceptorum prædecessorum nostrorum Regum, vel futurorum contra hoc nostrum præceptum donationis intentaverit, aut Cœnobium prædictum vestrum, sive res ejus in Fratrum stipendiis collatas, & pauperum Christi deminorare præsumpserit, aut in aliquo alicui per beneficium, vel pro quocumque ingenio dederit, liceat vobis vestrisque posteris cum omnia quæ supra scripta sunt, cuilibet sanctæ sedis Apostolicæ PP. sive Imperatoribus atque Re-

* f. confirmare

Oliverum in luminaria ecclesiæ.

* supple nisi

Donationem in Quadragesimis duabus.

gibus, seu aliis quibuscumque Regibus catholicis subdere potestati, & veluti sæculum * hominum secundùm ritum antiquæ legis per Regum præcepta sua firmata tenentium securiter tenere, possidere atque tradere, quæ vobis placuerit. Et ut certiùs ab omnibus credatur, inviolabiliterque à cunctis fidelibus præsentibus futurisque observetur, anuli nostri impressione subtus jussimus sigillari. Ex dicto domini Regis PERTHEUT per præceptum illius Regis scripsi ego Protonotarius.

An. Chr. DCCC III. Martii III.

* f. sæcularium

Data in palatio Otalii decima die mensis Februarii, anno felicissimi regni nostri .·.·. per Indictione septima feliciter, anno dominicæ Incarnationis DCC LIII. Actum Papia in Christi nomine feliciter.

anno 753.

6. His ita peractis idem sanctissimus Pater ex altissima prosapia humilis & vilis pro Deo factus, virtutibus & sapientia præditus; omnibus largus, sibi parcus & modicus, quamquam cunctis præesset, omnibus tamen se abjectiorem ostentabat, memorans illud Domini dictum: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* &, *Quanto major es, humilia te in omnibus.* Hic inter cetera plura bona quæ egit, hospitalitatem diligens, omniumque pauperum curam sollicitè gerens, hospitia atque xenodochia perplura constituere curavit, atque ea in omnibus bonis ditare curavit, quorum unum prope Monasterium fere quatuor milliaria statuit, ubi oraculum * sancti Ambrosii ad suscipiendos debiles & feminas, qui ad Monasterium venire non poterant, constituit, cui in omnibus tanta concessit bona necessitatibus, ut nihil deesset ibi servientibus hospitibus. Statuit etiam idem vir sanctissimus xenodochium ex proprio suo in finibus Vincentiæ, in loco qui dicitur Vicus-Domnarici *: ubi constituit duo oratoria sanctæ Mariæ & sancti Petri [a], & Monachos ibi Deo servientes, ac pauperes & debiles perplures exinde quotidie viventes, ex illius quoque beneficio pauperes ducentos per omnes kalendas [b] pascebantur. Item aliud ille dignus Pater constituit xenodochium ex suis propriis rebus in loco qui dicitur Susonia, ubi fieri jussit oraculum sanctæ Justinæ [c] Martyris, in quo etiam Monachos semper adesse voluit Deo servientes & sine sollicitudine viventes. Ibi etiam pauperes quotidie alebantur, & omnes advenientes hospitio atque victu inde reficiebantur, sed & per singulas kalendas pauperes ducenti inde satiabantur. Missæ verò pro salute vivorum & mortuorum per singulum annum trecentæ celebrabantur.

Xenodochia erigit. Matth. 20. 28. Eccl. 3. 20.

* oratorium

& Monasteria.

* al. Vicus-Domaunni

Missæ 300.

7. Denique cùm idem gloriosus Pater adhuc in militari habitu monarchiam Fori-Julii strenuè rexisset, & præfati Regis cognatus ejus polleret * agminibus, & comam cum hujus sæculi pompa pro Deo deposuisset; nec minùs tamen voluit spirituali septus agmine, Deo devotè militare. Habuit namque hic Dei famulus sub suo regimine Monachos regulares M C XLIV, exceptis parvulis & pulsantibus [d], qui non constringebantur ad Regulam: quos ille paterno amore fovebat & regebat. qui olim dux militum fuit, nunc dux Monachorum exstitit. Illos docuit loricatos ferre micantia arma adversus inimicos: istos docuit nudatos hujus sæculi æstibus sumere. arma adversus, mundi rectores tenebrarum harum, contra spirituales nequitias in cælestibus. Illos instruxit su-

* Bell. præfuerat ejus agminibus

Monachos regit 1144.

[a] De hoc Monasterio agendum ad Vitam sancti Theobaldi Eremitæ Vincentiensis in Sæculo VI.

[b] Bollandiani hic & infrà habent *hebdomadas*, quod glossema esse puto. tametsi kalendarum nomine potiùs mensis cujusque initium, quam hebdomadam significari existimo.

[c] Hinc Leander Albertus in descriptione Romaniolæ scribit, Anselmum Abbatiæ sanctæ Justinæ apud Patavinos esse auctorem. qua de re suprà in Observatione 3.

[d] Id est Novitiis seu vitæ monasticæ candidatis, ut explicatum ad Vitam sancti Sturmii Fuldensis Abbatis in Sæculi III parte 2. Carolus Magnus in Capitulari anni DCCC V cap. 13 pulsatos vocat. *De his qui non sunt secundùm Regulam pulsati ut deinceps emendentur & pulsentur secundùm Regulam.* Hinc locus ubi probantur Novitii, Pulsatorium appellatur in Concilio Liptinensis cap. 6.

AN. CHR. DCCC III. MART. III.

mere areum, scutum & hastam contra adversantes se: istos imbuit stare succinctos lumbos in veritate, & indutos loricâ justitiæ, & calciatos pedibus in præparatione Evangelii pacis, & sumere scutum fidei, in quo possint omnia tela nequissimi ignea exstinguere, & galeam salutis accipere, & gladium spiritus, quod est verbum Dei. Quid plura? hujus etenim viri magnifici vita omnibus proficua, præcipuè Monachis carissima, in summi Dei servitio semper erat paratissima. Quidquid etiam valuit & sapuit in divinis, semper & ubique operari studuit: quidquid autem boni in hoc loco agitur, ex quo ab illo fundatus est, suo studio suoque animo proficuo, ut omni explosa dubietate credi valet, divinitus imputatur, atque semper imputabitur. Fecit quidem mira Dominus multa per eum ejus in vita: sed eo interminante stili officio commendata non sunt. sed qualis quantusve ille probatissimus vir fuerat, ejus finis apertè declarat.

Vetat facta sua scribi.

Mortis præscius,

* al. inscius

8. Regnante domino & maximo CAROLO Imperatore hîc in Italia anno trigesimo regni sui, ipsiusque magnifici Anselmi Abbatiæ quinquagesimo, ejus imminente die mortis, divina misericordia eum ad sideream vocare voluit mansionem. Ipse enim conscius * sui obitus divina revelante gratia, ut bonus & pius Pastor oves, quas Domino foverat, ad se vocari fecerat, eisque sui finis diem denuntians, divinisque allocutionibus præmia & gaudia sempiterna eis pro suorum bonis factis à Domino retribuenda promittens. Sic eos diligenter confortans, eaque Domino commendans, expansis manibus & cor & oculos ad cælum levavit
» dicens: Domine JESU-CHRISTE, Pastor bone, qui me indignum famu-
» lum tuum pro tua misericordia ad te vocare dignatus es, qui mihi im-
» merito hunc tuum gregem commisisti, concede mihi servo tuo, tecum
» & cum electis tuis unà esse, & in regno tuo semper gaudere: & præsta
» ut hi famuli tui, quos mihi munere verbi tui pascere præcepisti, te se-
» quendo ad bravium æternæ remunerationis, tua gratia præveniente per-
» venire mereantur, qui vivis & regnas cum Deo Patre, sanctoque Spiri-
» tu per infinita sæculorum sæcula. Cumque omnes lacrymis resoluti circumstantes respondissent, Amen; tunc ipse venerabilis Pater blandè eos consolans, & prout poterat in ipso articulo sui exitus, cùm esset hora diei tertia, ipsius horæ psalmos per se ipsum cœpit decantare. qua expleta simili modo per se ipsum sextæ horæ psalmos decantans. quibus expletis in lecto stratus sui residens, benedixit eos, & inter manus Fratrum Monachorum ex hoc sæculo migravit ad cælos, quinto Nonas Martii, sextæ feriæ [a] die, in qua mundi Redemtor hominem fecerat, ipsumque redemerat. Tunc flentes Fratres & psallentes super beati viri corpus, totam illam diem & sequentem noctem in ejus exsequiis perdurantes usque ad horam alterius diei sextam, condiderunt illud in marmoreo lavello [b] infra oratorium beatæ Dei genitricis & virginis Mariæ, ubi per eum Dominus multis de diversis infirmitatibus tribuit sospitatem, ita ut de diversis locis concurrerent homines, & de ejus tumulo raderent & biberent, & dentium doloribus atque aliis variis infirmitatibus, adeo ut in aliquibus locis ipsum videbatur transfossum marmoreum tumulum.

facta ad suos oratione,

Tertia & Sexta recitatis obit.

a Hæ notæ chronologicæ conveniunt in annum DCCCIII, qui litera dominicali A præditus erat. Vvion proinde corrigendus, qui Anselmi obitum rejicit in annum sequentem. Sancti viri corpus in Monasterii Nonantulani summo altari honorificè locatum conspicitur

b Bollandiani habent *facello*. sed retinendum *lavello* seu *labello*. quod vas amplum quodcumque, maximè lavatorium significat.



APPENDIX

De Anselmi exsilio, successoribus, & de Monachis Nonantulæ ab Hungaris cæsis; deque Monasterio sanctæ Mariæ, & reliquiis SS. Senesii & Theopompi.

Anselmi exsilium.

1. IN *Italia sacra tomo 5 col. 477 & sequentibus exhibentur* nomina Abbatum Nonantulensium, qui post beatissimum Anselmum primum Abbatem rexerunt ipsam ecclesiam. *& primùm quidem de Anselmo ista leguntur:* In primis is ipse venerabilis ANSELMUS rexit ipsam Abbatiam annis quinquaginta, temporibus Regum Aistulfi & Desiderii & Caroli Magni Imperatoris: & ex his septem passus est exsilium à Desiderio apud Cassinum, sicut multorum seniorum relatione didicimus, pro eo quod nescio quid deliquerit in Desiderio. & VIGILANTIUS Presbyter in prædicto tempore feliciter Nonantulanum gubernavit Cœnobium, & multa commoda ibidem adquisivit in libris & in aliis multis rebus: & prædictus beatus Pater Anselmus ab exsilio reversus, multos postea vixit annos, & inter discipulorum manus, sicut in gestis ejus legitur, spiritum Domino reddidit V Non. Martii. *Quo ex loco apparet, superiorem libellum de vita sancti Anselmi scriptum esse ante sæculum XI, cujus initio vivebat is qui hanc Abbatum seriem ordinavit. Quæ causa exsilii Anselmo fuerit, quave ratione in ejus Vita id prætermissum, non facile dixerim. Forsan Desiderius suspicatus est, eum Carolo Magno faventiorem fuisse. Anselmo Abbate Hadriani Papæ primi corpus Nonantulæ sepultum fuisse legitur in Italia tomo 2, & Monasterium sanctæ Mariæ subditum Nonantulæ est, ut postea dicendum.*

Vigilantius vicarius.

Petrus successor.

2. *Pergit Auctor catalogi.* Petrus annos XVII, ordinatus anno dominicæ Incarnationis DCCC IV. Hic fecit totam conscribi Abbatiam & universum redditum: & ordinavit quantum in eleemosynis pauperum, susceptione hospitum, in ornamentis ecclesiarum, in necessitatibus Fratrum in unoquoque loco oporteret. obiit IIII Kal. Julii. *Eginhardus de eo ad annum* DCCC XIII. Imperator Aquisgrani hiemavit, & incipiente verno tempore Amalharium Treverensem Episcopum & PETRUM Abbatem Monasterii Nonantulæ propter pacem cum Michaële Imperatore confirmandam Constantinopolim misit.

Tum Ansfridus.

3. *Addit series Abbatum.* ANSFRIT annos XVII, ordinatus anno Domini DCCC XXI. (*in editis mendose* DCCC 21) Hic fuit religiosus & Deo devotus vir, & sanctissimè vixit. Fecit autem capsam Evangelii totam auream & pretiosis lapidibus ornatam. fecit & calicem grandem argenteum & patenam, quos mirificè vestivit auro, & ornavit lapidibus. obiit III Id. Martii. *Hic itidem omissa Ansfridi legatio, de qua item Eginhardus ad annum* DCCC XXVIII. Halidgarius Cameracensis Episcopus & ANSFRIDUS Abbas Monasterii Nonantulæ Constantinopolim missi, & à Michaële Imperatore honorificè suscepti sunt.

Leopardus Abbas 14.

4. *Abbas quartus-decimus fuit* LEOPARDUS, *cujus tempore occisi ab Hungaris Monachi, combustum Nonantulæ Monasterium, uti & Cœnobium sanctæ Mariæ Nonantulæ subjectum. tum sub* PETRO *Leopardi successore reliquiæ sanctorum Senesii & Theopompi in restitutam Nonantulæ basilicam translatæ. quæ hoc loco explicanda.*

Hungarorum clades.

5. *De Hungarorum irruptione Chronicon Nonantulense ab Ughello relatum in Italia tomo 2 col. 254 ita prodit.* LEOPARDUS sedit annos XIII, menses II, dies XIX. ordinatus anno Domini DCCC XCIX, obiit XII Kal. Julii. In ipso anno venerunt Ungari in Italia de mense Augusti Indictione III. VIII Kal. Octob. injunxerunt se Christiani cum eis in bello ad fluvium Brentam: ubi multa millia Christianorum interfecta sunt ab eis, & alios fugarunt: & venerunt usque Nonantulam, & occiderunt Monachos, & incenderunt Monasterium, & codices multos concremarunt, atque omnem depopulati sunt locum. Prædictus autem venerabilis Abbas Leopardus cum ceteris aliis Monachis fugerunt, & aliquamdiu latuerunt. postea verò recongregati sunt, & recondiderunt Monasterium & ecclesiam: & misit ad Sergium Papam, qui tunc Romanam & apostolicam gubernabat sedem, consulendo de conservatione ecclesiæ seu Monasterii, & de diversis ærumnis quas passus est à barbaris atque aliis malis hominibus. *Ughellus eo loco refert Sergii Papæ rescriptum ad Leopardum, vetantis ne* aliquem ad consecrandam ipsam ecclesiam rogaret, nisi Johannem Ticinensem Episcopum, aut Widonem Placentinum, vel Elbungum Parmensem. *quod factum per Widonem.*

Monasterii S. Mariæ conditio.

6. *De Monasterii sanctæ Mariæ sanctæque Crucis & sanctæ Martyris Fuscæ conditione & destructione, deque translatione reliquiarum sanctorum Senesii & Theopompi Nonantulam,*

An. Chr. DCCC III. Mart. III.

libellum scripsit Nonantulanus Monachus anonymus, qui Rodulfo Abbate vixit initio sæculi XI. qua historia relata est apud Vghellum in Italia sacra tomo 5 col. 469. & sequentibus, ex quo hæc carptim delibare sufficiat. Anno Christi septingentesimo octuagesimo, imperii autem Caroli Magni septimo, quidam Dux, vir Deo per omnia deditus, nomine Gerardus, suæ saluti consulens, pro animæ suæ remedio quamdam ecclesiam ad honorem & venerationem beatissimæ virginis Mariæ sanctæque Crucis atque Martyris Fuscæ in suo proprio, magno cum studio ædificaverat, & sancti Silvestri Cœnobio Nonantulensi subdiderat: ibique Monachos ut regulariter Deo servirent, constituere curaverat. cui omnia quæ possederat, provido atque sincero animo tradere studuerat. Trigesimo autem quarto anno imperii ejusdem Caroli, præfati Comitis oxor Albegunda nomine, viri magnifici vestigia tenens in sua viduitate sanctissima, quidquid habere visa fuerat, eidem Monasterio vivere studuit: cui dum vixit, castè & fideliter servivit, ibique cum suo conjuge in Domino requievit. Hæc autem ecclesia, quam prædiximus, sita est in quadam insula, duobus fluminibus Camano & Sylo circumdata, tertia stadii parte ab urbe Tervisio distans. in qua ecclesia beatissimorum Martyrum Senesii & Theopompi corpora à sanctis viris fuerunt recondita, ibique innumerabilia miracula eorum promerente gratia, Dei nostri clementia ostendere dignata fuerat. Post multorum igitur annorum curricula gens Hunnorum perfida, servientibus Deo invida, plurimas Italiæ devastans provincias, hunc sanctissimum locum peccatis ingruentibus funditus destruxit.

Destructio per Hunnos.

Hujus doloris fama percurrens ad Nonantulam, ubi sanctissimi Silvestri corpus requiescit, sub cujus potestate & fiducia post Deum hoc Monasterium semper fuerat, Petro venerabili ejusdem loci Abbati hoc magnum nefas denuntiavit. Abbas verò tali legatione mæstus, tamen de Dei misericordia bene confisus, cunctorum Fratrum cœtu advocato dignum & salubre invenit consilium. Suum itaque advocans alumnum Deo dignum Monachum, nomine Rodulfum, cui tres venerabiles sociavit Fratres, & magna cum festinatione ad hunc recuperandum locum transmisit. cui & attentissimè jussit, ut cum omni sollicitudine atque veneratione dignissima, sanctorum Senesii & Theopompi corpora colligere studeret, atque omni cum festinatione ad Nonantulanum Cœnobium ea inventa deferret.

Translatio SS. Theopompi & Synesii Nonantulam.

Hoc autem onus obedientiæ magno cum gaudio suscipiens, prout Deo placuit, totum fideliter adimplevit, *nempe corpora sacra indicante* Dei ancilla Anserada *nomine, qua* ea in secreto loco collecta & recondita habebat: ipsaque ab eis recepta magnis sequentibus signis ad Nonantulam citissimè devenerunt.

Eorum miracula.

Auctor deinde varia recitat miracula per sanctos Martyres facta tum in Nonantulenses, tum in Ticinenses peste laborantes, delatis Ticinum sacris reliquiis. cui supplicationi aderat Adelgida Regina gloriosissima, quæ duo coopertoria, unum auro intextum, alterum verò mirificè elaboratum sanctis Martyribus obtulit. Eterico *Nonantulæ Præposito item delata reliquia ad pluviam impetrandam. quod abunde præstitum*, ut quidam qui interfuit venerabilis Monachus, Augustinus nomine, nobis narravit. *Item* in castro Pontiano quatuor à Nonantula distante milliaribus, *pestis repressa* tempore Joannis Abbatis Græci, *qui ordinatus est anno* DCCCCLXXII. *Præter ea* tempore secundi Leonis ejusdem Cœnobii Abbatis, *tellus imbre caelitus accepto perfusa est. Alia denique commemorat Auctor suo & Rodulfi Abbatis tempore facta. Martyres isti*, Theopompus *scilicet* Episcopus, *& Theonas, qui & Synesius, Nicomedia passi sunt sub Diocletiano Imperatore prid. Non. Ianuarii: in quorum honorem* Cosmas *Materiensis ante septingentos annos versus condidit, quos Gregorio Nonantulano Monacho dedicavit hoc exordio:*

Cosmas Gregorio Monacho dedit ista benigno
Carmina levitico qui cluit officio.

Habentur in Italia tomo 2 col. 139 & 140. exstat etiam epistola Iohannis Papæ VIII ad Adelardum Veronensem Episcopum, qua significat ipsum ab se excommunicatum, quòd Nonantulanum Monasterium invasisset. data XV Kal. Maii Indict. X, *id est anno Christi* DCCCLXXVII, *quo post mortem Theodonii Abbatis sedes Nonantulensis vacabat.*

Nonantulæ viri pii & status.

7. Nonantulæ præter jam dictos floruere viri pissimi Gregorius *&* Leo *Abbates, de quibus in Sæculo sequenti. Hactenus subsistit istud Monasterium, quod in oppidum accrevit, translatum à Monachis nigris ad Cistertienses ab anno* MDXIV.



VITA SANCTI LIUDGERI, EPISCOPI MIMIGARDEFORDENSIS APUD WESTFALOS PRIMI,

Auctore ALTFRIDO, ejusdem sedis Episcopo tertio.

Ex Martio Bollandiano, cujus retenti numeri initiales.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. LIUDGERUS *seu* Ludgerus, *aliis* Luidgerus, Luidigerusve, *primus Mimi-* Vitæ scriptores.
gardefordensis, nunc Monasteriensis, Ecclesiæ Episcopus apud Vuestfalos seu oc-
cidentales Saxones, qui Frisiis & Francis Ripuariis finitimi sunt, à multis
scriptor bus celebratus est. Primus (ut puto) ALTFRIDUS, *Liudgeri post Ger-* 1.
fridum successor, is qui anno DCCC XLIX *vivere desiit*, de vita sancti Pa-
tris Liudgeri aliquid *aggressus est scribere*, quatenus tam veneranda illius exempla multis
ad ædificationem proficerent, *nefas putans tanti viri latere virtutes. qua prologi ejus ver-*
ba satis indicant, neminem ante eum id præstitisse. Altfridi lucubratio duobus libris contenta,
in Martio Bollandiano edita primùm est cum eruditis commentariis. Idem argumentum duo- 2.
bus itidem libris retractavit anonymus Monachus Vuerthinensis, quædam subinde admiscens
nonnihil ab Altfridi narratione discrepantia: cujus Auctoris scriptionem ex Fuldensibus mem-
branis eruit Christophorus Brouuerus, qui OTHELGRIMUM *Liudgeri socium ejus condito-*
rem esse existimavit. Verùm Auctor ejus Vitæ scribebat post annum DCCC LXIV, *ut patet*
ex lib. 2 cap. 26. Tertiam Vitam binis etiam libellis constantem, quæ ex duobus prioribus 3.
conflata est, typis vulgavit Surius in prima sui operis editione. (nam Brouuerianam loco
ejus substituerunt tertii editores collectionis Surianæ.) Quarta rythmica est, à Monachis 4.
Vuerthinensibus in modum Litaniæ jussu Bernardi Abbatis condita sub annum MCXL, *par-*
tim in Martio Bollandiano edita. Brouuerus addit aliam ab UFFINGO *Monacho composi-* 5.
tam sub initium sæculi X. *quæ forsan non alia est, quàm metricum Liudgeri elogium à Bol-*
landianis itidem vulgatum, qui etiam aliam recentioris Auctoris se legisse testantur. Primam
ex his & secundam hic exhibere visum est, tum quia utraque Auctoris est fere æqualis: 6.
tum quia Brouueriana nonnulla continet quæ in Altfridiana non leguntur. Primos Vitæ Liud-
gerianæ scriptores Vuerthinensis Litaniæ conditor ait fuisse OTHELGRIMUM discipulum
ejus, ALTFRIDUM Monasteriensem Episcopum, & UFFINGUM Cœnobitam War-
thinensem. *Othelgrimo tamquam primario Auctori tribuisse videtur secundam Vitam, quæ*
tamen paullo serius edita est, quàm Othelgrimi ætas ferat.

2. *Præter hos Auctores alii non pauci de eo agunt, Dithmarus Merseburgensis Episcopus in Chronico, Iohannes à Leidis in Chronico Belgico, Iohannes Beka in Episcopis Vltrajectinis, Cincinnius in libello singulari, & alii recentiores, præter Iohannem Trithemium, Vuionem, & alios è nostris.*

3. *Liudgeri sanctitatem statim ab ipsius obitu miracula varia declararunt. Super ejus tumulum extra Vuerthinensem basilicam positum Hildegrimus ipsius frater Halberstadensis Episcopus oratorium erexit, quod Hildebaldus Coloniensis Archiepiscopus dedicavit in honorem sancti Stephani, teste Vualafrido Strabo, cujus hi versus* IN ECCLESIA MONASTERII QUOD RURA VOCATUR. (Liudgeri sanctitas celebris.)

Hoc templum Stephani celebratur honore dicatum,
 Cum Jacobo nostri fratre simul Domini:
Quorum sub precibus Christi pietate receptis
 Summi adipiscamur munera larga boni.
HILDIGRIM struxit, HADABALDUS Episcopus Archi
 Sanctificavit. honor certus utrumque manet.

Festum ejus diem feriari cœperunt Vuerthinenses sub medium sæculum nonum, tum circompositi accolæ, ut constat ex Vita secunda lib. 2 capp. 8 & 9. Demum tempore Adalvvigi Vuerthinensis Abbatis circiter annum Domini M LXXV *sancti Liudgeri corpus ex crypta oratorii sancti Stephani in majorem Vuerthinensis Monasterii basilicam translatum est, ubi*

An. Chr. DCCC IX. Martii XXVI.

ponè summam chori aram in pretioso loculo requiescit, elatum super duas insignes marmoreas columnas, ut mihi litteris testatus est R. P. Gregorius Prior Vverthinensis, qui & addit, Illustrissimum Christophorum Bernardum Monasteriensem Episcopum nuper à Vverthinensibus agrè impetrasse duas particulas ex corpore sacro, nempe ossa duo de spina dorsi & de digito. Liudgerum celebrant Martyrologia, Romanum, Benedictinum, & alia fere omnia recentiora. De eo ita legitur in Saxonico Chronico ms. Anno DCCC IX sanctus Liuderus ad superos migravit, qui efferæ genti Saxonum cum fratre suo Hildegrimo Halberstadensi Episcopo jugum Christi imposuit. *Ergo Saxonum verè dicendus Apostolus, uti & sancti Vvillehadus & Anscharius. In quodam brevi chronico Monasterii Vticensis Liudgerus* Caroli Magni Capellanus *appellatur.*

Monastica professio.

4. *An Liudgerus fuerit Monachus, quæstionem movet post Albertum Crantzium Brovverus, dein socii Bollandiani. Crantzius Monachum fuisse non probat, tum quòd carnium esu non abstinuerit Liudgerus, tum quòd habitum monasticum deposuerit. Brovverus huc inclinat ut Monachus fuerit. Bollandiani aiunt, meritò à Benedictinis coli virum sanctum, etiam si habitum monasticum non gestasset, ut certè gestavit,* cùm ita Ordinem ipsorum dilexerit exornaritque, & in primario eorum Cœnobio duos annos & dimidium inter Monachos Monachus habitarit. *Ante hos omnes* quidam, *(ait Paulus Langius Iohannis Trithemii discipulus in Chronico Citizensi)* qui epitomen ex gestis Episcoporum Monasteriensis Ecclesiæ nuper congessit, divum Liudgerum, primum dictæ Præsulem Ecclesiæ, sui in exordio libelli futilibus ostendere nititur argutiis, nostri non fuisse Ordinis Monachum. Sed incassum, *inquit*, infitiari desiderat, quod irrefragabiliter gestum constat. *Sed tamen ratio quam adfert Paulus, nempe quòd* eo ævo passim Ecclesiarum Antistites è Cœnobiis eligebantur, *rem non satis probat. Controversiam dirimit Altfridus in Vita sequenti lib. 1 num. 27 ita scribens:* Cucullum, eo quòd promissionem observationis Monachorum Regulæ non fecerat, portare desivit: cilicii tamen indumentum, quod magis abscondi potuit, usque ad finem vitæ suæ ad carnem gestavit. Carnium esus certis temporibus non renuit. *Idem fere tradunt Vverthinenses in rythmica sua Litania.*

Sancto consilio cum filiis habito,
Permiserunt eum conversari secum,
Cucullam sumere, non tamen promittere
Observationem ejus regularem.

Rem sic habere existimo. Liudgerus in Trajecto Monasterio tonsuram *accepit, ubi Monachos tum fuisse Ordinis nostri, aut saltem Canonicos Regula nostra servantes demonstravi ad Vitam sancti Gregorii Abbatis Trajectensis in Sæculi tertii parte 2. tum Eboraci sub Alcuino præceptore eruditus, postea* Patri Gregorio & ceteris tanto tunc dignior & acceptior, quanto fuit & monasticis eruditionibus illustrior. *Denique Casinum profectus, ubi sesquiduobus annis mansit sub Theodemaro Abbate consanguineo suo. Istic monasticas vestes eum accepisse puto: sed postea Episcopus factus cucullam deposuit; & nonnunquam esu carnium vescebatur, (quia Regulæ sollemnem professionem non fecerat) retento tamen cilicio, quod Monachis nostris fere in perpetuo usu tum erat.*

5. *Quo in facto tria observanda sunt. unum, Monachos qui ad Episcopatum promovebantur, monasticas vestes, adeoque cucullam retinuisse. qua de re exstat canon ultimus Concilii Romani sub Hadriano Papa secundo, seu octava Synodi prohibentis,* ne Monachi ad Episcopatum adsumti monasticum habitum deponant. *& Eugenium Papam tertium semper* cum cuculla *decubuisse legimus in Vita sancti Bernardi Abbatis Claravallensis. Alterum observatu dignum est, eosdem Monachos Episcopos etiam à carnibus abstinuisse, uti in Monasterio. Huc spectat id quod scribit Pardulus Laudunensis Episcopus ad Hincmarum Remorum Pontificem ex Monacho Dionysiano: cui ex morbo convalescenti vetat* à lardo sive quadrupedibus abstinere, donec sanitas confirmetur: & sic ad siccos & miseros tardioresque monasticos cibos redeatur. *Postremum observa, nonnullos per ea tempora vestes monasticas suscepisse, ac diu eas intra & extra Monasterium retinuisse, nulla facta sollemnis voti professione. Exemplum ejus rei posteriori ævo nobis exhibet Vvadislaus Casimiri Ducis Evinacensis filius, qui in Divionensi sancti Benigni Monasterio* per aliquot annos ut Conversus mansit, nulla regulari promissione emissa, *testante Clemente Papa V in epistola ad ipsum scripta, quæ exstat in Spicilegii tomo 7. Quamquam in Synodo Aquisgranensi anni* DCCC XVII *statutum est cap. 34, ut Novitius* nec tondeatur, nec vestimenta pristina immutet, priusquam obedientiam promittat. *Nam susceptione habitûs voti reum fieri persuasio fuit veterum, etiam ante Liudgeri ætatem. Quo fit, ut Liudgerum votis se obstrinxisse certò crederem, nisi me revocaret Altfridi scriptoris gravis auctoritas. Lege Vitam Alcuini infra.*

Monasteria à Liudgero condita.

6. *Liudgerus tria construxit Monasteria, unum Clericorum* sub Regula canonica Christo famulantium, *ex Altfridi lib. 1 num. 20, situm Mimigardevorda, quæ urbe ab ipso Mo-*

nasterio

sterio dicta est Monasterium, sæculo XI, unde & Monasteriensis Episcopus dictus. alterum Vverthinæ ad Ruram fluvium apud Vvestfalos. tertium prope Helmenstadium in Ducatu Brunsvvicensi; utrumque Monachorum Ordinis sancti Benedicti. An. Chr. DCCC IX. Martii XXVI.

7. Primum ex his conditum videtur Vverthinense seu Vverdinense, à præterlabente fluvio Rura nomen etiam sortitum; situm in saltu Wideburg, adjacens diœcesi Coloniensi. Locum sibi divinitus indicatum repurgavit Liudgerus, & Monachis nostris concessum ipse sibi elegit in viventis secessum & mortui sepulturam. Ecclesiam in honorem Salvatoris & beatæ Mariæ, quorum reliquias, de sanguine scilicet Christi Domini & de lacte Deiparæ, ab Hadriano Papa obtinuerat, dedicavit. Quo anno jacta sint Monasterii fundamenta colligimus tum ex Vita Suriana lib. 1 cap. 18, ubi Liudgerus locum à Deo sibi ad hoc destinatum didicisse memoratur, & adiisse annis ferme novem ante datum sibi Episcopatum; ac proinde anno Christi DCC XCIII. tum ex litteris & instrumentis Monasterii, quæ socii Bollandiani accuratè investigarunt. Prima donatio quæ Liudgero Presbytero ad reliquias sancti Salvatoris & sanctæ Mariæ facta legitur, est Amulrici cujusdam, acta anno XXVII regni domni religiosissimi Regis Carli XVII Kal. Aprilis, id est anno Christi DCC XCV. anno verò insequenti alia invenitur Theganbaldi Liudgero Abbati, uti & plures aliæ, inscriptæ. quod argumento est, jam tum Monachos quosdam eo in loco exstitisse, & Liudgerum ipsis præfuisse. Monasterium postea dictum est sancti Salvatoris & sancti Liudgeri ob celebritatem viri sancti ibidem sepulti. Hinc Vverthinenses Vitæ Surianæ auctores in prologo, etiam Altfridi, dicuntur Fratres in Cœnobio sancti Salvatoris & sancti Liudgeri degentes. quæ verba perperam de Trajectensi sancti Salvatoris Monasterio Iacobus Gerardus Vossius interpretatus est in lib. de historicis Latinis. Hactenus subsistit istud Cœnobium sub Bursfeldensi Congregatione. Vverthinense.

8. Subsistit etiam Helmenstadiense in Ducatu Brunsvvicensi, à conditore suo sancti Liudgeri dictum, vulgo sant Ludigaris clooster, quod Liudgerus in paterna hereditate construxit, veluti receptum quemdam, in quo identidem ex prædicationis labore fatigatus sese recreabat. Hujus Monasterii meminit Ditmarus Merseburgensis Episcopus in Chronici libro 4. Exstat apud Henricum Meibomium post Vvitichindi Annales diploma quoddam Ottonis Magni Imperatoris, quo nonnullas decimas Monachis ejus loci concedit rogatu Bernardi Episcopi Halverstadensis, in cujus diœcesi Abbatia consistit, medio Brunsvvigam inter & Magdeburgum itinere, in suburbio Helmenstadii. Helmenstadiense.

9. Locus ubi nunc Monasterium * urbs episcopalis sita est, olim dictus est Mimigerneford, Mimigarneford, & Mimigarnevord. Istic erecta per Carolum Magnum episcopalis sedes, cui primus præfectus est Liudgerus. Id factum anno DCCC II, uti socii Bollandiani deducunt ex variis monumentis, in quibus Liudgerus Abbas nominatur usque ad annum XXXIII Caroli Magni, qui in annum Christi DCCC I incidit. Ecclesiam eo in loco condidit vir sanctus, & Monasterium sub Regula canonica Christo famulantium, ut scribit Altfridus in lib. 1 num. 20. Ab eo Monasterio nomen sæculo X, & celebritas loco accessit. Mistam fuisse istic ex Canonicis & Monachis congregationem principio exstitisse existimo: & Clericos quidem habitu canonico usos, Regulâ vixisse monasticâ, uti factum Bremæ Adamus refert, veri simillimum est. Porro Monachos etiam aut solos, aut certè Canonicis permistos ab initio fuisse colligo non tantùm ex propensa Liudgeri in nostros voluntate, sed etiam ex testimonio Altfridi, qui Hildradum Monachum & Diaconum nostrum, id est Mimigarnefordensis Ecclesiæ Diaconum vocat in lib. 2 cap. 12. Idem in prologo suo Thiatbaldum Liudgeri Presbyterum laudat, quem Auctor Brouverianus Vverthinensis Cœnobii Monachum fuisse satis innuit in lib. 2 cap. 27. De trium horum Monasteriorum conditione ita canunt in rythmica Litania Vverthinenses. Mimigardevordense. * Munster

Fundavit insuper tria loca pariter,
Numero locorum, quo & populorum.
Werthinam, Helmenstad Monachis fundaverat
De proprietate vel hereditate:
Et Episcopium dictum Monasterium.

Et infrà alia etiam condidisse fertur.

Condidit antiqua etiam claustricula
Istic Conversorum, illic Conversarum

10. Ex his quæ hactenus dicta, quæque inferiùs dicentur in Notis, Liudgeri vitæ series sic ordinari potest. Is sub annum Christi DCC LVIII Gregorio Abbati Trajectensi commissus, ab eoque tonsus; postea in Angliam trajecit ad scholam Alcuini post mortem Egberti Eboracensis Archiepiscopi, quæ anno DCC LXVI contigit. Tum Diaconus factus, Trajectum revertit. Dehinc in Angliam iterum reversus circiter annum DCC LXXII, post biennium rediit ad Gregorium Abbatem, qui anno fere DCC LXXVI. decessit. Eodem anno Albricus in locum Gregorii suffectus ordinatur Episcopus; Liudgerus Sacerdos, qui Frisiis verbum Dei

An. Chr. DCCC IX. Martii XXVI. *prædicavit per annos fere septem. Anno* DCC LXXXIV, *sæviente Vuitechindi in Christianos procellâ, Liudgerus adit Romam, & impetratis ab Hadriano Papa reliquiis Casinum secedit, ibi moratus annos duos & dimidium. Anno* DCC LXXXVII *ad Frisiorum conversionem destinatus à Carolo Magno, locum opportunum quærit condendo Monasterio, cujus fundamenta Vuerthina jecit sub annum* DCC XCV. *Episcopus factus anno* DCCC II, *decessit* VII *Kal. Aprilis anni* DCCC IX *secundùm calculum recentiorem, id est sub finem anni præcedentis secundùm veterem.*

Scripta. 11. *Ad scripta ejus quod attinet, composuit* librum de vita venerabilium ejus doctorum, Gregorii scilicet & Albrici: *quo in libro* primordia sancti Bonifacii adventus atque ordinationis, quæ fuerant in alio opusculo *de vita Bonifacii* prætermissa, pulcro sermone conscripsit, *inquit Altfridus in lib. 2 num. 6. Præter eum libellum quem in Seculi tertii parte 1 habes, an aliquid scriptum reliquerit, incertum. nam epistola de canonizatione (quam vocant) sancti Suidberti, & alia id genus, Liudgero attributa, spuria esse probatum est in Elogio sancti Suidberti in Sæculi 3 parte 1. Ceterum Liudgerus,* etsi omnes *linguas* non nosset: Theotiscam tamen & Latinam, (ne plures dicamus) id est barbaram & Romanam, non ignoravit, *ut legitur in Vita Suriana.*

PROLOGUS AUCTORIS.

1. ALTFRIDUS *gratiâ Dei Episcopus, carissimis Fratribus & Monachis, in Cœnobio sancti Salvatoris & sancti Patris* LIUDGERI *Domino servientibus, in Christo salutem.* Petitioni vestræ idcirco consensum præbui, quia caritati vestræ nihil denegare potui. Postulastis igitur crebris precibus, ut de vita sancti Patris LIUDGERI aliquid conscribere juberem, quatenus tam veneranda illius exempla multis ad ædificationem proficerent. Ad quod studiosum opus peragendum, quamvis inparem me esse & scientiâ debilem scirem; tamen caritate cogente animum ad illud scribendum appuli, quia nefas putabam tanti viri latere virtutes, cùm beati Gregorii ad indagationem sacri verbi socius dicat: „ Sunt nonnulli, quos ad amorem patriæ cælestis plus exempla quàm prædicamenta succendunt. Fit verò plerumque in audientis animo duplex adjutorium in exemplis Patrum, &c. Exempla etiam & actus sancti Liudgeri ideo plenè comprehendere nequeo, quia non ea visu, sed auditu didici, illis adtestantibus, qui ab infantia illum noverant, atque ab eo eruditi fuerant, HILDIGRIMO scilicet Episcopo fratre ejus, & GERFRIDO Episcopo nepote ejus; sed & sanctimoniali femina HERIBURGA germana ejus, necnon & venerabilibus ejus Presbyteris ALUBERTO, ATINGO, & THIATBALDO [a]. Virtutibus igitur multis atque signis, quæ per illum Dominus operatus est, per negligentiam prætermissis, ea sola huic libello inscribi feci, quæ unà vobiscum aut visu deprehendi, aut facta certè cognovi.

Auctor non visa, sed audita refert.

INCIPIT VITA.

Liudgeri avus nobilis Friso, & paganus,

2. VITAM sancti Liudgeri scripturus, ratum duxi altiùs repetendum, ut quibus in hoc sæculo sit parentibus editus, evolvam. Fuit in diebus RADBODI Regis Fresonum, vir quidam nobilis in ea gente, WRSSINGUS nomine, cognomento ADO: qui quamvis Fidem sanctæ Trinitatis necdum sciret; erat tamen adjutor pauperum, ac defensor oppressorum, in judicioque justus. Sed quia gens illa eo tempore in errore infidelitatis erat excæcata, multa multi injusta à Rege crudeli & ab ejus ministris fuerant perpessi. Alios enim Rex idem insidiando necaverat, & hereditates illorum possidebat; alios verò extra terminos effugabat, & nihilo minùs ipsorum sibi hereditates vindicabat. Sed vir præfatus se

a Thiatbaldum Vverthinensis Cœnobii etiam Monachum & Scholasticum fuisse patet ex secundæ Vitæ lib. 2 cap. 27.

[AN. CHR. DCCC IX. MARTII XXVI.] minimè subtrahens, quo minùs veritatem coram Rege & ejus Principibus defenderet; nullius personam, in judicando justè & amplectendo veritatem, respiciebat. Qua de re contigit, ut magnas à Rege crudeli insidias pateretur, ita ut juberet illum callidè interficere, & facultates suas tolli. [ob justi amorem periclitatus,] quod letale consilium illi continuò unus ex Consiliariis Regis nuntiare curavit, eo quòd à pluribus diligeretur.

3. Tunc Wrssingus unà cum conjunge sua ADALGARDA, & filio uno, quem habebant, NOTHGRIMO nomine, & cum paucis domesticis suis occultè fugiens, ad Ducem Francorum, nomine GRIMOLDUM[a], pervenit. [in Gallia suscepit Fidem.] qui benignè ab eodem Duce susceptus, habitavit in regione Francorum: & imbutus Fide catholica, baptismi consecutus est gratiam, unà cum conjuge sua & filio, ac domo reliqua. Post præfati verò Ducis obitum, singuli Duces Francorum venerabilem Wrssingum honoratum beneficiis retinuerunt secum: uxor verò ejus in peregrinatione genuit ei filium alterum, nomine THIADGRIMUM, & filias novem: [Quot liberos habuerit.] & defuncta obiit in pace, necnon & sex filiæ ejus in virginitate ab hac luce subtractæ sunt. Pater igitur filios duos cum filiabus tribus, quæ remanserant, cum timore Domini nutriens, servavit castitatem suam reliquum tempus vitæ suæ.

4. His ita gestis, Rex RADBODUS infirmari cœpit, infirmitate qua & mortuus est, & sex annis continuis ante diem mortis suæ paullatim traxit dolorem: [Revocatus in Frisiam,] cœpitque regnum suum deficere; regnum quoque Francorum augmentando proficere. Infirmatus autem, misit ad virum memoratum Wrssingum, postulans ut ad se rediret, recepturus hereditatem suam: insuper & alia multa se daturum ei spopondit, si pacem secum tenere voluisset. sed vir catholicus precibus ejus non adquievit. Iterum autem Radbodus misit ad eum, postulans ut si ipse venire noluisset, saltem filium suum ad se mitteret: & juravit se ei daturum quidquid sibi promiserat. Igitur Wrssingus tandem precibus victus, misit ad eum filium suum juniorem: [eò filium suum Thiadgrimum remisit.] quem ille benignè suscipiens, fecit honorificè habitare secum, & restituit ei hereditatem patris. Ipse tamen pater cum seniore & filio & filiabus habitavit in regione Francorum usque ad obitum Radbodi. Contigit autem PIPPINUM Ducem Francorum de hac luce migrasse, & filium ejus CAROLUM regno potiri patris: qui multas gentes sceptris adjecit Francorum, inter quas etiam cum triumphi gloria Fresiam, exstincto Radbodo, paterno addidit imperio. [reversus ipse juvat S. Vvillibrordum.] In qua tunc gente sanctus WILLIBRORDUS[b] positus est prædicator, sedesque ei episcopalis in Trajecto castello delegata est, sicut in libello de vita ipsius Willibrordi scriptum legitur. Dedit igitur Carolus memorato Wrssingo beneficium in confinio Fresonum, & direxit eum ad patriam suam causâ Fidei roborandæ. Qui veniens, accepta hereditate propria, habitavit in loco, qui dicitur Suabsna *, juxta Trajectum, [*al. Sualisna & Suabsna.] & cœpit esse adjutor sancti Willibrordi cum filiis & propinquis suis, in quibuscumque potuerat. Diligebat eum sanctus Willibrordus valde, eo quòd esset vir bonus, & plenus fide, & acceptabilis universæ plebi, & castitatem servans.

5. NOTHGRIMUS igitur filius ejus senior duxit uxorem fidelem: [Ejus posteri.] similiter & filiæ tres cum timore Domini conjugio copulatæ sunt vivente patre. Habuitque progenies illa magnam familiaritatem cum sancto Willibrordo, necnon & cum sancto Bonifacio, qui post eum partibus illis doctor serenus illuxit, quoad usque pro Fide Christi martyrio coronatus spiritum reddidit Domino, in pago Astrache, in loco qui Doccinga voca-

[a] Grimoldi Ducis, Pippini Majoris-domus filii, obitus contigit anno DCCXIV; Radbodi verò, Frisonum Ducis sive Regis, de quo postea, anno DCCXIX.

[b] Vita ejus exstat in Sæculi. II parte 1 ab Alcuino edita soluta & metrica oratione.

AN. CHR. DCCC IX. MARTII XXVI.

tur, ficut & de illo fcripta teftantur. Poft obitum verò patris Thiadgrimus, junior filius memorati Wrffingi, duxit uxorem nomine LIAFBURG, filiam cujufdam NOTHRADI & ADELBURGÆ. quæ videlicet Adelburg pridem fuos duos germanos fratres fancto commendavit Epifcopo Willibrordo, de quo fuperiùs diximus, Domino nutriendos: quorum major WILLIBRAHT, minor autem THIDBRAHT vocabatur; qui etiam primi omnium gentis Frefonum Clericatus acceperunt officium. Horum prior in Levitarum obiit gradu; junior non pervenit ad gradum, fed ita in juventute de hac luce migrabat.

Liudgeri mater necari juffa,

6. Memorata Liafburg cùm nata effet, habebat aviam gentilem, matrem videlicet patris fui, abrenuntiantem omnino Fidei catholicæ: quæ non nominanda in furorem converfa, eo quòd prænominata conjunx filias tantùm genuiffet, & filium viventem non haberet; mifit lictores, qui raperent eamdem filiam tunc natam de finu matris, & necarent priufquam lac fugeret matris: quia fic erat mos paganorum, ut fi filium aut filiam necare voluiffent, abfque cibo terreno necarentur. Lictores autem, ficut illis fuerat imperatum, rapuerunt eam; & portavit illam unum mancipium ad fitulam aquâ plenam, cupiens in eam aquam ipfam immergere, ut vitam finiret. Sed miro Omnipotentis dono actum eft, ut puella

divinitus fervata.

quæ necdum fuxerat ubera matris, extenfis brachiolis fuis, utraque manu apprehenderet marginem fitulæ, renitens ne mergeretur. Hanc ergo fortitudinem tenerrimæ puellæ ex divina credimus actam prædeftinatione, eo quòd ex ea duo Epifcopi fuiffent oriundi, fanctus videlicet LIUDGERUS, & HILDIGRIMUS, ceterorumque Epifcoporum genitrices futuræ. In hac igitur colluctatione mirabili, juxta mifericordis Dei difpofitionem fupervenit vicina mulier, & mifericordiâ mota eripuit puellam de manu præfati mancipii, cucurritque cum ea ad domum fuam: & claudens poft fe oftium, pervenit ad cubiculum in quo erat mel, & mifit ex melle illo in os juvenculæ, quæ ftatim forbuit illud. Venerunt interea prædicti carnifices juffa dominæ fuæ expleturi: dominabatur enim illa furibunda in tota domo filii fui. Mulier autem quæ infantem rapuerat, occurrens lictoribus dixit, mel comediffe puellam; & fimul oftendit eis illam adhuc labia fua lingentem. & propter hoc [a] illicitum erat juxta morem gentilium necare illam. Tunc lictores dimiferunt eam: & mulier quæ eam rapuerat, occultè nutrivit illam, mittendo lac per cornu in os ejus. Mater quoque occultè mifit ad eam nutricem puellæ adferentem quæ neceffaria fuerant, quoad ufque præfata ferox illa vitam finiret. & tunc demum accepit mater filiam fuam nutriendam. Sed de his ifta fufficiant.

Liudgerus in ortu periclitatus,

7. Nunc etiam, quia de fancto Liudgero loqui inchoavimus, libuit de eo iterum replicare fermonem. Cùm veniffet autem Thiadgrimus pater ejus de quodam itinere, & mater ejus prægnans effet vicinaque partui, geftans in utero eumdem futurum Epifcopum; audito quòd vir ejus veniret, immoderatè gaudens properavit ad eum; & offenfo pede corruit,

baptizatus dat indicia futuræ fcientiæ.

intravitque palus per latus ejus, & ablata eft mortua, ita ut nullus putaret, vel eam vitæ præfenti reftituendam, vel filium quem geftavit in utero. Sed miferante divina clementia revixit fpiritus ejus, & bene fuerat curata; in puero quoque poft paucos dies edito nulla læfionis apparuit macula [b]. Baptizatus autem accepit vocabulum LIUDGERUS. qui

a Alia Vita: *Nam femel guftantes aliquid infantes, apud paganos necari illicitum erat.* Simile quid accidit fanctæ Odiliæ Abbatiffæ Hoemburgenfi, quam cæcam natam pater fuus necari præceperat, in parte 2 Sæculi III. Huc Frifiorum legem adferunt Bollandiani ex titulo 5, qui eft *de hominibus, qui fine compofitione occidi poffunt*, quos inter numerantur *qui fanum effregit, & infans ab utero fublatus & enecatus à matre.*

b Quidam Vverthinæ, nonnulli Viromi natum putant. Falluntur qui baptizatum ferunt à fancto Vvillibrordo, qui ante Liudgerum natum obierat.

AN. CHR. DCCCIX. MARTII XXVI.

statim ut ambulare & loqui poterat, cœpit colligere pelliculas & cortices arborum [a], quibus ad luminaria uti solemus, & quidquid tale invenire poterat; ludentibusque pueris aliis, ipse consuit sibi de illis collectionibus quasi libellos. Cumque invenisset sibi liquorem cum fistucis, imitabatur scribentes, & offerebat nutrici suæ quasi utiles libros custodiendos. Et cùm ei quis diceret: Quid fecisti hodie? dixit se per totum diem aut componere libros, aut scribere, aut etiam legere. Cumque iterum interrogaretur: Quis te docuit? respondens ait: Deus me docuit. Meditabatur autem in tenera ætate, quod postea devotus implevit.

S. Gregorio erudiendus traditur.

8. Post hæc etiam auctus majori gratia, rogavit parentes, ut se alicui viro Dei committerent erudiendum. At illi cùm essent benigni, glorificaverunt Deum, videntes intentionem juvenis: commendaverunt que eum viro venerabili GREGORIO [b], discipulo & successori sancti Bonifacii Martyris, Domino nutriendum. qui libenter eum suscepit, & comperta sagacitate pueri studiosè illum erudiebat. Crevit itaque Liudgerus proficiens in timore Domini; & deposito sæculari habitu in Trajecto Monasterio, totum se contulit ad studium artis spiritalis. Erant autem in illa schola Gregorii & alii condiscipuli nobiles & prudentes: è quibus alii Episcopi postea exstiterunt; alii in minoribus gradibus doctores Ecclesiarum: apud quos idem Liudgerus in magno habebatur affectu [c], eo quòd esset vir miræ mansuetudinis, vultu hilaris, non tamen facilis in risu, & in omnibus actibus prudentiam cum temperantia amplectens. Erat enim assiduus meditator Scripturæ divinæ, & ejus præcipuè quæ ad laudem Dei & ad doctrinam pertinebat catholicam: pro quibus & à venerabili magistro quasi filius unicus diligebatur.

Sæculi habitum ponit in Monasterio Trajectensi.

Aluberto persuadente,

9. Venit interea vir quidam venerabilis de terra Anglorum, ALUBERHT nomine, ad Abbatem Gregorium, cupiens Domino cooperante plebi partis illius in doctrina prodesse, erant enim rudes in Fide. quem Abbas Gregorius libenter suscepit: & comperto quòd esset vir bonus & doctus, suasit sibi Coëpiscopus fieret. non enim fuerat idem Gregorius ad gradum episcopalem ordinatus, sed Presbyterì perseveravit in gradu. Vir igitur prudens Alubertus ad hæc: Ut scias, inquit, me cum licentia & consilio Episcopi mei huc transmeare, mitte mecum Fratres fideles ad terram, de qua egressus sum, ad Episcopum meum, ut ab eo ordiner ego & illi. tali enim modo consensum præbeo. Quod Abbas Gregorius libenter audiens, direxit eum, & cum eo Liudgerum, aliumque Fratrem fortiorem ætate, SIGIBODUM nomine, ad Episcopum, de quo Alubertus dixerat. qui eumdem Alubertum ordinavit Episcopum, Sigibodum Presbyterum, Liudgerum Diaconem: & manserunt illic anno uno. ALCHUINUS etiam illo in loco tunc Magister erat. qui postea temporibus Caroli junioris [d] in Turonis & in Francia magisterium exercuit. cui statim vir prudens Liudgerus sedulò jungebatur, hauriendo ab eo spiritalia dogmata. Post anni verò circulum revertentes qui missi erant, Domino gubernante pervenerunt ad Abbatem Gregorium. qui benignè suscepit eos, gavisus valde in adventu eorum: & mansit cum eo Alubertus collaborans in opere Domini.

mittitur in Angliam ordinandus Diaconus.

Alchuini discipulus.

Post annum revenit ad Gregorium.

[a] Papyrum appellabant veteres. Gregorius Turonensis Episcopus in lib. 3 de miraculis sancti Martini cap. 50. *reperitque ibi duas candelas ex cera & papyro formatas*. Lege ejusdem lib. 1 de gloria Martyrum cap. 104, & Indicem onomasticum partis 2 Sæculi III.

[b] Habes ejus Vitam à Liudgero scriptam in Sæculi III parte 2, uti & Bonifacii: quo mortuo Liudgerus Gregorio commissus est circiter annum DCC LVIII.

[c] Illud argumento est, quòd Gregorius morti proximus librum sancti Augustini, quem librum *Enchiridion* vocant, tradidisse perhibetur ab ipso Liudgero in Gregorii Vita.

[d] Id est Caroli Magni, qui habita ratione Caroli Tuditis avi sui *junior* dicitur, aliis *secundus*, ut in diplomate relato in Martio Bollandiano, in Commentarii num. 14. Certè Alcuinus Tuditem Carolum *antiquum* vocat in vita sancti Vvillibrordi.

An. Chr. DCCCLIX. Martii XXVI. iterum adit Alchuinū. [a]

10. Liudgerus igitur cupiens saturare se prælibati dulcedine favi [a], periit ab Abbate Gregorio licentiam redeundi ad magistrum Alchuinum. quod ille molestè suscipiens, fieri renuit. Noluit tamen contristare perentem, sed blandis sermonibus cœpit compescere eum. Cumque se cerneret nullis subjectionibus illum à sua intentione revocare posse, arcessito patre illius, postulavit ut conaretur revocare eum à cupito itinere. sed studiosus Levita instanter in suo voto permansit. Tunc Gregorius & parentes ejusdem Liudgeri quandoque precibus victi, direxerunt eum ad præfatum Magistrum Eboraïcæ civitatis Anglorum, præbentes quæ illi opus erant in via. quem magister illustris Alchuinus cum magno suscepit gaudio. Susceptus itaque Liudgerus, erat consueto more omnibus carus, eo quòd esset ornatus moribus bonis & studiis sanctis: & mansit ibi annis tribus & mensibus sex, proficiens in doctrinæ studio. Cupiebat enim ibidem diutius in sancto manere studio: sed non fuerat concessa facultas. quia egredientibus civibus illis ad bellum contra inimicos suos, contigit, ut per rixam interficeretur filius cujusdam Comitis ipsius provinciæ à Fresone quodam negotiatore: & idcirco Fresones festinaverunt egredi de regione Anglorum, timentes iram propinquorum interfecti juvenis. Tunc Alchuinus necessitate compulsus direxit Liudgerum cum præfatis negotiatoribus: misit etiam cum eo & Diaconem suum, nomine PUTUL, timens ne amore discendi, aliam regionis illius civitatem adiret, & pro ultione prædicti juvenis aliquas pateretur insidias. Dicebat enim potiùs se velle mori, quàm ut filius suus dilectus illic quidquam pateretur letalis mali. Directus itaque Liudgerus, prospero cursu pervenit ad patriam suam, bene instructus, habens secum copiam librorum: eratque Patri Gregorio & ceteris tanto tunc dignior & acceptior, quanto fuit & in monasticis eruditionibus illustrior. Diaconus verò qui venerat cum eo, juxta dispositionem magistri Alchuini auctus benedictionibus, perrexit Romam, iterum reversurus: qui etiam postea cum Alchuino venit in Galliam in ordine Presbyterii [b].

Post annos tres reverti cogitur.

Liafwinus ex Anglia venit ad Gregoriū. [c]

11. Dum talia gerebantur, venit quidam Presbyter sanctus & doctus, nomine LIAFWINUS [c], de terra Anglorum ad Abbatem Gregorium, dicens sibi à Domino terribiliter trina admonitione fuisse præceptum, ut in confinio Francorum atque Saxonum, secus fluvium Isla *, plebi in doctrina prodesse deberet: rogavitque, ut ad locum illum se perduceret jubere, & ad fluvium sibi à Domino prænominatum. Tune Gregorius, eo quòd locus idem ad parochiam suam pertineret, benignè eum illuc dirigere studuit, agens gratias Pastori summo, eo quòd visitaret plebem suam. Misit etiam cum eo & MARCHELMUM servum Dei, de genere ortum Anglorum, & à sancto Episcopo Willibrordo à pueritia sanctis instructum moribus, ut eum præponeret populo. Susceptus ergo Presbyter Liafwinus à matrona quadam Averhilda * nomine, à ceterisque Fidelibus, seminabat documenta salutis, & rigabat prata mentium. Fecerunt autem ei oratorium in occidentali parte præfati fluminis, in loco qui Huilpa * vocatur.

* Ijsela

Cum Marchelmo cōdit oratorium.

* al. Abachilda

* al. Hiulpa, Vulpa

12. Post hæc etiam ædificaverunt ei ecclesiam in litore orientali ejusdem fluminis, in loco, cujus vocabulum est Daventre. Cumque ad eam populus ob viri sancti doctrinam confluceret, Saxones qui eo tempore paganis fuscabantur ritibus, in furorem conversi, collecto exercitu effuga-

item aliud, pòst à Saxonibus eversum.

[a] Aliam rationem adfert Surius, nempe quòd Liudgerus tum Diaconus, cùm coram Gregorio Evangelium legens in quodam verbo offendisset, emendatus à Gregorio statuit reverti ad scholam Alchuini, indignum se putans Diaconi gradu, qui non posset emendatè legere.

[b] Notant Bollandiani additum in codice Budicensi. *quem acceperat Roma cum licentia Abbatis sui.*

[c] Lebuinus aliis dictus, cujus Vitam scripsit Hucbaldus Monachus Elnonensis, apud Surium 12 Novembris.

runt Christianos ab illis locis, & ecclesiam combusserunt igni. Tunc vir Domini Liafwinus reversus ad Abbatem, præstolabatur consolationem à Domino. Sedato igitur tumultu, reversisque prædonibus in sua, vir Dei Liafwinus reædificavit ecclesiam, quæ fuerat combusta: & more solito non cessabat documenta salutis impendere gregi, quoadusque Pastori summo dilectam redderet animam; & defunctus in eadem est ecclesia sepultus.

AN. CHR. DCCC IX. MARTII XXVI. in quo restructo sepultus.

13. Post sancti Liafwini obitum iterum impii Saxones vastaverunt locum illum, & succenderunt ecclesiam; corpusque ejus per tres dies quæsierunt, nec invenire potuerunt. Sed & Abbas Gregorius migravit ad Dominum; & suscepit curam pastoralem ALBRICUS nepos [a] ejus, qui venerabilem Liudgerum cum magno diligebat affectu, atque eum ita allocutus est, dicens: Nunc quia frater meus dilectissimus es, peto ut desiderium meum impleas. Locus enim, in quo sanctus Domini Liafwinus Presbyter, quem nosti, in opere Domini usque ad mortem persistendo laboravit, ubi sacrum ejus corpus sepulturâ tegitur, in solitudinem est redactus. Quam ob rem peto, ut eum restaurare studeas, & super corpus Sancti ecclesiam reædifices.

Eo iterum destructo, Gregorius obit. à successore Albrico missus eò Liudgerus,

14. Dei igitur famulus Liudgerus magistri jussis obtemperans, quæsivit in loco prænominato corpus Sancti, & non invenit: sed tamen intra spatium loci, quo putavit illud esse, cœpit construere ecclesiam. Cumque posuisset bases, & parietes conaretur erigere, apparuit ei Sacerdos Domini Liafwinus in somnis, dicens: Frater dilectissime Liudgere, bene fecisti restaurando Dei templum jam dudum deletum à gentilibus. sed & corpus meum, quod quæsisti, invenies sub australi quem erexisti pariete humatum. Liudgerus igitur mane, Domini laudibus expletis, invenit corpus Sancti in loco sibi in visione prædicto: & collecta multitudine fecit transvehi bases ejusdem ædificii in partem australem; & ita infra ecclesiam collegit sepulcrum viri Dei. Perfecta est itaque ipsa ecclesia & consecrata, quæ numquam deinceps à gentibus fuit contaminata: sed in loco illo per servum suum Liafwinum Dominus virtutes multas operatur usque in hodiernum diem: ubi etiam nunc Cœnobium est Canonicorum Domino famulantium.

ecclesiam denuo ædificat, S. Liafwini corpus invenit. ubi Cœnobium Canonicorũ.

15. Post hæc misit Albricus Liudgerum, & cum eo alios servos Dei, ut destruerent fana deorum & varias culturas idolorum in gente Fresonum. At illi jussa complentes, attulerunt ei thesaurum magnum, quem in delubris invenerant: ex quo Imperator CAROLUS duas partes acceperat, tertiam verò partem præcepit Albricum ad usus recipere suos. Albricus autem cùm in Colonia civitate gradum accepisset episcopalem, fecit & Liudgerum secum Presbyterii percipere gradum, & constituit eum doctorem ecclesiæ in pago Ostrachæ, in loco ubi sanctus Bonifacius est coronatus martyrio. Divisitque idem Albricus annum in distributiones quatuor, ita ut in Trajecto Monasterio præ ceteris Præpositis ipse in tempore vernali in doctrinæ studio & sanctæ conversationis præesset Fratribus menses tres. deinde post eum in æstate ADALGER Presbyter in vice sua menses tres: post hunc Liudgerus Presbyter menses tres: deinde in hieme THIADBRAHT Presbyter menses tres.

Reperit thesaurum. Coloniæ Presbyter ordinatus, Dockingæ præficitur. Monasterium Trajectense regens per vices.

16. Liudgerus igitur in ordine vicis suæ nocturnis temporibus post psalmodiam & orationes speciales, quas semper amaverat, in solario ecclesiæ sancti Salvatoris, quam sanctus Willibrordus construxerat, membra quieti dare solebat: ubi ei nocte quadam venerabilis Abbas Gregorius

à Gregorio in somnis monetur de futura dignitate.

[a] Ac proinde Francus, uti & Gregorius regio Francorum sanguine ortus: non Anglus, ut scribunt nonnulli. Gregorium anno DCC LXXVI obiisse rectè inferunt socii Bollandiani ex eo, quòd ipso mortuo Liudgerus Frisonibus verbum Dei prædicavit per annos fere septem, ut legitur in utraque Vita, ac dein Romam profectus anno DCC LXXXIV, infrà. Hine corrigenda epocha de morte Gregorii, quam reposui circiter annum DCC LXXXI.

AN. CHR. DCCC IX. MARTII XXVI.

per visionem apparuit, dicens: Frater Liudgere, sequere me. Quem dum sequeretur, adscendit ipse in locum eminentiorem, jactavitque coram eo particulatim quasi membranæ & vestimentorum partes, & dixit: Collige ex eis acervos. Cumque congregasset ex eis tres cumulos, dixit ei: Distribue ista bene in opere Domini, & ego tibi satis dabo. Et signavit eum signaculo crucis, & abscessit. Cumque mane facto somnium retulisset Præposito Monasterii HADDONI nomine, & ecclesiæ custodi sanctitate prædito MARCHELMO, cujus superiùs memoriam feci; confestim ad hæc Marchelmus ea quæ postea rei probavit eventus, exorsus est, dicens: Tres cumuli quos congregasti, trium sunt gubernacula plebium, quibus adhuc pastorali te oportet præesse regimine. At ille dixit: Utinam in loco mihi credito aliquem Domino fructum perficiam. Hic etiam Liudgerus qualiter in gente Fresonum optatum evangelizandi exercuisset officium, & semina vitæ, supernæ gratiæ rore irrigante, in agris multorum cordium ad ejus prædicationem uberrimè pullulassent; testes sunt usque hodie populi regionis ejusdem, quos ad veritatis agnitionem à prisco revocavit errore: testes quoque ecclesiæ, quas per loca singula construxit: testes & Deo famulantium congregationes, quas aliquibus adunavit in locis.

17. Cui etiam testimonium perhibuit quidam Alchuini discipulus, [a] versibus heroïcis talia mandans:

Frater, amore Dei cognato dulcior omni,
Et consanguineis merito pretiosior ipsis,
LIUDGER *amate mihi, Christi te gratia salvet:*
Vive tuæ gentis Fresonum clara columna.
Presbyter occiduis laudabilis orbis in oris,
Doctus, & eloquio prudens, & mente profundus,
Ipse gradum meritis ornas, & moribus almis.
Ut puer in senibus humili de corde ministras:
Ut germanus agis cunctis æqualibus æva:
Utque parens pueris vita documenta rependis.
In melius crescendo, mei memor esto, Sacerdos,
In precibusque tuis commendes, quæso, Tonanti
His brevibus vatem, qui te laudavit in odis,
Cui teretis baculi pro tali carmine donum
Munificus tribuas. Fors hæc mercedula vati
Concordat modico. Felix sine fine valeto.

Versus Alchwini de ecclesia sancti Liutgeri *.

* id est de ecclesia S. Bonifacii à S. Liudgero constructa.

Hic Pater egregius meritis BONIFACIUS *almis*
Cum sociis pariter fundebat sanguinis undam,
Inclyta martyrii sumentes stemmata sacri.
Terra beata nimis, Sanctorum sanguine dives,
Transvolat hinc victor miles ad præmia cæli,
Ultima cæspitibus istis vestigia linquens.
Suadeo quapropter curvato poplite supplex,
Tu quicumque legis, terris his oscula sige.
Spes tibi magna fiat, lacrymas adscendere cælum
*Hinc potuisse tuas, fultas patronibus * istis.*
Hic manet ille cruor cuncto pretiosior auro,
Membraque cælesti rore hic perfusa quiescunt.
Adjuvat hinc Paulus Doctor, Bonifacius inde,
Hæc illis quando constat simul aula dicata.

* nové

[a] Surius notat in quodam ms. codice legi: VERSUS JOSEPH. Certè Joseph inter Alcuini discipulos numeratur, ut videbimus in Alcuini Vita infrà.

18. Cum-

An. Chr. DCCCIX. Martii XXVI.

18. Cumque vir Dei Liudgerus in eadem regione annis fere septem in doctrinæ studio persisteret; consurrexit radix sceleris WIDUKIND Dux Saxonum eatenus gentilium, qui evertit Fresones[a] à via Dei, combussitque ecclesias, & expulit Dei famulos, & usque ad Fleo fluvium fecit Fresones Christi Fidem relinquere, & immolare idolis juxta morem erroris pristini. Sed & ALBRICUS Episcopus in ipsa perversa commotione de hac luce migravit. Tunc Liudgerus necessitate compulsus deseruit partes illas: & dispositâ turbâ discipulorum, duos ex eis secum adsumens, HILDGRIMUM scilicet germanum ejus, & GERBERTUM, qui cognominabatur CASTUS, perrexit Romam; & inde progrediens pervenit ad Monasterium sancti BENEDICTI in Regno Beneventino: & illic in sancta conversatione consistens, didicit Regulam[b] ejusdem sancti Patris BENEDICTI. Erat enim cupiens in hereditate sua Cœnobium construere Monachorum: quod ita postea Domino opitulante factum est in loco, qui vocatur Werthina.

Frisonibus à Fide eversis, Albrico mortuo, Liudgerus Romã petit, tum Casinum.

19. Post duos igitur annos & menses sex reversus est ad patriam suam, & pervenit ejus fama ad aures gloriosi Regis CAROLI: qui constituit eum Doctorem in gente Fresonum ab orientali parte fluminis Labeki super pagos quinque, quorum hæc sunt vocabula, Hugmerchi, Hunulga, Fivilga, Emilga, Fediritga, & unam insulam, quæ dicitur *Bant*. Ipse verò cura solerti gregi sibi credito studuit ministrare fluenta doctrinæ Domini, fana destruere, & omnis erroris pristini abluere sordes. Curavit quoque ulteriùs doctrinæ dirivare flumina; & consilio ab Imperatore accepto, transfretavit in confinio Fresonum atque Danorum ad quamdam insulam, quæ à nomine dei sui falsi Fosete *Fosetes-landt*[c] est appellata. cui cùm navigando appropinquasset, tenens in manu sua crucem, & ad Dominum preces cum laudibus fundens, viderunt qui in ea navi erant, caliginem tenebrosam de eadem insula egredientem, qua recedente magna in ea perstitit serenitas. Tunc vir Dei ait: Videtis qualiter per misericordiam Dei effugatus est inimicus, qui priùs caligine præoccupaverat insulam hanc? Pervenientes autem ad eamdem insulam, destruxit ejusdem Fosetis fana, quæ illic fuere constructa, & pro eis Christi fabricavit ecclesiam. Cumque habitatores terræ illius Fide Christi imbueret, baptizavit eos cum invocatione sanctæ Trinitatis in fonte, qui ibi ebulliebat, in quo sanctus Willibrordus priùs homines tres baptizaverat: à quo etiam fonte nemo illorum priùs haurire aquam, nisi tacens, præsumebat. Cujusdam etiam Principis eorum filium, LANDRICUM nomine, accepit à fonte: quem sacris litteris imbutum ordinavit Presbyterum, qui multis annis genti Fresonum in doctrinæ præfuit studio. Tunc iterum operante maligno, ab orientalibus Fresonibus nox infidelitatis magnæ fuerat exorta: cujus mali HUNO & CILRAD fuere principes; & combustæ sunt ecclesiæ, servique Dei repulsi. Sed radiante sole justitiæ, effugatæ sunt tenebræ

post annos duos reversus, præficitur Frisonibus orientalibus.

Veteres à gentibus, dein opus resumit.

[a] Vvitichindi rebellio adversus Carolum cœpit anno DCC LXXXII, teste Anschario in libro de vita sancti Vvillehadi Bremensis Episcopi, quem unà cum Liudgero Romam profectum esse tradit Adamus. Perseveravit hæc procella usque ad annum DCC LXXXV, quo baptizatus Attiniaci Vvitichindus. Cùm ergo Liudgerus à morte Gregorii Frisonibus verbum Dei prædicasse dicatur annos ferme septem, Gregorius anno DCC LXXVI aut insequenti obiisse, & Liudgerus anno DCC LXXXIII, aut proximè subsecuto Romam perfugisse dicendus est.

[b] Vita Brovveriana: *Beneventum petiit, ut in Monasterio sancti Benedicti beati Oratum conspiceret disciplinam, possetque inibi aliquanto tempore liberiore vacatione quiescere. Etenim Pater illius Monasterii genere illi propinquus erat.* Theodemarus scilicet, de quo ita Vverthinenses in Litania.

> *Ibat ad Monachos in Casino positos,*
> *Monte* BENEDICTI *inter Sanctos scripsit.*
> *Hic bono omine* THEOTMARUM *nomine,*
> *Invenit nepotem Liudgerus Abbatem.*

Liudgeri nepotem fuisse Theodemarum dubito ut verum sit. certe senior fuisse videtur Theodemarus, mortuus anno DCC XCVII Nonis Junii.

[c] De hac insula dictum est ad Vitam sancti Vvillibrordi in Sæculi III parte I.

AN. CHR. DCCC II. MARTII XXVI.

grassantis erroris, ira ut post anni circulum sanctus Liudgerus cum suis prisca consuetudine fiducialiter plebi illi pabula fidei administrare non desisteret; & Domino opitulante in ea quam tunc receperant perseveraverunt fide.

Saxonibus occidentalibus præfectus à Carolo, ecclesias condit.

20. Interea per dispositionem misericordis Dei Saxones conversi sunt ad Dominum, & Rex Carolus eumdem virum Dei Liudgerum Pastorem in parte occidentali Saxonum constituit: cujus parochiæ sedes est principalis in pago Sudergoë, in loco cujus vocabulum est *Mimigerneford*, ubi Domino ipse honestum construxit Monasterium, sub Regula canonica Christo famulantium. Itaque more solito cum omni aviditate & sollicitudine rudibus Saxonum populis studebat in doctrina prodesse: erutisque idololatriæ spinis, verbum Dei diligenter per loca singula serere, ecclesias construere, & per eas singulos ordinare Presbyteros, quos verbi Dei cooperatores venerabiles sibi ipse nutriverat. Cupiebat igitur in cœpto evangelizandi opere multis subvenire gentibus, sed tamen pontificalem gradum humiliter declinare. idcirco suos frequenter petiit alumnos, ut aliquis ex eis pro eo episcopalem susciperet Ordinem. Cui cùm HILDIBALDUS Archiepiscopus persuaderet, ut Episcopus ordinari debuisset, illud apostolicum ei respondit dicens: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse*. At ille, ut erat humilis & viro Dei amicissimus, cum gemitu dixit, hoc in se minimè fuisse completum. Tandem consensu omnium superatus & magis Dei dispositione coactus adquievit, ne plurimorum consilio, immo Dei voluntati pertinaciter inobediens esse videretur.

invitus ordinatur Episcopus.

1. Tim. 3. 2.

Munus suū diligenter exsequitur.

21. Accepto itaque sacro Ordine pontificali, cum omni sagacitate & modestia gregi Saxonico sibi credito documenta salutis uberrimè ministravit; quoadusque Domino largiente, ad perfectam illos perduceret fidem. Illis etiam quinque pagellis, quos in Fresia ad agnitionem veræ & individuæ Trinitatis de gentilitate perduxerat, eo quòd priùs non haberent Episcopum, simili modo pontificali præerat regimine. Sed & successores ejus utraque loca pro una parochia postea semper habuerunt. Dedit quoque ei Rex CAROLUS in Regno Francorum, in pago Bracbante, in loco qui Lotusa [a] vocatur, Monasterium sancti Petri gubernandum cum omnibus adjacentibus suis ecclesiis & villulis. Tunc adimpletum est somnium, quod ei vir Dei Marchelmus priùs fuerat interpretatus de collectione trium cumulorum, significantium trium gubernacula plebium.

Lotusam regit.

a Optione data, ut in alia Vita legitur, duorum Monasteriorum, *unius majoris, in quo Virginum multitudo consistit, alterius minoris quod virorum est sub canonica Regula Domino famulantium; virorum Monasterium dixit convenientius sibi posse committi. Dedit ergo ei Carolus Monasterium in pago Bragbante, quod Lotusa nominatur, cum omnibus ad ipsum pertinentibus.* Lotusa, vulgò *Leuse*, Hannoniæ opidum inter Atbum & Tornacum *Monasterium Canonicorum* appellatur apud Baldericum in Chronici lib. 2 cap. 43.

LIBER SECUNDUS.

Reddit lumen cæco.

1. QUAMVIS præponendum sit ministerium evangelicæ prædicationis & multorum illuminatio cordium operationibus miraculorum ostensionibusque signorum; ad honorem tamen largientis Domini stilo alligari fecimus, quæ ab eodem sancto viro facta recolimus. Cùm evangelizandi gratiâ in Fresia ad quamdam villam nomine Helewird pervenisset; matrona quædam Meinsuit nomine, excepit illum in domum suam. & ecce illo discumbente cum discipulis suis, oblatus est ei cæcus vocabulo Bernlef, qui à vicinis suis valde diligebatur, eo quòd esset affabilis, & antiquorum actus Regumque certamina bene noverat psallendo promere: sed per triennium continua cæcitate ita depressus est, ut nullum sibi lumen vel extremæ visionis remaneret. quem dum vultu hilari esset in-

tuitus, interrogavit si pœnitentiam à se vellet accipere; acceptaque ab eo hujus rei responsione, jussit ut die crastina veniret ad se. Crastina verò die equitanti viro Dei obvius factus est idem cæcus. Accepto ergo Dei famulus per frenum ejus caballo, duxit eum à turba seorsim; & confitenti peccata sua pœnitentiam indixit. Deinde signum sanctæ crucis oculis ejus imposuit; & tenens manum suam coram eo, interrogavit, si aliquid videret. Ipse verò cum magno gaudio dixit, se manum illius posse videre. At ille, Age, inquit, omnipotenti Deo gratias. Sermocinantibus quoque eis de Fide catholica, de variisque utilitatibus animæ, pervenerunt ad villam, nomine *Vverfhem*; & interrogavit eum, si ipsam potuisset agnoscere. Ille verò statim proprio vocabulo nominavit eam; & arbores, & quæque ejus ædificia se bene posse conspicere professus est. Ait autem illi: Omnipotenti Deo age gratias, qui te illuminavit. Cumque venissent ad villam, *Vvilsevvird* nomine, ubi oratorium erat constructum, fecit eum secum orare, & Deo gratias agere; constrinxitque eum sacramento, ut ante diem obitus sui nulli causam hujuscemodi illuminationis indicaret. Complevit ille viri Dei præcepta, & per dies aliquos cæcitatem simulando, ducatu alieno utebatur. Sed post obitum ejus, qualiter fuerit illuminatus, adscruit.

AN. CHR. DCCCIX. MARTII XXVI. peccata sua confesso.

Jubet factum reticeri se vivente.

2. In secunda igitur expulsione servorum Dei à Fresia, de qua superiùs jam diximus, jussit sanctus vir Liudgerus eumdem Betnlevum, eo quòd diligeretur à multis, per singulorum domos discurrere; & persuasis matronis, morituros illorum baptizare infantulos; benedictâ simpliciter aquâ in nomine Domini intinctos vel superfusos [a] cum invocatione sanctæ Trinitatis. At ille jussis ejus libenter obediens, baptizavit in ipsa perturbatione infantes octodecim, qui omnes nuper, ut fuerant baptizati, defuncti sunt; exceptis duobus, quos beatus Liudgerus, redeunte pace, cum sancti chrismatis impositione confirmavit. Ipse verò Bernlef ubicumque postea servum Dei reperisset, didicit ab eo psalmos: & in ea quam acceperat illuminatione permansit, quoadusque senex & plenus dierum obiisset in pace. Quem cùm morientem uxor sua flendo interrogaret, qualiter super eum vivere potuisset, respondit, dicens: Si ego à Domino aliquid impetrare potero post meum obitum, non longo tempore in hoc sæculo eris victura. Cumque sana & incolumis hanc ejus responsionem audisset, eum die XV moriendo secuta est.

Laïco isti dat curam baptizandi infantes,

quos ipse chrismate confirmat.

3. Alio quoque tempore dum esset beatus Liudgerus secus mare, in loco qui vocatur Werthina, ubi ipse sibi in hereditate paterna construxit ecclesiam; terribile vidit somnium, quod narrans HERIBURGÆ sorori suæ, dixit: Vidi per somnium quasi solem fugientem supra mare à partibus aquilonis, & nubes teterrimas sequentes; qui fugiens ac deficiens pertransivit nos, ita ut elongatus à nobis videri non posset. & caligines, quæ eum fuerant secutæ, obtinuerunt omnia loca hæc maritima. Post multum verò temporis reversus est sol, minor & pallidior quàm fuisset priùs, effugavitque caligines trans mare. Et hæc dicens, ubertim faciem suam irrigavit lacrymis. Quem dum soror ejus flentem cerneret, flevit & ipsa, dicens: Quid sibi vult hoc somnium? Cui ille respondit: Venturæ sunt à Nordmannis persecutiones magnæ & instantia bella devastationesque immensæ, ita ut hæc delectabilia loca maritima, peccatis exigenti-

Viso prædicit Nortmannorum infestationes.

[a] Hîc duo notanda: nempè laïco homini commissum baptizandi moribundos infantulos officium; & baptismi collatio per superfusionem, uti & per intinctionem. nam superfusio jam in usu erat: tametsi eam prohibet Concilium Celichitense sub initium sæculi noni his verbis cap. 11. *Sciant Presbyteri quando sacrum baptisma ministrant, ut non effundant aquam sanctam super capita infantium, sed semper mergantur in lavacro.* Lege Alcuini epistolam 39 de trina mersione contra unicam Hispanorum. Trina mersio adhuc in usu erat sæculo XIII, teste Jacobo a Vitriaco in historiæ occidentalis cap. 36.

AN. CHR. DCCC IX. MARTII XXVI.

bus, pæne inhabitabilia efficiantur: deinde post hæc, favente Domino, reddita erit pax Dei Ecclesiæ; & feverissima plaga, quæ regionibus his incubuerat, infra ipsos Nordmannos retorquebitur. At illa cum gemitu dixit: O utinam dignetur Dominus auferre me de hoc sæculo priùs, quàm mala hæc superveniant. Cui ille: Non ita erit, inquit, sed in diebus tuis hæc erunt; ego verò pestem illam in hoc corpore non videbo. Hujus ergo vaticinii veritas, ejusdem sororis suæ nostrisque est probata temporibus. Nam omnibus diebus, quibus idem Dei famulus in hoc sæculo vixerat, pax fuit undique; ita ut nullus putaret ullam his regionibus perturbationem à Nordmannis evenire posse. Sed post ejus obitum, à gente sævissima Nordmannorum innumerabilia pæne annis singulis perpessi sumus mala. Nam concrematæ sunt ecclesiæ, Monasteria destructa, deserta ab habitatoribus prædia in tantum, ut peccatis facientibus regiones maritimæ, quas priùs multitudo tenebat hominum, pæne sint in solitudinem redactæ. Sed solem justitiæ, qui pro nostris peccatis elongatus abscessit, reversurum speramus: &, juxta præsagium viri Dei, pacem Domini Ecclesiæ redituram.

Illicitum connubium rumpit.

4. Venit quoque Sacerdos idem ad ecclesiam suam, in loco sitam qui vocatur Billurbeki; & ecce mulier quædam nobilis, quæ illicito connubio suo erat copulata marito, ejus volens mitigare terrorem, misit illi mel quasi pro benedictione. at ille tale munus suscipere despiciendo renuit. Quidam tamen juvenes ex discipulis ejus illud mel concupiscentes acceperunt, & in ecclesia retro altare occultè posuerunt. Cumque vir Dei ad idem altare Missam celebraturus accederet, & os aperuisset ad preces; confestim vas testeum, in quo illud inobedientiæ mel habebatur, minutatim crepuit, & dispersum est mel, quod colligentes projecerunt foras. Non cessavit autem miles Christi, quo minùs illud illicitum destrueret conjugium: sed & virum ipsum, qui illud perpetrare ausus est, exterminavità patria.

Sturionem cælitus accipit.

5. Dum igitur in Fresia, docendi gratiâ, ad ecclesiam suam venisset in loco, qui dicitur Hleri, juxta fluvium Lade, petiit illius loci piscatores, qui ei pisces adferre solebant, ut aliquem sibi sturionem [a] comprehensum adferrent. At illi dixerunt, longè esse præteritum tempus, quo tales pisces comprehendi poterant. erant enim in proximo tempora hiemis. Quibus ille læto vultu ait: Ite, filii, facite quæ dixi. potens est Deus omni tempore servis suis desiderata præstare. Ipsi verò precibus viri Dei coacti, cœperunt more solito rete per aquas trahere. & ecce subitò elevatis oculis viderunt avem magnam descendentem de cælo coram se, & dum intentè in illam oculorum aciem infigerent, dixit unus ad alterum: Verè similitudinem habet piscis. Mirantibus itaque eis ac pavore perterritis, cecidit ipsa piscis effigies, sicut avis, coram eis in aquam. Cumque ad ipsum locum pervenissent, intravit in illorum rete piscis miræ magnitudinis, quem sturionem vocant, quem vir Dei desiderabat. At illi comprehensum eum attulerunt eidem Dei famulo, narrantes miracula, quæ fuerunt gesta. Quibus ille: Agamus, inquit, omnipotenti Domino gratias, qui dat escam omni carni. Commonuit etiam eos, ne hoc idem pro cujuspiam sanctitate vel meritis actum narrare præsumerent.

Doctrina ejus & scripta.

6. Erat sanctus Liudgerus in Scripturis sacris non mediocriter eruditus, sicut in libro ab eo composito de vita venerabilium ejus Doctorum, GREGORII scilicet & ALBRICI, apertè probatur. Sed & primordia sancti Bonifacii adventus atque ordinationis, quæ fuerant in alio opusculo prætermissa, pulcro sermone ipse conscripsit. Discipulis etiam suis mane diebus

[a] *Theudiscâ linguâ* ita appellari hunc piscem testatur auctor Brovverianus in lib. 1 cap. 27. Belgis hodie *Steur*, Gallis *Esteurgeon*.

fingulis tradere per fe lectiones non neglexit: & quidquid in facris codicibus faciendum invenit, illud inftantiffimè ftuduit obfervare & docere. Cavebat ergo, ne fibi aliquando nomen faceret inane: & idcirco fecundùm Apoftolum omnia menfuratè facere concupivit. Cucullum, eo quòd promiffionem obfervationis Monachorum Regulæ non fecerat, portare defivit: cilicii tamen indumentum, quod magis abfcondi potuit, ufque ad finem vitæ fuæ ad carnem geftavit. Carnium efus certis temporibus non renuit: fatiatum tamen illum cibo vel potu difcipulorum ejus nemo umquam vidit. Sed cùm ad fe more folito pauperes ac divites pranfuros invitaffet, dulcia vitæ æternæ inter epulas documenta illorum cordibus infundere non ceffavit; ita ut plus fpiritalibus, quàm carnalibus deliciis fatiati remearent. Erat itaque pater egenorum, & defpector fui: & fecundùm Apoftolum, fic fe omnibus coaptare curavit, ut omnibus prodeffe potuiffet. Fuit autem cupiens anxiè, gratiâ docendi, Nordmannos adire: fed Rex CAROLUS ad hoc nullatenus confenfum præbuit.

An. Chr. DCCC IX. Martii. XXVI.

Veftis & cibus.

Nortmannorum converfionem cogitat.

7. Cumque omnipotens Deus perennem jam mercedem reddere piis ejus ftudiis decreviffet, ante obitum fuum aliquanto tempore corporis moleftiâ depreffus eft. In infirmitate tamen pofitus, confueto more fanctis femper actibus intentiffimè mentem occupavit, aut in lectionibus facris audiendo, aut in pfalmis canendo, vel etiam in aliis quibufdam fpiritalibus rebus agendo, ne umquam à fuperna contemplatione diffoluta tepefceret: & pæne diebus fingulis Miffarum facramenta, quamvis ægrotus corpore, infatigatus tamen animo celebravit. Ipfo verò die dominico, cùm in fubfecuta nocte de hoc effet mundo iturus ad Dominum, quafi vale faciens creditis fibi ovibus, in duabus fuis ecclefiis publicè prædicavit, mane fcilicet in loco, qui dicitur *Coasfeld*[a], canente Prefbytero Miffam; & circa horam tertiam in loco nuncupato Billurbeki: ubi ipfe infirmatus corpore, ut fuprà retulimus, fed fervore caritatis validus, devotè Miffarum ultima celebravit follemnia: ubi etiam ipfa fubfequenti nocte, adfiftentibus difcipulis, dilectam Domino reddidit animam. In ipfa igitur exitus fui hora, clementiæ fuæ Dominus dignatus eft oftendere fignum. Nam GERFRIDUS Prefbyter, nepos ejus & fucceffor, cùm nocte eadem unà cum Fratribus gratiâ vifitandi ad illum feftinus properaffet, & paullulum adhuc itineris remaneret; viderunt ante fe lumen magnum, quafi ignem in fublime confcendere, ac cunctas terræ noctis effugaffe tenebras: & ftatim per hoc indicium intelligentes fancti ac venerabilis Patris obitum, quod reliquum erat viæ cum magna velocitate peregerunt; jamque eum defunctum invenerunt. & fubtiliter requirentes, agnoverunt, quòd eodem memento veri luminis affiduus fpeculator & amator migravit ad Dominum, quo eis fuit per lumen oftenfum.

Infirmatur fenex.

Quid egerit moriturus.

Obit.

8. Igitur difcipuli non immemores, qualiter idem Domini Sacerdos difpofuerat adhuc vivens, ut in loco nuncupato Werthina, ubi in hereditate[b] propria ob habitaculum Monachorum in honorem fancti Salvatoris & fanctæ Dei Genitricis fanctique Apoftolorum Principis Petri ipfe conftruxit ecclefiam, ejus fepeliretur corpus: fed cùm ad hoc agendum populus, illius fancta recolens merita, vehementer refifteret; inito confilio ad Monafterium ab eo compofitum, vocabulo *Mimigerneford*, de quo jam diximus, perduxerunt illud, atque in ecclefia fanctæ Mariæ inhumatum reliquerunt; donec venerabilis Epifcopus ecclefiæ Cadalanenfis,

Contentio de ejus corpore.

a Nunc infigne opidum ad Borkelam amnem, modò fere Epifcoporum receptu honoratum, horarum circiter fex itinere à Monafterio, ut notant Bollandiani.

b Id eft in fundo proprio, quem fcilicet dato pretio à Vvigmaro quodam dicitur comparaffe, faltem ex parte.

An. Chr. DCCC IX. Martii XXVI. — Jussu Caroli Verthinæ sepelitur extra ecclesiam. — Tempus obitus.

HILDGRIMUS nomine, germanus ejusdem viri Dei atque ab eo eruditus, ageret cum glorioso Rege KAROLO, ut ejus imperio, immo Dei consilio, in loco ubi vivus ipse decreverat, sanctum illius conderetur corpus extra ecclesiam, à parte orientali, ut jusserat ipse. Non enim erat umquam consentiens, ut in ecclesia sua consecrata sepeliretur corpus humanum. Defunctus est itaque anno dominicæ Incarnationis octingentesimo nono, septima Kalendas Aprilis: & tricesimo secundo die sancti sui obitus, hoc est VII Kalendas Maii, mirificè fragrans in loco præfaro sepultus est [a].

Hoc loco inchoandus esset liber tertius, de miraculis sancti Liudgeri post ipsius mortem patratis.

Cæcus ad ejus tumulum sanatus.

9. Divina igitur donante clementia, ut vivus antè desiderabat profuisse cunctis, sic etiam post ejus obitum sancta illius merita suffragari non cessant quibusdam longè manentibus, quibusdam etiam ad illius sepulcrum meantibus, aliis verò illic manentibus, vel inde domum redeuntibus. ex quibus ea, quæ ad memoriam veniunt, intimamus. Fuit quidam in pago Nordgoë, Irmingerus nomine, qui eidem sancto Liudgero priùs in juventute serviebat; cui contigit, ut lumen oculorum amitteret, & tredecem annis continuis in cæcitate permansit. cui nocte quadam sanctus vir per visionem apparuit, & eum nomine proprio vocavit, dicens: Irminger, vigilas? Qui cùm vigilare se diceret, tetigit faciem ejus, & dixit: Si cuti reliquæ hoc in loco color dissimilis apparuerit, dic Diudoni domino tuo, ut te faciat venire ad ecclesiam, quam in Werthina Domino fabricavi, ubi etiam corpus meum sepulturâ tegitur; & ibi Domino largiente pristinum oculorum lumen recipies. Qui cùm taliter fuisset admonitus, narravit domino suo, quale à sancto viro mandatum acceperat: & simul quod faciei ejus imposuerat signum, ostendit, quod erat, juxta verbum viri Dei, dissimile cuti reliquæ omnibus diebus vitæ suæ. Tunc dominus ejus unà cum conjuge sua ad eumdem locum gratulabundus pergens, secum ipsum Irmingerum adduxit. Contigit etiam, ut GERFRIDUM Episcopum, sancti Liudgeri nepotem & successorem, unà cum Fratribus & Monachis invenissent ibi: quibus cùm gesta narrarent, fecerunt eumdem Irmingerum in præfata ecclesia ea nocte manere. in qua cùm orasset & vigilasset, continuò per Dei gratiam pristinum oculorum lumen ipsa nocte secundùm verba viri Dei plenè suscepit. In eadem ergo nocte, circa gallorum cantum, ante sepulcrum viri Dei paralytica quædam repentè sanitati corporis restitura est; & abiit incolumis, magnificans Deum, qui per servum suum tam subitò eam curare dignatus est.

Item paralytica.

Alia sanata,

10. In pago Sudergoe matrona quædam, nomine Sigiburg, colonum habuit, Ricmoldum vocabulo, cujus uxor longa ægritudine depressa jacebat, ac pæne corporalem desperata salutem. Cùm igitur nocte quadam inter ægra suspiria paullulum membra defessa laberentur in somnum, vidit per somnium quemdam adstantem & dicentem sibi: Loquere cum Liudgero Episcopo. At illa, ut postea narrare solebat, nec graviter dormiens, nec perfectè vigilans, vidit illum stantem ad Orientem conversum. Cumque eum alloqui non præsumeret, ille verso vultu ad eam in-

[a] Addunt Vverthinenses apud Bollandianos: *Itaque deguò, ut debitum erat, corpore involuto cum laudibus & hymnis elevatum, & foras ecclesiam elatum est. Vix portam atrii exierant, cùm, sive casu, sive (quod magis credendum est) Deo volente, quemdam ex Clericis, qui præcipuè huic translationi dicitur restitisse, feretrum tam validè percussit, ut ad terram pæne prosterneretur.* Idem tradunt in Litania. Corpus primo Mimigardevordâ Ludinchusen, tum Vverthinam delatum est festo die sancti Marci, ut Cincinnius scribit.

An. Chr. DCCC IX. Martii. XXVI.

quit: Probavi patientiam tuam. patientiam habeto, & Dominus curabit te. Completa ergo visione, tantum vigorem accepit ejus corpus, ut pæne ab ea tolleretur memoria prioris molestiæ: & facto mane læta surrexit, narrans ordinem suæ restaurationis. vir autem ejus ac filii cum familia congaudentes, benedixerunt Dominum. At illa deinceps sancti viri Liudgeri consueverat cum gratiarum actione visitare sepulcrum. cui etiam post hæc revelatum est, quòd sacro non esset abluta baptismate; & ejusdem revelationis veritate comperta, sancti baptismi suscepit gratiam.

11. Alius quidam Berehtricus nomine, in eodem pago colonus Igonis nostri Presbyteri & alumni sancti Liudgeri, filiam habuit adolescentulam, paralysi doloribusque destitutam. qui cùm famam sancti Dei audisset, spe puellæ sanitatis accensus, adsumto itinere ad sacrum illius sepulcrum perducere eam festinavit. Quibus illuc pergentibus, dixit illa fratri suo, qui eam coram se equitando in sago ferebat, nullum se in corpore sensisse dolorem. deinde subjunxit: Deponite me, & finite abire. Quod cùm fecissent, stetit illa sanato omni corpore, & ambulabat; & exsiliens cucurrit, gaudebatque vehementer in ambulando. Illi verò hæc videntes, glorificaverunt Deum: pervenientesque ad locum præfatum, narraverunt Dei miracula, quæ gesta erant in via, & simul ostendentes eam nullam læsionis habentem maculam: completaque oratione ac gratiarum actione, cum gaudio redierunt domum.

12. Cuidam nostro [a] Diacono & Monacho, HILDRADO nomine, accidit, dum adhuc in eodem Monasterio viri Dei scholasticus esset, ut in longa ægritudine, contractis nervis popliteque curvato, ejus tibia jungeretur femori: & post longam fatigationem sanato corpore reliquo, ipsi tibia, ut fuerat, curvata permansit. utebatur etiam pro ea in ambulando sustentatione baculi per dies plurimos. Cumque pater illius, SIGEBERTUS nomine, jam tunc Monachus, tractare cœpisset, si aliqua medicorum curatione contractio nervorum ejus poplitis relaxari quivisset; ecce Sacerdos Domini Liudgerus eidem scholastico, in veste sacerdotali cidarim [b] in capite gestans, per visionem apparuit, dicens: Vide, ne pro eo quod pateris, carnalem alicubi quærere medicinam præsumas: quia si hoc feceris, nullam ipsius medicaminis curationem recipies. & simul pro levitate ac puerili mobilitate vehementer increpavit eum, & abscessit. Mane autem facto narravit quæ viderat. Et cùm die eodem peractis vespertinis laudibus domum infirmorum, in qua ei priore nocte vir sanctus per visionem apparuit, intrasset; cernentibus Fratribus, qui illic aderant, extemplo ad terram corruit, & erecta est ejus tibia sine dolore: audiebaturque sonitus nervorum in poplite, acsi illic sarmenta sicca frangerentur. & surrexit continuò sanus, nihil sentiens debilitatis pristinæ: sed exsultans unà cum Fratribus referebat Deo laudes. Ipse verò deinceps, juxta præceptum viri Dei, vitam suam cautiùs corrigere studuit.

a Hildradi Monachi tibia directa.

b

13. Puella quædam, nomine Modsuit, lumen amiserat oculorum; & sic sine lumine duodenos menses permansit, ut vel nec extremæ frui valeret visionis. Pater verò & mater audientes famam sancti Liudgeri, quanta per eum faceret Dominus ad consolationem infirmantium; peracto itinere perduxerunt eam ad supradictam ecclesiam: in qua, acceptâ licen-

Cæcutienti lumen datum.

a Hinc collige, Monachum illum, qui *Scholasticus*, id est scholæ præfectus, in Vverthinensi Monasterio fuerat, tum in Mimigardenefordensi ecclesia Diaconum fuisse. ac proinde ibi Monachos habitasse, ut prædictum est. nisi si *nostrum*, hoc est ditionis nostræ, Diaconum vocat, uti Monachum *nostrum* Adelvvordum num. 19.

b De cidari seu de mitra pontificali dictum est in Præfatione hujusce tomi.

AN. CHR. DCCC IX. MARTII XXVI.

tia, unà cum cæca filia ante sepulcrum egregii Confessoris in oratione transegere noctem. Mane autem facto dixit se puella jam potuisse proprias videre manus: & sic largiente Domino, lumen paullatim crescere cœpit, ut antequam domum rediisset, clarè potuisset videre: atque in ea donum, quod omnino caret figmento, tota permansit ætate. Alia quoque puella à dæmonio muto invasa, perducta est ad memoratam ecclesiam: quam mox ut ingressa fuisset, statim ab ea spiritus immundus abscessit, & locuta est quæ fuerat muta: interrogavitque matrem suam, quomodo illuc advenisset, & dixit se famem pati. Cui cùm mater miserabilem vexationem suam ex ordine retulisset, prostravit se ante sepulcrum Athletæ Dei, gratias agens Domino Salvatori, qui per servum suum de tam crudeli eam contaminatione liberare dignatus est; & acceptâ pœnitentiâ pro actibus suis, abiit incolumis.

Dæmoniaca liberata.

Paralyticus sanatus.

14. Contigit igitur juvenem quemdam, Helidwini nomine, paralysim incurrere, & diebus multis, destituto omnium membrorum officio, lecto incumbere, cujus tibia sinistra contracta adhæsit femori, & brachium dextrum similiter incurvatum obriguit: cetera verò membra, ut prædiximus, sibi inutilia remanebant, sed & cum emissione miserabilis soni, indicis doloris, foras efferri solebat. Cumque diu hæc pateretur, die quadam sororem suam, quæ præ ceteris ejus compatiebatur dolori, affatus est dicens: Audivi de sancto Liudgero, qualiter per illum Dominus infirmantibus sanitates præstare dignatus est in loco, ubi sancta illius membra tumulata quiescunt. Fac etiam me foras efferri, & contra viam quæ ducit illuc poni, ut voveam me illi serviturum, si ejus meritis Dominus sanitatem mihi donare fuerit dignatus. Quod cùm factum esset, statim in ipsa nocte, præstante divina clementia, quievit dolor ejus; & restituta sunt ei omnia corporis officia, præter unam tibiam, quæ ita permansit, ut erat contracta. Peracta igitur gratiarum actione, rogavit dominum suum, ut ad memoratum sepulcrum se perducere juberet. dissimulante autem illo, is quem necessitas urgebat, baculo regente debile latus corporis, pervenit ad sepulcrum prænominatum. Peractis ergo ibi noctibus quinque, supervenit sollemnitas ejusdem sancti Liudgeri. Cumque in ea porticu, quæ est ante basilicæ januam, infra quam sancti Sacerdotis sepulcrum susceptum est, ipsa nocte membra sopori dedisset; ei per visum idem Domini Confessor, comitatus magno lumine atque Clericorum obsequio, apparuit; tetigitque membra illius, & abscessit, eo in sopore relicto. Qui dum signa ad nocturnas vigilias expergefactus audisset, surrexit sanus, & oblitus baculi priorisque debilitatis, intravit cum aliis in templum lætus & incolumis. Oratione autem expleta, ad cor rediens, recensuit universa, quæ circa se fuerant gesta: & peracta celebratione operis Domini, egressus est, baculumque suum in ingressu ejusdem basilicæ, in loco ubi fuerat sanatus, infixit pro signo dominicæ curationis. Nec immemor tamen prioris suæ sponsionis, pretio redemit se à temporali domino suo, & votum servitutis implevit.

Servitutis redemtio.

Cæca videt.

15. Quædam autem femina ad eamdem ecclesiam de Saxonia cæca perducta est. Cumque coram sepulcro Dei famuli Missarum sollemnia agerentur, in hora evangelicæ lectionis repentè lumen accepit: & peracta gratiarum actione, incolumis ad sua rediit. Quidam juvenis in Fresia, nomine Osbraht, à dæmonio muto vexatus, per singulas ecclesias à patre suo deductus est, ut curari potuisset. Sed cùm in nulla earum sanitatem reciperet, tandem pater ejus cælitus inspiratus, peracto longo itinere, perduxit eum ad memoratam ecclesiam: & acceptâ licentiâ à custodibus, ante sepulcrum Sacerdotis Christi Liudgeri, nocturno tempore in oratione persistens, habebat secum eumdem filium suum, sensu & voce carentem:

Dæmoniacus liberatur.

rentem: cui per misericordiam Dei, statim illic dæmone expulso, integra sanitas fuit concessa loquelæ & sensus. Sed & vicina ejusdem Osberti, quæ erat paralytica, ad eamdem ecclesiam perducta est: & accepta continuò plena restauratione corporis, propriis gressibus remeavit ad patriam, gratias agens salvanti Domino, qui per servum suum ejus corpus, cunctorum membrorum destitutum officio, tam velociter restaurare dignatus est. An. Chr. dccc ix. Martii xxvi. Paralytica curata.

16. Igitur in pago Borahtra colonus quidam, Folcbald nomine, filium habuit cæcum, vocabulo Gerbaldum: qui dum per multa sacra loca deductus nullam medelam susciperet; pio Domino instigante, demum sancti Liudgeri fama ad memoriam venit; & continuò parentes illius pueri spe gaudentes, duxerunt eum foras, & statuerunt contra viam, quæ ducit ad ecclesiam, in qua idem Domini Sacerdos corpore pausat, devoveruntque se illum ad idem sacrum sepulcrum cum oblationibus adducturos. Hac itaque sponsione facta ingressi sunt domum: & ecce subitò tersit oculum dextrum, & aperto eo statim videre potuit: tersit alterum, & similiter eo reserato accepit visum, exclamansque cum gaudio dixit, se clarè posse videre. Quo agnito parentes cum familia immenso repleti sunt gaudio, & benedixerunt Deum, qui per servum suum tam subitò sanitatem puero præstare dignatus est. Sed & promissa complentes, ad memoratam ecclesiam perduxerunt eum; & cum voto gratulationis designaverunt illum, nulla vestigia læsionis habentem in oculis. Cæcus recipit lumen,

17. Adferebatur autem puella quædam, quam longa ægritudo continuusque dolor paralyticam fecerant, quæ etiam brachiis assiduè caput consueverat constringere, cui maximus incubuerat dolor, ita ut de cerebro sonus, quasi sibilus potuisset audiri. Cumque in crypta nova nec dum peracta, ad pedes sacri sepulcri Liudgeri Deum rogatura deponeretur; mirâ omnipotentis Dei gratiâ surrexit continuò curata omni pristina debilitate corporis, & benedicens Deum abiit incolumis. Contigit cuidam viro de Saxonia, de loco qui dicitur Werina, ut per tentationem fieret surdus, ita ut nullum omnino sonum auribus caperet. Qui cùm diu funditus officio careret aurium, tandem spe recuperationis ductus pervenit ad sepulcrum Dei famuli Liudgeri. Cumque signa ad nocturnas vigilias sonarent, subitò apertæ sunt aures ejus, & exsultans dixit, se apertè sonum cloccarum audire posse Monachosque psallentes. Et ita continuò percepta restauratione auditus, rediit domum magnificans Deum. paralytica sanitatem, surdus auditum,

18. Aliquando etiam ipsam ecclesiam, infra quam sepulcrum ejusdem Dei famuli receptum est, nocturno tempore columna lucis obtinendo protexit, & ad cælum usque porrecta foris excubantibus conspicua stabat. Sed & cloccarum illic sonitus frequenter audiebatur, humana non tangente manu, sed agente potiùs cognitione deitatis arcana. Cæcus igitur quidam, nomine Eilwold, de loco qui vocatur *Amaloh*, ad sepulcrum Dei famuli Liudgeri perductus est: ubi dum prostratus orasset, repentè à Domino plenè lumen accepit. Alius quidam cæcus, nomine Ricbertus, ad idem sanctum sepulcrum adductus est. Sed celeriter illic Domino miserante illuminatus est; & Deo gratias agens, sanus ad propria rediit. alii cæci visum.

19. Monachus noster, nomine ADELWARDUS, adfirmare solet rem, quæ eo tempore gesta est, quo custodia ejusdem ecclesiæ sancti Liudgeri ei credita erat. Narrat enim quòd quodam die vesperascente, cùm ad eamdem ecclesiam, quod illic semper ardere solet, restauraturus accederet; juxta ipsius ecclesiæ angulum, ubi inferiùs lectulus ejus positus erat, antiquum hostem stantem adspexit, cujus visio nigerrima ac teterrima fuit. Quo viso præfatus Monachus signum sanctæ crucis sibi imposuit; & ut adserit, imperterritus contra eumdem dæmonem adspiciens, diu stetit. Cùm Dæmõ audito ejus nomine territus.

An. Chr. DCCC IX. Martii XXVI.

autem tantam fiduciam ejusdem Monachi diabolus cerneret, talem ac tantum sonum excitavit, ut & paries ecclesiæ & lectulus ejus, qui interiùs collocatus fuerat, minutatim confringi viderentur. Quo facto, idem Monachus subitò clamavit, dicens: Sancte Liudgere, adjuva. Cumque nomen viri Dei invocando nominasset, annuente Domino, idem diabolus repentè constrictus, & in partem occidentalem abstractus est; atque cum qua violentia traheretur garriendo & miserabiles voces emittendo monstravit. Monachus verò ille lumen, quod illic paullo antè reliquit, invenit; & lectum suum, & omne illud ædificium sanum consistere vidit; & adhuc vocem præfati dæmonis in parte occidentali garrientis audivit. Mulier quædam de Hattuariis, cùm multo tempore membrorum officio destituta, miserabiliumque vocum suspiria emittens, lecto incumberet, quandoque ad memoratum sepulcrum viri Dei Liudgeri cum magno labore allata est. ubi dum Deo favente celeriter pristinam membrorum sanitatem perciperet, gratulabunda & exsultans Deumque laudans, propriis gressibus ad sua reversa est.

Mulier vetata.

Fratricida ferro constrictus solvitur.

20. Igitur instigante maligno contigit, ut quidam juvenis nomine Adam, Hauricum fratrem suum per rixam interficeret; & pro hac causa, judicante JONA Episcopo, flagellatus atque in carcerem trusus est, in quo etiam anno uno jacuit. deinde circumdatis brachiis fortiter ferro [a] & corpore medio, indicto fortissimo jejunio, discalceatus & sine lineo indumento in exsilium missus est. Quarto verò exsilii suo anno, ante sepulcrum sanctæ Gertrudis ferrum de sinistro brachio ejus cecidit: deinde post anni circulum in Roma, in ipsa crypta sancti Petri ferrum, quo præcinctus erat, nihilo minus cecidit. Cùm autem iterum Romam peteret, contigit, ut infirmitate valida illic deprimeretur. Cumque in ipsa ægritudine vita ejus desperata fuisset, quidam in specie sacerdotali per visionem apparuit ei, dicens: Surge, vade, atque sepulcrum sancti Liudgeri quondam Episcopi Saxonum Fresonumque perquire; & illic Domino miserante pro meritis suis sanitatem recipies. Qua visione expleta, confestim de infirmitate, qua deprimebatur, absolutus est. Adhuc tamen ferrum brachium ejus dextrum, ut pridem, fortiter strinxit; & ita consumta carne nervisque, ipsum etiam os eodem ferro tam validè præcinctum est, ut omnes ejusdem dexteræ digiti, præter pollicem & indicem, rigidi ac debiles remanerent. Erat enim memoratus miser juvenis: & ideo ad augmentum doloris sui, carnes ejus & ossa in tempore vinculorum suorum creverunt. Cumque mane somnium retulisset, ibidem statim multi, qui eumdem sanctum Liudgerum in corpore viderant, & sancta ejus studia bene noverant, Romæ inventi sunt. qui cùm viam illuc eundi, atque locum venerandi sepulcri ipsi juveni intimassent; peracto longo itinere, ad memoratum sepulcrum sancti Liudgeri pervenit. Stante autem illo, nocte dominica, propè idem sacrum sepulcrum, eo tempore quo Monachi illic matutinas laudes Domino celebrabant, ferrum quod dextrum brachium cinxerat, repentè dissiliens, longiùs Domini virtute projectum est.

à Liudgero sanatur.

Alia.

21. In Ripuariis juxta ingressum silvæ Hamarithi, villa nomine Budica constituta est, in qua mulier quædam debilis habitabat, cujus brachium infirmitate agente inflexibile fuit: manu verò curvata persistente, vngues palmæ illius fortiter imprimebantur. quæ cùm diu hæc pateretur, memorati viri Dei Liudgeri fama ad mentem ejus pervenit. Cumque spe sanitatis suæ ducta, ad sepulcrum ejus properasset; priusquam illuc pervenisset, in ipso itinere plenam corporis sanitatem ei Dominus pro sancti viri meritis repentè tribuit. Quæ tamen peracto itinere, ad idem sepulcrum eum

a Nota hoc exemplum pœnitentiæ publicæ ob homicidium, qualia jam sæpius observavimus. Jonas ille erat Episcopus (ut videtur) Aurelianensis.

oblationibus sana, exsultans, ac Dominum Salvatorem laudans, pervenit; & ita incolumis ad sua rediit. COBBONIS [a] venerabilis Comitis colonus quidam in Saxonia, adolescentem filium Warmundum nomine habuit, quem malignus spiritus invasit, & tam vehementer vexare cœpit, ut ad desperationem vita ejus perducta esset. cujus mater hæc dominæ suæ, uxori scilicet Cobbonis, sollicitè per nuntium indicare studuit. Illa verò confestim mandavit ei dicens: Si adhuc filius tuus vivit, fac eum celeriter efferri, & statue illum contra viam, quæ ducit ad ecclesiam, ubi sanctus Liudgerus sepultus est, atque ad sacrum sepulcrum ejus te cum adducturam Deo favente promitte: & credo, quòd pro ejusdem Dei famuli meritis à Domino sanandus sit. Cùm ergo mater pro eodem semivivo puero juxta præceptum dominæ suæ vota peragеret; continuò in eodem loco & in eodem momento, dæmone expulso, plenam sanitatem accepit. Deinde secundùm sponsionis votum, ad memoratum viri Dei Liudgeri sepulcrum sanus à matre perductus est, sanusque rediit, atque in eadem quam acceperat sanitate, Domino largiente, permansit.

AN. CHR. DCCC IX. MARTII XXVI.

[a] al. Kobbonis

[a] De Kobbone Misso HLuduvvici Bejuvariorum Regis agitur apud Aimoinum in lib. 1 de miraculis sancti Germani cap. 7 & seqq. sed an idem cum isto sit, non liquet: maximè cum ille Bajoarius, hic Saxonicus fuisse videatur.

ALIA VITA

Auctore anonymo Werthinensi Monacho, ex lib. 2 cap. 4 qui vivebat post annum DCCCLXIV, cap. 26.

Ex Christophoro Brouvvero de Sideribus Germaniæ.

PROLOGUS AUCTORIS.

LIUDGERI merita multifaria suo Deus pandit testimonio, & gloriæ & honoris, quo cum Deo fruitur, plurima ex signis salutaribus indicia constant. Tot enim salutes ad ejus sacri corporis locum infirmi sæpe resumserunt; necnon & absentes in suis necessitatibus ejus opem ita frequenter experti sunt, ut hæc enumerari impossibile sit, & scribendi excedant modum. Verùm ex plurimis pauca, si quis ea nosse voluerit, in parvo collecta habet opusculo, quod huic codici subjunximus, in quo quis, vel unde fuerit, necnon vitæ & actuum ejus aliquantulam exigimus memoriam.

CAPUT I. *Quibus temporibus, & ex qua parentela vir beatus fuerit.*

TEMPORIBUS ergo CAROLI Magni, Fresonum & Saxonum primus fuit Episcopus. Harum ipse nationum maximam partem, id est Frisiæ quinque pagos, & occidentales Saxones à paganismo revocans, Christi imbuit Fide. Venerunt & priùs de terra Anglorum plures homines Dei, spontanea pro Domini amore peregrinatione delectati: qui exeuntes de terra & cognatione sua, nostras patrias agnitione Christi illuminare laboraverunt. ex quibus fuit eximius doctor WILLBRORDUS & socii ejus; necnon & WINFRID cognomento BONIFACIUS. Hi autem benedicti hujus [avum] nomine WRSSINGUM, amicum & familiarem valde habuerunt: à quo & filiis ejus & propinquis inter paganos populos plurimum in labore Evangelii juvabantur. Idem quàm pri-

An. Chr. DCCC IX. Martii XXVI. dem à Rege maligno Fresonum Radbodo, ob justitiæ defensionem, qua licèt paganus impavidè oppressis subveniebat, à patria effugarus, & in Franciam pulsus est. Ibi Religionem Christianam edifcens, mortuo impio Rege, à glorioso Francorum Principe ad gentem suam denuo remissus est, & suæ patriæ Fidem Christi intulit, & ab ejus primùm familia Christianitatem percepit.

II. *De genitrice ejus, quæ pusiola necari jussa.*

Hujus junior filius Thiadgrimus sancti viri pater erat: mater Liafburga dicebatur. In hac femina omnipotens Deus, qui Rom. 4. vocat quæ non sunt tamquam ea quæ sunt, meritis (ut credimus) ex ea nascituri pueri, miracula misericordiæ suæ ostendere dignatus est. Habebat enim ex paterno genere aviam gentilem: quæ cùm doleret filio tantùm filias nasci, matrem benedicti hujus, eadem qua nata fuerat horâ aquis necari præcepit. Unde cùm juxta crudele ejus mandatum situlæ aquâ plenæ à mancipio, cui hoc erat injunctum, immergeretur; illa brachiolis extensis, utraque manu marginem situlæ apprehendit, & nata sub eadem hora pusiola ne mergeretur, cœpit mancipio reluctari. In hac ergo colluctatione prorsus mirabili, ex dispositione misericordis Domini vicina mulier supervenit, & miserescens parvulam de manu mergentis eripuit, & domum aufugiens, parvum fecit gustare mellis. Nam semel gustantes aliquid infantes apud paganos necari illicitum erat. Insecuti post eam quibus infantula commissa fuerat perimenda, cùm viderent se ab facto impio prohibitos, nec tamen (ut res contigit) furiosæ dominæ indicare auderent, occultè illi mulieri eam nutriendam permiserunt. Sicque mortuâ illâ maledictâ, matri restituta est.

III. *Item aliud miraculum de eadem.*

Hæc eadem cùm jam viro juncta sanctum puerum gestaret in utero, contigit ut festino gressu incedens, lapsa graviter corrueret, & acuta sude supra quam ceciderat, latus ejus perfoderetur, ita ut nemo putaret vel ad modicum posse eam spiritum retinere, vel puerperium non penitus periturum. Sed miro modo veloci & inopinata salute ipsa convaluit, & infans post paucos dies editus, in nullo læsus apparuit. At puer ut primùm loqui & ambulare poterat, jam tunc se post Deum ire in verbis & moribus designabat: cùm inutilia quæque despiceret, vanis non delectaretur, lusum infantulus non amaret; alio illi amore indito ex patre spirituum omnis carnis. Libros jam diligere, arborum cortices, quibus ad luminaria uti solemus, colligere, illos ad similitudinem librorum consuere cum festuca, & nigro quolibet liquore imitari scribentes.

IV. *Quomodo puer sanctus, juxta quod ipse cupierat, ad discendas litteras Gregorio commendatus sit, & in Trajecto Monasterio tonsuratus.*

Petiit post hæc parentes, ut litteris se erudiri facerent. At illi ejus accelerantes petitionem, de cujus pio desiderio lætabantur, commendaverunt Gregorio, grandium meritorum viro: qui discipulus simulque successor sancti Martyris Bonifacii, Trajectensi sedi Presbyter Episcopi vice præerat. Sub cujus docto magisterio in litteris & servitio Domini eruditus, tonsurâ in Trajecto Monasterio acceptâ, moderatis valde moribus in omnium illic dilectione conversatus est.

V. *Quòd cum* ALUBERTO *ad Angliam missus sit, ibique ad* ALCHUINI *famosi Magistri notitiam pervenerit.*

VENIT interea vir quidam venerandus de terra Anglorum, nomine ALUBERTUS, cupiens rudi partium illarum plebi in doctrina prodesse. quem dum Abbas Gregorius libenter susciperet, compertâ ejus cum pia voluntate sapientiâ, eum sibi Chorepiscopum fieri postulavit. Quod cùm ille eo modo non recusaret, ut à proprio ordinaretur Episcopo, remisit eum ad terram suam, ab eo quem dixerat Episcopo ordinandum; & cum eo Ludgerum, ut ibi diaconii perciperet gradum. nam ipse, ut dictum est, Presbyter episcopalem tenuerat sedem. Eo tempore in Eboraïca civitate famosus merito Magister scholam ALCHUINUS tenebat, undecumque ad se confluentibus de magna sua scientia communicans. Hujus mox, ut illuc pervenerunt, Ludgerus familiarem amicitiam adeptus, spatio quo inibi demorabantur, ad eum sedulò de scripturis interrogantem accessit. Verum cùm sacris Ordinibus perceptis ad eum qui eos miserat redeuntes venirent, Alubertus cum Gregorio pii laborem operis adsumsit. Porro Ludgerus Alchuini desiderio & amore discendi reditum, si fieri posset, meditabatur. Quod cùm sæpius tentanti Gregorius tandem difficillimè concessisset, paratis cum ejus adjutorio & parentum suorum, quæ talis peregrinatio poscebat, remeavit Britanniam. Suscipiens eum Magister honorabilis, magna, cujus animum noverat, coluit caritate, tribusque continuis annis paterna in Monachorum [a] Monasterio sollicitudine erudiens, quarto anno dimidio apprime eruditum ad patriam remisit. Ita tunc Ludgerus tam ex profectu dulcium morum, quàm ex scripturarum scientia, magistro Gregorio acceptabilior factus, eidem postmodum Patri devoto discipulatu adhæsit.

VI. *De eo quòd locus, ubi sanctus Liafwinus, qui jubente Deo de Anglis ad prædicandum venit, requievit corpore, à paganis incensus sit.*

DUM hæc agerentur, venit & alius homo sanctus LIAFWINUS nomine, ex sua, id est Anglorum gente, Domino vocante adductus: Etenim referebat, trina omnipotentis Dei admonitione terribiliter se exire jussum, ut illo in loco & illis gentibus miseratoris nostri Evangelium prædicaret: petiitque à Gregorio demonstrari sibi locum divinitus commendatum. Gavisus ille de divina clementia, direxit eum illuc, hoc est in confinium Francorum & Saxonum, juxta fluvium Isla *, ad locum qui dicitur Daventre *, dans ei comitem & cooperatorem verbi Dei servum Domini MARCHELMUM, & ipsum ex Anglorum genere, à sancto Wilbrordo à pueritia enutritum. Ibi cùm ecclesias construeret, & plurimos convertisset ad Dominum; sanctam animam reddens Domino, locum illum suo honorificavit corpore. Post mortem illius Saxones zelantes inibi collectionem Christiani populi, locum illum præda & incendio vastaverunt, combustâque ecclesiâ, corpus ejus dum quærerent, invenire nequiverunt. Ea quoque tempestate, Gregorio profecto ad Dominum, ALBRICUS in Episcopatum successit.

* Yssle

* Deventer

a Hinc patet, Monachos tum fuisse in ecclesia Eboracensi, non alios sanè quàm Ordinis sancti Benedicti, infrà ad Vitam Alcuini.

AN. CHR. DCCC IX. MARTII XXVI.

VII. *Qualiter Gregorio defuncto, Albricus qui ei successit, Ludgero suaserit, ut supradictum instauraret locum.*

PORRO Albricus magna & singulari caritate Ludgerum diligens, quem sub magistro Gregorio pueritiæ sodalem habuit, sociavit eum sibi episcopalis curæ adjutorem. Hortatur eum ergo ire, & super corpus Confessoris Christi incensam reparare ecclesiam. Paruit ille citissimè, & veniens ad locum, corpus sancti reperire non valuit: sed tamen in spatio, infra quod illud esse putavit, ædificium cœpit erigere. Nocte autem adstitit ei in visione servus Dei Liafwinus, dicens: Bene facis, Ludgere frater, deserta hæc reædificans. corpus meum quod quæsisti, sub australi pariete humatum reperies. Quod dum mane Ludgerus, juxta quod revelatum fuerat, invenisset, transvecto in Austrum ædificio, infra ecclesiam honorabilem Sancto Dei posuit sepulturam.

VIII. *De eo quòd hortatu Albrici occidentalem Frisiam perrexerit ad destruenda fana idolorum.*

IGITUR dum illic bene cuncta disponeret, atque multum Christianis illis sua solatiaretur industria; perrexit Frisiam cum aliis servis Dei, jubente Antistite suo, si fortè ibi super Fide Christi posset aliquibus suadere. Ibi ergo paganos asperrimos tantis argumentis & tam ingenioso moderamine mitigavit, ut sua illum delubra destruere coram oculis paterentur. Inventum in fanis aurum & argentum plurimum Albricus in ærarium Regis intulit, accipiens & ipse præcipiente Carolo portionem ex eo.

IX. *Quòd Coloniæ Presbyter ordinatus sit cum Albrico, cùm ipse Episcopus consecraretur.*

FECIT autem Albricus Ludgerum Presbyterum consecrari, cùm ipse in civitate Colonia Episcopus ordinaretur: constituitque eum Doctorem Ecclesiæ in pago *Ostrach*, ubi sanctus Bonifacius martyrio glorificatus est, ut in Fresonum gente, ubi jam aliquantulum Christianitatis rudis erat origo, opus Domini, quantum posset, perageret.

X. *De eo quòd vice sua Trajecto Monasterio præesset.*

TRIBUS ergo per annum temporibus, vere scilicet, æstate, & hieme, ibidem in evangelizandi studio commoratus est. porro in autumno ob custodiam disciplinæ Trajecto Monasterio præerat. Etenim venerabilis Antistes Albricus hanc curam inter Doctores per vices quatuor dispertivit, ut videlicet ipse verno tempore, quando sua maximè necessaria fuit præsentia, per se administraret: æstate verò Athalgerus, & hieme Thiadbertus: autumno, ut diximus, Ludgerus præsideret.

XI. *De visione quæ illi de tribus acervis vestium ostensa est.*

ERGO dum in Monasterio Ludgerus vice sua degeret, quadam nocte finitis matutinis hymnis, dum ex secretis orationibus lassus cubitum iret, apparuit ei nutritor suus quondam GREGORIUS, & cum eo solita familiaritate conloquens: Frater, ait, Ludgere, sequere me. Secutus est ille, ut sibi videbatur, adscendentem in altiorem locum: ubi prolatis & coram eo jactatis quasi membranulis & vestibus, colligere ea Ludgerum in acer-

vos praecepit. Dum colligeret quasi tres acervos: Bene, ait Gregorius, indigentibus ista distribue. de his tibi satis dabo. signansque eum ut se videre videbat, signo crucis abscessit. Cumque mane Ludgerus HADDONI Monasterii Præposito, & Marchelmo, de quo superius locuti sumus, somnium retulisset; statim ad hæc Marchelmus respondit: Nequaquam, inquiens, Ludgere, inane istud somnium putes. Episcopatus honore sublimabeti; tribus populis dona Domini divisurus es. Et ille: Utinam, inquit, in loco nunc mihi credito aliquid utiliter agam. Verùm Marchelmus sive conjiciendo, sive præsciendo hoc dixerit, ista omnia, sicut dixerat, evenerunt.

AN. CHR. DCCC IX. MARTII XXVI.

XII. *Quamdiu in occidentali Frisia prædicarit.*

IGITUR per septem annos in illis occidentalis Frisiæ regionibus mansit, inter paganos vel rudes Christianos, omni industria & sapienti labore se agens, novum populum devota credulitate instituens, sicut mirifica illius gesta populi illi usque hodie memorant, quos ab idolis convertens, Christiana conversatione instruxit.

XIII. *Ut beatus Ludgerus Romam adierit.*

INTEREA Saxonum Princeps WIDUKIND persecutionem Christianis tractans, Frisiam cum exercitu se duce adiit; ecclesias incendens, expellensque famulos Dei, Fresones usque ad Fleha fluvium Christi religionem relinquere compulit, & prisco erroris more vivere. Tunc Ludgerus cedendum tempori arbitratus, maximè cùm in hac tempestate Albricus Antistes suus de mundo discesserit, deseruit partes illas: & assumto secum fratre suo HILDIGRIMO, qui natu junior disciplinâ ejus instituebatur, Romam petrexit. Illic cùm Papæ Leoni [a] indicasset itineris causam, & quia desideraret in paterna hereditate Monasterium construere; intelligens beatus Pontifex vel ex sermonibus ejus, vel Dei spiritu revelante, quid in se sanctæ intentionis ac studii haberet, in amore & honore illum habuit: donavitque illi Salvatoris nostri reliquias [b] & sanctæ Dei genitricis Mariæ sociorumque Apostolorum Petri & Pauli, in quorum memoria Monasterium quod dixerat, construeretur.

XIV. *Beneventi biennium agens, à Carolo Imperatore evocatur.*

EXIENS autem de Roma, Beneventum [c] petiit, ut in Monasterio sancti BENEDICTI beati Ordinis conspiceret disciplinam, possetque ibi aliquanto tempore liberiore vacatione quiescere. etenim Pater illius Monasterii genere illi propinquus [d] erat. mansitque ibi duos annos [e].

a Legeodum Hadriano. Siquidem Romam profectus est Liudgerus anno DCCLXXXIV, ante annos duodecim quàm Leo pontifex crearetur.

b Nempe de sacro dominici corporis cruore; & de virginali Dei genitricis Mariæ lacte, &c. inquit Cincinnius.

c Id est provinciam Beneventanam, cui 'ooo tatò attributum ab antiquis Casinum. Hinc Johannes Trithemius Liudgerum Beneventanum & Beneventani Monasterii Monachum vocat: & Vvion primò Beneventani, tum Casinensis Monasterii Monachum, fœdo errore

d Theodemarus tum Casino præerat, cujus quidem nomen Saxonicam originem sapit.

e Altfridus addit *menses sex*, at de litteris Alcuini aut Caroli ad Liudgerum nullam mentionem facit. certè in epistolis Alcuini nulla habetur Liudgero inscripta. denique an jo Gallia tum degeret Alcuinus, meritò dubitari potest. tametsi eo fere tempore in Galliam venit: sed facta brevi mora in Britanniam revertit. Forsan iste Auctor Altfridum malè interpretatus est, ubi Liudgeri jam reversi ad patriam fama ad aures Caroli pervenisse fertur in lib. 1 num. 19. Nisi fortè dicas, quod certè veri simile, Caroli epistolam ad Theodemarum Casini Abbatem huc trahendam, qui litteris Caroli pulsatus, Monachos in Galliam misit ex suo Monasterio, forsan Liudgerum cum Hildegrimo. Et forsan Aldegarius Episcopus à Carolo missus Casinum, ut in Theodemari epistola legitur, non alius fuerit quàm Adalgerus Presbyter supra memoratus. Meræ conjecturæ. Lege Chronici Casinensis lib. 1 cap. 12.

An. Chr. DCCC IX. Martii XXVI.

Cupiebat autem sancta illa hospitalitate prolixiùs uti: sed gloriosus Imperator CAROLUS ejus famam audiens, prodente eum maximè ALCHWINO præceptore quondam suo, qui eo tempore de Britannia in Franciam venit, misit semel & iterum, atque litteris Alchwini ejusdem ad se eum venire mandavit.

XV. *Duorum Monasteriorum ei optio conceditur.*

CUMQUE ab eodem fuisset Imperatori præsentatus & commendatus, Duorum, inquit Imperator, Monasteriorum optionem tibi concedo. unius majoris [a], in quo virginum multitudo consistit; alterius minoris, quod virorum est, sub canonica Regula Domino famulantium. At ille imperiali largitati agens gratias, virorum Monasterium dixit convenientiùs sibi posse committi. Dedit ergo ei Monasterium in pago Bragbante, quod Lotusa nominatur, cum omnibus ad ipsum pertinentibus.

XVI. *Quinque pagis Frisiæ præficitur.*

HIs quoque temporibus orientalis Frisiæ quinque pagi cum una insula, quæ dicitur *Bant*, Francorum regno se subdiderunt, promittentes Fidem Christianam se suscepturos, si erudiendis eis aliquis daretur, cujus loquelam intelligere possent. Porro Imperator hoc gratanter accipiens, Ludgero opus istud commendavit.

XVII. *Treverensem Episcopatum à Carolo oblatum recusat.*

EA quoque tempestate, devicto sive converso Widukindo, Abbas quidam religiosus nomine BERNARDUS, occidentalibus Saxonibus à Rege missus fuerat Doctor. quo non multo pòst tempore migrante ad Dominum, difficile in regno Francorum potuit inveniri, qui libenter ad prædicandum inter barbaros iret. Dum super his Rex Carolus sollicitus cogitaret, contigit ut eo tempore Treveris civitati Episcopus inquiri deberet, obtulitque Ludgero illius Ecclesiæ Pontificatum [b]. Respondit ille, talem Ecclesiam se Episcopo minimè indigere, in qua perplures essent se doctiores & eo digniores honore. quin potiùs posset ipse rudibus quibuslibet meliùs præfici: & si Regi placeret, in Saxonum populo voluntarium se subiturum laborem. Hac ejus responsione & voluntate Imperator plurimum gratulatus, in occidentali Saxonum parte Pastorem eum constituit; impleto somnio, quod super tribus acervis dudum Ludgerus viderat. Tum verò operis divini multum avidus, sollicito studio totisque viribus in conversione gentilium insudabat, veteris vanitatis culturas auferens, ad ecclesias quas erexerat populos convocans; Presbyteros quosipse venerabiles nutrierat, per loca ordinans, jucundis moribus & humanitate plurima doctrinam suam acceptabilem usquequaque faciens, donec Domino auxiliante, in Frisia & in Saxonia pararet, ut scriptum est, Domino plebem perfectam.

XVIII. *Fosetesiandiam insulam convertit.*

CUPIENS autem & aliis gentibus Evangelium adnuntiare, & Dei adferre notitiam, cum Imperatoris consilio profectus est ad quamdam

a Nempe Nivellensis, ut in rythmica litania legitur

b Nihil hac de re legitur in alia Vita, ubi quædam singularia etiam hîc omissa commemorantur num. 19 & seqq.

insulam

insulam in confinio positam Fresonum & Danorum, quæ à quodam Fosere, quam stulta gentilitas deum æstimabat, *Fositesland* appellabatur. Cùm jam, approximante navi, insula non longè posita conspici posset, accepta in manus cruce Ludgerus, psalmum, ut ferunt, sexagesimum septimum decantavit: *Exsurgat Deus, & dissipentur inimici ejus, & fugiant à facie ejus qui oderunt eum. Sicut deficit fumus, deficiant.* & reliqua. Ecce autem repentè omnes qui in illo navigio cum illo fuerant, viderunt densissimam caliginem ad fumi instar de insula exsurgere, & desuper glomerati: deinde glomeratam pariter discessisse. Nostis, ait Ludgerus ad socios, quia abscedentis dæmonis est ista caligo, quem modò de sede hac Dominus iter nostrum præveniens effugavit? & insulam alacer ingressus, verbum Domini prædicavit. Tantam autem Deus potentiam verbis ejus tribuit, ut omnes insulanos Fidem Christi confessos, in uno illic fonte baptizaverit, Fosetis fana destruerentur, fabricarentur ecclesiæ: ipse Princeps insulæ filium suum de fonte sacro levandum illi obtulerit, vocabulo LANDRICUM, quem postea in Fresonum gente religiosum Presbyterum vidimus. AN. CHR. DCCC IX. MARTII XXVI. Auctoris ætas.

XIX. *Ut voluerit Nordmannos adire, & de ejus visione.*

POST hæc Ludgerus etiam Nordmannos evangelizandi gratiâ adire cogitabat. Sed dum illi Rex Carolus hoc non concederet, contristabatur ille Dei ac proximi dilectione plenus, vel quia salus eorum differretur; vel quòd ab illis peccata nostra punienda præscivit. Siquidem dum nondum Nordmannorum ullus esset metus, dicere sæpe solebat devastationes & miserias, quæ per illorum manum perpetrandæ essent. Vidit etiam dum esset secus mare, in *illo nuncupato Werma, quoddam somnium, per quod hæc mala designari intelligens, flevit plurimum. Dum mane sermocinaretur cum sorore sua nomine HERIBURGA; his ejus plorationibus perterrita, flevit etiam ipsa: obsecravitque, ut sibi tantæ tristitiæ causas ediceret. Et ille dixit: Cogitavi in hoc loco Monasterium construere. sed hoc secundùm voluntatem meam nequaquam provenire poterit, quia propter peccata nostra delectabilis hæc regio solitudo erit. narravitque, quia viderit in somnis quasi nubeculas nigras ab aquilonari maris parte paullatim adscendere; post modicum verò globos crebriores sequi: deinde horribiles nubium moles pariter emergentes, rapido impetu ad solem tendere. Cui dum appropiarent, motus ille loco fugit, donec à subsequentibus tenebris cælo fugatus, ultrà videri non posset. At tunc polo nubibus tecto, horrore immensæ caliginis universi tremebant, viræ suæ singuli metuentes. Cùm diutissimè sub hac formidine habitatores terræ paverent; en iterum ab austro radii lucis emicant, exsiliensque sol, circumfusas abegit nubes, & regrediens ad locum suum omnes obscuritates illas ante se in aquilonem, unde venerant, pepulit. & addidit dicens: Tempus celeriter veniet, quo latrocinia & prædæ Nordmannorum, necnon & subsequentia bella in his provinciis incipient fieri. post hæc justè deserente nos Deo, & omni jucunditate sublata, terras latiùs occupabunt. Utinam, inquit Heriburg, his malis non supervivam. Supervives, ait, & hæc pessima oculis tuis visura es. at mihi datum est, nulla horum in corpore spectare. Sed quandoque Deus justis his correptionibus suis finem ponet: & quæ Nordmanni aliis fecerint mala, inferentur eis. Igitur quàm diu ipse in corpore fuit, tam secura pax erat, ut nullus super tantis malis suspicari aliquid posset. Mox autem sequenti ut obierat anno, incipiebant venire quæ prædicta sunt, & vaticinium ejus miserabili experientia jam olim probatum est. Speramus ergo, quia consolario miserationis Dei, quam simul prædixerat, quando tempus miserendi venerit, nihilo minus subsequatur.

* f. loco.

AN. CHR. DCCC IX. MARTII XXVI.

Hic capitula quatuor in Fuldensi codice deesse putavit Brovverus, quæ ex Suriana Vita facilè suppleri possent. Ego verò unum dumtaxat aut alterum deesse puto, nempe ut Liudgerus ab Hildebaldo Coloniensi Archiepiscopo coactus sit Episcopatus gradum accipere. *tum* miraculum de cæco in villa Heligvvorda illuminato. *nam prævisio loci ubi condendum erat Monasterium infra habetur. Et tamen hiatum quatuor capitulorum cum Brovvero reliqui hoc loco.*

XXIV. *De cæco quem non sponte sanavit.*

VERÙM Lugerus, quamvis cuncta hujusmodi opera, occultare vellet, non tamen Deo hæc revelanre usquequo effecit. Villa est in Saxonia in pago Sudergo, quæ Alna nuncuparur. ad hanc dum parochias suas circumiens veniret, die quadam sedente eo ad mensam, audiebatur pauper clamare foris, anxiè obsecrans, ut Episcopus cæcum hominem respicere dignarerur. Festinavir Diaconus, cujus id erat officii, putans unum esse de pauperibus qui stipem petierit: sumensque panem & cibum, portexit illi. Renuir ille accipere, aliud sibi dicens magis esse necessarium. Deferebatur potus ille, nec hoc se velle respondir, nec propter stipem perendam venisse: sed ut ante Episcopum intromitteretur, ut cæco homini subveniret. At Diaconus non intellecto quid postulaverit, dimisso illo, in domum regressus est. Porro ille cùm foris relictus iterato diu clamore vociferaretur, tandem circumspiciens Ludgerus: Quare, inquit ad Diaconum, tam diu vis dissimulare quod audis? qui respondit: Detuli illi cibum potumque, sed ille nihil horum curat. Nummum, air, da ei. quod cùm fecisset, & hoc nihilo minus sperneretur, jussit eum Episcopus ad se introduci. Dum inductus esset, ait ei: Quid, frater, habes? quid est quod experis? Ille respondit: Fac ut videam, obsecro te per amorem Dei. Et mirum in modum, cùm hoc non imperando dixerit, sed tantùm miratus petitionem, similia verba responderit; statim ille vidit, jussusque accedere ad mensam, lætior comedit & bibit, abiitque in viam suam.

XXV. *Mel ei transmissum.*

VENIENTE illo aliquando ad ecclesiam in loco, qui Billurbeki dicitur, vicina quædam mulier, natu nobilis, sed inlicito juncta connubio, ut audivir Episcopum advenisse, munere prævio studuit sibi placare eum, mittens quasi eulogium, vas resteum pergrande melle plenum. Quod dum ille agnoscens mittentem sperneret, ac suscipere dedignaretur; juvenculi aliqui ex discipulis ejus illud desiderantes, promiserunt se Episcopo persuasuros, ac de manu nuntiorum munus acceperunt. Non habentes autem alio in loco illud abscondere Episcopo jam ad celebrationem Missæ processuro, sub altari ligneo undique obtectum linteaminibus posuerunt. Mox autem ut coram altari inclinatus labia oraturus aperuit, repentino & vehementi crepitu vas mellis sub altari insonuit, ac minutatim confractum est. Colligebant scopis mel per pavimentum fluens; & cum testeis fragminibus foras projicientes, Missam deinde celebrabant. Non cessavit autem Episcopus, donec perversam illam copulam disscinderet; insuper & sceleris patratorem, velut incorrigibilem, de patria exturbaret.

XXVI. *De suscitato Buddone.*

FEREBANT autem veracissimi viri de discipulis ejus, quòd quodam tempore, dum ad comitatum [a] pergens, per provinciales qui Hassi

[a] Id est ad frequentem curiam Regis. Eadem vox infrà cap. 35, quam sæpe usurpat Eginhardus in libris de miraculis sanctorum Marcellini & Petri.

dicuntur, itet agetet; per orationes ejus homo mortuus tevixerit. qui scilicet propter furtum caballotnm Widukindi Saxonum Ducis huic morti adjudicatus sit, ut in campo ad stipitem ligarus, jactatis in eum fudibus acutis & lapidibus necaretur. quod dum factum esset, corpus exanime in eampo relictum est. Veniens autem Ludgerus secus loeum, & comperto quòd Christianus fuerit, mittens ad Widukindum impetratit ad humandum corpus. dehinc discerpta totius cotporis membra pallio colligi jusserit, & inferri in tentorium suum, donec humando eorpori sepulcrum pararetur. Dum ad hoc ventum esset, ut elatum de tentorio in fossam poneterur juxtà stante Episeopo: Efferte eum, ait, tumulo, namque illi spiritus inest. Qui dum elevatus esset, respirate cœpit: & iterum illatus in tentorium, oblato poru refocillabatur; ligarique jussit Antistes vulnera ejus, & in tempore parvo convaluit. Stat adhuc in eo loeo lapidea crux in monumentum miraculi ejus, ab ineolis eteċta: & ex nomine ejusdem viri, qui Buddo voeatus est, eampus ille Buddonfeld usque hodie nominatur.

XXVII. *De sturione miraculosè capto.*

PER Frisiam aliquando evangelizans, venit ad opidum, quod dicitur Helleri, juxta fluvium Ladam. Tunc vocatos ad se loci illius piscatores togavit, ut aliquem stnrionem propter hospites qui eum frequentabant, tentarent comprehendere. ita namque Thiudiscâ linguâ hic piscis vocatur. Qui mirati cur hoc petierit, responderunt, tempus capiendorum hujusmodi piscium jamdudum præteriisse; & quia apptopinquante jam hieme nullus hoc tempore vnquam audierit piscem istiusmodi comptehensum: Tamen, ait, non diffidentes capturam hanc ptovenire posse, cùm Deus omnipotens omni valeat tempore præbere necessaria servis suis. Euntes autem coacti precibus ejus, retia fluvio immiserunt. Suspicientes autem in aëra, eernunt tennem ad se nubem propetare, vicinamque diligentiùs intuentes, vident ingentis alitis speciem nube ferri, sive, ut plerisque eorum visum est, ejusdem piscis quem volebant imaginem: cùm subitò inter sermocinantium verba, avis sive piscis fotma è nube lapsa tam validè in fluvium eecidit, ut utrisque litoribus moti fluctus illiderentur. Nec mora in eodem quo incidetat loco miræ magnitudinis sturionem comprehendentes, Episcopo obtuletunt. Referentibus autem eis gestum mirabile, Videte & cavete, ait, ne hoc pro alicujus factum sanctitate vel meritis putare vel narrare audeatis: sed laudemus potiùs bonitatem Dei, qui dat escam omni carni.

XXVIII. *Suspensus mirè à patibuli supplicio conservatur.*

OPIDUM est in Saxonia notum plutimis, Meppea nominatum, In cujus vicinia dum Antistes sanctus Frisiam petgens deveniret, adspexit non longè à via vulgi concilium die dominica congregatum. Divertit illuc, volens cognoscere quæ causa hujusmodi conventiculi exsisteret tali die: viditque in colle, quem circumvallaverant, teo cnidam suspendium præparari. Accedensque propiùs, affatus est eos blandè, postulans sibi concedi hominem; aut si necesse esset eum intetfici, hoc eo die non facerent, magis ipsi ad ecclesiam Missas audire convenirent. Cumque nihil hornm à rusticis impetrare posset, contumeliosis insuper verbis Cletico insultantibus; (etenim ad suam parochiam locus ille non pertinebat) vix obtinere potuit, ut parumpet cum homine super ejus pænitentia se permitterent loqui. Factum est hoc: discessit Antistes, & homo in

An. Chr. DCCC IX. MARTII XXVI.

patibulum est suspensus. At verò vespere illius diei, cùm Episcopus itineris sex ab eo loco milliaria peregisset, manens in villa quæ vocatur *Asconthorp*, en veniens homo ille quem paullo antè suspenderunt, ad pedes Episcopi procidit, corruit. Mirantibus ac sciscitantibus, quomodo de eo gereretur, rem taliter pandit. Dum ego, inquiens, Episcopo inde digresso sursum in patibulum traherer, videbam duos incredibilis decoris viros, à latere Episcopi equitantes, aliquamdiu cum eo pariter loqui. dehinc post paullulum alter festinè rediens, nescio quid mihi pendenti supposuit, super quod firmiter stans, cruciatum non sentiebam: donec dispersis his qui me suspenderant, & ad occasum vergente sole, me idem ipse deponeret. Depositum jussit ocius iter vestrum sequi, & pro concessa vita sacro Antistiti gratias agere, quam ipse dum à fatuis contemneretur, à Domino impetrarit. Addiditque se nullo pacto scire posse, qualiter post virum Dei tantum viæ spatium in momento percurrerit. Ferunt & alia multa miranda venerabiles viri de discipulis ejus, à beato Ludgero gesta vel dicta, quæ cuncta ponere immoderatioris fortasse prolixitatis videbitur.

XXIX. *Divinitus cognoscit locum, in quo exstruat Monasterium.*

PRÆTEREA Monasterium quod in honorem reliquiarum, quas ab Apostolico acceperat, olim construere decrevit, ubi posset construi, agnita maritimarum regionum futura desolatione, sollicitè requirebat. Duo autem loca construendis apta Monasteriis videbantur, unus in *Vuitmund*, juxta fluvium Isla: alter qui Ad-cruces dicitur, secus fluvium Arnapa [a]. sed divinæ præscientiæ voluntatem super his demonstrari sibi devotis jejuniis & orationibus deposcebat. Unde dum ad locum quem juxta amnem Arnapa eum elegisse diximus, hiemis tempore veniret; crucem ligneam jussit eo in loco erigi: & ipse solus coram sancta cruce in nive, maxima duri frigoris & longæ noctis patiens, prolixas usque ad lucem in oratione duxit vigilias. Proinde divina revelatione Monasterium ibi esse non posse cognovit: sed locum in saltu quodam juxta fluvium Rura [b] fundando Monasterio ex Deo fore præscitum. Quapropter dum suæ viæ comitibus quæ divinitus cognoverat referret, ad promissum à Deo locum properavit, & cum possessore ejus locutus, locum illum datâ terrâ aliâ comparavit. Post hæc autem cùm ab occupationibus variis liberior factus, tempus huic vacationi aptum invenire potuit, adsumtis secum quos huic operi necessarios scivit, ad ipsum denuo locum profectus est.

XXX. *Ut suis precibus nemus apud Vverdenam everterit.*

ERAT ibi sarculum quoddam opacitate & silvarum densitate undique conclusum: ibi fixis tentoriis mane primo arbores diruere & locum ponendis ædificiis expurgare, si qua facultas daretur, disponebant. quod tamen illis fieri posse omnino impossibile videbatur. Unde & beatum virum à sua intentione penitus revocare studentes, dixerunt incredibile prorsus videri, illum umquam locum habitabilem fieri posse, quoniam arborum densitate & ramorum obductione cælum quoque ipsum abscondereretur. At ille spem suam in Domino ponens, Quæ hominibus inquit, impossibilia sunt, Deo possibilia sunt. Ita nocte ingruente cùm temperiùs * ad vigilias nocturnales surrexissent, post peractum Officium

* *f.* temporius

a Ervatem vel Ervetum alii vocant. qui fluvius varia Juliæ opida alluit, *Erfft* & *Erpe* vulgò appellatus, inquiunt Bollandiani.

b Ab eo fluvio, qui Marchiæ Comitatu decurso influit in Rhenum, Rura nomen Monasterio Vverthinensi indutum.

se cubitum denuo receperunt. Cumque jam omnes dormire putaret, silenter exsurrexit: & tentorium egressus, paullulum orationis gratiâ secessit. Sed quia quidam Clericus ex ejus contubernio, nomine THIADBALD, eâdem horâ vigilavit, ipsum confestim foras exeuntem secutus est. quod mox vir Dei cognovit, & paullisper quasi pro horæ inspectione substitit: deinde tabernaculum ingressus, eum rursus obdormientem præstolari cœpit. quod cùm fieri putaret, rursus exiit. Sed eumdem iterum Clericus quem diximus pedetentim subsecutus est. Ita secunda quoque vice oratione ejus intercepta, Clericum stratum suum repetere, nec ante lucem surgere præcepit. ipse quoque ut ejus curiositatem eluderet, se se cubitum recepit. Cumque aliquamdiu exspectaret, & jam neminem vigilare suspicaretur; tertiò exsurrexit: & egressus, sub quadam se arbore in orationem projecit. Verùm cùm memoratus Clericus eum contra auctoritatis suæ præceptum sequi non auderet, & omnino quid agere vellet, explorare intenderet; papilione juxta lectum suum elevato in oratione positum vidit. erat enim nox lunâ & stellis lucentibus admodum clara. Cumque diutissimè orasset, & se per spiritum auditum à Deo cognovisset; tentorium cunctis, ut putabat, ignorantibus repetivit. Mutata ilico cæli quæ tunc erat serenitas, obscurata luna, obducta astra, & ventis hinc inde exsurgentibus tempestas nimia subsecuta est. Cadebant annosa circumquaque arbusta, & cum magno licèt omnium timore, ipsa mundi elementa famulo Dei militabant. Nam cùm diluculo exsurrexissent, videbant hinc inde eruta fundando Monasterio locum satis amplum dedisse, & arbores passim jacentes sufficientem lignorum ad ædificationem copiam præbuisse. Rari quique frutices & arbusculæ minores derelictæ sunt, quæ ab operariis facilè vel exstirpari, vel præcidi valerent. Unde sanctus Ludgerus cùm die jam clara suos reliquo operi instare hortaretur; eos percunctari gratulabundus cœpit, anne adhuc cælum se ex illo loco crederent conspectutos.

AN. CHR. DCCCIX. MARTII XXVI.

XXXI. *De arbore quæ stragi superfuit.*

SANE' ex arboribus quas intra spatium fundandi Monasterii corruisse diximus, una solùm non diruta remansit, sub qua eadem nocte vir Dei oravit. Sub hac cellula jam luce clara posita suos ad operandum hortabatur. Ibi quidam ad eum ex ejus Clericis, nomine ODILGRIMUS, ex itinere quo directus fuerat, venit: quem inter mutua quæ habuerant conloquia, ipse interrogavit, quid sibi de illo loco videretur, utrumnam cum Monachorum collegio congruum arbitraretur. At ille vultum ejus solito alacriorem videns: In vestra, inquit, facie video, hoc opus sine Dei voluntate non esse inchoatum; locum jam olim à Deo electum opportunissimum divino servitio futurum. Qua ejus responsione ipse delectatus, Gratias, inquit, habe, quoniam secundùm voluntatem meam locutus, benevolentiam (quod solum homo potest) tuam ostendis. ceterùm effectus in Dei est potestate constitutus. Illud sanè nosse te volo, (quod tamen aliis, me vivo, re publicare interdico) in hoc loco me diem judicii exspectaturum, & corpore exutum me ubi nunc sedeo, monumentum habiturum. Ita Clericus arborem, quamdiu ibi stetit, diligenter observavit. Sed cùm postea in usum ecclesiæ, quæ ad occidentalem ejus partem construebatur, præcisa esset; lapidem in eodem loco, nullo alio sciente, pro signo infodit. qui ibidem cùm postea sepulcrum sancto viro foderetur, inventus & effossus est.

AN. CHR. DCCCIX. MARTII XXVI.

XXXII. *Doctrina, victus, & cultus, ac vita familiaris.*

ERat sanctus Ludgerus in scripturis sanctis eruditissimus, tamque ardenter alios erudire gestiens, ut præter publicas prædicationes, quoque mane discipulis suis per se traderet lectiones, ipse nihil extrà faciens, quàm quod in scripturis faciendum invenit. Cavens autem ne sibi nomen inane faceret, omnia temperatè facere curabat. Superstitiosas vestium vilitates non amavit: simulatam in verbis & gestis sanctitatem exosam habuit. Vestitus optimis ac suæ personæ congruis vestibus incedebat, cilicium tamen ad carnem, nullo nisi familiarissimo sibi sciente, jugiter portans. Carnium esum certis temporibus non renuit, satiatum tamen illum cibo vel potu discipulorum suorum nemo umquam vidit. Invitatus ab aliquibus ad convivium (ipse mixtim ditiores & pauperiores invitans) inutilis non sedit ad epulas: sed inter sermocinandum vel jocandum opportuna semper verba captabat, quibus totas sermocinationes illas ad audientium vertebat ædificationem. Sublata autem mensa & laudibus dictis, vix parum supersedit: sed exiens de domo illa, secretiorem cum suis ædem ad legendum vel orandum intravit. Pauperrimis quibuscumque homuncionibus miro modo erat affabilis, secundùm Apostolum omnibus se conformans & aptans, ut omnibus prodesse posset: & dum bonos omnes honoraret, contra superbos divites episcopali auctoritate rigidissimus erat. In angustiis positus, vel sollicitus in tractandis majoribus rebus, hoc statim exordium sumere moris habuit. Sacerdotes Missas celebrare monet; religiosis viris vel feminis orationes mandat & jejunia; invitat ad agapem egentes & miseros; pauperum exposcit preces. & sic in omnibus gressus ejus à Domino dirigebantur. Omnem censum, qui in hereditate ejus propria vel in Episcopio colligebatur, mox distribuere studuit, nihil omnino præter solum necessarium usum super augustioribus ædificiis, vel ambitiosis ministeriis curans. Quapropter cùm à quibusdam Regis Primatibus quasi stirpator Episcopii criminaretur, & qui nullas ædificiorum honestares, nec ipsis ecclesiis congruos metallorum ornatus prævidere scierit; gloriosissimus Imperator ad audientiam invitavit. Unde dum veniens mansionem juxta palatium accepisset, mane primo ad eum Imperator cubiculario misso, ad suum jussit venire colloquium. Fortè tunc Antistes, dum consuetudinariis ex more psalmis & orationibus instaret, dixit cubiculario, ut præcederet, se mox divino peracto officio secuturum. Dum secundò & tertiò nuntiis venientibus, ille ab incœpto non moveretur opere, accusatores ejus occasionem se invenisse lætati, ex hoc ipsius facto criminationem cumulabant. Verùm dum completis psalmodiis ante Imperatorem venisset, dixit Imperator: Quare nostrum mandatum sic difficile accepisti, Episcope, ut tot accersitus nuntiis statim venire despiceres? Quia, inquit, Deum & tibi, ô Rex, & cunctis hominibus præponendum arbitrabar. hoc enim ipse mihi præcepisti, curam episcopalem committens. idcirco à tuis licèt vocatus nuntiis, Omnipotentis servitium intermittere inconveniens judicavi. at mox divino peracto obsequio, paratior ad Regis imperium veni. Quod responsum ejus Imperator optimus veneratus, Gratias, air, habeto, Episcope; quia talem te modò reperio, qualem antea æstimabam. Fuerunt autem aliqui, qui facta bonitatis tuæ malevolè apud me interpretati sunt. sed hos deinceps minùs gratos habebo, & nullius verba super tua criminatione me ulteriùs accepturum spondeo.

An. Chr. DCCC. IX. Martii XXVI.

XXXIII. *Quàm religiosè vir sanctus divina officia peregerit.*

PORRO quia sanctorum officiorum incidit mentio, narrant quòd dum ad opus dominicum vir Dei instaret, ineffabiliter timorata intentione fixaque mente manserit. Aliquando dum in itinere esset, lectus illi ad vicinum focum construebatur. Unde dum noctu stans juxta lectum matutinas laudes cum Clericis caneret, ejectis cinere prunis fumus evaporans in faciem illi exhalavit. Ille quasi nihil sentiens, immotus mente stabat & corpore. At unus ex Clericis auferre hoc volens incommodum, curvato genu carbones detegit, & insufflans sopitos suscitat ignes. Mane autem vocans Clericum districtè sciscitatus est, quare hujus mentis fuerit, ut factis hymnis dimissis, se potiùs incurvaverit ad construendum focum, & pœnitentiam aliquot dierum illi injungens, docuit Clericos dum ad opus divinum adsistitur, omnes occurrentes cogitatus amovendos, & quantum cordis humani fugacitas patitur, nihil aliud cogitandum.

XXXIV. *De adversa ejus valetudine & beato transitu.*

CUMQUE appropinquaret hora ejus exitus, immò retributionis dies, aliquanto ante obitum suum tempore infirmari cœpit: non tamen à solita descivit psalmodia, vel quotidianum per se Deo offerre sacrificium in tota pæne hac infirmitate omisit. Dominica die quæ suæ dormitionis præcesserat noctem, quasi valefaciens gregi suo, in duabus ecclesiis inter se non multum distantibus commemorans quæ docere solebat, publicè prædicavit. Mane primo in loco qui dicitur *Coasfeld* Missam canente Presbytero: horâ verò tertiâ in loco, qui Billurbeki nominatur, ipse per se ultima ibi Missarum sollemnia celebrans. Post hæc recedente populo, affatur discipulos: Scitote, inquiens, carissimi, instante nocte me ex sæculo migraturum. proinde corpus meum ad locum quem in Werthina fundavi, deferte, & foris ecclesiam, in parte ejus orientali humate. Nam multùm hoc vetare erat solitus, ut in ecclesia humanum corpus sepeliretur[a]. Et adjecit dicens: Novi populum, ne hoc fiat, omnimodis contradicturum. sed facite ut delatum ad ecclesiam Mimigernafordensem interim inhumatum servetur, donec ad fratrem meum HILDIGRIMUM mittatur, & ipse agat ut Imperatoris jussu ad memorandum locum perducatur. Porro Imperatorem hoc fore permissurum ex hoc signo noveritis, quòd post mortem meam sanguinem ex naribus meis profluxisse reperietis. Factum est ut dixerat; illaque nocte adstantibus discipulis obiit.

XXXV. *De lucis splendore, quæ in ejus obitu passim emicuit.*

STATIMQUE pius Dominus consolationis suæ ostendere dignatus est signum. Namque ex eo quo obierat loco visus est veluti splendentis ignis fulgur subitò emicuisse, quod diurnæ lucis claritate totam illam provinciam illustravit: ac in sublime conscendens ipsum conspiciebatur cælum intrasse. Videns hoc venerabilis juvenis, nepos sancti viri GERFRID, dum audita ejus infirmitate ad eum properaret, intellexit ex signo adscendentis lucis, animam ejus cæleste jam regnum petisse: & quod

[a] Varia fuit in Ecclesia hujus rei consuetudo pro temporum & locorum varietate. Theodulfus Aurelianensis Episcopus fere in Liudgeri sententia erat, cum in capitulari ad parochos præcipit cap 9, *ut nemo in ecclesia sepeliatur, nisi fortè talis sit persona Sacerdotis aut justi hominis, qua per vitæ meritum talem vivendo suo corpori defuncto locum adquisivit.* Concilium Moguntinum anni DCCCXIII in cap. 52. *Nullus mortuus infra ecclesiam sepeliatur, nisi Episcopi, aut Abbates, aut digni Presbyteri, vel fideles laici.* Idem statuit Carolus Magnus in Capitulari ejus anni cap. 20.

An. Chr. DCCC IX. Martii XXVI. reliquum erat viæ, cum velocitate peregit. Vidit quoque hoc & mitandus Imperator CAROLUS, qui eo tempore in Aquis-palatio moratus est. Eâdem namque horâ pro inspectione siderum cum ALCWINO [a], à quo astrologiam didicerat, fuerat egressus: sed quid significaret, mansit ignarus. Postmodum verò dum veniens ad comitatum Gerfrid de transitu ejus Imperatori indicaret, de luce quoque quæ visa fuerat non celavit. Porro Imperator de die & hora diligenter interrogans, ipsum eo momento de sæculo migrasse comperit, qua lucem illam cum Alcwino adspexit.

XXXVI. *Ut Vverdinam sacrum ejus corpus deportatum sit.*

IGITUR discipuli memores qualiter præceperit, ut in Werdina corpus suum conderetur; super hac re populo, ut hoc consentiret, persuadere cœperunt. Sed dum populi præ amore illius nequaquam paterentur eum in aliam parochiam transferri; consilio inito inter utrasque partes, consensum est, ut ad Mimigarnafordensem ecclesiam transferretur, & usque ad Hildigrimi præsentiam, qui Catalaunensis Ecclesiæ Antistes fuerat, in ecclesia sanctæ Dei genitricis Mariæ inhumatum relinqueretur. Factum est hoc, & in eadem ecclesia cum magno honore servatum est; quoad usque Hildigrimus, mandato Imperatoris accepto, ut in loco quo vivus desiderabat sepeliretur, ad locum, quo frater inhumatus servabatur, die post obitum ejus ferme trigesimo secundo perveniret. Miraque res facta est, ut corpus beati viri, tanto peracto temporis spatio, non solùm sine aliqua corruptela duraverit, sed etiam jucundi odoris fragrantiâ omnes qui aderant mirificè repleverit. addito etiam hoc miraculo, ut secundùm signum quod prædixerat, ex naribus ejus sanguis emanasse inventus sit. Elatum ergo ab ecclesia, honorificè comitantibus populorum agminibus perductum est ad locum quo condendum fuerat, & juxta jussum viventis, foris ecclesiam conditum.

XXXVII. *Annus & dies obitus ejus.*

OBIIT sanctus Ludgerus anno dominicæ Incarnationis octingentesimo nono [b], septimo Kal. Aprilis, & sexto Kal. Maii depositus [c]. In quo loco scilicet ejus merita usque hodie per varia sanitatum miracula divinitus adfirmantur, præstante Salvatore omnium JESU-CHRISTO, cujus sacrosanctis locus ille beatificatur reliquiis. Ad quas reliquias venerandus Antistes HILDIGRIMUS, sancti Ludgeri germanus, necnon & GERFRIDUS nepos ejus atque successor, pio confugio se sepeliri jusserunt, & ad illam hereditatem quam beatus Ludgerus ad illas reliquias satis amplam tradidit, locum illum sua hereditate amplificaverunt. Ibi Domino omnipotenti laus sit, honorque jugis.

[a] Ex hoc loco patet Alcuinum superstitem fuisse anno DCCC IX. quod etiam aliis argumentis inferius confirmandum in ipsius Alcuini Vita.

[b] Rectè, huc consentiunt veteres omnes habita quisque ratione sui calculi, veteris aut novi, qui etiam antiquis usitatus. Corrigendus proinde Lambertus Scafnaburgensis, qui Liudgeri obitum reponit anno DCCC XI, forsan vitio librariorum.

[c] Id est sepultus seu in tumulum reconditus. tametsi depositionis & obitus dies promiscuè usurpantur passim.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

QUIA superiori libello vitam atque miracula sancti ac beatissimi Confessoris Christi LUDGERI strictim percurrimus, nunc ea breviter attingamus, quæ post sanctum ejus obitum divina per eum gratia operari dignata est. Nam sacrosancta illius merita cunctis hinc inde ad ipsum confluentibus

fluentibus pro singulorum fide suffragari non cessant, quibusdam quidem longè manentibus, quibusdam ad ejus venerabilem memoriam degentibus, quibusdam quoque ad ejus sepulcrum meantibus, vel inde domum regressis. Unde cursim, ut diximus, aliqua de his quæ vel ipsi oculis nostris perspeximus, vel fidelium relatione comperimus, quanta possumus brevitate * perstringamus.

AN. CHR. DCCC IX. MARTII XXVI.

* al. veritate

* CAPUT I. *Ut Irmingerus cæcus sanatus sit.*

* Capitulationes libri 2 de suo adjecit Broverus.

FUIT quidam in pago quod Notdgoa vocatur, nomine Irmingerus, qui sancto Ludgero juventutis suæ tempore serviebat. Hic lumen oculorum amittens, tredecim annis continuis in cæcitate permansit: sed tanti viri servitorem divina pietas diutius noluit esse sine luce. Quadam siquidem nocte beatus Ludgerus ei per visionem apparuit, & eum nomine proprio vocans interrogavit, si vigilaret. Quod cùm se facere dixisset: Vade, inquit, dic domino tuo Diudoni, ut te ad ecclesiam faciat perduci, quam in Werdina Domino fabricavi, ubi corpus meum sepultum est, quò cùm perveneris, & coram tumulo meo Dei misericordiam imploraveris, pristinam ibi oculorum recipies lucem. Deinde manu sua, ut sibi videbatur, faciem ejus tangens: Ne, inquit, dubites me tibi verè apparuisse, cognoscas in loco, quo te nunc teneo, colorem cuti reliquæ dissimilem fore. Ita expergefactus domino suo visionem per ordinem narravit, & signum quod vultui suo imposuerat, ostendit. Mira res, colorem in eo loco cuti reliquæ juxta verbum viri Domini dissimilem omnibus diebus vitæ suæ permansisse. Tunc dominus ejus ex signo quod ostenderat, somnium verum esse cognoscens, unà cum conjuge sua ad memoratum locum perrexit, & ipsum secum adduxit. Et quia eo tempore ibi Gerfrid sancti viri nepos simul & successor cum Fratribus & Monachis fuit, ipsis cuncta quæ mandata & gesta fuerant, narraverunt. Unde eumdem Irmingerum in præfata ecclesia nocte insequenti manere fecerunt: in qua cùm vigilasset & orasset, continuò per Dei gratiam pristinum oculorum lumen ipsa nocte secundùm verba viri Dei plenè suscepit.

II. *De paralytica & alia quadam ægra matrona sanata.*

EADEM nocte quædam etiam paralytica coram sepulcro sancti viri posita, ejus opem supplici voto postulavit. nec mora repentè sanitati pristinæ restituta est.

In pago quod Sudergoe appellatur, matrona quædam nomine Siburg colonum habuit vocabulo Ricmoldum. Hujus uxor longa ægritudine depressa, sine aliqua spe recuperandæ salutis jacebat. Cùm igitur nocte quadam inter ægra suspiria paullulum membra defessa laberentur in somnum, vidit in somno quemdam sibi præcipientem, ut cum Ludgero Episcopo loqueretur. At illa, ut postea narrare solebat, nec graviter dormiens, nec perfectè vigilans, vidit illum stantem ad Orientem versum. Cumque illum reverentiæ ejus intuitu alloqui non præsumeret, ille ad eam conversus, Probavi, inquit, patientiam tuam. proinde ut cœpisti patientiam habeto, & Dominus curabit te. Qua visione completa, tantum vigorem corpus ejus accepit, ut pæne ab eâ memoria prioris molestiæ tolleretur. Ita facto mane læta surrexit, & suæ restaurationis modum enarravit. Unde vir ejus & filii cum familiola quam habebant, congratulantes & Dominum benedicentes, deinceps cum gratiarum actione viri Dei consueverant visitare sepulcrum. Nec multo pòst eidem mulieri revelatum est, quòd sacro non esset baptismate abluta: & ejusdem verita-

AN. CHR. DCCC IX. MARTII XXVI.

te revelationis comperta, sancti baptismi gratiam suscepit.

III. *De puella sanata.*

IN eodem pago quidam Bertricus fuit, qui colonus quondam fuerat Presbyteri nostri Igonis, quem sanctus Ludgerus nutrierat. Hic filiam habuit adulescentulam paralysis doloribus affectam. qui cùm famam signorum quæ ad sancti viri tumulum fiebant comperisset, spem restituendæ sanitatis puella beati Confessoris virtute & meritis concepit. Cumque jam in via positi essent, & eamdem puellam frater suus coram se in sagulo eques ferret, repentè dolore omni quo priùs tenebatur discedente sanata est. quod cùm fratri retulisset, deponi se oravit. Quo secundùm ejus suggestionem facto, virtute Christi & meritis sui servi tam perfectè curata apparuit, ut non solùm ambulare, sed etiam currere posset. Ita quæ ad illum usque locum membris omnibus debilis advecta est, ad memoratam beati Ludgeri memoriam sana & incolumis pervenit. Aderant suæ salvationis testes pater & frater; aderant nonnulli alii, quos suæ viæ comites & hujus miraculi testes habuerunt. Itaque oratione ac gratiarum actione completa, domum cum gaudio reversi sunt.

IV. *De Hilderado Diacono sanato.*

QUIDAM in nostro Monasterio Diaconus HILDERADUS vocabatur. Hic dum adhuc scholasticus esset, in infirmitatem incidit. in qua cùm diu laboraret, ita nervis contractis poples est curvatus, ut tibia ejus femori jungeretur. Cumque post longiturnæ ægritudinis fatigationem fugatis doloribus convalescere cœpisset; tibia ejus curvata, ut fuerat, permansit. unde in ambulando sustentatione baculi per dies plurimos utebatur. Proinde pater ejus nomine SIGIBERTUS, qui in eodem jam tunc Monasterio Monachus erat, tractare cum Fratribus cœpit, si aliqua medicorum curatione contracti poplitis nervi relaxari quivissent. In qua æstuatione cùm aliquamdiu mansisset, quadam nocte sanctus Domini Sacerdos Ludgerus eidem scholastico Hilderado per visionem apparuit; ac veste sacerdotali & cidari quam in capite gestabat, coruscus, Vide, inquit, ne pro crure debilitato carnalem alicubi medicinam quærere præsumas. quod si feceris, & mandatum meum contemnendum putaveris, non solùm medicaminis ipsius nullam curationem recipies, sed etiam prævaricatorum pœnam incurres. Deinde pro animi levitate ac puerili mobilitate eum vehementer increpans, abscessit. Mane autem facto, quæ viderat, Fratribus narravit. Et cùm die eodem, peractis vespertinis laudibus, domum infirmorum, in qua ei priori nocte vir sanctus apparuit, intrasset; cernentibus cunctis qui aderant, non casu, sed nutu divino extemplo ad terram corruit: cumque in ipso lapsu nervorum sonitus audiretur, ac si illic sicca sarmenta frangerentur, ejus tibia sine aliquo dolore erecta est. Et surgens continuò sanus, non solùm suæ salutis recuperatione, sed & emendatiori & maturiori deinceps vita, ut admonitus fuerat, verè sibi sanctum Ludgerum apparuisse probavit.

V. *De cæca illuminata.*

PUELLA quædam, nomine Modswith, lumen oculorum amittens, anno integro tanta est cæcitate depressa, ut nec extrema quidem frui visione valeret. cujus parentes cùm audissent, quanta Dominus per servum suum Ludgerum in morbidis curandis fecisset, eam ad ecclesiam

Werdinensem perduxerunt. in qua cùm acceptâ licentiâ unà cum filia ante sepulcrum egregii Confessoris noctem in oratione transegissent, puella illuminata est. AN. CHR. DCCC IX. MARTII XXVI.

VI. *De quadam à dæmonio muto liberata.*

EODEM fere tempore quædam puella ad memoratam ecclesiam perducta est, quæ à dæmonio invasa, & sensum simul perdidit & loquelam. quæ ubi limen basilicæ tetigit, statim ab ea spiritus immundus abscessit. Ita post ejus discessionem, linguæ quoque officio reddito, muta locuta est. Et quia tempore vexationis vix aliquid cibi percepit, primò quidem famem se pati dixit; deinde qualiter illuc advenerit, percunctari cœpit. Cui cùm mater miserabilem vexationem ipsius ex ordine retulisset, prostrata ante sepulcrum sancti Ludgeri, Salvatori omnium Christo gratias egit, qui ipsam per servi sui meritum de tam crudeli peste liberare dignatus esset: & acceptâ pro actis suis pænitentiâ, domum incolumis repedavit.

VII. *De paralytico curato.*

JUVENIS quidam Helidwini nomine paralysin incurrit. qui cùm multis diebus omnium membrorum officio destitutus, in lecto decubuisset, non solùm brachium ei dextrum morbo per momenta ingravescente incurvatum obriguit, sed & sinistra ei tibia contracta femori adhæsit. cetera, ut diximus, membra omnino immobilia ad doloris potiùs augmentum, quàm ad aliquem usum, licèt non contracta, habebat. unde & cum ingenti dolore foras, cùm opus erat, efferri solebat, linguam solam cetero corpore præmortuo utcumque adhuc movere valebat. Proinde cùm diu in hac molæstia laboraret, quadam die sororem suam quæ præ ceteris ejus compatiebatur dolori, allocutus est dicens: Audivi de sancto Ludgero, quantas per illum Dominus infirmantibus sanitates præstare dignatur in loco, ubi sancta illius membra tumulata quiescunt. Quocircà pero, ut me foras efferri, & contra viam quæ illuc ducit, facias poni, ut me voveam illi serviturum, si ejus fortè meritis mihi Dominus sanitatem donare fuerit dignatus. Quod cùm factum esset, in ipsa statim nocte, præstante divina clementia, & dolor quem habebat conquievit, & præter tibiam sinistram, quæ ut erat contracta permansit, omnia ei corporis officia restituta sunt. Unde cùm peracta gratiarum actione indubitatam de perfecta sua salvatione spem concepisset, rogavit dominum suum corporalem ut ad memoriam beati Confessoris Christi [a] se perduci juberet. Quod cùm ille fieri probavisset, & tamen ei aliquod adjumentum, ut fieret, facere distulisset, is quem necessitas urgebat, baculo debilem tibiam sustentante ad locum prænominatum pervenit. Erat hoc quinque diebus ante annuam sancti Ludgeri sollemnitatem. Cumque ipsam ibi exspectasset, & in ea porticu quæ est ante basilicæ januam, & sancti Sacerdotis ambit sepulcrum, ipsa nocte membra sopori dedisset, beatus ei Confessor magno lumine atque Clericorum obsequio comitatus per visum apparuit, & membra illius tangens abscessit, in sopore ipso relicto. Post cujus discessionem dum mox signa ad nocturnas vigilias sonarent, & his ipse expergefactus esset, sanus surrexit: & oblitus baculi priorisque molestiæ & debilitatis, unà cum aliis lætus & incolumis templum intravit. Oratione autem expleta, recensuit universa quæ erga se divinitus per sancti Confessoris meritum gesta fuerunt. Proinde peracta

a Hic additum in editis *sepulcrum*, quod lemma videtur ex margine translatum in textum, ad explicandam vocem *memoriam*.

An. Chr. DCCC IX. Martii XXVI. operis divini celebratione egressus, baculum suum in ingressu ejusdem basilicæ, in loco ubi sanatus fuerat, pro signo & memoria suæ curationis infixit: nec immemor suæ sponsionis, pretio se à temporali domino suo redemit, & votum servitutis implevit.

VIII. *De ejus annua sollemnitate quid divinitus indicatum sit.*

VERÙM quia semel ad hunc locum devoluti sumus, & de annua ejus festivitate mentionem fecimus, quid de ea ferianda divinitus sit ostensum, breviter evolvemus. Diudo de quo suprà locuti sumus, magnum ad sanctum Ludgerum amorem, miram circa nostrum locum reverentiam habebat. Unde annis singulis ad nostrum Monasterium venire, & beati viri memoriam frequentare, & aliquot diebus cum nostris manere consuevit. Sed ne crebrior ejus accessus Fratres gravaret, suos cum annona homines qui suis suorumque usibus necessaria pararent, præmittere solebat. Quod dum quodam etiam tempore secundùm consuetudinem suam fecisset, contigit natalitium sancti Confessoris diem supervenire. Et quia hoc inprimis dormitionis ejus annis erat, nec dum sacrosancta ejus sollemnitas feriabatur; proinde cùm die eodem illi quos adhuc præmissos esse diximus, cervisâ parandâ instarent, ligna quæ in ignem missa fuerant, instar stipularum in momento consumta sunt. Deferebantur alia post alia: sed igni immissa, durare aliquamdiu nequibant. Jam propè erat, ut se sine effectu laborare videntes, labori succumbere & opus intermittere cogerentur. Perstabant tamen, donec cervisæ utcumque confectio cocta in alia esset vasa transponenda. Cumque ad hoc ventum esset, ut in vase ad hoc parato aqua superspargi deberet; primò quidem omnino nihil decurrere quivit: deinde cùm jam non manu, ut assolet, sed situlis aqua superfunderetur, raris stillis parum aliquid stillare cœpit. Hoc quoque ipsum quod ita collectum est, gustu amarum & omnino ad nihil utile foras ejectum est. Ita evidenti indicio claruit, hunc de cetero à nostris diem esse feriandum.

IX. *Item de ferianda ejus sollemnitate aliud miraculum.*

ALIUD nihilo minus super eadem re miraculum divinitus factum est. Si quidem cùm annua revolutione iterum natalitii ejus celebritas superveniret, nec sine Episcopi jussu, ad cujus diœcesim noster locus pertinebat, feriatio præcipi posset; Fratribus nostris visum est, ut cum nostris hominibus feriaretur, ceteris suo arbitrio utrum facere an dimittere vellent, derelictis. Proinde cùm plurimi ex vicinis nostrorum exemplum secuti, feriandum putarent; nonnullis opus suum intermittere indignum videbatur: & quia vernum tempus erat, & arandi opera instabant, junctis bubus foras ad arandum processerunt. Cumque jam operi insisterent, ferrum quo arari debuerat, singulis confractum est. quod dum singuli aliis quasi sibi soli accidisse retulissent, non casu, sed divina voluntate ob sancti diei violationem hoc gestum fuisse, generali omnium claruit damno. Erat tamen quidam Benno inter nos, qui mente obstinata adhuc operi instandum putaret. qui cùm aratro utcumque emendato crebris stimulis boves ad arandum impelleret; illi insaniâ efferati, disruptis loris & jugis cum aratro abjectis, silvas petierunt: nec omnino antè capi potuere, quàm ipse cum reliquis ad sancti Ludgeri memoriam veniens, suæ temeritatis & contemtus culpam coram Fratribus confessus esset, & orationem eorum pro se supplex impetravisset.

X. *Mulier caca curatur.*

QUÆDAM de Saxonia femina ad eandem ecclesiam perducta est, quæ luce oculorum aliquamdiu privata fuit. Itaque coram sepulcro famuli Dei posita, ejus se meritis salvari & oravit & credidit. Cumque Missarum sollemnia agerentur, horâ evangelicæ lectionis amissum repentè lumen recipit, & gratiarum actione peracta, ad sua incolumis reversa est.

XI. *Adolescens cacus item lumen recepit.*

QUIDAM itidem in pago quod * Borotra dicitur, colonus nomine Folcbald, filium habuit cæcum vocabulo Gerbaldum, qui cùm per multa sacra esset deductus, nullam omnino medelam consecutus est. Verùm cùm fama virtutum quæ de sancto Ludgero ferebantur, spem recuperandæ lucis ejus meritis concepere. Proinde eum foras educentes, & contra viam quæ ad ejus ecclesiam ducit, statuentes, devoverunt se illum ad sacrosanctum ejus sepulcrum cum oblationibus adducturos. Vix votum parentes compleverant, cùm puer repentè mirabili celeritate illuminatus est. Nam lacrymis ex oculorum hirquis erumpentibus, prius quidem dextrum oculum tersit. quo cùm mox aperto clarè videre cœpisset, tersit & alterum: & eo similiter reserato, perfectè visum recepit. Quo agnito parentes immenso cum familiola gaudio repleti, Dominum benedixerunt, qui puerum priùs sanavit, quàm ipsi vota sua complessent. Unde promissa sine aliqua dilatione adimplentes, ad memoratam ecclesiam perduxerunt, & cum voto gratulationis eum nulla pristinæ cæcitatis vestigia in oculis habentem designaverunt.

* *l.* qui

XII. *Sanatur cacus.*

ALIIS quoque cæcus nomine Egilwaldus, de loco qui Amaloh vocatur, ad sancti viri tumulum perductus est. ubi dum prostratus jaceret, & beatum sibi Confessorem subvenire oraret, integrum repentè Domino largiente lumen recepit.

XIII. *Cacus illuminatur.*

QUIDAM quoque Ricbertus, itidem cæcus, ad eumdem à suis locum adductus est. qui cùm coram sancto beati viri sepulcro orasset, tam perfectè Domino miserante illuminatus est, ut qui aliorum illuc venerat ductu, viæ ulteriùs non requireret ducem.

XIV. *Damonium mutum expellitur.*

QUIDAM de Frisia juvenis, nomine Osbertus, à dæmonio invasus, sensum simul perdidit & loquelam. Is à patre suo per diversas ecclesias ductus, in nulla earum curationem recepit: quia cum Dominus per servum suum Ludgerum sanare decrevit. Itaque pater ejus cælitus inspiratus, longo admodum itinere peracto, ad Werdinensem eum tandem ecclesiam perduxit: & acceptâ à custodibus licentiâ, ante sepulcrum Christi Sacerdotis nocturnum tempus in oratione pervigil ducens, secum eumdem filium suum habebat. cui per misericordiam Dei statim dæmone expulso, & loquela reddita est, & sensus.

An Chr. dccc ix. Martii xxvi.

XV. *Adolescens à maligno spiritu liberatur.*

COBBONIS venerabilis quondam Comitis colonus quidam in Saxonia adolescentem filium habuit, nomine Warmundum, quem malignus spiritus invasit, & tam vehementer vexare cœpit, ut vita ejus ad desperationem perduceretur. cujus mater cùm hoc dominæ suæ, uxori scilicet Cobbonis, sollicitè per nuntium indicare studuisset, illa ei confestim mandavit, dicens: Si adhuc filius tuus vivit, fac eum foras celeriter efferri, & statue contra viam quæ ducit ad ecclesiam ubi sanctus Ludgerus est sepultus, atque ad sacrum ejus sepulcrum te eum Domino favente adducturam promitte. Credo enim si hoc feceris, ejusdem famuli Dei meritis eum à Domino esse sanandum. Quod cùm mater pueri juxta mandatum dominæ suæ devoto corde fecisset, mirum dictu, eodem momento, dæmone expulso, plenam in eodem loco sanitatem recepit. Deinde secundùm sponsionis suæ votum, ad memoratum viri Dei sepulcrum sanus à matre perductus, & domum itidem sanus reductus est. atque in eadem quam acceperat sanitate, toto vitæ suæ tempore Domino largiente permansit.

XVI. *Mulier ad sanam mentem revocatur.*

QUIDAM de villa, quæ *Sosat* appellatur, Aldricus uxorem habuit nomine Herisuidam. hæc mente perdita septem annis continuis, sine sensu permansit. Sed quotidie fama virtutum, quæ per sanctum Ludgerum fiebant, crescente, ad ejus memoriam à viro suo perducta est. quæ cùm, licentiâ à Fratribus acceptâ, in crypta ubi sanctum ejus corpus requiescit, poneretur, & sui pro ea pervigilem in oratione noctem transegissent; eum sibi in sopore adsistentem vidit, ignea quodammodo specie & incredibili claritate conspicuum: à quo se ibi divina virtute salvandam audiens, expergefacta evigilavit, & subitanea suæ liberationis salvatione, non somnium se, sed visionem vidisse comprobavit. Ita gratiarum actione persoluta, domum gaudentibus suis repedavit.

XVII. *Alia furiosa sanatur.*

QUÆDAM quoque ejus vicina Athalwi dicebatur. hæc dirissimo dæmonio invasa tantâ insaniâ agebatur, ut nisi in vinculis haberetur, in obvios quosque sæviret. Cujus parentes dum præfatam mulierem, quæ tanto mentis inops tempore fuit, sanissimam viderent, hanc quoque per sancti Confessoris merita salvandam esse, corde credulo præsumserunt, si ad ejus eam tumulum perduxissent. Proinde nihil morati, quia aliter ob nimiam rabiem adduci non poterat, in vincula eam conjecerunt, & ita eam ad memoratam ecclesiam perduxerunt. ubi dum pro ea devota mente orassent, omni dæmonica ludificatione effugata, sensuque reddito, integerrimæ sanitati restituta est.

XVIII. *Paralitica sanantur.*

QUÆDAM de Frisia mulier paralysin incurrit. in qua infirmitate dum diu laboraret, & ad sancti Ludgeri reliquias se perferri postulavit. Quod cùm juxta ejus petitionem factum fuisset, accepta continuò plena corporis restauratione, propriis gressibus ad patriam remeavit, quæ vehiculo illic fuerat advecta, gratias agens Salvatori omnium Christo, qui

per servum suum ejus corpus cunctorum membrorum officio destiturum, sub tanta velocitate dignatus est restaurare. An. Chr. DCCC IX. Martii XXVI.

XIX. Aliam quoque puellam longa ægritudo, nimiusque dolor paralyticam fecit; qua molestia, quamvis in modicum per omne corpus dolorem haberet, maximum tamen in capite incommodum sustinebat. Tantum quippe cephalalgiæ dolorem patiebatur, ut de cerebro sonus quasi quidam sibilus audiri potuisset. unde & caput assiduè manu & brachiis constringere consuevit. Hæc ad nostrum Monasterium delata, in crypta nova [a] quæ ad pedes sacri sepulcri fiebat, Deum rogatura posita est. Sed mirâ Dei omnipotentis gratiâ, omni pristina debilitate & dolore ablato continuò sana surrexit, & Deum pro reddita sanitate benedicens, incolumis recessit.

XX. Quædam de Hatuariis mulier cùm multo tempore membrorum officio destituta lecto incumberet, quandoque ad memoratum viri Dei sepulcrum cum magno sui dolore & cum magno portantium labore allata est. ubi dum sancto Confessore intercedente & Domino favente celeriter pristinam perciperet sanitatem, Deum glorificans, gratulabunda ad sua reversa est.

XXI. *Mulier arido brachio curatur.*

IN Ripuariis, juxta ingressum silvæ Hamarichi, quædam villa nomine Budica constituta est. ibi mulier quædam debilis habitabat, cui dextrum brachium aridum, & digitorum unguibus in volam infixis manus incurva erat. quod cùm diu pateretur, fama virtutum sancti Ludgeri ad ejus notitiam pervenit. Cumque spe sanitatis suæ ducta ad ejus sepulcrum properasset, priusquam illuc pervenisset, in ipso itinere plenam corporis sanitatem Domino beati viri meritis condonante percepit. quæ tamen peracto itinere ad idem sepulcrum cum oblationibus sana pervenit, ac suum simulque omnium Salvatorem Dominum laudans, sospes ad sua regressa est.

XXII. *Puella cæcitate & aliis morbis liberata ex voto fit Sanctimonialis.*

QUIDAM ALFRICUS * honesto inter suos loco natus, filiam habuit nomine AMALBERGAM. Hæc cæcitatem incurrens, triennio fere sine lumine mansit. Postmodum ad memoriam sancti Sacerdoris adducta, Dei virtute & Sancti ejus interventu ibi amissam denuo oculorum lucem resumsit. Nec multo pòst tempore dextræ manus & pedis sinistri debilitatem incurrit: sed Dei gratiâ simulque meritis sancti Ludgeri se olim lucem recepisse recolens, & se per ejus identidem suffragia tunc quoque salutem recuperaturam fore confidens, ad nota confugit subsidia, & se rursus ad ejus limen adduci rogavit. Quod cùm secundùm voluntatem ejus prosperè cessisset, membrorum officio reddito, incommodo quo per integrum jam annum tenebatur, liberata est. At illa perceptâ sanitatis gratiâ, se deinceps Deo servituram, & sacrum ibi velamen sumturam devovit. Verùm cùm moras nectens aliquamdiu hoc facere distulisset, capitis incidit dolorem: in quo cùm novem menses laboraret, & jam intolerabilius videretur, ab ancillula quadam quæ ei famulabatur, voti sui de velamine sumendo admonita est. Unde iterum illuc deducta, iterum ibidem curata, votum suum adimplere percepto ibi velamine curavit. Ita triplici modo per virtutem Dei Sanctique sui sanata opi-

* al. Alduicus

[a] Bollandiani hanc præferunt lectionem codicis ms. *Cumque in capsa nova necdum peracta ad pedes sacri sepulcri Deum rogatura deponeretur, &c.*

An. Chr. dccc ix. Ma tii xxvi. culationem, nunc in Monasterio Sanctimonialium quod Asenidi [a] appellatur, religiosam vitam ducit.

XXIII. *Reus cadis absolvitur.*

QUIDAM juvenis ex his, quos ferro circumdatos plerumque videmus, ad nostrum Monasterium venit. Hic Adam, ut adsetebat, nuncupatus, inter se & fratrem suum Hanricum nomine rixam accidisse, & à se eum occisum esse referebat. cujus sceleris noxa ab Episcopo JONA, ad cujus curam se pertinere testabatur, verberibus castigatus atque in carcerem trusus est. unde post anni demum circulum eductus, circumdatis fortiter brachiis & medio corpore ferro, & durissimo jejunio indicto, discalceatus, & sine lineo indumento exsulare jussus est. Quarto verò postquam à patria exivit anno, ante sepulcrum sanctæ GERTRUDIS ferrum de sinistro ejus brachio cecidit. deinde post anni circulum Romæ in ipsa sancti Petri crypta ferrum quo præcinctus erat, nihilo minus cecidit. Cùm autem iterum Romam peteret, contigit ut infirmitate valida illic deprimeretur. Cumque in ipsa ægritudine vita ejus desperata fuisset, quidam in habitu sacerdotali, specie admodum reverenda, ei (ut perhibebat) apparuit, dicens: Surge, vade, atque sepulcrum Ludgeri Saxonum quondam Fresonumque Episcopi perquire, & illic Domino miserante, meritis & orationibus suis, non solùm à corporeo vinculo liberaberis, sed & commissi parricidii indulgentiam consequêris. Qua visione expleta, confestim de infirmitate qua tenebatur absolutus est. Cumque mane somnium retulisset, multi qui eumdem sanctum Ludgerum in corpore viderant, & bene sancta ejus studia noverant, ibidem Romæ inventi sunt, qui etiam viam ei ad locum sacri ejus sepulcri intimaverunt. Sed ille à Roma digressus, minùs vigilanter vel eorum narrationem & somnii verba intellexit, & non Confessorem Ludgerum, sed sanctum Martyrem Ludgerum [b], cujus tunc fama celebrior habebatur, expetivit. Verùm omnipotens Deus, ut merita sui Confessoris latiùs diffunderentur, per sanctum licèt Martyrem noluit ei subvenire. Itaque consumto ibi aliquanto tempore, cùm sibi non succurri videret, somnii verba diligentiùs examinare cœpit, & se non ad Martyrem, sed ad Confessorem Ludgerum Saxonum quondam Fresonumque Episcopum missum esse intellexit: inventisque viæ comitibus ad ejus tandem sepulcrum longo admodum itinere peracto pervenit. Erat autem brachium ejus dextrum adhuc tam fortiter strictum, ut os etiam ejus pateret, & omnes ejusdem dexteræ digiti, præter pollicem & indicem, rigidi ac debiles remanerent. Verùm quia sabbato venerat, cùm in sequenti nocte dominica juxta sepulcrum staret, & Fratres jam matutinales laudes celebrarent; ferrum quod brachium ejus cinxerat, repentè dissiliens, longiùs virtute Domini projectum est. Quo viso omnes Dominum in commune glorificaverunt, cùm hoc quod internæ ligationis indicio acceperat, per internæ nihilo minus absolutionis testimonium divinâ jam indulgentiâ rejectum esse gaudebant.

XXIV. *Surdus sanatur.*

VIR quidam de Saxonia in loco qui Werina dicitur, commanebat. Is divinæ permissionis licentiâ tanta est diaboli invidiâ surditate prægravatus, ut nullum omnino auribus caperet sonum, sensu tamen integer fuit.

a Bollandiani hîc suggerunt opidum *Essen* prope Verthinam, in quo nobilium virginum Cœnobium.

b Fortè Liudgarium seu Leodegarium Æduensem Episcopum, cujus Acta lege in Sæculo II. Id erroris omissum ab Altfrido.

fuit. Cùm ergo diu funditus officio aurium careret, tandem ſpe recuperationis ductus, ad ſepulcrum pervenit. Cumque ſigna ad nocturnas vigilias ſonarent, auribus ejus per divinam ſubitò gratiam adapertis, eorum ſe pariter ſonitum & Monachos pſallentes exſultans audiſſe referebat. Ita continuò percepta auditûs reſtauratione, rediit domum magnificans Deum. AN. CHR. DCCCIX. MARTII XXVI.

Nec ſolùm ſanctus Ludgerus à diabolo plerumque læſos ſalvavit, ſed etiam in auxilium invocatus nonnumquam ne nocerentur protexit.

XXV. *Monachum munit contra dæmonis adſpectum ſanctus Ludgerus.*

REM quam narraturi ſumus, Monachus noſter ATHELWARDUS adfirmare ſolet eo tempore geſtam, quo noſtræ eccleſiæ cuſtodia ei credita erat. Narrat enim, quòd quadam die adveſperaſcente, cùm ad eamdem eccleſiam lumen, quod illic ſemper ardere ſolet, reſtauraturus accederet, juxta ipſius eccleſiæ angulum, ubi interiùs lectum habebat, ſe diabolum in viſione nigerrima ac teterrima ſtantem adſpexiſſe. qui cùm prima ejus inſpectione tremefactus ſignum ſanctæ crucis ſibi impoſuiſſet, fiduciâ de Domini miſericordia & ſancti Ludgeri patrocinio reſumtâ, diu inperterritus, ut adſerit, contra eumdem diabolum adſpiciens ſtetit. Quâ ejus conſtantiâ confuſus, & tantam ſibi ineſſe conſtantiam indignatus, talem ac tantum ad eum deterrendum ſonitum fecit, ut parietes eccleſiæ unà cum lectulo ſuo, qui interiùs collocatus fuerat, minutatim confringi viderentur. Quo facto, idem nimio timore conſternatus ſubitò clamavit dicens: Sancte Ludgere, adjuva. Cumque nomen viri invocando nominaſſet, annuente Domino idem diabolus repentè conſtrictus, & in partem orientalem abſtractus eſt, atque cum qua violentia traheretur garriendo & miſerabiles voces emittendo monſtravit. Monachus verò illic lumen, quod illic paullo antè reliquit, cum lectulo ſuo invenit, & omne ædificium conſiſtere integrum vidit, atque adhuc vocem præfati dæmonis in parte occidentali garrientis audivit. Plura de hoc loco divinæ dignitatis indicia feruntur. nam cloccarum illic ſonitus, humana non tangente manu, ſed agente potiùs cognitione deitatis arcana, frequenter audiebatur.

XXVI. *Columna lucis eccleſiam circumplectens.*

QUADAM etiam vice ipſe eccleſiam, infra quam ipſum Dei famuli ſepulcrum continetur, nocturno tempore columna lucis circumplectendo protexit, & ad cælum uſque porrecta foris excubantibus conſpicua ſtabat. Sed nos hæc quæ à præſenti longiuſculè ſunt tempore remota, eorum fidei qui ſe vidiſſe teſtati ſunt, relinquamus. Ad ea potiùs evolvenda articulum flectamus, quæ non ex longinquo petenda ſunt, ſed proximo tempore, id eſt ab anno dominicæ Incarnationis DCCC LXIV [a], geſta eſſe probantur. Nam poſtquam ad improbiores Præpoſitos devoluti, ipſi noſtræ profeſſionis titulo negligentiores & tepidiores eſſe cœpimus, ſigna quoque quæ eatenus apud nos fiebant ceſſarunt. Verùm ubi divinâ clementiâ & regiæ pietatis indulgentiâ, illis amotis, fecem prioris ævi, ſancto Ludgero opitulante, aliquantulum expurgare conati ſumus, ad divinæ oramus & credimus propitiationis indicium, ad imperialis clementiæ gloriam, ad noſtrum teporem excitandum, ſigna quæ intercepta fuerunt, iterum fieri cœperunt. quæ eo indubitatiùs auditoribus commendamus, quo non aliorum ea relatu, ut pleraque ſuperiùs memorata cognovimus,

[a] Cincinnius legit DCCC LXXIV. at retinendum eſſe annum DCCC LXIV conſtat cum ex optimæ notæ mſ. codice à Bollandianis citato, tum ex litania rythmica.

An. Chr. DCCC IX. Martii XXVI. sed ipsi oculis nostris plerumque pauciores, plerumque generaliter omnes inspeximus.

XXVII. *In crypta sancti Ludgeri fragrantia odoris, & globus igneus.*

a REM quam narrare intendimus, ejus qui viderat, THIADBARDI scilicet Presbyteri nostri testimonio referamus; cujus vel morum maturitas, vel ordinis dignitas eum falsa narrare, nos de narratis ambigere non permittit. Quadam nocte, dum isdem Presbyter noster post vigilias cryptam orationis causâ ingressus esset, primò cœpit odorem suavissimum quasi de liliorum floribus sentire. deinde cùm eadem fragrantia crescere, & ipse odoris suavitate magis magisque repleri cœpisset, attonitus quidnam esse posset, secum tractare cœpit: proinde rei veritatem omnino explorare volens, progressiùs cryptam ingressus est. quo facto cernit in medio cryptæ quasi igneum altaris altitudine globum, ardentium instar carbonum. Ingens ilico * horror, ingens pavor eum invasit, & animum hac illacque versans, quid esset acturus omnino incertus manebat. Volebat ostensi miraculi finem cognoscere, sed ibi diutius consistere formidabat: volebat egredi, sed timor gressum impediebat. Hærebat igitur stupens, & quid in hac animi æstuatione ageret, prorsus ignoravit. Interim globus ignis quem viderat sensim adscendere, & sua diffusione paullatim minui cœpit, donec ad summitatem cryptæ perveniens totus deficere videretur. Post quod tremens egressus, antiquum nobis sancti Pauli exemplo miraculum repræsentavit. Nam apertis oculis vix aliquid per unius horæ spatium videns, manifestum dabat indicium, se divinum conspexisse lumen, cujus reverberationem humanus ferre non potest adspectus.

* in editis dico

XXVIII. *Insolitum lumen lucernæ, quæ exstingui non potuit.*

ALIUD quoque nihilo minus miraculum in re non admodum impari his itidem diebus ostensum est, cujus fidem & veritatem lectori, partim ex testimonio Presbyteri nostri LUDBERNI, partim ex generali nostræ congregationis attestatione commendamus. Nam cùm eidem Fratri nostro nostræ ecclesiæ custodia fuerat commendata, post peractum divini officii cursum ad exstinguendas ex more lucernas accessit. quo facto quamdam ex eis post paullulum reaccensam luce ardere clarissima vidit. Ille negligentiùs se eam exstinxisse suspicatus, iteratò eam exstinguere emunctorio curavit. Sed cùm post hæc secunda quoque vice pristinæ luci cerneret restitutam, quamvis omnino priùs se eam exstinxisse non ignoraret, quid tamen rei esset probare contendit. Denique tertiò quoque accessit, & ita exstinctâ candelâ carbunculum de lychnio emunxit, ut nihil prorsus in eo lucis remaneret. Vix paullulum abscessit, cùm rursus eamdem lucernam clariori resplendere luce contemplatus est. Tunc divina hoc factum voluntate intelligens, ardere eam usque ad proximum cursum permisit: & ita accensis in circuitu lucernis, jocundissimum nobis spectaculum præbuit. Omnes namque singulari claritatis specie transscendens, de cælo sui splendoris lucem venisse liquidò patefecit. Ita ex his quæ vidimus, etiam ea quæ non vidimus, sed à memorato Fratre nostro audivimus, procul dubio vera esse cognovimus. Ex eo, licèt indigni & peccatores, tempore spem majorem de meritis sancti Ludgeri, confidentiam majorem de Domini pietate concepimus, dum misericordiæ suæ præsentiam per cælestem nobis lucem ostensam, quamquam immeriti, præsumsimus.

a An is Thiatbaldus, à quo Altfridus partim ea quæ narrat se accepisse dicit in prologo Vitæ superioris.

XXIX. *Cæca puella restituitur.*

QUÆDAM juvencula de villa quæ Ballova vocatur, ad nos à parentibus adducta est. Hæc variolæ infirmitatem incidens, unius oculi visum pustulis pupillam obducentibus primò perdidit: deinde post revolutum anni circulum, eodem morbo alterum quoque oculum amisit. Proinde ad nostrum, ut diximus, Monasterium adducta, noctem dominicam quæ proxima erat, pervigilem duxit cum suis, atque divinam sibi misericordiam per merita sui Confessoris subvenire suppliciter postulavit. Cumque tempus ut signa ad nocturnas pulsarentur advenisset, ipsa inter primos qui foris ad januam excubabant, ecclesiam intravit: Jamque finitis nocturnis, cùm Evangelium a more Monachis consuetudinario ante matutinas laudes legeretur, ipsa visum sensim resumere cœpit. & primò quidem se posse candelas cernere ardentes lætabunda exclamavit: postmodum aurora jam irrubescente & luce paullatim per fenestras irradiante, imagines in eis * factas monstrare digito cœpit. Ita populo die eodem post peracta Missarum sollemnia repræsentata, testes suæ cæcitatis vel illuminationis præsentes cum plurimis aliis parentes habebat. Quale tunc gaudium omnium erat, quantæ inter gaudia lacrymæ fundebantur! Gaudebat puella se esse salvatam, gaudebant parentes eam quam adduxerant cæcam, se recepisse illuminatam: gaudebat omnis populus nobiscum, quòd signa aliquamdiu nostris peccatis intercepta, iterum reinnovari meruerunt. Quocirca, ut fas erat, Deum in Sanctis suis mirabilem communiter cuncti laudantes, puellam à nobis sanam & cum suis gaudentem dimisimus.

* al. in eo

XXX. *Paralytica curatur.*

QUIDAM nostræ ecclesiæ colonus, nomine Gerhardus, filiam habebat quæ Tbiadwif nuncupabatur; quæ longiturna ægritudine prægravata, paralysin incurrit. nam sex continuis annis membrorum officio destituta, suis cruciatibus paternum magis animum cruciabat. Jam caro omnis infirmitatis prolixitate in corpore consumta, jam vita erat morbi violentiâ desperata. Una solummodo spes salutis restabat, si sancti Confessoris meritis, sub cujus patrocinio ipse cum parvula erat, Deus sibi subvenire dignaretur. Denique quadam die spe plena & corde credulo filiam accepit, cum cuna in qua jacebat, in ecclesiam posuit, & pro ejus salvatione orationem ad Deum fudit. Fecit hoc cum multis lacrymis, & ingenti cordis devotione: nec inanis esse oratio quivit, quam cum sancti Ludgeri suffragio patris fides commendabat. siquidem filiam ablata infirmitate sanam levavit, quam membris omnibus debilem advexit.

XXXI. *Mulier à puerperio cùm prole debilis sanatur.*

MULIER quædam de villa, quæ *Flethric* vocatur, cùm prægnans & & partui esset vicina, incidit in infirmitatem: cujus molestiâ dum gravissimè laboraret, curva effecta est; quodque miserabilius erat, filia quoque quam in ipsa infirmitate genuerat, simili ægritudine languere cœpit: eratque miserandum prorsus spectaculum, cùm lactans mater per tres annos continuos alienis manibus portaretur. Sed major necessitas majori quoque divina indiget pietate. Nam in una carra mater simul & filia positæ, quarto demum suæ infirmitatis anno ad nostram ecclesiam

a Id quippe Regula sancti Benedicti præscribit cap. 11.

An. Chr. DCCC IX. Martii XXVI.

adductæ, & in crypta pernoctare permissæ sunt. Mira Dei virtus, magnum sancti Ludgeri meritum! dum ad vesperam debiles allatæ, mane incolumes surrexerunt, & relictâ carrâ propriis ad suos pedibus repedarunt.

XXXII. *Matrona nobilis à paralysi liberatur.*

QUÆDAM ad sæculum nobilis femina de villa Baegge nuncupata, Bugge vocabatur. Hæc paralysin incurrens, per annos duodecim plenos membrorum pæne omnium officio destituta jacebat. Nam neque caput, neque pedem per se movere, neque manus ad os ducere sine aliorum adjumento valebat. Cumque suæ recuperationis gratiâ, ut nobilibus adsolet personis, multa ei à multis vel fierent, vel insinuarentur, nullum alleviamentum recipere quivit. Jamque nulla sibi in carnali medicina spes erat, sed unicum ei in Dei pietate refugium suppetebat. Interea fama exiit per Sanctos, quorum sacrosancta pignora [a] venerabilis Abbas ADALGARIUS de Gallia advexit, multas operari virtutes. His adventantibus memorata mulier adducta obviàm, sanitatem per eorum merita ex parte percepit, ex parte majorem de integra sui corporis restauratione spem concepit. Omnipotens quippe Deus, qui pro singulorum fide, meritis & utilitate, quando, quantum, & per quos vult unicuique suorum charismatum dona largitur; debilitate partim capitis & dextræ manus ablata, ceterorum redintegrationem membrorum distulit, non negavit. Siquidem post multos dies ad nostrum Monasterium post hæc advecta, atque in crypta duas noctes permanere permissa, integerrimam totius corporis sanitatem percepit.

XXXIII. *Variolis oppressus sanatur.*

QUIDAM de villa *Bram* Seliradbrandus Infirmitate, quam variolam appellant, ad mortem usque ægrotabat: in cujus morbi molestia novem hebdomadibus sine aliqua jam spe recuperationis laborabat. Corpus totum ulceribus plenum, totum vesicis turgentibus horrebat. Aderant parentes & necessarii quoque & vicini, & nullam spem vitæ habentes de ejus solummodo funere tractabant. Inter hæc uxor suadere his qui aderant cœpit, ut in extremis licèt positus, foras efferretur, & contra viam loci, quo sanctus Ludgerus quiescit, statutus, pedes illuc, si vita ei daretur, cum oblationibus esse venturus voveretur. Necdum vota complevit, & repentè cum magna omnium admiratione convaluit. factaque est mirabilis tunc dexteræ Excelsi immutatio, ut ipse in quo paullo antè, propter nimiam inflationem & pustularum densitatem, vivi hominis imago non agnoscebatur, in pristinum denuo statum in momento reformaretur. Ita sanitate restitutus, votum suum cum omni festinatione adimplere contendit, atque Salvatori suo Christo & sancto simul Confessori ejus Ludgero gratias acturus ad nostrum Monasterium venit, & hæc erga se gesta fuisse, eum suæ salvationis testibus comprobavit.

XXXIV. *Clauda restituitur.*

CUJUSDAM Thiaddagi filia gravi morbo affecta, cum magno admodum dolore, si quando opus erat, foras efferri consuevit. Nam poples ei usque adeo inflatus &. immodicum sibi dolorem excitabat, & gres-

[a] Bollandiani id interpretantur de corpore sanctæ Lutrudis, cujus corpus Adalgarius Corbeiæ Saxonicæ Abbas ex Gallia eò attulit anno DCCCXXII. at locus ille de pluribus Sanctis mentionem facit.

sum tollebat. Jamque triennium exactum erat, ex quo in hoc incommodo perdurans, nullam omnino humanis manibus adhibitam curam suscepit. Unde pater ejus quamvis gemebundus, fide tamen plenus, totam spem suam in Domino & meritis sancti Ludgeri ponens, ad ejus eam sepulcrum adduxit: ubi cùm de voce Domini misericordiam pro ea & Confessoris opem postulasset, doloris quidem alleviamentum meruit, gressum verò necdum percepit. Proinde domum reversa, de die in diem meliorari, & pedetentim in ambulandi usu proficere cœpit: baculorum tamen adminiculo carere necdum valebat. Et primò quidem duorum, deinde unius baculi sustentatione gressum debilem sustentabat, quoad usque iterum ad locum memoratum veniens, pedum perfectè officium mereretur, atque sine baculorum subsidio domum remearet. AN. CHR. DCCC IX. MARTII XXVI.


XXXV. *Infans contractus & cæcus sanatur.*

QUIDAM de villa *Farelmi* Wulfbertus filium habuit nomine Amulgerum, qui quinto post nativitatem suam mensium spatio, gravissimo juxta tantillæ ætatis modulum languore prægravatus, cunctis se miserabilem præbebat. Non solùm quippe ægritudinis violentiâ flebilis, sed & digitis in volam implexis & pedibus incurvis miserabiliter erat contractus: quodque misertimum videbatur, usu quoque oculorum carebat. quæ tamen in tantillo corpusculo pœna non tam infantulum, qui patiebatur, quàm paterna viscera torquebat. Proinde sciens ab eo remedium sibi venturum, cujus judicio talis effectus est, per merita sancti Ludgeri divinum pater auxilium implorare intendit. Denique fide & devotione, qua paternos affectus decebat, ad ejus eum memoriam se allaturum devovit. Quo facto paullatim infans meliorari, & pristinæ sanitati dolore ablato restitui cœpit. Unde pater indubitatam jam de integra ejus salvatione spem concipiens, voti sui sponsionem cum omni festinatione adimplere curavit. Itaque infantulo secum adsumto ad Werthinensem ecclesiam tetendit: quò cùm pervenisset, de collato jam sibi beneficio gratiàs egit, de consetendo supplex oravit. Nec spe sua est frustratus, quam de divina pietate & meritis sancti Ludgeri concepit. Nam in crypta cum puerulo pernoctare petmissus, incolumem reportavit quem contractum adduxit.

Hæc sanctus & verè beatus Confessor Christi Ludgerus de inexhauribili illo veræ salutis fonte adsumens, per corporum curam ad animarum nos salutem quærendam invitat: quatenus utrobique ejus patrocinio adjuti, utrobique salvati, pervenire quandoque ad æternam beatitudinem mereamur, præstante Domino nostro JESU-CHRISTO qui cum Patre & Spiritu-sancto unus vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen. [a]

[a] His addunt Bollandiani miracula quædam, tria quidem ex veteri mss. Bernardi Rottendorffii, de duobus cæcis & muto sanatis; tum alia ex Werthinensium litania rythmica, dein alia facta Monasterii; demum miraculum BRUNRICI Presbyteri ac Monachi Werthinensis, atrociter ad mortem verberati, & per sanctum Ludgerum servati tempore GERFRIDI Episcopi, qui Ludgeri successor ac nepos fuit.





DE SECUNDA ELEVATIONE CORPORIS SANCTI AMANDI, EPISCOPI TRAJECTENSIS, FACTA IN MONASTERIO ELNONENSI,* cujus varii eventus referuntur.

An. Chr. dccc ix. Septemb. xx.

1. Ametsi *de hac elevatione actum est in Sæculo secundo ad Vitam sancti Amandi; juvat nihilo minus id argumentum hoc loco retractare, tum ad illustranda quædam huc pertinentia, tum ad stabiliendum tempus, quo Alcuinus ex hac vita migravit. Quia enim anno octingentesimo quarto decessisse hactenus creditus est, ob testimonium scilicet Auctoris, qui ipsius Vitam scripsit; operæ pretium facturum me puto, si communem hanc persuasionem aut falsam, aut certè dubiam esse quibus potero argumentis demonstravero.*

Elevatio duplex. 2. *Duplex Amandi corporis elevatio distingui debet. una facta per Episcopum Tornacensem anno sexto-decimo ab obitu sancti Amandi, quum ex oratorio sancti Petri, in quo primitus sepultus fuerat, ipsius corpus è tumulo sublatum, in novam sancti Stephani basilicam translatum est. altera, quum jubente Arnone Abbate per Lotharium æditum ex humiliori loco in paullo eminentiorem elatum. Utramque litteris mandavit Milo Monachus & Sacerdos, cujus lucubrationem in Sæculo secundo editam hîc recudere necesse non est. Vivebat Auctor iste anno* DCCC LV, *præsensque interfuit celebri miraculo, quum sancti Amandi tumulus cælesti lumine illustratus est. Quæ de priori elevatione scripsit, accepit ex majorum traditione: quæ verò de posteriori*, dicit à Patribus qui his interfuere, & adhuc, *inquit*, numerosi supersunt. *Ex quo apparet non esse dubiæ fidei, quod de tempore hujus elevationis scripsit. Is præceptor fuit duorum Caroli Calvi filiorum, Pippini & Drogonis, quorum epitaphium scripsit, postea referendum; idemque avunculus Hucbaldi Monachi itidem Elnonensis.*

Elevationis secundæ tempus. 3. *Elevatio secunda, testante Milone, contigit* anno *Incarnationis* octingentesimo nono, cùm plurima ultra solitum aquarum inundatio facta multis in locis metas suas excesserat. *Hunc annum constanter exhibent codices mss. suffragantur veteres tabulæ tum Elnonensis, tum aliarum provinciæ ecclesiarum. In brevi Chronico Blandiniensi, quod Vitæ sancti Amandi subjectum desinit in anno* DCCCC XI, *idem annus signatur his verbis:* Anno DCCC IX elevatum est corpus sancti Amandi. *Elevationis hujus auctor* Lotharius Monachus anno DCCC XXVIII *obiisse in eodem Chronico perhibetur, hoc sortitus epitaphium, quod ex ms. codice huc refero.*

Respicis oppositum marmor procul? hujus in urna
Lotharius pausat celeberrimus ille sacrista,
Qui pius & prudens, industrius & reverendus,
Sanguine vernantem tumulo relevavit Amandum,
Nostras structuras augens & bibliothecam.

Alcuini de ea carmen. 4. *De hac elevatione Alcuinus Levita & Abbas Martiniani Cœnobii carmen 54 condidit in hunc modum.*

Dum sacra præsentis pervadit limina templi,
Sæpius accrescens cumulatur gurgite flumen.
Non tulit Arnonus fœdari templa Sacerdos,

Jusserat in melius renovari hæc omnia Præsul, — An. Chr. DCCC IX. Sept. XX.
Latior ut fieret crypta, & sublimior ista,
Supponens tectis firmatos ter quater arcus,
Mysticus ut totam firmaret calculus aulam.
Patvula præcelso consecrans tecta ministro
Michaeli, cæli Christi qui adsistit in arce,
Atque preces offert sanctorum Rege polorum.
HLOTHARIUS custos fecit mandante magistro.
Semper in æternum Christus conservet utrosque.
Qui legit hos versus, dicat rogo pectore puro:
Alcuino veniam scelerum da, Christe, precamur.

5. Quin de prædicta elevatione intelligendi sint hi versus, dubitare non licet. Nam utrobique rei occasio exundans Scarpi fluvii aqua: Lotharius adituus auctor. Nec de alia quàm de Elnonensi basilica hic agit Alcuinus. tum quia epigrammata 51, 52 & 53, quæ proximè hoc antecedunt, & quæ postea subsequuntur usque ad epigramma 65, ad idem Monasterium pertinent: tum quia crypta inferioris aræ major ad nostrum usque tempus sancto Michaeli sacrata est. Denique omnem dubitationem tollit epigramma 64, quod Alcuinus de hac posteriori elevatione condidit.

Antistes humilis Domini devotus honore
ARNONUS, sancti tumbam renovavit Amandi,
Non parcens opibus miseris. nam quidquid habebat,
Sparserat, ut Christi consit sacra templa Sacerdos.
Pro quo, quisque legas versus, orare memento.

Ex his patet Alcuinum anno DCCC IX, *quo facta elevatio posterior, superstitem fuisse.*

6. Ecclesiam illam, in qua secundarius Amandi tumulus erat, sancto Michaeli sacratam fuisse discimus ex superiori carmine 54. Hinc dubium oritur, an etiam de ea interpretandum sit carmen 228, an potiùs de oratorio sancti Petri, quod itidem Arnonus instauraverit, Fratrumque polyandrum, id est cœmiterium esse voluerit, adjuncto sancti Michaelis & sancti Amandi patrocinio. Hoc carmen ita habet.

Hæc æquara solo viluit domus inclita quondam.
Non tulit hanc speciem Christi devotus honore
ARNONUS Præsul humilis; renovare jacentem
Incipit, & meliùs totam construxerat ædem,
Consecrans summis intercessoribus illam,
Principis egregii primò Michaelis honore,
Principis Ecclesiæ necnon sub nomine Petri,
Principis & Fratrum præclari & Patris Amandi.
Ut sanctum voluit polyandrum Fratribus esset.

Et in fine:

ALCUIN dicot egò: jam vos sine fine valete.

7. Inquirendum hoc loco, quis fuerit ille Arnonus Præsul: quot fuerint sintque hactenus ecclesiæ & oratoria in Monasterio Elnonensi: dein agendum de nonnullis eventibus istius Monasterii, qui sæculo IX acciderunt: ac demum de Monachis ibi cæsis à Nortmannis.

8. Arnonum hunc constat esse Arnonem, qui ex Abbate Elnonensi Episcopus Saltzburgensis creatus est anno DCC LXXXV *in annos sex & triginta, retenta aliquamdiu Elnonensis Cœnobii præfectura. Ejus rei fidem facit Elnonense Chronicon, in quo postquam actum est de Agelfredo Monacho Elnonensi, dein Baveniano Abbate, post Elnonensi* XV, *ac demum Episcopo Leodicensi, hæc subduntur:* cui successit, *scilicet in regimine Cœnobii Elnonensis*, ARNO Elnonensis Monachus, vir bonus: & exemplo multos ad virtutem provocavit, qui pòst in Archiepiscopum electus est. Ejus tempore floruit venerabilis Lotharius æditus — Arnonus quis.

AN. CHR. DCCC IX. SEPT. XX. ecclesiæ: qui propter aquarum abundantiam corpus beati Amandi anno circiter CL à depositione ipsius, anno verò Incarnationis DCCC X (*lege* DCCC IX) XII Kal. Octob. elevavit. Obiit tandem venerabilis Arno Archipræsul anno DCCC XXS, & in ecclesia sancti Petri sepelitur. Quo Episcopo consecrato fit Abbas ADALRICUS. quo defuncto anno DCCC XIX successit ROTFRIDUS. quo sancto fine defuncto anno circiter nono administrationis suæ, dominicæ Incarnationis DCCC XXVII, anno scilicet quo corpus sancti Sebastiani de Roma Suessionis transfertur. cui successit ADALEODUS venerabilis memoriæ. *Hæc ex Chronico Elnonensi mſ. quod desinit in anno* MCC XXX. *Crediderim Arnonem Abbatem perseverasse usque ad annum* DCCC IX, *quo ejus curâ & jussu Lotharius æditues corpus sancti Amandi ex humiliori tumulo in altiorem extulit.*

Aquila etiam dictus. 9. *Extat inter epistolas Alcuini una, ordine 66*, Aquilæ Antistiti *inscripta. Aquilam hunc fuisse Iuvavensem seu Soltzburgensem Episcopum constat ex his epistolæ verbis:* Veniens veniebam ad sancti Amandi protectoris nostri dulcissimas mansiones, quærens amatorem meum, ut ejus dulcissimo alloquio refrigerarem animam. Sed quia necdum de nido Juvavensi avis optata evolavit, misi hanc invitatoriam illi cartulam, &c. *Alcuinus alludit ad Aquilæ nomen, quod proprium avis est. Christophorus Brovverus in notis ad H Rabani carmen 9, & ex ipso alii, existimavit, Aquilam alio nomine dictum esse Iohannem, ratus forsan id ei tributum, quod Iohanni Apostolo, qui etiam Aquila symbolicè dictus est. Hinc factum ut in Appendice ad vitam sancti Rudberti Saltzburgensis Episcopi ad annum* DCC XVII *scripserim, Aquilam hunc distinguendum esse ab Arnone. Quem locum cùm legisset vir doctus domnus Laudoaldus de Kimpen, Monachus Elnonensis, amicus meus, monuit me sibi videri, Aquilam non alium esse ab Arnone. Germanicum seu Flandricum nomen esse* Arnout: *ex quo ducta vocabula synonyma*, Arnulfus, Arnoldus, *&* Arno *seu* Arnonus. *addita adspiratione, Germanis & Flandris familiari, fieri* Harent: *quæ vox Aquilam significat. Similia habet Molanus ad diem 18 Augusti, ubi de sancto Arnulfo. His aliisque consideratis adductus sum ut credam, Arnonem & Aquilam unius & ejusdem esse nomen duplex, alterum Germanicum, alterum Latinè redditum, pro more illius ætatis. Certè Alcuini epistolæ duæ ad Aquilam scriptæ eo tempore sunt, quo Arno ecclesiæ Saltzburgensi præsidebat, & Alcuinus in Gallia versabatur. Et Aquilam ad Elnonense Monasterium invitabat Alcuinus: quo in loco Arno Monachus & Abbas fuerat.*

Alcuini germanus. 10. *Ex Alcuini duabus epistolis, nimirum 66 & 104, discimus, Aquilam Alcuini fratrem germanum fuisse. Priorem ita inscribit Alcuinus:* Carissimo germano meo Aquilæ Antistiti Albinus. *& in contextu epistolæ:* Tu meam, *inquit*, fraternâ diligentiâ socordiam castiga, vel tuæ sanctitatis precibus jacentem releva, ut fraternæ dexteræ ducatu non lassescat in via veritatis, qui huc usque in sæculi se volvebat cœno. *& in fine:* Proficientem te, carissime frater, divina auxilietur gratia in æternum. *Posterior inscripta est* dulcissimo fratri & sanctissimo Præsuli Aquilæ. *Hæc de Arnone.*

Elnonenses ecclesiæ 11. *Variæ fuerunt à principio in Elnonensi Monasterio, ut in aliis, ecclesiæ. Antiquior ecclesia sancti Martini, de qua in epigrammate 59 Alcuinus.*

Martinus meritis Domini condignus amore,
Qui sibi sacratam hanc regit ecclesiam.
Egregius Præsul, toto præclarus in orbe,
Totona pausans pastor in orbe pius.
Hæc domus alma Deo prima est fundata tonanti,
Ante alia & sacri septa Monasterii.
Crevit honor horum Domino donante locorum,
Et major Domino est ædificata domus.
Dum sanctus Præsul hîc inhabitavit Amandus,
Crevit honor patris, crevit & iste locus.

Ecclesia

Ecclesia hac videtur esse paroecialis opidi sancti Amandi, qua sancto Martino patrono gaudet. An. Chr. DCCC IX. Sept. XXI

12. *Monachorum Oratorium, cujus aditus mulieribus pro more interdictus erat, sancto Petro dicatum, claustris Monasterii continebatur: ubi primum sepultus sanctus Amandus, dein alii Fratres. Pracipui fuere Pippinus & Drogo filii Caroli Calvi, qui Miloni Monacho ad erudiendum commissi, ipso pueritia tempore diem clauserunt, ambo sepulti juxta oratorium sancti Petri, adscripto per Milonem hoc epitaphio, quod ex ms. codice hic appono.*

Quisque videns nostras sollerti corde figuras,
　Perspice quàm subitò defluat orbis honos.
Rege sati fuimus, nomen qui nomine duxit
　De Magni Magnus, de KAROLI KAROLUS.
Nec licuit totum vitæ complectier annum,
　Sed rapuit nostras debita mors animas.
Si genitor nostram dignaris visere tumbam,
　Rex nostros obitus ne doleas petimus.
Terris sublati, placida regione locati,
　Cum Sanctis requie perpetua fruimur.
Vos nostri memores felices este parentes.
　Hoc PIPPINUS ego posco, simulque DROGO.

De his Caroli filiis immaturè raptis intelligenda videtur Adnuntiatio Herardi Turonensis Episcopi ad Carolum in Concilio Suessionensi anni DCCC LXVI. Perstitit ecclesia hac sancti Petri usque ad præsentem Abbatem, qui Monasterio funditus instaurato sacellum dumtaxat eo in loco posuit ad posterorum memoriam, collectis Monachorum ibi sepultorum reliquiis, & in majoris basilica cryptam illatis reconditisque. De oratorio sancti Petri explicandum videtur Alcuini epigramma 228, superiùs relatum num. 6.

13. *Tertia est ecclesia sancti Andreæ, de qua intelligendum Alcuini carmen 60. Ibi quidam Clerici Monachis permisti à primordiis extitisse traduntur, tum soli Canonici usque ad tempus Innocentii Papa III, qui eorum loco Monachos substitui voluit anno M CC II. Istius ecclesia Decanus fuit, postea Monachus Gislebertus, qui de miraculis sancti Amandi, deque incendio Elnonensi quatuor libellos scripsit post medium seculum XI, mortuus anno M XCV, in medio ecclesia sancti Petri primùm humatus, demum ad cryptam sanctorum Martyrum translatus cum epitaphio subjecto.*

Hoc GISLEBERTUS sub marmore pausat opertus,
Dogmata sacra ferens, & Christo semper inhærens,
Formam pastoris nostris qui gessit in oris.
Tandem sublatus terris, petit astra vocatus.

Labascente antiqua sancti Andreæ ecclesia novam, inviolato tamen altari vetusto, anno M DC XXXIX ædificavit reverendissimus Abbas Nicolaus, qui hactenus superest.

14. *Quarta est ecclesia sancti Stephani, cui conveniunt Alcuini epigrammata 56 & 57, paullo post obitum sancti Amandi exstructa, adjunctam habens in fronte cryptam sancti Michaelis: quam in cryptam corpus sancti Amandi sexto-decimo anno post obitum ipsius ex oratorio sancti Petri translatum est, propterea quòd crebrescentibus in dies miraculis, in loco utrique sexui patenti collocandum erat. Ecclesia hac sancti Stephani, postea etiam sancto Amando sacrata fuit; primùm per Nortmannos violata, ac demum anno M LXVI, ut scribit Gislebertus, incendio consumta cum aliis sancti Petri & sancti Andreæ oratoriis. Novam basilicam Ratbodus Noviomensis Episcopus dedicavit anno M LXXXVIII. cujus rei inscriptio marmori inscripta nuper reperta est sub cruce lapidea in summitate basilica, cùm recentem erecturus Nicolaus Abbas, veterem demolitus est. Inscriptio hac erat:* Anno ab Incarnatione Domini M LXV incendio corruit ecclesia à B. Eligio Noviomensi Episcopo dedicata. Anno verò M LXXXVIII dedicata est hæc ec-

An. Chr. DCCC IX. Sæc. XX.

clesia à RATBODO Noviomensi & Tornacensi Episcopo undecimo ordinationis suæ anno. HUGO Abbas dedicationem hanc fieri instituit, & me hic componi præcepit. *Incendium istud accidit* tertio Idus Februarii, *teste Gisleberta. Hinc est quòd inscriptio notat annum* M LXV *secundùm veterem calculum; Gislebertus annum sequentem secundùm novum. Quòd verò ecclesia ab sancto Eligio primitus consecrata dicitur, id errore acceptum a Milone, qui sanctum Eligium beato Amando supervixisse perperam apinatus est, uti aliàs notavi.*

15. Quod attinet ad cryptam sancti Michaelis, primùm constructa est ad recipiendum corpus sancti Amandi: tum instaurata videtur per Gislebertum ex Abbate Elnonensi Episcopum Tornacensem, qui anno DCC LXXXII *decessisse memaratur in pervetusto Chranico Blandiniensi: cujus instaurationis meminisse videtur Alcuinus in epigrammate 51. postea per Arnonem amplificata est ex dictis suprà num. 4. postmodum à Marbodo Abbate renovata anno* M XL, *& consecrata per Hugonem Tornacensem Episcopum in honorem Dei genitricis Mariæ & sancti Michaelis Archangeli, cum duabus utrimque aris, & duplici campanili. Duravit crypta hæc amplissima usque ad præsentem Abbatem, qui eam disjecit pro constructione novæ basilicæ, intactâ sancti Amandi tumbâ cum altari.*

16. Superest ut præsentem Monasterii statum, qualem ego coràm oculis conspexi, breviter exponam. Cùm anno elapso M DC LXXII *Præfectorum Congregationis nostræ jussu & beneficio Belgii bibliothecas & Monasteria perlustraremus ego sodalisque meus Claudius Stephanotius, cujus opera multum mihi illo in itinere profuit, Elnonem in pervigilio sancti Laurentii profecti sumus, adducti famâ & religione venerabilis loci. Obstupui ad conspectum novæ fabricæ Monasterii, quod unum è miraculis Ordinis nostri non immeritò dixerim. Illud admirationem auxit, quòd homo unus tam magnificis ædificiis audendis perficiendisque par fuit. Auctorem vidimus Abbatem emeritum, octogenario majorem, cui in senui & effeto corpore viget adhuc animus. Quadrum totius ædificii ab ipso perfecti sexcentis pedibus constat, continens ædes Abbatis & hospitum, variasque officinas. Intra majus illud quadrum exstat aliud minus, mensurâ ducentorum pedum in qualibet linea; claustro, dormitorio, ceterisque regularibus officinis accommodatum, habens à parte australi majorem basilicam sancti Amandi, cujus longitudo pedibus quingentis, pars transversa trecentis, altitudo centum & sex supra viginti; turris trecentis constat. Hujus ecclesiæ sollemnis dedicatio facta est die sexta Novembris anni* M DC LXXII, *qui Nicolai Abbatis in regimine quinquagesimus erat. Nunc redeamus ad vetera.*

Monasterii correctio.

17. Inter eventus insignes, qui in isto Monasterio contigere sæculo nono, non prætermittendum est id quod legimus in diplomate Ludovici Augusti, eò scilicet missum fuisse ALDRICUM *Abbatem*, ad ordinem Regulæ sancti Benedicti confirmandum. *Erat Aldricus ille Abbas Ferrariensis, vir sanctus, postea Senonensis Archiepiscopus, cujus Vita inferiùs exhibenda. Ludovici diploma integrum huc referre juvat ex tabulario Elnonensi.*

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri JESU-CHRISTI HLUDOVICUS divina ordinante providentia Imperaror Augustus. Cùm locis divino cultui manciparis ob divinæ servitutis amorem opem congruam ferimus, & regium morem decenter implemus, & id nobis profuturum ad æternæ remunerationis præmia capessenda veraciter credimus. Idcirco notum esse volumus cunctis Fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris, præsentibus scilicet & futuris, quia adiens serenitatem culminis nostri vir venerabilis ADALEODUS Abba Monasterii sancti Amandi, unà cum ALDRICO Misso nostro, quem ad prædictum Cœnobium direximus ad ordinem Regulæ sancti BENEDICTI confirmandum; suggesserunt mansuetudini nostræ, qualiter congregationi Confessoris Christi Amandi aliqua de rebus & villis ejusdem ecclesiæ deputare & confirmare ad usus & necessitates illorum præjudicaremus. Ideoque ad precationem vel suggestio-

nem prædictorum Abbatum, ADALEODI videlicet & ALDRICI, immo ob emolumentum animæ nostræ, conjugis, atque prolium nostrarum, res subter annotatas prædictis Fratribus & congregationi sancti Amandi ad victum, vestimenta, & calciamenta, seu etiam ceteros usus & necessitates ipsorum, tradere & confirmare decrevimus, & super hanc cessionis auctoritatem hos nostros imperiales apices fieri decrevimus, atque jubemus, ut abhinc in futurum à nobis & nostris, Deo dispensante, successoribus, piis oraculis nostris conservanda mandavimus, quod nos pro æternis capessendis præmiis & memoratæ congregationi consulendis necessitatibus fecisse & concessisse vestra cognoscat industria. ita dumtaxat; ut quidquid de ipsis rebus Deo donante per bonum studium poterit haberi vel adquiri, totum in Fratrum sine ulla subtractione usibus cedat. Pari etiam nostra imperiali auctoritate præcipimus, ac jubemus, ut nullus quilibet sanctæ Dei Ecclesiæ, præsentium videlicet & futurorum, de prædictis & subter notatis rebus inquietudinem aut refragationem vel præjudicium vel violentiam facere tentet: sed potiùs sine ulla subreptione, aut subtractione, vel diminutione, atque divisione, liceat eas eidem congregationi Monachorum Deo militantium cum omni integritate inviolabiliter absque ulla calumnia & contradictione securiter ac perpetualiter habere, possidere, & frui. Solummodo videlicet ad hoc, sicut præmissum est, specialiter à nobis sunt pro mercede nostra delegatæ & confirmatæ, ut nec humana potestas sine sui periculo discriminis possit eas convertere, sed semper sub regali & imperiali tuitione inrefragabiliter salvæ Fratrum usibus consistant: quatenus ejusdem loci devotæ Deo amabili congregationi pro nobis ac pro totius Imperii hujus stabilitate ac pace, nostræ pietatis munere adjuti, Dominum propensiùs exorare delectet. Et hæc nomina de ipsis rebus, quas illis dari decrevimus. In pago Bracbatinsi, in locis nuncupatis Baceroth *, Decla, Neonisio, & Securiaco, mansi XLVIII. In pago Ostrebantinse, in loco qui dicitur Halciacus, cum appendiciis suis mansi LVIII. In pago qui dicitur Menpiscus, in loco nuncupante Rollar, cum appendiciis suis, mansi CXVIII. Mansioniles circa Monasterium IV, & piscationem atque Sconcurtem; & in Flandras marisços VIII. Sed & in pago Landunensi Batisiacum cum omnibus appendiciis suis. Insuper censuimus etiam illis dari novam partem de omni supellectili ejusdem ecclesiæ per totas villas, & possessionem ipsius Cœnobii Rectoris, id est de annona, de legumine, de feno, de formatico, de porcis, de poledris, de camsilis, de pastis, de vino, de ovis. Et ut hæc auctoritas per futura tempora inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria subter firmavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus. Signum LUDOVICI serenissimi Imperatoris. DURANDUS Diaconus advicem FRIDUGISI recognovi. Data III Kal. Julii, anno Christo propitio VIII imperii domni HLUDOVICI piissimi Augusti, Indictione XV. Actum Stratella villa in Dei nomine feliciter. Amen.

[Margin: An. Chr. DCCC IX. Sept. XX.] [Margin: * vulgo Bassarode] [Margin: anno 812.]

Ex hoc diplomate patet, Adaleodum anno imperii Ludovici octavo, Christi DCCC XXII, *jam istius Monasterii Abbatem fuisse, contra quàm legitur in Chronico Elnonensi supra num. 8.*

14. *Lubet etiam aliud diploma ejusdem Imperatoris de Barisiaco cella Monasterio Elnonensi subjecta diœcesis Landunensis hîc exhibere.* [Margin: Diploma de Barisiaco.]

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri JESU-CHRISTI HLUDOVICUS divina ordinante providentia Imperator Augustus, omnibus Fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris, præsentibus scilicet & futuris, notum sit, quia quidam fidelis noster LEO, qui cellulam quæ dicitur Barisiacus, quæ est constructa in honore sancti Petri principis Apostolorum,

An. Chr. DCCC IX. Sept. XX. * VIII.

largitionis nostræ habens, questus est eo quòd Major de fisco Barisiaco per fortiam * tempore Pippini avi nostri quamdam silvam, quæ conjungitur ad silvam nostram, quæ dicitur Columbarias, à prædicta cellula abstraxisset, & fisco nostro sociasset. Cujus nos rei veritatem cupientes scire, direximus Missum nostrum Haganum Vasallum, qui hanc causam in nostra eleemosyna investigasset, & nobis renuntiasset. Qui jussionem nostram explens, sicut nobis renuntiavit, invenit per legem & justitiam, jam dictam silvam ad suprà dictam cellam legibus pertinere, & per fortiam exinde ablatam fuisse. Et dum nobis prædictus Vasallus ita renuntiaret, placuit serenitati nostræ ob mercedis nostræ augmentum & æternæ retributionis fructum, prædictam silvam cellulæ sancti Petri superiùs nominatæ præsentialiter reddere, & super hanc redditionem hos nostros imperiales apices fieri: per quos præcipimus atque jubemus, ut nullus quilibet parte fisci nostri eamdem silvam de jam dicta cellula abstrahere, aut minuere, aut ullam calumniam prænominatæ cellulæ facere vel ingerere præsumat: sed sicut à nobis redditum atque per hanc nostram auctoritatem confirmatum est, ita perpetuis temporibus permaneat inconvulsum. Et ut hæc auctoritas redditionis nostræ firmior habeatur, & per futura tempora meliùs conservetur, de nostro anulo subter jussimus sigillari. Durandus Diaconus ad vicem Fridugisi. Data XV Kal. Februarii, anno Christo propitio XVII imperii domni HLudovici serenissimi Imperatoris, & Lotharii Augusti VIII, Indict. VIIII. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter.

anno 831.

Martyres per Northmannos.

19. *Denique sub finem sæculi noni, id est anno* DCCCLXXXVII, *Northmanni destructo Elnonensi Cœnobio Monachos omnes crudeli nece peremerunt. cujus rei monumentum ex ms. codice sic reddo:* Dum Dei laudes pio canerent affectu anno DCCC LXXXVII, omnes Monachi Monasterii sancti Amandi à Northmannis cæsi sunt & interemti, & ipsum Monasterium dirutum. *Dein prodigium, quo Deus illos honoravit, refertur hoc modo:* Anno M XLIX Deo permittente & volente pios Martyres manifestare, è loco in quo sepulti jacebant, scilicet sub lapide presbyterii, ebullium sanguinis exsilivit, sepultos inibi prædictos Martyres Monachos Elnonenses testificans. *Et*, feriâ tertiâ Pentecostes decretæ sunt supplicationes sollemnes per opidum sancti Amandi post secundum ebullium sanguinis sanctorum Martyrum Elnonensium Monachorum. *Nunc sub odeo nova basilica jacent, insculpto marmori monumento per reverendissimum Abbatem Nicolaum cognomento de Bosco.*

20. *Hæc observasse non ingratum erit (ut spero) Elnonensibus nostris, certè mihi necessarium ad referendam qualemcumque concessi hospitii gratiam, simul ad commendandam Landoaldi Kimpensis diligentiam, qui mihi pleraque ex præmissis suppeditavit.*



DE V. HARDUINO RECLAUSO MONASTERII FONTANELLENSIS,

An. Chr. DCCC XI.

deque aliis claris ejusdem loci viris sæculi IX.

1. PRÆTER *Vvandregisilum, Ansbertum, Vulframnum, aliosque viros sanctos Monasterii Fontanellensis, de quibus in duobus superioribus Sæculis actum est; alii quoque viri pii hoc sæculo ibidem floruerunt, quorum præcipuus fuit sanctus* ANSEGISUS *Abbas, de quo ad annum* DCCC XXXV *dicendum est. Hic dicendum de quibusdam aliis, quorum etsi sanctitas nullo publico cultu ac testimonio declarata sit, memoria tamen posteris venerabilis esse debet.* GERVOLDUS *seu* GEROALDUS *Abbas occurrit in primis, qui Vvidoni-laico successit* anno tertio *post mortem Bertradæ Reginæ Caroli Magni genitricis, id est anno* DCC LXXXVII. *Is* ex nobilibus parentibus ortus, dein Clericus effectus, Bertradæ Reginæ Capellanus efficitur: cujus obtentu Ebroicinæ * civitatis sedes, defuncto ejusdem urbis Præsule, à domno Rege Carolo eidem attributa est. Sed Widone-laïco rebus humanis exemto, idem Gervoldus suggestione sua à domno ac invictissimo Rege Carolo præfatum Cœnobium Episcopatu deserto impetravit; anno videlicet jam tertio postquam Bertrada Regina obierat. *Hæc aliaque plura legere licet in Chronici Fontanellensis cap. 15 in editis: ubi post nonnulla hæc subduntur:* Hic Gervoldus super Regni negotia Procurator constituitur per multos annos, per diversos portus ac civitates exigens tributa atque vectigalia, maximè in Quentawich, *qui portus est Oceani in Angliam ad Quantiam fluvium.* Unde Offæ Regi Anglorum sive Merciorum potentissimo in amicitiis valde cognoscitur adjunctus. Exstant adhuc epistolæ ab eo ad illum; id est Gervoldum directæ, quibus se amicum ac familiarem illius fore pronuntiat. Nam multis vicibus ipse per se jussione invictissimi Regis Caroli ad præfatum Regem Offam legatione functus est. *In lib. de miraculis sancti Vvandregisili cap. 4 legitur, Geroaldum Abbatem, cùm pro legatione Oceanum quondam transfretaret, imminenti naufragii periculo per sanctum Vvandregisilum ereptum fuisse. Varia ejus dona Fontanellensi Monasterio facta refert Chronicon, tum subdit:* Scholam in eodem Cœnobio esse instituit, quoniam omnes pæne ignaros litterarum invenit: ac de diversis locis plurimum Christi gregem aggregavit, optimisque cantilenæ sonis, quantum temporis ordo sinebat, edocuit. Erat enim præfatus Gervoldus, quamquam aliarum litterarum non nimium gnarus, cantilenæ tamen artis peritus, vocisque suavitate ac excellentia non egenus. Obiit XVIII Kal. Junii anno Incarnationis DCCC VI. *De Harduino in eodem capitulo Chronographus agit in hunc modum.*

Gervoldus Abbas.

* d'Evreux

2. Sub hujus tempore bonæ recordationis Presbyter egregius, nomine HARDUINUS, florebat, qui in cella clari Martyris Saturnini, quam beatus Wandresigilus ædificaverat, ob gratiam vitæ contemplativæ remotior degens, quæ sita in latere montis plagæ aquilonaris præfatum Cœnobium spectat, plurimos arithmeticæ * artis disciplinâ alumnos imbuit, ac arte scriptoria erudivit. erat enim in hac arte non mediocriter doctus. Unde plurima ecclesiæ nostræ proprio sudore reliquit volumina, id est volumen quatuor Evangeliorum Romanâ litterâ scriptum; epistolarum beati Pauli Apostoli volumen unum; sacramentaria volumina tria; lectionarium volumen unum; item lectionum Evangelii volumen unum; homiliarum XL


Harduinus Reclausus.

* id est computi ecclesiastici

I iij

An. Chr. DCCC XI. Gregorii Papæ volumen unum; librum de arithmerica cum epistolis de ratione paschali volumen unum; librum beati Augustini de civitate Dei ab undecimo usque ad decimum octavum volumen unum; librum venerabilis Bedæ de naturis rerum ac temporibus volumen unum; psalterium cum canticis ac hymnis Ambrosianis & terminis paschalibus volumen unum; librum vitarum sanctorum Wandregisili, Ansberti, & Wlframni Confessorum Christi volumen unum; quæstionum sancti Ansberti ad Siwinum Reclausum volumen unum; antiphonarium Romanæ Ecclesiæ volumen unum. Dedit etiam calicem argenteum cum patena, thuribulum argenteum unum in ministerio ecclesiæ, quæ ipse ad sacrificium Deo offerendum secum habuit, quamdiu remotiorem vitam duxit. Hic etiam religiosus vir Romam, præsidente in sede ejusdem ecclesiæ Adriano Apostolico, ad limina Apostolorum, orationis ac visitationis gratiâ locorum etiam sanctorum, profectus est, prosperèque Domino comitante reversus. Qui depositus est senex & plenus dierum sub anno imperii Magni Imperatoris Caroli undecimo, regni autem ejus, quod per quadraginta septem annos tenuit, quadragesimo quarto, qui erat dominicæ Incarnationis octingentesimus undecimus, Indictione IV, tenente regiminis locum in Fontinella Cœnobio anno quinto TRASARO Abbate.

Alii Abbates. 3. *Trasaro in Beneventum patriam suam reverso successit* EINHARDUS *anno* DCCC XVI, *Einhardo item loco recedenti successit anno* DCCC XXII ANSIGISUS, *de quo infrà; anno verò* DCCC XXXV FULCO venerabilis Presbyter, qui prædictum Cœnobium tenuit annis undecim & menses V, dies XXVII, id est à VII Kal. Aprilis usque VI Idus Octobris. *Post quem* HERIMBERTUS Diaconus annis IV & menses XI, id est à V Id. Octobris usque III Id. Septemb. quando ad Dominum migravit. *Post eum eversum est Fontanellense Monasterium, ex quo huc illucque deportata sunt reliquiæ sanctorum Vvandregisili & Ansberti, ut dictum est in libro de miraculis sancti Vvandregisili Sæculo II. Quo die obierit Harduinus, incompertum.*



VITA S. VVILLELMI DUCIS, AC MONACHI GELLONENSIS IN GALLIA,

Circ. ann. DCCC XII. Maii XXVIII.

Auctore gravi anonymo, qui sæculo IX vixisse videtur.

Ex mss. Gellonensi & Compendiensi, & ex editione Stengeliana.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ hujus auctoritas. 1.  *Uis fuerit scriptor Vitæ sancti* WILLELMI, *queve tempore vixerit, certò definire non possum. Auctorem sanè gravem, quisquis tandem ille sit, constat fuisse, & libellum hunc cudisse ante sæculum* XI. *imo, ut veri simile est, haud longè post Vvillelmi obitum, cujus res gestas quasi testis oculatus commemorat.* GEROLDUS Abrincatensis Clericus, *teste Orderico Vitali in historiæ libro 6 ad annum* M LXVI, cùm sæpe Baronibus & militibus coarraret conflictus Demetrii, Georgii, *& aliorum sanctorum militum*; addebat etiam de sancto athleta GUILLELMO, qui post longam militiam abrenuntiavit sæculo, & sub monachili Regula gloriosè militavit Domino. *Ordericus addit:* Nunc quia de sancto Guillelmo nobis incidit mentio, libet vitam ejus breviter hîc inserere. Novi quod ipsa rarò invenitur in hac provincia, & nonnullis placebit de tali viro relatio veridica. Hanc etenim ANTONIUS Guentoniensis Monachus nuper detulit, & nobis eam videre desiderantibus ostendit. Vulgò canitur à joculatoribus de illo cantilena: sed jure præferenda est relatio authen-

tica, quæ à religiosis doctoribus solerter est edita, & à studiosis lectoribus reverenter lecta est in communi Fratrum audientia. Verùm quia portitor festinabat abire, & brumale gelu me prohibebat scribere; sinceram abbreviationem, sicut tabellis tradidi compendiosè, sic nunc satagam membranæ summatim commendare; & audacis Marchisi famam propalare. *Hac Ordericus, qui consequenter subjicit compendium hujus Vitæ, quam authenticam appellat. Ardo in libro de vita sancti Benedicti Anianæ Abbatis inferiùs exhibendo versus refert non paucos de Vuillelmo, eosdem fere qui in subjecta Vita leguntur, quos ex Ardone Anonymus iste accepisse mihi videtur. Hanc Vuillelmi Vitam absque commentariis anno* M DC XI *typis vulgavit Augustæ Vindelicorum Carolus Stengelius Ordinis sancti Benedicti Monachus in Cœnobio sancti Udalrici & sanctæ Afræ in eadem civitate: quam Vitam Actis Vuillelmi Hirsaugiensis Abbatis subjecit.* CIRC. AN. DCCC XII. MAII XXVIII.

2. *In vetusto Martyrologio Gellonensi fit mentio sancti Vuillelmi his verbis:* V Kal. Junii apud Gellonem in territorio Lutevensi depositio beati Guilelmi Monachi & Confessoris, quondam clarissimi Consulis palatini. *& in Brivatensi:* Depositio sancti Guillelmi Confessoris. *Antonius Dominicius in libro de Ansberti familia rediviva refert quoddam fragmentum alterius Martyrologii in hunc modum:* In valle Gellonis V Kal. Junii natale sancti Willelmi, qui relicto sæculo Monachus effectus, nunc miraculis claret. Pater ejus fuit Theodericus, mater Aldana, soror Hiltrudis & Laudradæ. *De ejus cultu inferiùs agendum: hic verò de ipsius genere, dignitate, & Monasterio Gellonensi.* Vuillelmi memoria.

3. *Vuillelmus regiam Carolinorum stirpem consanguinitate attinuisse fertur, aliis Theodericum ipsius patrem eumdem esse dicentibus cum Theodorico Comite, qui Caroli Magni propinquus appellatur apud Eginhardum; aliis verò matrem Vuillelmi Aldanam Caroli Tuditis filiam esse opinantibus. His favet prælaudati Martyrologii fragmentum, in quo Aldana dicitur* soror Hiltrudis & Landradæ, *quas Caroli Martelli filias fuisse constat. Vuillelmi parentes* Consules ex Consulibus, *id est Comitibus, aut certè palatii primoribus, nati dicuntur in Vita sequenti. Lege Guillelmi Catelli historiam & tabulas genealogicas Philippi Labbei. Utrumque parentem suum Vuillelmus, tres fratres,* THEODOINUM, THEODERICUM, *&* ADALELMUM; *sorores duas,* ALBANAM *&* BERTANAM; *uxores itidem duas,* CHUNEGONDEM *&* GUITBURGAM; *liberos,* BARNARDUM, WITCHARIUM, GOTCELMUM *&* LIMBRUCH *commemorat in testamento suo inferiùs relato. omittit verò, nescio qua de causa, filium* HERBERTUM *jussu Lotharii Imperatoris excæcatum anno* DCCC XXX, *ex Vita Ludovici Pii; &* GERBERGAM *Sanctimonialem, quæ Cabilone ab eodem Lothario intercepta,* tamquam venefica aquis præfocata est *anno* DCCC XXXIV, *ex eadem Ludovici Vita, cui Theganus & Nithardus consentiunt. Addunt etiam* BERTAM, *Pippino Caroli Magni filio, Aquitaniæ Regi nuptam; itemque* GUILLELMUM, *quem eumdem cum Gotcelmo esse puto. Ex his Bernardus patris dignitatem accepit, habuitque uxorem* DODANAM, *cujus librum Manualem ad filium Guillelmum præ manibus habemus. Vuala sancti Adalhardi Corbeiensis Abbatis frater, ejusdemque postea successor, conjugem habuit unam ex Vuillelmi filiabus, teste Paschasio Radberto in libro 2 de Vuala vita, quos libros in consequentibus referam.* genus.

4. *Vuillelmus Comes fuit pagi Tolosani, & quidem secundus, nimirum post Chorsonem, aliis Corsinum, ob crimen læsæ majestatis abjectum anno* DCC LXXXVIII *ex Ludovici Pii Vita, cujus hæc verba:* Chorso Dux Tolosanus dolo cujusdam Vasconis, Adelerici nomine, circumventus est, & sacramentorum vinculis obstrictus. . . Chorsone porro à Ducatu Tolosano submoto, ob cujus incuriam tantum dedecus Regi & Francis acciderat, WILLELMUS pro eo subrogatus est. qui Vasconum nationem, ut sunt naturâ leves, propter eventum suprà dictum valde elatos, & propter multationem Adelerici multum repperit efferatos. quos tamen tam astu, *(sic lego pro actu)* quàm viribus brevi subegit, illique pacem imposuit nationi. *Ad hæc Vuillelmus Septimaniæ Dux & Princeps Arausicanus à quibusdam recentioribus appellatur. Et quidem eum Arausica urbi post devictos Saracenos præfuisse ex Vita ipsius intelligitur. tametsi Vuillelmus ipse in litteris suis nusquam se* Ducem, *sed tantùm* Comitem *dicit. quo nomine etiam ab Ludovico Augusto in diplomate subjecto, & ab aliis ejus ævi hominibus fere donatur. Verùm cùm Chorso ejus antecessor* Dux Tolosanus *appelletur in Vita Ludovici Pii; non video cur idem nomen Vuillelmo denegari possit: maximè si, uti Bernardus ipsius filius, Dux Septimaniæ fuerit. Adde Comitis & Ducis nomina per id tempus fere promiscua fuisse, ut sexcentis exemplis constat. Præterea obsidioni Barcinonensi per Ludovicum Regem anno* DCCC IV *factæ* Willelmus signifer *interfuisse perhibetur in ipsius Ludovici Vita. quem locum Vuillelmo nostro nonnulli aptant. Barnardus seu Bernardus patri Vuillelmo successit in Comitatum Tolosanum post Berengarium, idemque in Ludovici Augusti palatio Camerarius creatus, ingentes turbas excitavit sustinuitque, ut inferiùs in libro 2 de vita Vualæ Corbeiensis Abbatis apparet. Is post pugnam Fontanensem, in qua de summa rerum contenderunt Ludovici filii,* ut victoriam dignitates.

Circ. an. DCCC XII. Maii XXVIII.

Karoli esse didicit, filium suum ad illum direxit, post duos annos cæsus, *testante Nithardo in historia lib. 3. tumque Dodana ipsius conjunx in gratiam Vuillelmi filii sui composuit librum Manualem, cujus mentio jam facta est.*

Monasterium Gellonense.

3. *Monasterii Gellonensis auctor est Vuillelmus, à quo Monasterium sancti Vuillelmi de deserto*, vulgò saint Guillem du desert, *appellari solet. Situm est in Septimania seu Occitania *, in pago Lutevensi, ad Araurim * fluviolum, medio fere itinere inter Lutevam * & Montem-pessulanum * urbes episcopales, inter excelsa montium juga, quibus undique cingitur. Ordericus Vitalis in loco præcitato Monasterium istud commendat his verbis:* Venerabile Cœnobium illic usque in hodiernum diem perseverat, & ingens Monachorum exercitus Domino Deo Sabaoth cum ingenti tripudio militat, atque meritis sancti Guillelmi, ex illustri Milite religiosi Monachi, turba infirmantium convalescens exsultat in CHRISTO JESU, qui omnes sibi adhærentes in æternum glorificat. *Benedictus Abbas Anianensis Monasterii, quod unâ dumtaxat leucâ distat à Gellonensi, hujus operis adjutor fuit, & primarios loci cultores inibi constituit Monachos, quibus etiam ipse aliquamdiu præfuit, recepto in curam suam Cœnobio Gellonensi, quod Vuillelmus Anianæ subjectum esse voluit. Ejus rei testes sunt Vuillelmi litteræ, datæ anno* DCCC IV, *& primo quidem conditi Monasterii sui: cui tamen* JULIOFREDUS *Abbas permissu Benedicti præfectus est ante annum* DCCC VIII, *ut patet ex diplomate Ludovici Aquitaniæ Regis, quod inferiùs unà cum aliis ejus generis instrumentis referendum erit. Procedente tempore qui Anianensi, idem Gellonensi Asceterio præfuit Abbas, aut certè quem Anianensis permisisset: donec tandem pontificatu & decreto Vrbani Papæ II Gellonensis Abbatia ditioni Anianensium subducta est, & litteris tum Callisti secundi, tum Alexandri tertii, Romanæ sedi subjecta. Præter Monachos erant & Sanctimoniales eo in loco degentes, Bertana & Albana Vuillelmi sororum exemplo adductæ, quæ ædem sancti Bartholomæi, quæ nunc ecclesia parœcialis viginti fere passibus à Monasterio abest, incolebant. Istæ in statutis Gellonensibus Clementis Papæ IV auctoritate firmatis non semel exprimuntur* Monachæ sancti Guillelmi, *quas inconsulto Abbate admittere nefas erat. Persistit etiam nunc Gellonense Monasterium, vigetque sub Benedictina sancti Mauri Congregatione: cui Monasterio adjunctum est oppidum cum duabus ecclesiis parœcialibus, sancti Bartholomæi & sancti Laurentii, in quas Abbatia jurisdictionem episcopalem exercet, uti & in totam vallem Gellonensem. Eidem etiam subsunt Eremitæ in præruptis montium jugis simul degentes, quorum antesignanus & ædiculæ conditor fuit Johannes Albj, è diœcesi Lutevensi vir pius, Benedicto Papa XII sedente, à quo facultatem ædiculæ construendæ obtinuit litteris Avenione datis Idib. Septemb. anni* M CCC XXXVI. *Porro ex Gellonensi Asceterio prodiit, qui in eo sepultus est, Raimondus de Moscuerolis, ex Abbate Episcopus sancti Papuli, ac deinde sancti Flori primus, demumque Presbyter Cardinalis tituli sancti Eusebii, mortuus anno* M CCC XXXV, *die 22 Aprilis, in cujus sepulcrum violarunt Calvinistæ sæculo proximè elapso. Jam tandem audiamus Anonymum, cujus prologus deest in plerisque codicibus mss. habetur verò in Cisterciensi cum hac inscriptione:*

* le Languedoc
* l'Erant
* Lodeve
* Montpellier

INCIPIT PROLOGUS

in vita beati ac gloriosissimi Confessoris Christi WILELMI, cujus festivitas celebratur v Kal. Junii.

1. AD summam Dei gloriam & laudem, de beati WILLELMI vita laudabili & sancta conversione atque conversatione tractaturi, sancti Spiritus gratiam, qui etiam in rebus minimis implorandus est, invocamus: ut qui eum in contemtu sæculi, in sui ipsius abnegatione prævenit & secutus est; ipse nos quoque in hac retractatione prævenire dignetur ac subsequi, & efficiat idoneos tantæ historiæ relatores. Nihil enim dignum dicitur sine eo, neque etiam ipse sine se invocatur, cujus nimirum dona sunt, si quis mereatur Omnipotentis opera denuntiare, & ipsum in Sanctis suis magnificare Deum. Et primùm quidem tunc Dei dilectum exemplar nobis & speculum proponamus, & formam in eo apostolicam & vitam in terris angelicam veneremur, atque, in quantum possibile est, boni æmulatores idipsum imitemur. Cùm enim magnum sit & valde bonum Sanctorum merita prædicare & extollere virtutes, ipsas utique virtutes ambire,

ambire atque imitando acquirere revera optimum est & præcellens. Utrumque tamen & cælitus datur, & divinitus inspiratur: illiusque administratio est gratis, qui gratiarum distributor dat ex eis quibus vult, & dividit singulis prout vult.

Circ. Jan. DCCC XII. Maii XXVIII.

2. Nunc igitur quæ ad communem ædificationem pertinent, quæque devotis auditorum animis prodesse ad imitationem possunt, de vita & meritis tanti Ducis tamque gloriosi Principis aggrediamur: cetera quæ mundi fuerunt, gesta videlicet fortia, ad terrenam dignitatem atque ad sæcularem militiam pertinentia, quamvis inclyta ac relatu digna in memoria æterna; nos tamen silentio præterire decrevimus, gestis tantùm spiritualibus ex parte recitandis calamum applicantes. Quæ enim regna & quæ provinciæ, quæ gentes, quæ urbes, Willelmi Ducis potentiam non loquuntur, virtutem animi, corporis vires, gloriosos belli studio & frequentiâ triumphos? Qui chori juvenum, qui conventus populorum, præcipuè militum ac nobilium virorum; quæ vigiliæ Sanctorum dulce non resonant, & modulatis vocibus decantant, qualis & quantus fuerit, quàm gloriosè sub Carolo glorioso militavit, quàm fortiter, quàmque victoriosè barbaros domuit & expugnavit; quanta ab eis pertulit, quanta iutulit; ac demum de cunctis regni Francorum finibus crebrò victos & refugas perturbavit & expulit? Hæc enim omnia & adhuc multiplex vitæ ejus historia cùm ubique pæne terrarum notissima habeantur, nec modò ad hanc descriptionem pertinere necessariò videantur, jam nunc ad ea quæ religio beati viri & sanctitas expostulat, manus laborare incipiat & calamus, de ortu ejus & generis nobilitate, quod de magnis sanctisque viris plerumque requiritur, breviter prænotando.

Auctor omittit bellica Vvillelmi facta.

INCIPIT VITA.

3. Inclytæ laudis ac perennis memoriæ Pippini Regis tempore natus est beatus Willelmus de præclara Francorum progenie, ex patre videlicet nobili magnoque Consule [a] Theoderico nomine, cujus mater æquè generosa & nobilissima Comitissa dicta est Aldana. ambo quidem de summis Franciæ Principibus, Consules ex Consulibus, vitâ quoque & moribus placentes Deo & hominibus. Cùm ergo essent tales, ut veræ divinitatis religiosi cultores puerum à Deo susceptum cum omni diligentia nutriunt, eumque disciplinis liberalibus tradunt, & specialiter informari & erudiri faciunt. Eruditum verò litteris divinis ac diversis Philosophorum doctrinis parentes ejus, ut erat moris fieri de Principum filiis, nihilo minus instruunt fortioribus studiis atque exercitiis militiæ sæcularis.

Vvillelmus prænobilis rectè educatus,

4. Deinde cùm jam Pippinus Rex ex hac luce migrasset, & filius ejus Carolus, qui dictus est Magnus & gloriosus, in throno regni resedisset; inclytus adolescens commendatus est ei à parentibus, ut Regi semper adstaret, & in palatio ut par erat militaret. Cumque in aula regia inreprehensibiliter & laudabiliter se haberet, & Regi esset acceptus, & exercitui placeret; nullius tamen mordebatur invidiâ, nec quisquam adversus eum movebatur injuriâ. Siquidem Willelmi nomen jam celebre habebatur, & de sibi à Deo data fortitudine, de corporis ejus perpulcra magnitudine, de magnanimitate, deque morum ejus bene per cuncta composita qualitate fama inclyta ubique loquebatur. Igitur Willelmus commendatus à patre stat ante Regis conspectum, suscipit nomen Consulis, & Consulatum in rebus bellicis primæ cohortis sortitur principatum. Regiis princi-

In aula Caroli acceptus & honoratus.

[a] Id est Comite. quo in significatu sæpe Consulis numen ab Auctoribus mediæ ætatis ac sequioribus usurpatur.

Circ. an. DCCCXII. Maii XXVIII.

paliter adhibetur consiliis, tractat strenuè cum Rege de Regni negotiis, de militia & armis; fit Pater patriæ, reipublicæ defensor; pro pace vigilat, in bellis laborat; fovet cives, hostes expugnat; cunctis in arto positis, in angustiis constitutis compatienter subvenit, & pro quibus res exigit apud Regem intervenit. Regis verò hæc erat intentio & cura præcipua, Christi gloriam quærere, & super omnes gentes Christiani nominis elevare triumphum. quod & fecit Deo cooperante in omnibus, & Willelmo cum aliis Ducibus consilio & virtute opem sibi ferentibus. Sic enim eorum muniebatur studiis & honestis consiliis, & præcipuè Willelmi innitebatur brachiis, ac si thronus aureus, qui columnis fulcitur argenteis. Willelmus Regi aderat à dextris & à sinistris, ipse quidem in prosperis pariter & in adversis.

Adversus Saracenos Dux constituitur.

5. In diebus illis Sarraceni pariter conglobati magnum valde & inopinabilem producunt exercitum: montes Pyrenæos transeunt, & una omnes conspiratione ad has partes Aquitaniæ provinciæ ac Septimaniæ properant, confinia scilicet Christianorum. Regnum irrumpunt Caroli, dant infinitas de Christianis strages; victores existunt, spolia diripiunt; captosque ducunt strictis funibus, captivos præoccupant, totam longè latéque terram, quasi jure perpetuo possidendam. Nuntiatur hoc Christianissimo Regi, neque enim complacet illi. Audito hoc nuntio, ipsum Christi nomen fidelis invocat, moxque suæ virtutis Principes & consiliarios more regio convocat, & quid facto ad talia opus sit eos consulit, & ipse inde cum eis attentè & sollicitè tractat. Omnes per Dei providentiam in unam concordant sententiam, ut scilicet Comes Willelmus armis inclytus, bello victoriosus, militiæ Gallicanæ studiis gloriosus, ad hoc opus eligatur, & ipse cum suis legionibus contra barbaros concitè dirigatur. Adjudicatur etiam conclamante exercitu, ut totius Aquitaniæ, quoniam dignus est, investiatur Ducatu [a], & de Consule sublimetur in Ducem. Non differt Carolus consilii effectum, statimque Willelmum manu tenet ac promovet. Ergo Willelmus Comitis & Ducis gloriâ sublimatus, fit inter principes primus, ipse secundus à Rege, suscipit legationem, nec laborem recusat, mittitur contra barbaros.

Arausica urbe recepta eos sæpe vincit.
** Orange*

6. Itaque Willelmus Dux salutatus à Carolo, & ipse pro Domino benignum vale faciens procedit, fortem & electum producit exercitum. Itaque Septimaniam ingressus, transito quoque Rhodano ad urbem concitus Arausicam * agmina disponit & castra: quam illi Hispani cum suo THEOBALDO jampridem occupaverant, ipsam facilè ac brevi exclusis atque fugatis eripit invasoribus, licèt postea & in ea & pro ea multos & longos ab hostibus labores pertulerit, semperque prævaluerit decertando. Erepta autem urbe, placet omnibus ut sibi eam detineat, faciatque primam suæ proprietatis sedem. Unde & civitas illa ad tanti Ducis gloriam famosissima [b] multumque celebris, magnique nominis per totum hodieque mundum commemoratur. Quid verò post hæc egerit, quot & quanta cum barbaris transmarinis & Agarenis vicinis commiserit prœlia; quomodo in gladio suo cum auxilio divino populum Dei salvavit, & Christianum dilatavit imperium; ut superiùs est dictum, nec scripto hoc indiget, nec præsentis est propositi, excepto hoc quod dici succinctè potest. Quoniam licèt multo tempore multaque pertinaciâ valde diuque decertatum sit, tamen tandem virtute Altissimi cum virtute belli ita

[a] Ordericus Vitalis: *Deinde à Carolo Dux Aquitaniæ constituitur, eique legatio contra Theodebaldum Regem & Hispanos atque Agarenos injungitur.*

[b] Hoc loco folia duo avulsa sunt in exemplari Gellonensi, quæ supplent mss. codices Cistertiensis & Compendiensis.

Sarracenos [a] perdomuit & perturbavit tyrannos, perscrutans eos & conterens & ad interitum perducens, ut deinceps non auderent, nec licentiam haberent ad has partes quas invaserant redire, nec eis ereptam ultra repetere terram. Ceterùm autem magnitudo gestorum ejus & prœliorum copia, interdum varii Ducis eventus & durissimi labores, semper verò gloriosi triumphi, si quis calamo attentare audeat, præmaximo proprioque indigerent volumine. Circ. an. dccc xii. Maii xxviii. a

7. Igitur Willelmo Duce operam dante Deoque cooperante, tandem à tanta persecutione terra quievit, & pax est populo Dei sanctoque Imperio restituta. Resurgunt ecclesiæ, vel novæ ædificantur. Ipse quoque triumphator ac signifer Christi, Dux, inquam, gloriosus, pace & quiete ab inimicis indepta, & ipse bonis omnibus pacificus cœpit jam liberiùs inhærere Deo, utpote bellorum curis & tumultibus liberior; &, ut olim corde conceperat, cultibus divinis totus inhiare. Non resolvebatur ignaviâ, nec indulgebat quieti in delectatione carnis, ut solent plurimi plurimum perpessi laboris: sed tanto fortior, quanto liberior, piis vacabat studiis & operibus bonis. Primò quidem de statu reipublicæ & de communi omnium utilitate nocte dieque tractabat. Secundò ut sacræ leges salubriter constitutæ ratæ forent & illibatæ; lites universorum & diversa negotia æquissimis dirimens & discernens judiciis; pauperum specialiter, pupilli & viduæ judex ipse propitius. Tertiò verò terræ principes ac dominos temperabat, ne subditos è jure violenter opprimerent. Universos autem, quantum in se erat, pacis & gratiæ vinculis adstringebat. Præterea de Cœnobiis [b] sacrisque locis atque ordinibus communem vitam professis tantam susceperat curam, quantam vix solet quilibet paterfamilias de domo propria sive familia regenda suscipere. Cumque generaliter Monasteriis omnibus largus & munificus haberetur, illa tamen quadam speciali prærogativa tuebatur & fovebat, quæ dominus suus Carolus olim nova construxerat, aut destructa renovarat; dona devotus inferens, prædia concedens, necessaria etiam administrans stipendia. Christi verò Sacerdotes, acsi apostolicos viros, tantâ dignos habebat reverentiâ, ut primus eis adsurgens & primus eis supplicans illorum se committeret precibus angelicis, & eorum manibus atque sacris altaribus suas quotidie proferret oblationes. Porro de peculiaribus eleemosynis, quas ejus dextera furabatur sinistræ, & in pauperum sinibus abscondebat, laudem dicere non est necesse: quas ille meliùs novit & laude sua approbat, qui eas super numerum multas & in abscondito vidit, & solus dinumeravit, & ipse eas in personis suscepit egenorum. Dein vacat operibus piis. b

8. Inter hæc omnia virtutum studia & veræ sanctitatis Deo placita holocausta, vir tamen Domini & servus Jesu-Christi quasi nihil ageret suspirabat, nec videbatur sibi adhuc Deo aliquid obtulisse acceptum. Visum est autem ei inspirante gratia Dei, ut novum novo opere Regi omnipotenti debeat ædificare Monasterium, in tali scilicet loco, Cœnobio condendo locum quærit.

a Aliò proinde spectat id quod refert Hepidaonus Monachus Sancti-Gallensis. *Anno* DCCXCI *Vvillelmus pugnat cum Saracenis ad Narbonam, & perdidit* (id est delevit) *ibi multos homines, & occidit unum Regem ex ipsis cum multitudine Saracenorum.* quod mirum est ab Auctoribus nostris fuisse prætermissum. nisi quod Eginhardus Saracenorum irruptionem in Septimaniam memorat anno DCCXCIII. sed qui cum illius limitis custodibus utque Comitibus concerto prœlio victores ad sua regressi sint. Huic certamini Vvillelmum interfuisse ac strenuè pugnasse, sed tamen ab aliis Comitibus desertum cessisse campo, tradunt Annales Moissacenses ad annum DCCXCIII. quæ proinde pugna altero anno accidit post illam, quam Hepidaonus memorat. De posteriori agere videtur Gervasius Tilberiensis, scribens Guillelmum Regi Saracenorum ad Carcassonam occurrisse, sed *post diurnam pugnam cedere coactum fuisse cum plurima interitione Christianorum.*

b Præter Gellonense Monasterium Vvillelmus etiam in honorem beatæ Mariæ construxit *Casam-novam, quæ sita est juxta castrum, quod nuncupatur Planitium, in pago Vcetico super fluvium Cicer:* quam cellam posteà Ludovicus Augustus Anianensi Monasterio attribuit, ut videbimus in Actis sancti Benedicti Anianæ Abbatis, infrà.

CIRC. AN. DCCC XII. MAII XXVIII.

ubi nullum antea fuerit Oratorium, in quo divinum fiat semper servitium, perpes oblatio, juge sacrificium. Procedit igitur explorare & quærere, in quo locorum debeat ædificare Monasterium, jacere fundamenta, opus accelerare. Incidit ergo ei voluntas ad excelsa montana Lutevensis territorii procedere, circumire & quærere, si fortè queat in illa vasta solitudine locum juxta cor suum, quem ad Dei omnipotentis gloriam construat, reperire. Denique ingreditur, Deo ut credimus comitante, Angelo sancto duce viamque præparante, loca deserti devia, alpes arduas, celsa promontoria, artâ nimirum viâ & scopulosâ, asperâ per totum, plurimum laboriosâ. Abbreviat cito gratia divina viæ asperitatem, & adimplens cari sui desiderium terminat anxietatem.

In valle Gellonis unum ædificat.

9. Nam convallis ipsius angustias ingresso & ad interiorem eremum paullo longiùs progresso subitò occurrit inter ipsas montium crepidines parva quidem & inculta planities, aëriis undique jugis & rupibus constipata, nemorosis circumquaque arboribus obumbrata, rivulo viventis aquæ per medium defluente, & in fluvium * Arauris quo clauditur illa vallis haut procul ingrediente. Requiritur nomen loci, & invenitur quoniam Vallis-Gellonis antiquitus diceretur, & ideo fortassis, ut quidam interpretantur, quòd in ipsa solitudine deserti, inter immensos scopulos & colles horribiles, quasi agellus vel parvus ager remansisse videretur. Videns igitur Dei amicus loci qualitatem, ad Monasterium construendum quamdam opportunitatem, cognoscit se manifestè à Domino exauditum, & iter suum à Domino expeditum. Unde referens gratias Conditori, omnisque dilationis impatiens, dat manum operi, instat & invigilat sancto gratoque labori. Accitis quoque magistris quos secum educebat, virisque sapientibus quos in suo comitatu habebat, quamprimum condecens metitur Oratorium, metitur etiam totius claustri spatium, domum refectionis atque dormitorium, domum etiam infirmorum & cellam Novitiorum, proaulam hospitum, xenodochium pauperum, junctum clibano pistrinum, de latere molendinum. Hiis ita dispositis & congruè atque regulariter designatis, ipse Dux ad opus rediit, operarios ponit, artifices præponit; qui quibus insistant operibus, quæve exerceant studia diligenter & opportunè disponit. Et sic quidem incipiens à capite, sicut dicitur, *A sanctuario meo incipite*, exorsus est à sanctuario, in quo nimirum primos ipse lapides mittens, in nomine Salvatoris, id est JESU-CHRISTI, qui est verè Salvator mundi, initiat fundamentum, erigit parietes, sustollit tectum, consummat opus perfectum, marmore pretioso perficiens pavimentum. Sancta Regina cælorum & Princeps Archangelorum, Petrus Pastor ovium, & Paulus Doctor gentium, cum Joanne Theologo & Andrea Apostolo, cum omni duodeno Apostolorum numero, præmissa Salvatoris [a], principali memoria, quem decet ante omnia omnis honor & gloria, placuit sancto Principi, ut specialiter colantur in eadem ecclesia: fecitque & ipsis ibidem propria & veneranda altaria.

* l'Eraut

Ezech. 9. 6.

a

Monachos cò inducit.

10. Igitur perfecto opere templi & quibusdam officinis, festinat servus Domini conducere servos Dei de Cœnobiis vicinis, de locis regularibus atque religiosis, viros pudicos, sanctæ conversationis. Quibus etiam sollemniter Abbate dato [b] temploque sanctificato, sollemnem quoque ecclesiæ & altari fecit donationem, protestans in muneribus suam erga Deum

b

a In Necrologio Gellonensi legitur, *prid. Kal. Octob. in Archisterio Gellonensi dedicatio basilicæ sancti Salvatoris.*

b Benedicto scilicet Anianæ Abbate, qui post duos aut tres annos loci regimen commisit Juliofredo Abbati, cujus meminit Ludovicus Rex in suo diplomate anno DCCC VIII, & tabularium Gellonense in hæc verba: JULIOFREDUS *Abba, consanguineus Karoli Imperatoris, fecit testamentum scribere, in quo continetur omnis honor, quem adquisivit sanctus Vuillelmus Princeps totius Galliæ finibus à domnis & piissimis Karolo & Ludovico Imperatoribus.*

animi intentionem. Prædia namque eum scripto largitur ingentia, familiam multam nimis loco semper & Fratribus serviturum, auri quoque plurimum & argenti, mirabiles multasque gazas multiplicis ornamenti, greges etiam non parvi numeri sexusque promiscui, pecoris & armenti. Ut autem hæc sua donatio sanctaque ipsius per omnia & justa constitutio indissolubilem haberet stabilitatem, & omnimodis in sæculis æternis possideret firmitatem; primò scriptis propriis adstipulat, deinde præceptorum regalium vigore corroborat. *Circ. an. DCCCXII. Maii XXVIII.*

11. Erant beato Willelmo duæ sorores virgines, tanti generis lineâ satis superque nobiles, quarum altera dicebatur ALBANA [a], altera verò BERTANA; ambæ omni elegantia ac vetustate præeminentes, morum quoque & vitæ lampadibus effulgentes; ambæ de numero prudentium, cum fatuis virginibus nihil habentes. Hæ simul uno consilio, pari voto, eodem desiderio, dominum suum & fratrem aggrediuntur, ejus genibus cum lacrymis provolutæ verbis eum hujusmodi alloquuntur: Audi, domine noster & frater, nostram petitionem, & adimple deposcimus nostram devotionem, & ad tuæ oblationis cumulum magnamque perfectionem, nos ipsas offer Domino in oblationem. si in oculis tuis invenimus gratiam, tu ipse offer Deo nostram pudicitiam, nosque facias illi vivam & veram hostiam, pro cujus dulci amore omnem abominamur carnis concupiscentiam. Habemus enim votum, Deo auxiliante teque nobis annuente, in loco isto dum vivimus persistere sub habitu sanctæ Religionis, militare Christo sub titulo sanctæ professionis, & hic exspectare diem nostræ vocationis. Igitur frater pius cum magno gaudio sorores offert [b] in conspectu divinæ majestatis in spiritu humilitatis, sacrificium Deo in odorem suavitatis, ferentes in lampadibus oleum jocunditatis cum splendore incorruptæ virginitatis. Ipsæ verò perseverant in Monasterio flagrantes amore divino, sanctoque desiderio custodientes votum, tenentes propositum, numquam mente redeuntes ad sæculum, nec respicientes ad Sodomæ periculum. *Sorores duas offert Deo.*

12. Hiis ita Dei nutu gloriosè peractis, pater Willelmus sororibus & fratribus vale faciens plurimumque confortans, magnumque eis Dei promittens auxilium, ad propria revertitur. Nam propria adhuc habere videbatur, licèt mens ejus & propositum ad id potissimum intenderet, quatinus quandoque Deo propitio, abnegato omni proprio, etiam & semetipso, nihil in hoc mundo præter Deum possideret. Recessit itaque iterum ad propria. Et nimirum in domo ejus erant divitiæ & gloria, rerum omnium copia, prolis gratia, uxoris pudica & fidelis amicitia. Non ventilabant, ut olim, aliqui eum hostes, neque sollicitabant Agarenorum gentes; quoniam Deo propitio terra in conspectu ejus quieverat, & ipse ab omni impetu tutus & quietus erat. Inter hæc autem omnia amor Dei tantus erat in eo, ut omnem amorem sæculi prorsus tolleret ab eo; & quidquid in hoc mundo quasi dulce arrideret, comparatum dulcedini divinæ dilectionis pro absinthio haberet. Unus enim amor Altissimi omnes resecabat ab eo affectus hujus mundi, & unius gehennæ timor cuncta in corde illius carnis oblectamenta frangebat. Tum verò fortia facta sororum & virilem earum constantiam reducens ad memoriam, quámque subitò præcesserant eum ad cælestem militiam; gaudebat quidem pro eis, verumtamen eru- *Reversus ad propria.* *Sororum & Monachorum fortem cogitat.*

[a] Et hæ totidem apicibus exprimuntur in litteris Vvillelmi de dotatione Monasterii sui. tametsi recentiores scribunt *Aldana*. matris nomen ad filiam traducentes.

[b] Novum oblationis genus. Pueri quidem non solùm ab utroque parente, sed etiam à fratribus, sororibusve aliisque consanguineis, etiam à Monachis vice parentum Deo in Monasteriis offerebantur: quod nusquam legi de adultis. Sorores S. Vvillelmi vixisse in Oratorio sancti Bartholomæi, ibique aliarum Monacharum antesignanas fuisse dictum est suprà. Earum tumulus quatuor columbis marmoreis erectus visitur in sacello beatæ Mariæ: ubi etsi nullo publico honorantur cultu, Sanctæ nihilo minus reputantur.

Circ. an. DCCC XII. Mart XXVIII.

bescebat, utpote qui in sæculi militia semper primas tenuerit acies, & numquam novissimus apparuit: nunc verò feminæ & audaciam ejus præripuerant & palmam. Cùm autem inter cetera illius solitudinis, in qua paullo antè Monasterium construxerat, sedulò recordaretur, atque servorum Dei quos ibidem dimiserat sancta studia vitamque cælibem ad mentem reduceret, semperque in mente haberet ad hujusmodi æmulationem; quidquid ei erat in hoc mundo præcipuum vilescebat, & ipsemet sibi displicens, eo quòd cum religiosis Fratribus non remanserat, animo tabescebat. Hiis & hujusmodi cogitationibus vir Dei & contristabatur, & confortabatur; satiabatur suspiriis, & lacrymis pascebatur.

Caroli in aulam honorificè acceptus,

13. Interea causa exstitit, ut ipse Carolo valde necessarius Franciam accitus expeteret, & post multum temporis natale solum patriique consulatus, immo sui hereditatem reviseret. Susceptus à Rege mirabili gaudio omnique dilectionis affectu, laus quoque meritorum ejus acclamata est non minima: ipse verò donis ingentibus est, ut par erat, honorificatus. Obtentu Regis aliquamdiu commoratus est in Francia, cum eo procedens pariterque convivans, potens in palatio & imperio Princeps, & in tanta apud eum gratia, sicut filius apud patrem. Franci omnes exsultabant super eum, & nobilis cognatio, necnon & familia naturalis debitâ præcipuè tripudiabant lætitiâ. Ipse verò omnibus dilectionis vicem reddens, nec tantumdem solummodo, sed duplo omnes diligebat, dicente

Matth. 5. 43.

Domino: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Tamen pro hac tanta dilectione, proque tantis affectibus, non poterat amor Dei ingens & in re modum excedens in corde ejus tepescere: sed tanto ardentiùs, quanto secretiùs succendebatur, & in cordis penetralibus flammis erescentibus æstuabat.

Sæculi fugam meditatur,

14. Namque inter delicias domini scilicet Caroli; inter oblectamenta sæculi, interque blandimenta carnalium amicorum, nocte dieque tractabat curâ præmaximâ & corde pervigili, quatinus relicta hac omni pompa nobili & gloria transitoria hujus mundi, quæ præterit ut flos feni vel similitudo fumi, pauper & modicus Christum pauperem sequeretur; & eo ductore eodemque largitore gloriam quæ non finitur, & divitias æternas in cælo consequeretur, & Regis immortalis Patrisque invisibilis miles esse mereretur. Verumtamen in hoc ejus animus fluctuabat, & quadam dubitatione suspendebatur, utrum domino suo Carolo inconsulto, cui tan-

Caroli licentiâ [illegible] grè [illegible] piâ.

topere in amicitiis adstingebatur, id fieri oporteret. Ergo visum est ei optimum, & dignum duxit, ut eum gratia & consensu domini tam dilectissimi ac Regis tam christianissimi, de illius ad Christi se transferret militiam: ne fortè, nisi hoc fieret, reus haberetur Domino & potestati, sed neque alicujus offensionis argui posset vel delicti. alioquin occultè & absque arbitris, sola divinitate conscia, longè antè effugere cogitarat. Accedit ergo solita familiaritate ad Regem: & eum opportunè inveniens, datis primitus magnis & saluberrimis pro quibus advenerat consiliis, subsequenter de semetipso incipiens ita prosequitur: Mi domine, mi pater „ Carole, quem Rex cælestis populo suo dedit Regem, cujus me esse mili- „ tem & principem ipse aliquantisper voluit, tu ipse nosti, teque per tuam „ gratiam testem adhibeo, quàm verax, fidelis, quàmque unanimis tibi sem- „ per exstiterim, quantus erga te mihi fuerit dilectionis affectus; ut te vitâ „ gratiorem, teque super salutem omnemque jocunditatem pro luce mihi ha- „ berem. Nosti etiam quid ego miles tuus pro te egerim, quanta pertulerim, „ quoties te in mortem & in mortis pericula sim secutus, semper paratus & „ promtus pro te animam meam ponere, & tuam (quantum in me fuit) serva- „ re & protegere. Si surrexit adversum te prœlium, lateris ipse & capitis cu- „ stos fui. si castrorum impetus, vel gladius ex adverso armatus; me oppo-

fui, atque inter te & arma memet murum constitui. numquam subterfugi, numquam te deserui. Nunc ergo obsecro, domine mi, patienter me audi, nec durè accipias verba tui militis, immo dilecti tui: & ne te diutius protraham, ecce coram Deo meam tibi ostendo conscientiam. Postulo licentiam, ut ad illius æterni Regis novus miles me transferam militiam. habeo enim votum, magno quidem longoque desiderio, ut abrenuntiatis omnibus meque ipso abnegato eam serviturus Deo, in illo scilicet Monasterio, quod jamptidem tuæ caritatis causâ construxi in eremo. Circ. an. DCCCXII. Maii XXVIII.

15. Hiis verbis inopinatis clemens Carolus auditis paullisper diriguit, & vultus ejus concidit; atque graviter suspirans, nec à lacrymis temperans, paucis amico respondit: Mi domine Willelme, quàm durum est quod loqueris! quàm amarum quo dfuggeris! gladio me appetis, telo percutis dum talia prosequeris. Vulnerasti cor meum pro hac petitione, affligis vehementer animam meam pro tua discessione. verumtamen quia justa est petitio, & tam religiosa quàm & rationabilis hæc tua postulatio, non habeo quid dicam, neque fas est ut contradicam. Si Regum quemlibet mortalium me relicto adire voluisses; si hominem Imperatorem, qui magis tibi complacuisset, nostræ dilectioni prætulisses; hoc utiquead injuriam meam nullatenus possem ferre: sed adversus illum Regem commoverem orbem terræ. si fecisses pro honore vel dignitate majore, aut fortè pro divitiis quibus potenter affluis; cuncta utique mea libens tibi obtulissem, & ad placitum dedissem. Nunc verò quia nihil est horum, sed desideras effici miles Regis Angelorum, præsentia contemnens, spe futurorum bonorum; en ita tibi faciam, velim, nolim, consentiam, non refellam propositum, neque votum præpediam: ita dumtaxat, ut modò mihi & unum concedas, quatinus sine meis donis nequaquam à me recedas. In hoc enim me consolatum & animæquiorem habebis, si de regalibus thesauris me donante optima quæque tuleris in signum & recordationem nostræ dilectionis ac perpetui fœderis, unde saltem honores locum, quem ad inhabitandum tantopere diligis. Hæc ait, & in lacrymis prorumpens super collum amici ruit, & ut fieri super mortuo solet, diu & amarissimè flevit.

16. Willelmus quoque domini sui lacrymas non ferens, & ideo ampliùs lugens, seque graviùs affligens, postquam ipse nimium fletum emisit, & dilectissimi Regis angelicam faciem regiasque vestes tantis fletibus infudit; tandem domini mærorem vehementer prohibens, seque ipsum magna virtute animi confortans & continens, ita respondit: Non decet, Rex clementissime, vestram regiam celsitudinem, nec mihi fideli vestro, nec cuilibet umquam tantum condescendere, ut oculi vestri pleni gratiâ omnique pulcritudine, gemmis venustiores, berillis splendidiores, lacrymis perfundantur, vel lugere videantur. O utinam ipsas lacrymas vestri siderei vultus non ipse vidissem! utinam heri sive nudiustertius rei hujus præscius esse potuissem! fateor peccatum meum, priusquam id pertulissem, majestate vestra inconsulta & insalutata diffugere maluissem. Nunc autem, mi domine, & Christi nomine quod mihi expedit, & vobis multum convenit, causam meam incipite: & neque vultu tristi, neque mente lugubri, sed cum jocunditate & gaudio spirituali à vobis me dimittite, & ad communem Dominum Regemque omnium cursum meum dirigite. Quod autem gratia vestra de thesauris vestris dona mihi placita dignatur offerre, vos quidem facitis vestro regio & imperiali more. at verò si ego meis omnibus pro Christo abrenuntio, quomodo vestra tollo, vel aliquid ab aliquo qualiter accipio? sufficit enim rerum mearum copia, auri quoque & argenti satis ingens pecunia. Tamen si multum vobis placet aliquid mihi dare, & per me omnipotenti Deo aliquid præsentare; sunt vobis dona religiosa sunt, munera pretiosa; quod vestrum est

Circ. an. DCCCXII. Maii XXVIII. Lignum crucis Hierosolymis trāsmissum ab eo petit,

» dare sine reprehensione, & meum suscipere absque offensione: dico enim » de glorioso ligno Domini, quod me præsente olim vobis missum est ab Hie» rosolymis. Quo audito Carolus primò quidem accepit durè: deinde ad se » rediens, & tanti amici devictus amore, Felicem me, inquit, pro hac peti» tione, & hoc erit factum cum Dei benedictione. Denique cùm Rex ipse venerabilis primo imperii sui anno Romæ moraretur, & imperialem ad primam gloriam restauraret dignitatem; Patriarcha Hierosolymitanus desiderans eum honorare, multumque placere ei, miserat illi ab Hierosolymis per ZACHARIAM [a] magni propositi magnique testimonii Sacerdotem, perque duos Monachos Hierosolymitanos magnæ religionis nec parvæ auctoritatis, illud dominicæ crucis venerabile cunctisque mortalibus phylacterium adorandum, gemmarum splendoribus & auro purissimo, quantum potuit humana devotio, decentissimè perornatum, magnisque postea & crebris exploratum atque probatum virtutibus: ut nulli sit dubium, quin ipsum verè de eo ipso fuerit nostræ redemtionis ligno. Hoc donum Regi dignum misit Carolo ab Hierosolymis venerabilis Patriarcha: quod Dei cultor ille mirabilis Imperator super omne quod offerri vel præsentari poterat, gratum habuit & acceptum. Suscepit enim Rex munus sacrosanctum, sibi quidem præsentatum, sed Willelmo à Deo promissum & cælitus prædestinatum.

& obtinet cum aliis donariis.

17. Igitur Rege jubente mittitur sine mora: defertur illud lignum mirabile cum sanctificata ac venerabili ara, necnon & ipsius aræ pretiosus cultus & plurima ornamenta, Sanctorum etiam pignora gloriosa [b], quæ Carolus » propria manu dat amico in hæc verba: Suscipe nunc, dilectissime, hæc do» mini tui dona contra malignos spiritus, & contra adversa omnia, præclara » atque fortissima arma suscipe Regis tui munera, novissima militiæ tuæ » præmia. Hæc tibi semper erunt nostræ dilectionis vera & certissima signa, » frequens recordatio, memoria sempiterna. Haut enim dubium, quia quo» tiescumque hæc sancta vel oculis adspexeris, vel manibus tenueris, do» mini tui Caroli oblivisci non poteris.

Amicis & consanguineis repugnantibus,

18. Interea jam cœpit audiri & murmur crebrescere, quoniam Willelmus acceptâ licentiâ à Rege mundum vellet relinquere, & mutato schemate Monasterium vel eremum expetere. Tum subitò tota domus regia consurgit, omnis pariter civitas ruit. Adest repentè non parva Procerum frequentia, intrat cum violentia omnis illa nobilium Francorum militia, fortiter ei adstricta in magna amicitia. Accurrit mente perdita & vehementer attonita illa sua specialis & naturalis familia, omnes ejulantes & » vocibus incompositis coram Rege conclamantes: Quid, Willelme do» mine, quid est quod putas facere? ut quid vis recedere, Regem relin» quere, Regnum evertere, universos nos perdere? Quo enim vis abire? » si vis ad Deum ire, ubique locorum potes eum invenire. Ideo, Princeps » egregie, te decet considerare, ac pro salute multorum sententiam retra» ctare. At verò Dei fidelis, cujus jam mens tota conversabatur in cælis,

[a] Nimirum anno DCCC, testante Monacho Ecolisinensi in Vita Caroli Magni in hæc verba: *Eadem die, nempe VIII Kal. Decemb.* ZACHARIAS quem anno præcedente Carolus cum Monacho Hierosolymitano ad se missu direxerat, *cum duo bus Monachis, uno de monte Oliveti, altero de sancto Saba, de Oriente reversus Romam venit, quos Patriarcha ad Regem misit, qui benedictionis causâ claves sepulcri dominici ac loci Calvariæ, claves etiam civitatis & montis Oliveti cum vexillo detulerunt.* Quæ eadem fere verba leguntur in Annalibus Eginhardi. Ubi etsi nulla ligni dominicæ crucis mentio sit, constat tamen tum portionem ejus, tum alia donaria Carolo fuisse concessa, quæ postea ipse Aquisgrani reposuit. Certè pleræque donationes antiquius factæ Monasterio Gellonensi hunc præferunt titulum: *Donamus sancto Salvatori & venerabili ligno crucis sanctoque Willelmo, &c.* Ea ligni dominici portio insignis, argento deaurato inclusa, hactenus adservatur in Monasterio Gellonensi.

[b] Id est reliquiæ Sanctorum, quas hodie quoque possident Gellonenses nostri, sed arcæ permistim inclusas, ab anno MDLXVIII, quo in subsidium præsidii militaris adversus Calvinistas, dissipata est sacra supellex Monasterii, præter crucem prædictam, brachium sancti Willelmi, & alia quædam.

respon-

Circ. an. DCCC XII. Maii XXVIII. hic in propoſito manet immotus.

reſponſum non dabat eis: ſed tamquam mons immobilis & turris fortitudinis, nec movebatur verbis, nec flectebatur lacrymis. Cui etſi inerant viſcera pietatis virtuſque magna debitæ compaſſionis; tamen ſtabat fortiſſimus, immoto vultu penitus & inflexis oculis. Cumque invictum teneret vultum, tamen tandem propter lacrymas & gemitum elevans oculos, cælos reſpexit, & reſpondens omnibus breviter dixit: Si mihi, ô cari mei, fidem poſſetis dare & obſidibus firmare, ut ſemper in hac vita poſſem vobiſcum manere, feliciter vivere, numquam mortem videre; poteto uteumque, quamvis non bene, vobis adquieſcere. ſi verò id non poteſtis, finite me, quæſo, ſi amici mei eſtis, ſi, inquam, hoſtes non eſtis; ſinite ad vitam ire, lucem ſequi, viam tenere, veritatem quærere, veraciter invenire. Hodie fortaſſis vel modico tempore poſſem vobiſcum manere: ſed conſtat, ut vos ſcitis, quia mortis neceſſitas & conditio naturæ tollit nobis permanere.

à Rege diſcedit.

19. Hæc dicens beatus Willelmus, & eunctis vale faciens, ſeque propete ab omnibus ac fortiter excutiens, exit de civitate, bajulans crucem in ænigmate, crucem verò Jesu-Christi in veritate, Rege Carolo dilecto ſuo domino diutius illum cum lacrymis deducente, Francorum exercitu cum dolore & gemitu, eunctaque multitudine cum longiùs, quouſque oportuit, proſequente.

Brivate arma ſua offert ſancto Juliano.

20. Igitur Dei amicus tandem expeditus, tantiſque diruptis hujus mundi vinculis, eccleſiis honoratis, multis eleemoſynis pauperibus erogatis, ſervis etiam non paucis libertate donatis, Franciam egreditur, Arvernum ingreditur. Cumque ad inſignem vicum qui vulgò Brivate [a] dicitur, deveniſſet, ibique ſpatio itineris opportuno officioſiſſimè, ut par erat, ſuſceptus fuiſſet hoſpitio, pergit oratum ad venerabile templum ſancti Martyris Juliani, ubi devotè proſtratus multumque lacrymatus puram celebrat orationem: oblatiſque dignè ſancto altari muneribus, etiam de ſuis armis bellicis perfecit oblationem. Offert itaque ante Martyris tumulum galeam decentiſſimam & ſpectabilem clypeum: foris verò extra templum præſentarat ad oſtium pharetram & arcum, ingens telum, verſatilem gladium: ex quibus clypeus in templo hodieque conſervatur, qui & ipſe de Willelmo quis & cujuſmodi fuerit ſatis teſtificatur. Jam verò armis omnibus oblatis & cum muneribus Domino conſecratis, denuo flectit genu, terque quaterque pavimento proſternitur, & ſanctum Dei Martyrem in oratione cum lacrymis alloquitur: Novi, ſancte Juliane, novi & certum habeo, quàm miles, quàm armis ſtrenuus fueris in ſæculo, numquam victus, numquam derelictus à Deo: ideoque coram altari tuo arma hæc derelinquo, quæ Deo omnipotenti dimitto, tibique ea committo. inſuper verò animam meam tibi inſtanter commendo, & viam iſtam qua nunc ad Deum vado, ut tu ſerves me à malo, cuſtodias à delicto, ſalves ab hoſte maligno.

Gellonenſe Monaſterium petit.

21. Hiis ita rite peractis beatus Willelmus, modò Dei peregrinus & hujus mundi incola, ſuburbium illud egreſſus, ceptum iter accelerat, Aquitaniam intrat, & avertens oculos ab illa Ducatus ſui terra, parteſque illas jam videre dedignans, curſum dirigit, gaudenſque properat ad Monaſterium illud, quod ipſe paullo antè in eremo conſtruxerat. Illuc anhelat, ibi ſalvari ſperat, illuc Domino ducente pervenire deſiderat. Tandem intrat provinciam Lutevenſem, & optato pervenit ductu ange-

[a] Hinc eccleſia illa Brivatenſis, vulgò *Briande*, Vuillelmi olim memoriam colebat. Certè Cunebertus ejuſdem eccleſiæ Præpoſitus in litteris primatiis Cellæ Cantogilenſis, eam ideo à ſe conſtructam dicit, ut *ſit hac oblatio pro noſtra congregatione tam vivorum quàm etiam mortuorum, tum etiam pro anima* VUILLELMI *Ducis atque nepotum ejus Vuillelmi & Alefredi*. quo in loco Vuillelmum noſtrum deſignari exiſtimo, cujus nepos fuit Vuillelmus Bernardi filius.

CIRC. ANN ❦CCCXII. MAII XXVIII. lico ad convallem Gellonensem. Videns autem loci amœnitatem gratamque pulcritudinem, illamque suam bene recognoscens dilectam solitudinem, gratias refetens Omnipotentem adorat, qui viam suam direxerat, & bene prosperarat: salutat Monastetium, Spiritum-sanctum implorat. » Adveni, inquit, cælitus sancte Spiritus, gratia & pietate solita semper hunc » locum visita, tu salva, tu ædifica, & ad tuam magnam gloriam habita» tionem istam & habitantes in ea benedic & sanctifica. Hic me, ô Sancte » sanctorum, suscipiat tua propitiatio, hîc mihi peccatorum tribuatur re» missio, hîc detur mihi requies & in pace dormitio, & in novissimo die » beata quam credo carnis resurrectio, ut cum Sanctis & Electis occurram » Judici meo, & in æterna gloria semper gaudeam cum eo. Inter hæc verba orationis, laudis & confessionis, & totius ad Deum devotionis, vir sanctus appropinquat Monastêrio, nudis pedibus, indutus ad carnem non molli neque leni cilicio. Auditur de eo, venitur obviàm longè procul in bivio; fit illi, quamvis resistenti & vehementer contradicenti, festiva atque religiosa, velit nolit, processio. Susceptus à Fratribus quos ipse olim ibidem constituerat, Abbate prævio quem eis præposuerat, cum summa reverentia, cum gaudio magno communique lætitia ducitur ad orationem, deferens mundis manibus & mundo corde auro pretiosiotem gem- *ecclesiæ donaria confert.* misque splendidiorem salutiferæ crucis perpulcram oblationem, lignum vitæ, sæculi redemtionem. Nec minùs quoque & aram deitate plenam, mira virtute præclaram, cujus superiùs fecimus mentionem, ipse in ulnis detulit ad hanc processionem. Oblatis muneribus tam sanctis tamque pretiosis, aliisque decoris valde ac præcellentibus donis, calicibus scilicet aureis & argenteis cum suis offertoriis, libris etiam valde bonis multumque necessariis, Sanctorum quoque reliquiis incomparabiliter pretiosis, nec minùs & vestibus sericis cum stolis auro textis & palliis transmarinis, positisque omnibus reverenter super altare sancti Salvatoris, ipse solo prosternitur, extensisque manibus mundo sic crucifigitur: citciter duabus horis preces quas ad cælum fundit, dulcesque lacrymas quibus terram irrigat vel pavimentum infundit, credimus quòd Deus audit & propitius exaudit. Nam virtus orationis ac flamma compunctionis adscendebat è terris in conspectu Conditoris, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & sicut sacrificium vespertinum in gratiam suavissimi odoris.

in Monachum suscipitur. 22. Completa verò oratione, factaque cunctis altaribus sua cuique digna veneratione, (ingentia namque munera in singulis Deo obtulit, & ea deauratis & decenter gemmatis ornamentis operuit) itur in auditorium a, & osculatis Fratribus, lectaque ex more lectione, factoque pro tempore brevi sermone de animæ ædificatione, mox vir Dei subinfert & » indicat manifestè, cur ipse venerit vel qua intentione. Volo, inquit, vos » scire, domini mei, amodo patres in Christo & fratres mei, quoniam ad » hoc hodie huc adveni, ut abnegatis & abrenuntiatis omnibus quæ sunt » mundi hujus, adjungi merear, si placet, vestræ societati per gratiam om» nipotentis Dei secundùm Regulam beati BENEDICTI. Ideoque si pla» cet sanctitati vestræ, & si judicatis me dignum æternæ vitæ, preces meas » exaudite, & cognoscentes desiderium meum perficite, & differre nolite. Hæc eo dicente, omnes qui aderant stupore detinebantur, & hanc verè divinam dispensationem altiùs considerantes, quanto mirabantur, tanto & lætabantur: & adjudicantes petitionem ejus fieri debere, omnia rite præparant, & ipsi præparantur.

anno 806. 23. Igitur anno ab Incarnatione Domini octingentesimo sexto, imperii verò Caroli quinto, die natalis Apostolorum Petri & Pauli, Willelmus

a Quamvis Auditorii nomine designari soleat locus, in quem Fratres confabulandi gratiâ conveniunt, ob id Locutorium alio nomine dictus; tamen Capitulum hoc loco significari puto.

Comes auro textis depositis vestibus, per Dei gratiam sollemniter benedicitur, totus ille in eo sacer ordo perficitur; coma nobili, barba venerabili deposita & Deo [a] consecrata, veste apostolica instar crucis induitur, extendensque manus suas & ducendus quo non velit ab alio praecingitur. Cumque abnegat esse suus, BENEDICTE Pater tuus, immo tuus totus, tuus sancte Deus efficitur. CIRC. AN. DCCC XII. MAII XXVIII. a

24. Hiis ita digestis, ad laudem & gloriam omnipotentis Dei Willelmus Dei famulus & modò adnumeratus & adsignatus JESU-CHRISTI discipulis, subitò immutatus, veraciter alteratus cœpit novus miles haberi, & alter à se ipso modis omnibus videri. Neque enim erat ipse, in quo quod olim fuerat, jam ipsum non erat esse. Sic denique novus homo veterem exuerat, ut nec signa remansissent ejus qui olim fuerat. Qui enim solebat paullo antè in palatiis degere auro radiantibus ac depictis sinopide; cœnacula peroranata, triclinia constrata cum gloria possidere; praecelsa propugnacula vel summas arces tenere: hic modò abjectus in domo Domini elegerat habitare, & in angulo claustri ultimus & cunctis vilior diligebat latitare. Ipse quoque qui etiam paullo antè noverat leges dare, populum informare, indoctos docere, doctos magis promovere; quique servis innumeris & familiae multae nimis dignus fuerat praeesse, & meruerat prodesse, & tamquam Rex circumstante exercitu stare medius, paterfamilias esse: hic modò docebatur sine indignatione, in omni patientia, sine murmuratione, à quibuslibet personis, à pueris etiam & aetatis junioris. Docebatur, nec confundebatur; corripiebatur, sed non irascebatur; interdum caesus & injuriis laesus, neque resistebat, neque comminabatur. Gaudebat planè esse in subjectione, & delectabatur in omni abjectione, volens esse subditus propter Deum omni humanae creaturae, paratus eunctis servire, obsequi & obedire, proficiens quotidie in sanctitate & religione & in omni sanctae Regulae observatione, sicut aurum in camino mirabili coctione. Quàm subitò in alium virum mutatus!

25. Nunc ergo necessarium videtur & ad rem pertinere, aliqua de multis quae ipse postea in Monasterio fecerit referre. Nondum enim Monasterium ad perfectum ex toto perduxerat; sed postea in habitu sanctae Religionis, adjuvantibus eum filiis suis BERNARDO [b] scilicet & GAUCELINO, quos Comitatibus praefecerat suis, Comitibusque vicinis, perfecit sicut cœperat. Difficilis ergo ad jam dictum Monasterium pro asperitate montium ingressus erat: sed ipse Dei servus jam Monachus argumentosè incisa rupe cum malleis & securibus & diversis ferramentorum generibus, junctisque firmiter & diligenter ferro & plumbo lapidibus, jactatoque fundamento secus flumen Arauris, viam altiùs sustulit, quantum potuit direxit, & monti conjunxit. Item pro ejus amore & petente Monasterium perficit filiis juvantibus. b

a In hac Vvillelmi benedictione quaedam veniunt observanda. primò eum in ipso tirocinii monastici initio vestes religiosas accepisse. quod post annuam dumtaxat probationem faciendum praescribit sanctus Benedictus in Regulae cap. 58 idque servandum statuunt Patres synodi Aquisgranensis cap. 34. Deinde Vvillelmo barbam, nedum caesariem, detonsam fuisse quod in Monachorum susceptione fieri solitum docet nos vetus Caeremoniale Monasterii Anianensis. Praeter ea, barbam ejus & capillos Deo consecratos fuisse. Huc spectat Aurelianus Episcopus in Regulae cap. 4 *Si quis laicus tonsurandus est. de capillis illius in Confessionem mittatur, qua ei in testimonio sit.* Id etiam a paganis actitatum docet Plutarchus. Lege Notas Goaris in Euchologion Graecorum pag. 177. & Angeli de Nuce in Chronici Casinensis lib. 1 cap. 46. Postremò vestem illam apostolicam quae *instar crucis* facta dicitur, esse Scapulare, ut probat Menardus noster in Concordiae Regularum caput 62. De Vvillelmi Scapulari infra num. 29.

b Uterque in litteris dotationis Monasterii inferiùs relatis nominatur Bernardus & Gotcelinus, malè aliis Guillelmus, unde occasio data est distinguendi Guillelmum à Gotcelmo, seu (ut alii mendosè scribunt) Gotcelino, quasi hi duo fuerint Vvillelmi filii. Bernardus iste, paternae dignitatis heres, caesus anno DCCC XLIV, praeter Vvillelmum, filium habuit cognominem, à quo utroque distinguendus est alius Bernardus, itidem Tolosae Comes patre Raimundum patrem, is cujus Placitum pro Monasterio Casarione seu sancti Tiberii aliàs referemus.

Circ. an. DCCC XII. Maii XXVIII.

co Ludovicus[a] Caroli filius, Rex Aquitaniæ, cum omni bonitate de fisci sui jure dedit Monasterio cum præcepto suo, anuli sui auctoritate firmato. Fecit quoque beatus Willelmus circa Monasterium vinea & oliveta plantari, hortos plurimos construi, ipsam vallem, destructis arboribus infructuosis, fructiferis pomeriis meliùs complantari. Hujusmodi verò opera quæ erant loco valde necessaria, non solùm per alios faciebat, sed etiam in ipsis laboribus pro Dei amore ac vera humilitate & religione semetipsum exercebat.

Ipse manibus laborans.

Humilitati studet ardentiùs.

26. Præterea crebrò veniens coram Abbate & Fratribus, eorum humiliter provolvebatur genibus, petens & persuadens magnis obsecrationibus, ut concedatur ei, & consentiatur pro misericordia Dei ampliùs adhuc abjici, ampliùs humiliari, vilissimum fieri & contemni haberi. Nulli ultrà foret in memoria illa quam reliquerat dignitas & gloria; nemini Willelmi nomen esset in reverentia: sed in illa congregatione sanctissima haberetur purgamentum cunctorum, omniumque peripsima. Item postulat magnâ precum instantiâ, vt si qua sunt in Monasterio officia, quæ aliis quibusdam habeantur indigna, vel quasi inhonesta seu indecentia, sint fortè levia sive difficilia, hæc sibi in Christi nomine injungantur providenda, & bono animo, bonâque conscientiâ pro viribus adimplenda. Hinc ad Fratres se convertens, eisque secretò vel in confessione loquens, deprecabatur eos dicens, ut omnes atque singuli pro servo illo utantur, & quasi uni ex mercenariis ita ei imperare & sua quisque opera injungere minimè revereantur. Vult esse ut jumentum, & tamquam pullus asini portare Fratrum onera in illa domo Domini, juxta illud Psalmistæ in persona animæ sanctæ ad obedientiam promtæ: *ut jumentum factus sum apud te.* &, *Deduxisti me in tua voluntate.* Re enim vera visus est sæpissime pro summa humilitate asellum humilem vilemque sedere messis tempore, & flascones vini Fratribus ad reficiendum deferre. O quàm mirabilis Deus! qualis mutatio dexteræ illius! ô qualis de quali effectus est hic servus ejus beatus Willelmus! quantum mutatus, quantum humiliatus! Qui enim quondam decentissimè utebatur equis mirabilibus, electis & exquisitis de multis mundi partibus; cujus etiam servi numerosi & servi servorum ejus equis ibant & curribus pretiosis & pluribus; hic modò non erubescebat vili asello gestari cum suis flasconibus! Neque verò hiis contentus, si quis Fratrum in officio vili & quasi contemtibili detineretur, in quo etiam quasi locus injuriæ vel contumeliæ videretur; hujus nimirum frater Willelmus mox aderat vicarius, sublevator oneris, humilis operarius & omnibus indiscretè unus hebdomadarius.

Psal. 72. 23. & 24.

Coquinæ officia exsequitur.

27. Sortitur interea ad suam ipsius petitionem servitium coquinæ & administrationem, novum quippe quotidie renascentemque laborem: quem tamen multo majori amplectitur gaudio propter Dei omnipotentis amorem, quàm si olim, dum adhuc mundo viveret, sibi contigisset Regni gloriam obtinere vel Imperii honorem. Ecce enim dominus Willelmus de Consule cocus, de Duce magno inquilinus efficitur, ligna collo deferens, amphoras aquæ bajulans, ignem excutiens & ipse succendens: quique olim vixerat in deliciis præclaris inter discos & pateras mensæ imperialis, quamplurimos habens coquinæ ministros; ipse modò cocus humilis & servitor fidelis manibus propriis parapsides abluit, olera colligit, pulmenta condit, legumina[b] infundit, & ipsâ refectionis horâ cuncta lautè præparata, munda

[a] Ludovici hac de re diploma leges in fine hujus Vitæ, ubi etiam Gotcelmus Comes & Missus laudatur.

[b] Hinc *infusa* dicta apud Johannem Moschum in Prati spiritalis cap. 179 quibus locis aliquam lucem adferri puto ex commentario in Regulam S. Benedicti, Paulo Diacono adscribi solito, cujus hæc verba in Regulæ caput 39. *Nascentia leguminum intelliguntur germinantia, quia mos est illius terræ, & Romanæ, & aliarum provinciarum, mittere legumina in aquam, & cùm germinata fuerint, tunc manducari.* Hinc aliquoties apud Theodoretum de vitis Patrum legimus *lentem aquâ madefactam*, &c.

CIRC. AN. DCCC XII. MAII XXVIII.

& purificata manibus mundis & mundo corde Fratribus anteponit, recumbentibus ministrat: ipse verò non recumbit, immo jejunia continuans lares fovet & custodit. Porro mensâ peractâ & lectione finita, servus servorum Dei cum omni diligentia vasa cuncta recognoscit ad se pertinentia, quæ iterum lota itemque dinumerata eidem operi & labori consignat sub custodia.

Pistrinum & molendinum curat.

28. Præterea portanti hæc omnia, quasi nihil gravato vel parum onerato parumque humiliato, cura injungitur pistrini, officium molendini. Additur opus operi, labor accrescit labori. Adhuc quoque operarius ille Dei onus aliud postulat, & conceditur ei, cura scilicet præparandi clibani & calefaciendi, coquendos imponendi panes, coctosque extrahendi: quod tamen genus operis antè numquam attigerat, neque in hoc sæculo in hujusmodi arte se numquam exercuerat. Igitur Willelmus pistor & clibani calefactor, servitor ipse coquinæ & pulmentorum ministrator, tantâ vigilantiâ tantaque providentiâ administrabat omnia, ut jure in nulla argui posset obedientia. O quàm imitator ministri illius cælestis, qui adsumptâ servi formâ in specie nostræ mortalitatis venit non ministrari, sed ministrare, & dare animam suam pro multis, dicens discipulis suis: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Iohan. 13. 15.

Clibanum ardentem intrat & purgat illæsus.

29. Igitur quadam die viro Dei intento orationi & sanctæ meditationi, res insolita contigit ei, sive per invidiam diaboli, qui bonis omnibus numquam cessat adversari; seu per dispensationem omnipotentis Dei, qui merita servi sui & virtutem obedientiæ volebat palam fieri, jamque in lucem haberi. Nam panibus ad coquendum ex more præparatis, sed lignis ad clibanum calefaciendum minùs præstò; cùm jam hora officii sui tardare, hora verò refectionis Fratrum videretur propinquare ac fortiter festinare; Willelmus servus Domini timens de negligentia argui, de inobedientia accusari & graviter judicari, concitus accurrit, atrium circuit, huc illucque discurrit, sarmenta congerit, stipulam colligit, & quidquid manus invenit: sicque quocumque modo, quibusque potest fomentis caminum fortiter ac velociter calefacit. Quo repentè bene conflato & ad opus calefacto, cùm jam necessariò fornax evaporandus, prunisque flammâ vernantibus esset evacuandus, calibe repurgandus, cineribus extergendus; item contigit cuncta usui huic armamenta minùs adesse, nullumque penitus hujusmodi instrumentum ad id operis explendum illic reperiri posse. Cumque jam servum Dei tempus vehementer urgeret, cura argueret, hora Fratres reficiendi paullo minus præteriret, nil consilii, auxilii nihil ab homine inveniret; quid faceret de cælo citius requirit consilium, & ad divinum recurrit auxilium: nihilque cunctatus invocato Christi nomine factusque tutissimus, sanctæ crucis munimine fornacis intrat incendium, flammas exstinguit, exsuperat incendium, vaporem mitigat, rogum reddit innocuum. sicque propriis manibus extrà factis carbonibus, & scapulari illæso expositis cineribus, lares aptat & temperat intromittendis panibus; ipse quidem in corpore neque ullam sentiens læsionem, neque etiam in vestimento aliquam qualemcumque sustinens adustionem. Ille namque, ut credimus, qui in camino Babylonis cum tribus pueris quartus apparuit; huic quoque servo suo in camino paupertatis & veræ humilitatis Dei filius adfuit, qui flammas domuit, incendium prohibuit. ideoque nec flamma eum nocuit, nec in illum odor ignis prævaluit, juxta illud quod olim Dominus per Prophetam dixit: *Puer meus noli timere, dum transieris per ignem, flamma te non nocebit, & odor ignis in te non erit.* Esa. 43. 2. Unde & de clibano tam illæsus modis omnibus exivit, tamque indemnis, quàm valens corpore quàmque veste incorrupta in eum intravit. Sicque panibus diligenter coctis & optimè præparatis, cophinos plenos deferens, venerabili Abbati &

Circ. an. DCCC XII. Maii XXVIII. Fratribus ministravit. Nec dubium id divinâ ideo gestum providentiâ, ut luce clarius fieret revelante per ignem Spiritus-sancti gratia, quanta apud eum esset servi Willelmi fides ignea, simplex obedientia, ardens humilitas: neve Fratribus esset ultra in graviori culpa labor improbus & jugis injuria, quam idem vir Dei, & veraciùs hostia, diu sustinuerat eorum negligentiâ, mirâ innocentiâ, multaque patientiâ. Item ideo ne gemma illa splendida tantaque lucerna arderet in abscondo vel in angulo sola; sed potiùs de sub modio abstracta & altiùs elevata, cunctisque manifestata luceret in Ecclesia.

Abjectis operibus subductus contemplationi vacat. 30. Extunc ergo vir inclytus Deo volente cognitus seque nolente proditus, summa veneratione in illa sancta congregatione est habitus: & reclamans à prædictis est officiis suspensus & omnino prohibitus. Igitur ab omni opere servili præcipitur abstinere, & conceditur ei pro libitu se habere, seque in Dei opere ad suum desiderium exercere, orationi & sanctæ meditationi vacare, Deo mente inhærere. Deputatur ei cella ad ipsius voluntatem, quæ omnem sæculi despiciat vanitatem: de qua etiam cælum videre, & ad siderei queat throni suspirare claritatem. Itaque exercitatus diutius in activa, incipit requiescere in vita speculativa: & post Marthæ servitium frequensque ministerium, delectatur cum Maria in perenni theoria. Dum autem vi mentis & spiritualibus oculis cælestia contemplatur, quidquid est terrenum, seu vile, seu pretiosum, acsi abominationes Ægypti respicere dedignatur; carnis quoque naturam anima præeminente transscendens, angelicam quantum possibile est puritatem æmulatur. Unde & tamquam modò incipiens, & quasi novus operarius & recens ad opus Dei veniens, atque cum Apostolo quæ retro sunt obliviscens, & in hiis quæ sunt ante se extendens, majori iterum se adjudicat districtioni, novæ pænitentiæ ac novæ afflictioni, jugibus lacrymis, geminæ compunctioni. Cumque in eo ante per multam abstinentiam omnis titillatio, omnisque fuerit voluptas emortua, caro contrita, sopita carnis vitia; modò tamen tanta iterum jejuniorum austeritate carnem mortificat, tantaque pertinacia, ut jure queat conqueri Agar, quæ est ancilla, de dominæ suæ, quia nimiùm opprimitur, Saræ violentia. At verò rerum Pater, qui & naturæ imperat, & ipsa obtemperat; sic eum corroborat, sicque amore reficit ac verbo vitæ satiat, ut neque famem sentiat, nec viribus deficiat. In virtute quoque orationis ac divinæ lectionis sanctus idem contemplator tantopere delectatur, quanto nullis officiis aut curis præoccupatur, adeo quidem ut non tam frequens quàm continuus in hoc semper studio habeatur.

Eucharistiam qua reverentia sumat. 31. Abstinens itaque à cunctis corporis & carnis oblectamentis, & modo non custodito temperans ab alimentis, animam ipse reficit epulis mensæ cælestis, & impinguare non cessat vivificis sacramentis. Sacris altaribus hanc servat reverentiam, priusquam sumturus erat Christi Eucharistiam, etiamsi sit hiems aquas glacie perstringens, nix quoque fortis & ingens; tantùm aquis perfunditur, vi algoris decoquitur: cuique munda sunt omnia, ipsâ qua abluitur, mundior undâ redditur. Neque verò tantùm hoc faciebat, quando divina mysteria sumturus erat, sed etiam aliis multis vicibus & indiscretis noctibus tali lavacro totum corpus infundebat. Qui post multam longamque refrigerationem de aquis egrediens, beati Michaelis [a] Oratorium introibat, ibique uno perraro tectus tegmine pervigil in oratione manebat, utroque genu flexo & nudo marmori adfixo pectus crebrò percutiens, suspiria emittens, & multis lacrymis ora infundens. Habebat quoque in consuetudine coram sacris altaribus centies in die & centies in nocte genua sua flectere, & non solùm

Alia ejus exercitia.

[a] Illud oratorium sæculo proximè elapso ab hæreticis destructum est.

pro suis, sed etiam pro peccatis omnium misericordiam Domini implorare. Circ. an. Præterea recolens Agni occisionem, illas injurias, illam accusationem, DCCC XII. alapas, sputa, flagella, omnemque derisionem; à Fratre familiari & Maii XXVIII. amico singulari facit se in conclavi pro Christo exspoliari, pro illo adjudicari, Passionis se judice condemnari; sicque cædi virgis & acriter flagellari: inde meditatio, mundior electro vitroque purior sacro propinquat altari. Ergo semper cum flagellatio. lacrymis sacris adstat mysteriis, & cum lactucis amaris reficitur epulis hostiæ salutaris. Hoc pane cælesti pascitur ad salutem, hoc potu spirituali vitam capit & virtutem: anima nutritur ad immortalitatem, carnis fragilitas non sentit debilitatem.

32. Porro inter hæc egregia sanctaque exercitia, inter virtutum dona Spiritu & sanctitatis studia, beatus Willelmus spiritu prophetiæ donatur, ac di- prophetico vinis oraculis plurimùm vita ejus declaratur. Requiescit super eum Spiri- obitus diem prætus Domini, & præsentiâ Dei futura suggerit, & quæ ventura sunt de- noscit. nuntiat ei. Unde & sanctissimi obitus sui diem in spiritu longè antè præscivit, quem accedente tempore non solùm Abbati & Fratribus imminere prædixit, verùm etiam locis vicinis & Monasteriis circumquaque positis vel procul constitutis scripto significavit, etiam & dilectissimo suo domino Regi Carolo nuntium delegavit. insuper verò & quod signum fieret, quando ejus anima de corpore exiret, manifestissimè indicavit. Igitur beatus Willelmus plenus sanctitate, gratia & veritate, consummatus obedientia ac vera humilitate, gaudens exspectat diem vocationis suæ: quo instante jam jamque præsente, iterum prædicit ipse horam suam advenisse. Mittit pro Abbate, Fratres postulat adesse, quibus præstò factis, multum verò pro ejus exitu iratis superque contristatis, ipse dulcibus ac potentibus verbis persuadens eis omnem prohibet mærorem, fletum mitigat, compescit dolorem: non esse quidem lugendos, qui per Christi fidem & confessionem ad beatam pertinent resurrectionem. Inde commonens eos de vera Religione, de fraterna pace puraque dilectione, postulat se muniri divinis sacramentis, illa scilicet qua vivunt animæ Christi Viatico communione. Sicque Fratribus vale dicens & eis obitum suum commit- sumto moritur, tens, ipse quoque illos locumque dilectum commendans Deo, & in manu relinquens, attollit oculos manusque in oratione, & spiritus jam liber & ad migrandum paratus totus elevatur in Dei contemplatione: sicque deposito carnis onere atque terrena mole, petit cælestia cum exsultatione, deducentibus Angelis alacri & dulci canora processione, dulci orga- v Kal. Junii. no, suavi modulatione. Migravit igitur beatus Willelmus ab hac luce feliciter quinto Kalendas Junii [a], procedit gloriosus ad curiam Regis æterni, ut semper adsistat ante thronum Domini in conspectu Agni, ante faciem Filii Dei.

33. Ipsâ autem horâ sanctissimi ejus transitus factus est repentè per om- Campanæ nes circumquaque provincias, per omnes majores ac minores ecclesias cælitus pulsatæ. magnus valde & insolitus clangor signorum & campanarum sonitus, longa pulsatio, mirabilis tinnitus, nullis hominibus funes trahentibus vel signa commoventibus, nisi sola virtute divina quæ supervenit cælitus. Unde datur intelligi, quia amor & gratia omnipotentis Dei volebat revelare insolitis miraculis merita dilecti sui ad laudem & gloriam nominis sui, qui vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum, Amen.

[a] Et quidem circiter annum DCCC XII. certè ante Carolum Magnum, cui obitus sui tempus significavit. ut proinde annos admodum septem Monachus vixerit Vuillelmus, quem anno DCCCVI in Monasterium secessisse superius legimus num. 23.

CIRC. AN. DCCC XII. MAII XXVIII.

APPENDIX

De S. Willelmi testamento, ara & cultu, translationibus & reliquiis.

1. BINAS *habemus Vuillelmi litteras pro Monasterio Gellonensi, unas quibus varia prædia variosque reditus Cœnobio ab se constructo attribuit; alteras, quibus locum subjecit Abbatia Anianensi. Verasque reddemus inferiùs in fine hujus Appendicis.*

2. *Ad dextram majoris altaris Gellonensis exsistit ara sancto Vuillelmo sacra, cujus tabula pario lapide eximio constat, uti & Sancti reconditorium pone aram constitutum cum egregiis iconibus, quas haretici pessimè fœdarunt anno* M D LXVIII. *Istius aræ dedicatio in Gellonensi Martyrologio consignatur his verbis:* Id. Augusti dedicatio altaris sanctissimi Guillhelmi de Gellonensi Monasterio, quæ facta est ab AMATO sanctæ Romanæ Ecclesiæ sedis Legato anno M LXXVI à Domini nativitate. *Item die ultima Septembris* Dedicatio ecclesiæ sancti Guillhelmi. *Quo verò tempore sancti viri corpus è primario sepulcro istuc illatum fit, mox inquirendum. In ea ecclesia sollemni cultu honoratur sanctus Vuillelmus, cujus memoriam qualibet feria quarta vacante olim recolebant Gellonenses. Immo ejus festum duplici ritu celebratur in diœcesi non modò Luteveensi, sed etiam Biterrensi, ut me monuit R. P. Domnus Romanus Barthetis Monasterii Prior è nostris, cujus diligentiæ in illustrandis S. Vuillelmi gestis multum me debere profiteor.*

3. *In Martyrologio jam dicto legitur* II Non. Februarii Translatio S. Guillelmi Confessoris Christi. *Et* II Non. Martii Translatio corporis sanctissimi Confessoris Christi Guillhelmi anno M C XXXVIII, per manus domni Ugonis Albiensis Episcopi, & RAIMUNDI Abbatis sancti Guillhelmi, & RAIMUNDI Nantensis Abbatis, temporibus Innocentii Papæ secundi, regnante Lodovico Rege. *Translatio prima explicanda videtur de corporis sancti Vuillelmi elevatione: quæ quo tempore facta fuerit, incertum. Certè jam peracta erat ante initium sæculi XI. nam quum Garsindis nobilis femina Monasterio Gellonensi dedit ecclesiam sancti Petri de Salve, anno videlicet* M XXIX, *corpus sancti Vuillelmi eo delatum est. id enim attestantur litteræ hac de re scriptæ in hunc modum:* Deinde ego Garsindis & filius meus Bermundus & frater ejus Almeradus cum consilio virorum prudentum hortati sumus Abbatem Gaoxfredum simulque omnes Monachos Gellonenses, ut sumto ligno crucis & corpore sanctissimi Confessoris Guillelmi ad locum pergerent recipiendum. Qui festinantes, sumtum secum vexillum crucis & sancti Guillelmi glebam cum conventu fidelium Monachorum, Clericorum, Militum, laïcorum, cum crucibus, bannis, thuribulis, candelabris, signis, vestimentis ecclesiasticis, capis, palleis, libris, tubis clangentibus locum adierunt, atque à nobis in nomine Domini datum jam dictum receperunt locum, ut sit cella & obedientia supradicti Monasterii Gellonensis usque in perpetuum . . . Damus insuper omnem decimam panis & vini carnisve domus nostræ, &c.

NOTA.

4. *Post hæreticorum cladem Monasterio illatam Monachi Gellonenses sancti Vuillelmi patroni sui reliquias, quas in tutum locum detulerant, in parii marmoris vasculum subtus aram ejusdem Sancti reposuêre, & quidem octava (ut creditur) die Octobris, quæ ante aliquot abhinc annos celebris habebatur. Radius brachii sancti Vuillelmi, insolitæ magnitudinis, in scrinio ex argento deaurato adservatur. Jam tandem Vuillelmi testamentum seu charta duplex, unà cum diplomate confirmationis Ludovici Aquitaniæ Regis exhibenda est ex Chartophylacio Gellonensi.*

Charta prima Vuillelmi.

IN nomine Domini, ego WILLELMUS gratiâ Dei Comes, recognoscens fragilitatis meæ casus humanæ, idcirco facinora mea minuanda, vel de parentibus meis qui defuncti sunt, id est genitore meo THEUDERICO & genitrice mea ALDANA, & fratribus meis THEUDOINO & ADALELMO, & sororibus meis ALBANA & BERTANA, & filiabus meis & filiis BARNARDO, WITCHARIO, GOTCELMO, HELIMBRUCH; & uxoribus meis CUNEGUNDE & GUITBURGA, & nepote meo BERTRANNO, pro nobis omnibus superiùs nominatis dono ad Monasterium quod dicitur Gellonis, situm in pago Lodovense juxta fluvium ARAOU, constitutum in honore Domini & Salvatoris nostri JESU-CHRISTI, & sanctæ MARIÆ semper virginis & sancti Michaëlis Archangeli, seu Apostolorum gloriosorum Petri & Pauli, necnon & sancti Andreæ, omniumque Apostolorum, quod ego præfatus Comes Willhelmus construere in causa domni & senioris mei Charoli jussi, & ex doctrina venerabilis Patris BENEDICTI Monachos & Abbatem posui, ut Domino Deo jugiter ibi deserviant,

viaut, donatumque in perpetuum esse volo, hoc est res meas quæ sunt in pago jam dicto Ludovense, in primis videlicet fiscom Litenis cum ecclesiis sancti Johannis & sancti Genesii sub omni integritate, cum villis & villaribus, vineis & campis, cultis & incultis, arboribus fructiferis & infructiferis, pascuis, pratis, molendinis, piscatoriis, aquis & aquarum decursibus, quantumcumque ad ipsum fiscum & ad colonicas ipsius aspicit vel aspicere jure videtur; omnia dono, trado ad proprium perhabendum omni tempore. Habet verò has collaterationes & infrontationes ab oriente, & sicut currit flumen Araou; à meridie, sicut torrens Lacatis divergit in ipso flumine; ab occidente infrontat in ipso Aviso, qui discurrit per concava montium in Bodena antiqua, quæ est in supercilio montis; ab aquilone usque in termino Monasterii. Similiter in Marcomitis villa dono quantumcumque DEODATUS Presbyter ibidem dato pretio comparavit, vel quantum ibidem à me possessum est. Similiter dono villam Saturatis cum ipsa ecclesia sancti Saturnini cum omni integritate, cum casis casaliciis, campis, vineis, pratis, silvis, garricis, hortis, molendinis, aquis, aquarum decursibus, quantumcumque ibidem visus sum habere vel possidere, culta & inculta, ad ipsam casam Dei dono ad habendum. Similiter dono in Canneto villa, quantumcumque ibi visus sum habere vel possidere. In pago quoque Magdalonense in villa Soregia, quantumcumque ibidem visus sum habere vel possidere. In pago verò Albiense dono villam Noviciacum seu Viciacum cum omni integritate sua vel cum omnibus adjacentiis suis. Similiter dono in pago Ruteuico in villa Bracoialo mansos duos cum vineis & terris, cultis & incultis, quantum ad ipsos mansos aspicit & aspicere videtur. Ista omnia supra nominata ego WILLHELMUS jam dictus Comes pro me & pro prædictis personis dono & trado atque transfundo ad jam dictum Monasterium Gellonis, & altariis ibi Deo consecratis, & Monachis & Abbatibus tam præsentibus quàm futuris, pro æterna remuneratione, ut Deum omnipotentem per omnia habere possimus propicium, & ut iidem Monachi laudantes ibidem assiduè habeant unde possint vivere. Si quis verò (quod futurum esse non credo) vel ego ipse, aut aliquis de heredibus meis, seu quælibet persona contra hanc donationem meam, quam ego prompto animo vel plenissima voluntate facio, venire, interrumpere aut aliquid disrumpere tentaverit, non liceat facere. Quod si præsumpserit, Dei omnipotentiam exoro, ut ipsa ultionem sumat in eo: quia notum sit omnibus hominibus, hunc honorem à me possessum tam ex originali parte quàm etiam ex adquisitione absque querimonia ullius personæ. Facta est hæc donatio XVIIII Kal. Januarii, f̄r 1*, anno XXXIIII regnante domno nostro CHAROLO Rege Francorum & Longobardorum ac Patricio Romanorum, & anno quarto Christo propitio imperii ejus. Signum WILLHELMI, signum BARNARDI, signum GOTCELMI, signum domni THEUDERICI, signum JAMAROI, signum FULCOALDI, signum RANGAVI, signum NICTARDI, signum MAURINGI, signum SIBALDI, signum GOIRALDI.

Circ. An. DCCC XII. MAII XXVIII.

* id est feria prima seu dominica anno 804.

In nomine Domini ego GALLARIUS rogitus scripsi.

EGO in Dei nomine WILHELMUS recogitans fragilitatis meæ casus humanum, idcirco facinora mea minuanda vel de parentes meos qui defuncti sunt, id est genitore meo TAUDARICO & genitrice mea ALDANE, & fratres meo TAODOINO & TEODERICO & ANALELMO, & sorores meas ABBANA* & BERTANE, & filios meos & filias WITCARIO & HILDEHELMO & HELINBRUCH; oxores meas WITBURU & CUNAGUNDE, pro nos omnibus superiùs nominatos dono ad sacrosanctæ basilicæ, qui est constructa in honore sancto Salvatore & sanctæ Mariæ semper virginis, seu sancti Petri & sancti Pauli & sancti Andreæ & sancti Michaëlis vel omnium Apostolorum, in illa Cella Gellonis, quem ego superiùs nominatus Wilhelmus per consilio domni Abbatis BENEDICTI, seu cum suo adjutorio ædificavi, quem ipse domnus Benedictus Abba regere videtur; donatumque in perpetuum esse volo, hoc est res meas quæ sunt in pago Lutwense, id est Litenis villa, &c. Ista omnia superiùs nominata pro nos suprà dictos ad ipsa casa Dei vel ad suos Rectores dono, trado, adque transfundo ab hodierno die ad ipsa casa Dei, dummodo si ipsa Cella subjecta est ad Aniana Monasterio, sicut hodie esse videtur, ipse casa Dei vel sui Rectores habeant, teneant adque possideant. Nam si aliquis homo propter malam cupiditatem aut iniquum ingeniom ipsa Cella separaverit de Aniana Monasterio, tunc ipsas res superiùs nominatas volemus eas esse donatas pro nos omnibus superiùs nominatos ad Aniana Monasterio ad ipsas casas Dei sanctæ Mariæ & sancti Salvatoris. Namdum ipsa Cella subjecta est ad Aniana Monasterio, sicut superiùs diximus, precamus ut ipse Abbas de Aniana benigniter atque misericorditer regat ipsa Cella Gellonis seu Fratres ibidem morantes: & quod ibidem minùs habuerit de stipendia in ista parvitate quod ego in ipsa Cella donavi, ille propter Deum aliunde adjuvet & suveniat, sicut decet Abbatem suos benivolo animo regere. Nam non adminuet de ipsa par-

alia charta ejusdem.

* l. Albane

Circ. an. dccc xii. Maii xxviii.

vitate ad ipsos Fratres, dummodo ipsa Cella subjecta fuerit ad Aniana Monasterio, sicut superiùs diximus. Si quis verò (quod futurum esse non credo) si ego ipse aut aliquis de heredibus meis, vel quislibet persona, qui contra hanc donationem meam, quam ego prompto animo vel plenissima voluntate fieri rogavi, venire aut agere tentaverit, si ille sine peccato est, forsitan potest nostra totorum peccata portare. Nam si ille jam peccavit, puto se gravare sua & nostra sustinere velit, & pro utriusque rationem reddere: quia nos Deo juvante per istam donationem speramus aliquid de nostra minuari peccata. Et insuper non valeat vindicare quod repetit, sed inferat ad fiscu auri libra I. & hæc donatio mea firma permaneat omni tempore. Facta donatione v iii Kl. Januarii anno xxxiiii regnante domno nostro KAROLO Rege Francorum & Langobardorum ac Patricio Romanorum, & anno IIII Christo propitio imperio ejus.

Diploma Ludovici Aquitaniæ Regis.

IN nomine Domini nostri JESU-CHRISTI, LUDOVICUS divina ordinante providentia Rex serenissimus Aquitaniæ. Quoniam cogitandum nobis est, qualiter æterni Regis amorem obsistente peccatorum pondere amittere non possimus; locis insistentibus divinis cultibus placuit largiri propter regnum æternum Salvatoris nostri, ejusque inibi sibi famulantibus beneficia opportuna: quatenus ab illo remunerati, gaudio sine fine mereamur perfrui. Ideo notum esse volumus omnibus Fidelibus præsentibus & futuris, quod petente domno GUILLELMO Monacho, qui in aula genitoris nostri KAROLI Augusti Comes extitit clarissimus, sed pro Dei amore meliorem exercens vitam studuit esse pauper recusando sublimia; ob irrevocabilem verò suæ dilectionis circa nos fidelitatem petitioni ejus præbentes assensum, placuit nobis, tam pro mercedis nostræ augmento quàm pro amore ejus, ad Monasterium quod dicitur Gelloni, situm in pago Lutovense juxta fluvium *Araur* subtus castrum Virduni, sacratum in honore Domini & Salvatoris nostri JESU-CHRISTI, & sanctæ Mariæ sanctique Michaelis, se sanctorum Apostolorum Petri & Pauli & sancti Andreæ omniumque Apostolorum, constructum à jam dicto Comite Guillelmo in causa nostri genitoris, ubi JULIOFREDUS Rector & Abbas præesse videtur, aliquid ex rebus tradere nostris, id est fiscum quemdam nostrum in pago Biterrense qui dicitur Miliacus, cum villa & ecclesia sancti Paragorii, & Miliciano villa atque Campaniano, cum omnibus appendiciis & adjacentiis suis sub omni integritate, sicut à Misso nostro Comite GOTSELMO per cruces in lapidibus sculptas seu decursus aquarum in terminationibus traditum & assignatum est, à genitore nostro & à nobis possessum. Et in pago jam dicto Ludovense locum qui dicitur Gastrias, vulgare autem Castra-pastura, ad pecora eorum alenda, cum ecclesia sancti Martini cum terminis & adjacentiis suis, cum omni integritate ad diversos usus eorum. Et in eodem pago villam quæ dicitur Magarantiatis cum ecclesia sancti Felicis, cum omnibus appendiciis & adjacentiis suis. Honorem verò illum quem domnus Guillelmus seu alii Fideles per instrumenta chartarum præfató Monasterio tradiderunt, in quibuscumque locis sit, quæque etiam deinceps in jure ipsius sancti loci per nos aut per alios voluerit divina pietas augeri, totum nos pro æterna remuneratione prædicto Monasterio concedimus, ut perpetuis temporibus in alimonia pauperum & stipendia Monachorum ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum. Hæc omnia præscripta cum ecclesiis, villis, villaribus, domibus, ædificiis, campis, terris, vineis, olivetis, silvis, garricis, pratis, pascuis, molendinis, aquis aquarumque decursibus, perviis exitibus & regressibus, cultis & incultis, cum omnibus adjacentiis earum, totum & integrum prædicto Monasterio Gellonensi per hanc donationis auctoritatem perpetualiter concedimus ad habendum: ita videlicet ut quidquid ab hodierno die & tempore de prædictis rebus facere vel ordinare, vel etiam disponere habitatores hujus loci voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi. GUNDOLENUS Notarius ad vicem GUIGONIS recognovit. Datum hoc præceptum v Kl. Januarii Indictione x, anno xxvii domni LUDOVICI regni, Tolosæ publicè: KAROLI verò imperii viii. Et ut hæc auctoritas nostris futurisque temporibus Domino protegente valeat inconcussa manere, manu propria subscripsimus, & annuli nostri impressione signari jussimus in Dei nomine feliciter. Amen. Signum domni Ludovici clementissimi Regis.

Nota.

anno 808.

Confirmatio.

4. *Exstat in tabulario Gellonensi confirmatio istius præcepti à Ludovico VII Francorum Rege cum aliqua accessione facta, cujus hæc clausula:* Actum publicè Silviniaci, præsente in eadem villa domino Papa ALEXANDRO, anno incarnati Verbi M C LXII, regni nostri XXVI, adstantibus in palatio nostro quorum apposita sunt nomina & signa. Signum Blesensium Comitis THEOBALDI Dapiferi nostri. Signum GUIDONIS Buticularii, signum MATTHÆI Camerarii. Data per manus HUGONIS Cancellarii & Episcopi Suessionensis.

SANCTI ANGILBERTI ABBATIS CENTULENSIS IN GALLIA

An. Chr. DCCC XIV. Feb. XVIII.

ELOGIUM HISTORICUM.

I. Elogii hujus ratio, scriptores Vitæ sancti Angilberti.

1. ETsi *beati Angilberti res gestas è tenebris oblivionis eruere conati sunt Auctores duo veteres; neuter tamen id plenè & absolutè adsecutus est. Utriusque hac de re lucubrationem infrà exhibere est animus. Sed quia multa sunt apud eos vel omissa, vel obscura, vel dubia; visum est operæ pretium hîc in antecessum præmittere antiquorum de Angilberto testimonia, eaque simul comparare: ut ejus veritas historia clariùs elucescat. Quæ cùm brevi observationum adnotationumve spatio comprehendi commodè non possint, satius putavi ea redigere in Elogium historicum, quod instar commentarii hîc appono.*

2. *Auctores duo sunt præcipui, qui de sancti Angilberti vita scripsere. unus* Hariulfus, *Monachus primùm Centulensis, dein Abbas Aldenborgensis tertius, ut lego in ipsius epitaphio ms. Is Chronicon Centulensis Abbatiæ libris quatuor edidit sub finem sæculi* XI, *egregium sanè bonæ antiquitatis monumentum. Exstat in Spicilegii tomo 4, præter hiatus nonnullos, quorum aliquos subinde ex ms. codice supplebo, Hariulfi epitaphium relaturus in libro de viris illustribus nostris. Totus ejus liber secundus est de Angilberto Abbate, cujus translationes duas describit in libris tertio & quarto. Alter Vitæ scriptor est (ut puto)* Anscherus *Abbas Centulensis: cujus Auctoris lucubrationem Iohannes Bollandus mutilam vulgavit in suo Februario cum præclaris commentariis, eam identidem laudans sub nomine Hariulfi, non tam suâ quàm Pauli Petavii & Guillelmi Peirati conjecturâ. Ego verò potiùs Anschero tribuendam censeo. En conjecturæ meæ. Veri simile non est, Hariulfum bis scripsisse vitam sancti Angilberti. Anscherus eo tempore de miraculis viri sancti edidit libros tres, qui posteriori Vitæ in codicibus mss. subjiciuntur. Libri de miraculis Radulfo Remorum Archiepiscopo dicati sunt, liber de vita alteri cuipiam, quem* majestatis *nomine compellat. quod de Pontifice Romano interpretor. Auctor siquidem ipsum interrogat, qualiter Angilbertus* debeat tractari. utrum, velut hactenus gestum est, inter mortuos Fideles memoria illius teneatur: an juxta Scripturam dicentem: Memoria Justorum cum laudibus, anniversaria dies ejus in numero Sanctorum sollemniter celebretur. Erit vestra, inquit, prudentia non ignoret, qualiter isdem vir in hac vita positus Domini præceptis se mancipaverit, de gestis Francorum & diversis opusculis Chronicarum colligentes actus ejus, vestræ majestati offerimus: ut per hæc noveritis, quoniam non inaniter, quin potiùs pro merito miraculis à Domino declaratur. *Hæc ergo scripta sunt tum, cùm Angilbertus miracula patrabat. Id verò fieri cœptum est anno* MCX, *auctore Anschero in libro de ipsis miraculis, quem hujus Auctoris fetum esse constat. Angilberti canonizationem (quam vocant) obtinere voluit Anscherus. ob id librum de miraculis obtulit Remensi Archiepiscopo, librum de vita summo Pontifici, quem* majestatis *nomine compellat: Ad quem ejusmodi negotia de canonizatione Sanctorum jam referri cœperant, consultu & permissu Metropolitani & Episcopi perficienda, uti apparet ex historia de relevatione corporis sancti Bertini Abbatis in Sæculi tertii parte 1. Denique si Anscherus Abbas librum de miraculis Remensi Archiepiscopo per se obtulit; non alium sine dubio auctorem adhibuit ad librum de vita componendum, qui Papæ offerendus erat. Adde quòd Hariulfus majori cum delectu & judicio*

An. Chr. DCCC XIV. Feb. XVIII.

scribit, quàm is qui alterius Vita conditor est, quem Anscherum in consequentibus appellabo. Præ Hariulfo & Anschero mentio erat de gestis Angilberti in vetusto libro de Abbatibus Centulensis Monasterii nunc deperdito, quem Gervinus Abbas Gorziæ invenit, teste Hariulfo.

3. *Præter hos Auctores, Iohannes de Capella Centulensis Monachus in Chronico Centulensi, quod* Eustachii Abbatis permissione anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo *composuit, agit etiam de sancto Angilberto; uti & Paulus Petavius in* Syntagmate de Nithardo, *Guillelmus Peiratus de Capella Regum Franciæ cap. 30, Menardus noster in Observationum ad Martyrologium lib. 2, Iacobus Malbrancus in lib. 2 de Morinis, & Ignatius Iosephus in lib. 2 historiæ Abbavillanæ. De Monasterii Centulensis origine dictum est ad Vitam sancti Richarii Abbatis in Sæculo II.*

II. Angilberti nomen duplex, parentes & patria, educatio.

4. Angilbertus *seu* Anghilbertus, Engilbertusve, *adscititio nomine* Homerus, *claro apud Francos palatinorum genere exortus est. Ipsius genus illustre probant tum singularis familiaritas cum Carolo Magno, tum copula cum Berta ipsius Caroli filia, tum denique præclara reipublicæ munera, quæ gessit. Ignota utriusque parentis nomina: idque solum nobis de aliis ejus propinquis superest, quod Nithardus ejus filius scriptum reliquit in historiæ lib. 4, ubi de Angilberto.* Fuit hic vir ortus eo in tempore haud ignotæ familiæ. Madhelgaudus autem, Richardus, & hic, ex una progenie fuere, & apud Magnum Karolum merito magni habebantur. *Is mihi videtur esse* Madelgaudus, *qui unà cum Magenardo Episcopo Missus anno secundo Caroli Magni designatus est* in Cenomannico, Hoxonensi *, *aliisque adjacentibus Neustriæ pagis.* Richardus *verò* Comes, *qui unà cum VVilleberto Rotomagensi ann.* DCC XCV, *in libro de vita Ludovici Augusti. Ex quibus conjectura est, Angilbertum origine Neustrasium fuisse. Huic nomen (ut dixi) adscititium fuit* Homerus, *quo nomine eum passim laudat Alcuinus, Theodulfus, & si qui alii. Eodem vocabulo Grimoaldum Ludovici Augusti Capellanum affecit VValafridus Strabus in carmine, quod apud Henricum Canisium exstat in tomi 6 pag. 622.*

* l. Hoxomensi

5. *Eumdem in aula Caroli educatum fuisse legimus in quadam Hadriani Papæ epistola ad Carolum pro Synodo Nicæna secunda, seu pro imaginibus, in qua laudat Pontifex* Engilbertum, qui pæne, *inquit*, ab ipsis infantiæ rudimentis in palatio vestro enutritus est. *Anscherus in Vita posteriori scribit, Angilbertum in aula Pippini Regis* palatinis atque regalibus negotiis implicatum *degisse. Malim in aula Caroli, ut satis Hadriani verba innuunt. Neque enim Pippino regnante Angilbertus ejus erat ætatis, qui palatina tractare negotia posset. Certè Alcuinus eum solet* filium *appellare, non aliam ob causam, quàm quod longè senior ipso erat. quod secus foret, si Pippini principatu jam vir, & tractandis reipublicæ negotiis idoneus fuisset Angilbertus.*

III. Connubium cum Berta, an post susceptum sacerdotium, qui liberi.

6. *Bertam Caroli Magni filiam, Angilberti amore captam persuasisse patri, ut sibi cum eo nubere liceret, idque obtinuisse legitur in Angilberti posteriori Vita. Iohannis Bollandi animum mirè distraxit hic locus. Videbat homo perspicacissimus, ejusmodi conjugii nullam apud veteres fieri mentionem ante Hariulfi ætatem, qui vixit post annos ab Angilberto trecentos. Bertam Caroli filiam tertio loco, id est post Pippinum & Rotrudem, genitam ex Hildegarde, quæ non nisi anno* DCC LXXII *desponsata Carolo est, vix fuisse nubilem ante annum* DCC XCII, *quo Angilbertus jam Centulæ Monachus erat. Videbat, inquam, Angilbertum passim laudari ab Alcuino, nonnumquam etiam ab Hadriano Papa & Eginhardo, immo & à Carolo*

Rege: nec usquam tamen Caroli generum *appellari. Ad hac, Carolum, teste Eginhardo in ipsius Vita, adeo filias suas adamasse,* ut nullam earum cuiquam, aut suorum, aut exterorum, nuptum dare voluerit: sed omnes secum usque ad obitum suum in domo sua retinuerit, dicens se earum contubernio carere non posse. ac propter hoc, licèt aliàs felix, adversæ fortunæ malignitatem expertus sit. quod tamen ita dissimulavit, ac si de iis numquam alicujus probri suspicio vel fama exorta fuisset. *Atqui ex adverso Nithardum, cui fidem negare nefas, testari de Angilberto, quòd* ex ejusdem magni Regis filia Berchta se fratremque suum Harnidum genuerit. *Hac, inquam, advertebat Bollandus, eaque modestè urget, professus se nolle traditionem Centulensium convellere, aut sancti Angilberti Vitam refutare, neque verò quid fœdum de regia virgine, deque illustri palatino ac Sacerdote suspicari; sed tantùm ea qua animo scrupulum movebant exponere. Sanè hac magnam habent difficultatem. Nam ut cetera dissimulem qua facilè solvi possunt; Eginhardi testimonium, viri gravis ac testis rerum oculati, vix commodè explicari potest, nisi dicas, Carolum si quam alicui suorum filiam suam nuptum locarit, non passum esse, ut in domum sponsi migraret, sed eam secum retinuisse; aut Angilbertum non sollemni, sed secreto cum Berta matrimonio fuisse conjunctum. Omnem enim illicita copula suspicionem diluere videtur Angilberti perpetua & constans cum Carolo necessitudo & familiaritas, incorrupta ejus fama & existimatio apud omnes, insignes legationes Romam, aliaque praclara dignitates ipsi concessa. Siquidem vix in animum inducere quis potest, Carolum, virum prudentem ac sapientem, ut filia probrum dissimulare potuerit, tantum honoris & amicitia contulisse homini, qui familia sua istam labem intulisset. Denique si ipsius Eginhardi uxor Imma fuit Caroli filia, Carolo probante ducta, uti multa certè persuadent; quis miretur nullam de Angilberti cum Berta connubio fieri mentionem ab Eginhardo, qui ne uxorem quidem suam inter filias Caroli recensuit? Fabula, inquis, Chronographi Laureshamensis. Et tamen Lotharium, Ludovici Augusti filium,* nepotem *suum non obscurè vocat Eginhardus, cùm ait in epistola 34 ad Lotharium :* Quapropter admonendum censui nepțitatem tuam, ut per prudentiam vobis à Deo concessam cavearis periculum vestrum. *Si Lotharius Eginhardi nepos; ergo propter uxorem: qua proinde Caroli filia fuerit. Et tamen, ut dixi, Eginhardus uxorem suam Immam (sic eam ipse vocat in litteris suis) nusquam inter Caroli filias recenset. Quid mirum, si Angilberti cum Berta connubium, qui ipse suum, pratermisit? Neque verò huc officiunt reliqua dubia à Bollando proposita. Rotrudis Caroli filia natu major Constantino Gracorum Imperatori desponsata est anno* DCCLXXXI, *ut in veterrimis Francorum Annalibus legitur. Quidni Berta ipsam proximè sequens Angilberto desponsari potuit aliquot pòst annis? Certe Hildegardis utriusque mater Carolo nupserat ante annum* DCC LXX. *At quo anno, inquis, Berta nupsit Angilberto? Existimo id factum vix ante annum* DCC LXXXVII, *quo ferè anno cùm* Carolus junior, *Caroli Magni filius, Offa Merciorum Regis filiam in conjugium postularet, non adquievit Offa,* nisi Berta filia Caroli Magni *suo* filio nuptui traderetur, *ut in Chronici Fontanellensis cap. 15 in editis legimus. Etsi verò Bertam Offa negavit Carolus, hinc tamen argumentum capio, eam necdum Angilberto copulatam fuisse, aut saltem Offam id ignorasse. Postremò in epistola Hadriani ad Carolum Magnum, non decuit forsan Angilbertum Regis generum dici, propterea quòd inaqualis erat conditionis. & Alcuini epistola ad Angilbertum, aut nondum uxorato, aut jam Monacho & Abbati directa sunt. Hac ut in lubrico loco.*

7. *Aliud nobis negotium facessit posterioris Vita scriptor, cùm ait, Angilbertum jam Sacerdotem Bertam duxisse in matrimonium. Verùm hujus auctoris sententia tanti non est, ut in ea excutienda longum funem trahamus. Cùm enim inaudita sit hac res, sacris canonibus repugnans, & à nemine nonnisi post annos tricentos scripta, immo ab Hariulfo prioris Vita conditore graviori tum pratermissa; aquum est ab ea nota vindicare Carolum, qui canonum studiosissimus erat, ut patet tum ex ip-*

AN. CHR. DCCC XIV. FEB. XVIII.

An. Chr. DCCC XIV. Feb. XVIII.

sius ad Leonem Papam litteris, quibus eum ad servandos canones hortatur; tum ex epistola ad Offam Anglorum Regem, cui Presbyterum Scottum, propterea quòd violata quadragesimalis obstinentia reus dicebatur, judicandum remittit, ut ibi, *inquit*, judicetur, unde exstitit. Nam ibi quoque sanctæ Dei Ecclesiæ puritas in moribus, & firmitas in fide, & honestas in conversatione secundùm canonicam sanctionem observari debebit, ut sit una, perfecta, & immaculata columba. *Quanto minùs tulisset Sacerdotem ad nuptias convolare? quod ne quidem Græcis umquam post susceptum gradum licuit. Atqui videre mihi videor causam, ob quam prædictus auctor in errorem impegit. Legebat Angilbertum Caroli Capellanum fuisse. Non putavit hanc dignitatem ipsi concessam post monachatum, qui status removet homines à sæculi negotiis, & præcipuè Angilbertum, qui regiæ copulæ ceterisve palatii honoribus nuntium remiserat. Iudicavit ergo Angilbertum fuisse Capellanum, ac proinde Sacerdotem, ante contractum matrimonium. Siquidem probante ac sequente Berta uxore Centulom sese receperat conjugatus. At quid hac de re sentiendum sit, in sequenti capite explicabo.*

8. *Quid liberorum tulerit ex conjuge Angilbertus, tradit Nithardus utriusque filius in historia lib. 4 agens de Angilberto,* qui ex ejusdem, *inquit*, magni Regis filia, nomine Berchta, Harnidum fratrem meum & me Nithardum genuit. *quæ aliaque Nithardi verba referuntur ab Anschero Abbate, posterioris Angilberti Vita scriptore. Nithardus iste an idem sit cum Nithardo Prumiensi Monacho, quem Lupus Ferrariensis Abbas laudat in epistolis 55 & 72, disquirendum infrà, ubi de sancto Ansboldo Abbate Prumiensi. Sunt qui prædictis duobus Angilberti filiis tertium adjungant* Harduinum. *qui aliis non immeritò idem fuisse videtur cum Harnida, qui dictus sit Horduinus vitio librariorum.*

IV. Dignitates ante monachatum, secessus in Monasterium, dubium de Bertæ vita religiosa.

9. *Quas dignitates in aula gesserit Angilbertus sæcularis, opportunum fuerit hoc loco explicare.* Primicerium Palatii *Pippini Regis fuisse constat ex Alcuini epistola 42, & (si Hariulfo & Anschero credimus)* etiam maritimæ Franciæ Ducem. *Non adsentior Petavio & Bollando, qui Alcuini epistolam, non de Pippino Italiæ Rege Caroli Magni filio, sed de Pippino Rege ipsius Caroli patre interpretandam putant. tum quia regnante Pippino Alcuinus nondum ferulæ subductus erat, qui nonnisi Egberto Eboracensi Pontifice mortuo (mortuus autem est anno* DCC LXVI, XIV *Kal. Decembris, id est non integro biennio ante Pippinum) scholis Eboracensibus præfectus est. tum quia si tempore Pippini Regis Angilbertus ad primam palatii dignitatem maturus exstitisset, senior, aut certè non inferior ætate fuisset Alcuino, qui tamen eum* filium *in ea epistola & in aliis vocat. tum denique quia hæc epistola directa videtur Angilberto in Italia exsistenti, utpote cui portitorem litterarum (scilicet Folradum Presbyterum, de quo etiam epistola sequens) Romam proficiscentem commendat, per quem Sanctorum reliquias sibi transmitti rogat. Epistolæ hujus inscriptio & exordium tale est:* Fideli amico & venerabili Angelberto humilis Levita Albinus salutem. Memor condictæ inter nos amicitiæ has litteras vobis dirigere præsumsi, deprecans, ut benignè harum portitorem litterarum suscipere dignemini, & peregrinationis illius viis dominum Pippinum Regem subvenire deprecemini. *& infrà:* Insuper, carissime frater, devotissimè deflagito, ut dona dulcissima & mihi multum necessaria, id est Sanctorum reliquias mihi vel aliquas transmittere cures. *tum in fine:* Floreas fili virtutum coronis, *&c. denique in titulo epistolæ:* Ad Angelbertum Primicerium palatii Pippini Regis. *Amicitia hæc inter Alcuinum & Angilbertum, non nisi post Alcuini in Galliam adventum* condicta *fuisse videtur. Alcuinum bis minimùm in Gallia mansisse dicemus inferiùs in ipsius Vita. nimirum ab anno* DCC LXXX *in aliquot annos, quibus Carolo adhæsit; & ab anno* DCC XCII *in reli-*

annum ætatis. Prima vice in aula familiaritatem & amicitiam contraxit cum Angilberto, quem Carolus Pippini filii sui anno DCC LXXXI *Regis in Italia coronati* Primicerium palatii, *hoc est primum Consiliarium constituit. Hoc officium gessit per annos aliquot: cui successor datus Adalhardus, postea Corbeïensis Abbas. Angilbertum in Italia fuisse, Alcuinum verò in Gallia eo tempore, quo Carolus in expeditione Saxonica occupatus erat, patet ex Alcuini epistola 93 ad Damætam, in qua hæc verba:* Ego pæne quasi orbatus filiis remaneo domi. Damœta Saxoniam, Homerus Italiam, Candidus Britanniam recessit. *Cujus rei gratiâ in Saxoniam profectus esset Damæta, indicant superiora verba:* Valde sollicitus sum de itinere profectionis tuæ in hostem, quia plurima solent in talibus evenire pericula rebus. *& in fine Deum precatur, ut David* dilectum suum & vos omnes victores cum gaudio reducat in patriam. *David Carolus Magnus, Homerus Angilbertus, Damæta Ricolfus intelligendus est. Ricolfus porro adhuc tum Diaconus erat, necdum Archiepiscopus Moguntinus. quo in munere Lullo successit sub finem anni* DCC LXXXVII. *Expeditio hæc contigit anno* DCC LXXXII, *aut alterutro duorum sequentium, quibus Carolus in Saxoniam cum exercitu contendit. Ergo eo tempore Angilbertus, non in Gallia, sed in Italia morabatur, in aula videlicet Pippini Regis.*

AN. CHR. DCCC XIV. FEB. XVIII.

10. Præterea maritimæ Franciæ Dux *appellatur Angilbertus ab Hariulfo & Anschero, qui nomine* Franciæ maritimæ *pagum Bononiensem aliosque Oceano Britannico adjacentes intelligunt. Interpolator Vitæ sancti Richarii* Ducatum maritimæ Franciæ à fluvio Scalda usque ad Sequanam *protendit. Anscherus addit, Danos per id tempus effusos in illam oram, divinitus subactos ac internecione deletos ab Angilberto fuisse, voto ab eo facto,* se statim post victoriam vestem monasticam induturum. *De hac Danorum impressione silent veteres Francorum Annales: & si quidem vera est hæc Angilberti victoria, contigit post ipsius ex Italia reditum circiter annum* DCC LXXXVII, *quo Berta jam copulatus erat.*

11. Deinde circiter annum DCC XC *secessit in Monasterium Centulense, ubi post solitam probationem Monachus factus est sub Symphoriano Abbate. Duplicem hujus secessus causam adfert Anscherus, morbum, & victoriam de Danis. De hoc secessu ipse agit in carmine, quod inter Alcuini poëmatia est ordine 177, ita sanctum Richarium appellans.*

Tu prior in gremium mundi de fluctibus almum
  Dante tuum Christo me miserum tuleras.
Nutristi & tenerum sacro me fonte salutis,
  Os fragile instituens cantibus egregiis.
Te quapropter amo totis, Pater optime, votis,
  Exoptans ut me tu quoque semper ames.
Perfice quod de me cœpisti mente benigna,
  Atque tuum famulum redde tuo Domino.

Cùm se dicit tenerum *Centulam accessisse, id non intelligit habita ratione ætatis, sed vitæ spiritalis, quæ* sacro lacte *doctrina cælestis principio fovenda est, uti Paulus Corinthiis loquitur. Hujus secessus hortatores duos habuit Angilbertus, Alcuinum scilicet & Adalhardum Abbatem Corbeïensem, uti fidem facit Alcuinus ipse in epistola 107 ad Antonium, quod alterum Adalhardi nomen erat. Videbat Alcuinus Homerum seu Angilbertum spectaculis theatricis delectari, doluitque id ab discipulo suo committi contra severitatem Christianæ pietatis. Angilbertum hac de re corripuit: cunctabundum rursus ab Adalhardo commoneri postulat. Alcuini verba hæc sunt in epistola 107.* Vereor ne Homerus irascatur contra cartam prohibentem spectacula & diabolica figmenta, quæ omnes sanctæ Scripturæ prohibent, in tantum, ut legebam sanctum dicere Augustinum: Nescit homo qui histriones, & mimos, & saltatores introducit in domum suam, quàm magna eos immundorum sequitur turba spirituum. Sed absit ut in domo Christiana diabolus habeat potestatem. Olim tibi de his scripsi, optans salutem

An. Chr. dccc xiv. Feb. xviii. carissimi filii toto cordis affectu, volens per te fieri, quod per me non posse fieri agnovi. Tuus verò affectus, fili carissime, congaudeat in servitio Dei & in salute fraterna: ut tibi ex profectu aliorum merces adcrescat meritorum. *Hinc intelligimus, quæ piorum hominum eo tempore mens fuerit de theatricis illis spectaculis, quæ ne quidem in homine curiali ferre poterant. Homerus verò Alcuini & Adalhardi piis monitionibus cessit, & nuntium his pompis ac seculo remisit. Confer num. 29 infrà.*

12. An Berta cum marito Centulam se receperit, sicuti tradit Ansicherus, inquirendum hoc loco est. Audiendus Ansicherus in Vita cap. 4. Sic nempe Angilbertus à Rege digrediens Centulam revertitur: & contemto pompose dignitatis fastigio, primò omnium sponsam suam nobilissimam Bertam, sacro velamine consecratam, loco congruenti intra idem Cœnobium Centulense composuit, sacris vigiliis & devotis jejuniis divinisque canticis cum multo fervore insistentem. quo peracto, in cœtu Monachorum Angilbertus solo prosternitur, & perfusus lacrymis exorat humiliter, ut sacræ conversationis habitum accipere mereretur, &c. *Breviùs Iohannes de Capella in Chronico Centulensi:* Sanctus Angilbertus ex consensu uxoris suæ & Caroli Magni factus est Religiosus in Cœnobio Centulensi: & Berta ejus uxor Monialis & Reclusa in eodem Monasterio. *Hariulfus de Berta secessu silet. Sanè Sanctimoniales feminas suscepto velo in adjunctis Monasterio ædibus (quod in aliis Monasteriis passim ævo illo frequentatum) aut certè in privatis vixisse constat ex libro primo de miraculis sancti Richarii Abbatis cap. 16. ubi agitur de quadam femina conjugata oculorum lumine privata,* quæ deprecata est virum suum ut eam relinqueret, licentiamque daret velum suo capiti imponere, adfirmans se per visionem monitam, ut in Monasterio sancti Richarii apud sanctam Mariam acciperet velum capitis more Monialium; & ut ab ipso deinceps aleretur victu eleemosynario humiliter postulavit. quod ut ille audivit, consensit. Ipsa à suis adducta ad basilicam sanctæ Mariæ, ut ipsa petierat jam dictum habitum suscepit. Cùm verò in ipsa die reverteretur, *&c. & in lib. 2 cap. 4 de contracta, quæ recepta sanitate* usque hodie, *inquit auctor sæculi noni,* visitat orationes (*fortè* oratorium) frequenter illius, ferens velum capitis instar Monialium. *Quibus in locis tria observanda. nempe mulieres illas castitatem vovisse, velum suscepisse instar Sanctimonialium; & plerasque vixisse in ædibus suis privatis, ut feminas devotas. quibus Herardus Turonensis Episcopus in capitul. 37 vetat ne velum rejiciant,* licèt in domibus propriis vestes mutarint. *Ejusmodi feminæ aliquando etiam degebant in palatiis Regum. qualis erat Hundrudis Anglicana matrona, ad quam Alcuinus epistolam 89 inscribit in hunc modum:* Deo devotæ feminæ Hundrudæ. *quam monet,* ut in palatio Regis regularis vitæ devotio in ipsius videatur conversatione. *Hinc fit, ut mirum non sit, quòd etiamsi Berta eam vitæ formam Centulæ professa sit, in palatium tamen patris aliquando redierit. At mirum, si cum religioso velo seculares pompas retinere potuerit. Et tamen in poëmate quodam de Caroli Magni adventu ad Leonem Papam, quod Alcuino tribuitur, de toto Regis comitatu agens Auctor, ita de Berta canit post Rhodrudem.*

Proxima Berta inter, multis sociata puellis,
Voce virile, animo, habitu, vultuque corusco
Os, mores, oculos, imitantia pectora patris
Fert; caput aurato diademate cingitur almum:
Aurea se niveis commiscent fila capillis.
Lactea quippe ferunt pretiosam colla murinam:
Ornatur vestis variis pretiosa lapillis,
Ordine gemmarum numerosa luce coruscat.
Bractea chrysolitis ornantur tegmina gemmis.

Hæc longè absunt à religiosæ feminæ habitu: cùm pro velo diadema, pro modestis devota

votæ vestibus totus mundus muliebris, qualis regiam prolem decebat, Berta tribuatur. Intererat etiam huic pompa GISLA *seu* Gisala, *tertia Caroli filia, tametsi jam erat Sanctimonialis: at ipsius ornatum longè alium describit idem Poëta his aliisque versibus.* An. Chr. DCCC XIV. Feb. XVIII.

GISALA post istas sequitur, candore coruscans,
Virgineo comitata choro: micat aurea proles.
Tecta melocineo fulgescit femina amictu:
Mollia purpureis rutilant velamina filis.

En Sanctimonialis insignia, virgineus comitatus, velamina seu velum, purpureis filis *rutilans, tametsi* flammeum *quondam sponsarum erat. Nulla istic mentio diadematis aurei, lapillorum, gemmarumve, aut bracteorum indumentorum: quibus Berta ornata fuisse perhibetur. Porro id accidit sub finem anni octingentesimi, cùm fere ante decennium Angilbertus Centulam se recepisset. Huc etiam trahi possent versus Theodulfi Aurelianensis Episcopi ad Carolum in lib. 3 carmine 1. ubi similis fere modo Bertam describit anno* DCC XCVI. *An verò hæc devota ac reclusa femina competere possint, aliis æstimandum relinquo. Eginhardus in Vita Caroli auctor est, quatuor tantùm ejus liberos, Carolum scilicet, Pippinum, & Rotrudem ante patrem decessisse. supervixit proinde Berta, cujus obitus in Necrologio Dionysiano & Argentogilensi adscribitur his verbis:* v Idus Martii Berta filia Karoli Imperatoris, quæ dedit Superiorem-curtem. *Lege caput primum libri tertii de miraculis sancti Dionysii in Sæculi III parte 2. Forsan post patris obitum Centulam secessit, cùm Caroli filiæ ob sinistram famam è palatio exire jussæ sunt à Ludovico Augusto, qui eas* incessanter, *teste Nithardo*, ad sua Monasteria abire præcepit.

V. Sacerdotium, Abbatiale munus, legationes.

13. An Sacerdos fuerit Angilbertus, dubium esse potest. Etsi enim Ministrum capellæ *regiæ ipsum vocat Hadrianus Papa; non tamen continuò Sacerdotii gradu insignitus dicendus est, sive Hadriani epistolam de Archicapellano, sive de secundi ordinis Capellano interpreteris. Testis ea de re Hincmarus in Opusculo 54 de ordine palatii ex libro Adalhardi Abbatis Corbeiensis. nam in istius Opusculi cap. 14 agens de Apocrisiario, hæc inter alia effatur.* Aliquando per Episcopos, aliquando verò per Diaconos apostolica Sedes hoc officio fungebatur.·. Et in his cisalpinis regionibus, postquam HLudowicus prædicatione beati Remigii ad Christum conversus .·. exstitit, per successiones Regum sancti Episcopi ex suis sedibus & tempore competenti palatium visitantes, vicissim hanc administrationem disposuerunt. A tempore verò Pippini & Caroli interdum per Presbyteros, interdum per Episcopos regia voluntate atque episcopali consensu; [interdum] per Diaconos vel Presbyteros magis quàm per Episcopos hoc officium exsecutum exstitit. Apocrisiarius autem, *uti ipse in capite 16 subdit, is erat*, quem nostrates Capellanum vel palatii custodem appellant: *qui* omnem clerum palatii sub cura & dispositione sua regebat. *Non ergo ex Capellani dignitate rectè inferas, Angilbertum fuisse Sacerdotem. siquidem eo tempore quidam Capellani erant solùm Diaconi. Neque etiam id colligi ex Abbatiali dignitate potest. nam & Paschasius Radbertus Corbeiensis Abbas, & plures alii Abbates, Sacerdotalis Ordinis expertes erant. Denique in Alcuini epistolis, ubi frequens Angilberti mentio, Presbyter nusquam appellatur. quam tamen appellationem Alcuinus in primis exprimere solet. Atque ut Sacerdos fuerit vir sanctus, non tamen ad eum gradum promotus fuisse dicendus est ante monasticam professionem, quidquid in contrarium dicat Anscherus, ratus forsan (quod verum non est) Capellanum Regis nullum fuisse, nisi Sacerdotem.*

14. Symphoriano Abbate mortuo, Angilbertus communibus Monachorum votis, probante Carolo Rege, dignitatem iniit. Id factum puto anno DCC XCIII, *tertio*

An. Chr. DCCC XIV. Feb. XVIII. *fere anno ab ingressu Monasterii. Argumentum sumo ex eo, quòd in ea legatione, quam anno* DCC XCII *aggressus est Romam, ut Felicem Orgellitanum Episcopum hæreseos Ratisponæ convictum deduceret* ad præsentiam Hadriani Papæ, *nondum* Abbas *appellatur, sed nudo nomine* Angilbertus. *anno verò* DCC XCIV *in alia legatione ad ipsum Hadrianum in causa septima Synodi, eum Hadrianus* Engilbertum Abbatem *vocat.*

15. Quippe tres lego illustris viri legationes Romanas, quas omnes exsecutus est jam Monachus. Prima in causa Felicis anno DCC XCII*, ut jam dictum est. Annales Loiseliani ad eum annum.* Hæresis Feliciana primùm audita, & in *Reganesburg* primò condemnata est, quem Angilbertus ad præsentiam Adriani Apostolici adduxit. *Ita Vita Caroli auctore incerto, & alia auctore Monacho Ecolismensi: quibus totidem verbis concordat Regino in Chronico. Secunda legatio contigit anno* DCCXCIV*, quo Carolus habito Francofurti Concilio libros quatuor adversus septimam Synodum de colendis imaginibus editos ad Hadrianum Papam misit per Angilbertum, per quem Hadrianus Carolo rescripsit epistolam hæc verba continentem.* Præterea directum à vestra clementissima præcelsa regali potentia suscepimus fidelem familiarem vestrum, videlicet Engilbertum Abbatem & Ministrum capellæ, qui pæne ab ipsis infantiæ rudimentis in palatio vestro enutritus est, & in omnibus consiliis vestris receptus: ut ideo sicut à vobis in omni familiaritate recipitur, ita & à nobis reciperetur, & condecenter honoraretur. Unde pro nimio amore quem erga vestram mellifluam gerimus regalem excellentiam, sicut misistis, cum nimio amore dulcedinis eximiæ eum suscipientes, prout voluit, & qualiter voluit, cum magna familiaritate nobis enarrantem aure placabili & benigna eum suscepimus, & quasi vestra corporali excellentia nobis narrante, nostrum ei patientiùs credidimus consilium, ad profectum sanctæ nostræ Romanæ Ecclesiæ, & vestræ à Deo protectæ potentiæ exaltationem. Inter quæ edidit nobis capitulare adversus Synodum, quæ pro sacrarum imaginum erectione in Nicæa acta est. Unde pro vestra melliflua regali dilectione per unumquodque capitulum responsum reddidimus. *Ex quibus patet, quo in loco apud Carolum Magnum fuerit venerabilis Abbas: cui Romam abeunti Alcuinus nomine suo commendatorias ad Hadrianum Papam dedit litteras, quæ apud Chesnium ordine 63 habentur. De tertia legatione ita scribit Eginhardus.* Anno DCC XCVI Romæ Adriano defuncto Leo Pontificatum suscepit. & mox per legatos suos claves confessionis sancti Petri ac vexillum Romanæ urbis cum aliis muneribus Regi misit: rogavitque ut aliquem de suis Optimatibus Romam mitteret, qui populum Romanum ad suam fidem atque subjectionem per sacramenta firmaret. Missus est ad hoc Engilbertus Abbas Monasterii sancti Richarii. per quem etiam tunc ad sanctum Petrum magnam partem thesauri, quem Ericus Dux Forojuliensis spoliatâ Hunorum regiâ, quæ Ringus vocatur, eodem anno de Pannonia Regi detulerat, misit. *Idem legitur in aliis Annalibus Francorum. Quid præter ea Romam proficiscenti in mandatis dederit Carolus, exponit Alcuini epistola 83 ipsius Caroli nomine* Homero auriculario *porrecta, in qua hæc verba:* Divina regente misericordia iterum & prosperè te adducente ad domnum Apostolicum Patrem nostrum, admoneas eum diligenter de omni honestate vitæ suæ, & præcipuè de sanctorum observatione canonum, de pia sanctæ Dei Ecclesiæ gubernatione, secundùm opportunitatem conlationis inter vos & animi illius convenientiam. *Ut vir fuerit maximè disertus, doctus sapiensque necesse est, cui talia mandata à sapientissimo Rege ad supremum Ecclesiæ Pastorem perferenda committerentur. Carolus insuper in epistola 84 ad Leonem Papam,* Angilbertum, *inquit,* manualem vestræ familiaritatis vestræ direximus sanctitati: quem priùs, sicut promisimus per religiosos viros Campolum & Anastasium, beatissimo Patri nostro, prædecessori vestro

dirigere curavimus. . . illique omnia injunximus, quæ vel nobis voluntaria, vel vobis necessaria esse videbantur: ut ex conlatione mutua conferatis, quidquid ad exaltationem sanctæ Dei Ecclesiæ, vel ad stabilitatem honoris vestri, vel Patriciatus nostri firmitatem necessarium intelligeretur. *Non poterat cuiquam contingere honorificentior provincia. Eidem etiam Alcuinus in manus dedit epistolam 92* ad dulcissimum filium Homerum *pro reliquiis Sanctorum, tum epistolas 72 & 73 ad Leonem Papam & ad Paulinum Forojuliensem Patriarcham: in quibus Angilbertum* carissimum filium *vocat. De hac legatione interpretandus est locus Theodulfi Aurelianensis Episcopi in lib. 3 carmine 1 ad Carolum, in quo de recens adlatis Hunnorum gazis, deque illius gentis ad Christi Fidem nupera conversione agens, hac habet de Angilberto absente à curia ob legationem.*

Dulce melos canerem tibi, ni absens, dulcis Homere,
Esses. sed quoniam es, hinc mea musa tacet.

VI. Officia & dignitates palatinæ post monachatum.

16. *Quas dignitates ante monachatum sustinuerit Angilbertus, superiùs dictum est. nunc quas gesserit Monachus Abbasque explicandum.* Auricularius *& manualis dicitur à Carolo in epistolis modò relatis, &* Minister capellæ *regiæ*, & in omnibus *Caroli* consilius receptus *ab Hadriano.* Silentiarius *denique ab Anschero.*

17. Auricularii *mentio nulla in libro de ordine palatii, cujus fragmentum ex Adalhardo Corbeiensi Abbate Hincmarus refert in Opusculo 54. Hanc dignitatem fuisse puto ex numero illorum Consiliariorum, qui* familiariter tam de statu Regni, quàm de speciali cujuslibet persona *cum Rege secretò tractabant, teste Hincmaro in ejusdem Opusculi cap. 35. quales modò Consiliarios & Secretarios Regni appellamus. Sic ab intimis secretis & consiliis Carolo erat Angilbertus, cui in aurem secreta præcipuè committebantur, unde forsan dictus* Auricularius.

18. *Quia verò, uti Hincmarus eo loco tradit, inter ejusmodi Consiliarios hæc erat lex,* ut quidquid inter se locuti fuissent, nullus sine consensu ipsorum cuilibet domestico suo, vel cuicumque alteri prodere debuisset; *hinc* Silentiarii *potuerunt dici. quod nomen ab Anschero tributum Angilberto est. Quamquam veri simile est, Anscherum primum, nulla forsan auctoritate, id tribuisse Angilberto ex imitatione Græcorum, apud quos* Silentiarii *dignitas magno in pretio est. Qua de re legenda est viri multigena eruditione præditi Caroli Fresnii adnotatio in historiam Iohannis Cinnami, ubi observat,* Silentium & Silentiarium, *Græcis* Σιλέντιον*, pro dissertatione seu collatione, immo & pro collationis loco sumi apud plerosque Scriptorum. (quale est illud vulgati Anastasii in Stephano Papa III* in Silentio beati Petri Apostoli, *ut habetur in variis lectionibus editionis regiæ. ubi* Silentium *videtur esse quod aliàs Secretarium ecclesiæ dicitur.) & Silentiariorum dignitatem adeo illustrem fuisse, ut in Concilio Chalcedonensi Actione I* θαυμασιωτάτων *epitheton iis tribuatur. & Damasus Papa in epistola ad Achelium testetur, nihil addi posse* ad meritum Rustici, cùm habeat prærogativam officii sui, quòd Silentiarius *esset* Gratiani Augusti. *Verùm, ut dixi, hac dignitatis appellatio maximè usitata apud Græcos, ex quorum imitatione Anscherus eam tribuisse Angilberto videtur. quo nomine ipsam Auricularii seu supremi Consiliarii dignitatem hic significari puto.*

19. Manuensis familiaritatis *Leonis cum Carolo Rege dicitur in epistola Caroli ad Leonem. Secretarius scilicet seu ab epistolis, quas Romanis Pontificibus aliisque summittibus Carolus scribebat. Huc pertinet Alcuini ad Carolum epigramma 184.*

Ad nos quippe tuus famulus veniebat Homerus,
Nuntia læta ferens, David, ab ore tuo.

Et in fine:

An. Chr. DCCC XIV. Feb. XVIII.

Hunc iterum puerum vestræ pietate remisi,
Serviat ut vobis carmine, corde, manu.

Cave tamen putes, eum summum Cancellarium fuisse. nulla enim diplomata ejus nomine subsignata & recognita leguntur. Anscherus in Vita posterioris cap. 7 notat, Centulæ ab Angilberto reposita fuisse instrumenta regii Notarii aurea, *quibus Angilbertus procul dubio quondam usus fuerat.*

20. Denique teste Hadriano Papa, Minister capellæ *regiæ erat, id est* primas Capellanorum *seu Archicapellanus, ut Anscherus interpretatur, & post eum Guillelmus Peiratus, Paulus Petavius, & Sanctæ-Marthani. Archicapellanum fuisse negant Bollandiani, rati eum fuisse unum de Capellanis regiis, non primum. tum quia nusquam hoc nomine appellatur ab Alcuino & aliis, tum quia in Archicapellani dignitate Fulrado Dionysiano Abbati successit Angilramnus Mettensis Episcopus, Angilramno Hildeboldus Coloniensis Antistes, ut constat ex Hincmari opusculo 54. qui Hildeboldus eam dignitatem retinuit post mortem Angilberti. Ex testimonio Hincmari nihil certum confici potest. Non enim Hincmari consilium fuit, ut accuratum Archicapellanorum indicem exhiberet; sed tantùm ut exempla quædam proponeret eorum, qui tempore Pippini, Caroli, & Ludovici hoc munere defuncti erant. Hunc verò indicem non esse absolutum & accuratum ex eo intelligitur, quòd Hincmarus scribit in cap. 14, hanc dignitatem aliquando per Diaconos regnantibus Pippino & Carolo administratam fuisse: nec tamen in exemplis capite sequenti allatis ullum Diaconum profert. Et certè si* Minister capellæ *regiæ fuit Angilbertus, ut constat ex Hadriani epistola, non unum de inferiori ordine, sed summum fuisse admodum probabile est. tum quia apud Carolum Regem maximo in honore fuit. tum quia ad eam dignitatem pertinebant legationes, quas Angilbertus frequentes habuit. Denique ut quod hac de re sentio tandem exponam, existimo Archicapellani dignitatem per id tempus divisam in duas fuisse, in honorariam scilicet ad legationes obeundas, & in ordinariam ad regendum Clerum palatii & negotia ecclesiastica tractanda. & priorem quidem concessam Angilberto, Hildeboldo Archiepiscopo Coloniensi posteriorem. ut scilicet semper præsens esset qui causas ageret, qui palatinos Clericos regeret, qui benediceret cibos regiæ mensæ. nam id officii Archicapellano tribuit Theodulfus Aurelianensis Episcopus in lib. 3 carmine 1 his versibus.*

Adsit Præsul ovans animo vultuque benigno,
Ora beata ferens, & pia corda gerens.
Quem sincera fides, quem tantus culminis ordo,
Pectus & innocuum Rex tibi, Christe, dicat.
Stet benedicturus Regis potumque cibumque.
Sumere quin etiam Rex velit, ille volet.

Sanè & Angilramnum, & Hildeboldum in palatio assiduè remorari volebat Carolus, ut constat ex Concilii Francofurtensis canone 56. Dixit etiam dominus Rex in eadem Synodo, se à Sede apostolica, Adriano Pontifice, licentiam habuisse, ut Angilramnum Archiepiscopum in suo palatio assiduè haberet propter utilitates ecclesiasticas. Deprecatus est eamdem Synodum, ut eo modo sicut Angilramnum habuerat, ita etiam Hildeboldum habere debuisset. *Sic ergo res ecclesiasticas in palatio curabat post Angilramnum Hildeboldus, legationes Angilbertus, uterque Archicapellanus; ille ordinarius, hic honorarius. Hæc mea conjectura, quam eruditorum hominum æstimationi subjicio.*

VII. Monasterii Centulensis instauratio, diplomata, census.

21. An Monasterium Centulense plus debeat Richario conditori, quàm Angilberto instauratori & amplificatori suo, vix statui potest. Quantum decoris & ornamenti hic loco addiderit, argumento sunt instrumentum & carmina ab ipso hac de re condita, quæ ex Hariulfo & Anschero infrà exhibebo. Nam tres eo in loco erecta basilica, ad quas per triangulare claustrum seu dormitorium iter continuum erat: in

quibus Acœmetarum more perpetua jugisque psalmodia (Laudem perennem vocant) celebrabatur. In his ara multæ, reliquiarum sacrarum & ornamentorum immensa supellex: quæ omnia vel contulit Angilbertus, vel Carolo donante promeruit. Monasterii novam fabricam aggressus videtur ab anno DCCXCIII, *quo creatus est Abbas. Ecclesiæ majoris dedicatio post tertiam legationem ex Italia anno (ut conjector) octingentesimo primo est facta per Episcopos duodecim; translata sanctorum Richarii, Caidoci, & Fricorii, alio nomine Hadriani, corpora in pretiosas thecas, quas versibus exornavit. Denique ne quid sua in Richarium devotioni deesset, ejus Vitam per Alcuinum elegantiori stilo expoliri curavit, præcipiente Carolo Augusto, qui* pascha *anni* DCCC apud sanctum Richarium celebravit, *teste Eginhardo in Annalibus. Hæc omnia tum propensa in Deum pietate, tum eximio adversus sanctum Richarium studio aggressus exsecutusque est. Sanè quantum coluerit Richarium suum, docent nos versus ab ipso editi, qui inter Alcuini poemata exstant ordine 177 in hunc modum.* An. Chr. DCCC XIV. Lib. XVIII.

Servulus ecce tuus, RICHARIUS inclite Pastor,
    Hæc tibi construxit parvula tecta, Pater.
Semper honoris ero magno pietatis amore
    Devotus verè cultor ubique tuus.
Tu prior in gremium mundi de fluctibus almum
    Dante tuum Christo me miserum tuleras.
Nutristi & tenerum sacro me lacte salutis,
    Os fragile instituens cantibus egregiis.
Te quapropter amo totis, Pater optime, votis,
    Exoptans ut me tu quoque semper ames.
Perfice quod de me cœpisti mente benigna,
    Atque tuum famulum redde tuo Domino.
Tu quoque virtutum meritis mihi, sancte Sacerdos
    ELEGIUS, precibus auxiliare tuis.
Tu modò magna potes cælesti in sede per illum,
    Te bona qui in terris plurima posse dedit.
O Patres sancti, ô clarissima lumina mundi,
    Spes vitæ & veniæ vos mihi certa salus.
Ante pedes vestros lacrymis perfusus amaris
    Hic jaciens, vitæ crimina plango meæ.
Sæpius & feriens nimiùm rea pectora pugnis,
    Et peccata pio confiteor Domino.
Vos mihi nunc misero mites estote patroni:
    Criminibus veniam poscite, quæso, meis.
Magna reor vobis restat laus, gloria, merces:
    Servulus ut vester in nece non pereat.
Quisque legat titulum, dicat precor ANGILBERTO:
    Pauperis ô miseri Christe memento tui.
Sit benedicta domus hæc per te, Christe, precamur,
    Ut veniant servis hic tua dona tuis.

Hoc carmen integrum referre visum est ad probandam auctoris eximiam pietatem.

22. *Post hæc vir sanctus obtinuit à Carolo Magno, ut Monasterium Forestense*, constructum eo in loco, ubi sanctus Richarius supremos vitæ dies absolverat, à Centulensi avulsum, denuo ipsi perpetuò subderetur, uti discimus ex ms. fragmento, quod Hariulfi Chronographi exemplari cum Caroli diplomate subjectum est in hunc modum.* Postquam igitur memorabilis Angilbertus cum summa cordis diligentia locum restruxit, & non solùm interiora, sed ejus etiam exteriora magno decore ornavit, & cùm jam rite peractis omnibus in loci reædificatione laborare desiisset; accessit ad domnum Carolum magnum Regem, *Forest-monstier

An. Chr. DCCC XIV. Feb. XVIII. & petiit ut cellam Forestensem, quam sanctus Richarius primus inhabitarat & ædificaverat, quàmque multis & magnis miraculorum signis ob ejusdem sancti merita Dominus illustrabat; sua regia auctoritate ad Abbatem Centulæ perpetim pertinere firmaret. Et ille qui multo majora dilectissimo viro & pro sua sanctitate jam venerando præstare promtissimus existebat, hoc quoque ejus postulatum libentissimè indulsit. Nec sola concessione simplici contentus, regium scriptum inde fieri jussit ad posterorum notitiam servandum, quod nostris archivis adhuc integrum servatur. Hujus cartæ dictio talis est.

Caroli Magni diploma. » CAROLUS gratiâ Dei Rex Francorum & Langobardorum, ac Patricius » Romanorum. Quicquid enim ob amorem Domini nostri JESU-» CHRISTI & opportunitate servorum Dei ad loca Sanctorum benivola » deliberatione cedimus vel confirmamus, hoc nobis ad augmentum mer-» cedis seu stabilitatem regni nostri pertinere confidimus. Quapropter no-» tum sit omnium fidelium nostrorum magnitudini, præsentium scilicet & » futurorum, qualiter ANGHILBERTUS venerabilis Abbas ex Monasterio » Centulo, quod est constructum in honore Domini & Salvatoris nostri » JESU-CHRISTI, ejusque sanctæ genitricis semper virginis MARIÆ & » sancti Petri, ceterorumque omnium Apostolorum & multorum Sancto-» rum, in quo etiam sanctus Richarius præclarissimus Christi Confessor cor-» pore requiescit, situm in pago Pontivo; ad notitiam serenitatis nostræ per-» duxit, eo quòd ipse sanctus Richarius adhuc in præsenti sæculo vivens, in » ipsa silva quæ vocatur Forestis, prope cisternam quæ est juxta locum nun-» cupante Argubium, in ipso pago Pontivo, sibi ad habitandum locum » elegisset: & circa ipsam cisternam bina vel terna bunuaria * secundùm » ejus petitionem à regali dignitate accepta, satis vile tugurium amatores » servorum Dei ei ad militandum omnipotenti Deo ædificare studuerunt, » ibique divina vocatione ex hoc mundo ad Dominum migrasset. Et non » post multum tempus Fratres à præfato Monasterio Centulo tulerunt sa-» crum ejus corpus, & sepelierunt illud cum magna reverentia in prædicto » Monasterio: per cujus merita, omnipotente Deo cooperante, in ipsa duo » loca multa declarata sunt magnalia. Nam & sub unius Abbatis dominio » multis temporibus una fuisset Fratrum concors in Dei laudibus digna » conversatio. Qua ex re petiit clementiam regni nostri, ut in amore Do-» mini nostri JESU-CHRISTI & sancti Richarii, ceterorumque Sancto-» rum, pro augmento mercedis nostræ, ipsam cellam, in qua Deo sanctus » Richarius militare studuit, per præceptum auctoritatis nostræ ad suprà » scriptum Monasterium Centulum, ubi ejus sacrum requiescit corpus, ple-» nissima deliberatione cedere & condonare deberemus. Cujus petitionem » ejus servitio & meritis compellentibus denegare noluimus: sed pro ho-» nore & amore Domini & Salvatoris nostri JESU-CHRISTI, vel pro æter-» na remuneratione ita concessisse & in omnibus confirmare cognoscite. » Statuentes ergo jubemus, quod perpetualiter circa memoratum Monaste-» rium Centulum jure firmissimo mansurum esse volumus, ut suprà scriptus » ANGHILBERTUS, suique in perpetuum successores, qui fuerint per » tempora Rectores ipsius Monasterii, supradictam cellam Foreste cum » omni ornatu ecclesiæ & omnibus rebus vel appendiciis seu adjacentiis » suis, quicquid ad præsens justè & rationabiliter possidere videtur, aut in-» antea Domino tribuente ibidem additum vel delegatum cum justitia & » æquitatis ordine fuerit; per hoc nostræ serenitatis, concessionis, atque » confirmationis præceptum teneant atque possideant: ita ut à modò & dein-» ceps laus Dei & concordia servorum Domini, pro mercede animæ nostræ, » sub norma rectitudinis & unius Abbatis nomine, nostris, Deo favente,

* l. bunuariis, &c.

futurisque temporibus perenniter maneat inconvulsum: quatinus melius delectet ipsos servos Dei, qui ibidem Deo famulari videntur, pro nobis & liberis seu cuncta domu nostra & pro stabilitate regni nostri jugiter Domini misericordiam exorare. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, & diuturnis temporibus melius conservetur; manu propria subter roborare decrevimus, & de anulo nostro sigillari jussimus. Signum CAROLI gloriosissimi Regis. ERANBALDUS relegi & subscripsi. Data IIII Kal. Maii anno XXVIIII & XXV regni nostri. Actum Aquis palatio publico, in Dei nomine feliciter. Amen. AN. CHRI. DCCC XIV. FEB. XVIII.

23. Hoc diploma, quod anno Christi DCCXCVIII *concessum est, duo nos docet. primò* Argubii *situm, de quo Alcuinus in hymno de sancto Richario:*

Tu fundasti Cœnobium
Loco prope Argubium:
Et aliud in Centulo;
Ambo perenni merito.

*In observationibus ad Vitam sancti Richarii conjectaveram, Argubium situm fuisse prope silvam Crisciacensem *, in qua condita Cella Forestensis. Conjecturam meam probat hoc diploma, ubi legimus*, quod sanctus Richarius in silva quæ vocatur Forestis, prope cisternam quæ est juxta locum nuncupante Argubium, in ipso pago Pontivo sibi ad habitandum elegerit. *At verò Forestense Monasterium * hactenus conspicitur non longè à dextra Somenæ ripa, inter Abbatisvillam & opidum sancti Vualarici. Alterum notabile est, quòd Carolus ad diploma hoc concedendum inductus sit Angilberti* servitio & meritis compellentibus: *Acceptis his litteris Forestense Monasterium Centulensi subditum mansit per longum tempus: ibique collocati tum Monachi, tum Canonici sub potestate Abbatis Centulensis: donec procedente tempore denuo in Abbatiæ titulum hæc Cella erecta est. quo in statu hactenus persistit, licèt tenuissimi reditus sit, pauculis Monachis ibi residentibus, corruentibus ædificiis. In descriptione censuum Monasterii Centulensis ab Herico Abbate facta.* In Foresti-cella habentur tres ecclesiæ, prima sanctæ Mariæ, secunda sancti Petri; tertia sancti Richarii: ubi sunt altaria auro argentoque parata quinque, *&c.* sunt ibi Canonici triginta; qui habent ad stipendia villas quatuor, *&c. in Chronici Centulensis lib. 3 cap. 3.*

* de Cressi

* Forest monstier

24. Anno Christi octingentesimo Carolus, teste Eginhardo cum aliis, sanctum Pascha apud sanctum Richarium celebravit: Inde iterum per litus maris agens, Roromagum civitatem venit: ibique Sequana amne transmisso, Turonos ad sanctum Martinum orationis causâ profectus est. Moratus ibi dies aliquot propter adversam Liutgardæ conjugis valetudinem, quæ ibidem & defuncta, & humata est; inde per Aurelianos ac Parisios Aquisgrani reversus est. Et mense Augusto inchoante Moguntiacum veniens; generalem conventum ibidem habuit; & iter in Italiam indixit, sub finem anni profectus Romam: *Euntem Angilbertus Romam comitatus est, ut scribit Petavius, & à Leone Papa III privilegio obtinuit, ut totius Centulæ villæ (Petavii verba refero) curam ecclesiasticam solus haberet Abbas: nec quidquam Episcopus Ambianicæ sedis de ecclesiis aut Clericis ejusdem loci constituere posset. idque* suggestione (*Privilegii verba ista sunt, teste Petavio*) fratris & coepiscopi nostri Ambianensium Antistitis Jesse, simulque Angilberti Abbatis: quam quidem in præsentia gloriosi atque excellentissimi filii nostri Caroli (quem auctore Deo in defensionem & provectum sanctæ universalis Ecclesiæ in Augustum hodie sacravimus) nobis intimarunt; *&c. fitque ibidem mentio Centulensis Monasterii*, nuper, *inquit*, restaurati *& in nobilem statum reducti. Hæc Petavius, qui in margine hæc addit: Quod privilegium Zacharias Diaconus regionarius, & sancta atque apostolica Romana Ecclesia Bibliothecarius*, VIII Kal. Januarii, Indict. IX *scripsit, recognovit & subscripsit. Quæ Petavii verbis huc refero, quod ejusmodi privilegium mihi videre non licuerit. Error est Iohannis de*

Caroli M. adventus Centulam.

Leonis P. privilegium.

An. Chr. DCCCXIV. Feb. XVIII.

Capella, existimantis eo die & anno privilegium mitræ, sandaliorum, anuli & aliorum pontificalium *etiam Angilberto ejusque successoribus concessum fuisse. Nondum enim illo ævo ejusmodi privilegia Abbatibus concedebantur, qua de re aliàs Deo dante fusiùs agam. Certè si usus sandaliorum & aliorum pontificalium ornamentorum penes Centulensem Abbatem fuisset sæculo* XI, *frustra Leo Papa nonus Gervino Abbati Romam accito* sandalia obtulisset, jubens ut his Gervinus uteretur: *neque* venerabilis Abbas ea ornamenta *ex* humilitate recusasse *diceretur apud Hariulfum in Chronici lib. 4 cap. 27.*

Descriptio censuum Monasterii.

25. Quantus fuerit eo tempore census Monasterii Centulensis, declarat Herici post Angilbertum Abbatis descriptio de thesauro & rebus seu vassallis sancti Richarii. *hac magna ex parte habetur apud Hariulfum in lib. 3 cap. 3. sed tamen duo prætermisit Hariulfus, nempe enumerationem villarum à Monasterio pendentium, quas Iohannes de Capella recenset; & proventum ex opido Centula, cujus proventus summam ex ms. codice & Iohanne Bollando huc refero.*

IN ipsa Centula habentur mansiones hominum sæcularium duo millia quingenta. unaquæque persolvit denarios duodecim, pullos quatuor, ova triginta. Servitium domini Abbatis & Fratrum semper debent, ubicumque necesse fuerit. Molendina quatuor: unde redditur annona permixta sexcenti modii *, porcos octo, auccas * duodecim. De mercato per hebdomadam XL solidos. de commeatu per hebdomadam viginti solidos. Sunt ibi clibana tredecim, quæ reddunt unumquodque per annum decem solidos & panes trecentos, flatones * in Litaniis unumquodque triginta. Cura animarum in porticu sancti Michaelis deservit eleemosynis Fratrum, valens per annum quingentos solidos. Sepultura pauperum & advenarum in Nova-villa in sancto Albino reddit per annum centum solidos ad portam nobilium, ad faciendam inde eleemosynam. Eleemosyna Abbatis per unumquemque diem quinque solidos. pauperes quotidiani trecenti, viduæ centum quinquaginta; Clerici sexaginta. Mansorum unusquisque per annum solvit sextarium unum frumenti, similiter avenæ unum, & fabæ unum. De matrimoniis per annum viginti libras. Judicium forensium sexaginta octo libras perannum. Item ibidem vicus negotiantium omni anno pallium unum valens centum solidos. Vicus fabrorum cuncta persolvit ferramenta. valet per annum libras tres. Vicus scutariorum omnia voluminum indumenta tribuit, conficit, consuit. valet triginta solidos. Vicus sellariorum cunctas Abbati & Fratribus ibi degentibus obsoniat sellas. Vicus pistorum centum panes per hebdomadam. Vicus servientium per omnia liber est. Vicus sutorum cuncta famulorum & coquorum calceamenta tribuit. Vicus laniștarum omni anno quindecim sextarios saginis persolvit. Vicus fullonum cuncta Fratribus filtra administrat. Vicus pellificum cunctas Fratribus pelles conficit & consuit. Vicus vinitorum sexdecim sextarios, uni, unumque olei persolvit per hebdomadam. Vicus cauponum unaquaque die triginta sextarios cervisiæ. Vicus militum centum & decem, unusquisque semper equum, scutum, gladium, lanceam, cæteraque arma exhiber. Capella nobilium solvit omni anno libras duodecim thuris & thymiamatis. Capellæ populi vulgaris quatuor, unaquæque solvit centum libras ceræ, incensi tres. Oblatio ad sepulcrum sancti Richarii valet omni hebdomada marcas ducentas, aut trecentas libras, præter alia donaria.

* *Ioh. de Capella* cxx modia bladi

* *Boll.* vaccas

* *Cap.* flannos seu tartas

26. Hactenus egregium antiquitatis monumentum, quod hic recudere visum est in gratiam nostrorum. Præter ea Iohannes de Capella recenset centum & duas villas per modum advocationis *ad idem Monasterium pertinentes in redditibus & proventibus, præter* centum & septem-decim villas seu opida non declarata, per totidem Milites possessa per modum feodi à dicta ecclesia: ex quibus unus-

unusquisque tenebatur servire domino Abbati & conventui in armis & sollemniter, & maximè facere stagium suis sumptibus in festis Nativitatis Domini, Paschæ, Pentecostes, & sollemnitatum beati Richarii, cum suis familiaribus, & toties quoties erant requisiti. *Hodie quoque subsistit non sine aliquo pristina dignitatis splendore Monasterium sub Congregatione nostra, subsistit & oppidum Centula: sed utrumque multùm ab antiquo statu defecit.* AN. CHR. DCCC XIV. FEB XVIII.

VIII. Angilberti reliqua facta, scripta per ipsum, & ad ipsum.

27. *De reliquis Angilberti gestis id solum novimus, quod Caroli Magni testamento anno* DCCC XI *condito subscripsit post Episcopos & Abbates Fridogisum & Adalongum* ENGILBERTUS.

28. *Ad ipsius scripta quod attinet, etsi eum multa scripsisse veri simile sit, nihil tamen de eo nobis relictum est prater instrumentum ab ipso confectum de instauratione Monasterii sui, & prater versus quosdam tum superiùs relatos, tum inferiùs referendos, tum eos quos exhibet Andreas Chesnius in historia Francorum tomo 2 pag. 646.*

29. *Ad eum scripta exstant Alcuini quadam epistola, cùm Alcuini, tum Caroli Magni nomine, nempe 27, 42, 83 & 92. Laudatur in epistolis 15, 60, 63, 65, 72, 73, 84, & 93. item in poëmatiis 184, 20e, 221, 222, & 270, & in prafatione ad sancti Richarii Vitam. Theodulfus item Aurelianensis Episcopus carmen edidit* ad Angilbertum, *quod est libri tertii tertium, de quo Iacobi Sirmondi judicium tale est.* Refertum est totum hoc Theodulfi carmen nominum mutationibus, quæ ab iis fortasse qui audiebant, intelligi poterant; nunc inextricabiles videntur. *Invehitur eo in loco Theodulfus in Poetam quemdam, quem Angilbertus mensa sua participem faciebat, hominem qui in bonas musas importunè se inferens, eas commaculabat, & peritioribus quibusque silentium imponebat. Carmen incipit ab his versibus.*

Quid cycni faciunt, resonant dum talia corvi,
    Et tectis strepitant carmina multa meis?
Nunc fallax simulat hominis rea pica loquelam;
    Despiciens volucres, fercula sacra, sedet.
Psittacus & varias imitatur voce camœnas,
    Commaculans musas, vatis HOMERE, tuas.
Mergulus atque Niger Ligeri piscator in undis,
    Brigenses silvas nunc habitare solet.

Poëtam hunc passim Corvum & Corvinianum *à nigro colore vocat, contra quem Scottum quemdam infensum ita inducit.*

Scottulus accinctus gladio te spectat acuto,
    Perforet ut pectus, Corviniane, tuum.
Non timet hic corvos, volucri nec parceret ulli,
    Si modò Damœtam speret abesse procul.
Non pius est Scottus noster, Damœta poëta.
    Vertitur in luctum ludus ab ore procax.

Damœta iste non alius est quàm RICOLFUS *seu Riculfus, Theodulfo iterum laudatus in lib. 3 carmine ', alio nomine* MACARIUS *dictus, tum palatinus Diaconus, dein Archiepiscopus Moguntinus post Lullum, is ad quem exstat Alcuini epigramma 258, cujus hi versus.*

Hæc tibi, Macari, devovi munera, Pastor:
    Cum Christo & Sanctis tu sine fine vale.
Sis memor Albini, memoret te gratia Christi;
    Et tu, Nigre meus, candidus esto Dei.

Et infrà;

Ut tibi mandavi, Bergenses instrue nostros,
    Et tecum discat qui tibi perplaceat.

An. Chr. DCCC XIV. Eji XVIII. *Ex his veri simile fit, Nigrum hunc esse ipsummet Corvum seu Corvinianum, quem Theodulfus insectatur: qui apud Brigenses seu Bergenses tum degebat, in aulam identidem irrepens & in mensam Angilberti, qui forsan adhuc sacularis erat, & ludicris rebus nimiùm addictus, ex dictis suprà num. 55. An fortè Niger & Corvinianus iste Scottus erat Clemens Scottus? quem Carolus docendi gratiâ in Francia retinuisse dicitur in lib. 1 Monachi Sancti-Gallensis. Ceterum malim hoc loco legere* Bergenses, *uti apud Alcuinum, quàm* Brigenses *apud Theodulfum. quo nomine, si non fallor, intelliguntur Bergenses Monachi Cœnobii sancti Petri in pago Mosao ad Roram fluvium, Mosæ aquis se miscentem ad Rurꝫmondam: quod Cœnobium Berg appellatur apud Brovverum in Annalium Trevirensium lib. 8. ubi HLotharius Rex hunc locum Hungero Trajecti inferioris Episcopo donasse perhibetur anno regni tertio. Conjecturarum satis, & fortasse plusquam satis.*

IX. Ejus obitus & sepultura, translationes, canonizatio, festa & reliquiæ, successores.

30. Obiit vir sanctus anno DCCC XIV, XII *Kal. Martii, diebus* XXII *post Carolum Magnum. Morti proximus,* multa usus humilitate, *inquit Hariulfus,* cujus perseverans fuerat conservator, præcepit ut ante fores templi tumularetur. Locus autem ipsius sepulturæ ita aditui ecclesiæ proximus est, ut à nemine basilica ingredi possit, qui non sanctam corporis ejus tumbam calcaret.

31. Varia ejus epitaphia referuntur. unum refert Hariulfus quatuor versibus constans, qui in gyro sepulturæ ejus *legebantur. aliud Anscherus, quod* æreum epitaphium *vocat, hoc est in lamina area inscriptum. tertium lego apud Alcuinum, quod est poëma 116.*

Omnia quæ cernis summo renovata decore,
    Interius templum exteriusve factum,
Angilbertus ovans jam fecit amore paterno
    Sanctorum, pariter perpetuique Dei,
Non parcens opibus propriis. nam quidquid habebat,
    Ecclesiæ larga jam pietate dedit.
Et tu, serve Dei, veniens . · — inde viator
    Hæc loca percurre pulcra Monasterii,
Ecclesiasque Dei devoto pectore Christi,
    Cerne decus varium per pietatis opus.
Semper in ore tuo Christo dic maximè laudes,
    Talia qui voluit posse suum famulum.
Dicque: Tuo servo requiem da, Christe, supernam,
    Nomine qui fecit hæc speciosa tuo.
Vosque Dei [famuli] pro illo intercedite semper,
    Ut famulum servet Christus ubique suum.
Det veniam scelerum, æternam tribuatque salutem.

Istud epitaphium si ab Alcuino post mortem (ut videtur) Angilberti conditum est, Angilberto supervixit Alcuinus. quod anno sequenti discutiendum.

32. Duplicem Angilberti corporis translationem commemorant Hariulfus & Anscherus. unam à Ribbodone Abbate anno ab ipsius obitu octavo & vigesimo factam; aliam per Gervinum itidem Abbatem sæculo XI.

33. Quo tempore Angilbertus inter Sanctos relatus sit, quove primùm ejus memoria in divinis officiis celebrari cœperit, inquirendum. Utrumque contigisse puto anno MCX, *quando Anscherus Abbas ejus rei gratiâ Paschali summo Pontifici librum de Angilberti vita, Radulfo Remorum Archiepiscopo alterum de ejus miraculis obtulit, ut eum in Sanctorum canonem referrent, & festivo cultu honorari præciperent. Sanè hanc fuisse Anscheri mentem describendis Angilberti gestis, patet ex*

fragmento præfationis in librum ab se compositum de ejus vita: ubi ait hoc ideo se fecisse, ut sciret, qualiter hic justitiæ cultor debeat tractari. utrum, velut hactenus gestum est, inter mortuos Fideles memoria illius teneatur: an juxta Scripturam dicentem, Memoria Justorum cum laudibus, anniversaria dies ejus in numero Sanctorum sollemniter celebretur. *Ergo* hactenus, *id est usque ad tempus Anscheri*, *Angilberti* memoria inter mortuos Fideles *fusis pro ipso suffragiis habita est, uti præceperat Gervinus post inventum ejus corpus. nam antea diem obitum ejus non recolebant Centulenses, qui ipsum ignorabant, ex Hariulfo.* AN. CHR. DCCC XIV. FEB. XVIII.

34. *Post illud tempus, consensu & decreto (ut puto) Paschalis Papæ II, celebrati sunt sancti Angilberti obitus, itidemque ejus translationis festi dies. In vetusto indice sollemnitatum, quæ* ad Centulam propriè pertinent, *scripto ante annos quadringentos, has de sancto Angilberto invenio.* XII Kal. Martii depositio sancti Angilberti Abbatis & fundatoris. *nam instaurator, fundator alter.* Nonis Novembris translatio prima sancti Angilberti Abbatis. *ea nimirum quæ per Ribbodonem Abbatem facta est, cujus meminit Nithardus in historiæ lib. 4, infrà apud Anscherum. de alia, cujus auctor Gervinus, nulla mentio in prædicto indice sollemnitatum.*

35. *Quis Angilberti Abbatis successor fuerit, lis est inter Auctores. Hariulfus ei substituit Nithardum filium*, quem de Regis filia Berta susceperat. *Id falsum esse Paulus Petavius in Syntagmate Nithardi demonstrat hoc argumento, quòd Nithardus anno à patris obitu trigesimo, id est anno* DCCC XLIV, *quo historiam suam composuit, nondum seculo nuntium remiserat. Hoc etiam argumento Petavius refellit Scriptorem secundæ Vitæ Anscherum, qui Nithardum subjicit Ribbodoni Abbati anno prædicto è vivis erepto. cui Ludovicum sufficit, Ludovico Nithardum, uti eum docuit hæc notatiuncula margini codicis Hariulfi ab antiquo descripta:* Post domnum HLudovicum præfectus dicitur domnus Nithardus. Et quoniam tum persecutio gravis insistebat paganorum, etiam maritimæ [Franciæ] Comitatum suscepit. *Denique Petavius Nithardum conjicit bello peremtum fuisse anno* DCCC LIII, *tùm Dani Suevique, quos Theotisci* Nortman, *id est Aquilonares appellant, sua habitationis finibus egressi, jam per viginti annos omnem oram maritimam incendiis, rapinis, omnique crudelitatis genere afficerent. Erit forsan qui dubitet, an Nithardus Centulensis Monasterii Abbas fuerit, eo quòd in quodam rythmo, quem Angelramnus Abbas Centulensis de Abbatibus antecessoribus suis annis centum ante Hariulfum condidit, omissus sit Nithardus. Audi Hariulfum in lib. 4 cap. 17 agentem de Angelramno.* Is ipse honorabilis vir posteritati consulens, catalogum rythmicum de Patribus sancti hujus loci, non quidem omnes designans, sed tantummodo illos memorans, quorum nomina vel chartæ, vel quælibet pittaciola insinuare videbantur, vel etiam Vita sancti Richarii specialiter notificabat. (*quæ sequuntur in editis desunt*) scripsit autem in hunc modum.

Quæ occurrunt memoriæ — Licèt non sint in ordine,
Centulensis Cœnobii — Abbatum scribo nomina.
Præ omnibus egregius — Pastor noster RICHARIUS,
In hac villa progenitus, — Primus in albo ponitur.
OCIOALDUS sequitur. — ANGELBERTUS magnificus.
GUITMARUS vir sanctissimus. — HELISACHAR & ALDRICUS.
Quibus HERICUS additur — HLUDOGUICUS & regius,
HERBERTUS, SYMPHORIANUS — RUODULFUS, KARLOMANNUS.
Cum GUELFONE & HEDENOLDO, — GERBERTUS & FULCHERICUS
Post INGELARDUM igitur — ANGELRAMNUS adscribitur
Sancti imitator Ordinis — Et studiosus litteris.

Hæc quidem honorabilis Angelramnus. *Hic catalogus etsi accuratus non sit,*

AN. CHR. DCCC XIV. FEB. XVIII. *dubitandi tamen fundamentum praebet de Nithardi abbatiali dignitate. Verùm huic dubitationi occurrit Hariulfus in lib. 4 cap. 17, ubi post plura ita concludit.* Hæc igitur Abbatum nomina, quæ in domni Angelramni scripto minùs, in nostro verò pleniùs habentur, id est domnus NITHARDUS, domnusque RIBBODO, HELGAUDUS quoque & COSCHINUS; duo prima in codice à Gorzia delato, tertium autem in membranis nostri gymnasii reperta sunt. Nam de domno Coschino plura apud Gemeticum Cœnobium scripta tenentur, ex quibus comprobatur isdem vir tam nostri, quàm illius Abbas fuisse loci. *De Nithardo iterum agendum inferiùs, ubi de sancto Ausbaldo Prumiensi Abbate. Hæc satis ad illustrandas supplendasque res gestas Angilberti: jam Hariulfum audiamus.*

INCIPIT VITA

Auctore HARIULFO tum Monacho Centulensi, pòst Abbate Aldenborgensi in Belgio, sæculo XI.

Ex lib. 2 Chronici in Spicilegii tomo 4.

Cap. I. Angilbertus septimus Abbas Centulensis.



1. SUPERIORI libello innotuit, quanto & quali Fundatore hoc Monasterium Centulense originem vel initium sanctitatis acceperit, & qualiter ipse primus Pastor noster [RICHARIUS] vixerit in mundo, vel qualiter insertus sit cælo. Sicque seriatim ad sextum usque loci nostri Abbatem [SYMPHORIANUM] noster sermo perductus est. tandem igitur septimum designemus, cui jure septenarius numerus compensatur ob gratiam Spiritus-sancti, cui is quem dicere habemus, habitatio exstitit gratiosa. ANGILBERTUS hic est, Deo & hominibus carus, genere splendidus, virtute præcipuus, Regum & Procerum alumnus; & nunc multo latiùs pro Angelorum societate beatus. Sed quia nobilitatem nostri loci ex aliquanto perstringere proposuimus, quem nobilitatum jam ex primi Fundatoris sanctitate signavimus; dignum est ejus viri nobilitatem à nobis pro posse explicari, cujus opere & industria idem locus noster magnificè meruit ampliari.

Regibus carus.

2. Anno igitur Incarnationis Dominicæ DCC LIIII, cùm Pippinus cum filiis Karolo & Karolomanno Francorum orbi imperaret; omnium bonorum laude attollendus ANGILBERTUS, indole suæ nobilitatis jam dictos Reges sie in sui amorem converterat, ut miro modo visceraliter illum diligerent; & verso modo Reges, quibus ab aliis placeri studetur, huic præ affectu dilectionis placere studerent. Inde autem hunc arbitramur honestari libellum, si & horum quoque Regum genealogiam breviter adnotemus. Quartus Rex Francorum Chlotharius, illius quem sanctus Remigius baptizavit HLudogvici filius, genuit filiam nomine Blithildem, &c. [*Pippinus denique annis duodecim superstes, duobus filiis regni successionem reliquit: è quibus Karolus moriente germano monarchiam solus obtinuit. cui clarissimus vir Angilbertus nobilitatis & sapientiæ merito exstitit carissimus, adeo ut præ omnibus ei familiarissimus haberetur. quæ amicitia in tantum convaluit, ut Regis filiam nomine BERTAM in conjugium acciperet, de qua duos filios, HARNIDUM & NITHARDUM, genuit. Cui etiam ad augmentum palatini honoris, totius maritimæ terræ Ducatus commissus est [a].]

* ex cap. 2. Berta ejus uxor. — filii duo. — Ducatus. a

a Ansulis inclusa alia manu scripta sunt in codice ms. in quo litura facta hoc loco est, & duo folia avulsa, à capite 2 ad 7 quæ litura etiam apparet in indice capitulorum.

3. Erat eo tempore hoc Centulense Cœnobium à sancto dudum Richario fundatum, à Monachis satis honestè Deo famulantibus hactenus inhabitatum: qui morum quidem divitiis plenam, sed rebus sæculi non valde locupletem vitam ducebant. non quòd eis prædiorum ac redituum seu villarum à sancto Richario collata deesset copia: sed quòd omnes redhibitionum impensas in pauperum magis quàm in suas utilitates conferebant. Angilbertus itaque cùm suscepto Ducatu Pontivum inviseret, à provincialibus audivit signa & prodigia virtutum, quæ omnipotens Christus ad sepulcrum sui sanctissimi Confessoris Richarii jugiter operabatur: quæ opera in corde ejus magnum huic loco amorem conciliaverunt. Unde & exhibitio operis, quæ est probatio dilectionis, extemplo prosecuta est. Nam impetratâ ab Imperatore Carolo complendi voti licentiâ, simulque intimato cordis sui desiderio, quo sancti Richarii ecclesiam reficere ambiebat, accepit ab eodem Rege cum omni favorabilitate benignam responsionem, solamen & adjutorium suum illi numquam defuturum spondentem. Aperiuntur illi jubente Rege thesauri ingentes: & quidquid vel quantum vellet, inde tollere rogatur, quo dilectissimi viri intentio diligentissimè compleretur. Ita post libata dulcis amicitiæ oscula venerabilis Angilbertus Pontivum ac Centulam regreditur, & in Monasterio sanctissimi Patris Richarii Monachi indumentum & verè humilitatem suscepit.

An. Chr. DCCC XIV Feb. XVIII. Centulam invasit.

Regis acceptâ licentiâ eò se recipit.

4. Itaque post non multum temporis Abbas loci defungitur, & tam Fratrum precatu quàm Regis jussu Angilbertus, continentia & humilitate re vera Monachus, ad hoc officium provehitur. Quod postquam factum est, artifices doctissimos ligni & lapidis, vitri & marmoris, Angilberto dirigit regia potestas. Exinde quia tam pro amore sancti Richarii, quàm pro dilecto suo Angilberto Centulense Monasterium omni honorificentia attollere cupiebat, direxit vehicula fortia & multa in urbem Romam, ut marmor & columnæ ad ornatum jam dictæ ecclesiæ deferrentur. Nec hoc contentus, dirigit Legatos per regna & civitates, jubens subditis, rogans à non subditis, ut sibi mittant reliquias de Sanctis, quos diversa loca habebant. Quòd si quis nosse vult, quæ & quales Sanctorum reliquiæ huc allatæ sunt, non noster sermo, sed ipsius domni Angilberti scriptura demonstrabit, quæ paullo pòst inseretur.

Fit Abbas.

Monasterium instaurat ope Caroli.

5. Angilbertus igitur Dei fretus auxilio & domni Karoli adsensu & largitate omnimoda, primò dejiciens illud antiquum à sancto Richario locatum templum, magna & insigni prudentia novi fundamenta conjecit. Ob hoc autem vetustum deposuit, quia sancti Richarii venerabile corpus ibidem tumulo tenebatur: & voti ejus erat super sancta ejus membra componere elegantem basilicam. Piissimus autem Rex Karolus ex suis, ut dictum est, thesauris tantam & tam immensam eidem delegavit pecuniam, ut ad omne opus necessarium mercede abundante, antè deficeret qui operaretur, & quid operaretur, quàm unde operarius remuneraretur.

Cap. 7. templum novum erigit,

Karolo juvante.

6. Cùm ergo marmoreæ columnæ in butico [a] erigerentur, una inter erigentium manus lapsa in duo frusta confracta est. Extemplo tantus omnes qui aderant dolor excepit, ut ea die nihil operis percomplerent. Mane facto dum redirent artifices, excogitaturi quonam modo ipsi fracturæ mederentur; viderunt columnam stantem super basim suam, nihil læsuræ habentem. Angelus quippe Domini veniens, & suo digito scissuram perpalpans, integerrimam dicto citiùs restituit. Monstratur verò ipsum angelicæ

Columna fracta redintegratur.

a De butico item infrà num. 7. *Turris ergo orientalis cum cancello & butico sancto Richario dicata est.* Conjicio buticum idem esse ac ciborium, quod columnis quatuor octove constans, super altaria Sanctorumque tumulos erigi mos erat, infrà. Anscherus habet: *cùm in eadem basilica marmorea columna ad ornatum templi erigeretur.*

AN. CHR. DCCC XIV. FEB. XVIII.

manus vestigium, ita ut intuentibus videatur manere divisa, cùm ipsum locum teneat fortiorem.

Ecclesiæ primæ descriptio.

7. Multo igitur apparatu summaque diligentia ac eximio decore inchoatum est construi Monasterium, atque in honore Salvatoris sanctique Richarii fulgentissima ecclesia, omnibusque illius temporis ecclesiis præstantissima perfecta est. Hæc ab Oriente habet ingentem turrem post cancellum: & interposito vestibulo alia turris versus Occidentem habetur priori æqualis. Illa autem quæ ad Orientem vergit, prope locum sita est, quo sanctus Richarius sepulturam habuit. Sepultura verò ipsa ita posita est, ut à parte pedum ipsius Sancti altare sit in loco editiori: & à parte capitis, sancti Petri Apostoli ara persistat. Turris ergo orientalis cum cancello & butico sancto Richario dicata est, & turris occidentalis in honore sancti Salvatoris specialiter est dicata: ubi etiam in gyro deintus hos versiculos scribere fecit memorabilis Angilbertus.

Omnipotens Dominus, qui celsa vel ima gubernas,
Majestate potens, semper, ubique Deus.
Respice de solio, Sanctorum gloria, summo,
Auxiliumque tuis, Rex bone, da famulis.
Principibus pacem, subjectis adde salutem:
Hostis pelle minas, & fera bella preme.
Hac quoque quæ statui fulgentia culmina templi
ANGILBERTUS *ego, sint tibi grata Deo.*
Augusto & KAROLO, *cujus virtute peregi,*
Concede imperii gaudia magna tui.
Quisquis & hic summas precibus pulsaverit aures,
Effectum tribuas semper habere Deus.

Videtur usque hodie in pavimento chori tam pulcra & tam distincta marmoris operatio, ut quicumque illud inspicit, incomparabile opus adseveret. Sanè coram altari sancti Richarii fecit pingere in ipso pavimento a quosdam versiculos, quos nos hîc quoque necessariò mittere curamus.

Hoc pavimentum humilis Abbas componere feci
ANGILBERTUS *ego, ductus amore Dei:*
Ut mihi post obitum sanctam donare quietem
Dignetur Christus, vita salusque mea.

Altera sanctæ Mariæ.
** la riviere aux cardons.*
Tertia sancti Benedicti.

8. Enimvero quia antiqua illa sancti Richarii ecclesia in honore sanctæ MARIÆ fuerat consecrata; ne videretur venerabilis vir Dei Matrem exhonorasse, alteram ei construxit, quæ citra fluviolum Scarduonem * hactenus consistit. Sancto quoque BENEDICTO Abbati unam exstruxit, quam super ripam jam dicti fluvioli collocavit. Si igitur situs loci discernatur, animadvertitur major ecclesia, quæ sancti Richarii est, Aquilonem tenere: secunda inferior, quæ in honore nostræ Dominæ sanctæ Mariæ citra fluvium Scarduonem sita est, Austrum; tertia, quæ minima est, Orientem. Claustrum verò Monachorum triangulum factum est, videlicet à sancto Richario usque ad sanctam Mariam tectus unus: à sancta Maria usque ad sanctum Benedictum tectus unus: itemque à sancto Benedicto usque ad sanctum Richarium tectus unus. Sicque fit, ut dum hic inde parietes sibi invicem concurrunt, medium spatium sub divo triangulum habeatur.

Ut sancti Angilberti liberalis pietas in sanctum Richarium altius posterorum memoriæ defigatur, ejus operis delineationem in membraneo Chronico Centulensi ante annos quingentos depictam hic apponi curavit Illustrissimus vir CAROLUS DALIGRE, STEPHANI *Franciæ Cancellarii Nepos, alterius* STEPHANI *nunc Procancellarii Filius; sancti Angilberti in Abbatiali dignitate successor, itidemque Regni Consiliarius, futurus etiam (uti sperare nos jubet) in restituenda Dei domo imitator.*

a Johannes de Capella scribit, *in tabula marmorea, qui & hoc pavimentum porphyreticum rubei & viridis coloris, quale in toto terrarum orbe non est visum simile,* ad suum tempus perstitisse dicit.


Hanc Mon. Centulensis a S. Angilberto Abbate instaurati veterem iconem ex ms. cod. in aere incidi curavit Illust. Abbas Carolus Daligre, Regni Consiliarius anno 1673.
S. Richarius
S. Benedictus
Maria

An. Chr. DCCC XIV Feb. XVIII. Monasterii commoda.

9. Monasterium igitur secundùm decretum Regulæ sanctissimi BENEDICTI ita dispositum fuit, ut omnis ars omneque opus necessarium intra loci ambitum exerceretur. Aqua autem torrentis Scarduonis ipsum claustrum præterfluit, quæ & ibi farinarium Fratrum in vertiginem mittit. Sed quia nos de situ loci hæc breviter diximus, Monasterii dedicationem jam modò disseramus. quæ tamen non nostris verbis, sed domni Angilberti scripto hodieque permanenti demonstranda est, cujus tale est exemplar.

Cap. 8.

Angilberti scriptum de perfectione & dedicatione Centulensis ecclesiæ.

» EGO ANGILBERTUS considerans ac diligentissima investigatione & mentis affectu pertractans, qualiter unà cum consensu Fratrum meorum & omnium Fidelium sanctæ Ecclesiæ ceterorumque bonorum hominum, hunc sanctum locum, mihi licèt indigno ab omnipotente Deo, & excellentissimo domino meo KAROLO serenissimo Augusto [a] ad gubernandum commissum, auxiliante Domino in melius reædificare voluissem; ut Monachi & ceteri famuli ibidem consistentes, vel etiam successores nostri, qui per diversa temporum spatia successuri erunt, Deo militare pro me & pro prædicto domino meo ejusdem Dei clementiam attentiùs valeant implorare, quatenus illis facta nostra ad perpetuam consolationem, nobisque, qui pro Dei amore laboravimus, illis orantibus ad mercedem proficiant sempiternam; secundùm quod ratio permisit, & possibilitas nostra administravit, non tamen quantum voluimus, sed quantum occurrimus, sicut in sequentibus declaratur, laboravimus.

Dedicatio trium ecclesiarum.

» Quia igitur omnis plebs Fidelium sanctissimam atque inseparabilem Trinitatem confiteri, venerari & mente colere, firmiterque credere debet, secundùm hujus fidei rationem in omnipotentis Dei nomine tres ecclesias principales, cum membris ad se pertinentibus, in hoc sancto loco, Domino cooperante, & prædicto domino Augusto juvante, fundare studuimus: quarum major & prima est in honore sancti Salvatoris & sancti Richarii; alia in honore sanctæ genitricis semperque virginis MARIÆ & sanctorum Apostolorum; tertia verò in claustro Fratrum in honore sancti BENEDICTI Abbatis & reliquorum sanctorum regularium Abbatum. quæ etiam mirifico ordine dedicatæ sunt à venerabilibus duodecim sanctis Episcopis, quorum nomina ob venerationem & memoriam illorum huic opusculo adnectenda esse judicavimus. Hi sunt MEGIMHARDUS Rodomensis Ecclesiæ sedis venerabilis Archiepiscopus, GEORGIUS [b], ABSALON, GERFRIDUS, PLEON, HILDIGUARDUS, THEODOINUS, YDELMARUS *, BENEDICTUS, & KELLANUS præclarissimi Episcopi: JOHANNES verò & PASSIVUS sanctæ Dei Romanæ Ecclesiæ Legati, præsules nobilissimi. Nam altare sancti Salvatoris, in quo positæ sunt reliquiæ ejus & sanctorum Innocentium, qui pro eo passi sunt; & altare sancti Richarii, in quo sunt reliquiæ sanctæ genitricis Mariæ & ejusdem sancti Richarii; altare sancti Petri, in quo reliquiæ ejus & sancti Pauli sanctique Clementis; altare sancti Johannis Baptistæ, in quo reliquiæ ejus, & Zachariæ patris ipsius; altare sancti Stephani, in quo reliquiæ ejus & Symeonis, qui Dominum in ulnas suscepit;

** l. Hidelmarus*

[a] Hinc patet instrumentum istud confectum ab Angilberto fuisse post annum octingentesimum, quo exeunte Carolus Augustus dictus coronatusque est Romæ in Natali Domini.

[b] Ex his Episcopis, præter Megimhardum, mihi tantum certò noti sunt Pleon Noviomagensis, Theodoinus Taruennensis, Hildiguardus seu Hilduardus Atrabatensis & Camaracensis. Ex aliis nescio an Georgius fuerit Ambianensis, & Benedictus Andegavensis. Gerfridus is mihi videtur, quem laudat Alcuinus in carmine 50, ubi Episcopus in ecclesia quadam beatæ Mariæ sacra fuisse memoratur, forsan in Laudunensi: cujus sedis Episcoporum series ac tempus regiminis, eorum scilicet qui octavo ac nono sæculo vixerunt, corrigi debet ex duabus Hincmari Remensis epistolis, quæ in Labbeanæ editionis Conciliorum tomo 8 recèns vulgatæ sunt.

cepit;

An. Chr. DCCCXIV. Februar. XVIII.

cepit; altare sancti Quintini, in quo reliquiæ ejus & sanctorum Crispini & Crispiniani; altare sanctæ Crucis, in quo reliquiæ ligni ipsius; altare sancti Dionysii, in quo reliquiæ ejus, Rustici & Eleutherii; altare sancti Mauricii, in quo reliquiæ ejus, Exsuperii & Candidi; altare sancti Laurentii, in quo reliquiæ ejus, Sebastiani & Valeriani; & altare sancti Martini, in quo reliquiæ ejus; & Remedii, Vedasti, Medardi, Gualarici, Lupi, Servatii, Germani atque Eligii. In ecclesia verò sancti Benedicti altare ipsius, in quo sunt reliquiæ ejus, & Antonii & Columbani; altare sancti Hieronymi, in quo sunt reliquiæ ejus, Ephrem & Æquitii [a]; & altare sancti Gregorii, in quo reliquiæ ejus, Eusebii & Isidori; ab eisdem jam dictis electissimis viris condignè ac diligentissimè cum ingenti gaudio sub die Kalendarum Januarii fuerunt Domino consecrata. In ecclesia etenim beatæ Mariæ virginis altare ipsius, in quo reconditæ sunt reliquiæ ejus & sanctæ Felicitatis, Perpetuæ, Agathæ, Agnetis, Luciæ, Cæciliæ, Anastasiæ, Getrudis, & Petronillæ; altare sancti Pauli, in quo reliquiæ ejus, Barnabæ & Timothei; altare sancti Thomæ, in quo reliquiæ ejus, Ambrosii & Sulpicii; altare sancti Philippi, in quo reliquiæ ejus, Silvestri & Leonis; altare sancti Andreæ, in quo reliquiæ ejus, Georgii & Alexandri; altare sancti Jacobi, in quo reliquiæ ejus, Xysti & Apollinaris; altare beati Johannis Evangelistæ, in quo reliquiæ ejus, Lini & Cleti; altare sancti Bartholomæi, in quo reliquiæ ejus, Ignatii & Polycarpi; altare sancti Simonis, in quo reliquiæ ejus, Cosinæ & Damiani; altare sancti Matthæi, in quo reliquiæ ejus, Marci & Lucæ; altare sancti Thaddæi, in quo reliquiæ ejus, Nazarii & Vitalis; altare sancti Jacobi fratris Domini, in quo reliquiæ ejus, Gervasii & Protasii; altare sancti Matthiæ, in quo reliquiæ ejus, Hilarii & Augustini, sexto Idus Septembris in ejus sacratissima Nativitate à Venerabilibus Episcopis, GEORGIO videlicet, ABSALONE, PETONE, & GERFRIDO honore dignissimo sunt dedicata. Sed & altare beati Archangeli Gabrielis, quod est situm in porta meridiana, octavo Kalendas Aprilis in Annuntiatione sanctæ Mariæ; Michaëlis verò quod est in porta occidentali, octavo Kalendas Octobris ab HILDEGUALDO venerabili Episcopo; Raphaëlis autem, quod est in porta septentrionali, secundo Nonas Septembris in honore ipsorum Archangelorum, omnium Virtutum cælorum, à JESSE [b] religioso Episcopo optimè sunt consecrata.

Murorum instauratio.

Reliqua verò mœnia ipsius Monasterii eodem Domino cooperante quæ hactenus conspiciuntur constructa, sicuti cernuntur, omnia à fundamentis studuimus reædificare; & ut habitatores illius in eo Missarum sollemnia frequentare, & omnipotenti Domino delectentur deservire, ipso adjuvante, muro curavimus firmiter ambire.

Cap. 9. Reliquiæ undique conquisitæ.

Dum enim præscriptas ecclesias prudenti consilio in honore Domini nostri JESU-CHRISTI, suæque gloriosæ Genitricis, & omnium Sanctorum ejus, sicut suprà scriptum est, fundatas perspiceremus, magno desiderio nimioque amoris ardore sumus accensi, ut secundùm possibilitatem nostram, eodem Domino miserante, partem reliquiarum illorum Sanctorum ad ornandas easdem sanctas Dei ecclesias adipisci mereremur. Quapropter totis viribus totaque mentis intentione laborare contendimus, qualiter per auxilium omnipotentis Dei & adjutorium gloriosi domini mei magni Imperatoris de diversis partibus totius Christianitatis, quantas & quales vel unde allatas recondere in hoc sancto loco valuissemus, prout in consequentibus patet. id est in primis de sancta Romana Ecclesia, lar-

a Johannes de Capella habet, *ossa sancti Hieronymi & d. sancto Vulfrano.*

b Is erat Ambianensis Episcopus, qui Caroli Magni coronationi Romæ factæ interfuit in Natali Domini anno DCCC ac proinde incertum, an Georgius qui VI Idus Septembris ejusdem (ut videtur) anni ecclesiæ beatæ Mariæ dedicationi præsens fuerat, sit idem cum Gregorio Episcopo Ambianensi, Jessei decessore.

An. Chr. DCCC XIV. Februar. XVIII. „ giente bonæ memoriæ ADRIANO summo Pontifice, & post eum venerabili LEONE Papa Romano; de Constantinopoli, vel Hierosolymis per legatos illuc à domino meo directos, ad nos usque delatas. deinde de Italia, Germania, Burgundia atque Gallia à sanctissimis Patribus, Patriarchis videlicet, Archiepiscopis, necnon Episcopis atque Abbatibus nobis directas, seu etiam de sacro palatio, quæ per tempora ab anterioribus Regibus, & postea à jam dicto domino nostro maximè sunt congregatæ, per ejus eleemosynam de omnibus partem habere, atque in hoc sancto loco condignè recondere meruimus. Sed de his de quibus certi fuimus, & à prædictis sanctissimis viris breves recepimus, omnium illarum nomina in hoc opusculo inserere non neglexmus: quatenus à nobis & à cunctis successoribus nostris, qui per tempora in hunc sanctum locum successuri sunt, & hoc nosse voluerint, magis nomen Domini nostri JESU-CHRISTI per quem nobis hæc, licèt indignis, & cetera bona largita sunt, per omnia & in omnibus semper glorificaretur, qui est benedictus in sæcula. De ceteris verò reliquiis, de quibus incerta sunt nobis nomina, ab eisdem sanctis Patribus receptis, minimè scripsimus: ceterarum autem, sicut decrevimus, nomina isto ordine notari curavimus. Primùm reliquias Domini & Salvatoris nostri, & ejus gloriosæ Genitricis, & sanctorum Apostorum, & ceterorum Martyrum; postea Confessorum, necnon autem sanctarum Virginum atque Continentium subsecuti sumus.

Reliquiæ Salvatoris. „ De ligno Domini, de veste ejus, de sandalis ejus, de præsepe ejus, de spongia ejus; de Jordane ubi baptizatus est; de petra ubi sedit, quando quinque millia hominum pavit; de pane unde distribuit discipulis suis; de templo Domini; de candela quæ in nativitate ejus accensa est; de monte Oliveti ubi oravit; de mensa ejus; de monte ubi transfiguratus est; de columna ubi flagellatus est, de ligaminibus unde ligatus est; de petra unde crucem adscendit; de clavis unde crucifixus est; de loco Calvariæ; de buccella ubi fel & acetum mixtum fuit; de petra super quam sanguis de latere ejus stillavit; de sepulcro Domini; de lapide revoluto ab ostio monumenti; necnon & de sepulcro Innocentium, qui pro eo passi sunt; de monte Horeb, de lignis trium tabernaculorum.

B. Mariæ & Apostolorum. „ De lacte sanctæ Mariæ, de capillis ejus, de veste ejus, de pallio ejus. De barba sancti Petri, de sandaliis ejus, de casula ejus, & de mensa ejus. De mensa sancti Pauli, de orario ejus, de cippo in quo missus fuit. De cruce sancti Andreæ. De manna sancti Johannis Evangelistæ. De reliquiis Apostolorum Jacobi, Philippi, Thomæ, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, Thaddæi, Matthiæ, Barnabæ & Timothei. De ossibus Zachariæ patris sancti Johannis Baptistæ. Reliquiæ beati Symeonis, qui Dominum in ulnas suscepit. De capillis beati Johannis Baptistæ, de sanguine ejus, de veste ejus.

Martyrum. „ De costis sancti Stephani, de lapide unde lapidatus est; de craticula sancti Laurentii. Digitus sancti Apollinaris; de spongia sancti Symphoriani, & de veste matris ejus. Reliquiæ sancti Pancratii, Vigilii, Sisinnii, Martyrii, Pamphili, sanctorum Geminorum, Fabiani, Valerii, Pergentini, Cosmæ, Damiani, Anastasii, Georgii, Alexandri, Cassiani, Magni, Vitalis, Nazarii, Nabotis, Celsi, Gervasii, Protasii, Innocentis, Laurentii, Tiburtii, Valeriani, Hippolyti, Christophori, Felicis, Mauricii, Candidi, Exsuperii, Victoris, Innocentii, Benigni, Dionysii, Rustici, Eleutherii, Cornelii, Leodegarii, Sixti, Firmini, Saturnini, Quintini, Valentini, Marcelli, Luciani, Crispini, Crispiniani, & de ossibus quadraginta Martyrum, & de sanguine aliorum multorum.

Confessorum. „ Sancti Hilarii, Martini, Germani, Medardi, Audoëni, Eligii, Amandi, Lupi, Aventini, Sulpicii, Remedii, Maurilionis, Albini, Servatii, Hiero-

nymi, Æquitii, Ephrem, Gregorii, Augustini, Leonis, Silvestri, Felicis, Isidori, Donati, Benedicti, Columbani, Isaac, Vincentii, Antonii, Paulini, Fortunati, Simpliciani, Gualarici, Vedasti. Reliquiæ ex corporibus Sanctorum, quæ condidit Paulinus Papa *. Reliquiæ sancti Megimboldi, Prasci, Eugenii, Fronti, Fidelis, Asterii, Simpliciani, Faxidi, Astogii, Gillarii, Sperati, Roberti, Galemeri, Osqualdi *.

AN. CHR. DCCCXIV. FEBRUAR. XVIII.

* *id est* Episcopus seu Patriarcha Aquileiensis

* *f.* Osvvaldi

Felicitatis, Perpetuæ, Agathæ, Eugeniæ, Theclæ, Cæciliæ, Petronillæ, Euphemiæ, Faustæ, Eufrasiæ, Aldegundis, Columbæ, Feliculæ, atque Scholasticæ. Huc usque de certis Sanctorum reliquiis, de quibus à sanctis Patribus, qui eas nobis largiti sunt, nomina certa recepimus, separatim Martyres vel Confessores descripsimus. Deinceps autem distinctè aliorum Sanctorum nomina, sive Martyrum vel Confessorum, quia non invenimus, minimè scripsimus.

Virginum.

Capsæ.

His ita, sicut paullo superiùs scriptum est, honorificè decenterque reconditis, in nomine sanctæ Trinitatis cum multa diligentia paravimus capsam majorem auro & gemmis ornatam, in qua posuimus partem suprà scriptarum reliquiarum, quam cum ipsis ob venerationem illorum Sanctorum, quorum reliquiæ in ea recondi videntur, subtus cryptam [a] sancti Salvatoris ponere studuimus. nam ceterorum Sanctorum reliquias, quæ suprà leguntur adscriptæ, per alias tredecim capsas minores auro argentoque vel gemmis pretiosis honestissimè paratas, quas à sæpe dictis venerabilibus Patribus cum eisdem reliquiis, donante Domino, adipisci meruimus, dividere, atque super trabem quam in arcu [b] coram altare beati Richarii statuimus, ponere curavimus: qualiter in omnibus sicut dignum est, laus Dei & veneratio omnium Sanctorum ejus, in hoc sancto loco semper adoretur, colatur, atque veneretur.

Cap. 10. Altarium ornatus.

Cumque præscriptorum Sanctorum venerationi altaria ordinata atque de eorum reliquiis venerabiliter, ut suprà legitur, à nostra parvitate essent ornata; diligenti cura tractare cœpimus, qualiter ea ad laudem & gloriam Domini nostri JESU-CHRISTI, ob venerationem Sanctorum omnium, in quotum honore sunt consecrata, de donis Dei & largitate magni domini mei ejusque nobilissimæ prolis, vel reliquorum bonorum hominum liberorum, mihi ab illis collatis, opere fabrili in auro, argento & gemmis ornare etiam, & ubi loca convenientia exsisterent, desuper ciboria ponere potuissemus, sicut, prout eodem Domino cooperante valuimus, facere studuimus. id sunt, in ecclesia sancti Salvatoris, sanctique Richarii, altaria fabricata undecim, ciboria [c] duo, lectoria auro, argento & marmoribus parata duo. In ecclesia sanctæ Dei genitricis Mariæ & sanctorum Apostolorum altaria fabricata tredecim; ciborium unum, & lectorium optimè paratum unum. In ecclesia sancti Benedicti altaria parata tria. In ecclesiis verò sanctorum Angelorum Gabrielis, Michaëlis, & Raphaelis altaria tria, quæ simul fiunt altaria triginta; & ciboria tria, & lectoria tria. Nam de aliis vasis & supellectilibus habentur in eisdem ecclesiis auro argentoque paratæ septemdecim; coronæ aureæ duæ; lampades argenteæ sex; cuprinæ auro argentoque decoratæ duodecim; poma aurea tria;

[a] Vocabatur hæc *capsa sancta Prima*, teste Johanne de Capella, qui agens de Hugone de Chevincourt Abbate XXXIII. *Iste Hugo de* Chevincourt, inquit, *visitavit feretrum, quod dicimus sancta Prima, id est primitiva fundationis Ecclesiæ militantis. quia in eodem requiescunt quàm plurima corpora Sanctorum, Petri, Pauli, Johannis Baptistæ, & aliorum Confessorum & sanctarum Virginum.* Sic etiam dicta est Prima Corbeiensis Monasterii in Vita sancti Adelhardi infrà.

[b] Johannes de Capella numerat tredecim capsas aureas & argenteas, quas Angilbertus super unum altare argenteum dedicatum in honore beatæ Mariæ posuerit.

[c] Quid sit ciborium, fusè exposui in Præfatione Sæculi secundi num. 47. turrita scilicet ædicula quatuor octove columnis innixa, altaribus, & Sanctorum tumulis imponi solita. Carolus Magnus in Capitulari anni DCCLXXXIX præcipit, *ut super altaria tecuaria fiant aut laquearia.* Nunc ciborium dicitur *πυξίς* seu pyxis, in qua Christi Domini corpus adservatur.

An. Chr. DCCCXIV. Februar. XVIII.

calices aurei cum patenis duo; calix unus aureus magnus cum imaginibus simul & patena; alii calices argentei cum suis patenis duodecim; offertoria argentea decem. Ad caput sancti Richarii tabula auro & argento parata una; ostia majora auro & argento parata duo, alia minora duo; alia ostiola similiter parata duo; balteum aureum unum; atramentarium optimum argenteum auro paratum unum; cultellus auro & margaritis paratus unus; codex eburneus auro argento & margaritis optimè paratus unus. Punga [a] auro parata una; incensaria argentea auro parata quatuor. Hanappi argentei superaurati tredecim; concha argentea major cum imaginibus argenteis una; bocularis * argenteus unus; urcei argentei cum aquamanilibus suis duo; canna argentea una, eburnea una; situlæ argenteæ duæ; clavis aurea una; scilla argentea una; coronæ cum luminibus tredecim; columnæ ante altare sancti Richarii auro & argento paratæ sex; trabes minores cum arcubus suis argento paratæ tres; cloccaria * auro parata tria; cloccæ optimæ quindecim cum earum circulis [b] quindecim; skillæ tres, imagines æneæ sex, eburnea una; candelabra auro parata duo; ostia auro parata septem. Insuper donavimus ibi pallia optima septuaginta octo; cappas ducentas; dalmaticas viginti quatuor sericas; albas Romanas cum amictis suis auro paratas sex; albas lineas ducentas sexaginta; casulas de pallio triginta, de purpura decem, de storace sex, de pisce unam, de platta quindecim, de cendato quinque. Stolas auro paratas quinque, fanones * de pallio auro paratos decem; cussinos de pallio quinque; saga de pallio quinque.

** vulgò bocar, lagenæ genus*

** id est campanilia*

**campanulæ seu tintinnabula*

** manipulos vocant*

Libri.

De libris, Evangelium auro scriptum cum tabulis argenteis auro & lapidibus pretiosis mirificè paratum unum. aliud Evangelium plenarium unum. De aliis libris volumina ducenta.

Alia supellex.

Insuper etiam plurima ornamenta in fabricaturis, & diversis utilitatibus, in plumbo, vitro, marmore, ceu cetera instrumenta quæ longum fuit enumerare, prolixiusque scribere: quæ tamen tunc temporis appretiata sunt à fidelibus Dei & sancti Richarii, qui nobiscum in Dei servitio laborantes exstiterant, hæc omnia valere potuisse libras quindecim millia vel eo amplius.

Pretium.

10. Huc usque sanctissimi viri Angilberti scriptura de constructione & dedicatione sive ornatu ecclesiæ Centulensis digesta est, quæ ab ipso venerabili viro usque ad hæc nostra tempora per trecentos annos & amplius [c] valde inveterata, non sine labore ad futurorum eruditionem à nobis huic operi inserta est. Sunt certè & alia multa, quæ ad decorem divini officii cum superioribus inveniuntur ab eo honestè statuta: sed quia post tanta tempora apud nos tam pro loci immutatione, quàm pro Abbatum voluntate, non servantur; ob hoc istic referre omnia vitamus. è quibus tamen aliqua adhuc adsumemus ob magnitudinem loci nostri exprimendam. Postquam ergo ornatum ecclesiæ, & impensas thesauri dixit valere potuisse quindecim millia libras & eo amplius, ita subjecit dicens.

Angilberti statuta quædam omissa.

Cap. 11. Laus perennis ab ipso instituta.

His & aliis, prout donante Domino valuimus, eleganter dispositis, atque ex diversis præscriptis reliquiis supradictorum Sanctorum ornatis ecclesiis, diligenri mentis affectu tractare cœpimus, qualiter Domino donante ad hoc pervenire valuissemus, ut sicut in ædificiis marmoreis & in ceteris ornamentis oculis honestè clarescunt humanis; ita etiam in Dei

a Id est pera, sacculus. Audoënus in libro 1 de Vita sancti Eligii cap. 10. *Quærens bra bile aureum, pungam quoque auro gemmisque comtam sibi subripuit, totum ut miseris succurreret.*

b Armillas campanarum funibus pendentes vocat Adrevaldus in libro de miraculis sancti Benedicti cap. 26.

c Et tamen Hariulfus Chronicon suum absolvit anno M LXXXVIII, Indictione X ut ipse in fine testatur, definitque in morte Gervini, in lib. 4. cap. 36. nam quæ sequuntur in editis, secunda manu adjecta sunt in codice ms.

laudibus, in doctinis diversis & canticis [a] spiritualibus Christo omnipotenti placere valeamus. Quapropter trecentos Monachos in hoc sancto loco regulariter victuros auxiliante Deo constituimus: optantes & ordinantes, ut si non plus, istius numeri congregatio in perpetuum habeatur. Centum etiam pueros scholis erudiendos sub eodem habitu & victu [b] statuimus, qui Fratribus per tres choros divisis in auxilium psallendi & canendi intersint: ita ut chorus sancti Salvatoris centenos Monachos cum quatuor & triginta pueris habeat; chorus sancti Richarii centenos monachos, tresque & triginta pueros jugiter habeat; chorus psallens ante sanctam Passionem centenos monachos, triginta tribus adjunctis pueris similiter habeat. Ea autem ratione ipsi chori tres in divinis laudibus personabunt, ut omnes horas canonicas in commune simul omnes decantent. quibus decenter expletis, uniuscujusque chori pars tertia ecclesiam exeat, & corporeis necessitatibus vel aliis utilitatibus ad tempus inserviat, certo temporis spatio interveniente ad divinæ laudis munia celebranda denuo redeuntes. In unoquoque etiam choro id jugiter observetur, ut Sacerdotum ac Levitarum reliquorumque sacrorum Ordinum æqualis numerus teneatur. Cantorum nihilominus & lectorum æquali mensura divisio ordinetur, qualiter chorus à choro invicem non gravetur. Quin immo omnes unanimes sacrificium laudis Domino omnipotenti pro salute gloriosi domini mei Augusti Karoli, proque regni ejus stabilitate, continua devotione jugiter exhibeant. Matutinali etenim seu vespertinali officio consummato, mox omnes chori ordinabiliter sc ante sanctam Passionem congregent, decem tantùm psalmistis unicuique choro remanentibus: & sic per portam sancti Gabrielis, ac per salam * domni Abbatis ambulando, per occidentalem claustri regionem cantando veniant ad sanctam Mariam: ubi oratione pro temporis ratione deposita, remeando veniant ad sanctum Benedictum in orientali parte claustri situm. inde per gradus arcuum intrent ad sanctum Mauricium: sicque intrantes sancti Richarii basilicam, restituantur suis choris.

An. Chr. DCCCXIV. Febr. XVIII.

[a] Monachi ad hoc 100 cum pueris 100.

[b]

* vulgò sale, zalam

Illud etiam observari præcipua devotione mandamus, ut nulla dies prætereat absque sacrarum Missarum decantatione, videlicet ut si non plus, vel triginta à Fratribus diversorum chororum per diversa altaria Missæ quotidie agantur, exceptis illis duabus de conventu, quæ mane & meridie sollemnissimè celebrantur, in quibus quotidie memoria sanctissimi Papæ ADRIANI, & gloriosi domini mei Augusti KAROLI, conjugis & prolis ejus teneatur: qualiter juxta verbum Apostoli pro Regibus & omnibus qui in sublimitate sunt constituti, Salvatori Deo nostro obsecrationum vel orationum gratias jugiter persolvamus.

Missæ.

Hic interponitur diploma Alcuino concessum à Carolo Magno. tum subdit Hariulfus.

11. Hic idem ALBINUS à venerabili Angilberto accersitus Centulam, Vitam sancti Richarii antiqua simplicitate negligentiùs digestam venusto sermone composuit, præmissa operis præfatione ad eumdem gloriosum Augustum KAROLUM: in qua patenter monstratur beati Patris Richarii magna & pluriora fuisse miracula, quàm ille exiguus Vitæ ejus textus enarrabat. Antiphonas quoque & responsoria, vel hymnos de eodem Sancto composuit, ut magni Patris festivitas nihilo minus congrui officii habere videretur. ubi notandum est, quòd quodam in hymno ipsum sanctum Richarium laudando alloquens dicit:

Sancti Richarii Vita ab Alcuino expolita.

[a] Quæ sequuntur usque ad num. 11, alia manu scripta sunt in codice ms. esse fuisse constat tum ex hoc loco, tum ex aliis.

[b] Pueros oblatos eodem hàbitu iisdemque cibis

An. Chr. DCCC XIV. Feb. XVIII.

Tu struxisti Cœnobium,
Loco prope Argubium,
Et aliud in Centulo,
Ambo perenni merito.

Epitaphium Sancti Richarii.

In fronte sepulcri.

Aurea cælestem thesaurum contegit urna
Cultorem Domini, nomine Richarium.
Stemmate præcelso, quem Centula protulit ista,
Quique loci Pastor floruit egregius.

In latere dextro.

Posthabito mundi, quo grandi fulsit, honore,
Amplas divitias sprevit amore Dei.
Hic corpus proprium frangens certamine diro,
Vir pius & magnus semper in orbe cluit.

In culmine arcæ desuper.

His vitam functis reparavit, lumina cæcis,
Leprosisque salus hoc refovente redit.
Plenus apostolicis virtutibus atque loquelis,
Cælestes tenuit semper in ore dapes.

In latere sinistro.

Huic Carolus *Princeps condignum mente benigna*
Perficiens templum, condidit & tumulum.
Post sexagenos & centum circiter annos,
Cùm Domini servus integer exstat adhuc.

In fronte pedum.

Ipsius ut meritis capiat cælestia regna,
Regnaque Francorum pace quietus agat. Amen.

Alibi.

Semper sancte tuos, Richari, protege servos,
Abstractos terrâ capiat cælestis ut aula.

Hic etiam quædam de Alcuino interposita omisi.

Epitaphium sancti Chaïdoci Confessoris.

Mole sub hac tegitur Chaïdocus *jure Sacerdos:*
Scotia quem genuit, Gallica terra tegit.
Hic Domini Christi gaudens præcepta secutus,
Contempsit patrias mente beatus opes.
Hinc sibi concrevit centeni copia fructus,
Et metit ætherei præmia larga soli.
Huic Angilbertus *fretus pietate magistra,*
Et tumulo carmen condidit & tumulum.

An. Chr. DCCC XIV. Feb. XVIII. [a]

EPITAPHIUM FRICORI SEU HADRIANI. [a]

Corpore terreno qui cernitur esse sepultus,
Gaudia pro meritis cælica lætus habet.
Iste fuit FRICORUS *Chaidoco consociatus,*
Quem sibi concessum Centula gaudet ovans.
Hic virtute valens despexit prospera mundi,
Et modò viventi gloria magna patet.
Quando Deo placuit cælorum regna petivit,
Nunc ANGILBERTI *carmine fulget. Amen.*

12. Anno dominicæ Incarnationis octingentesimo decimo quarto, Indictione sexta, excellentissimæ memoriæ CAROLUS Magnus post hostes victoriosissimè cum Dei favore triumphatos, cùm Romanorum imperium, & Francorum & Langobardorum regna quietissimè obtineret, quinto Kalendas Februarii transivit è mundo, pro obsequiis & honorificentia Deo & Sanctis ejus studiosè exhibita ac benignè, percepturus, ut speramus, felicia & immortalia regna. Venerabilis autem ANGILBERTUS, tametsi senio & austeritate jejuniorum & vigiliarum corpore lassescente quoquam progredi non posset vel vellet, ejus tamen dispositioni, qua thesauros proprios in beneficium eleemosynæ ecclesiarum Præsulibus attribuit, urpore dilecti semper domini, interfuit; magnisque honoribus & beneficiis ecclesiam Centulensem ab eodem antequam decederet sublimari obtinuit. Fuerunt autem viginti una Metropolitanæ civitates, quibus divisit dari grandem partem suarum facultatum: quarum hæc sunt nomina: Roma, Ravenna, Mediolanum, Forum-Julii, Gradus, Colonia, Maguntiacus, Juvavum, id est Salzburc, Treveris, Remis, Senones, Vesontio, Lugdunum, Rotomagus, Arelatum, Vienna, Darantasia, Ebredunum, Burdegala, Turones, Bituricum. Huic verò distributioni non nisi quatuor Abbates interfuisse [b] leguntur, scilicet FRUDIGISUS, ADALONGUS, ANGILBERTUS, IRMINO. Ipse denique Rex in tantum locum ipsum honoraverat & extulerat, ut & regalem curiam inibi tenuisse die Natalis domini, seu die [c] Paschæ, aliquoties inveniatur in gestis illius temporis: quod etiam à successoribus suis, iis scilicet qui nostratem Galliam in sui sorte regni habuerunt, multo tempore amabiliter servatum est.

Caroli M. obitus anno 814.

Angilbertus ejus testamento subscribit.

13. Cùm ergo mortuo Karolo Magno HLudoguicus successisset, regnorum à patre adquisitorum apicem suscipiens, anno regni ejus primo incipiente, sanctissimus Abbas Angilbertus corporis artatus molestiâ cælestibus gaudiis propinquabat: & cælesti Patre disponente filius proximè recipiendus flagellabatur, ut dignus fieret cui felix nec peritura hereditas concederetur. Supercrescente incommodo, cùm videretur jam humanis eximi, multa usus humilitate, utpote cujus perseverans fuerat conservator, præcepit ut ante fores templi tumularetur. Sanè suspiria & lacrymæ, quæ illo morti proximante fusæ sunt, non à nobis narrandæ suscipiuntur, ne post tanta temporum interstitia, nos quoque ad plangendum revocet dolor renovatus. Post mortem utique Magni Augusti Caroli anno eodem, diebus viginti superstes effectus, anno dominicæ Incarnationis octingentesimo decimo quarto, Indictione sexta [d], mense Februario, die duode-

Obit eodem anno.

Voluit sepeliri ante fores templi.

Tempus obitus. [d]

a Sic titulum restitui, cùm antea legeretur solum *Item*. In ms. codice dicitur hoc *epitaphium sancti Scoti Lauliso repertum*

b Id factum anno DCCCXI docet Eginhardus in Vita Caroli Magni.

c Carolum anno DCCC Pascha apud sanctum Richarium celebrasse legimus in Annalibus Eginhardi & in aliis; nusquam verò Natale Domini, si bene memini.

d Anscherus etiam habet *Indictione* VI. quamquam Indictio VII tum inceperat.

An. Chr. DCCC XIV. Feb. XVIII. simo Kalendas Martii, celebratis circa se ecclesiasticis mysteriis, verò Christi amatoris Angilberti gloriosa anima bonorum operum exercitiis & pietatibus cumulata, corporis terreni vase relicto supernis civibus adsociatur, & quod votis ambierat, operibusque meruerat, Christi adspectibus præsentialiter mulcetur, videns eum sicuti est. Veridica hoc & jure probabile Christi sententia adstruitur, qui se diligentes à Patre suo & à se diligendos adseverat, & tantæ dilectionis profectum sui visionem propalat. Joh. 14. 21. *Et manifestabo*, inquiens, *meipsum ei*, id est diligenti, & probationem dilectionis, quod est exhibitio operis, exsequenti. Tunc amantissimi Patris venerabile corpus dulci filiorum obsequio componitur, & cum omni veneratione sancto Abbati debita ante portam majoris ecclesiæ honorificè sepelitur. Epitaphium. Locus autem ipsius sepulturæ ita aditui ecclesiæ proximus est, ut à nemine basilica ingredi possit, qui non sanctam corporis ejus tumbam calcaret: ubi, sicut paullo superiùs dictum est, humilitatis obtentu poni se poposcerat. In gyro autem sepulturæ isti versiculi in lapideis tabulatis, primus ad caput, secundus ad lævam, tertius ad pedes, quartus ad dexteram expoliti sunt

Rex requiem ANGILBERTO *da Pater, atque pius Rex.*
Lex legum vitam æternam illi da, quia tu lex.
Lux lucem semper concede illi, bona qui es lux.
Pax pacem illi perpetuam dona, es quoniam pax.

Multa de Sancto omissa. 14. Multa & magna atque insignia sunt quæ de hoc venerabili viro dicere habebamus: sed quia omnia comprehendere nequivimus, quæ in historiis Francorum de illo ejusque probitate habentur, rogamus ut ad laudem Dei omnipotentis & ad honorem beati viri paucula hæc nostratibus interim sufficiant. Ceterum ut omnia quæ de illo sunt diceremus, defuit virtus, adfuit sed cautela: ne plurima differendo fastidium inferremus auditori. Quievit verò in loco suprascripto per annos viginti octo, regnante Augusto HLudoguico annis viginti sex, Christi autem Domini nostri regno nullam metam capiente per omnia sæcula, Amen.

15. Igitur septimo Centulensis Cœnobii Abbate intimato, ejusque studiis & bonitate monstrata, jam modò paullisper linguæ nostræ requies præbeatur, ut & mæstitia ex ejus ablatione concepta, quo paullulum, quia mortales aliter non possumus, admittitur, eo citius suspiriis satisfacta desideratur: simul & æquum videtur, ut is qui singulari erga nos usus est amore, singulari quoque in descriptione gestorum collaudetur libello.

Nithardus Patris successor. 16. Hoc tamen in calce libri necessariò recondimus, quòd post ejus sanctum transitum filius ejus Nithardus [a], quem de Regis filia Berta susceperat, Centulensibus jure abbatitio prælatus est: paucisque diebus in regimine expletis, interemtus prœlio, præsentis luminis caruit visu; sepultusque juxta proprium genitorem quievit in pace, regnante Domino nostro JESU-CHRISTO cum Patre & Spiritu-sancto in sæcula sæculorum, Amen.

Hic desinit liber secundus Hariulfi, qui in libri tertii capitibus primo, secundo & tertio agit de HERICO *Abbate; capite quarto de* HELISACHARE; *capitibus quinto & sexto de* RIBBODONE *Abbate, qui Angilberti corpus in basilicam intulit, uti Hariulfus in cap. 5 descripsit in hunc modum.*

Angilberti translatio prima. 17. RIBBODO videns sanctissimi Angilberti Abbatis corpus sanctum eo loci quiescere, ubi ecclesiam ingredientes necessariò incedebant, & nimiùm molestè ferens talem tantumque virum quotidiano populi accessu calcari, reputansque esse justum, ut homo Dei intra Dei domum pausaret; levavit ejus membra sancta, & transtulit ea intra basilicam sancti Richarii

a Id falsum esse demonstratum suprà in Elogii §. 9.

die Nonatum Novembrium. Requieverat in loco priori annis XXVIII, & tamen Deo favente, qui servi sui meritum ostendebat, ita integrum & absque corruptela sanctum ejus corpus inventum est, ac si eâ horâ anima illud deposuisset. Odor etiam miræ suavitatis ibidem exubetasse adseveratur. Huic certæ rei testimonium ferunt Francorum historiæ, eæ scilicet quæ illius temporis facta commendant. Nam cùm aliquando quidam libellus [a] in manus nostrorum devenisset, post quædam alia de sancto Angilberto hæc inibi scripta notaverunt. Mortuo HLudoguico Imperatore, Karoli Magni filio, tres ejus filii, *&c.* indissoluto repertus est. Idem etiam liber superius aliquid repetens, de ejusdem nobilitate pauca subinfert, dicens: Fuit hic eo tempore ortus haud ignotæ familiæ. MADHELGAUDUS autem, RICHARDUS, & hic, de una progenie fuerunt, & apud Magnum Karolum meritò magni habebantur. qui Angilbertus ex ejusdem Regis filia nomine Berchta, HARNIDUM fratrem meum, & me Nithardum genuit. Centulo opus mirificum in honore omnipotentis Dei sanctique Richarii construxit; familiam sibi commissam mirificè rexit. hinc post vitam omni felicitate defunctam Centulo in pace quievit. Is ipse Nithardus domni Angilberti filius, Cœnobio huic præfuisse adseveratur post decessum patris: quique cùm paucis ministrasset diebus, bello interfectus juxta patrem sepulturam meruit. At cùm ibi aliquantis annis pausasset, jam dudum translato corpore sancti Angilberti in ecclesiam; quidam devoti posuerunt corpus ejusdem Nithardi in patris sarcophagum. In loco igitur ubi à domno Ribbodone sanctus positus est Angilbertus, epitaphium appositum est.

AN. CHR. DCCC XIV. FEB. XVIII.

Nithardi mors & sepultura.

Hoc recubat busto semper memorabilis Abba, &c.

Hoc epitaphium exstat in codice ms. non verò in editis. sed quia Anscherus in Vita sequenti illud refert, hîc omitto, relaturus ea quæ de secunda Angilberti translatione refert Hariulfus in lib. 4 cap. 32, ubi de Gervino Abbate, ejus nominis primo, qui Angelramno successit anno MXLV. *mortuus anno* MLXXI.

19. Enimvero quoniam illo tempore domni & sancti Angilberti Abbatis tumulus certissimè non sciebatur, quamvis ejus celeberrima memoria in ore universorum Franciscorum vel Pontivorum, atque adspectu egregii templi quondam ab eo fundati resplenderet, studuit venerabilis GERVINUS quibus poterat conatibus ejusdem sancti viri corpus perquirere, quò, si Dominus ejus votis annueret, posset illud condigno exaltare honore. Denique quodam tempore ivit Cœnobium Gorziam, quod est situm in confinio Mettensis civitatis, ubi inventum codicem, qui de ejusdem sancti viri, aliorumque nostratum Abbatum gestis aliqua retinebat, ab illis Fratribus mutuavit, Centulam detulit; in quo scilicet repertum est, quomodo sanctus Abbas Angilbertus terreni corporis molem relinquens, XII Kal. Martii transivit ad gloriam. Et quia ab eo tempore quo sub GUARAMUNDO [b] pagano combustum fuit [c] Monasterium, usque ad hanc cognitionem Centulenses Monachos dies transitus ejus latuerat; magno iidem Fratres exhilarati sunt gaudio ob quod diem cognovissent, quo tantus vir pro vitæ virtutumque merito honorari deberet. Igitur Gervinus, qui meritò vir desideriotum dignus est dici, cupiens, ut dictum est, eumdem Sanctum digniùs honorare, cœpit perquirere ad fores ecclesiæ, quo

Angilberti translatio secunda.

[a] Nempe Nithardi Angilberti filii opus quatuor libris scriptum de dissensionibus filiorum Ludovici Augusti, in cujus historiæ lib. 4. hæc leguntur.

[b] Guaramundus iste *Rex paganorum*, id est Nortmannorum dicitur ab Hariulfo in lib. 3 cap. 21. ubi ejus necem refert in Pontivo inter prœliandum accidisse. Johannes de Capella addit: *Sicut chronica narrat, dictus Guaramundus sepultus est in villa de Vinacourt, quia ejus cadaver repertum est in quodam sepulcro*, &c. *Vinacourt* magnus vicus est tribus leucis à Centula versus Ambianos.

[c] Monasterium instauravit Engelardus Abbas, testante Hariulfo in Chronici lib. 4 cap. 23.

An. Chr. DCCC XIV. Feb. XVIII.

compererat illum primò tumulatum fuisse, sanctam corporis ejus glebam. Et illius quidem non ibi corpus invenit, sed in eodem quo pausaverat sarcophago invenit lecticam ligneam coriatam domni NITHARDI filii ejus, Abbatis & Comitis, corpus continentem sale perfusum: in cujus capite videbatur illa percussura, qua eventu prœlii fuit occisus. Recludens itaque eumdem tumulum, aliorsus cum quærere cupiebat: sed quò quæreret nesciebat, nisi potentia divinæ majestatis per quemdam Monachum in hac re eum direxisset. Nam persuasit ille Frater, nomine TEUDOALDUS, sæpe fatum Sanctum investigari debere in ingressu chori à parte occidentali, ubi videlicet in superficie pavimenti scriptum habebatur, REX. LEX. LUX. PAX. Hæ autem quatuor partes in illius antiquo epitaphio primæ fuerunt & ultimæ: & harum monosyllabarum partium ratione affirmabat idem Teudoaldus oportere considerari, quoniam ille qui ipsum reposuerat, ob hoc super illum has epitapbii ejus syllabas censuit describi, ut earum similitudine quærenti innueretur, quo sancti corpus Angilberti quiesceret. Venerabilis Gervinus hæc audiens adquievit, & quod anhelanter sitiebat, sanctum Angilberti Abbatis corpus invenit. Eadem verò horâ qua repertum & discopertum est, mirificæ suavitatis odor emanavit; & non solùm hi qui ibi aderant suavissimo afflari sunt odore, verùm & omnes qui in ipso erant quovis loco ecclesiæ, admirabilem fragrantiam persenserunt in tantum, ut hodieque restetur domnus RANULFUS cognomento BENIGNUS, quòd eadem inventionis horâ super valvas cryptæ sedens & scribens, dulcifluo sit refectus odore. Erant verò ipsa sancta ossa confuso ordine conglomerata, pallioque viridi obvoluta. Unde certum est post RIBBODONEM Abbatem, qui eum integrum transtulerat, ab aliis Fidelibus timore paganorum itatenus eum fuisse repositum. Inventi autem sancti thesauri gaudium illa fuscabat ratio, quòd nullum scripturæ vel chartæ indicium reperiebatur, quæ illud Angilberti fuisse corpus restaretur. Sed piæ Abbatis vel Fratrum curiositati divina citò providentia consuluit, quæ suprà nominati Fratris Teudoaldi cordi immisit, ut ejusdem Sancti caput accipiens curioso oculo rimaretur. Quod dum faceret, invenit in repagulo narium brevem membranulam, qua omnis dubietatis anxietas ablata est. Siquidem eadem paginula apertè manifestavit veritatem, dicens, hoc esse corpus sancti Angilberti Abbatis. Sic quæ cupierat venerandus Pastor adeptus, eumdem Sanctum cum honore relocavit; semper deinceps celebrari ejus memoriam [a] instituens. Sancti quoque Confessoris Caïdoci, sociique illius corpora à terra levavit: & eorum reliquias decentiùs collocans, fidelibus populis honorandas censuit.

[a] Quo ritu non exprimit Hariulfus: sed tamen ex alterius Vitæ prologo & ex libris miraculorum intelligimus, anno M C X nondum festum Angilberti diem tamquam Sancti, sed anniversarium, ut aliorum Fidelium, celebratum fuisse.

AN. CHR. DCCC XIV. FEB. XVIII.

ALIA VITA

Auctore (ut videtur) ANSCHERO Abbate Centulensi anno MCX.

Ex ms. codice Centulensis Monasterii & Bollando.

PRÆFATIO AUCTORIS.

I. . . . . [a] qualiter hic justitiæ cultor debeat tractari, utrum, velut hactenus gestum est, inter mortuos Fideles memoria illius teneatur: an juxta Scripturam dicentem, *Memoria Justorum cum laudibus*, anniversaria dies ejus, in numero Sanctorum sollemniter celebretur. Et ut vestra prudentia non ignoret, qualiter isdem vir, donnus scilicet A. in hac vita positus Domini præceptis se mancipaverit, de gestis Francorum & diversis opusculis chronicarum colligentes actus ejus, vestræ majestati [b] offerimus: ut per hæc noveritis, quoniam non inaniter, quin potiùs pro merito miraculis à Domino declaratur. Valete.

ANno dominicæ Incarnationis septingentesimo quinquagesimo quarto cùm Pippinus filius Karli cognomento Martelli cum duobus filiis Carolo & Carlomanno Francorum populis sceptro regio præsideret, vir inclitus ANGILBERTUS generis nobilitate illustris, animique industriâ ac probitate nulli secundus, palatinis atque regalibus negotiis implicatus degebat, & splendore suæ indolis eorumdem Regum animos in tantum sui amorem accenderat, ut tamquam filium vel fratrem carissimum vehementissimè eum diligerent. Erat enim totius affabilitatis & cautissimæ jocunditatis efficaciâ cumulatus, & ultra ætatem tot studiis honestatis decoratus, statura quoque elegantior & vultu venustissimus, ut mirum in modum omnibus qui eum videre vel audire poterant, veniret in amorem, & Dei gratia quæ sibi in illo gratum cubile collocaverat, omnibus illum commendabilem exhiberet. Liberalibus quoque studiis ad unguem informatus & donis gratiarum abundanter fecundatus, consilio parentum amicorumque instinctu, etiam Principum, à quibus quàm maximè diligebatur, tonsuram Clericatus accepit: & titulo sacræ religionis insignitus, magnum lumen piæ conversationis ministrabat palatinis. CAPUT I. Angilbertus Regibus carus. Clericus,

Pippinus interea annis duodecim Regni fastigio sublimatus diem clausit extremum, & regni heredes post se reliquit Carolum & Carlomannum fratres: ex quibus Carlomannus paucis post obitum patris supervixit annis Sicque totius regni monarchiam Carolus Magnus recepit, qui ideo Magnus vocatus est, quia sapientiâ & viribus ac alacritate magna nimis, bellorum quoque diuturnâ tolerantiâ ac triumphorum experientiâ super omnes magnificus repertus est. Hic igitur Rex gloriosus donno Angilberto amicissimus per omnia mansit, tam pro insigni nobilitate, quàm etiam pro morum honestissima probitate. Nam omnes de ejus prosapia viri clarissimi, & Francorum Regibus familiares semper habiti sunt & cari. Avi ejus & proavi, aut in dignitatibus primi, aut dignita- Carolo Magno familiaris. Genere illustris.

[a] Hic abscissum est semifolium in codice mss.
[b] Hoc nomine auctor compellare videtur summum Pontificem, scilicet Paschalem secundum, et dictis. Quamquam etiam Archiepiscopi aliquando hoc nomine censebantur. Arnulfus Lexoviensis Episcopus in epistola 15 ad Hugonem Rotomagensem Archiepiscopum. *Litteras*, inquit, *vestra majestatis accepimus*, &c.

An. Chr. DCCC XIV. Feb. XVIII. tum magnatibus affines fuerunt & propinqui.

II. Caroli à secretis, Archipellanus & Silentiarius. Præfatus ergo Rex Carolus in tantam amicitiam eum tenuit, ut quocumque iret vel rediret, donnum Angilbertum semper secum haberet, ob expertam scilicet in eo prudentiam & tutam ad omnia fidelitatem: & hæc tanta dilectio ad hoc processit, ut eum secretorum conscium & primatem Capellanorum faceret, sibi quoque eumdem Silentiarium statueret: ut in quo compererat prudentiæ altitudinem, ejus consilio componeret totius regni utilitatem. Dehinc supernis donis cum ætate crescentibus, Sacerdos. Sacerdotii gradum superni instinctu amoris & regali consilio suscepit: ut videlicet cælestibus officiis decoratus, magis ac magis propinquaret suscipiendis pontificalibus infulis. Tractabat nempe Rex præfatus illum sublimare in arcem alicujus metropolitanæ civitatis, utpote quem ubertim commendabat & generis claritas, & magnæ scientiæ diffusa peritia. Sed aliter accidit, quàm Rex mortalis in sua cogitatione Bertæ conjugatus, taxavit. Nam Rex memoratus de Regina HILDIGARDA tres dudum filias genuerat, quarum sunt nomina RUODTHRUDIS, BERTA, atque GISLA. ex his una, videlicet Berta, avidissimo amore in clarissimum virum Angilbertum oculos injecit: & quem in paterno amore super omnes mortales convaluisse noverat, eumdem sibi in sponsiticulum & amoris remedium totis affectibus provenire præoptabat. Sed quia genitoris sensibus hæc per se intimare puellaris animus trepidabat, egit tandem opportunè importunè, ut hæc suæ mentis passio patri Carolo veniret in notitiam. qui quidem molestè tulit hujusmodi votum in cara prole exortum: sed veritus ne res in pejus procederet, considerans etiam donni Angilberti ingenuam à proavis nobilitatem, detulit filiæ suam voluntatem: & inito consilio cum primoribus, die statuto filiam accuratè ac regaliter exornatam donno Angilberto conjugem sociavit, cunctis faventibus qui adesse poterant. Sic donnus Angilbertus à Sacerdotii sanctiex qua suscipit duos filios. monio desciscens, Regis gener effectus est; & ex toto sociatus copulæ nuptiali, duos filios NITHARDUM & HARNIDUM procreavit. Data Dux maritimus. est etiam illi maritimæ Franciæ magna pars in Ducatum, ut scilicet Regis gener honoris fastigio non careret.

III. Infirmus voto se Monachum fore promittit. Verùm cùm tantis honoribus functum mundus ex toto irretitum sibi vindicaret [a] futurum Christi militem Angilbertum, omnipotens Deus qui novit qui sunt ejus, suæ misericordiæ consilio immisit huic viro gravem corporis infirmitatem: qua vitæ finem se completurum formidans, cum maximo cordis angore votum vovit Domino, quòd si vitæ spatium percipere mereretur, se se ad Ordinem monasticum toto nisu conferret.

Amat Centulam. Erat eo tempore Centulense Cœnobium in pago Pontivo situm, à beato quondam Richario fundatum, & ejus sacro corpore decoratum, signis & prodigiis famosum, Monachorum etiam per omnia religiosorum agmen retinens numerosum. Angilbertus itaque regalibus jam thalamis sociatus, cùm accepto Ducatu pagum Pontivum inviseret, à provincialibus audivit signa virtutum, quæ Christus omnipotens ad sepulcrum sui Confessoris Richarii assiduè peragebat. quæ opera magnum hujus loci in corde illius collocaverunt amorem: unde & mox in facto apparuit, dum eumdem locum suæ conversioni aptum præ omnibus locis adamavit.

Danos vincit, Jam ergo apud se tractaverat, jam tractans deliberaverat cum sua nobili conjnge donna Berta sæculum relinquere, & sacræ se religioni mancipare: cùm ex insperato fama volavit, Danorum multitudinem cum bellico apparatu per ora Somenæ & Sequanæ fluminum, perque omnes portus

[a] Hic folium avulsum erat in exemplari, quo usus est Bollandus.

adjacentes Franciæ terminos navigio irrupisse. Tunc verò angustia & dolor metusque acerrimus pervasit Angilbertum, conscium videlicet, qualiterà gradu ecclesiastico per diaboli laqueos dejectus ceciderat, qualiterque ab officio sanctitatis in opus militiæ sæcularis & Ducatus pompam fuisset immutatus per carnis illecebram. tamen ratione pervigil & metu sollicitus adiit Regem Carolum, & ei innotuit quantum periculum imminetet ex hoste pyratico. Rex autem delegavit ei millia quàm plurima armatæ militiæ, & stipendiis accuratum quàm plurimis remittit cum manu fortissima ad hostem expugnandum. Interim dum properat, dum acies ordinatur, Angilbertus cum paucis militibus almifluum repetit tumulum beati Richarii, cum magnis suspiriis & ubertate lacrymarum pulsans & postulans, & regno cælorum vim faciens, artissimoque se voto constringens, quòd si imminens exitium evadere mereretur, jam jam procul dubio divinæ servituti quantociùs se subderet. cujus vota Deus ex alto prospectans haud petitioni ipsius defuit. Nam cùm peracta oratione à tumulo Sancti recedens ad loca castrorum velociter exercitum sequeretur, facta sunt cælitus fulgura & voces & tonitrua, & tanta vis imbrium cum grandine terrifica, ut catervæ Danorum incredibili terrore concussæ solum vitæ refugium quærerent, & conscensis raptim ratibus, à finibus Francorum effugere summo desiderio anhelarent. Ita victoria cælestis effloruit, ut Francorum ne capillus quidem de capite perierit, Christo Domino auxilium ferente suo futuro militi Angilberto, auxilium etiam cæleste impetrante emerito probatoque Christi milite Richario. Danorum namque plurima multitudo mutua cæde & saltibus præcipitatis Deo vindice necata est.

An. Chr. dccc xiv. Feb. xviii.

voto facto ad S. Richarium.

Tunc Angilbertus peracta gratiarum actione ad sacrum corpus beati Richarii eventum cælestis victoriæ Regi denuntiavit Carolo. at ille coexsultans & rerum novitate admodum stupefactus, nomen sanctum Domini frequenti voce benedixit. Hinc Angilbertus memor vororum, regiam majestatem secretiùs colloquens supplex exorat, ut ei facultatem largiatur relictis sæculi honoribus Regi Christo militare, & emendatioris vitæ semitam arripere, quò per dignos pænitentiæ fructus animæ suæ damna valuisset reparare. His auditis Carolus ultrà quàm credi possit de tali petitione lætior factus, sine mora paruit, & dilectissimum virum talia postulantem hortatur quantociùs, ut quod ore voverat, jam rebus perficeret. Sic nempe Angilbertus à Rege digrediens Centulam revertitur: & contemto pomposæ dignitatis fastigio, primò omnium sponsam suam nobilissimam Bertam sacro velamine consecratam loco congruenti intra idem Cœnobium Centulense composuit, sacris vigiliis & devotis jejuniis divinisque canticis cum multo fervore assiduè insistentem. quo peracto, in cœtu Monachorum Angilbertus solo prosternitur, & perfusus lacrymis exorat humiliter, ut sacræ conversationis habitum accipere mereretur. Et quamvis multa illi reverentia à Fratribus hujus loci enixiùs impenderetur, tamen regulariter dilatus, legitimeque probatus, veluti Regula exposcit, Monachi indumentum & verè humilitatem in Monasterio Centulo summa cum devotione suscepit.

IV. *licentiam obtinet à Carolo recipiendi se Centulam cum uxore.*

Habitum monasticum suscipit.

Jam verò nullus mortalium enarrare prævalet, quanta austeritate suum deinceps corpusculum paverit; quas cruces, quæve tormenta suimet persecutor ingesserit. Jam non decorem vestium, non lectuli mollitiem, non cibi & potus suavitatem aut satietatem sectatus est, nec somno largiùs indulsit: sed toto mentis annisu sibimet quasi iratus, præteritos errores magnis lacrymarum fontibus diluebat, orationibus & psalmis noctis ac diei tempora præoccupans, lectionibus quoque crebris mentem reformans ad vigorem compunctionis, ut, juxta Prophetæ dictum, sacrificium Deo quotidie offerret spiritum contribulatum.

Monachus ut se gerit.

Psalm 50.

An. Chr. DCCC XIV. Feb. XVIII. Hæc & his similia, quæ referre longissimum est, reverendus heros perseveranter exsequens, & seipsum Deo viventem, peccatis mortuum cunctisque sæculi vanitatibus mortificatum exhibens, meruit revocari in adoptionem filiorum, meruit effici vas idoneum in honorem, meruit audire unctione interiori, Dimissum est peccatum tuum: quia adhibito cophino stercoris, id est jugi memoria præcedentis delicti, ficulnea hæc versa est in olivam fructiferam, quæ jam jamque plantaretur in domo Domini.

V. Symphoriano Abbati successor datus, SYMPHORIANUS Abbas illo in tempore præfatum Cœnobium regulari tramite gubernabat: qui à suis antecessoribus traditam sibi cælestis vitæ artam & angustam semitam virili incessu fortiter incedebat, quique vitæ hujus stadium cautissimè percurrens, pervenit ad bravium, & quievit in pace, functus stipendiis æternæ militiæ, & redimitus coronâ præmiorum. Sed cùm ille spiritualis exercitus Monachorum diu stare non posset in prælio sine duce ac tribuno gratiarum, omnium electione concordi denominatus ac electus est egregius vir Angilbertus, quem ad tale officium faciebat idoneum & generis dignitas, & scientiæ ubertas, & virturum fertilitas. Et quoniam moris erat in locis regalibus[a], ut

Rege probante. nemo præficeretur absque nutu regio, diriguntur è Claustro Fratres boni testimonii. qui auribus regiis utrumque renuntient, & Abbatem mortuum, & Abbatem jam electum. Carolus autem hæc audiens, scilicet Fratrum unanimitatem consensisse in donnum Angilbertum, multo favore annuit tantæ electioni, jussitque ut maturiùs perficeretur, quò Deo auctore loci utilitas augmentaretur. Tunc pii filii magistrum ac sequacem pietatis sibi in Patrem ordinari faciunt, jamque ordinatum cum digno comitatu obtutibus Regis repræsentaverunt. Excipit illum Rex alacriter & jocundè, multaque affabilitate ac liberalitate usus circa illum, magnificè hortatus est, ut in adsumto sanctitatis proposito inconvulsa stabilitate persisteret. Regni opes, suumque consilium numquam illi defuturum: tantùm Deo devotus militaret, & commissum sibi gregem pabulo veritatis instanter satiaret.

Cum eo tractat de instaurando Monasterio. At memorabilis Angilbertus ardorem suæ mentis regiæ pietati facundè intimavit, quoniam scilicet Monasterium sancti Richarii in Pontivo restaurare, & in ampliorem statum ædificiis, ornamentis, rebus quoque & moribus, Fratrumque copiâ interiùs & exteriùs reducere ambiebat. Ad hæc, inquit, facienda regalem pietatem profuturam flagito, ut si quæ Deo digna ex vestro auxilio perficere potero, vobis reputentur ad salutem animæ in æterno præmio. His peractis clementissimus Rex piè annuit, benignè favit, & omnia se facturum quæ vir amantissimus postulabat amicabiliter promulgavit. Qualiter autem hæc omnia peracta sint, ipsius sancti viri scriptis ad nos usque conservatis meliùs ostenditur, quæ se habent in hunc modum.

VI. Instrumentum ejus hac de re. » EGo igitur præscriptus Angilbertus considerans, &c. *ut suprà, nisi quòd integrum instrumentum non refertur, sed tantùm usque ad illa verba:*

» In porta etenim septemtrionali altare sancti Raphaelis dedicavit religiosus Ambianorum Episcopus JESSE II Non. Septembris. Cuncta totius Monasterii altaria fuerunt XXX.

Postea sequuntur versus qui supra ex Hariulfo num. 8.

[a] Ergo Monasterium regale censebatur Centulense, tametsi inter Monasteria regalia haud numeratur in enumeratione facta Ludovici Augusti principatu. Certè Dagobertus multa loco isti contulerat Richario vivente.

Sed [a] jam aliquid de cultu ecclesiæ istius seu de ornatu altarium memoriæ revocetur, ut in hoc fervor ipsius sancti viri & devotio cognoscatur. Unicuique altarium tabula coram posita auro & argento gemmisque pretiosis parata est. In medio ecclesiæ sancta Passio; in australi parte sancta Adscensio; in aquilonali sancta Resurrectio; & in porticu secus januas sancta Nativitas mirifico opere ex gipso figuratæ, & auro musivo aliisque pretiosis coloribus pulcherrimè compositæ sunt. Præter hoc altare sancti Salvatoris, & altare sancti Richarii & altare sanctæ Mariæ ciboriis fabrefactis & aureis redimiculis ornata sunt, & in circuitu auro puro decorata, & his tribus altariis tria lectoria mirificè parata aptata sunt. AN. CHR. DCCC XIV. FEB. XVIII. VII. Ecclesiarum ornatus.

In ecclesia sancti Salvatoris sanctique Richarii duo campanaria auro & argento parata, & ad sanctam Mariam tertium paratum est. Cetera verò diversa ornamentorum genera, id est cruces, capsas Evangelii, capsas reliquiarum, coronas, lampadas, thuribula, calices cum patenis, poma aurea, offertoria, scyphos, concas, boculares, urceos, cannas, scillas, situlas, sivones, claves, ostia, trabes cum arcubus, circulos ad signa pendentes, imagines Sanctorum, candelabra, ventilabra, pallia auro texta, stolas auro paratas cum fanonibus, casulas multiplices, albas sericas, cappas de pallio, pallia, tapetia, cortinas, cussinos, balteos aureos, vestes episcopales cum sandaliis, instrumenta regii Notarii aurea [b], Evangelia auro scripta, quæ aurea, aurea; & quæ argentea, de argento. quæ simul computata & diligenter adnumerata quindecim millium summam librarum effecerunt, & eo amplius: quæ propter longam prolixitatem magis breviter subnotare, quàm seriatim subscribere optimum reputamus.

Præ omnibus studuit idem memorabilis Abba, ut divina laus & Sanctorum memoria absque ullo interstitio in ecclesia Salvatoris indefessè haberetur. ad quod rite tenendum statuit tres semper esse choros, quorum unus ordinatè consistebat in turre occidentali coram altare sancti Salvatoris: secundus chorus identidem ordinatus in medio ecclesiæ coram memoria sanctæ Passionis: tertius autem chorus decantabat in orientali parte basilicæ, quæ dicitur Thronus sancti Richarii, eo quòd altare ipsius Sancti in loco editiori ibidem mirâ honorificentiâ sit excultum, & ejus sepulcrum juxtà positum sit. Et omnes quidem horas canonicas tres chori unà semper concinebant: quibus finitis pars uniuscujusque chori suo loco persistebat, psallens voce mediocri; ceteri interea relaxabant usque ad præfinitum temporis spatium. Cumque hi omnibus se necessariis relevassent, adveniente hora redibant ad exercitium divinæ laudis, & eodem numero quo isti redibant, alii ex eodem choro exibant, reparandi similiter & ipsi usque ad præfinitum tempus. Sic ad mensam, sic ad lectos, sic ad omnia omni tempore exibant, ut indeficiens psalmodia in ecclesia Salvatoris omni tempore permaneret. VIII. Laus perennis.

Jam verò perfectâ structurâ majoris basilicæ, cùm in eadem marmoreæ columnæ ad ornatum templi erigerentur, una illarum decore ac magnitune præstans inter manus erigentium subitò collapsa decidit & confracta est. Tum verò mæror & tristitia omnes invasit, ipsum quoque venerabilem Angilbertum Fratresque cunctos in tantum, ut ea die nullum ampliùs opus facerent. At memorabilis Abbas notissima sibi arma corripiens, cibo potuque abstinet, & indutus cilicio tota nocte illa pervigil jacuit in oratione. Media autem nocte Angelus Domini adstitit cum luce mirabili; & accedens ad columnam, digito perpalpavit fracturam ejus, moxque eam pristinæ integritati ac decori restituit. Mane facto dum cæmentarii rediissent, non solùm integram columnam, sed etiam suæ basi impositam rectis- IX. Miraculum de columna.

[a] Hæc & alia usque ad caput 9 desunt apud Bollandum.

[b] Horum instrumentorum non meminit Angilberti scriptum in superiori Vita relatum.

AN. CHR. DCCC XIV. FEB. XVIII. simeque stantem inveniunt, ac proinde laudis honorem omnipotenti Domino reddiderunt.

X. S Richarii vitam & officium per Alcuinum describi curat. Sanè libellum de vita sancti Richarii sermone simpliciori digestum evocato ad se Albino Magistro comtiùs atque luculentiùs componi & transcribi fecit, omissis illis miraculis quæ Domini Confessor in diversis locis ac regionibus copiosè patravit, de quibus seorsum codex magnus habebatur. Hymnos etiam tam nocturnos quàm diurnos, & antiphonas cum responsoriis sumtâ materiâ de vita ipsius idem Albinus composuit. Tantum studium circa Dei cultum & Sanctorum honorem, tantusque fervor inerat viro Dei Angilberto, ut quidquid dejectum invenisset erigeret, quidquid neglectum excoleret, quidquid ineptum componeret.

XI. Sepulcrum ejus exornat, Studuit præterea idem Christi famulus Angilbertus sacrum tumulum beati Richarii magnificentiùs exornare, auro & lapidibus pretiosis ambire, versibus quoque metricis idem mausoleum auro scriptis illustravit, in quibus & suam breviter ostendit peritiam, & ejusdem Sancti præclaram sanctitatem ac virtutem compendiosè disseruit, ita scribens:

Aurea cælestem thesaurum contegit urna, &c.

XII. & S. Caidoci Sancti quoque Confessoris & Monachi Caidoci sepulcrum jam pæne obrutum & vetustate collapsum summa devotione renovavit, & ornatè composuit, aureisque litteris cum versibus decoravit, ita dicens:

Mole sub hac tegitur Caidocus jure Sacerdos, &c.

Hæc sunt studia memorabilis Angilberti, quibus servorum Christi cineres humi quiescentes honorare contendebat: ut quorum membra pio amore amplectebatur in terris, eorum consortio potiretur in cælis.

XIII. Obiit verò anno Domini DCCC XIIII, Indictione sexta, XII Kal. Martii, omni pietate & sanctitate ornatus, & sepultus est ante portam majoris ecclesiæ, ubi requievit XXVIII annis [a].

ÆREUM EPITAPHIUM ejus.

Extulit egregia quem mundo gratia vitæ,
ANGILBERTUS in hoc membra locat tumulo.
Spiritus hunc Domini tenuit, quo tempore vixit:
Et modò cælesti spiritus arce nitet.
Promeruit Christum pietatis jura tenendo,
Et templum sancti Richarii renovans.
Quicquid amat Dominus, cum toto corde relegit:
Pauperibus largus, debilibus medicus.
Contulit ecclesiæ multum famulando decorem,
Et famulis Christi se dedit in famulum.
Ecclesiæ regimen coluit virtutis amore,
Pro quibus æternum lætus habet bravium.
Martis bissenis successit morte Kalendis,* (* *l.* decessit)
Et Domino flatum reddidit astra petens.

ITEM DE CHRONICA QUADAM*.

(* *scilicet* Nithardi lib. 4.)

Post mortem HLudovici piissimi Augusti tres filii ejus de Regno inter se dissidebant. Novissimè verò statuitur dies, qua de his causa haberetur: & hoc fieri posse Nonis Novembris visum est. qua quidem die terræ motus magnus per omnem pæne hanc Galliam factus est. eaque die ANGILBERTUS vir memorabilis Centulo translatus, & anno post decessum

[a] In mſ. codice additum eadem manu: *Post domnum Angilbertum præfuit* HERICUS *Abbas. post quem* ELIZACAR *Abbas. post hunc* RIBBODO *Abbas.*

suum

suum vigesimo octavo corpore absque aromatibus indissoluto repertus est. Fuit hic eo tempore ortus haud ignotæ familiæ. MADHELGAUDUS autem RICARDUS & hic de una progenie fuerunt, & apud Magnum Carolum meritò magni habebantur. qui ex ejusdem magni Regis filia nomine BERTA Harnidum fratrem meum & me NITARDUM genuit. Centulo opus mirificum in honore omnipotentis Dei sanctique Richarii construxit, familiam sibi commissam mirificè rexit. Hinc vitam omni felicitate defunctam Centulo in pace quievit. AN. CHR. DCCC XIV. FEB. XVIII

In loco igitur ubi a domno Ribodone sanctus translatus est Angilbertus, hoc epitaphium appositum est. *Ioh. 14. 21.* XVI Translatio per Ribbodonem.

Hoc recubat busto semper memorabilis Abba
ANGILBERTUS, *ovans spiritus astra colit.*
Mensis Martii obiit bissenis ipse Kalendis:
Construxit templum quo retinet tumulum.
Et cluit Augusti Caroli sub tempore Magni:
Dogmatibus clarus, Principibus socius.
Ante fores templi jussit qui se tumulari:
RIBBODO *hunc Abba transtulit, ac posuit*
Post annos obitus bis denos ejus & octo,
Corpore cùm nactus integer in solito est.

Hæc & alia multa antiquitatis monimenta in diversis chronicis atque Regum historiis de hoc prædicto venerabili Patre reperiuntur: quibus nimirum ejus nobilitas sanctitasque satis admodum declaratur. Jacuit autem corpus ejus in præscripto loco annis quamplurimis usque ad regimen donni GERVINI Abbatis primi. Siquidem post supradictum Ribodonem quamplures præfuerunt huic Cœnobio Abbates[a], quorum nomina ob rerum cognitionem huic opusculo adnectimus. NITHARDUS filius donni Angilberti præfuit Abba & Comes. LUDOVICUS Abba regiæ stirpis. RUODULFUS Abbas & Comes frater Judith Imperatricis. HELGAUDUS Abba & Comes. GUELFO Abba venerabilis. KARLOMANNUS Abba filius Caroli Calvi ex Regina Irmintrude. HERBERTUS Abbas. HEDENOLDUS Abbas. GIRBERTUS Abbas. FULCHERICUS Abbas. INGILARDUS Abbas. ANGELRANNUS Abbas piæ memoriæ: & ita donnus GERVINUS Abbas, qui venerabile corpus sancti Angilberti multa investigatione quæsitum & summa difficultate inventum in lucem protulit, & prolatum eodem in loco quo invenerat recondidit. Sub eadem verò hora qua de terra sunt levatæ corporis ejus exuviæ, tantus odor suavitatis ipsam basilicam omnesque loci officinas respersit, ac si balsamo cunctisque aromatibus omnia repleventur: terræ motus etiam magnus his in partibus eadem die factus est. XVII. Alia per Gervinum.

Iste est ergo nostræ quondam reparator & illustrator ecclesiæ, qui dispersa colligere, confracta solidare, & dejecta erigere novit, qui ipsum diabolum in semetipso triumphans victoriæ coronam promeruit, qui divitias largissimas cælo condidit ore & manu; dum & verbo veritatis affluenter corda incredulorum irrigavit, eosque ab iniquitate revocans dignos cæli heredes fore edocuit, & ingentia auri argentique pondera ad cultum ecclesiæ & ad usus pauperum larga manu, sed corde largiori prærogans, dignum se utrobique fecit qui reciperetur in æterna tabernacula. Hic est Angilbertus quem Centulensis concio post illud lucicomum sidus, Patrem dico Richarium, specialis privilegio amoris digné complectitur: quem suæ religionis auctorem & totius pietatis renovatorem eximiique honoris provisorem laude continua debet efferre. quoniam ti- XVIII. Angilberti elogium.

a Eumdem Abbatum ordinem exhibet Hariulfus, nisi quòd Nithardum Angilberto substituit. qua de re in Elogio dictum est.

An. Chr. DCCC XIV. Feb. XVIII. tulum laudis & originem religionis lumenque sanctitatis, quæ beatissimus pastor noster Richarius fecunde nostris in locis disseminavit, iste vir memorabilis majori rerum solamine confortavit, majori Fratrum numero accumulavit. Nemo verò sentiat, quòd nos hunc, quamvis pretiosi meriti sit, beato Patri æquemus Richario, quoniam licèt ille plantaverit, iste rigaverit; Deus tamen per merita & orationes sanctissimi Richarii amplius incrementum dedit. Et si quid laudis, si quid gratiæ percipit Angilbertus, hoc totum superlativè genuit & aluit Pater Richarius; in utroque autem Spiritus-sanctus. Hunc itaque laude dignum mentibus Fidelium commendat Christus Dominus, dum adveniente temporis plenitudine, prout in sua æternitate præsciverat, his diebus signis miraculorum locum quo humo tegitur illustrat, & thesaurum misericordiæ suæ in illo aperit, dum ad ejus tumbam diversos morbos languidorum ad sanitatem reducit. Lætandum est igitur vobis gaudio spirituali, Fratres carissimi, quòd & talem vestri loci alumnum, immo Patronum vobis Pater misericordiarum dederit, & talia quæ per illum facere disposuit, vestris temporibus & adspectibus clementer reservavit. Ad hoc enim hoc ita fieri confidimus, ut ad lumen justitiæ & viam veritatis sollicitè evigilemus, & Dei nostri nimiam caritatem oris & cordis devotione jugiter collaudemus, piisque studiis mirabilem Deum in Sanctis suis semper magnificemus, cui in Trinitate perfecta, incommutabili, individua, est omnis honor & gloria per infinita sæcula sæculorum, Amen.

DE MIRACULIS EJUSDEM
LIBRI TRES

Auctore ANSCHERO Centulensi Abbate anno MCX.

Ex mss. codicibus Centulensibus, quorum fragmentum apud Bollandum.

EPISTOLA sequenti opusculo præmissa.

SUMMÆ *dilectionis prærogativa complectendo domino* RADULFO *Dei gratiâ Remorum Archiepiscopo, ac reverentissimis Episcopis ejus sacra hierarchiæ suffraganeis, Frater* ANSCHERUS, *cælesti pietate Abba Cœnobii Centulensis beati Confessoris Richarii corpore & nomine rite glorificati, quidquid filius patri carissimo, quidquid obediens discipulus principali magistro.* Beati Ambrosii Mediolanensis Episcopi, eximii scilicet Doctoris, operibus & scriptis provocatus, qui beatorum Martyrum Gervasii & Protasii sacram inventionem divinitus sibi ostensam sanctis fratribus & coepiscopis studuit propalare, licèt valde impar longeque inferior exsistam, conor & ego, vel potiùs cogor divinæ pietatis divitias vestris nunc temporibus nostrisque in locis affluenter ostensas sanctæ matris Ecclesiæ Principi, ac per hunc cunctis ejusdem catholicæ matris filiis facultate qua valeo intimare, ne si omnino has prædicare neglexero, inutilis servi tremendam sententiam subire compellar in divino judicio. Hac denique intentione vestræ reverendæ paternitati, ô præcelse pastor RADULFE, præsentem offero libellum, veritatis indagine fundatum, de virtutibus miraculisque diversarum sanitatum atque opitulationum, quas Deus & Dominus noster JESUS-CHRISTUS ad tumbam sui famuli Angilberti, ipsius in quo requiescit loci Abbatis, vestris in diebus magnificè operari dignatus est: quatinus hæc vestro judicio vestræque auctoritatis libamine ad notitiam

sanctæ Ecclesiæ, quam præscriptus Dei servus Angilbertus valde amavit, multumque excoluit, provenire debeant; & noverint universi, quia Deus noster servientes sibi quibusque in locis & quibuscunque temporibus digna mercede quandoque non privat, nec in finem suorum obliviscitur pauperum: sed secundùm quod præscivit, in tempore opportuno laudem & gloriam sui sancti nominis in declaratione meriti sibi placentium suscitat ac mirificat. Sed quoniam vestra à Deo electa ac sublimata illustris prudentia nostris non eget scriptis commoneri, hujus præfatiunculæ jam sermo claudatur, & magna Dei opera vestræ magnæ peritiæ sacro judicio gratia Spiritus-sancti præeunte comprobanda committantur.

AN. CHR. DCCC XIV. FEB XVIII.

INCIPIT LIBELLUS

Miraculorum per sanctum ANGILBERTUM Abbatem divinitus gestorum anno Domini I'C X *.

* M C X



AUXILIANTE Deo Salvatore nostro relaturus opera divina ob meritum beati viri Angilberti ad ejus tumulum peracta, dignum est paucis perstringere, quis quantusve in vita [a] mortali fuerit: ut quicumque hæc legenda susceperit, hac notitiæ erepidine subnixus securiùs quæ sequuntur percurrat. Fuit siquidem generis nobilitate clarissimus, scientiâ artium liberalium doctissimus, ingenio acutissimus, catholicæ Fidei cultor & amator tenacissimus, morum honestate & fidelitatis constantiâ tertenis Principibus acceptissimus, cælesti verò Rege fide ac devotione conjunctus in tantum, ut nec rerum copia, nec divitiarum abundantia, nec formæ elegantia, nec regiæ prolis nuptialis copula, seu immensæ dignitatis largior potentia, eum à studio divini timoris propulsare potuerint, quin abdicatis mundanis honoribus cum suis illecebris crucem Christi bajulandam in contubernio pauperum, id est Monachorum, pauper & ipse tota virtute acciperet, & de virtute in virtutem ubertim proficiens pastor ovilis dominici ordinari mereretur: ac demum post multum divini servitii sudorem gaudium Domini sui feliciter intraret, ad cujus sepulcrum post annos migrationis ejus ducentos nonaginta & septem hæc à Domino gesta sunt miracula.

Angilberti vitæ compendium. [a]

IN villa quæ vocatur Durcaptum * territorii Pontivensis, fuit homo senex ab ineunte ætate cæcus, qui per visionem à quodam taliter fuit commonitus. Vade, ait, in ecclesiam sancti Richarii, & excuba ad sepulcrum Abbatis Angilberti: & scias revera quòd ibidem tuorum lumen recipies oculorum. Proposuit enim Deus hoc in tempore manifestum fieri lumen sanctitatis illius servi sui, cujus exordium parebit in restitutione corporalis luminis tui. At pauper idem facta die, quæ sibi fuerant imperata anhelanter implevit, & ad supradictum veniens sepulcrum, cum gemitu & precibus præmissa sibi aliquantis diebus exspectavit. Interea diebus ac noctibus cœpit idem sepulcrum nimio crepitu resonare, fragore etiam terrifico sæpius concuti, adeo ut nullus auderet accedere vel propiùs stare. Sed ille cæcus qui promissum sibi lumen sitienter exspectabat, nec fragore concussus, nec crepitu territus est, donec die dominica illucescente, lumen oculorum clarum recepit, & viæ ducem jam ampliùs non quæsivit.

CAPUT I. Miracula. * Durcht

[a] Hic præmittit Anscherus quoddam elogium sancti Angilberti, in quo ejus facta singularia non commemorat; nec si hoc faceret, consequeretur non esse præmissam Vitam ab eo scriptam: quia illum Romano, hunc Remensi Pontifici librum offerebat, quorum utrique exponendum erat, quis qualisve fuisset Angilbertus.

An. Chr. DCCC XIV. Feb. XVIII.

x. Kal. Martii hæc gratia ostensa est. Hoc fuit initium signorum ad memoriam hujus famuli Dei hoc in tempore peractorum.

II. Ex eadem villa alrer homo nomine Galterus contractione nimia fuir detenrus, adeo ut pedes & ribiæ retrorsum rerortæ natibus & coxis adhærerenr, nec uspiam valerer progredi, nisi manibus rorum corpus trahendo reperet. Ad tumulum servi Dei delatus, & magno populi gaudio planris laxaris, & ribiis cum multo fragore resolutis ad plenum sanarus est.

III. Alius quidam mente captus & se ipsum crudeliter persequens, (nam nisi fortissimè ligaretur, semetipsum occideret) à parentibus illò perductus conrinuò sanarus est.

IV. Cujusdam militis nomine Hugonis armiger dum ob infaustam pedum prolongarionem cælesti incendio in utroque pede arderet, ad viri Dei tumulum deportatus est. qui ibidem aliquot diebus in suo ardore permanens, ubi vovir Deo numquam se ampliùs suos pedes prolongaturum, repentè ex toro sanatus est.

V. Quædam mulier de pago [a] Vimmacensi dira passione artata, (nam frenesi acerbissima & inrolerabili amenria ita tenebarur, ur caput & brachia manusque hac & illac volverer & revolveret) modò allidens, modò percutiens, modò se ipsam torquens & retorquens, & ror de se spectacula præbens, ad memoriam viri Dei Angilberri quo humatus recubat, ab amicis perducta est. cujus passio ram dira à quamplurimis viris vix poterat coërceri, cùm subirò meliorata sacram communionem sibi dari petiir, quam jam menre sobria accepir, & deinde se coram sepulcro in orarionem prostravir. Die sequenti dominica Palmarum advenienre, rotius sospitaris palma eidem à Deo donara est, in qua deinceps gaudens & læra permansir.

VI. Quædam puella Corbeïæ nata & bene nota, auditâ famâ beati viri rogavir affines & propinquos, ur illò eam perducerent, quæ unum sic amiserat brachium, ut ex eo nec aliquid operari, nec ad os suum illud applicare valuisset. Hæc ubi sancti Dei suffragium devorè cœpit implorare, meruir opratam recipere saniratem.

VII. Hæc & talia dum crebrò fierent, contigit quemdam ex familia ipsius Monasterii divinæ virturis oblitum eidem tumulo propiùs adhærenrem lascivis insistere verbis. qui mox divinirus à loco repulsus, & ad pedes fere duodecim subitò remotus est.

VIII. Irem alius non satis perpendens quid virtutis ibidem haberetur, ligneis columnellis tumulum defendentibus ineptè cœpit inniti: & repentè aliàs transpositus est, nesciens à quo portaretur.

IX. Belvacensis quædam mulier brachiorum ac manuum contractione damnata, ibidem gratam recepir sanitatem.

X. Alia mulier de castello quod vocatur Domnus-Medardus*, dum esset oculorum lumine orbata, ad eumdem locum convolavit: ubi ad formam oculorum de cera pomis compactis & Sancti tumbæ oblatis, mox * lumen recepit, & claro inruitu universa respexit.

* Donmart en Pontieu
* Oculi cerei oblati.

XI. Noviomensis territorii quidam arramenti operarius per septem annos cæcitate fuit mulratus, & diversa Sanctorum patrocinia quærendo fatigatus. ubi randem comperir famam beati Angilberti, illò perductus, & rota una nocte in prece perseverans, facto mane cum luce diei lucem oculorum lætus recepit.

XII. Juvenis de castello Rogia [b] Ambianensis territorii, ab ipsis crepundiis cæcus, & à sua matre illuc perductus, cælesti dono illuminatus ac sine mora sanatus est.

[a] Vimmacensis pagus, vulgò le *Vimeux*, pars Pontivi, sic dictus à Vimmaco opido, Partæ (ut vocant) sede, *Vimes*.

[b] *Roye*, opidum medio fere itinere inter Noviomagum & Corbeïam.

Cùm hæc & his similia ibidem frequentiùs agerentur, & populus de longè & de propè undique confloeret, contigit quatuor Clericos de Neustriæ finibus oriundos illuc advenisse, & spectaculo miraculorum interesse. Ex quibus unus qui quasi prudentior sibi videbatur, cum verbo derisorio cœpit requirere de illo sepulcro quid esset, nomen & meritum viri scire velle se fingens. cui dum Fratres nomen & dignitatem atque viri sanctitatem cœpissent exponere; ille mordens labia sua & omninò subsannans, mente incredula cœpit intra se deridere, & maleficiis hæc imputare. Cumque hæc cogitatio in corde ejus versaretur, subitò in terram corruit, & cœpit frendere & spumare, manus ac pedes in terram collidere, atque caduci similitudinem per omnia exhibere. Conturbati autem & consternati tres ejus socii, quid agerent, quò se verterent ignorabant. tandem in se reversus convaluit & surrexit; & non ferens moram ad sepulcrum ilico properavit, lacrymas fundens & oscula figens, & se reum, se valde iniquum confitens, qui manifestam Dei virtutem deridere incredulus præsumsisset. Testabantur verò omnes tale quid numquam ei evenisse. Tunc oblatis votis & muneribus sani & incolumes in sua redierunt. AN. CHR. DCCC XIV. FEB XVIII. XIII.

In pago Pontivo, ex villa Dominicæ-curtis *, quidam artifex lignorum silvam intravit operandi causâ: & conscendens cujusdam magnæ arboris fustem, inter ramorum opacitatem cœpit incidere cum securi quiddam suæ arti necessarium. Itaque stans in lubrico & cædens, repentè lapsus est de alto, & cadens pondere suo suam dextram manum contrivit & confregit, & à suo loco removit. Ilico dolore immanissimo medullitus stimulatus, cœpit inconditas voces emittere, quas acerbitas angustiæ extorquebat. Inde recordatus operum mirabilium ad tumbam sancti Angilberti patratorum, cœpit vehementer invocare eumdem Sanctum adesse sibi in auxilium. & dum hoc enixiùs faceret, repentè illa manus conquassata ad suum rediit statum, & integræ sanitati reddita est. XIV. * Domcourt

In partibus Neustriæ, ex villa Longolio *, puella quædam jam adulta absque luce oculorum consistebat: quæ comperiens famam laudabilem beati Angilberti, multa prece propinquos constrinxit, ut illuc eam perducerent. tandem obtinuit, deducta est ad Sanctum, & mox expulsa cæcitate claro lumine donata est. Aderant de ejus parentela multi, aderant & vicini, qui omnes sub invocatione divini nominis adfirmabant, numquam inantea aliquid illam vidisse. XV. * Longvill

Turonis quidam puer annorum duodecim à cunabulis mutus fuerat, quem mater per multa Sanctorum loca tulerat & circumduxerat promerendæ sanitatis gratiâ; jamque in desperationem venerat, cùm beati fama Angilberti eum visceraliter animavit consequi se posse donum loquelæ. Itaque advenit, ceram emens candelam fecit, accensam sepulcro imposuit: & statim virtus Christi linguæ illius vincula rupit. Sic sanatus & locutioni plenæ redditus est. XVI. Candela tumulo imposita.

Ex villa sancti Silvini vocabulo Alciaco [a], quidam nomine Dominicus pestifero morbo tenebatur, ita ut sine duobus sustentaculis nusquam progredi posset. Membra verò illius continuo tremore agitabantur, ut modò prosilire, modò surrigi viderentur, adeo ut omnes qui illum vidissent, horror calamitatis illius pervaderet. Hic fide confortatus accessit ad mausoleum servi Christi, beati scilicet Angilberti: ubi devotissimè pulsans & divinam clementiam super se inclamans, integram adeptus est sanitatem. XVII. a

De Cenomannis advenerant duæ feminæ, quæ prædonum manus in- XVIII.

[a] Alciacum Monasterium, vulgò *Anchi le Moine*. in quo sepultus sanctus Silvinus Episcopus, cujus Vita exstat in Sæculi III. parte I.

AN. CHR. DCCC XIV. FEB. XVIII. currentes retrusæ sunt in artissimo scrinio, tibiis illarum compedibus illaqueatis, apud villam quæ dicitur Mentenacus. Hæ auribus hauserant laude dignam beati Angilberti opinionem, & nocte dieque non cessabant invocare suffragium ejus. Arripuerunt etiam cibi & potus abstinentiam, & victum suum pauperibus erogabant dicendo, In nomine Christi & sancti Angilberti. Non multi post hæc transierant dies, & ecce Christi pietas respexit famulas suas, quæ vincula earum dirupit, scrinium dissolvit, & eas liberas sua vincula tenentes usque ad tumulum sui servi perduxit.

XIX. Latrunculi quidam juvencam cujusdam rustici abduxerunt, & in locis spissioribus silvæ ligantes occuluerunt. At ubi rusticus illatum sibi damnum cognovit, raptores sequi voluit, sed timuit. nam undique hostis patebat. Hæsitans igitur nimiùm, & anxius multùm quid faceret, tandem sic locutus est: Sancte Angilberte, tuum me servum fieri spondeo, si meam vaccam per tuam virtutem rehabere potuero. ecce illam quæsitum vado, & Deo & tibi me totum commendo. Sic fide armatus & tutela cælesti munitus, ad eamdem silvam intrepidus processit, & post modicum ipsos latrones cum vacca offendit. qui vehementer admirati cœperunt inquirere, qua fiducia præsumsisset silvam ingredi, & illos insequi. qui intrepidus respondit: Sanctum Dei Angilbertum invocavi, & ecce, ut video, fidum ducem & protectorem inveni. Tunc illi stupefacti (nam & ipsos beati Angilberti fama jamdudum afflaverat) pro ejus amore suam rustico vaccam reddiderunt, & iter sex milliariorum cum eo processerunt, donec in tuto positus domum sine offendiculo prædonum repedare valuisset.

XX. * Morte-mare. Municipium quoddam, quod vocatur Mortuum-mare *, in pago Romomagensi situm est, in quo quidam contractus fuerat ita membris dissolutus, ut absque duobus sustentaculis incedere non valeret. In lectulo autem jacens, convertere se in quodpiam latus non poterat. Itaque vicini persuaserunt ei, ut qualitercumque posset, mausoleum beati Angilberti adire festinaret. Paruit ille importunitati suggerentium, & cum gravi languore longoque spatio tandem se præsentavit. vbi verò ibidem octo dierum spatio deguit, orationibus servi Dei totius corporis sanitatem accepit.

XXI. * Rue * dolio a Rugua * nuncupatur quoddam in pago Pontivo castellum, in quo quædam puella dum domini sui venalem potum emtoribus de tona * educeret, incautè aliunde tractans duciculum a in oculo defixit, & oculum protinus evulsit. tam domestici quàm supervenientes protinus clamaverunt ad eam: Invoca sanctum Angilbertum. quæ tot monitis animata sanctum mox Angilbertum inclamavit, & auxilio Christi sui ilico oculi sanitatem recepit. statimque cereum oculum formavit, & pro gratiarum actione ad memoriam servi Dei transmisit. Cereus oculus.

XXII. De Neustria quidam homo adduxit suam mulierculam, ab annis septem oculorum luce privatam, ad sacram servi Dei sepulturam. quæ paucis diebus ibidem Sanctum Dei invocans excubavit, & quadam die dominica illucescente lumen oculorum recepit. Cœpit ergo per totam basilicam sola ire & redire, altaria visitare, ut tali experimento comprobaret, se revera visionem recepisse. Tunc repletum est gaudio os nostrum & lingua nostra exsultatione.

XXIII. * Rainville Ambianensis pagi fundum quemdam vocabulo Ranivillam * raptores cum vasis armorum assallientes, cunctam loci substantiam diripuerunt, oves quoque & boves & ipsos homines catenis constrictos abducentes.

a Epistomium seu obturaculum dolii, vulgò *une broche*, alus *un duisét*. Lege indicem onomasticum Sæculi secundi.

inter quos quidam captus & abductus est, qui nuper beatum Angilbertum visitaverat, & ipsius se servitio devoverat. Vinctis ergo à tergo manibus retrusus est in artam custodiam: non tamen oblitus sui protectoris, continuam tacitus in aures ejus allegabat querelam. Cumque jam aperta voce sanctum inclamasset Angilbertum, ilico ceciderunt de corpore ejus vincula catenatum. At custodes continuò illum revinxerunt: sed iterum ad invocationem servi Dei vincula dejecta sunt. Sic & sic aliquotiens factum est, donec custos ad horam foras egressus, captivum suum Sancti merito jam totiens absolutum contremuit. Interim verò ille sanctum adfore rogavit Angilbertum: cujus meritis denuo absolutus exsilivit, & fugâ lapsus incolumis evasit. AN. CHR. DCCC XIV. FEB. XVIII.

XXIV. In confinio Ambianorum & Belvacensium stat villa Centum-putei * vocata, ubi cujusdam paupercula viduæ filius agri operam exercens, à quibusdam prædonibus interceptus est & abductus. Mox autem vidua mater ejus festinavit ad tumulum supradicti viri Dei, & ibi multotiens prostrata exorabat, & quodammodo exigebat, ut suis orationibus suum sibi servus Dei redderet filium. & dicebat: Amice Dei Angilberte, tuam me ancillam fore promitto, meumque filium tibi servitutem devoveo, si illum per te rehabere meruero. nam ille mihi erat maritus, ille mihi filius, baculus & nutritor, & totius meæ infelicis vitæ erat sustentator. Interea filius ejus ferro vinctus fameque ac siti nimiùm attenuatus, sed & dentium detractione fortiter maceratus, magis optabat mortem quàm vitam: quoniam vita ejus facta fuerat intolerabilis cruciatus. Cumque hæc ita gererentur, viscera misericordiæ suæ Deus noster aperuit, & quadam nocte prædictus miser sensit sibi quemdam adstare, & vincula dissolvere. & exsurgens liber exiit: pertansque compedes ad ecclesiam beati Richarii quantocius properavit, & totius hujus rei capitulum Fratribus ac populo publicè innotuit.

* Centpuis

XXV. Ex pago Pontivo & ex villa vocabulo Raginerisclusa *, quædam mulier attulit parvulum filium suum ad suffragia sæpe dicti famuli Dei Angilberti, ab ipsa nativitate pede uno & poplite contractum, ita ut nec genu flectere, nec pedem in terram ponere valeret. Prædicta itaque matre ad tumulum Sancti orati misericordiam deplorante, gratia Dei & puerum ibi sanavit, & eamdem feminam multùm lætificavit.

* Regnaresclusa

XXVI. Tam copiosa Dei miseratio bono odore respersit multas circumquaque provincias, adeo ut in civitate Namnetensi Britanniæ quædam femina utraque manu contracta, percepta opinione tantorum operum, indefessis precibus Deum exoraret, ut per sancti merita Angilberti sanari mereretur. Quod dum assiduè faceret, die quadam cœperunt se digiti qui in medio palmæ fuerant affixi, paullatim subrigere, & sensim extendendo protelare. Illa mox stuppam acceptam propriis manibus quibus antea nil operari poterat, in filum ad usum candelæ contorsit, sicque eadem candela ad collum suspensa pagum Pontivum velox adiit, ecclesiam sancti Richarii anhelanter petiit, sibi præstitam gratiam devotissimè prædicavit, manus adhuc semicurvas omnibus demonstravit: votisque persolutis quod deerat accepit, digitorum scilicet ac manuum congruam redintegrationem, quam sitienter quæsivit. Candela oblata.

XXVII. Quædam mulier Andegavensis, nomine Eremburg, annis sedecim vixerat, vel magis langueret absque luce oculorum. Hæc veniens ad officinam gratiarum, beati dico Angilberti sepulcrum, ipsa die qua venit munus claræ visionis impetravit.

XXVIII. Sub eadem hora sanata est alia ibidem mulier viginti jam annis cæca de vico Blangiaci * in vicinia Augensis * castri. Hæc quoque eodem die quo advenit, donum luminis reportavit. Ea verò dies tunc aderat, qua Roma-

* Blangi
* Eu

AN. CHR. DCCC XIV. FEB. XVIII. na institutio letaniam majorem celebrari tradiderat. Aderat & vigilia sacræ sollemnitatis de transitu sancti Richarii: ac proinde tunc Fratres Monasterii cum sollemni processione petierant ecclesiam sanctæ Mariæ letaniæ gratiâ faciendæ. Inde dum psallendo redeunt, nuncii post nuntios præcipites occurrunt, qui geminum miraculum in his duabus mulieribus celebratum nuntiaverunt. Fratres verò, prout usus religionis exposcit, in facienda letania devotè se continuerunt, donec redeuntes in suum Monasterium, consummatis letaniis, gratiarum actionem pro tantis beneficiis omnipotenti Domino reddiderunt.

XXIX. Sequens dies clara nobis annuatim contulit gaudia, de transitu Patris nostri beatissimi Richarii pia referens sollemnia.

XXX. Puella de villa quæ appellatur Hornodium *, accessit ad mausoleum almi Angilberti. hæc antea, quamdiu vixerat, aridam manum & retro versam dolens habuerat: quæ ubi sua vota persolvit, ægrotam manum super tumbam posuit, & ilico sanitas restituta est ei.

* Horney

XXXI. Exstitit quædam puella jam nubilis in villa quæ vocatur Condatus [a], quæ toto corpore cunctisque membris ad similitudinem hydropis turgida fuit, & præ nimia invalitudine sine somno, sine cibo & potu diu elanguit. quæ ut audivit felicem de servo Dei Angilberto rumorem, impetravit sibi candelam fieri, ut eam transmitteret ad memoriam Sancti. factumque est ita. Sequenti verò nocte adstitit ei vir splendidus, vultu & habitu valde gloriosus, dicens se esse Abbatem Angilbertum. qui ipsi ægrotæ quoddam præbuit sudarium, inquiens: Hoc tua colla gutturque terge, & ex hoc te salutem habituram procul dubio crede. Paruit illa dictis: guttur & collum linteo illo detersit, & velox in eam sanitas accessit. nam mox à lecto surrexit, cibum & potum accepit, illum suum tumorem statim deposuit, & vicinis stupentibus expedita callem ad nostrum Monasterium ducentem arripuit. quò perveniens, rei eventum cum magna populi gratia palàm enarravit, oblataque gratiarum actione læta ad propria repedavit.

Candela.

XXXII. Quædam mulier paupercula in urbe Ambianorum, donni GODEFRIDI [b] ejusdem urbis Episcopi alimoniis diutiùs sustentata, contractione manus unius & dextri lateris debilitate erat afflicta. quæ licèt laboriosè ad viri Dei tumulum perducta, ex beneficio Dei meruit contractæ manus & debilitati lateris sanitatis adipisci remedia. Quæ dum à Sancti sepulcro cum alacritate sibi congrua recessisset, nescimus quo Dei judicio à percepta sanitate periclitari cœperit, & denuo infirmari. Quæ repetitio infirmitatis magnam in carissimo nobis Ambianensi Clero populoque genuit credulitatis jacturam, quibusdam hac occasione dicentibus, quòd numquam vera virtus sive verum miraculum exstiterit, ubi quis sanitatem imperfectam aut defectivam acceperit. Quod tumet videtur altum, sed non est sanum. Tumor itaque malè altus deponatur, & humilis sobrietas deponatur. Quòd Deus Dei filius dilectori suo Petro super aquas ambulare mandavit, cui ille promptus obedivit: & tamen videns ventum validum timuit. quem jam mergi incipientem Christi dextera tenuit, & quare dubitasset redarguit. Et ut antiquiora proponamus, summa majestas quæ Saül elegit in Regem, & in primis multa ei prospera contulit, num potuit efficere, ut idem electus in justitia permanens ab æquitatis non deviaret rectitudine? Potuisset utique, si ejus arcanis judiciis justitiæ censura hoc attulisset: & quantum contulit Christus, tantum potuit Petrus, cui utilius fuit mersum humiliari, quàm super aquas perfectè ambulantem interiùs casurum exaltari. Non ergo servo Christi succenseatur, quòd mulierem sanatam infirmitas repetivit: quoniam ex debito in-

NOTA

a Johanni de Capella, *quædam puella de Condé super Scaldam juxta Tornacum*. &c.

b Sancti Godefridi Episcopi Ambianensis Acta dabimus Deo dante in Sæculo VI I. de quo rursus infrà cap. 37, & in lib. 2 cap. 2.

fide-

fidelitatis vel ex judicio longioris probationis hæc eadem femina digna extitit diutiùs flagellari. Sed judicia Dei, quæ sunt abyssus multa, interim seponamus, & divini beneficii concessa munera jam devotè percurramus.

An. Chr. dccc xiv. Feb. xviii.

XXXIII. De villa vocabulo Alteiola *, vir quidam plebeius uxorem suam longiori tempore per multa Sanctorum loca circumductam, & nullum visionis subsidium consecutam, ad sæpe dictam beati Angilberti conduxit tumbam. quæ ibidem jacens & supplicans, corporei luminis visionem retulit claram.

* *Auti seulla proche Doulens*

XXXIV. Confluentibus undique populis ad hæc memorabilia opera, inter alios convenerunt duo adolescentes devotionis suæ munera oblaturi: quorum primus munus suum sine ullo impedimento obtulit; alter verò mox ut ad tumbam oblaturus accessisset, vi fortissima repulsus & retro actus est, adeo ut in terram resupinus caderet, & neque standi, neque propiùs accedendi facultatem haberet. At verò socii ejus omnesque qui aderant, de tam repentino casu valde attoniti, hærebant & stupebant. paullo pòst surgens & multum recogitans, & se deliquisse deprehendens, cum cordis contritione confessus est, quòd à quodam latrone hanc ipsam qua indutus tunc erat chlamydem coëmisset, qui certè latro eamdem chlamydem sancta die Dominica fuerat deprædatus. & ob hoc sine dubio se repelli à gratia Christi & Sancti. Hinc abjecta chlamyde & quæsita reatus remissione ad tumbam rediit, genu flectens donum obtulit; & nullam ulteriùs repulsam pertulit.

XXXV. De castello vocamine Britulio [a], territorii Belvacensis, quædam juvencula aurium surditate damnata, adducta est ad beati Angilberti pia suffragia: quæ peracto ibi cum precibus tridui spatio meruit relevari percepto auditus officio.

XXXVI. Non longè à muris civitatis Ambianicæ stat fundus ex nomine Sanctorum * nuncupatus, ex eo quòd idem locus beatorum Fusciani, Victorici & Gentiani sepulturâ meruit honorari. Inde quidam homo nepotem suum ita contractum, ut calcanei ejus natibus cohærerent, detulit ad memorabilis Angilberti sepulcrum. quem mox ut super ejus tumbam posuit, divina pietas sanitati & decori membrorum perfectè restituit. Hic dicebatur Martinellus.

* *Saints*

XXXVII. Super his tantis miraculorum gestis, dum omnes vehementer quotidie stuperemus, & quid ad hæc faciendum esset solo arbitrio nostro committere noluissemus; venerabilis Episcopi Ambianensis donni GODEFRIDI consilium quæsivimus. qui tunc quidem suam præsentiam excusavit: sed in locum suum satis gratum consiliarium & testem idoneum destinavit, donnum videlicet INGUTIONEM, laudabilis vitæ Sacerdotem. quo ibidem constituto, medicina cælestis non defuit, per quam quidam puer contractus tibiis & pedibus velocem sanitatem accepit. Hunc sanatum spectante populi frequentia nullus negare prævaluit. & idcirco vox omnium consona laudes & hymnum JESU-CHRISTO donno Ingutione præcinente decantavit.

XXXVIII. Quædam mulier in confinio Pinchiniaci * castri degens adeo erat debilis, ut ab umbilico usque ad calcaneum nulla sanitas omnino appareret. Hæc suum fratrem imploravit, ut qualitercumque posset, illam ad beati Angilberti memoriam deportaret. quam ille asino imposuit, & ad nostrum Monasterium convectavit. Erant tunc feriati dies Pentecostalis septimanæ, & populus multus confluxerat: & idcirco præfatam languidam in quemdam ecclesiæ angulum residere fecerunt, ne à promiscua turba conculcaretur. quæ putans se à gratia Dei & à meritis Sancti remotam, cœpit

* *Pequigny* infra Ambianum ad Somenam.

[a] *Breteuil* opidum in confinio pagi Bellovacensis & Ambianensis, ubi Ordinis nostri Monasterium beatæ Mariæ sacrum.

AN. CHR. DCCC XIV. FEB. XVIII. flere & ejulare, quòd ad tumbam Sancti digna non esset approximare. quam sic clamantem & dolentem superna pietas visitavit, sanavit, & luctum ejus in gaudium convertit.

XXXIX. Ex opido Compendii * quidam insimul coadunati veniebant Centulum ob memoriam hujus Sancti. Cúmque ad montem qui Buxudi * fundo supereminet, pervenissent, unde scilicet ecclesiam beati Richarii prospicere poterant; prostraverunt se in terram omnes, Deum & Sanctos ejus adorantes. In hac caterva erat quidam senior longa ætate & diuturna cæcitate depressus, qui ceteris se prosternentibus & ipse se prostravit, sed majori anxietudine auribus supernis preces obtulit. Nam cùm valde deploraret suæ cæcitatis calamitatem, divina miseratio reddidit ei in ipso loco videndi claritatem. Cúmque ab oratione se erexisset, ait: Gratias Deo & sancto Angilberto, ecce ego clarè video. Tunc socii itineris ejus cœperunt studiosè disquirere, quæ essent hæc vel illa, quæ videntium adspectibus undique se offerrent: volentes probare si revera videret. At ille, Ecce inquit, ante nos video grandem villam instar civitatis, & in medio magnam ecclesiam duarum turrium, quam credo esse ecclesiam sancti Richarii, ubi audivi sepultum sanctum Angilbertum. Cúmque multa discerneret, Modò, aiunt, nos præcede, & ecclesiam quam vidisti solus pete. At ille gressum antè tulit, & ovanter præcedebat viam carpens, & viæ ducem ulteriùs non requirens.

* Compiegne
* Buchu

XL. In partibus Neustriæ quædam femina quorsumlibet adscendens repentè corruit: & erat ibidem palus terræ adfixus, qui cadentis femur perforans fortiter vulneravit. At illa præ dolore insaniens, voces inconditas emittebat, & spem vitæ jam ampliùs non habebat: donec illi suggestum est, ut sanctum citò invocaret Angilbertum. Hoc illa ut fecit, continuò lignum de ejus femore prosilivit, & ulcus in cicatricem conversum ilico ad sanitatem rediit. Mox ergo iter Centulum ducens arripuit, & palum qui sibi fuerat in perniciem, huc ad Domini deportavit honorem.

XLI. In pago Belvacensi, castello Clarimontis *, fuit quædam mulier filium deflens contractum à renibus usque ad talum. quem ad præsidium Christi militis Angilberti detulit ambulare omnino non valentem, sed palmis terræ innixis corpus rependo pertrahentem. Hic itaque cùm aliquamdiu ad memoriam Sancti jacuisset, & sanitatis effectus ei tardiùs eveniret; cogebatur mater, utpote paupercula, filiolum bajulando ostiatim quærere stipis alimenta: & percepto edulio iterum festinabat se præsentare cælesti Archiatro. Hoc dum aliquamdiu fieret, quodam die nimium fatigata & præ angore animo concitata, Dei hominem Angilbertum ex fundo cordis sic est allocuta: Placetne tibi, sancte Angilberte, ut ita filium comportando fatiget de die in diem, & tu qui alios salvas, mihi nullam impendis compassionem? Mox tibiæ puerulis cum suis nervis cœperunt velociter cum fragore protrahi, & ita velociùs meruit reformari.

* Clermont

XLII. Tristis-transitus. Religatus erat quidam miser in municipio quod vocatur Tristis-transitus, qui per invocationem istius sancti viri citiùs est à Domino expeditus. Pro his omnibus adoretur, laudetur, magnificetur & benedicatur sanctum nomen Domini JESU-CHRISTI filii Dei vivi, cui in Trinitate perfecta est, & semper sit omnis honor & gloria per infinita sæcula sæculorum, Amen.

An. Chr. DCCC XIV. Feb. XVIII.

LIBER SECUNDUS.



N Evangelio Marci legimus, JESUM-CHRISTUM Dominum nostrum post perceptum baptismum, peracto quadraginta dierum jejunio rediisse in patriam suam: ibique synagogam ingressum, verbo doctrinæ & signis virtutum plebem exhortari cœpisse. cujus sacram doctrinam & admiranda facta vicini non ferentes, quòd faber esset, & mater ejus vel cognatio ab omnibus nosceretur, despicabiliter exprobrare cœperunt. Ob quorum incredulitatem exprimendam mox Evangelista subinfert dicens: *Et non poterat ibi virtutem ullam facere, & mirabatur propter incredulitatem illorum.* Marc. 6. 5. Hunc eumdem Dei Filium nostris modò temporibus in famulo suo Angilberto cælestem gratiam latè diffundentem, miramur & dolemus nonnullos invidiæ telo vulneratos & internæ malitiæ veneno tabescentes, haud dignæ laudis titulo venerari, & eamdem incredulitatis notam subire, qua Filii Dei blasphematores perccelli meruerunt: quoniam & hi opera Dei non credentes immensitate perfidiæ divinam operationem, si dici fas est, obtundunt, & dignos se faciunt, ante quorum oculos lux majestatis non fulgeat; indignos autem à quibus tenebrarum caligo detrudatur. Nam si Dei Verbum caro factum ob vicinorum & comprovincialium perfidiam à suæ divinitatis opere potuit coartari; quid mirum est si ab his quæ per servum suum operari decrevit, propter nostram ineptiam interim videtur inhiberi? Et quid magnum, si aliorum incredulitatem nostra infirmitas horret & stupescit, cùm Dei virtus & Dei sapientia propter incredulitatem illorum evangelica tuba mirari adseratur? Sed hæc ad informationem sanctorum Ecclesiæ filiorum protulisse sufficiat, jam nunc opera lucis differentes, postponamus opera tenebrarum.

CAPUT I. Jejunium triduanum ad præbanda miracula.

VENERABILIS Ambianorum Episcopus GODEFRIDUS à donno Abbate ANSCHERO invitatus ut opera Deitatis coràm positus videret & testificaretur, authentica Patrum institutione roboratus, decrevit trium dierum noctiumque abstinentiam cum vigiliis & orationibus celebrari, ut Deus omnipotens complacatus lucidiùs apertiusque demonstraret, quænam ratio circa hæc rectiùs deberet observari. Jamque unius diei ac noctis observantia celebrata, cùm secundæ diei nox præcedens duceretur, ecce quidam Centulensis indigena nomine Arnulfus, vir pietatis operibus deditus, media ferè nocte cubiculum egressus, vidit fusam desuper lucem omnia totius opidi loca claro lumine adspersisse, omnesque noctis tenebras depulisse. qui admirans rei novitatem, & scire volens unde tanta claritas emanasset, respexit, & vidit igneam columnam de cælo lapsam, ecclesiæ beati Richarii eo loci quo beatus Angilbertus Abba requiescit, incubantem, & immensi radios luminis emittentem, unde scilicet tota opidi latitudo coruscabat. quò viso contremuit, & uxorem suam ad se citò vocavit, homines etiam qui illi sub mercede serviebant, voce conturbata ad se quantocius currere clamavit. Venit illa, occurrerunt & illi: quibus in commune, Ecce, ait, quanta gloria quantoque fulgore sanctum Angilbertum glorificat Dominus. Quæ visio ignis ac luminis per unius horæ spatium constitit: sicque paullatim decrescens & sui adspectum subtrahens, postmodum defecit.

Et antea quidem virtus divina ad memoriam famuli sui Angilberti multa faciebat: sed exinde tanta copia virtutum ibidem exuberavit, ut consilium memorati Episcopi non tam humanis verbis, quàm rebus divinis acceptare & confirmare se Dominus testaretur. Nam tot ægrotan- II.

AN. CHR. DCCC XIV. FEB. XVIII. rium recuperationes, tot languentium medelæ secutæ sunt, tot etiam carceratorum solutiones & mærentium opitulationes celebratæ, ut meritò dicatur inter gentes, quia magnificavit Dominus facere cum eis; & suæ Ecclesiæ precibus susceptis, nos etiam dicere valeamus: Magnificavit Dominus facere nobiscum, facti sumus lætantes.

III. * Centulæ nundinæ in sabbato. Centula, quondam nobilis tàm Sanctorum religione, quàm temporalium commodorum fecunditate redundans, totius provinciæ Pontivæ paternum refugium & materna consolatio prompta & hilaris, & omnium tam suorum quàm externorum jura servans, antiqua & principali suorum institutione sollemnes nundinas die semper sabbatorum exercet, ad quas ex omni circà regione populis confluentibus fit rerum & mercium validus & tumultuosus conflictus. Ad has ergo nundinas turbis concurrentibus, quidam rapacitatis animo in quadam silva se occultaverunt latrones, à turbis concurrentibus spolia vel quæque venalia diripere satagentes. Cumque catervam hominum coartasset turba latronum, interfuit quidam nomine Galo qui in tali discrimine exclamavit famine claro: Sancte Angilberte, succurre, sancte Angilberte, miserere. Post hanc vocem illum qui clamaverat divina potentia ita circumdedit, ut non teneri, non ligari, non spoliari, nec à suo saltem itinere potuisset diverti. Sic ceteris prædæ patentibus iste paruit libertati: & qui fidum protectorem invocare curavit, à faucibus prædonum statim abstractus evasit.

IV. * Sacculum. Item quædam anicula sacellum plenum lanæ collo gestans, ad easdem nundinas lento gressu veniebat. quæ subitò occurrente turba prædonum, sacellum cum lana velociter deponere est coacta. Iidem ergo raptores idem peculium sibi vindicare appetentes, sacellum de terra levare conati sunt: sed illa exclamante, Sancte Angilberte, adjuva me; illi nec sacellum levare, nec eumdem aperire, ut lanam abstraherent, valuerunt: sed veluti vires in manibus non haberent, sacculum ligatum & intractum dimittentes, nimiùm stupefacti recesserunt.

V. * Drugy * Bertaucourt Centulo collimitaneus est fundus vocabulo Drusiacus *, Fratrum Monasterii nostri servitio mancipatus, de quo quidam adolescens à prædonibus interceptus, & in villa Bettonis-curte * ferreis vinculis & diris compedibus strictim fuit colligatus. qui tot angustiis comprehensus, cœpit appellare sanctum Angilbertum, à quo videlicet noverat melioratas causas plurimorum. Et dum attentiùs hoc ageret, adfuit virtus Majestatis, quæ eum omnimodis absolutum suæ incolumem reddidit libertati.

VI. * Donmart De castello quod nuncupatur Donnus-Medardus, adducta est cum plaustro quædam duodecim annorum circulo languens valde debilis femina: quæ mox ut ad Sancti tumbam aliorum manibus perlata venit, ibique cordis contriti sacrificium cum dono candelæ obtulit, sanitatem cum alacritate percepit. Hæc in somnis fuerat præmonita, ut beati Angilberti adiret suffragia. quæ mox ut obedivit, gratiam benedictionis cum fructu reportavit sospitatis.

VII. Puer quidam decidens in validam ægritudinem, nimia vi morbi perdidit omnem loquendi facultatem. Hunc pater suus & mater detulerunt ad beati Angilberti virtutiferam tumbam: & spe credula cum magnis gemitibus illi exposcebant medelam. Et vice quadam dum Fratres matutinos persolverent, gratia Dei per meritum beati viri eumdem puerum visitavit. qui mox melioratus cœpit laudans invocare Dominum, & dixit: Deus, esto mihi in adjutorium per sancti Angilberti meritum. Quæ tunc patris & matris fuerunt lacrymæ, quæ voces lætitiæ fletibus mixtæ, videntium suam prolem linguâ disertâ verba sonare! Mancipantes verò se cum filio suo Sancti servitio, cum gaudio in sua redierunt.

Ex provincia Nordmanniæ, quæ antiquitus Neustria nominatur, vir quidam nomine Ansellus per decem annos brachium inflexibile & aridum habens, vovit se beati Angilberti servum fieri, si per ejus merita valuisset sanari. qui cum tali voto cœpit adire servi Christi memoriam, & adhuc longè positus meruit suæ ariditatis adipisci medelam. Nec tamen statim in sua rediit, sed iter quod cœperat, usque ad sui vivificatoris dominum Centulo sitam hilaris peregit, ac grates pro munere gratanter reddidit. AN. CHR. DCCCXIV. FRA. XVIII. VIII.

Apud castrum Cosdunense jacebat religatus teterrimo carcere quidam adolescens cujusdam filius viduæ, qui quantum ad humanam spectar notitiam, carcerem non meruerat, quoniam tam matri quàm sibi de justo labore victui commoda ministrabat. Hujus igitur mater cum grandi mæstitia properavit Centulum ad beati Angilberti jam multis cognita suffragia, devotans se fore illius ancillam, si ejus filio subvenisset Dominus ob illius gratiam. Ecclesiæ custodes & sacri tumuli excubitores dixerunt ad illam: Vade in locum tuum, & certum habeas, quod Deus per sanctum Angilbertum reddet tibi filium tuum. At illa credens abiit, & filium suum salvum liberumque domi reperit. Interrogatus quomodo carcerem evasisset, respondit: Vir niveus ad me intravit in habitu Abbatis, qui mea vincula solvens liberum me abire mandavit. statim exsurgens foras exivi, & omnes portas patentes videns sine offendiculo domum repedavi. IX. Cosdunum castrum.

Ex urbe Belvacensi mulier quædam veterana, civibus nota, nomine Emma, à renibus usque ad pedis ultima gravi ægritudine debilitata, quæ neque ire, nec de loco, nisi traheretur, se movere poterat, audivit multiplici relatu gloriosam memoriam beati Angilberti multimoda sanitatum solatia infirmis convenientibus impertiri: & tali nuntio animata, elaboravit continuis precibus, ut ad præfatam memoriam qualicumque vehiculo deferretur. tandem basternæ imposita, & ad beati Richarii basilicam delata, ubi ad tumulum donni nostri sancti Angilberti pernoctavit, vir ei quidam coopertus stola fulgenti apparuit, & pannum quemdam illi porrexit. Illa requirens quid de illo faceret panno, ab eo audivit: Videsne te multùm debilem, & ad omnia impotem? isto panno corpus tuum undique continge, & statim perfrueris optata salute. Fecit illa ut audivit, & salubrem tactum comitata est velox recuperatio membrorum. Remeavit illa sospes Belvacum, & tantæ recuperationis celeritas civibus fuit miraculum, vicinis & amicis materia gaudiorum. X.

Compendiensis ecclesiæ quemdam clientem, nomine Godefridum, in custodia cujusdam molendini apud villam Claresiam occupatum, tanta surdities invaserat aurium cum dolore capitis & arteriarum, ut die ac nocte fortiter gravaretur, & quamlibet utilitatem exercere non permitteretur. Hic doloribus continuis fatigatus, cum gemitu assiduo rogabat Dominum, ut à tantis malis eum liberaret propter suum sanctum Angilbertum. Vocibus etiam precum adjecit & votum, quòd si relaxari mereretur, donni Angilberti sepulcrum quantociùs visere aggrederetur. Hoc ubi corde fixò stabilivit, & verbo flebili depromsit, mox omnis ab eo surdities recessit, & caput ejus arteriasque dolor pristinus dimisit. qui sciens quæ & quales quámque gloriosæ Compendii haberentur reliquiæ, gratias redditurus Compendium adiit; atque in ecclesia nostræ dominæ sanctæ MARIÆ semper virginis, ante memoriam magnificorum Martyrum Cornelii [a] & Cypriani, cum multa hilaritate & priorem surdi- XI. Compendii pretiosæ reliquiæ.

[a] Abbatia est hoc nomine Ordinis nostri, quondam beatæ Mariæ dicta, quam tum incolebant Canonici sæculares, quibus paullo pòst suffecti Monachi per Sugerium Abbatem. Ibi eximiæ asservantur reliquiæ; sudarium scilicet Christi Domini, velum beatæ Mariæ, corpora sanctorum Cornelii & Cypriani, &c. de quibus aliàs.

AN. CHR. DCCC XIV. FEB. XVIII. tiem in promtam audiendi facultatem per sancti invocationem Angilberti conversam retulit, & tantis doloribus se omnimodis absolutum lætanter denuntiavit. Honesti verò viri, ejusdem ecclesiæ Canonici, persuaserunt, & ut impiger tantæ salutis patrocinatorem adiret, & dignas illi grates coràm exhiberet. Qui ovanter Centulam adiit, & donno nostro sancto Angilberto laudes gratiarum largiter decantavit.

XII. Et erat quidam non longè positus, tota corporis medietate aridus & eadem ariditate diu languidus, qui vicini surditatem per beati Angilberti dignitatem annihilatam comperiens, precibus se itidem armavit, votis & sponsionibus obstrinxit, quòd si sanus redderetur, sanctum Angilbertum efficaciter veneraretur. Et dum preces exaggerat, dum vota multiplicat, cælestem medicum movit, & celerem recuperationem fide non ficta comparavit. qui modò sanus & incolumis beati Angilberti gratiam omnibus prædicat, & in nostro Angilberto Christi laudem & honorem devotus adnuntiat.

XIII. Castella olim ad præsidium, tunc ad latrocinium. Antiqua Regum procerumque industria ad tutelam patriæ & munimen civium contra hostes insurgentes per loca opportuna construi instituit ædificia castellorum, quæ modò ubique vertuntur in speluncas latronum, ad perniciem populi & vastationes regionum. Ex quibus unum non tam magnum quàm validum in prolapsu fluvii Somenæ consistit, vocabulo Alliacum *, non longè ab urbe Ambianorum, in quo duo juvenes innocentes de suis sedibus vi pertracti, & artissimo cippo fuerunt mancipati. qui dudum notitiam operum beati Angilberti liquidò compererant, ac propterea nomen ejus & auxilium assiduis precibus invocabant. Dumque id cum magno æstu attentiùs facerent, una vice senserunt lignum cippi alleviatum, & quasi nullius esset ponderis à suo robore imminutum. Mox cæleste auxilium cognoscentes, pedes suos de cippo retraxerunt, jamque liberi & alacres velocem fugam arripuerunt, & nemine retardante Centulam usque pervenerunt: ubi coram Deo ad tumulum sancti Angilberti multorum mentes & linguas ad laudandum Christum commoverunt, & pro ereptionis suæ beneficio summis ex præcordiis sacrificium laudis & ipsi Domino obtulerunt.

* *Ailly*

XIV. Sed jam unum jocundum miraculum ad medium perducamus, cujus tot sunt testes, quot opidi Centulensis habitatores. Apud eamdem Centulam impetitus quidam contra publicum jus deliquisse, nec se valens expurgare ob linguæ imperitiam & legum ignorantiam, jure fori adjudicatus est in carcerem trudi, donec aut legaliter se purgaret, aut legum offensam subiret. Religatur ergo satis gravi pondere ferreatum catenarum, & in ipsa miseria non cessavit implorare sanctum Christi Angilbertum, ut ejus interventu mereretur absolvi ab his, quæ innocens perferebat sub obtentu legum prævaricatatum. Cumque una noctium fletibus gemitibusque fatigatus permodicum obdormisset, adstitit ei vir canitie venerandus, holosericis amictus, qui verbo consolatorio relevavit ejus angustiam dicens: Jam non timeas nec mæreas, quoniam citò effugies istas miserias suscipiente Christo preces meas. ego sum Angilbertus Abba, quem totiens invocasti, quem tot fletibus compulisti, & sine longa mora libertatem recipies, quam tot gemitibus flagitasti. His dictis visio ab illo recessit. Facto mane oravit se relaxari ad usum naturæ: & sic cum custode foras egressus, fortissimè de manu custodis catenam abstraxit, & cursu rapidissimo ad Sancti memoriam convolavit. cui fugienti multi ut eum retinerent manus injicere voluerunt: sed vindice Christo in terram protinus corruerunt. Sic custodibus consternatis, & nec ad illum approximare ausis, liber & lætabundus ad tumbam Sancti properavit, & qualiter visitatus qualiterque fuisset liberatus, in voce exsultationis patenter prædicavit.

In castro quod dicitur Bistisiacus *, fuit homo nomine Hubertus toto corpore turgidus, adeo ut sua vestimenta nec indui nec exui posset. qui tanto morbo tabescens & serò beati Angilberti reminiscens, cœpit ipsum Dei famulum instanter appellare, quò ejus suffragiis valuisset sanitatem recuperare. Cúmque hoc sedulus ageret, ex largitate bonitatis divinæ cœpit meliùs habere. qui advertens Dei gratiam se tetigisse, studuit sepulcrum beati Angilberti quàm citiùs valuit visitare. Jamque in via positum gratia Dei eumdem ampliùs tetigit, salutique restituit. At ipse iter inchoatum lætior peregit: & ad Sancti tumbam velox perveniens, honorem & laudem Deo nostro reddidit. An. Chr. DCCC XIV. Feb. XVIII. XV. * Bessiny

Belvacensis territorii quidam puer nomine Milo, XIII gerens annos ætatis, ab ipsis crepundiis ex toto fuerat mutus. hic à sua genitrice ad præfati Sancti tumbam perductus, & ibidem nocte dieque divinam præstolans miserationem, quadam noctium accubanti prope sepulcrum, & operculum tumuli deosculanti apparuit vir stolatus niveo amictu, & gloriosus valde visu & statu. At verò puer idem tumbam iteratò deosculans, & jam dictum lucidum virum iteratò respectans, ubi trina vice illum respexit, mox rectè loquendi facultatem accepit. Jam verò rectè loquens quæ viderat enarravit, & ex dono locutionis fidem fecit visionis. XVI.

De villa quæ vocatur Trosciocurtis, homo quidam ruticola à latronibus interceptus, nomine Bernardus, artissimo cippo est artatus, ob nullam aliam causam, nisi ut ab eo tormentis exigerent numerosam pecuniæ quantitatem. qui tormentis victus plus promisit quàm habuit, ut dum hoc à tortoribus creditur, interim ad vitam spatia raperentur. qui etiam ut impiis se celeriùs posset subripere, uxorem suam illis in vadem studuit subrogare. Ingreditur sexu fragilis, sed virtute robusta mulier mariti tortorium, & incessabili prece non destitit sanctum invocare Angilbertum. Hanc itaque precibus insistentem divinum auxilium visitavit, solutamque & liberam usque ad sepulcrum servi Dei gaudentem conduxit. XVII.

Quidam etiam homo, nomine Odo, de villa vocabulo Arona *, à satellitibus municipii Centulensis, nescimus qua de causa, horribili custodiæ mancipatur. nam & ponderosa catena constrictus & caveæ lignorum inextricabiliter invicem consertorum atrociter injectus est, seris ac vectibus insolubiliter obsessus, denegatâ prorsus cibi potusque copiâ, sed illatâ continuè summæ calamitatis miseriâ. Hic tot miseriis comprehensus, toto ex corde sanctum studuit interpellare Angilbertum, cum lacrymis & gemitu ejus nomen flebiliter clamans, illiusque suffragium tota cordis contritione efflagitans. sic facientem cælestis miseratio potenter invisit, illam qua fortissimè fuerat colligatus, ponderosam catenam dissolvens; illiusque baratri quo injectus fuerat ostiolum reserans, ut nec seræ, nec vectes eum ulteriùs retinere valerent. qui sentiens supernum sibi adesse auxilium, catenam manibus apprehensam levi tractu ad se revolvit, ac demum vertice pulsans caveæ ostiolum, ubi omnia reperit patentia, mox de cavea processit, & tamquam ab inferis emergens, captivamque ducens captivitatem velociter abscessit. Mirandis plus miranda succedunt. aderat ibi curtis diligentissimè communita, ubi murus & ante murale interjacente aquarum palustri difficultate nullum concedebant effugere. Verùm iste divino fretus juvamine, nec murorum ambitu retineri, nec aquarum voragine summergi, nec vigilum aut custodum sollertiâ valuit retardari: sed ineffabilis dono potentiæ omnia exsuperans, cunctaque quæ poterant adversari sopita inveniens, liber & lætus ad beati Richarii basilicam convolavit, atque ante beati tumulum Angilberti vocibus clamosis & fletibus gaudiosis grates Deo nostro ipse reddidit, & ad laudem Christi mentes omnium mirabiliter animavit. Nam tam mirabilis apparuit ejus liberatio, XVIII. * Arona

An. Chr. DCCC XIV. Fe. XVIII. ut præ magnitudine miraculi corda omnium stringeret admiratio, & quanta sit divinæ potentia pietatis in hoc negotio nemo perfectè valet comprehendere, nisi fortè quis situm loci, carceris invisum horrorem, ferri pondus, custodum atrocitatem ac tantæ genus miseriæ vel ex parte cognoverit.

XIX. Apud villam quæ dicitur *Hangest*, quidam juvenis cippo addictus tenebatur, ideo videlicet ut se redimere cogeretur. Hunc adversarii qui cœperant diris tormentis afficiebant, verberibus mactantes, & telis ejus faciem minutim perforantes. ad quem Pater veniens, & tantam illius afflictionem perspiciens, concidit animo, & defecit anima ejus præ tædio. qui inde proripiens, toto corde mæstissimus destinavit beatum expetere Angilbertum in filii salutem ipsius advocaturus suffragium. Properanti ergo occurrit vir summi splendoris & insoliti decoris, & interrogavit quò tenderet. At ille respondit: Ad liberatorem carceratorum beatum vado Angilbertum, ut per ejus orationes meum recipere valeam filium valde crudeliter compeditum. Et senior inquit: Mea fide polliceor, quòd antequam redeas, tuum filium expeditum rehabeas. Credulus ille dictis, fidentior ad Sancti tumbam festinavit, pro filio precem fudit, votum obtulit, & citò inde rediens domi filium exhilarus absolutum invenit.

Sanctus Angilbertus liberator carceratorum.

XX. Jam verò dici non valet, quanto fervore, quámque curiosa instantia populus undique conveniens, benedictionem de sacro ejus sepulcro exposcit, vel potiùs extorquet, collectum inde pulverem vel lapillos seu cæmentum in magnam gratiam usurpantes, & ad suæ munimen salutis per sua secum loca deportantes. Testis est Deus multos utriusque sexus vi febrium laborantes, dum ex ejusdem tumuli perlata benedictione quippiam epotassent, mox fuisse sanatos, & ab omni incommoditate liberatos. Hoc in Francia, hoc in Flandria, hoc in Normannia & ultrà in Aquitania gestum est, & persæpe geritur, operante Salvatore nostro Christo, qui suos milites æterno donativo glorificat ad laudem & gloriam sui sancti nominis. Amen.

Benedictio de ejus tumulo.

LIBER TERTIUS.

Caput I.




CIRCA fluvium Somenam stat fundus vocabulo Condatus, ubi quædam fuit puella unius manus contortione nimiùm afflicta, adeo ut digiti non infra, sed supra palmam retorti, perniciem facerent eidem manui. Hanc sui miserantes genitores, ad mensuram illius infaustæ manus de cera aliam formaverunt, & sic infelicem filiam cum votis ac lacrymis ad sepulcrum donni Angilberti perduxerunt. ubi reperto custode sepulcri Monacho, scilicet ANSCHERO, totam filiæ calamitatem anxii intimaverunt. Ille qui magnam Dei gratiam in multis fide oculata contueri soleret, hortatur illos ne diffidant: quin potiùs accipiens retortam manum puellæ & manum votivam de cera formatam, alacriter imposuit sepulcro servi Dei. Extemplo apparuit virtus Dei, & digiti retrorsum contorti ilico cœperunt moveri, & ad naturalem situm reverti. Exclamat pater, vociferans adesse majestatem: occurrunt undique & mirantur tantæ virtutis velocitatem. Nam puella mox sanata est, paterque ac mater illius in gaudium & stuporem pariter mutati sunt. Hæc gratia sanitatis intuentibus Fratribus cum præfato Anschero distributa est, à quibus etiam digna laude in gloriam Dei subsequenter celebrata est.

Manus cerea oblata.

II. Sacra sollemnitas Pentecostes celebranda advenerat & de diversis partibus populi ad sepulcrum servi Dei Angilberti catervatim ob devotionem confluebant. inter quos ex oppido Compendii advenit turma promiscua

promiscua virorum ac mulierum, numero decem & octo: in quorum comitatu fuerunt duæ mulierculæ longa contractione conquassatæ, quæ plaustris impositæ, eo quòd nullo modo possent ambulare, ad ecclesiam Patris nostri sancti Richarii devectæ sunt. Harum una de plaustro deposita inter manus portabatur, ut ad tumulum viri Dei ob medelam poneretur: sed mox ut basilicæ valvas intravit, inter manus portantium repentè dissoluit, & confestim sanata ad tumulum viri Dei alacriter properavit: At hi qui cum ea advenerant, cernentes cælestis gratiæ tantam celeritatem, laudes magnificas Christo Domino cum lacrymis reddiderunt.



VITA B. ALCUINI ABBATIS ET LEVITÆ IN GALLIA.

CIRC. AN. DCCC XV. MAII XIX.

Auctore Anonymo, ejus fere æquali.

Ex editione Chesniana & Suriana.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *ALCUINI seu FLACCI ALBINI vitam in litteras retulit Anonymus quidam ejus fere æqualis, referente (uti ipse in prologo testatur) SIGULFO Alcuini discipulo, eo tempore quo Imperium tenebat Ludovicus Augustus ex num. 18. quum Aldricus Ferrariensi Monasterio præerat Abbas, ex num. 19. ac proinde ante annum DCCC XXIX, quo Aldricus Hieremiæ successit in sedem Senonensem. Eam lucubrationem aggressus est Anonymus hortante quodam Abbate Sigulfi discipulo, ex prologo; forsan Aldrico ipso, qui ex numero Sigulfi discipulorum fuit. Neque enim dici potest, hujus operis adhortatorem fuisse Fridugisum Martinianum Abbatem post Alcuinum. tum quia Fridugisus non fuit Sigulfi, sed Alcuini discipulus: tum quia rerum ab Alcuino gestarum non minùs testis adduci poterat quàm Sigulfus.* Auctoris ætas.

2. *Quanta sit hujus scriptoris auctoritas, ex ætate colligere licet. tametsi eum non usquequaque accuratum fuisse constat, tum ex multis rebus quas prætermisit, tum ex aliis, in quibus alucinatus est, præcipuè in adsignanda ætate & anno mortis Bedæ, immo (ut quidem mihi persuasum est) ipsius etiam Alcuini. Hinc est quòd ad supplendos hujus Vitæ defectus Elogium ei subdere est animus.* auctoritas.

3. *Primus edidit hanc Vitam Andreas Chesnius, initio Alcuini operum ex ms. codice ecclesiæ Remensis vetertimo, Auctoris ætate exarato, quem ipse vidi aliquando. Sed perquisitum postea, ut eum cum editis conferrem, nancisci non potui. Suriana editio ad formam Chesnianæ facta est, additis in margine capitulationibus, quas hic retinui.* editio.

PROLOGUS AUCTORIS.

1. SUPERNA Christi rorante dextera ac juvante gratia, reverentissime Pater æquè & amantissime, jubes ut tibi de admirandæ vitæ initio fineque Patris ALCHUINI, quæ ejus nosse potui narrante fidelissimo SIGULFO [a] discipulo, sermone licet inculto & parvo, tamen veritate referto, scribam ædificationi nonnullorum profutura; adserens te diu super hac re non modicam ferre sitim. non quia calore ignita superno tua viscera Sanctorum innumerabilium vita, gestis

[a] Duo fuere ejus nominis eodem tempore: unus scilicet Alcuini passim hic laudatus; alter Benedicti Anianæ Abbatis discipulus, infrà num. 20. Primus fuit Abbas Ferrariensis, habitu primùm usus canonico, dein monastico indutus, ut scribit Lupus ejusdem loci Abbas in epistola 29. Fuit, & alius Sigulfus Presbyter, Alcuino valde familiaris, de quo infrà num. 11.

Circ. An. dccc xv. Maii xix. piis, & studiis nequeant refici, quos sanguine proprio vel sæculi suarumque abrenuntiatione voluptatum, Agni cælestiumque constat virtutum consortio mercari: quibus unà suavi cum canore felicibus fruentes jubilo insatiabili vestimentis, sive palmarum frondibus, mens quibus luminis ornatur ferax, viaque arta exstat & angusta, Hebræorum pueris, asinæque terga Christo sessore præbente humili, planam & meabilem reddidere. Sed quoniam mundo fluidè cum suis senescente vix admodum pauci reperiri queant priscorum in omnibus ardua sequi vestigia qui possint, qui capiti summo quanto viciniores, tanto actuum immensitate fuisse probantur inlustres, Domini tabernaculum instar columnarum firmissimè sustinentes, aquarum inundatione atque ventorum impulsione numquam labi neque moveri possint. ac ideo necesse valde esse adseris, ut si aliquem nostris temporibus imitatione pia sequendum Christi nobis gratia contulerit; hujusmodi lucerna non sub modio, neque sub lecti quiete, sed supra candelabrum ponatur, ut ingredientes Ecclesiam lumine illustrentur claro. Ipse siquidem familiæ pater, qui primâ horâ isdem & undecimâ vineæ operarios conduxit, quibus & unam mercedem dare jussit. Neque enim si manus, aut circa Christi os barba pendens, niveive dentes, qui queant panis crustam parvuli masticare, vel oculi pulcriores vino, quo nutriuntur virgines, esse nequimus, ob hoc à corporis Domini compagine separabimur: optabili in eadem tantùm fide, spe & caritate juxta Apostolum radicati & fundati, ut multi unum efficiamur corpus Domini, manente caritatis differentia stellarum.

2. Nempe oculi fuerunt Apostoli, Solis æterni splendorem mentis puritate utcumque contemplantes, sicut Apostolorum princeps Petrus, virgoque Johannes. quorum alter hæresium plurimarum devitans opiniones, ex duabus consistentem substantiis Filii Dei unam viventis confessus est per-
Matth. 16. 16. sonam, dicens: *Tu es Christus filius Dei vivi.* alter in seipso animam effundens suam, & cuncta creata transcendens, ad eum per quem sunt omnia facta conscendit, ac ejus potatus uberibus inauditum sæculi eructavit arca-
Johan. 1. num, dicendo: *In principio erat Verbum,* &c. Fuere pectus æreum clarè prædicando Martyres beati, ferreumque, grassantium ignes persecutorum ferendo, ut Cyprianus, Laurentius, Dionysius, Mauricius: exstiterunt sancti Confessores atque Doctores doctrinarum, quo cibi conderentur, venter, Martinus, Hilarius, Benedictus Monachorum Pater eximius, Ambrosius, Gregorius, Hieronymus, Augustinus. Hi ergo omnes duobus Samaritæ munerati denariis, quidquid proprio valuere sudore, in ter-
* f. intra ra * stabulum vulnerato impenderunt, nunc exspectata gloriosè ditari mercede. At modò abundante iniquitate, Apostoli juxta prophetiam, & refrigescente caritate multorum, quasi pupilli absque patre facti, matris residentes in genibus, quæ amarissimis hinc inde quatitur fluctibus, stans in medio mari, priorum nos Patrum muniri egemus suffragiis, eorumque nutriri vitalibus stipendiis, fame ne periclitemur in via cursus nostri laboriosa: quin potiùs relinquamus navem sæculi onustam mercibus, vero hæ-
Cant. 1. 4. reamus ut capiti, dicamusque: *Trahe me post te; curremus in odorem unguentorum tuorum.* Qui enim mons cervis amœnus celsa petentibus, dignatus est & herinaciis humilibus refugium patefieri, salvans homines simul & jumenta, noverunt qui se esse apud eum.

3. Ergo quos & ævi nimium & propria gravat valitudo, antiquorum ad plenum quia nequeunt sequi, saltem illorum vestigia sequentur, quos secum convixisse suo in tempore, & evidentibus indiciis Christo placuisse certissimè probarunt, Benedicti scilicet Monachis, & Alchuini per omnia Canonicis, imitatione digna. Cujus, tuis devote parens sanctissime Pater jussis, adgrediar calamo, non sæcularis eloquentiæ redolente

ſtemmate, ſed ſicut corporis, ita ſenſus balbuto ſcriptitare vitam: teſtans Deum JESUM non elationis me faſtu hoc arripere tentaſſe, ſed multorum animabus prodeſſe cupiſſe. Scribam igitur fideliter quæ ab ejus fideliſſimo tantùm didici diſcipulo, SIGULFO ſcilicet inſtitutore meo, dilectiſſimum quem tu quoque habuiſti Patrem, qui præ cunctis mortalibus poſt ſancti EDBERTI diſceſſum ſolus ipſius meruit noſſe ſecreta eximia. Te ergo, Domine, te deprecor, Pater venerande, tua ut ſim hoc in ſudore pia fultus interceſſione, qui me hactenus illa ſilentem aperto imperas jam ſonare ore.

Circ. an. dccc xv. Maii xix. Auctor ſcribit à Sigulfo accepta.

INCIPIT VITA.

Caput I. Albinus Deo à pueritia conſecratur,

4. VIR Domini Albinus nobili gentis Anglorum exortus proſapia, nobilior Chriſti JESU regeneratus undis exſtitit vitalibus. qui cùm matris ablactaretur carnalibus, Eccleſiæ traditur myſticis imbuendus uberibus: cujus jam tunc JESUS ſua poſſidens dignatione corpuſculum, non hoc fœtidis ab antiquo permiſit hoſte pollui luſibus, obſcæniſve actibus. quippe qui ſuam antequam naſceretur in eo prædeſtinaverat conſecrare ſedem.

Clericuli deſidis pœnâ fit cautior.

5. Dumque adhuc eſſet parvulus, diurna ſub luce per canonicas cum aliis ſæpe frequentabat eccleſiam Horas, nocturnis autem perrarò temporibus. Cumque alter eum à decimo annus teneret, contigit nocte quadam eum cum uno ſimplici & tonſorato ruſtico ſeparatim unà jacere in domo. Poſtulaverat ſiquidem ruſticus ille ſimplex magiſtrum inluſtris pueri ob ſuæ ſolitudinis nocturnæ ſolamen, ut una nocte quemlibet ex ſchola puerum ſecum ſua juberet in cella dormire, eo quòd quempiam ſuorum non haberet ad præſens. cui nutu Dei Virgilii ampliùs quàm Pſalmorum amator conceditur puer Albinus. Ecce verò circa galli cantum ſolito more pulſatur à cuſtode ſignum nocturnarum vigiliarum, debitum à Fratribus perſolvitur officium. Sed ruſticus ille ſimplex latus ſe vertens in alterum, quippe nimiùm qui circa hujuſmodi negligens dormiendo ſtertebat; cumque jam Invitatorius fuiſſet ex more cantatus cum Antiphona Pſalmus, ſubitò domus illa verè ruſtici ſpiritibus repletur tetris, qui ejus cingentes ſtratum dicunt: Bene quieſcis, Frater. Quo repentè expergefacto inculcant eadem: Cur, inquiunt, Fratribus in eccleſia vigilantibus tu hìc ſolus ſtertis? Quid multa? verberatur utiliter in tantum, ut ſua cunctis ex mutatione ſalubri præſtaret cautelam & canticum: Hæc mutatio dexteræ Excelſi. Dum anticiparent oculi ejus nocturnas vigilias, dumque is verberaretur, puer nobilis tremiſcens, ne ſibi eadem fierent hæc, ut ipſe pòſt teſtatus eſt, corde dicebat imo: O Domine JESU, ſi me nunc iſtorum eruis manibus cruentis, & poſt hoc ſollicitus erga Eccleſiæ tuæ vigilias miniſteriaque laudum non fuero, pluſque ultra Virgilium quàm Pſalmorum modulationem amavero; tunc tale ſortiar caſtigationis flagellum. tantùm obnixè precor, nunc, Domine, libera me. Denique artiùs menti ut hoc imprimeretur ipſius, poſteaquam à verberatione ruſtici ceſſatum jubente Domino eſt, ſpiritus nequam huc illuc oculos vertentes, vident diligentiſſimè corpus pannis & caput pueri involutum omne, penitus inſcium anhelitus. Princeps autem illorum interrogat ſuos, Quis hac alter quieſcit in domo? Eſt, inquiunt, Albinus hic abſconſus puer in lecto. Puer verò ubi ſe latere non poſſe perſenſit, lacrymarum nimio perfuſus imbre, quanto priùs pavore ſuppreſſus, tanto magnis ut puer redditur perſtrepens clamoribus. Illi verò immiſericorditer hunc volentes & non prævalentes afficere, pertractant quid ſuper eo agere debeant. Sed ſententiâ Domini conſtricti, ne voto ſatisfacerent ſuo, aiunt imprudentes, prudenter tamen:

Virgilii quàm Pſalmorum ſtudioſior.

Circ. an. DCCC XV. Maii XIX. Non iſtum verberibus, quia rudis adhuc eſt, acris *: pedum tantùm, in quibus duritia ineſt calli, tonſione cultelli caſtigemus, & emendationem ſponſionis nunc ſuæ confirmabimus. Jamque nudatis veſtimento pedibus malotum manibus, crucis ſe muniens Albinus velociter ſigno, pſalmumque decantans duodecimum affectu omni, malotum ſubitò diſparuit turba. Et ruſticus ſemivivus, unà cum puero agili ſe præcedente greſſu, Sanctorum in baſilicam confugit ad præſidia.

6. O inſidiator calcanei, cujus eſt panis pulvis, non frumentum, Domini qui capite contereris! ô inimice piis! num tu demens, qui quondam cæli quærebas indebitè fieri ſeſſor celſiſſimi? Si Altiſſimo ut jactabaris ſimilis incomprehenſibili claritatis luce in monte Dei fueris, quid obſcura ſub nocte actus niteris diligenter mala tua cum accenſione ſcrutari humanos? Nempe fateor, tuotum ut docent conſequentia, tenebrarum te juſtè factum judicas principem ptopria præſentia. Nam etſi in Angelo appares lucis, lucem nobis conaris auferre intimam pulvere tuo fœtido. At ſi, ut es Æthiops, claritatem ſpei, pavorem incutiendo nimium, hoc in Albino agere tentaſti puero, vincetiſque humili ab homine, altum qui viceras hominem. Verè ſi cognoviſſes Chriſtum gloriæ, non crucifixiſſes, neque Chriſticolæ Albini, quos ſibi nolens arte mirifica fructus actuum præparabas, callóſas tondere plantas quæſiſſes. Abſcondiſti pedibus ejus rete captionis, & ipſe quaſi avis pennis ſuſtentatus columbæ, pedibuſque cervi inſtar firmatis, ac in excelſa conſtitutis, cùm David à facie Saülis fugit, in ſolitudine commorari gaudens. Lacum aperuiſti & effodiſti, inque illum confuſus cecidiſti optata fine præda. Sagittæ in te retorquent tuæ acumen, inæſtimabili dolore afficiunt. cecidiſti in terram vulnerator gentium Sanctorum, conculcatis cum Albini pedibus. amato projiceris è tumulo, quia fortis à fortiote victus. Grave ſceptrum tuum, ô exactor, & jugum humeris noſtris impoſitum, ſuperatum à puero patrem adhuc ignorante vocare ſuum & matrem. Spoliis tuis obliviſcens te & populum ſuum, mater ornatur Eccleſia, ſpiritalium fecunda chariſmatum, inſignia cælorum cum virtutibus Domino concelebrans laudum cantica. Gratias ſemper tibi, Domine, referimus, bone JESU, unà cum Patre, ſancto & Spiritu per ſæcula, cujus eſt boni quidquid agimus, inchoamus & perficimus. Juxta cum tuam docens nos gratiam qui ait: *Deus eſt autem qui operatur in vobis & velle & perficere.* & Pſalmiſta: *Deus meus miſericordia ejus præveniet me.* & item alibi: *Et miſericordia tua ſubſequatur me omnibus diebus vitæ meæ.* & tu ipſe dixiſti: *Sine me nihil poteſtis facere.*

Philipp. 2. 13. Pſal. 58. 11. Pſal. 22. 6. Ioh. 15. 5.

II. Traditur diſciplinæ Egberti.

7. Hæc ita ſe de initio pueri incipientis ſupradicti habentibus, cœpit hinc ſui quamdam ad ſimilitudinem Domini ætate, ſapientia cum veta & viva proficere Philoſophia, artiùs ejus obſecundans juſſis. Poſtque memoriter lectionem recitatam pſalmorum, beati gentis Anglorum BEDÆ doctiſſimi diſcipulo HECHBERTO Præſuli meritis magiſtro ſimili traditur, quaſi lactis inſcius fortibus jam alendus panibus: qui præcelſam in puero gnaviter, ut pote oppidò perſpicuus, fulgere Chriſti conſpiciens gratiam, cœpit paullatim ei ſecretiùs ſecreta demonſtrare ſua: quippe quem imitatorem compertiſſimè gaudebat fore ſui. Erat ſiquidem ei grex nobilium filiis ſcholaſticorum, quorum quidam artis grammaticæ rudimentis, alii diſciplinis erudiebantur artium, ceteri jam liberalium, nonnulli divinarum ſcripturarum poſt iſtas manibus confricatas Patris pectus in ſuum ordeacias quinas, triticiaſque ſeptenas trajiciebant unà gemino cum piſce ſpicas. Omnes verò fide, ſpe, caritate, humilitate, jejuniis, caſtitate, obedientia, & circa Eccleſiæ officia, devotiſſima æquè & honeſtiſſima cura omni cum circumſpectione imbueban-

tur, verbis non tantum, quantum sancti Patris Hechberti exemplis, digni per omnia Christiani Præsulis, in quo ea, suis quæ in præceptoribus fulserat, doctrina non mediocriter enituit, in sancto videlicet Anglorum Apostolo GREGORIO, AUGUSTINO ejus discipulo, BENEDICTO sancto, CUTBERTOQUE simul & THEODORO primi Patris & Apostoli per omnia sequentibus, & in viro Domino minium amabili BEDA Presbytero proprii præceptoris sui: qui ab ineunte ætate quasi Samuel Domino consecratus, inscius coinquinationis ullius vestimenti, monasticis traditus à parentibus regulis, quidquid verbo docuit, exemplo roboravit. qui postquam bonum certamen certavit, cursum consummavit, fidem servavit, talentumque sui Domini cum usuris duplicavit; die quo voluit & petiit, eo scilicet quo Rex gloriæ Christus triumphator super omnes adscendit cælos, ab incarnatione Domini[a] DCC XXXI, VII Kal. Junii, à sancti obitu verò Gregorii C XXVII anno consummatus, ad Dominum migravit nonagenarius[b], sicut quorumdam adfirmatio est. Nam nonodecimo ætatis suæ anno Levita, trigesimo verò Sacerdos efficitur: à quo tempore qui antè per triginta annos didicerat Ecclesiæ profutura, usque quinquagesimo nono cum sudore non inerti dignis memoriâ libris inserere proprio stilo studuit. Per alios autem triginta annos ferunt ea quæ scripserat correxisse; discipulos quoque non mediocriter omnium liberalium artium studiis erudisse: hanc antequam ægrotaret, antiphonam ipsi valde festivitati convenientem dictans componensque[c] sua cùm melodia: *O Rex gloriæ Domine virtutum, qui triumphator hodie super omnes cælos adscendisti, ne derelinquas nos orphanos, sed mitte promissum Patris in nos spiritum veritatis. Alleluia.* Cujus jam, ut dictum est, sequens Hechbertus vestigia, totum thesaurum suum Domini deputavit eloquia, Scripturarum rimando penetralia. Nam à luce diei surgente si inevitabilis non obstitit præpeditio, vel ulla sollemniras præcellens, aut festivitas magna Sanctorum, usque horam quasi ad sextam, sæpissime & nonam, suo residens in lecto, discipulis cuique convenientia Scripturæ pandebat arcana. Inde verò surgens, secretissimamque ad orationem confugiens, holocausta medullata cum incensu arietum offerens priùs Domino, ac pòst juxta exemplum beati Job, ne fortè filii ejus in benedictionis * laberentur foveam, sanctificabat eos, offerens corpus Christi & sanguinem pro omnibus Et sic tandem vespertina propinquante hora, præter Quadragesimam maximè, omni tempore tam æstatis quàm hiemis, parcum cum suis, dignè tamen præparatum sumebat cibum; linguæ non parcens lectoris, utroque ut reficeretur pane. Videres ergo tunc ante Patrem pueros præparatis se conterebrare telis: discutientes in secreto quid pòst ordinabiliter protelarent in publico. Nonne videtur tibi de hoc etiam posse dici: Sicut aquila provocat ad volandum pullos suos, & super eos volitat expandens alas, adsumensque eos, & portans in humeris?

Circ. an. DCCC XV. Maii XIX.

Discipuli Bedæ,

viri religiosissimi.

* ἀντιφραστικῶς maledictionis

8. Hos autem omnes, floridâ decoratus adolescentiâ Alchuinus, humilitatis sub lectione præibat. Is denique pater pauperum, Christi multus amator atque adjutor, bis in die secretissimam orationem erat solitus fundere, purissimi cum irrigatione fontis, genu utroque in terram flexo, manibusque diutius instar crucis in cælum erectis: antè scilicet quàm III.

[a] Immo anno DCC XXXV ex dictis in ejus Elogio in Sæculi superioris parte I. quod confirmatur ex libello metrico de Episcopis Eboracensibus scripto ab Anonymo subpar in Appendice Sæculi tertii. ubi Beda dicitur obiisse *primis temporibus* pontificatus Egberti, qui anno DCC XXXV pallium à Romano Pontifice accepit, Wilfrido suffectus anno DCC XXXII.

[b] Falsa hæc traditio facilè corrigi poterat lectione Bedæ historiæ, in cujus fine Beda testatur, se undesexagenarium operi supremam imponere manum anno DCC XXXI, quo ejus obitum Auctor iste perperam reponit.

[c] Neque Beda hanc antiphonam composuit, sed eam, hauddubia jam ab Ecclesia receptam, morti proximus frequentasse memoratur in epistola Cuthberti discipuli sui, *secundum nostram*, inquit Cuthbertus, *consuetudinem & sui.*

Circ. an. dccc xv. Maii xix. Religiosè vivit.

cibum sumeret, & priusquam Completorium cum suis omnibus celebraret. Quo celebrato nullus discipulorum ipsius sine ejus benedictione capiti suo data, ullo umquam tempore membra audebat committere stratui. Qui omnes quidem diligebat, maximè tamen Albinum fidelissimum suorum actuum sequacem, propter meritorum distantiam. Cui virtutes inter alias hoc erat datum specialiùs, ut nihil per se eligeret agere, quod magistri auctoritas probans non conderet *, nullasque umquam hostis machinas insidiasve pertulit interiùs, quas absque ulla verecundia magistro celaret exteriùs. Qua de re actum est, ut stimulum, quem aliquando senserat, libidinis indomabilem arte hac mirifica vinceret gloriosissimè, dum parvulos ad petram Babylonicos elisit, conterens caput serpentis insidiantis calcaneo. Cavebat enim ne super illo verba diceret Christi, quia *omnis qui mala agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur ejus opera;* sed potiùs illorum in sortem veniret, de quibus subnectitur: *Qui autem facit veritatem venit ad lucem, ut manifestentur ejus opera, quia in Deo sunt facta.* O verè Monachum [a] Monachi sine voto, cujus exempli sequax perrarò reperitur Monachus ex debito. Imitemur ergo Albinum pium adolescentem Domini, fugiendo tenebras Pharaonicas palpabiles: vertamusque noctem in diem, & post tenebras speremus lucem, carcere principis tenebrarum evaso. Recordemur squamarum Behemoth sedulo, quibus corpus ejus, se invicem prementibus, compactum redditur. Una enim conjungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas. Una alteri adhæret, & tenentes se nequaquam superantur. Cujus fortitudo in lumbis, cujus sunt nervi testiculorum perplexi: qui dormit sub umbra & secreto calami, & locis humentibus. Gaudemus tuam, Albine, correctam pueritiam ex hostis antiqui crudelitate, dum in bonum tuum malitiâ illius utitur Deus. Veneramur mentis in adolescentre puritatem atque constantissimam firmitatem magno in certamine: in quo duellionis spiritu sæpius agitata caro ossa in multis, quæ nequeunt in pace frui, quieta Domino custodiente in te manent illæsa. Meruisti Dominum Christum mentis tuæ habere hospitem, quo te protegente aiebas: In te eripiar, Domine, à tentatione, & in te transgrediar murum, qui posuisti immaculatam viam meam, brachiaque mea ut arcum æreum. Miles igitur iste videamus quibus ex adverso rursum laniari quæritur spiculis, in modumque exercitus Judæ Machabæi antiquis Patrum de victoriis armemur armis invictissimis.

* *f* concederet

Arcana cordis præceptori detegit.

Joh. 3. 20.

IV. Invidiam sociorum superat.

9. xiii Kal. Decemb. igitur amissione orbatus Patris Hechberti [b] Alchuinus, munere divino Elcbertum virum beatum & clarum loco amissi excepit, magistro per omnia similem. Cùm ergo non modò sapientiæ venustate, verùm aliis etiam pollens virtutibus socios præcederet, nulli secundus apparens; sensit multis in rebus suo de profectu invidiæ spiritu eorum corda turbari, in tantum ut eum claro nequaquam oculo adspicere, neque dulcibus verbis alloqui quirent. Sciscitans verò magistri super hac re consilium, hortatur beneficiis carbones ignis congerere super capita eorum. Audiens denique Patris saluberrimum consilium, non antè ab intentione rationis cessavit, considerans ne aliquod sibi contrarium ex ore ejus verbum audirent, eorum sæpius substernens se vestigiis injustè, licèt cùm ab eis argueretur, quàm evidentem Domino mentis sanitatem illis impetraret, adeo ut repentè mutati secundùm eum à magistro omnimodis habere gauderent: trahiturque regulus manu ablactati pueri de sua

[a] Nempe in Regula Monachorum præscribitur, cap. 8, ut Monachi malas cogitationes cordi suo advenientes Abbati non celent suo. Lege Elogium infrà num. 22.

[b] Lege poëmatium jam citatum de Episcopis Eboracensibus, in quo Egberto anni xxxiv episcopatus adsignantur, & Ælberti successoris præcipua facta referuntur. Egberti proinde obitus contigit anno dcc lxv, cùm Wilfrido succeſſerit anno dcc xxxii.

qua cubabat caverna, & blandi columbarum illic statuuntur amplexus. Magnæ sunt certè Sanctorum virtutes, per quas corpora sanantur, & non minoris admirationis ac venerationis æstimari debent, quibus medentur animæ. Hac autem insignitum virtute Albinum mira cum pietate veneremur, qui noluit absintium sæcularis litteratutæ nosse, Dei quatenus intraret in potentiam. Enimverò sprevit mundum in maligno positum, altior ut mundo factus jungeretur illi, excelsior qui est cælis factus. Legerat in Apostolo, quia prudentia carnis inimica est Deo: legi enim Dei non est subjecta. quam sequi si vellet illorum omnium generosissimus Albinus, pro talibus ausis non diu procrastinata vindicta eos percelleret. Jam autem lubricos adolescentiæ calles digno cum præconio transiliens, quasi sol in cæli arce media magno juventutis calore figitur. Jam quoque cum Moyse Ægyptiacâ doctus sapientiâ, cujus amputaverat crines & ungulas, montem, quo Deus videri posset, conscenderat, videratque virgam in colubrum, rursumque colubrum caudâ tactum in virgam versum, abyssumque novetat invocantem abyssum. Hærens illius vestigiis stat, qui supra montes evangelizat, adnuncians bona, quatenus speculatorum levatam posset audire vocem. Circ. An. DCCC IV. Maii XIX.

10. Legens igitur Johannis Evangelium ante magistrum unà suis cum condiscipulis, pervenit ad eam partem quam soli norunt mente comprehendere mundicordes, quæ est ab eo loco, quo ipse supra pectus Domini recubuisse se dicit, usquequo cum discipulis suis trans torrentem Cedron JESUM egressum fuisse recolit. Hac ergo evangelica cùm debriaretur lectione Albinus mystica, sedens ante magistri lectulum, subitò ejus spiritus in ecstasi ducitur: ac isdem, qui quondam sub solis radio ante sanctissimi Patris BENEDICTI, nunc ante hujus oculos, curte sive equarum sub uno parco omnis mundus collectus ostenditur. qui dum in hoc quod cernebat attentam oculorum figeret aciem, vidit totam per gyrum hanc clausuram quasi sanguine circumsæptam. Cumque hac teneretur visione miraculi, sui in eum oculos vertentes nimia cum admiratione condiscipuli, nempe qui nihil videbatur habere sanguinis, conantur quasi dormientem excitare: ad quorum sonitum oculos in Albinum beatus Elcbertus dirigens, eum diutius tacitè conspicit, dicens: Legite filii, & istum nolite excitare, paullulum ut somno indulgens efficaciùs me pòst audire queat tradentem. Jam verò ad seipsum Albino reverso, lectione accepta jubente Patre omnes egrediuntur foras, Albinum solùm retinens secum. Cui Pater isdem ait: Quid vidisti rogo ne me celes. Volens autem omnino secretum habere quod viderat, timens ne fortè elationis foveam incideret, respondit: Quid mi, domine Pater? Ad quem rursus vir beatus: Noli fili, noli occultare mihi. neque enim curiositate illud à te requiro vana, sed utilitate tua. Videns autem Albinus se celare non posse, humilitet quemadmodum mundum omnem viderat indicavit. Tunc Pater isdem dixit sibi: Vide, fili mi, vide ne præter uni quem post meum discessum fidelissimum habebis super tua persona, hoc indices vidisse. ipsi etiam interdicito, ut usque post tuum obitum secretum habeat. Cujus ille obtempetans consiliis, Sigulfo tantùm super se sua indicavit in vita. Qui igitur scire desiderat, quomodo una sub clausura totum mundum conspicere quiverit, ad Dialogorum sancti Gregorii recurrat librum. Interim tamen noverit, in visione mundi non cælum & terram fuisse contractum, sed videntis animum dilatatum: qui in Domino captus videre sine difficultate potuit omne quod infra Deum fuit. Fortassis etiam quæret aliquis studiosiùs, cur hac sub figura, curve circumdatum sanguine viderit. Noverit ille Christi sanguine totum sanctæ Ecclesiæ ovile circumdatum, ita ut à solis ortu usque ad occasum redemti de manu inimici ejus

Rapitur in ecstasin.

Greg. lib. 2. Dial. c. 35.

Circ. An. DCCC XV. Maii XIX.

passione, quæ tunc sine dubio ardentiùs Albini superfidebat animum, cùm hanc ante magistrum legeret, dicere possint: Confitemini Domino quoniam bonus, &c. Omnis ergo mundus sanguine Christi circumdatus una sub clausura cernitur, quando omnia quæcumque à sanctis Patribus significativè sunt gesta, & ab initio mundi scripta, sola Christi passione referantur, qui est Leo de tribu Juda, radix David. Si autem per clausuram gyratam, vitam carnalium suorum criminum circumdatam sanguine velit intelligi, qui ob hoc sit ei ostensa, ut ab eo calcata contemneretur; proprio relinquatur judicio.

V. Levita ordinatur.

11. Post hæc de virtute in virtutem succrescens, die Purificationis sanctæ MARIÆ Levita sacratur. Nam dudum eadem die comam capitis amiserat. Cùmque jam beatum Elbertum Patrem suum infirmitate prænuntiata celeriùs ad Christum transire nosset, qui cuncta, sicut suprà dictum est, cum ejus faciebat consilio; studuit illum diligenter sciscitari, quid postquam sola separarentur morte, ipsum vellet juberetque agere. Cui ut jam claret, Domini dedit responsum. Romam volo venias, indeque revertens visites Franciam. novi enim multùm te ibi facere fructum. Eritque Christus dux tui itineris, perducens ac gubernans te illuc advenam, sis ut expugnator nefandissimæ hæresis, hominem Christum quæ conabitur adoptivum [a] adstruere, & fidei sanctæ Trinitatis firmissimus defensor clarissimusque prædicator. Perseverabis ergo in terra peregrinationis, multorum illuminans animas. Benedicens autem illum Patrum suorum superiùs memoratorum benedictionibus, ac Christo JESU commendans servaret ut ipse eum, lætus sic Pater Elbertus Episcopus migravit ad Deum VI Idus [b] Novembris. Quem pius Albinus ut matrem deplorans lacrymis, nolebat tamen consolationem recipere. Levita verò sanctis benedictionibus Patrum hereditario ditatus jure, dedit curam magnopere talentum sui Domini multiplicare egregiè. Docuit multos in Britannia, & non paucos post in Francia. Quo in tempore sociatur illi vir Deo amabilis, animi carnisque nobilitate insignis, SIGULFUS Presbyter, custos Hebericæ civitatis ecclesiæ, perpetuò ut illi jam hæreret, qui suo cum avunculo AUTBERTO Presbytero puer partes has petierat, Romamque ecclesiasticum ordinem discendum ab eo ductus fuerat, necnon Mettas civitatem causâ cantûs directus. In quo cum nimia panis penuria aliquo desudavit tempore, ac multo cum fructu postquam suum transmisit avunculum sanctum virum ad Dominum, patriam repedaverat propriam. Hi ergo tantum se dilexere mutuò, ut cerneres Rebeccam Isaac, & Annam Tobiæ copulatam. Cumque jam omnipotens Deus Franciam spiritualibus divitiis, ut pridem terrenis, glorificare vellet, dans ei Regem secundùm cor suum, fide, fortitudine, ac amore sapientiæ, & corporis ineffabilis pulcritudine in his præclarissimum Carolum; monuit mentem Albini, consilium & jussionem sui Patris ut impleret.

(Margin: ab Ælberto futura sese discit. — Mortuo Ælberto venit in Franciam. [b] — Sigulfo comite,)

VI. In Romano itinere à Carolo invitatus in Franciam.

12. Jussus igitur ab EANBALDO Archiepiscopo successore Elberti, ut sibi pallium impetraret ab Apostolico, venit Romam. Cumque reverteretur accepto pallio, habuit Regem Carolum Parma [c] civitate obvium. Quem magnis Rex alloquens suasionibus & precibus postulavit, ut ad se post expletionem missatici in Franciam reverteretur. Noverat enim

[a] Huc spectant ipsius Alcuini verba inferiùs referenda in Elogii num. 58.

[b] Consentit jam citatus anonymus Poeta, dum ait Ælbertum, utique præceptorem suum, obiisse *octavo sub sole Novembris*, anno quarto-decimo episcopatus, postquam annos quatuor vixerat in solitudine. Mors ejus proinde contigit anno Christi DCCLXXIX.

[c] Forsan anno DCCLXXX, quo Carolus Ticini hiemavit. Certè Thomas Stubbesius ait, Eanbaldum seniorem (nam Eanbaldus alter Alcuini discipulus ei successit) ordinatum fuisse anno DCCLXXX.

eum,

eum, quia olim à Magistro suo ad ipsum directus fuerat. Fecit autem Alchuinus, aliorum deservire cupiens profectui, ut sibi rogaret cum auctoritate Regis sui proprii & Archiepiscopi, eo tantùm jure, ut iterum ad eos reverteretur: pervenitque, Christo ducatum præbente, ad Regem Carolum. quem tenens Rex loco patris amplectitur, à quo artes introductus in liberales, refrigerari paullulum noverat, sed exsaturari ob fervorem satis nimium nequibat. Tempore verò aliquanto cum eo peracto, dedit illi duo Monasteria, Bethleem scilicet, quod altero nomine Ferrarias [a] vocatur, & sancti Lupi apud Treeas. At denique Albinus nolens sine auctoritate Regis sui & Episcopi proptium deserere locum, quo educatus quoque capitis comam amiserat, ac in Levitam consecratus fuerat: postulavit magnum Regem, ut daret ei licentiam remeandi in patriam. Quem Carolus voce blandientis alloquitur: Sunt nobis, Magister eximie, terrenæ divitiæ sufficienter, quibus te ut patrem honorare gaudemus. tuis nos oramus diu desideratis, & vix aliquando inventis, tua cum pietatis merce inlustrati. Cui Albinus: Domine mi Rex, tuæ non dispono voluntati tenuere, auctoritate Canonum firmata cùm fuerit. Libenter etiam paterna in regione mea non modica hereditate ditatus, hac spreta tibi ut prodesse possim, hic pauper stare delector. tuum est tantùm hoc à meo Rege & Episcopo impetrare. Tandem igitur ratione victus, consentit ut iret: requiem non dans animis jam secundò ad eum reverso firmiter impetraret, secum perpetuò ut duraret. Evoluto verò non parvo tempore postquam Albinus secundò ad Carolum reversus est, sancti Martini apud Turones præficitur Pastor Monasterii isdem: qui dignè Deo istud cum aliis regens Monasteriis, vitam subjectorum, quantum valuit, corrigere studuit: ac quos indomitos accepit, rationabiles honestisque moribus ut essent & sapientiæ inquisitores, sategit.

Monasteriis duobus præficitur,

tum Martiniano.

13. Interea hæresis inimica Deo, partibus quæ pullulabat Hispaniæ, adserens adoptivum filium Dei esse secundùm carnem, ad aures perducitur Caroli. Quòd ut experimento novit Rex Magnus & per omnia Catholicus, totis nisibus decertavit, ut destrueretur semen diaboli, zizaniaque de frumento Dei funditus eradicarentur. Advocans namque Albinum institutorem suum Turonis, & miserum Felicem hæresis hujus adstructorem de Hispaniæ partibus, congregavit Synodum magnam Episcoporum in Aquisgrani imperiali palatio: in quorum ipse sedens medio, Felicem, licèt valde repugnantem, de natura Filii Dei secundùm carnem cum Albino doctissimo disputando rationabiliter confligere jussit. Tum quantum Episcoporum tunc exstitit silentium! ô quàm clara & inexpugnabilis Caroli cum auctoritate magistri sui fidei confessio atque defensio! Per plura autem Felix fugiens latibula, plurioribus ab Albino confossus est spiculis, in tantum ut pæne omnes civitates Israel consummaret, quousque Filius hominis veniret. Nam à secunda usque ad septimam sabbati parvum aliud gestum est. Omnibus denique ejus patefactâ socordiâ, atque ab universis apostolica auctoritate hæresi confutata, soli sibi latuit deformitet, usque dum dicta Cyrilli Martyris ab Albino sibi directa legit lamentabiliter. Ea natura, quæ per diabolum vitiata est, super Angelos exaltata est propter triumphum Christi, atque ad dexteram Patris collecta. Hanc ergo legens sententiam, tandem se recognovisse, & impiè egisse voce & nimio fletu testatus est. Sed quòd ad aliud tendens pauca super hac re prælibavi, qui perfectiùs hanc scire sitit, legat ejus

VII. Felicem hæreticum refutat Aquisgrani.

[a] De Monasterio Ferrariensi dicendum infrà ad Vitam sancti Aldrici. Sancti Lupi Cœnobium in suburbio Tricassino, quod ab annis quingentis pertinet ad Canonicos regulares sancti Augustini, olim erat Monachorum: cui præfuere sæculo secundo Teudecarius & Leo Abbates in Vita sancti Frodoberti Abbatis memorati num. 18. & 21. De hoc Monasterio sancti Lupi agere videtur Alcuinus in epistola 56.

Circ. An. DCCC XV. Maii XIX. epiſtolas ad Felicem & Elipantum, & ipſorum ad illum: & noſſe incunctanter poterit quod deſiderat. Largiente Chriſto hactenus paullulum de vitæ Albini initio, quæ cunctis non eſſe cognita putavi, non ut volui, ſed fideliter quemadmodum potui ſcripſi. Hinc jam calamum labris quaſſatum (neque enim judicavi, noverunt quæ ſuper eo cuncti, parvo iſti inſerere operi) ad finem ejus deſpicatè, crepitando licèt, pertrahere conabor.

VIII. Optat ſeceſſum Fuldam. 14. Cùm igitur ſenectute unaque infirmitate plus ſolito ſe ſentiret affectum, diu ut ſecum tractaverat, velle ſe ſignificavit Regi Carolo ſæculum [a] relinquere, poſtulans licentiam apud ſanctum Bonifacium monaſticam vitam ſecundùm Regulam ſancti BENEDICTI ducere, Monaſteriaque ſibi commiſſa ſuos ut inter diſcipulos divideret, ſi fieri poſſet. Sed Rex terribilis & pius, unum cum omni poſtulationis affectu denegavit: alterum libenter audivit, flagitans quietiſſimus Turonis æquè honorificentiſſimè ut reſideret, ſibique & omni ſanctæ Eccleſiæ commiſſæ non detrectaret. Onera verò ſæculi quæ ipſe habuerat, diſcipulis ut petierat libentiſſimè diſpertiit. Fecit ergo & ipſe Albinus ut Rex ſapientiſſimus rogaverat, non quærens quod ſibi foret utile, ſed quod multis; ac Turonis diem noviſſimum præſtolatus fuit. Vita denique ejus non monaſticæ inferior fuit. Nam qualis in Patribus ſuperiùs nominatis præceſſerat, talis & in illo durabat; in jejuniis ſcilicet, in orationibus, in carnis mortificatione, in eleemoſynis, in pſalmorum & Miſſarum multa celebratione, & in aliis virtutibus, quibus poſſibile eſt humanam ornari naturam. Præter enim dies Reſurrectionis ac feſtivitatis, jejunium protelabat in veſperum, parcens cibo quo ampliùs delectabatur. Quocirca tantam ſæpiſſime ori ſuo cælitus datam gaudebat habere dulcedinem, quantam nequit humanus ſermo fari. Tunc verò quidquid volebat, labore ſine ullo velociſſimè dictitare quibat, ita ut dicere poſſet: Dilexi, Domine, mandata tua ſuper aurum & topazium. Quàm dulcia ſunt faucibus meis eloquia tua! ſuper mel & favum ori meo. Juvenis qui pſalmorum modulationem ſpreverat non tantum, quantum aliam lectionem amaverat, modò jam ſenex nullatenus eorum decantatione ſaturari poterat. Secretiſſimam orationem ſemper in die, ſicut ſuprà de Magiſtro ejus taxatum eſt, cum manuum diutina crucis extenſione, eodem modo multis cum gemitibus (nam lacrymas perrarò habere poterat) fundebat. Diſcipulis ſimiliter tradebat, quorum nobiliſſimus SIGULFUS erat Vetulus, magnanimuſque WITHSO: poſt hos FREDEGISUS & ejus ſocii. At tempore jam ultimo hærebant ei aſſiduo RAGANARDUS, WALDRAMNUS, qui adhuc ſuperſunt: ADALBERTUS quoque beatæ memoriæ, quanrum poterat, Sigulfi tunc filius, pòſt autem venerandus Pater, & multi alii: quorum omnium utinam noverit Chriſtus nomina. Hi verò omni ſe circumſpectione prævidentes, ſtudebant ſollicitè, ne quid coram eo reprehenſionis agerent; multoties etiam & abſque eo. Noverant enim eum vinctum eſſe Deo, Spirituque ejus illuſtratum; licèt corporalibus oculis, ſenectute atque infirmitate reſiſtente, jam clarè videre nequiret; ac ideo timebant actus ſuos eum latere non poſſe.

Turonis retinetur, degitque religioſè.

Diſcipuli ejus.

Cælitus diſcit Oſulfi lapſum. 15. Spiritu ſiquidem repletus prophetiæ [b], quibuſdam quæ eis eſſent ventura prædixit, ſicuti fecit Raganardo de Oſulfo. Nam iſdem Raganardus quamdam horribilem ſopori deditus videns viſionem, quam bonum eſt ſilere, eidem Patri ſequenti die eum pavore retulit, timens ne

[a] Lege hac de re Elogium infrà num. 60 & 61.

[b] Willelmus Malmeſburienſis Monachus in prologo libri tertii de geſtis Pontificum Anglorum huc trahit Alcuini epiſtolam ad Regem Ethelardum, cui ex pluvia ſanguinis quæ in Eboraca civitate fluxerat, excidium patriæ prædixit Alcuinus.

de se ageretur. At ipse Pater magno cum dolore respondit: O Osulfe [a], tu miser, quoties te monui, quoties corripui? Multum denique laborem in avunculum tuum habui, ut se corrigeret, & viam mandatorum Dei operari cœpisset; prædixique ei, quia nisi fecisset priusquam de sæculo migraret, plagâ lepræ percuteretur. sicque factum est. Prædico ergo & tibi, fili mi, de Osulfo, super quo est hæc visio, quoniam neque in hac regione, neque in qua natus est, morietur. quod postea probavit eventus: mortuus est enim in Langobardia. Isdem quoque Raganardus tentavit se nimiis vigiliis & abstinentiæ nimia superfluitate, ignorantibus omnibus, affligere, ita ut pro hac intemperantia gravissimæ succumberet febri. ad quem visitandum Pater veniens Albinus, jubet omnes præter Sigulfum exire de domo ejus, quem increpans ait: Cur sine cujusquam consilio tam intemperanter agere tentasti? Nam ego considerans te velle hoc agere, in domo in qua dormio, te quoque dormire jussi. tu verò statim ut omnes dormite noveras, candelam latenter accendens in laterna celabas, ac ad locum illum pergens tota nocte vigilabas: & quidquid occultè ibi faciebas, noverat quod Deus solus. Et ipse ei indicavit, addens: Quando mecum quoque ad mandatum pergebas, & te vinum bibere jubebam, arte callidissima dicebas: Bibi, domine Pater, meo cum avunculo sufficienter. Cùm autem ad tuum venires avunculum, & ipse quoque hoc te juberet, aiebas mecum te bibisse. Voluisti nos deludere, & deceptus es. Cave ergo ista postquam surrexeris de febre, ne tale aliquid indiscretè umquam coneris agere.

Circ. Ann. DCCC XV. Maii XIX.

Raganardi nimiam austeritatem.

16. Audiens igitur ista Raganardus ab ipso, qui vocabatur Vetulus, erubuit, multumque expavit, sciens se deprehensum, suaque occulta latere Albinum non posse, admirans dicebat: Quomodo palam istud factum est? Testatur hodieque ipse coram Deo nullum eognovisse hominem, hoc antea homine revelante, præter solum Deum. Pœnitens denique quod egerat stultè, per omne pòst tempus vitæ Albini nihil tale sine illius egit consilio atque imperio. IX.

17. Sæpissime etiam ad eum Missi venientes Regis, aliorumque amicorum, cùm adhuc ab eo longè essent, eorum prædicebat adventum, causamque adventus, quid quoque adferrent, quidve secum vehere quærerent. Audientes autem ista discipuli quidam, usque dum probarent, senectutem ejus quasi desipientem culpabant. Vir quoque BENEDICTUS [b] ei præ omnibus Monachis familiaritate junctus, ad eum gratiâ consilii salutis suæ & suorum accipiendi sæpius Gothiæ de partibus properabat. Quadam verò vice voluit taliter venire, nemo ut hoc agnosceret, Turonis, quousque ad ostium adsisteret domûs Albini. Cumque adhuc haud propè esset, vocans Albinus unum suorum, ait: Festina occurrere Benedicto Abbati in loco tali, & dic ei velociter ad me perveniat. Fecit missus Patris Albini ut sibi præceptum fuerat; pervenitque pòst triduum ubi ei dixerat, & Benedictum reperit, eique quod sibi jussum fuerat nuntiavit. Stupens autem suum deprehensum conatum, cum velocitate pervenit Turonis ad eum. Cumque se alterutrum tripudiantes deoscularentur, infit Benedictus Pater reverendus suppliciter: Domine Pater, quis meum vobis prædixit adventum? Respondit ei: Nullus homo verbis mihi innotuit. Cui isdem: Quistum, domine? forsitàn litteris cujusquam audistis? At ille: Verè, inquit, nullis. Ad quem vir isdem rursum: Si neque ab homine ullo dicente, neque litteris cujusquam præscistis, precor, mi Pater, quonam

Benedicti adventum.

[a] De istius Osulfi lapsu explicanda videtur Alcuini epistola 101, inscripta *filio prodigo*. & epistola 114. Theodulfus de eo agit in lib. 3. carmine 1. De aliis Alcuini discipulis infrà in Elogio.

[b] Is est Benedictus Anianæ Abbas, cui Alcuinus dedicavit libros septem contra Elipandum. Lege ejus Vitam infrà ad annum DCCC XXI, in qua de mutua utriusque necessitudine agitur num. 36.

Chr. c. An. decc xv. Mait xix. modo illud noveriris edicite. Cni Albinus: Noli ampliùs hoc me interrogare. Cùm verò venerabilis vir Benedictus jam reverti vellet, petiit eum ur quemadmodum speciali oratione pro se orabat, ei panderet. At ipse air: „ Hoc namque Christum rogo. Domine, da mihi intelligere peccata mea, & „ veram confessionem facere, & dignam pœnitentiam agere, & da mihi re„ missionem peccatorum meorum. Cui vir Deo dignus Benedictus ait: Ad„ damus, mi Pater, huic orarioni unum sermonem: & post remissionem sal„ va me. At Albinus gaudens, dixit: Fiat, reverenrissime fili, fiat. Iterum autem vir idem flagitabat, ut sibi diceret, quando crucem videns se contra eam inclinabat, quæ verba labris silenter depromeret. Ille verò hoc in„ quit: Tuam crucem adoramus, Domine; tuam gloriosam recolimus passio„ nem; miserere nostri, qui passus es pro nobis. Post hæc deducens eum aliquanrulum, remisit gaudenrem Albinus ad sua suosque.

Xi Ludovici principatum. 18. Rex siquidem magnus Imperatorque jam CAROLUS potens, orationis gratiâ, unaque desideratæ conlocutionis mutuæ cum Albino, sepulcrum sancti Martini suis cum filiis CAROLO, PIPPINO, ac LUDOVICO visitare studuit. quo in loco tenens manum Albini, ait secretè: Domino Magister, quem de his filiis meis videtur tibi in isto bonore, quem indigno quamquam dedit mihi Deus, habere me successorem? Ar ille vultum in Ludovicum dirigens, novissimum illorum, sed humilitate clarissimum, ob quam à multis despicabilis notabatur, ait: Habebis Ludovicum homilem successorem eximium. Hoc tunc solus audivit Carolus. Sed cùm eosdem Reges erecta cervice, & Ludovicum humili post orationis gratiâ in ecclesiam sancti Stephani incedere cerneret, sedens in loco quo sepeliri volebat, infit sibi adsistentibus: Cernitis Ludovicum fratribus suis humiliorem? certè videbitis hunc patris celsissimum socceesorem. Necnon cùm post communionem corporis Christi & sanguinis manu propria eis miscerer, isdem Ludovicus humilitate clarissimus præ omnibos Patri sancto se inclinans, ejus osculatus est manum. Tunc vir Domini adsistenti sibi ait Sigulfo: Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se bumiliat exaltabitur. certè istum post patrem Francia gaudebit habere Imperatorem. Hoc nos jam factum & videmus & gaudemos, Depositi sunt qui videbantur cedri; & exaltata est oliva fructificans in domo Domini. Ipse denique Pater Carolum multâ erudiens * curâ artibus liberalibus scripturisque divinis; adeo ut sapienrissimus omnium Francorum efficeretur Regum, qui fuerunt ab adventu Christi. Docuit etiam eum per omne vitæ suæ tempus quos psalmos pœnitentiæ cum letania & orarionibus precibusque, quos ad orationem specialem faciendam, quos in laude Dei, quos quoque pro quacumque tribulatione, quémque etiam ut se in divinis exerceret laudibus decantaret. Quod nosse qui vult, legat libellum ejus ad eumdem de ratione ª orationis.

*l. erudivit

Virgilium suis discipulis interdicit. 19. Legerat isdem vir Domini libros juvenis antiquorum Philosophorum, Virgiliique mendacia, quæ nolebat jam ipse nec audire, neque discipulos suos legere. Sufficiunt, inquiens, divini Poëtæ vobis, nec egetis luxuriosâ sermonis Virgilii vos pollui facundiâ. Contra quod præceptum tentavit Sigulfus Vetulus secretè agere, unde pòst erubuit publicè. Advocans namque suos, qoos tunc filios nutriebat, ADALBERTUM & ALDRICUM, jussit coram se secretissimè Virgilium legere, interdicens eis, ne quis ullo modo sciret, ne fortè ad Patris Albini notitiam perveniretur. Albinus autem solito more ad se vocans, ait: Unde te habemus, Virgiliane? cur cœpisti ac voluisti contra meam voluntatem & consilium me ignorante agere, ut Virgilium legeres? Sigulfus verò se ad pedes ejus projiciens, stultissimè se egisse confessus, humiliter pœnituit. Cujus satisfa-

ª Hic est (ut puto) liber de psalmorum usu, qui in editis exstat.

ctionem benignè pius Pater post increpationem recepit, monens eum ne ultrà tale aliquid ageret. Testatur vir Deo dignus adhuc superstes Aldricus [a] Abbas, nec se, nec Adalbertum cuiquam hoc innotuisse, sed usque tunc, sicut eis præceptum fuerat, omnimodis siluisse. Circ. An. DCCC XV. Mai XIX.

XI. Vini fraudem cælitus novit,

20. Fratribus Cormaricensibus, quos valde diligebat, jusserat ipse Pater centum modia vini dari. Cumque ad Monasterium ducerentur, mandavit per SIGULFUM Benedicti Abbatis Monachum provisoribus Monasterii, ut tenerent interim ductores vini, quousque coram eis de vasculis, in quibus ipsum vinum adduxerant, in alia mutaretur: quia aliqui ex eis inde furtivè sumentes, in vascula, quatenus plena essent cùm ad Monasterium pervenirent, sabulum aquæ miscuerant. quod ita factum Fratres certissimè probarunt.

& auctores convicii cujusdam.

21. AIGULFUS præterea Presbyter Engelsaxo, & ipse ad eumdem Patrem visitandum Turonis venit. Cumque ante januam ejus domus cœpisset adsistere, ecce quidam Turonensium Fratrum simul, videlicet quatuor juncti, hunc respicientes, putantesque nihil eum illorum de locutione scire, colloquebantur ad invicem: Venit iste Britto vel Scotto ad illum alterum Brittonem qui intus jacet. ô Deus, libera istud Monasterium de istis Brittonibus. nam sicut apes undique ad matrem revertuntur, ita hi omnes ad istum veniunt. Ingressus est autem isdem Presbyter domum Albini: post nonnulla alia retulit ei quæ audierat. Cui Albinus: Nosti, inquit, qui sunt? At ille: Verè neque novi, neque eos respicere præ verecundia quivi, quando ista dicebant. Pater verò Albinus ait: Certè ego novi qui sunt. Vocans ergo eos ipse propriis nominibus, ad se venire jubet, dicens: Isti sunt. Condolens itaque eorum stultitiæ, pepercit eis dicens: Parcat illis Christus Filius Dei. Dans autem eis singulos vini calices bibere, iterum foras leniter exire jubet. Aigulfus verò postea id diligentissimè per alios sciscitans, eosdem fuisse probavit.

Incendium restinguit.

22. Neque illud silentio prætereundum ratus sum quod multi noverunt. Custos denique sepulcri sancti Martini, providebat qui ceram & vestimenta omnia quæ ad ipsam basilicam pertinebant, intrans cum candela accensa Secretarium, quo ista servabantur, infixit eamdem stipiti: quam cùm egrederetur oblitus est accipere. Firmans itaque ostium serâ abiit: candela verò ardens cecidit super ceram. Cera quoque magnas dans flammas ad vestimenta, quæ perticis hærebant, multa cum vi ignem emisit, vestimenta porro usque ad tectum. Quod custos sentiens, eum clavi statim ad aliud [b] Monasterium fugit. Fit undique concursus, pulsatur ostium, nec ullo aperitur sudore. Clerici pretiosum quicumque aliquid in domo suo habebant, foras mittebant. Ecclesia sancti Martini vestimentis quibusdam nudabatur: nec aliud quisquam sperare poterat, quàm totius Monasterii concremationem; nudabatur plumbo tectum. Aderat Albinus oculis jam non videns. Interrogat ergo quid agatur. Cui unus discipulorum suorum vetulus; Perge, inquit, hinc, mi domine Pater, ne fortè aut plumbo superiùs projecto usque ad mortem pereutiaris, aut igne cremeris. certum enim interitum manet. Cumque Albinus voluisset ire, iterum ad eum vetulus; Mi, inquit, domine Pater, vade ad sepulcrum domni Martini, & pro nobis intercede. Fecit itaque ita Albinus. Cumque illuc pervenisset, extendit se super terram in cruce gemitum emittens ad cælum. Miro igitur modo ac incredibili, statim ut Al-

[a] Nimirùm Ferrariensis, postea Senonensis Antistes, cujus Vitam dabimus infrà, successorem sortitus Adalbertum hîc laudatum. Hinc patet Vitam hanc scriptam esse ante annum DCCCXXIX, quo Aldricus ex Abbate factus est Episcopus Senonensis.

[b] Ergone duplex ibi erat Monasterium? an verò fugit in aliud vicinum? Existimem potiùs in aliam basilicam. nam & basilicæ Monasteria non rarò vocabantur, & duæ minimùm, erant ecclesiæ in Monasterio Martiniano.

Circ. An. DCCC XV. Matt. XIX. binus se projecit in terram, totus ille ignis ita exstinctus est, ac si immenso necaretur fluvio. Hoc cernentes Clerici, magno cum stupore exsultantes ad locum illum festinatò perveniunt, ubi Albinus ante sepulcrum sancti Martini prostratus in cruce, pro eis jacens Deum precabatur. Elevantes autem eum humo, benedicunt Deum, qui per Albini preces totam fabricam Monasterii sancti Martini igne ne consumeretur salvavit. Hæc tua sunt, sancte Martine, digna exempla, qui ignes quondam cùm quæreres fugere, non poteras; ad Deum conversus oratione, ignes illos exstinxisti minaces. Verè celsa fides, quæ suo calore igneos potuit exstinguere globos. Nec mirum si elementa precibus ac jussis Albini propriam vim linquant, cùm ipse in corde requiescat ejus, qui diligentem se diligit, ambulantesque in igne flamma non permittit fuscari. Te in his adoramus, te glorificamus, teque laudamus, qui dignatus es sicut polliceri servis tuis tua servantibus mandata, operibus etiam in Albino tuo ostendisti evidentissimè. Tu quidem dixisti, Christe JESU: Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam; videlicet ut glorificetur Pater in Filio.

XII. Infirmos sanat. 23. Illud quoque ad laudem Domini commemorandum est, quòd multi sæpius ad Albinum venientes infirmi, benedictione ejus cùm fide acceptâ sospitatem recepêre corpoream. Quodam etiam tempore, fertur ut à nonnullis præcipuis, quidam pauper oculorum lumen gravi habens obductum caligine, ad januam exterioris domus veniens Albini, flagitabat dari sibi aquam, ejus qua loti forent oculi. Aiebat enim revelatum illi fuisse, quod si ex ea oculos suos ablueret, visum reciperet. Ignorante ergo Albino colligitur aqua, qua faciem & oculos laverat, daturque occulte poscenti pauperi. Lavans igitur pauper ille aquâ illâ oculos cum plena fide, caliginem fugavit, ac clarum lumen recepit. Inlustramur & nos tuo, Pater, sudore, lavanturque tuâ piâ doctrinâ animarum nostrarum crimina. Nesciente te ultrà jam fatigari labore oculorum, tu quoque corporali visu minimè cernebas, & aliorum semper inluminare satagebas: quosque præsentialiter non poteras, litteris absentaliter erudiebas, scribens multa omni Ecclesiæ utilia.

Opera quæ scripserit. 24. Postulante namque Imperatore CAROLO scripsit librum de sancta Trinitate utilissimum, necnon de Rhetorica, Dialectica & Musica. Scripsit ad Gundradam [a] de animæ ratione. Postulantibus feminis GISLA & RICHTRUDE, honestissimè super Evangelium Johannis partim de suo, partim de sancto Augustino mirabile opus composuit. Scripsit & in quatuor Epistolas Pauli, ad Ephesios scilicet, ad Titum, ad Philemonem, & ad Hebræos; ad FREDEGISUM [b] in Psalmis; ad WIDONEM Comitem Homelias de principalibus vitiis & virtutibus; ad SIGULFUM suum quæstiones in Genesi petutiles; in Proverbiis Salomonis, & Ecclesiaste, in Canticisque canticorum luculenta sub brevitate ineffabiliter; sub nominibus Franci & Saxonis de Grammatica cum interrogatione & responsione facundissimum libellum composuit. Collegit multis de Patrum operibus Homeliarum duo volumina. Scripsit de Orthographia. In centesimo quoque octavo-decimo psalmo stilo usus est aureo. Sunt & alia multa, quæ quisquis legerit, & diligenter scrutatus fuerit, non modicam sui ædificationem reperiet, sicut in epistolis ad multos directis. In his ergo & hujusmodi reliquum vitæ suæ ducens tempus, cælestem in terris duxit vitam. Præstolans in novissima positus vigilia Filii hominis adventum, intraret ut cum eo ad nuptias, lavabat singulas per noctes lectum suum lacrymis, Sanctorum semper se muniens intercessionibus, quorum omni die celebrabat

a Immo ad Eulaliam, ut habetur in editis. nisi si binominis erat Eulalia, pro more illius temporis.
b Forsan rectiùs ad ARNONEM Salzburgensem Pontificem, cujus nomen præfert Alcuini præfatio in septem psalmos pænitentiales in Spicilegii tomo 9. De scriptis Alcuini infrà.

sollemnia, hostis ne ullis antiqui confoderetur jaculis, qui nequaquam ejus irrumpere domum tam occultè poterat, ut ab ipso repentè non deprehenderetur, crucisque signo pelleretur. Circ. An. DCCC XV. Mai X X.

25. Quadam igitur nocte solitò orationem cum psalmorum decantatione volens secretim fundere, aggravatur immenso somno. Surgens verò è lectulo, tulit cappam [a] desuper se. Cumque iterum aggravaretur somno, exspoliavit se omnibus vestimentis præter solâ camisiâ & femoralibus. Nihilominùs verò perseverante somno, accepit thuribulum; & pergens ad locum, quo erat ignis tutatus, implevit prunis illud, ac desuper thymiama posuit, totamque cameram odore suavi perfudit. Qua in hora corporali se specie diabolus præbuit ei visibilem; homo quasi magnus, nigerrimus ac deformis, barbatusque, blasphemiæ in eum aggetens jacula. Quid, inquit, hypocrita agis Alchuine? Cur coram hominibus justum te videri conaris, cùm deceptor sis magnusque simulator? Tu putas his tuis flexionibus acceptabilem posse te habere Christum? Sed miles Christi ineluctabilis stans cum David in turre, quæ est ordinata omni armatura fortium, & mille pendentibus clypeis, cælesti dicebat voce: Dominus lux mea & salutare meum, quem timebo? ipse fortitudo vitæ meæ, quem formidabo? intellige, Domine, murmur meum, adverte vocem clamoris mei, Rex meus & Deus meus: quia te deprecor, Domine. Mane audies vocem meam, mane præparabor ad te, & contemplabor, surgens medio noctis ad confitendum tibi. Applicant mihi mendacium superbi. ego autem in toto corde scrutabor præcepta tua. Fiat cor meum perfectum in præceptis tuis, & confundantur qui iniquè conterunt me, dum non confundar ego, quando adspiraverit dies, & fuerint inclinatæ umbræ. Fugatus denique hostis, & ipse completa oratione quiescit. Hac in hora unus solummodo discipulorum ejus, WALDRAMNUS nomine, adhuc vivens, vigilabat, occultè cernens hæc omnia, testis scilicet hujus rei quæ fieret.

XIII. In so[…] diabol[…] vider[…] tantem

26. Utebatur isdem Pater, Apostoli juxta consilium, non propter gulæ desiderium, sed propter carnis infirmitatem, vino modico. Fugiebat modis omnibus otiositatem. Namaut legebat, aut scribebat, aut discipulos erudiebat, aut orationi vacabat, & psalmorum decantationi, inevitabilibus tantummodo corporis indulgens necessitatibus. Erat pauperum pater, humilibus humilior, divitum ad pietatem invitator, superbis superior, discretor quoque omnium egregiusque liberator. Celebrabat omni die Missarum sollemnia multa cum honestatis diligentia, habens singulis hebdomadæ diebus Missas deputatas proprias. Dominica porro die, nullo umquam tempore, postquam lux inchoasset apparere auroræ, se tradebat sopori: sed velociter levitieè se præparans, suo cum Sigulfo Presbytero Missarum colebat sollemnia specialium usque horam tertiam: & tunc nimia cùm reverentia publicam intrabat ad Missam. Discipuli verò ejus aliis solliciti cùm in locis essent, maximè ad opus Dei cùm adsisterent, studebant ne quid reprehensionis in eis ab illo cerneretur. Exercitia ejus.

27. Jam ergo Albinus corpore dissolvi cupiens, & cum Christo esse desiderans, exorabat eum votis omnibus, ut die quo in linguis igneis Spiritus-sanctus super Apostolos venisse visus est, & eorum corda replevit, si fieri posset, migraret è mundo. Vespertinum siquidem pro se agens officium in loco, quo elegerat post obitum quiescere, juxta videlicet eccle-

XIV. Optat mori die Pentecostes.

[a] Alcuinus cuidam Sorori seu Sanctimoniali ob cappam sibi transmissam gratias agit epistola 60. Varius est cappæ significatus. In epistola Theodemari Abbatis Casinensis ad Carolum Magnum, *propriè Monachorum designat habitum*, & in Chronici Fontanellensis cap. 10. secus in Regula solitariorum cap. 49. *Si Monachi sunt*, inquit Grimlaicus auctor, *duas tunicas & duas cucullas* habeant solitarii. *Si verò nondum adsumserunt propositum monachale, cucullas non induant, sed cappas.* Quamquam cappa, capitis tegumentum, etiam religiosum habitum signat hoc loco; clericalem verò in Concilii Troslejani cap. 6, & apud Ordericum Vitalem lib. 8 pag. 711.

CIRC. AN. DCCC XV. MAII XIX. ad mortem se disponit, siam sancti Martini, hymnum sanctæ Mariæ evangelicum cum hac antiphona decantabat: *O clavis David, & sceptrum domus Israël, qui aperis & nemo claudit, claudis & nemo aperit; veni, & educ vinctum de domo carceris, sedentem in tenebris & umbra mortis.* dicens post orationem dominicam hos versus: *Quemadmodum cervus desiderat ad fontes aquarum*, &c. *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! Beati qui habitant in domo tua*, &c. *Ad te levavi oculos meos. Unam petii à Domino. Ad te, Domine, levavi animam meam*, & reliqua hujusmodi.

In Quadragesima. 28. Quadragesimæ igitur tempus, sicut semper consueverat, dignissimè omni cum conrritione carnis & spiritus mundarioneque habitus celebrans, sanctorum basilicas, quæ sunt intra sancti Martini Monasterium, cunctis noctibus frequentabat, lavans se à suis multis gemitibus. Cùm verò Resurrectionis Domini peragererur sollemnitas, nocte ejus Adscensionis decidit in lectum, gravi fatigatus languore usque ad mortem, nec poterat loqui. Tertia tandem antequam migraret die, soliram exsultationis voce decantavit antiphonam, *O clavis David*, versusque superiùs memoraros reciravit. Die aurem Pentecostes, peracto matutinali officio, eadem horâ qua ingredi consueverat ad Missas, aurora patente, sancta Albini anima carne solvitur, ministerioque Levitarum cælestium beatum habentium secum proromartyrem Stephanum & Laurentium Archidiaconum, Angelorum cum exercitu ad Christum, quem amavit, quem quæsivit, perducitur; & fruitur ejus gloria in cælo per omnia sæcula feliciter, cui servivit in mundo fideliter.

Obit die Pentecostes,

XV. anno 804. splendore apparente. 29. Discessit igirur dierum plenus numero XIIII Kal. Junii, anno ab Incarnatione Domini[a] DCCCIIII. Eadem verò nocte super ecclesiam sancti Marrini inæstimabilis visa est splendoris claritas, in tantum ut putarerur à longè positis tota igne cremari. Quibusdam denique per totam illam noctem ipse splendor visus est, nonnullis tribus apparuit vicibus. Aurora autem surgenre globus ille jam amplissimus super eum venisse locum visus est, quo Albinus jacebat, animaque ejus egredienre cælum penetrasse. Testatus est siquidem JOSEPH Archiepiscopus, per totam noctem ab eo & à suis visum fuisse. testantur multi & nunc corpore valentes. Pluribus siquidem non ea nocte, sed præterita, Dominica prima scilicet post Adscensionem Domini, ipsa clariras eodem, ut dictum est, modò apparuit.

Mors ejus Fremitæ Italo innotescit. 30. Eadem quoque horâ cuidam solitario in Italia posito cælestium Levitarum ostensus est exercirus, laudes Christo ineffabiles in aëre resonans: in quorum medio Alchuinus splendidissimâ indutus dalmaticâ adstans, cælum cum eis ingressus, Ponrifici æterno ut ministraret cum perenni gaudio. quod isdem solitarius Fratri cuidam Turonensi Apostolorum soliro frequentare limina ad se venienti eodem Pentecostes die indicavit. Inrerrogans namque eum ait: Quis est ille Abbas, qui apud Turones in Monasterio sancti Marrini conversatus est? quo vocatur nomine? vel si valebat, quando inde exiiti, corpore? Ad quem Frarer ille: Vocatur Alchuinus, estque Magister optimus in tora Francia. Quando huc iter arripui, sanum eum reliqui. Respondens verò solitarius ille, ait cum lacrymis: Verè felicissima fruitur sanirate. Indicavit ei quid eodem die viderat aurora clarescente. Ipse autem Frarer reversus Turonis, quæ audierat retulir.

Sigulfus liberatur dolore capitis, 31. Parer denique Signlfus corpus Patris cum quibusdam aquâ honorificè lavans, posuit super feretrum. Habebat nempe & ipse tunc magnum dolorem capitis: sed fide animo sanus, etiam reperit sanitatem capitis

a Certè hoc anno dies Pentecostes convenit in XIV Kal. Junii. Et tamen ultra hunc annum superfuisse Alcuinum quædam mihi argumenta persuadent, inferiùs in Elogio referenda.

pitis. Oculos namque super magistri lectulum elevans, cernit pecten, quo ipse suum solebat pectinare caput. Istum ergo manibus sumens, ait: Credo, Domine JESU, quia si isto magistri mei pectine meum pectinavero caput, meritis illius statim sanabitur. Ubi igitur primà vice pectèn duxit per caput, quantum de eo tetigit, totum sanum habuit; sicque totum pectinando gyrans, omnem dolorem amisit. Alter discipulorum ejus EANGIST nomine, dentium immenso graviter afflictus dolore, hortatu Patris Sigulfi eodem pectine dentes tetigit: & continuò, quoniam cum fide fecit, sanitatem meritis Alchuini recepit. Audiens verò civitatis Turonis JOSEPH Episcopus, vir bonus & Deo amabilis, beatum obiisse Alchuinum, advenit celeriùs illuc suo cum Clero, oculosque ejus propriis rigans lacrymis deosculabatur diutius. Præcepit autem sapienti usus consilio, ne in eo sepeliretur loco, quo isdèm Pater foris * voluerat; sed intra sancti Martini basilicam honorificentissimè: ut quorum in cælis junctæ sunt animæ, una sint corpora domo in terris posita. sicque factum est. Super cujus tumulum positus est, sicut ipse jusserat, titulus, quem ipse vivens dictaverat, lamina scriptus in ærea, parietique insertus.

Circ. An. DCCC XV. Maii XIX.

alter dentium.

EPITAPHIUM ALCWINI.

Hic, rogo, pauxillum veniens subsiste viator,
Et mea scrutare pectore dicta tuo:
Ut tua deque meis agnoscas * fata figuris;
Vertatur * species, ut mea, sicque tua.
Quod nunc es, fueram, famosus in orbe viator:
Et quod nunc ego sum, tuque futurus eris.
Delicias mundi casso sectabar amore:
Nunc cinis & pulvis, vermibus atque cibus.
Quapropter potiùs animam curare memento,
Quàm carnem: quoniam hæc manet, illa perit.
Cur tibi rura paras? quàm parvo cernis in antro
Me tenet hic requies: sic tua parva fiet.
Cur Tyrio corpus inhias vestirier ostro,
Quod mox esuriens pulvere vermis edet?
Ut flores pereunt vento veniente minaci,
Sic tua namque caro, gloria tota perit.
Tu mihi redde vicem, lector, rogo carminis hujus;
Et dic: Da veniam, Christe, tuo famulo.
Obsecro nulla manus violet pia jura sepulcri,
Personet angelica donec ab arce tuba:
Qui jaces in tumulo, terræ de pulvere surge,
Magnus adest Judex millibus innumeris.
ALCHWIN nomen erat sophiam mihi semper amanti,
Pro quo funde preces mente, legens titulum.

* al. cognoscas
* al. Vertitur in

Hic requiescit beatæ memoriæ domnus ALCHWINUS Abbas, qui obiit in pace XIIII Kalend. Junias. Quando legeritis, & vos omnes, orate pro eo & dicite: *Requiem æternam donet ei Dominus.*

a Nempe Alcuinus non probabat quorumdam studium in præparandis tumulis suis. *Christus*, inquit in epistola 30, *sepultus est in spelunca, non in templo. Hoc ideo dico, quia aliqui viventes suam solent fabricare sepulturam. Quid mihi ubi vermis putrescat esca? tantùm ut anima requiem habeat studendum est, ut illa vivat feliciter, quæ mori non potest.* de loco sepulturæ infrà.

Circ. An. DCCC XV. Maii XIX.

MONITUM.

Aliud epitaphium hîc refert Andreas Chesnius ex Brovvero, qui illud de Alcuino nostro interpretatur. Verùm non Alcuini, sed Albuini Hirsfeldensis Monachi hoc esse veri similius est, ut probandum in Elogii num. 77.

ELOGIUM HISTORICUM.

CAPUT I. Albini quatuor, Alcuini varia nomina, patria & parentes.

1. HOc *in limine distinguendi sunt Albini quatuor, ne quis cum aliquibus viris doctis in errorem impingat. Primus fuit* ALBINUS *Abbas Monasterii Cantuariensis, laudatus in historia prologo venerabilis Beda, & in lib. 5 cap. 21. ad quem exstat Bedæ epistola, quam in fine ejus tomi ex ms. codice referam. Alter fuit* ALBINUS *seu* Alcuinus, *de quo hîc agimus, longè junior primo illo Albino, qui eo tempore quo Beda historiam suam scribere aggressus est, jam è vivis abierat, ut satis ex Bedæ verbis intelligitur, quum Alcuinus nondum natus erat. Et tamen unum eumdemque fuisse putavit illustrissimus Cardinalis Baronius, cujus auctoritas alios nonnullos traxit in errorem. Tertius fuit* ALBINUS *Leonis Papæ tertii* Cubicularius, *ex Eginhardi Annalibus ad annum 799. Quartum addo* ALBUINUM *Hersfeldensem Monachum sæculo XI, quem Christophorus Brovverus confundit cum Albino seu Alcuino nostro, ut inferiùs dicemus num. 77.*

2. *Alcuino varium nomen fuit. Et quidem primitus, ut puto, dictus est* ALCWIN, *appellatione Saxonica: dein vocabulo molliori & Latino* ALBINUS, *cui additum prænomen* FLACCUS. *sic enim non rarò epistolis suis inscribit nomen suum* FLACCUS ALBINUS, *passim* ALCUINUS, *in epigrammatis* ALCUIN. *Quocirca scire operæ pretium est id, quod scitè observavit Iacobus Sirmondus in notis ad Apollinarem Sidonium, apud homines mediæ ætatis morem obtinuisse, ut cùm multis fere nominibus nobiliores illustrioresve uterentur, proprium tamen cuique nomen fuisse, quod postremum semper collocarent. qua in re à veterum Romanorum usu & consuetudine deflexit posterior ætas. Romanis enim stante Republica proprium id nomen fuit quod primum, id est prænomen. Alcuino proinde nomen proprium* ALBINUS, *commune* FLACCUS. *nec dicendus* Albinus Flaccus, *ut plerique scribunt, sed* Flaccus Albinus: *quem ordinem ipse Alcuinus servat in nonnullis epistolis suis. Idem observandum in Pascasio Radberto, Servato Lupo, & aliis mediæ ætatis hominibus. Falluntur enim, sive qui Radbertu proprium nomen tribuunt Pascasio; sive qui Lupum Servatum ordine inverso appellant.*

3. *In provincia Eboracensi ortus est Alcuinus* nobili gentis Anglorum prosapia, *ut Vitæ scriptor loquitur. Parentis utriusque nomina ignota. Amplam in patria hereditatem habuisse fertur in Vita num. 12. Fratrem habuit* AQUILAM *Iuvavensem seu Saltzburgensem Episcopum, ut constat ex epistola 66* Carissimo germano meo AQUILÆ Antistiti *inscripta: ad quem item exstant aliæ duæ Alcuini epistolæ 78 & 104. At quis demum sit Aquila iste, quod nomen in catalogis Archiepiscoporum Saltzburgensium haud legitur, ostensum est suprà ad annum 809, ubi de sancti Amandi elevatione actum est. nempe Aquilam esse Arnonem, non verò Iohannem, contra quàm existimavit Brovverus.*

II. Educatio in Monasterio Eboracensi, præceptores, schola.

4. EBORACI *educatus est à puero Alcuinus in Monasterio primariæ basilicæ adjuncto. quod ipse fatetur in epistola 98* ad Fratres Eboracensis ecclesiæ *his verbis:* Vos fragiles infantiæ meæ annos materno fovistis affectu, & lascivum pueritiæ tempus piâ sustinuistis patientiâ, & paternæ castigationis disciplinis ad perfectam viri edocuistis ætatem, & sacrarum eruditione disciplinatum roborastis.

5. *Præceptores habuit, non Bedam, qui forsan ante se natum mortuus erat, sed* EGBERTUM *&* ÆLBERTUM, *alterum post alterum Episcopos Eboracenses. Testis de utroque Vitæ scriptor. Et quidem de Egberto res patet ex epistola ad Eanbaldum, cujus epistolæ fragmentum refert Vuillelmus Malmesburiensis Monachus in lib. 5 de gestis Regum Anglorum cap. 3, & ex fragmento alterius ad Karolum: ubi Alcuinus Egbertum vocat* Magistrum suum. *Prioris fragmentum istud est:* Laus & gloria Deo, qui dies meos in prosperitate bona conservavit, ut in exaltatione filii mei carissimi gauderem, qui laboraret vice mea in ecclesia, ubi ego nutritus & educatus fueram, & præesset thesauris sapientiæ, in quibus me Magister meus dilectus EGBERTUS Archiepiscopus heredem reliquit. *Sic Alcuinus discipulo suo Eanbaldo de promotione in sedem Eboracensem gratulatur. De Ælberto id etiam constat ex Anonymi poëmatio de Episcopis Eboracensibus, quod exstat in Appendice Sæculi tertii, in quo Alcuinus Ælberti discipulus fuisse memoratur, infrà. His præceptoribus didicis non solùm Latinam linguam; sed etiam Græcam & Hebraïcam tantisper delibavit, ut ex ipsius scriptis, maximè ex epistola 27 apparet.*

6. *Anno* DCCLXV *Egbertus morti proximus Eboracensis ecclesiæ Bibliothecam ipsi commendavit*, ut præesset thesauris sapientiæ, *uti legitur in præcitata epistola ad Eanbaldum. Ælberto pontifice, qui Egberto successit, Alcuinus scholæ Eboracensi præfectus est, ubi Liudgerum, Fridugisum, Eanbaldum juniorem, aliosque plurimos discipulos habuit, ut inferiùs dicam. Quin etiam novam ejus ecclesiæ fabricam ab Ælberto Episcopo susceptam ipse cum Eanbaldo seniore promovit, teste anonymo Poëta jam citato, cujus hi versus.*

Hoc duo discipuli templum, Doctore jubente,
Ædificaverunt, Eanbaldus & Alcuinus, ambo
Concordes operi devota mente studentes.

Tunc etiam præfuit cellæ maritimæ ad Oceani promontoria sitæ apud Northumbros, de qua mentionem facit in prologo ad Vitam sancti Vuillibrordi & in carmine de sancto Vuilgiso, in prima parte Sæculi III.

III. Alcuini Monachatus probatur.

7. ANTEQUAM *Alcuinum ex Britannia in Galliam accedentem prosequamur, investigandum est, cujus professionis fuerit vir pius, monastica, an canonicalis. Ipsum quidem Monachis nostris accensent Trithemius, Paulus Langius, Vvionius, aliique nostrorum: sed videndum porro est, an veterum testimoniis stabiliri possit eorum sententia, cui recentiores nonnulli adversantur. Utriusque partis fundamenta, non quæ hactenus prolata sint, (nam id argumenti nondum accuratè tractatum inveni) sed quæ proferri possint, bona fide in medium adducam.*

8. *Quæ monasticam Alcuini professionem adstruunt argumenta ejusmodi sunt, ut omnem objectorum dubitationem tollere videantur.*

9. ARGUMENTUM I. *Alcuinum in Eboracensis ecclesiæ majoris familia educatum fuisse ex superioribus constat: ipsum verò eidem ecclesiæ incardinatum & adstrictum fuisse nemo non concedet, qui epistolas Eboracensibus Fratribus ab eo scri-*

Circ. An. DCCC XV. Maii XIX. *ptas perlegerit. Primò consideranda est inscriptio epistolæ 50.* Sanctissimæ congregationis & dulcissimæ dilectionis Eboracensis ecclesiæ Fratribus, ejusdem piæ matris filius Alcuinus Diaconus, *&c. Erat ergo istius ecclesiæ* filius, *non tantùm gratiâ educationis, aut subjectionis, (quo nomine cujusvis diœcesios Christiani omnes, matris ecclesiæ filii dici possunt) sed adoptionis causâ, quam in ea familia seu congregatione meruerat. Sic enim in contextu epistolæ rem declarat.* Sanctorum Patrum sequamur vestigia, qui nos genuerunt in Christo, & in hoc sacratissimum ovile congregaverunt, & paterno pietatis lacte enutrierunt. *& infrà :* Fraternam & pacificam semper habeamus caritatem, ut oves Christi ejusdem vitæ pascuis epulantes, unius ovilis muro manentes, in una orationis domo Dei nobis misericordiam Dei convocantes. *Et in fine:* Ego devotus vestræ paternitatis filius numquam obliviscor vestri. *Ex quibus intelligitur, eum ejusdem ovilis, domus, ac familiæ fuisse. Et quidem id fateri nos cogit tum longa in domo illa mora, tum custodia Bibliotheca ab Egberto ipsi commendata, tum scholæ moderatio commissa. quod officium extraneis, præcipuè apud Monachos, rariùs committi soles: maximè cùm domestici ad hoc idonei suppetunt. Denique mortuo ejus ecclesiæ Episcopo, quum ipse in Gallia morabatur, accitus est in suam ecclesiam ad novi Pontificis electionem, ex epistola 88. quod argumento est, eum ejusdem ecclesiæ Diaconum cardinalem, id est domesticum & familiarem fuisse.*

10. Atqui in Eboracensi ecclesia tum vigebat monasticum institutum. Monasterium *vocat Beda in epistola ad Egbertum ejus ecclesiæ Antistitem.* Memini, *inquit,* te hesterno dixisse anno, cùm tecum aliquot diebus legendi gratiâ in Monasterio tuo demorarer, *&c. quo tempore nescio an nondum Monasterii nomen jam traductum erat ad significanda etiam domicilia Canonicorum, uti ætate Caroli Magni. Deinde in ea ecclesia servabatur* regularis vitæ disciplina, *testante ipso Alcuino in epistola ad Eboracenses Fratres.* Unanimes estote in omni bono consilio, concordes in omni regularis vitæ disciplina. *quibus verbis monasticam disciplinam intelligit. Quam ob rem in hac epistola eos ad humilitatem & obedientiam hortatur, quas virtutes Monachis identidem commendat. & Eboracenses Fratres appellat* servos Dei. *quo nomine Monachi à priscis illis Auctoribus designari solent.* Melius est, *inquit,* servis Dei animam ecclesiasticis ornari moribus, quàm corpus laïcorum consuetudine pompatica vestire vanitate. *Et quidem* regularis vitæ *nomine significari ab Alcuino monasticam disciplinam, apparet ex epistola 89, in qua Hundrudam* devotam feminam *Anglicanam monet, ut in palatio Regis* regularis vitæ devotio in *ejus* videatur conversatione. *& in epistola 99 Gothiæ Monachos, ut contenti sint* regularis vitæ præceptis, *& numquam* regularis vitæ observationem *mutent. Postremò Poëta incerti nominis, Alcuini æqualis & condiscipulus, in carmine de Pontificibus Eboracensibus ait, Vvilfridum juniorem* Euboricæ *fuisse* Vicedomnum & Abbatem. *Vicedominus seu Vicedomnus erat nomen dignitatis in familia episcopali. Vvilfridus ejusdem ecclesiæ Vicedominus & Abbas erat. Abbas, inquam, Monachorum. nam in cathedralibus Monachorum ecclesiis, præter Episcopum, erat etiam Abbas, qui maximè regularis discisplinæ curam gerebat, sicuti manifestis constat exemplis, quæ aliàs adducam. Quid? quod Ælbertus, Vvilfridi post Egbertum successor, in Eboracensi Monasterio Monachus vixisse, docuisse litteras, & post annos decem pontificatus eadem Monasterii septa, in quibus reliquum vita exegit, repetiisse perhibetur. Neque enim de alio, quàm de Eboracensi Monasterio interpretandus videtur iste locus. Denique sanctus Lindgerus, Alcuino præceptore in eo loco usus per tres annos,* in Monasterio Monachorum *Eboraci eruditus fuisse memoratur in Anonymi subparis libello de vita Liudgeri. Hæc omnia satis superque probant, Alcuini ætate in ecclesia Eboracensi deguisse Monachos, in quibus ipse conscriptus fuit, non alios sanè quàm Benedictinos. Nam tum* vix poterat in illis partibus Monachus aliquis inveniri, à quo non observaretur tam in proposito quàm in habitu Regula Benedicti, *teste ejus temporis Iohanne Diacono in lib. 4 de vita Gregorii Magni cap. 82. Et sanè si Monachus fuit Alcuinus,*

non alterius instituti fuit quàm nostri, ut planè probant argumenta sequentia ex ipsius scriptis desumta: in quibus apparet eum Regulæ nostræ servantem & maximè studiosum fuisse. CIRC. AN. DCCC XV. MAII XIX.

11. ARGUMENTUM II *est, quòd is à Carolo Magno delectus sit Abbas ad corrigendos mores Turonensium Monachorum, ut postea dicemus. Etsi enim regnante Carolo Monachorum Cœnobia non pauca insederint Abbates sæculares; nusquam tamen (si bene memini) Abbati sæculari commissa est cura restituendi monasticam disciplinam. Quin immo ea fuit semper omnium sententia, Monachorum vitam emendari non posse, nisi per Abbates regulares. quod egregiè probant Nicolaus Papa I in privilegio Corbeiensibus concesso, & Patres Concilii Trosleiani in cap. 3.*

12. ARGUMENTUM III *desumitur ex zelo & sollicitudine quam habuit Alcuinus promovendi monasticam disciplinam, ut testantur variæ ipsius epistolæ ad Monachos diversorum Monasteriorum scriptæ. qualis est epistola 31 ad Monachos Martinianos, antequam esset Abbas; 49 ad Virenses; 64 ad Monachos sancti Lindgarii; 69 ad Fratres Lugdunenses, id est ad Insulæ Barbaræ Cœnobitas; 71 & 99 ad Fratres in provincia Gothorum; 78 ad Fratres Iuvavenses seu Saltzburgenses; & 79 ad Monachos sancti Salvatoris. quos omnes ad humilitatem, obedientiam, caritatem, aliasque virtutes monasticas adhortatur. In his porro litteris apparet, eum Monachis, quos passim* fratres *suos vocat, valde familiarem fuisse. id quod præcipuè constat de sancto Benedicto Anianæ Abbate, quem amicissimum habuisse fertur in superiori Vita; ut & sanctum Adalhardum Corbeiæ Abbatem, quem* Antonium *vocat in epistola 107. Omnes verò illi, quos modò commemoravi, Regulam sancti Benedicti profitebantur.*

13. ARGUMENTUM IV *est superiori affine & conjunctum, quòd Alcuinus filialem planè affectum in sanctum Patrem Benedictum prodit non uno in loco, præcipuè in epigrammatis 112 & 171, in quorum priori legitur hoc distichon de sancto Benedicto:*

Turba Monachorum celebrat te sancta per orbem,
Quorum vita fuit famine scripta tuo.

& in posteriori:

O BENEDICTE, vale, Monachorum maxime Pastor.
Quos generas verbis, hos tege jam precibus.

& infrà:

Auxiliare tuos precibus quapropter ubique.
Grex numero crescat, Pastor amate, tuus.
Jam gregis ex numero Pastoris gloria crescit:
Conserva meritis ecce tuos famulos.

& in epigrammate ad Maurum seu HRabanum 178:

Dum lacrymas Domino BENEDICTI fundis in aula,
Sis memor ALBINI, dulcis amice, tui.

Non aliter sanè affectus esse potest sancti Benedicti alumnus, cujus est optare paterni gregis augmentum, & sibi ipsius parentis gratiam & opem demereri.

14. ARGUMENTUM V *petitur ex formulis precum & Confessionis, quas Alcuinus composuit. In libello de psalmorum usu, parte 1 ante medium,* Concede mihi, *inquit,* dilecti tui Patris mei BENEDICTI sequi & imitari vestigia. *& in parte 2 orationem Monachorum describens, percurrit omnes humilitatis gradus, quos sanctus Benedictus constituit. In prædicta verò parte 1, ubi de confessione agit, hæc habet:* Præcepta tua sine intermissione contemno; promissiones meas, quibus me sanctam Regulam servaturum spopondi, momentis singulis violo. *& in parte 2.* Cœnobium petii, vitam monasticam suscepi: sed miser ego semper involvor variis modis in levitatibus.

15. At, inquis, ea dicit Alcuinus in persona Monachorum Turonensium, in quorum gratiam ista dictabat. Ita sit sanè. ergo saltem præerat Monachis Regulam sancti Benedicti sectantibus, inter quos ipse vivebat non aliterquàm unus ex illis.

CIRC. AN. DCCC XV. MAII XIX.

16. Verùm in alia confessione seu professione fidei suæ, in qua loquitur Alcuinus in persona sua, disertè se Monachum esse profitetur. Eam confessionem in quatuor partes distinctam typis edidit eruditus vir Petrus Franciscus Chiffletius Societatis JESU, *in cujus confessionis parte 2, cap. 9 hæc erat.* Concede mihi fragillimo beatorum Monachorum Patrum meorum imitari vestigia. *& in partis 4 cap. 16.* Post susceptam hanc Monachi vestem multa commisi corde, ore, opere. *& infrà:* Væ mihi miserrimo, qui falsum Monachi nomen fero, nihil dignum hujus nominis & habitus agens. *Ex his patet, Alcuinum vestem habitumque Monachi cum nomine gessisse. In partis 4 cap. 55 optat se* necessariis famulantium obsequiis & impensâ à Fratribus reverentiâ numquam extolli. *quod respondet objectioni ab Elipando factæ in Alcuinum, quòd haberet* viginti millia servorum. *Et in cap. 17.* Amisi, *inquit*, locum dilectæ solitudinis, amicum mæroris, quietis & pænitudinis, quem ab ineunte ætate semper dilexi. Idcirco in angustia & mærore multo posita est anima mea, tuum super se ignorans judicium: quia secretum solitæ quietis & opportunæ ad te vacationis, quod semel incautiùs amisi, denuo invenire non potui. Hoc autem opto adhuc, suspiro, & quæro: sed præpedientibus peccatis meis reperire non valeo. *Hæc manifestè docent Auctorem fuisse Abbatem quemdam Monachum, & Monachorum Patrem, multâ famulorum frequentiâ stipatum, qui ex Monasterio identidem ad turbulenta sæculi negotia rapiebatur, optantem denuo in Monasterii solitudinem recludi, à sæcularibus negotiis immunem. qua omnia conveniunt in Alcuinum, cujus epistola 23 eadem habet omnino. Porro Alcuinus in hujus confessionis parte 4 cap 55 postulat à Deo sibi concedi gratiam perficiendi quod Regula nostra præcipit, nempe* vilitatem extremitatemque semper amare. *quæ verba omnino respondent his Regulæ Benedictinæ verbis in cap. 7 gradu 6 humilitatis, ut* omni vilitate vel extremitate contentus sit Monachus. *Hanc verò confessionem ab Alcuino in propria persona factam probant relata testimonia, & ea qua de se loquitur Auctor in partis 5 cap. 30, ubi ait:* Necessarium duxi hunc mihi soli decernere sermunculum, *&c. Lege initium partis 4. Scio quosdam dubitare an confessio hæc Alcuini sit, quorum dubitandi rationes inferiùs diluemus.*

17. Hæc sunt argumenta præcipua, quibus Alcuini monastica professio probari potest. quibus nihil obstat, quòd Alcuinus in epistolis suis, non se Monachum, sed Levitam *aut* Diaconum *inscribit. Si enim hæc ratio quidquam efficeret, æquè probaret eum non fuisse Abbatem, quod nomen (si non fallor) epistolis suis nusquam præmittit. Nimirum ea erat, ut sæpius dixi, illorum temporum consuetudo, ut qua quisque Ordinis gradu insignitus erat, ab eodem etiam appellationem sumeret, Monachi Abbatisve titulo sæpius omissa. Et hæc ratio est, cur Alcuinus apud veteres semper Levita, aliquando Abbas, rariùs Monachus dicitur. Nullum enim, qui ipsi Monachi nomen tribuat, antiquiorem invenio Hariulfo Centulensi Monacho, qui sub finem sæculi* XI Alcoinum Abbatem, Levitam, & Monachum *vocat in Chronici Centulensis lib. 2 cap. 55.*

18. Majoris momenti objecta quædam ex Vita præmissa peti possunt.

19. OBJECTUM I *est quòd Auctor in prologo, Benedicti Anianæ Abbatis vitam Monachis, Alcuini Canonicis imitandam proponit his verbis:* Illorum vestigia sequamur, quos secum convixisse suo in tempore, & evidentibus indiciis Christo placuisse certissimè probaverunt, Benedicti scilicet Monachis, & Alchuini per omnia Canonicis imitatione digna.

20. Hæc certè probant Alcuini vitam magis communem & Canonicis accommodatam fuisse, quàm Benedicti, si Canonicorum nomine sæculares Canonicos intelligat Auctor. At forsan Monachos vitæ mitioris & laxioris Canonicos appellavit, quales erant Monachi Turonenses & Dionysiani, quorum alii Monachos, alii Canonicos sese dicebant. Unde Carolus in epistola ms. ad Martinianos: Sive, *inquit*, Canonici dicimini, sive Monachi, *&c. Hos vitæ laxioris Monachos describit Ardo in*

libro de vita sancti Benedicti Aniana Abbatis, quem Ludovicus Augustus omnibus in Regno suo Monasteriis præfecit, ut normam salutiferam cunctis ostenderet. Erant enim, *inquit Ardo*, quædam Monasteria instituta canonica servantes, Regulæ autem præcepta ignorantes. Cujus ille obediens jussis, circumivit singulorum Monasteria, non solùm semel & bis, sed & multis vicibus: ostendens monita Regulæ, eamque eis per singula capita discutiens, nota confirmans, ignota elucidans. Sicque actum est providente Deo, ut omnia pæne Monasteria in Aquitania sita regularem susciperent formam. *Ex his verbis manifestum est, fuisse tum Monachos vitæ solutioris*, instituta canonica, *id est Canonicorum* servantes, *monastica Regula negligentes: quibus Alcuinus imitandus proponitur, Benedictus verò Monachis vitæ severioris. Hos Abbates Monachosque vitæ solutioris Patres Consilii Turonensis anno* DCCC XIII *celebrati cap. 25 compellunt*, ut ad pristinum revertantur statum, *præcipuè verò Abbates, qui* magis canonicè, quàm monachicè inter suos conversari videbantur. *Et Alcuini quidem vita, dum in aula Regis versari coactus est, magis canonica, quàm monastica fuit. postea verò cùm sibi redditus est, facultate à Carolo concessa secedendi in Monasterium Turonense, ad severioris Regulæ monasticæ leges denuo se recepit. Unde in superioris libri num. 14 legitur, vitam ejus posthac* monasticæ inferiorem *non fuisse. Responderi etiam potest, Canonicorum nomine intelligi Monachos ecclesiarum cathedralium, quales in Anglia & in Germania, atque etiam Romæ erant: quos* Monachos Canonicos *vulgatus Anastasius vocat in Gregorio Papa IV. Vetus interpres Hugonis Reutlingensis adductus à Goldasto in notis ad Ekkehardi junioris caput 4.* Processu, *inquit*, temporis quidam Alemanni, & præcipuè Canonici Ordinis sancti Benedicti, qui cantum musicalem, *&c. Forsan ergo ejusmodi Monachis in exemplum proponitur Alcuinus, cujus vita, ut dixi, non ita severa & rigida erat, quàm Benedicti; etsi utrraque monastica.*

Circ. An. DCCC XV. Mart. XIX.

21. OBJECTIO II *est in his verbis, quibus Auctor in cap. 3 Vitæ Alcuinum laudans ob vitam religiosè institutam, postea ita exclamat:* O verè Monachum Monachi sine voto!

22. *Respondeo fuisse re vera tum Monachos sine voto Monachi, tametsi habitum monasticum gestabant. Sic Liudgerus (si tamen ejus factum in exemplum trahi potest) cùm monasticum habitum annis minimùm viginti gestasset, postea factus Episcopus* cucullum portare desivit, eo quòd promissionem observationis Monachorum Regulæ non fecerat. *Aut certè Alcuinum appellari* Monachum sine Monachi voto, *propterea quòd severiorem illam vitæ monasticæ formam non erat amplexus, sed molliorem ac magis temperatam. Denique (quod mihi magis probatur) Alcuinum non absolutè dici* Monachum sine Monachi voto, *sed pro eo tempore quo puer adhuc erat, ut locum integrum legenti patet, id est pro eo tempore quo ipsi per ætatem vota monastica profiteri non licebat.*

Repones, Sigulfum & Fridugisum, Alcuini discipulos, & in Eboracensis ecclesiæ schola educatos, habitu canonico usos fuisse. Ita sit sanè. at eos primariæ ecclesiæ Eboracensi incardinatos fuisse non constat. Certè Sigulfus Eboracensis civitatis ecclesiæ custos *fuisse dicitur. quo nomine cujusdam ejus urbis ecclesiæ rectorem significari existimo. Et forsan mista erat in Eboracensi ecclesia Monachorum & Canonicorum congregatio, uti in nonnullis etiam Monasteriis. Nisi mavelis, in ea ecclesia id contigisse, quod de Bremensi scribit Adamus, Clericos usos habitu canonico, Regulâ vixisse monasticâ.*

23. OBJECTIO III *repeti potest ex cap. 8, ubi Auctor ait, Alcuinum voluisse* sæculum relinquere, *postulatâ à Carolo Magno licentiâ* ducendi monasticam vitam *in Monasterio Fuldensi* secundùm Regulam sancti Benedicti; *sed coactum apud Martinianos permansisse, ubi* vita ejus monasticæ inferior non fuit. *Non ergo, inquis, fuit re vera Monachus, sed studio, affectu, & moribus.*

ERAE. AN. DCCC XV. MATIXIX. 24. *In his aliqua vera, aliqua obscura, quæ explicatione egent. Obscurum id quod ait Auctor, Alcuinum voluisse* sæculum relinquere. *quo sæculi vocabulo intelligere debuit* sæculares occupationes, *non sæculum ipsum, cui Alcuinus à puero nuntium remiserat. Hanc illustrationem suggerit epistola 23 ad Carolum, in qua hæc verba:* Nam fere ante hoc quinquennium sæculares occupationes, Deum testor, non ficto corde declinare cogitavi: sed vestræ piæ providentiæ consilio translatus sum in servitium sancti Martini, Fidei catholicæ & ecclesiasticæ sanctioni donante Deo proficuum. Non recessit tamen de corde prioris voluntatis affectus, sicut transacto anno vestræ pietati jam prædixi. *& infrà:* Inter Fratres in ecclesia sancti Martini Deo fideliter servientes vivere vel requiescere sine ulla dubitatione desidero. *Hic duo observanda. unum Alcuinum cogitasse declinare* sæculares occupationes, *quibus in aula implicatus erat, alterum, optasse, ut quietus reliquum vitæ peragèret, non Fuldæ, sed inter Fratres ecclesiæ sancti Martini. Id verò tandem obtinuit, voti compos factus, ut postea dicemus. Hæc responsionis summa. Alcuinus aulæ negotiis identidem distractus, secessum peroptabat, non quo sæculum relinqueret, sed* sæculares occupationes, *id est non quo vitæ monasticæ nomen primùm daret, sed quo pristinum vitæ genus ex integro repeteret, à sæculi negotiis expeditus.*

25. *Hæc sunt quæ ad probandam Alcuini monasticam professionem observare potui: quæ si quibusdam prolixiora videbuntur, integrum erit pro libito præterire. Hanc certè diligentiam à me exigebat & viri celebritas, & officii mei necessitas.*

IV. Alcuini accessus in Galliam, res gestæ.

26. UNICUM *Alcuini accessum in Galliam hactenus admiserunt viri eruditi: duplicem aut triplicem distinguere necesse est. Si* Albinus *ille* deliciosus Regis *Caroli, is quem unà cum Gulfardo Abbate ad Hadrianum Papam missum fuisse Indictione* XI, *idest anno* DCC LXXIII, *vulgatus Anastasius scribit. si, inquam, Albinus ille non est alius ab Alcuino, dicendum est ipsum in Galliam accessisse, & Carolo adhæsisse ante hunc annum. Certè Sigebertus in Chronico & in libro de viris illustribus, Alcuinum* Imperatoris deliciosum *appellatum esse testatur. Id si probatur; triplex Alcuini adventus in Galliam admittendus est.*

27. *Nam anno* DCC LXXX *cùm mortuo Ælberto Eboracensi Episcopo pro Eanbaldi successoris obtinendo pallio Romam missus inde rediret; Parmæ occurrit Carolo Magno, qui ipsum in Franciam invitavit, ut ex superiori Vita intelligimus. Huc referenda videtur epistola 23, in qua Carolum laudat, quòd* ex diversis mundi partibus amatores *sapientiæ convocare studuerit:* inter quos, *inquit,* me etiam infimum ejusdem sanctæ sapientiæ vernaculum de ultimis Britanniæ finibus adsciscere curastis. *Nisi fortè id referas ad postremum Alcuini iter in Galliam, quod tamen divino monitu, nescio an etiam Caroli hortatu suscepit. In priori verò de quo hic agimus accessu illud contigisse puto, quod scriptum reliquit Alcuinus in epistola 15.* Dum ego adulescens Romam perrexi, & aliquantos dies in Papia regali civitate demorarer; quidam Judæus, Julius nomine, cum Petro magistro, *Pisano scilicet, Caroli Magni præceptore in Grammatica,* habuit disputationem. *Alcuinus in Gallia sic detentus, aliquamdiu versatus est in palatio. tumque factum est, ut Carolus Rex, qui* in discenda Grammatica Petrum Pisanum Diaconem senem audivit, *teste Eginhardo;* in ceteris disciplinis Albinum cognomento Alcuinum, item Diaconem de Britannia, Saxonici generis hominem, virum undecumque doctissimum præceptorem habuerit: apud quem & Rhetoricæ & Dialecticæ, præcipuè tamen Astronomiæ ediscendæ, plurimum & temporis & laboris impertiit. *Unde non immeritò Carolus eum* carissimum in Christo præceptorem *vocat in fragmento epistolæ relato in Alcuini epistola 6, quidquid in contrarium dicat Baronius. Huc spectant versus epigrammatis 199 ad Fratres Eboracenses, quos ad pangendos versus hortatur.*

Talia

Talia namque placent vestro quia muneta Patri,
Qui nunc egregias regalibus insonat artes
Auribus, & Patrum ducit per prata sequentem
Præpulcro sophiæ regnantem stemmate celsæ.

Circ. An. DCCC XV. Maii XIX.

Eo tempore Alcuinus cum Homero seu Angilberto amicitiam iniit, eique jam Primicerio palatii Pippini Italiæ Regis scripsit epistolam 42 circiter annum DCC LXXXIII, *ut in Elogio sancti Angilberti superiùs demonstratum. quo fere etiam tempore scripsit epistolam 93 ad Damœtam seu Ricolfum in expeditionem Saxonicam cum Carolo Rege profectum, antequam Ricolfus Lullo in sedem Maguntinam succederet anno* DCC LXXXVII. *Epistolam etiam ad Liudgerum, tum Casini morantem, Caroli Magni jussu scripsisse dicitur suprà in sancti Liudgeri Vitæ secundæ lib. 1 cap. 14, ut eum in Franciam revocaret. Id si verum est, Alcuinus anno* DCC LXXXVI *in Gallia erat.*

28. *Post aliquantam in palatio moram Alcuinus in patriam reversus est, ex Vita num. 13. Id accidisse videtur anno* DCC XC, *quo epistola ad Colcum Lectorem in Scotia scripta est, ut postea probabo num. 87. Reversus quippe ex Gallia, varia munera ecclesiis & Monasteriis distribuit, tam pro se, quàm pro Carolo Rege, à quo nuper recesserat. Significat verò dissensionem subortam inter Carolum & Offam Reges*, ita ut utrimque navigatio interdicta esset. *Tum addit:* Sunt qui dicunt nos pro pace esse in illas partes mittendos. *Quæ fuerit hujus simultatis causa, discimus ex Chronici Fontanellensis cap. 15 in editis: ubi Carolus Magnus filio suo æquivoco filiam Offa Regis* in conjugium expostulasse *dicitur: sed illo non adquiescente*, nisi Berta filia Caroli Magni ejus filio nuptui traderetur, *Carolum inde commotum præcepisse*, ut nemo de Britannia insula ac gente Anglorum mercimonii causâ litus Oceani maris attingeret in Gallia. Sed hoc ne fieret, admonitione ac supplicatione Gervoldi *Abbatis* inhibitum *esse.*

29. *Alcuinus dein post tres annos, acceptâ Episcopi sui licentiâ, nutu divino revenit in Franciam, ut Elipandi & Felicis errori in Ecclesiam gliscenti se se opponeret. Ita enim de se ipse tradit in præfatione librorum adversus Elipandum.* Divina, ut credo, jubente dispensatione ad gloriosum & omni honore nominandum hujus Regni Principem & Regem Carolum vocatus adveni: sicut mihi quidam sanctissimus vir, prophetiæque spiritu prædicus, Dei esse voluntatem in mea prædixerat patria. Etiam & ut vir venerabilis totusque Deo deditus meus mihi mandatum dederat Magister, ut si alicubi novas audirem oriri sectas apostolicis contrarias doctrinis, mox totum me in catholicæ defensione Fidei dedissem. *Magister iste Alcuini est Ælbertus, ex Vita num. 11.*

30. *Tempus quo altera hac vice accessit in Franciam signat Alcuinus ipse in lib. 1 adversus Elipandum* Antequam ego eodem sapientissimo Rege Carolo jubente venissem in Franciam, hæc eadem erroris vestri secta, eodem glorioso Principe præsidente, præsente Felice, quem multum laudare soles, vestræ partis tunc temporis defensore, ventilata est in celeberrimo loco, qui dicitur Raginisburg. *Atqui ex Annalibus incerti Auctoris, cui Monachus Ecolismensis in Vita Caroli attestatur,* anno DCC XCII hæresis Feliciana ipso auctore eam abnegante, apud Ragenesburg primùm damnata est. *Itaque cùm Alcuinus Concilio Francofurtensi anno* DCC XCIV *contra eamdem hæresim congregato interfuerit, dicendum est ipsum sub finem anni* DCC XCII, *aut anno insequenti in Franciam revertisse.*

31. *De hoc itinere agens Rogerius Hovedenus, ita scribit.* Anno ab Incarnatione Domini DCC XCII Carolus Rex Francorum misit synodalem librum ad Britanniam, sibi à Constantinopoli directum, in quo libro, heu prô dolor, multa inconvenientia & veræ Fidei contraria reperta sunt: maximè quod pæne omnium orientalium Doctorum, non minus quàm trecentorum vel eo amplius Episcoporum, unanimi assertione confirmatum, ima-

CIRC. AN. DCCC XV. MAII XIX. gines adorari debere. quod omnino Ecclesia Dei exsecratur. Contra quod scripsit Albinus epistolam ex auctoritate divina scripturarum mirabiliter affirmatam: illamque cum eodem libro ex persona Episcoporum & Principum nostrorum Regi Francorum attulit.

VI. Alcuini præsentia in duobus Conciliis.

32. REGRESSUS *in Franciam vir pius, anno* DCC XCIV *interfuit Concilio Francofurtensi, in quo ejus opera tantum valuit, ut Patres ipsum in suffragiorum partem acceperint, edito decreto, quod Concilii postremum est, in hac verba:* Commonuit etiam *Carolus*, ut Alcuinum ipsa sancta Synodus in suo consortio, sive in orationibus recipere dignaretur, eo quòd esset vir in ecclesiasticis doctrinis eruditus. Omnis namque Synodus secundùm admonitionem domini Regis consensit, & eum in eorum consortio sive in orationibus receperunt.

33. *Et certè quantum laboris susceperit ad debellandam hæresim Elipandi & Felicis Episcoporum de adoptione Christi, testantur libri septem adversus Felicem; testantur etiam alii quatuor adversus Elipandum editi. qui septem* lecti sunt & probati in præsentia domni Regis & Sacerdotum ejus, *ut ipse ait in lib. 1 adversus Elipandum.*

34. *Tum mentionem facit Synodi Aquisgranensis anno* DCC XCIX *convocatæ post Orgelitanam.* Sed & idem Felix, *inquit*, anno præfati gloriosi Principis tricesimo secundo advocatus voluntariè veniens ad Aquis palatium, ibique in præsentia domni Regis & Optimatum illius, sive Sacerdotum Dei rationabiliter auditus, & veraciter convictus; atque Deo dans gloriam, veramque confessus Fidem, in pacem catholicæ unanimitatis reversus est cum suis discipulis, qui ibi tunc temporis erant præsentes. *Id factum operâ & disputatione Alcuini, qui eo in conventu Felicem convicit, ex Vita cap. 7. tametsi id modestè dissimulavit.*

VII. Præfectura in variis Monasteriis, rectè facta.

35. VARIIS *Monasteriis præfectus à Carolo est, ut hoc quasi vinculo in Gallia retineretur. Nam post breve tempus à postremo accessu in Franciam*, dedit illi *Carolus* duo Monasteria, Bethleem scilicet, quod alio nomine Ferrarias vocatur; & sancti Lupi apud Trecas, *in Vita cap. 6. Adjecit etiam cellam sancti Iudoci, & Monasterium sancti Martini. quod postremum quo tempore susceperit Alcuinus, quidve in eo gesserit, explicandum est.*

36. *De commisso sibi regimine Martiniani Cœnobii Alcuinus ita loquitur in epistola 23.* Fere ante hoc quinquennium sæculares occupationes, Deum testor, non ficto corde declinare cogitavi. sed vestræ piæ providentiæ consilio translatus sum in servitium sancti Martini. *Scripta est epistola hac in reditu Caroli Magni ex Italia. In ea quippe Alcuinus ait se de Caroli ex Italia reditu auxium fuisse; tandemque, quamvis serò, vocem optatam concurrentium insonuisse auribus suis:* Jam jamque venier, jam Alpes transivit. *quod in annum Christi octingentesimum primum referre oportet, quo Carolus Imperator dictus, Româ huc regressus est. Neque enim id revocari potest in panultimum ipsius iter trans Alpes, quod accidit anno* DCC LXXXVI. *siquidem non nisi post Concilium Francofurtense Alcuinus Abbatia Martiniana prælatus est. Cùm ergo quinquennio ante annum Christi* DCCC I *id factum sit, dicendum id contigisse anno* DCC XCVI.

37. *Sancta-Marthani Garulfo Martiniano Abbati Alcuinum substituunt. at constat eum non Garulfo, sed Itherio successisse. Carolus in diplomate quod Alcuino pro Cormaricensi Monasterio concessit, Itherium Abbatem illius* antecessorem *vo-*

cat, ut postea videbimus num. 56. Idem probat diploma Pippini Aquitaniæ Regis Fridegiso Abbati concessum, apud Labbeum in Miscellaneis curiosis: in qua Itherius quondam Abba Erlaldo *Ludovici Augusti Senescallo* villam Marciagum *precario dedisse; eamque* postea domnus Alcoinus *(in editis mendosè* Alcrinus*)* successor ejusdem Monasterii Rector, *ad petitionem ipsius Ludovici prædicto Erlaldo confirmasse dicitur. Hic est Itherius, cui in extremis posito Alcuinus direxit epistolam 75* dilectissimo Patri Itherio *inscriptam, qua eum in extremo illo agone consolatur & accendit.* Circ. An. DCCC XV. Maii XIX.

38. Eo in munere multa præclarè gessit vir integerrimus. Monachos quippe, quorum alii se Canonicos, alii se Monachos ferebant, à solutiori vitæ genere ad religiosum revocavit: Cœnobitas induxit in Cormaricense Monasterium ab Itherio Abbate condi cœptum: hospitalem domum in gratiam peregrinorum condidit in pago Tricassino; & Oratorium quoddam Turonis: ac denique publicas in ea urbe scholas aperuit. De his omnibus dicendum singillatim.

VIII. Status Monasterii sancti Martini sub Alcuino.

39. MONASTERIUM *sancti Martini nomine & tumulo illustratum, Monachis Benedictinis sæculo septimo paruisse constat ex litteris Ibbonis Turonensis Episcopi, qui immunitatis privilegium concedit Fratribus ejus loci,* ubi Monachi secundùm Regulam sancti Benedicti conversari videntur. *In libello de vita sancti Pardulfi Abbatis VVaractensis, tempore Caroli Principis cognomento Martelli, mentio fit* Audelandi Abbatis & Monachorum *ejusdem loci. & in Chronici Fontanellensis cap. 9 in editis laudatur* Teutsindus Pater Cœnobii sancti Martini, *uti & Fontanellensis ab anno* DCCCXXXIV, qui dicere solitus erat Fratribus Turonicæ ecclesiæ: Nisi vestram correxeritis vitam ac mores, Erinharium meum Præpositum ex Fontinella huc adducam, qui aratra vestra tectum doceat sulcare. *An id præstiterit Teutsindus, incertum: constat verò etiam principatu Caroli Magni ita ibi solutam fuisse regularis vitæ disciplinam, ut alii se Canonicos, alii se Monachos dicerent, ut patet ex ms. epistola Caroli ad illos scripta in gratiam Theodulfi Aurelianensis Episcopi, reum quemdam repetentis, qui ad tumulum sancti Martini confugerat. Ex quo intelligimus, in eo Monasterio contigisse id quod de Dionysiano testantur Ludovici Augusti litteræ, ut Monachi, alii suæ professionis immemores, aut certè pœnitentes, se Canonicos præferrent, alii Monachos: vario utentes indumentorum & vitæ genere, prout sua cuique libido suggerebat. Hæc in primis causa movit Carolum Magnum, ut mortuo Itherio Abbate Alcuinum eò dirigeret ad corrigendos eorum mores. & Alcuinus ante id tempus jam ad eos scripserat epistolam 31, qua eos hortatur ad caritatem, obedientiam, & humilitatem:* quæ tria, *inquit*, præcepta Monachis aperient portas cæli; *præfatus* non esse laudabile in vestimentis habitum imitari Patrum sine observatione mandatorum, quæ illi statuerunt Deo servientibus. *Dein rogat, ut ne se* præsumtuosum *æstiment, quòd ipsis hæc scribat.* Caritas, *inquit*, me compulit in has prorumpere litteras. *quæ verba satis innuunt, eam epistolam scriptam ab se fuisse antè, quàm loci regimen obtineret. Hoc adeptus, iisdem direxit epistolam* de confessione peccatorum, *inscriptam* dilectissimis in Christo filiis bonæque spei adolescentulis, qui in ecclesia summi Pontificis protectorisque magni beati Martini Domino JESU deservire videntur, atque ab ecclesiasticis erudiuntur magistris in Domino Deo. *ratus; id quod res est, primam hanc esse viam revertendi ad Deum. Neque verò irritam ejus operam fuisse probant epistolæ 23 ad Carolum hæc verba:* Inter Fratres in ecclesia sancti Martini Deo fideliter servientes vivere vel requiescere Deo miserante sine ulla dubitatione desidero.

40. Monachos eo in loco perstitisse vivente Alcuino certis mihi videor deprehen-

Circ. An. DCCC XV. Maii XIX. *disse argumentis. Itherius Abbas Martinianus primariis litteris de conditione Cœnobii Cormaricensis* anno XXIII Caroli Regis *subscribit cum aliquot Monasterii sui Cœnobitis: ex quibus qui Presbyteri aut Diaconi erant, omisso (ut tum mos erat) Monachi titulo, ordinem quisque suum apponunt* Presbyter, *sive* Diaconus: *qui verò infrà hos gradus erant*, Monachi *subscribunt. Deinde mortuo Itherio Alcuinus in Cœnobium Cormaricense Monachos induxit, impetrato Caroli privilegio*, ut locus ille non auferretur de potestate sancti Martini: sed ut ibi pleniter sub Regula sancti BENEDICTI vivant degentes Monachi, & habeant protectionem & subsidium ab Abbatibus Monasterii sancti Martini, *à quibus ipsi regerentur, dato diplomate* anno XXXII regni Caroli, *id est anno Christi octingentesimo. Atqui longè tum ab optimi Principis, tum ab Alcuini religione, tum à moribus illius ætatis abhorrebat, ut Monachorum Cœnobia Canonicis subjicerentur à prima sui institutione. Adde Alcuinum paullulum ante quàm Turonico Monasterio præficeretur, Martinianos appellasse Monachos in epistola jam citata num.* 39. *Denique Alcuini successor ac discipulus Fridugisus inter Fratres conscriptos Monasterii sancti Galli, non cum Canonicis, sed cum Monachis suis recensetur hoc modo:* NOMINA FRATRUM DE TURONIS. Fridegisus Abba. Flodomarus Monachus. Gisledramnus Monachus. Ansegarius Monachus. Adilleodus Monachus. Helmoinus, *&c. apud Goldastum. Ex quibus manifestum est, Fridugiso seu Fridegiso Abbate Monachos eo loci aliquamdiu perseverasse. Falsum proinde id quod in Turonico Chronico legitur*, anno DCC XCVI Carolum Regem instituisse Canonicos in ecclesia beati Martini auctoritate Hadriani Papæ, eisque Alcuinum magistrum suum præfecisse. *Certè ipso anno Alcuinus isti Monasterio præfectus est, non ut Canonicos Monachis substitutos regeret, sed ut Monachos solutiores ad rectam vivendi rationem reduceret, quorum alii se Monachos, alii Canonicos se ferebant tum, cùm Carolus pro Theodulfo Aurelianensi Episcopo epistolam ad eos scripsit: quo tempore* venerabilis Alcuinus *loco praerat.*

41. *Crediderim tamen Monachis substitutos fuisse Canonicos sub regimine Fridugisi Abbatis. Certè ante medium sæculum nonum jam in ecclesia Martiniana Canonici erant. Patet ex testamento Ansegisi Abbatis Fontanellensis, qui anno* DCCC XXXV Canonicis *Martinianis legavit* libram unam; *& ex historia translationis sancti Martini à sancto Odone scripta, in qua* Canonici sancti Martini *anno* DCCC LIII *corpus sacrum ex urbe Turonica detulisse dicuntur, quos Andradus Medicus* Clericos domni Martini *appellat. & in diplomate Caroli Calvi Hugoni Abbati concesso anno regni* XXX, *Christi* DCCC LX, præfati Cœnobii venerabiles Canonici *vocantur, apud Labbeum in Miscellaneis curiosis. Ex his colligo Canonicos Monachis eo in loco successisse Fridugiso Abbate. at quo modo id acciderit, inquirendum.*

42. *Rem sic narrat sanctus Odo Abbas apud Iohannem Monachum in ipsius Vitæ lib.* 3 *cap.* 1. Ante hos annos persistente monastica congregatione apud ecclesiam beati Martini quæ est Turonis, cœperunt modum suum consuetudinesque relinquere; ac propriis voluntatibus vitam suam propositumque corrumpere. Relictis namque nativis & assuetis vestimentis, cœperunt fucatas atque fluxas pallioque ornatas circumferre cucullas & tunicas. Calciamenta quoque quibus induebantur, adeo erant coeleata ac nitida, ut vitreum colorem viderentur assumere. Ad laudes namque nocturnas, ne aliquo pedem modo offenderent, cum luce diei surgebant. Ista & horum similia multa contra Regulæ jura faciebant. Quibus rebus cùm decrevisset Deus finem imponere, nocte quadam omnes quiescentes, cùm unus ex eis eamdem horam insomnem duceret, vidit duos viros dormitorium ingredi, unum videlicet gladium manu tenentem, cui alius imperabat, indicans singillatim eos his verbis: Percute hunc, & hunc percute. Cumque eum qui hæc intuebatur, voluisset appetere, emissa voce adjuravit eum dicens: Adjuro te per Deum viventem, ut non interficias me. Statim percussor gladium contraxit, & ipse solus evasit ex omnibus.

43. *Hæc sancti Odonis narratio, quam Iohannes Monachus ex ipsius ore accepit, quæ sanè magnæ auctoritatis esse debet, tum ob viri sancti gravitatem, tum ob id quod rei gestæ subæqualis erat.* CIRC. AN. DCCC XV. MAII XIX.

44. *Paullo aliter rem explicat Ademarus Ecolismensis Monachus in Chronico, ubi de Carolo Calvo & de ingressu Monachorum in Monasterium sancti Martialis.* Qua tempestate, *inquit*, Monachi sancti Martini Turonis, nemine cogente, ante corpus ejusdem, abjecto Monachi schemate, schema induunt canonicale, sacramentis hoc firmato super corpus beati Martini. Et carnibus refecti, mox peste correpti, mane facto in lectis reperti sunt mortui omnes à majore ad minorem. & de reliquo locus ipse à Canonicis habitatur. *Pestis sævissima in Gallia fuit annis* DCCC XIX *&* XXIII, *teste Eginhardo. Forsan alterutro anno contigit hæc clades.*

45. *Fridugisum huic mutationi facilè manus dedisse conjicio ex simili facto, quod patravit in Monasterio Sithiensi, cui etiam præerat. Nam Abbas ecclesiarum sancti Bertini & sancti Audomari factus anno* DCCC XX, cùm cerneret Abbatiam universam tot Monachorum usibus delegatam, utputa centum & triginta Monachorum inter utraque Monasteria degentium, nihilque suarum voluptatum usibus sequestratum, avaritiæ jaculo cæcatus, in capitaneo sancti Bertini loco, ubi octoginta & tres Monachi deserviebant Domino, sexaginta pro humana potius laude, quàm pro Dei amore retinuit; reliquos districtioris vitæ viros, quos suæ perversitati putavit non consensuros, de Monasterio expulit. In sancti Audomati quoque Monasterio, ubi regulariter viventes aderant quadraginta Monachi, triginta Canonicos deputavit. Et quia Canonicus erat, cum Canonicis in sancti Audomari Monasterio sæculariter vivebat. *Hæc ex Auctore anonymo in lib. 1 de miraculis sancti Bertini cap. 6. qui Auctor in capite sequenti ait Fridogisum mortuum esse* quartodecimo regiminis sui anno, *nimirum anno* DCCC XXXIV. *Ex his veri simile est, Fridugisum hujusmodi mutationis in Martiniano Cœnobio, si non auctorem, at certè fautorem & approbatorem fuisse.*

46. *Qualiter post illam mutationem ordinatum sit Monasterium, tradunt* Philippus Decanus, Rainaldus Thesautarius, totumque Capitulum beati Martini Turonensis, *in epistola* Philippo Coloniensi Archiepiscopo *scripta de vita sancti Martini & quibusdam ipsius miraculis.* Multis, *inquiunt*, post hæc annis evolutis, mutationem & Ordinis, & consuetudinis passa est *ecclesia sancti Martini*: & pro Monachis, vel propter inertiam, vel propter frequentantium inquietudinem, integrè non prosequentibus, Canonici à Principibus terræ substituti sunt, trecentis quæ tunc temporis erant præbendis ad numerum centum quinquaginta restrictis. Et ad temperandum laborem illum fastidiosum & intolerabilem, juges illæ & interminabiles psallentium alternationes ad certas & discretas, sicut in aliis fit ecclesiis, horas distinctæ sunt. De redditibus autem & thesauris ecclesiæ ipsius pars maxima decisa est: de qua tres congregationes, quæ ad Canonicorum arbitrium subservirent, constructæ & dicatæ sunt. quæ omnia hodieque in Christi nomine constant. *Ita illi circiter annum* M C XLV. *Hanc verò epistolam in ms. codice reperi inter alias Wiberti Abbatis Gemblacensis, qui tum florebat.*

IX. Scholæ Turonicæ & aliæ aliis in locis; Alcuini alia facta Turonis.

47. NON *solùm Monachorum Turonicorum mores correxit Alcuinus: sed etiam eo in loco publicas aperuit scholas, quas homines undequaque concurrentes frequentabant.* Ego Flaccus vester, *inquit ipse in epistola 1 ad Carolum*, secundùm exhortationem & bonam voluntatem vestram, aliis per tecta sancti Martini sanctarum mella scripturarum ministrare satago; alios vetere an-

ea absolveretur. quad tandem obtinuit, ut postea dicemus. Porro post priorem adventum suum in Galliam, assiduè in palatio versabatur, ut Carolum variis disciplinis imbueret, suprà num. 27. Circ. An. DCCC XV. Maii XIX.

51. Hac causa fuit, cur Academiæ Parisiensis origo Alcuino auctori tribueretur. Cùm enim Lutecia Parisiorum esset aula frequens, in qua litteras docebat Alcuinus; factum est ut conditar Universitatis Parisiensis diceretur, qui palatinis scholis præfectus erat. Et certè Carolo hortator fuit, si non auctor, ut Athenæ nova perficerctur in Francia, in epistola 10, suisque & dictis & scriptis Francorum animos ad studia litterarum accendit. Lege Præfationem hujusce tomi.

52. Præterea cum discipulis aliquando versatus est in cellula in eremo. quæ cellula non alia mihi videtur esse quàm Cormaricense Monasterium, de quo postea dicam. Illud verò maximè commodum in gratiam litteratorum effecit apud Carolum, ut scriptores commata & puncta jam dudum neglecta observarent in posterum, ex epistola 15, & ex carmine 526.

53. Denique in Turonico Monasterio ædes sacras ab eo refectas esse patet ex epigrammatis 219 & 221. quod posterius ita se habet.

ALBINUS veniens peregrino vatis ab orbe,
His quem direxit præclara Britannia terris.
Suscipit hunc Karolus hujus Rex inclitus orbis,
Cùm pietate sacræ sophiæ, tum propter amorem.
Hic diruta diu camerarum culmina jussit,
Ut cernis, lector, totam renovare per aulam:
Hæc loca relliquiis statuens aptissima sacris,
Sanctorum requies certos ut haberet honores.
Ut decet in terris venerari sancta piorum,
Quos Deus in cælis voluit regnare per ævum.

X. Monachorum introductio in Cormaticense Monasterium.

54. POSTQUAM Alcuinus monasticam disciplinam in Turonico Monasterio utcumque resarcivit, litterarum studiis in eo institutis; ad se etiam pertinere putavit, ut Monachos Regula nostra servantes induceret in Cœnobium Cormaricense * ab Itherio decessore suo inchoatum. Quæ sanè mentis agitatio non facilè cecidisset in hominem, qui canonicam vitam monastica prætulisset. * Cormery

55. Itherius in litteris suis de conditione hujus Monasterii confectis anno XXIII regni Caroli, VII Idus Februarii, id est anno DCC XCI, ait ædificatam ob se ecclesiam, in qua trina construxit altaria, ubi, inquit, sanctorum posuimus Apostolorum reliquias, in seniore scilicet, id est principali, altario sancti Pauli; alio quidem sancti Petri Apostolorum principis; tertio verò sancti Martini: seque in dedicatione prædictæ basilicæ tradidisse prædia quadam ad memoratum sanctum locum, qui nuncupatur Cella sancti Pauli, quod Cormaricus à priscis & hactenus vocatur. Ex quibus aliisque litteris Ioachimus Perionius, ejus loci singulare ornamentum, rectè arguit commentum eorum, qui Cormaricum dictum fabulantur à Corde mærente: quam vocem usurpatam aiunt ob illo Monacho, qui solus internecionem in Turonico monasterio ab Angelo factam effugisse dicitur, quique in illam solitudinem se recipiens, Monasterio Cormaricensi originem dederit: interrogatusque quis esset, id solum responsi protulerit, Cor mærens. Unde relictum loco nomen Cormeriacus. Quod quàm fabulosum sit, ex eo constat, quod anno DCC XCI, quo nondum acciderat clades illa Turonensium Monachorum, Cormaricense Monasterium, quod mendosè Cormeriacum vocant; condi cæptum est in loco, qui teste Itherio Cormaricus à priscis vocabatur.

56 Itherio mortuo Alcuinus litteras obtinuit à Carolo Magno, ut licitum haberet Monachos constituere in Cella sancti Pauli, quæ rustico nomine

CIRC. AN. DCCC XV. MAII XIX. Cormaricus dicitur, qui regulariter secundùm sancti BENEDICTI statuta in ea viverent. quem locum Itherius Abba antecessor *suus* ex comparato adquisiverat. *dato diplomate* III Nonas Junii anno XXXII & XXXVII regni *Caroli*, Turonis in Monasterio sancti Martini, *id est anno Christi octingentesimo, quo Carolus post Pascha Centula celebratum, ad tumulum sancti Martini profectus est. Cormaricum inducti sunt Monachi viginti, quos Benedictus Aniana Abbas Alcuino suppeditasse memoratur apud Ardonem in ipsius Vita. Hi Abbati Martiniano subesse jussi.*

57. Perstitit istud Monasterium sub regimine Abbatis Martiniani usque ad annum VII *imperii Ludovici Augusti, quo Imperator annuit,* ut liceitum sit *Monachis ejus loci* secundùm Regulam sancti Benedicti de eadem congregatione Cormaricensi Abbatem eligere, cum consensu *tamen* Abbatis ac congregationis sancti Martini: *qua in congregatione Cormaricensi minimùm* quinquaginta Monachi *esse debeant. Erit forsan qui putet Cormaricensibus potestatem eligendi ex se ipsis proprii Abbatis factam ob mutationem Monachorum in Canonicos in Turonico sancti Martini Monasterio. Primus Cormarici Abbas proprius electus est* JACOB, *in libro de instauratione Glannafoliensis Monasterii laudatus: cui successit* ODACER, *Lupi Abbatis Ferrariensis consanguineus, ex Lupina epistola* * Villalœin 86, *ad quem etiam scripta exstat epistola 90. is qui vicinum Villalupense * Monasterium rebus Cœnobii sui auxit, Ludovici Germaniæ Regis privilegio munivit, & per Herardum Turonensis sedis Pontificem ecclesiam loci dedicari curavit anno* DCCCLIX. *Denique anno* MXCVI *Urbanus Papa II in Concilio Turonensi* perpetuo decreto *præcepit, ut Cormaricensis Abbas* electus de beati Martini sepulcro baculum sumat. itemque defuncto Abbate semper ad eumdem locum baculus referatur, ut super illa sanctissima Confessoris Apostolici membra communi Decani & Capituli jussu signum illud pastoralis regiminis semper accipiatur, *prout legitur in pontificiis litteris in Spicilegii tomo* * Indre *6. Cormaricense Monasterium ad Angerem * fluvium in pago Turonico situm, sub Benedictina sancti Mauri congregatione, uti & Villalupense, hactenus subsistit.*

58. De Cormaricensi intelligenda mihi videntur Alcuini epigrammata duo, nempe 198 & 222 de Cella in eremo, *in qua studia litterarum aliquando per Alcuinum Homerumque (is est Angilbertus Abbas Centulensis) exculta fuisse dicuntur. In priori leguntur hi versus.*

Hæc est quam cernis silvestri rustica tecto
    Constructa in eremo cellula nobilior.
Hæc studiis floret sacris, esophica * jura
    Perlegit, & tractat clancula dicta senum.

* f. theosophica

& in epigrammate 222.

O mea Cella, mihi habitatio dulcis, amata,
    Semper in æternum, ô mea Cella, vale.
Undique te cingit ramis resonantibus arbos,
    Silvula florigeris semper onusta comis.
Prata salutiferis florebunt omnia & herbis,
    Quas medici quærit dextra salutis ope.
Flumina te cingunt florentibus undique ripis,
    Retia piscator quà sua tendit ovans.
Pomiferis redolent pomis tua claustra per hortos,
    Lilia cum rosulis candida mista rubris.
Omne genus voluerum matutinas personat odas,
    Atque creatorem laudat in ore Deum.
In te personuit quondam vox alma Magistri,
    Quæ sacro sophiæ tradidit ore libros.
In te temporibus certis laus sacra Tonantis
    Pacificis sonuit vocibus atque animis.

Te

Te mea Cella modò lacrymosis plango camœnis, CIRC. AN. DCCC XV. MAII XIX.
Atque gemens casus pectore plango tuos.
Tu subito quoniam fugisti carmina factum *, *f. fato
Atque ignota manus te modò tota tenet.
Te modò nec Flaccus, nec fatis * Homerus habebit: *f. fatus
Nec pueri Musas per tua tecta canunt.

In hoc carmine, quod non videtur esse Alcuini propter hos versus, quibus eo in loco vox alma Magistri quondam sonuisse, *& ore sacro sophiam dictasse perhibetur; forsan significatur translatio regiminis à Fridugiso in Iacobum Abbatem proprium ejus loci, qui Abbati Martiniano antea paruerat. Nisi malis hoc epigramma interpretari de Cella sancti Iudoci, cujus possessio post Alcuini obitum translata est in Ferrariense Monasterium, tum in manus Odulfi Comitis. qua de re passim conqueritur Lupus Abbas Ferrariensis Monasterii, cui hac cella tributa à Ludovico Pio fuerat, quam priùs Carolus Magnus Alcuino concesserat* ad eleemosynam exhibendam peregrinis, *ut Lupus scribit in epistola 11. De hac Cella loquitur Alcuinus in epistola 93.* Martinus, *inquit*, in Vicos apud sanctum Jodocum infirmus remansit.

59. Ad hæc Alcuinus xenodochium in loco appellato ad Duodecim-pontes, *in pago Tricassino ad Sequanam, erexit dotavitque in gratiam pauperum, maximè verò peregrinorum: cujus rei litteras ab Alcuino confectas huc referre non pigebit.*

IN nomine Domini qui regnat in perpetuum. Ego ALCUINUS, licèt indignus, Rector atque Gubernator Monasterii terumque sancti Martini præclarissimi Confessoris Christi, has litteras jussu & decreto domni KAROLI serenissimi Imperatoris dictavi, ne in posterum à successoribus meis vel à qualicumque persona partibus subter insertis valeat fieri deinceps ulla inquietudo. Decrevi siquidem Deo Christo inspirante, dominoque KAROLO favente, hospitale in loco celeberrimo, qui vocatur XII Pontes, ad susceptionem peregrinorum ob eleemosynam construere præfati domni Imperatoris, prolisque ejus & omnis ejus prosapiæ, ac statu exercitûs Francorum. Quod ita & feci, accipiens à domino meo terræ portiunculam inter duos pontes & duas aquas Sequanæ fluminis, sicut in sua auctoritate infra terminationem continetur: in qua construxi oratorium beatissimæ Dei genitricis Mariæ, hospitalesque domos ad perpetuam peregrinorum susceptionem, ut præfati sumus. Addidit quoque inidem dominus meus cum conscriptione & instrumento litterarum, sanctique nominis sui auctoritate, terram in Remense Campania decem manentium, ubi dicitur Marmorico-villa *. Sed & LEOTARDUS vir nobilis ex suo proprio tradidit in eleemosynam sibi perpetuam terram & possessiones duobus in locis, id est in Ferroco & Marniaco. Sed & Frambertus Presbyter aliquid tradidit in loco qui dicitur Briruaria. Suus quoque nepos, nomine Marato, sub venditionis titulo in loco qui dicitur Mariniaco, cui dedi quatuor libras argenti. Deinde per auctoritatem domni Imperatoris tradidimus ad eumdem locum in loco ubi dicitur Pariaco, & villa Dosio & Muerneto, sicut in donatione ordine continetur: & alio loco, ubi dicitur Patiaco super Igrua, seu & in Curcella & in villa Cavanno, quod Sigbertus & ejus parentes sancto Martino delegaverunt. In villa quoque Collorio & in valle Flaviacense atque Muilliare, quæ Adalbertus filius Beringarii ad vicem germani sui Ermenfredi partibus ejusdem Sancti delegaverunt, sicut in legalibus singulis donationibus continetur, ad ea loca aspicientes vel pertinentes, omnia ex omnibus. Alii quoque homines ingenui illis habitantes in partibus dederunt portiunculas terrarum perpetuo jure in locis diversis, ut

*Marmonville

Circ. An. DCCC XV. Maii XIX. est in monte Gratiano, &c. hæc omnia legitimè possessa atque habita ad præfatam pertinentia ecclesiam beatæ Mariæ, ratione infrà scripta interposita perpetuo jure ob eleemosynam domini nostri atque meam trado ideo Jesu-Christo & sancto Martino, ad pauperum perpetuam susceptionem, ut solatia ibi iter agentes habeant perpetua consuetudine, secundùm possibilitatem & benedictionem Domini, quam credo per intercessionem beatæ Mariæ & sancti Martini daturus est loco illi rebusque ad eum pertinentibus, per eleemosynam domini mei Regis Karoli, ejusque perpetualiter prolis, Regumque Francorum, atque in remedium animæ meæ, & prosperitatem successorum meorum, sanctæque familiæ sancti Martini salutem. Obsecrans per nomen & majestatem sanctæ Trinitatis atque per sanguinem redemptionis nostræ, necnon & per terribile judicium, in quo rationem redditurus est unusquisque fidei suæ & omnium operum suorum, ut hæc domini mei traditio, meaque donatio atque ibi susceptio peregrinorum fiat æternaliter firma, & inviolabilis perpetuo jure sub defensione & dispensatione Abbatum sancti Martini maneat, & hæc in beneficio alicui non tradatur, sed Fidelibus Deumque timentibus in ministerium sub regimine deputetur. Quem specialiter obtestor per sanctæ Crucis, sanctæque Trinitatis communionem, ut fideliter provideat, dispensareque faciat pauperibus, quidquid in illis terrarum portiunculis Dei benedictio fecerit fructificare, faciat & omnibus tam præsentibus quàm futuris Principibus potestatemque agentibus, ut postquam domini nostri amantissimi Imperatoris auctoritatem atque meam legere audierit, ut sine perturbatione nostræ decretum voluntatis stabile faciat permanere: quatinus & ipse particeps mereatur effici hujus benedictionis in æternum, nobiscum credens quod creditur us huic assertioni consentiens, sibi æquè per Dei misericordiam in eleemosynam proficere, sicut & mihi, qui hæc auxiliante Deo, primusque omnium disposui fieri. Larga est & benignissima bonitas Domini & Redemptoris Dei nostri, qui unicuique bonæ voluntatis & integræ fidei redditurus est mercedem perpetuam. Hæc sola chartula in omnibus locis & placitis pro ecclesiasticis donationibus, cessionibus, præstariis & vindicationibus sufficere potest, tametsi sub præsentia Fidelium Deique cultorum perlecta fuerit, quos adjuro per nomen æterni Dei & suæ redemptionis auctoritatem atque baptismi gratiam, quam ab ipsis cunabulis percipere meruerunt, ut quicumque hanc audierit scripturam, assensum præbeat juxta suam possibilitatem vel potestatem sibi collatam huic nostræ donationi, ne fortè si non fecerit, ratiocinaturus eum sancta Maria & sancto Martino me accusante, sed ad vicem pauperum & peregrinorum, rationem suæ damnationis percipiat in judicio futuro, cùm venerit Christus in majestate sua judicare omnes actus humanos. Quæ charta ut.:.·.·.·.· cum suis possessiunculis ab omni Comitum, Vicariorum, & Judicum, totiusque Potestatis impedimento & obnoxiatione maneat, & ut robustiùs credatur, dominus meus manu sua, meliusque cerâ anuli sui subterfirmare dignatus est, ne aliquis eam sacrilegus vel temerarius quicquam eorum quæ in ea inserta sunt, irritare præsumat.

Nulla temporis nota habetur in membrana, ex qua hoc exemplum transscriptum est. Xenodochium istud postea Ingelvvinus Abbas Martinianus attribuit Monasterio Cormaricensi, quò Monachi ipsius Cœnobii & ipsum in pristino statu restituerent, & pauperes ibi juxta priorem præfinitum numerum, *vigenarium scilicet,* semper in omnibus victualibus & ceteris studiis fulcirent, atque ob paganorum insecutionem inibi perfugium suæ salutis habere possent, *ut legitur in diplomate Caroli Calvi dato* Vermeriis, XIII kal. Julii, Indict. XIII, anno XXV regni *ejus. Nunc eo in loco, qui* Pontes * *di-*

* Ponts

citur, est Prioratus Abbatiæ Cormaricenæ subjectus.

Circ. An. DCCC XV. Maii xix.

XI. Alcuini secessus in Cœnobium sancti Martini, abdicatio præfecturæ.

60. *Etsi Alcuinus Turonico Monasterio præfectus erat, in eoque frequens versabatur; identidem tamen in aulam arcessebatur à Carolo, qui ipsius consuetudine & colloquio delectabatur. Id verò perquam molestum Alcuino erat, qui ad solitudinem ac secessum magnopere anhelabat. Testes ejus rei epistolæ plures. In epistola 17 Carolum rogat, ne gravatè ferat quòd ab ipso invitatus in palatium non accedat.* Ecce Flaccus vester, *inquit*, effeto corpore, militaris cingulo laboris deposito, secundùm piissimum domini sui David consilium devorè Deo soli quieta pace servire toto elegit desiderio. quod * iterum pugnare cogitur, & sub fasce armorum desudare, quæ infirmi corporis denegat fragilitas de terra tantummodo levare .·. Et ut simpliciter dicam, quod mihi simpliciter deprecari necesse est; ne quæso sancta mens domini mei irascatur tarditati meæ, quòd modò venire non valeam. Erit iterum, si Deo placuerit, tempore opportuno. Nec meam reor devotionem vestræ excellentiæ in aliquo plus prodesse posse, quàm assiduis apud sanctum Martinum orationibus. *& in epistola 19.* Deprecor vestræ invictæ bonitatis misericordiam, ut nullatenus mens sancta, voluntas benigna quæ in vobis est, meæ irascatur infirmitati: sed pia compassione fessum concedat requiescere, orationibusque pro vobis instare, & prævenire faciem æterni Judicis in confessione & lacrymis. *Idem suum desiderium testatur in epistola 92 ad Homerum.* Te abeunte, *inquit*, tentavi sæpius ad portum stabilitatis venire: sed Rector rerum & dispensator animarum necdum concessit posse, quod olim fecit velle. *Plures aliæ sunt de eodem argumento epistolæ.*

* f. quando

61. *Voti sui tandem compos factus est venerabilis Abbas, anno (ut puto)* DCCC IV, *quo regimine Abbatiæ cessisse videtur. Certè anno* DCCC I *quo epistolam 23 scripsit, necdum id obtinuerat, ut probant hæc ipsius verba:* Fere ante hoc quinquennium sæculares occupationes, Deum testor, non ficto corde declinare cogitavi: sed vestræ piæ providentiæ consilio translatus sum in servitium sancti Martini, Fidei catholicæ & ecclesiasticæ sanctioni donante Deo proficuum. Non recessit tamen de corde prioris voluntaris affectus, sicut transacto anno vestræ pietati jam prædixi. *Quem verò locum optaret ad secessum, indicat his verbis:* Inter Fratres in ecclesia sancti Martini Deo fideliter servientes vivere vel requiescere Deo miserante sine ulla dubitatione desidero. *Hinc est quòd dubium mihi videtur id quod scribit vitæ Auctor in cap. 8, scilicet Alcuinum secessum cogitasse in Fuldense Monasterium, idque sæpius à Carolo postulasse, nec impetrasse. Quidquid sit, secessum obtinuit in Turonicum Monasterium, ut satis innuit epistola 99 ad Fratres in Gothia partibus Deo servientes.* Ego verò, *ait*, sæculi tempestatibus turbatus, casso multis in locis labore desudavi. sed modò quasi naufragus Deo miserante ad portum dejectus [sum] quietis: in quo me fessum & vulneratum jacentem deprecor sanctarum assiduitate orationum vestram unanimitatem auxiliari. *De hoc secessu interpretor Caroli Magni carmen, quod inter Alcuini epigrammata ordine 185 exstat in hunc modum.*

Rex Karolus gaudens te .·. Pater .·. Magister.
Versibus his paucis æternam in Christi * salutem.
Mens mea mellifluo, fateor, congaudet amore
Doctor amare tui. volui quapropter in odis
O Venerande, tuam musis solare senectam.

* f. æternam posco salutem

& infrà :

Circ. An. dccc xv. Maii xix.

Jam meliora tenes ſanctæ veſtigia vitæ,
Donec ætherei venias ad culmina regni,
Congaudens Sanctis, Chriſto ſociatus in ævum.
Meque tuis precibus tecum rape, quæſo Magiſter,
Ad pia quæ tendis miſerantis culmina Regis.

62. *Hunc ſeceſſum, ut jam dixi, refero ad annum* DCCCIV, *quo Alcuinus obiiſſe hactenus creditus, propterea quòd eo anno Monaſteriorum præfecturas diſcipulis ſuis partitus eſt, Fridugiſo Martinianam, Sigulfo Ferrarienſem. Iſtam diviſionem notavit ſcriptor Vitæ cap. 8, ubi Alcuinus* Monaſteria ſibi commiſſa inter diſcipulos ſuos diviſiſſe *dicitur. Certè Ludovicus Caroli Magni filius, tum Aquitaniæ Rex*, Fridegiſo Abbati ex Monaſterio ſancti Martini *pro Cormaricenſibus privilegium conceſſit* anno XXVII regni *ſui, qui annus in Chriſti annum* DCCCVII *incidit. Mirum verò eſt, cur utrumque illud Monaſterium Canonicis duobus commiſit. nam Fridugiſus & Sigulfus Canonici erant. tametſi Sigulfus canonicum habitum monaſtico poſtea mutavit, ut ſcribit Lupus in epiſtola 29.*

XII. Alcuini diſcipuli.

63. DISCIPULOS *complures habuit Alcuinus, Eboraci, in palatio Caroli, Cæſaroduni Turonum, & forſan etiam Cormarici.*

64. *Eboraci eo præceptore uſi ſunt* EANBALDUS *junior, poſt ſeniorem Epiſcopus Eboracenſis;* FRIDUGISUS *mox laudatus, cujus rogatu ſcripſit libros de Trinitate;* JOSEPPUS *ſeu* JOSEPHUS, *de quo poſtea;* LIUDGERUS, *poſtea Mimigardefordenſis Epiſcopus;* PUTUL *in ipſius Liudgeri Vita laudatus ab Altfrido; & alii plurimi.*

65. *In palatio diſcipulos habuit* CAROLUM *Magnum, qui ipſo præceptore aliquando gloriatus eſt;* HOMERUM *ſeu* ANGILBERTUM, *Caroli generum, poſtea Centulenſem Abbatem ſanctum, quem Cormarici cum Alcuino nonnumquam muſas excoluiſſe ſuperiùs dixi;* GISLAM *&* RICTRUDEM *Caroli Magni filias, atque Columbam, quibus dedicavit commentarios in Iohannem;* DAMOETAM *ſeu* RICOLFUM, *&* MOPSUM *cum aliis in epiſtola 93 memoratis.*

66. *In Turonico Monaſterio Auditores habuit* ONIAM, CANDIDUM, NATHANAELEM, *quibus inſcriptus liber in Eccleſiaſten;* ODUINUM, *ad quem ſcribit de baptiſmi cæremoniis;* DAPHNIN, *in cujus gratiam explanat verſum ex Cantico canticorum;* MAURUM *ſeu* HRABANUM, *poſtea Moguntinum Archiepiſcopum;* SYMEONEM, *pòſt Epiſcopum Vvormatienſem, in epiſtola 101 laudatum;* WITHSONEM, RAGANARDUM, WALDRAMNUM, ADALBERTUM, *&* OSULFUM, *de quibus in Vita cap. 8. quibus adde* SICULFUM, *cujus relatu hæc Vita ſcripta eſt, cui nuncupatus liber de quæſtionibus Geneſeos; &* AMALARIUM, *uti Amalarius ipſe teſtatur in libro de ordine Antiphonarii cap. 58. Denique Alcuini tempore vixit in Martiniano Cœnobio Paulus Monachus, cujus epitaphium exſtat apud Alcuinum, quod eſt epigramma 267.*

67. *De Ioſeppo ſeu Ioſepho quædam in libris editis & mſſ. obſervavi, quæ huc adducere non otioſum puto. Ioſephum* ſanum *eſſe dicit Alcuinus in epiſtola ad Colcum apud Vſſerium in Hibernicis epiſtolis: at in epiſtola 67* dilecto filio Joſeppo *inſcripta, de adverſa ipſius valetudine condolet. & in epiſtola 74 Remigium Epiſcopum obſecrat, ut oret* pro anima Joſeppi diſcipuli *ſui: qui proinde ante præceptorem obiit. Dubitavi aliquando num eſſet ipſe* JOSEB, *quem Carolus Magnus alicui Monaſterio præficere volebat, ut legimus in epiſtola Theodemari Abbatis ad Carolum Regem: an verò Ioſues Abbas Monaſterii ſancti Vincentii ad Vulturnum, de quo infrà ad annum* DCCCVIII: *at nullatenus dubito quin ipſe ſit* JOSEPHUS, *qui jubente Alcuino compendio redegit commentaria ſancti Hieronymi in Eſaiam Prophetam. quam Ioſephi epitomen habemus in mſ. codice noſtro num. 585, in cujus initio leguntur hi verſus.*

Isaiæ brevibus, lector, mysteria verbis
Pandere quis poterit tractans & cuncta volurans?
Sanctus Hieronymus longis tractatibus usus,
Exposuit sapiens magnis ambagibus illum.
Cujus ab immensis tentabo excerpere libris,
Quæ breviter valeant sensum nudare prophetæ.
Sic placet Albino talem nos ferre laborem.

Epitome verò sic incipit: Omnes sancti Prophetæ, sicut Hieronymus multis exemplis affirmat, *&c. In fine verò epitomes habentur ea quæ sequuntur.*

Hieronymus monuit posttemi in fronte libelli,
Ut cuicumque foret verborum longior ipse
Textus in Isaiam, libros excerperet omnes,
Et brevibus vastos verbis constringere sensus.
Sic idcirco tuis parens, carissime, jussis,
Hæc, Albine, tibi strictim collecta dicavi.
Hæc utinam nostri memorem te sæpe rependant.
Hæc, Parer alme, legens, pro nobis sedulus ores,
Sæpius ac dicas: Dominus conservet Ioseph.
Hæc quoque verba tibi toto de corde rependam.
Care magister, ave; Dominus te salvet ubique.

Hæc brevi, prout potui, sermone in Isaiam de laciniosо Hieronymi tractaru, sicut dilectissime magister Albine jussisti, devotus excerpsi. Ita enim mihi præcipiebas, ut in cunctis pernecessarium tantùm sensum & Hebraïcæ veritatis tramitem sequens, tam ba.·.· quàm aliorum interpretum & tractatuum incerta & confusa declinarem vestigia. Duabus autem causis, ut reor, hæc ita fieri voluisti, ut vel fastidiosis tepidisque lectoribus longos libros legendi labor levaretur; vel ingeniosis & ardentis animi hominibus promtior breviorque quærendæ veritatis via redderetur. Si quis autem quasi breviora, & ob id obscuriora despiciat, (sæpius enim brevitatem comitatur obscuritas) ad fontem unde hæc hausimus erecta cervice currat; & cui rivulus iste non sufficit, desuper ripis suis inundante flumine * .·.· potest. Tu autem, dilecte Magister, in nostri laboris vicem tuæ nobis benedictionis & orationis gratiam communices: ut nostri Redemtoris clementiam pulsantes, pro ejus multa in multos misericordia in nobis quoque opus manuum suarum respiciens non despiciat; sed superatis sæculi hujus rentationum fluctibus ruptisque nostrorum * .·.· retiaculis, nos ad imperturbatæ vitæ portum perducat clemens Dominus Jesus.

* satiari

* peccatorum

Hæc de Iosephi lucubratione hactenus ignotâ: qui Joseph Abbas *initio scribitur ab eo, qui libri titulum apposuit. De sanctis Angilberto, Liudgero, & HRabano aliâs suis locis.*

XIII. Zelus pro Fidei ac morum integritate, modestia.

68. Quanto *studio Alcuinus affectus fuerit in rem Christianam, testantur plures ab ipso scripti libri, tum adversus Felicem Orgelitanum, tum adversus Elipandum Toletanum Episcopos, qui non bene de Christi dignitate filii sentiebant. testantur etiam epistolæ plures, quas ad retinendam revocandamque Fidei integritatem scripsit, ut epistola 69* ad Fratres Lugdunenses, *seu ad Monachos Insulæ barbaræ, contra eos qui salem in panem eucharisticum miscebant, qui unicam in baptismo mersionem adhiberi volebant. & epistola 71* ad Fratres in provincia Gothorum, *seu ad Monachos Septimaniæ, de necessitate confessionis, & alia nonnulla.*

69. *Morum integritatem non impari animo commendavit, scriptis litteris, tum ad Episcopos, tum ad Monachos, ut mores tum in se, tum in aliis religiosos reforma-*

Circ. An. DCCC IV. Maii XIX. *rent. Insignis est hoc de argumento epistola 6 ad Carolum Regem, in qua duo maximè reprehendit in Clero. Primum.* Audio, *inquit*, per ecclesias Christi quamdam consuetudinem non satis laudabilem, quam vestra prudentissima auctoritas facilè emendare potest, si tamen vera est opinio, & non magis falsa excusatio, ut quod facere nolunt Presbyteri, suis injiciant Episcopis. Nam dicunt ab Episcopis interdictum esse Presbyteris & Diaconibus prædicare in ecclesiis. *quod interdictum multis arguit. Alterum.* Vidimus quoque, *ait*, aliquibus in locis altaria Dei absque tecto, avium stercoribus vel canum mictu fœdata. quod facilè vestra veneranda in Deo voluntas per Episcopos emendare valet, ut cum honore condigno maneat mensa Domini in loco suo, vel portetur in ecclesiam majorem, secundùm sanctam Sacerdorum Dei providentiam. Et honorificè tractetur, seu altare Christi, seu consecratio corporis & sanguinis illius: & præcipuum salutis nostræ sacramentum omni veneratione consecretur, habeatur, & custodiatur. *Quid de relaxandis decimis, quas à novitiis Christianis Saxonici populi exigi volebat Carolus, senserit vir pius, probant epistola 7 & 11. In Simoniacos invehitur in epistola 88 & in epigrammate 271. In epistola verò 107 Antonium seu Adalhardum Abbatem Corbeiensem rogat, ut Homerum (id Angilberto alterum nomen) revocaret à spectaculis theatricis, uti id ipse tentaverat scriptâ hac de re epistolâ ad Angilbertum contra* spectacula & diabolica figmenta, quæ omnes sanctæ Scripturæ prohibent.

70. *Quàm modestè scripta sua, aut corrigeret, aut subjiceret aliorum censuræ, declarat in primis epistola 9 ad Carolum.* Quod verò in fine epistolæ me admonere curastis, ut si quid humiliter emendandum sit corrigatur; numquam fui, Deo donante, in errore meo pertinax, nec de meis confidens sensibus: nec talis, ut meliori sententiæ facilè adquiescere non valerem. *& epistola 15 ad eumdem:* Gratias agimus venerandæ pietati vestræ, quòd libellum secundùm vestræ jussionis præceptum vobis directum, auribus sapientiæ vestræ recitari fecistis: & quòd notari jussistis errata illius, & remisistis ad corrigendum. quamvis à vobis meliùs emendari potuisset: quia alterius judicium in quolibet opere plus sæpissime valet, quàm proprii auctoris. *Hæc satis in specimen aliarum virtutum.*

XV. Mors, tumulus, epitaphium, memoria, & elogia.

71. ALCUINUM *obiisse* XIV *Kalendas Iunias anni* DCCC IV *prodit Vita scriptor, eumque secuti Auctores posteriores. Diem retinendum esse constat: annum corrigendum argumenta tria persuadere videntur.*

72. *Primum argumentum petitur ex carmine 54, quod de sancti Amandi corporis elevatione (ut vocant) scripsit Alcuinus non ante annum* DCCC IX, *quo hæc elevatio facta est. Istud argumentum qua ratione eludi possit non video. Neque enim dici potest carmen seu epigramma istud non esse Alcuini: cùm nomen ipsius in eo compareat. Neque error Miloni elevationis tempus adsignanti, aut librario describenti imputari potest. siquidem annus* DCCC IX *tam in libris editis, quàm in mss. exprimitur in sermone Milonis de hac elevatione, & in Vita metrica ab eodem, & ab aliis Auctoribus confirmatur, ut superiùs ostensum ad eum annum, ubi de hac elevatione actum est. quem certè annum Milo ex testibus oculatis accepit. Et porro Alcuinus sancti Amandi Monasterium nonnumquam frequentabat, ex epistola 66.*

73. *Alterum momentum est, quòd Alcuinus cum Carolo Magno Aquisgrani tum exstitisse memoratur, cùm sanctus Liudgerus ad superos migravit, id est ipso anno* DCCC IX, *quo Liudgerum obiisse extra controversiam est. Scio Altfridum Episcopum in Vita sancti Liudgeri id reticuisse, scilicet Alcuinum moriente Liudgero cum Carolo astra speculantem Liudgeri obitum divinasse. at certè id posteris mandavit*

alius ejusdem vitæ scriptor anonymus, qui post annos fere quinquaginta, quàm hæc acciderant, id notavit.

74. *Tertium argumentum etiam præter annum* DCCC IX *Alcuini vitam prorogandam esse evincit. Hinc verò desumitur, quod Alcuinus HRhabano discipulo suo auctor fuit scribendi libros de Cruce duos, quos HRabanus in persona Alcuini, etiam tum sine dubio viventis, sancto Martino dedicavit. De perficiendo hoc opere exstat Alcuini epistola 55* benedicto sancti Benedicti puero Mauro, *id est HRabano, directa, quæ falsò* ad Benedictum *scripta in editis dicitur. In ea sic Alcuinus Maurum alloquitur.* Libellum, quem me rogante scribi promisisti, rogo ut rua faciat promissio firma, & mea impleatur lætitia. *qua verba non de alio, quàm de Crucis opere intelligenda sunt: quod HRabani primum esse constat. Opus istud ab se perfectum HRabanus sancto Martino postea nuncupavit, carmine edito nomine Alcuini illud offerentis. quod genus commendationis non nisi in persona hominis viventis scribi solet. Carmen istud incipit hoc modo, præmisso hoc titulo:* INTERCESSIO ALBINI PRO MAURO.

Sancte Dei Præsul, meritis in sæcula vivens,
Causam quam ferimus suscipe mente pia.
Nempe ego cùm fueram custos humilisque minister
Istius ecclesiæ, dogmata sacra legens;
Hunc puerum docui divini famine verbi, *&c.*

Erit forsan qui vim faciat in istis verbis, cùm fueram custos humilisque minister istius ecclesiæ, *quasi hæc non viventi, sed mortuo conveniant. Verùm hæc tantùm indicant, Alcuinum eo tempore non ampliùs fuisse Rectorem seu Abbatem Martiniani Cœnobii. quod superiùs probatum est. Atqui HRabanus istud opus condidit,* ubi sex lustra vitæ *implevit, ut ex eodem carmine manifestum est, ipso scilicet anno, quo Presbyter ordinatus fuit ab Otgario Moguntino Archiepiscopo, qui non ante annum* DCCC XV *sedem iniit. Itaque eo anno superstes erat Alcuinus, siquidem eo vivente carmen istud commendatorium scriptum est. Si quis tamen pervicaciùs contendat, carmen istud mortuo Alcuino aptatum à HRabano fuisse; saltem illud concedat necesse est, Alcuinum perficiendi operis hortatorem fuisse eo tempore, quo HRabanus scholis Fuldensibus præerat. Nam in fine prædicta epistola 55 Maurum valere jubet* cum pueris *suis. HRabanum autem non nisi ab anno* DCCC X *scholis Fuldensibus præfectum esse inferiùs suo loco probandum est in ipsius HRabani Elogio. ac proinde Alcuinus eum annum excessit.*

75. *His accedant conjecturæ tres non leves. una quòd Alcuinus libros sacros* veteris novique Testamenti *emendavit jussu Caroli Magni, ut ipse testatur in epistola præfixa libro sexto in Iohannem: quos libros sic emendatos obtulit Carolo cum epistola 20. Theganus verò auctor est, Carolum corrigendis libris sacris dedisse operam paullulum ante obitum suum.* Nam quatuor Evangelia Christi in ultimo ante obitus sui diem cum Græcis & Syris optimè correxerat. *quo tempore, ut veri simile est, Alcuinum ad sibi collaborandum excitavit. Id autem validè confirmat alia conjectura. nimirum quòd Alcuinus commentarii sui in Iohannem, quem commentarium rogantibus Gisla & Rictruda seu Rotrude Caroli filiabus religiosis aggressus erat, priores quinque libros ipsis Gislæ & Rictrudæ inscribit ac dedicat: alios verò duos* sorori GISLÆ, & Deo votæ COLUMBÆ, *Rictrudâ prætermissâ. quod argumento est jam tum decessisse Rictrudam, cujus obitus anno* DCCC X *contigit* VIII *Idus Iunii, ut ex Francorum Annalibus constat. Neque enim veri simile est, Alcuinum duos posteriores libros dedicaturum fuisse alteri quàm Rictrudæ, condendi operis hortatrici, si ipsa tum in vivis superstes fuisset. Tertia conjectura est, quòd Alcuinus libros tres de Fide sanctæ Trinitatis Carolo* Imperatori *transmisit* tempore celeberrimi conventus, quo Sacerdotes Dei & populi prædicatores Christiani in unum imperiali præcepto convenerant. *quod intelligendum videtur de Synodis, quas Carolus in Regno suo cogi præcepit anno* DCCC XIII. *Addi etiam posset Alcuinum scripsisse librum de vita Caroli Magni, qui anno* DCCC

Circ. An. DCCC XV. Maii XIX. XIV obiit. Verùm cùm incertum sit, an liber ille totam Caroli vitam complecteretur, nec aliud esse nonnullis videatur, quàm poëmatium illud, cujus fragmentum edidit Canisius, & ex ipso Chesnius, in Caroli adventu Romam ad Leonem Papam desinens; fatendum est id ante Caroli obitum scribi potuisse.

76. At quæ retuli argumenta manifestè probant, ni fallor, Alcuinum pervenisse ad annum DCCC XV. aut certe annum DCCC X excessisse. itaque corrigendum esse Vitæ scriptorem, aliosque Auctores subsequentes, qui Alcuini obitum ad annum DCCC IV retulerunt. Certè etsi magni facienda sit scriptoris hujus, utpote fere æqualis, auctoritas; alia tamen errata quædam commisit, quæ ipsum non in omnibus sequendum esse probant. Nescio an hæc subodoratus est Harpesfeldius, vir emunctæ naris, qui Alcuini obitum anno DCCC IX collocavit.

77. Alcuini corpus in ecclesia sancti Martini sepultum est, testante Vitæ scriptore; non verò in Cormaricensi Monasterio, ut putavit Vvillelmus Malmesburiensis Monachus in lib. 1 de Regibus Anglorum cap. 3. neque in Hersfeldensi, ut visum est Brovvero in Antiquitatum Fuldensium lib. 1 cap. 10. Errandi occasionem Brovvero præbuit cujusdam Albini epitaphium, quod nuper in ecclesia Hersfeldensi exstabat. Epitaphium istud, quod retulit Brovverus, & ex ipso Chesnius post Vitam Alcuini, nec magni momenti est, nec Alcuino tribui debet, sed forsan Albina seu Albuino Hersfeldensi Monacho, de quo hæc leguntur in Chronico Hildenesheimensi ad annum M XXXIV. Eidem verò Brunoni in Nienburg Albwinus in philosophica arte eruditissimus, Hersfeldiæ Præpositus, qui fuit antea scholæ Magister famosissimus, successit. Postea verò fieri potuit, ut cùm Monachi Hersfeldenses à majoribus accepissent, in ecclesia sua sepultum esse Albuinum; errore nominis putaverint esse Albinum magnum seu Alcuinum, de quo rude istud epitaphium composuerunt.

78. Alcuini memoriam & sanctimoniam prædicant scriptores ipsius ætati viciniores. Eum, cùm adhuc viveret, opere & sermone potentem Theodulfus Aurelianensis Episcopus in lib. 3 carmine 1, & Ionas Theodulfi successor venerabilem Magistrum Alcuinum vocat in lib. 3 de institutione laïcorum cap. 6. Eumdem sacris fastis inscripsit HRabanus ipsius discipulus XIV Kal. Junii his verbis: Depositio domni Alcwini. & in epistola commentariis Regum præfixa beatæ memoriæ Albinum Magistrum suum appellat. Hincmarus verò in epistola ad HRabanum beatum Alcuinum, & in epistola de non-trina-Deitate sanctum & venerandum Alcuinum laudat. & in epistola 1 ad Carolum contra Gothescalcum, meminit Alcuini viri religiosi & docti, eumque recenset inter illos Patres, quorum fidem & doctrinam sedes Romana non solùm benignissimè acceptavit, verùm & multis laudibus extulit. Ardo in libro de vita Benedicti Anianæ Abbatis Alcoinum sapientiâ præclarum, sanctitatis merito venerabilem dicit. Denique in Annalibus Fuldensibus ad annum DCC XCIV hoc elogio commendatur. His temporibus Alcuinus, cognomento, id est alio nomine, Albinus, sanctitate & doctrina clarus habetur. & in brevi Chronico Turonico: Anno DCCC IV sanctus Alcoinus obiit, nimirum XIV Kal. Junii, ut constat ex Vita, HRabano, & Hariulfo Monacho Centulensi. Nusquam tamen, quod sciam, Alcuini diem festum coluit Ecclesia, ne quidem Turonensis.

79. Erunt fortasse qui in Alcuino culpent, quòd plures Abbatias tenuerit. quòd habuerit multos servos, id est, si Elipando Toletano Episcopo credimus, viginti millia servorum. Verum est quidem eum Abbatias tenuisse plures in Gallia, Ferrariensem cum Cella sancti Iudoci, Trecensem sancti Lupi, Turonicam sancti Martini cum Cella Cormaricensi. At eas tenuit, non ut ex[illegible] locupletior fieret, sed ut Monachos ad laxiorem vitam prolapsos emendaret. Et servos habebat non alios, ut puto, quàm Monasteriis suis addictos. Nam plurimi tum erant servi Monachorum. Verùm, præstat ipsum auscultare ad utrumque objectum respondentem in epistola præfixa libris adversus Elipandum. Aliud est habere sæculum, aliud est haberi

beri

beri à sæculo. Est qui habet divitias, & non habet; est qui non habet, & habet. Hominem verò ad meum numquam comparavi servitium: sed magis devota caritate omnibus Christi Dei mei famulis servire desiderans, ad cujus servitii facultatem divina, ut credo, jubente dispensatione ad gloriosum & omni honore nominandum hujus regni Principem & Regem Carolum vocatus adveni. *Excusari proinde potest in Alcuino divitiarum copia, tum quòd ab earum cupiditate animum haberet alienum, tum quòd eas rectè dispensaret in usus Monachorum, quibus praerat. Certè quantum abfuerit à divitiarum cupiditate, testatum reddit epistola 37 ad Eadam Presbyterum.* Orationibus devotionis vestræ deduc nos in eumdem paupertatis gradum, in quo perficiente Deo salubriter consistis. Tu tenes in manibus, quod nos olim tenere cogitavimus: sed fluctus sæculi nostram naviculam procellosis ventis in voraginem divitiarum rapuerunt. Sed te precor, ut me pietatis precibus in portum quietis revocare studeas. Cupio, sed non facio. *Hac & alia plura vir pius ad Eadam, quem Monachum fuisse satis intelligitur. Porro hîc apertè significat Alcuinus, se aliquando constitisse* in portu quietis, *id est in Monasterio, in eoque divitiarum expertem vitam, in monastica scilicet frugalitate egisse, ad quem portum revocari exoptat, ut superiùs notabam num. 60.*

Circ. Ani dccc xv. Maii xix.

XVI. Judicium de Alcuini scriptis.

80. POSTREMÒ *ad Alcuini scripta quod attinet, fere omnia edita sunt ab Andrea Chesnio Lutecia Parisiorum anno* M DC XVII, *exceptis nonnullis, qua postea referam.*

81. In ea verò editione viris eruditis suppositicius videtur liber de divinis officiis. *tum quia farrago est ex diversis ipsius Alcuini aliorumque Auctorum ipso posteriorum scriptis collecta. nam caput 40 est tractatus Remigii Autisiodorensis Monachi de expositione Missa; & in capite 18 refertur epistola Helprici Monachi, qui videtur esse Hilpericus Sancti-Gallensis Monachus saculo* XI. *tum quia ineptias & errata quædam continet Alcuino indigna. quale est illud, quod in cap. 1 legitur, Christum Dominum natum esse* Sulpicio & Camerino Consulibus, *quod falsum est. item baptizatum* anno Tiberii XV, Valeriano & Asiatico Consulibus: *cùm dicere debuisset,* Valerio Asiatico & Messala Consulibus, *qui tamen consules non erant anno Tiberii* XV. *Item quod Auctor* Pascha *Gracam vocem esse dicit contra expressam Alcuini sententiam lib. 6 in Iohannem cap. 32 his verbis:* Pascha, fratres, non, sicut quidam existimant, Græcum nomen est, sed Hebræum. *denique quod* impudici *nomen derivat à podice in cap. 13. quod Sacerdos Gracum vocabulum esse ait in cap. 36. quod inepta scribit de cidari cap. 38.*

82. In carminibus etiam quædam notha & spuria sunt. ut carmen seu epigramma 3 de Bugga, quod scriptum est regnante Ina *Vvestsaxonum Rege, qui uno fere saculo Alcuinum praecessit. 48 de Ethildrita, quod est Beda venerabilis. 177 quod Angilberti Abbatis Centulensis. denique 178, si est Alcuini, dicendum est basilicam sancti Petri Roma spoliatam esse ante annum* DCCC XL, *quo id factum ab Saracenis legitur. Et quidem cùm eo in carmine agatur de insultu paganorum in Britanniam insulam, facilè crediderim esse Alcuini, cujus tempore Dani insulam illam impetierunt. Versus morales, quos ex Alcuino citat Lupus in epistola 20, est carmen 179.*

83. In editione Chesniana desiderantur commentarii in quatuor epistolas Pauli, *ad Ephesios scilicet, ad Titum, ad Philemonem, & ad Hebraos. item Prafatio in psalmos pœnitentiales ad Arnonem Saltzburgensem Episcopum, quæ exstat in Spicilegii tomo 9. item epistola tres edita in ejusdem Spicilegii tomo 6. tum* epistola ad Candidum & Nathanaëlem, *cujus fragmentum infrà.* Homiliarum duo volumina, expo-

Circ. An. DCCC XV. Maii XIX.

sitiones in Proverbia & Cantica, *quæ commemorantur in Vita cap. 12. His addenda* Confessio Fidei *quatuor partibus constans, &* liber de vita Caroli Magni, *de quo utroque opere quædam observanda.*

84. Confessio hæc à Petro Francisco Chiffletio Societatis JESU *Presbytero erudito typis primùm edita Divione est anno* MDCLVI *ex pervetusto codice Lugdunensi, qui nomen Auctoris præfert. An Confessio hæc sit genuinus Alcuini fetus, dubitant quidam eruditi, quorum præcipuas rationes videre licet in Indice historico, qui Officio de sanctissimo Sacramento subjectus est. Censura hæc summo. Priores partes duæ præclaræ sunt & piæ, sed plurimùm ex aliis Alcuini operibus, præcipuè ex orationibus depromta. Pars tertia non cohæret cum duabus prioribus, ex quibus multa repetit ad verbum. quod in uno eodemque opere nullus Auctor fecerit. Præterea hæc pars ex Confessione Pelagii & ex libro de dogmatibus ecclesiasticis desumta est, correctis tamen iis locis, quæ Pelagianam hæresim sapiunt. Pars quarta desinit in capite 9. nam quæ sequuntur, farrago est diversarum orationum malè cohærentium. Stilus accedit ad stilum Alcuini, non planè tersum & emendatum, sed fortem ac pietate ferventem. Vixit Auctor ante Scholasticorum ætatem, usus nonnullis vocabulis, quæ Scholasticorum ætas non facilè admisisset. Denique fatetur Indicis auctor, ex his conjecturis nihil certum definiri posse. Addunt aliqui aliam dubitandi rationem, quòd in ea Confessione nonnulla excerpta sint ex Meditationibus sancti Anselmi. At quis scit, num Anselmus ex Alcuino ea mutuatus sit? Non mirum si Alcuinus adhibeat Confessionem Pelagii, quæ tum sancti Hieronymi esse credebatur, ut patet ex lib. 3 Carolini operis contra imagines cap. 10. Quòd quædam non satis cohæreant, repetanturque nonnulla; id provenire potest tum ex eo quòd hæc Confessio constet ex variis Patrum sententiis, quæ in idem recidunt: tum ex motu ferventis animi, qui in ejusmodi agitationibus nullo ordine in diversa rapitur. Auctor in partis 4 cap. 15 à Deo postulat, se* necessariis famulantium obsequiis & impensâ à Fratribus reverentiâ numquam extolli. *quæ verba satis apertè innuunt, Auctorem Abbatem fuisse, multo servorum & Monachorum numero & comitatu stipatum. Id verò planè convenit in Alcuinum, qui* viginti millia servorum *habuisse dicitur, ut superiùs notavi. Subdit Confessionis auctor in ejusdem partis 4 cap. 17.* Amisi locum dilectæ solitudinis, amicum mæroris, quietis & pænitudinis, quem ab ineunte ætate semper dilexi. Idcirco in angustia & mærore multo posita est anima mea, tuum super se ignorans judicium: quia secretum solitæ quietis & opportunæ ad te vacationis, quod semel incautus amisi, denuo invenire non potui. Hoc autem opto adhuc, suspiro, & quæro: sed præpedientibus peccatis meis reperire non valeo. *Eamdem animi sui agitationem describit Alcuinus suprà num. 60 & 61. Ex quibus aliisque colligitur, ipsummet esse istius Confessionis auctorem.*

85. Caroli Magni Vitam ab eodem scriptam esse probat in primis subscriptio Vitæ ejusdem Caroli auctore Eginhardo, adjecta in codice Thuaneo, & apud Chesnium in tomo 2 edita in hunc modum: Reliqua actuum ejus gesta, seu & quæ in carminibus vulgò canuntur de eo, non hîc pleniter descripta *sunt.* sed require in Vita, quam Alcwinus de eo scribit. *& Balæus etiam Vitam Caroli Magni inter Alcuini opera commemorat. Quare commotus Henricus Canisius Alcuino tribuit carmen de adventu Caroli ad Leonem Papam Romam. Canisii conjecturam Andreas Chesnius in editione Alcuini operum approbasse videtur. Ivo Carnotensis Episcopus in Panormiæ parte 8 adducit fragmentum* ex gestis Caroli Magni juxta Alcwinum *in hæc verba:* Rogatu & precibus Adriani Romanæ urbis Episcopi exoratus Carolus Rex, bellum contra Longobardos suscepit. quod priùs quidem & supplicante Papa ab ejus patre cum magna difficultate susceptum est. *Ac totidem verba exstant in libro Eginhardi de vita Caroli Magni, quem librum Eginhardi esse constat.*

86. In Spicilegii tomo 4 pag. 485, ubi habetur thesauri Centulensis descriptio anno DCCCXXXI *jussu Ludovici Augusti facta, memorantur* Missalis Gregoria-

nus & Gelasianus modernis temporibus ab Albino ordinatus. *&* Lectionarius plenarius à suprà dicto Albino ordinatus, *scilicet Epistolarum & Evangeliorum, ut ex verbis eo loci intersertis interpretor. Librum denique de imaginibus scripsisse dicitur suprà num. 35. quod nescio an parum exploratum sit. Certum verò est, eum libros veteris ac novi Testamenti jubente Carolo emendasse, suprà num. 75.* Circ. An. DCCC XV. Maii XIX.

87. Antequam observationes de Alcuini scriptis finio, non ab re erit hîc exponere seriem quarumdam ejus epistolarum, secundùm ordinem temporis quo scripta sunt: qualis mihi eas perlegenti venit in mentem.

Anno DCC XC *in Anglia scripta est epistola ad Colcum, nimirum anno proximo post devictos à Carolo Sclavos, ad quem se mittendum esse dicit pro pace inter ipsum Carolum & Offam Reges procuranda, ut legitur in ea epistola, quam inter Hibernicas integram edidit Usserius, qui eam non bene locat ad annum* DCC XCV, *ut notavi superiùs num. 28.*

Anno DCC XCIV *Hadriano Papæ scribit epistolam 63 per Angilbertum, qui Acta Concilii Francofurtensis Romam detulit. Aliam item scripsit de nece Ethelredi Regis, cujus epistolæ fragmentum refert Willelmus Malmesburiensis Monachus in lib. 1 de Regibus Anglorum cap. 3.*

Anno DCC XCVI *Leoni Papæ scribit epistolam 72 per Angilbertum. Ad hoc iter etiam spectant Caroli epistolæ 83 & 84 inter epistolas Alcuini. Itherio Abbati Martiniano morti proximo dirigit epistolam 75. Homero seu Angilberto Romæ exsistenti epistolam 92. Carolo ægrotanti condolet, & ob Hunnorum subjectionem captivos liberari postulat epist. 90. Eòdem spectat epistola 91 ad Pippinum.*

Anno DCC XCVII *de electione Eanbaldi junioris Episcopi Eboracensis epist. 58 de saltu lunæ anno ultimo cycli decemnovenalis epist. 3. In epistola 112 ad Paulinum meminit legationis ab Avaris hoc anno missæ ad Carolum.*

Anno DCC XCIX *libellum, ut vocat, contra heresim de adoptione mittit cum epistola 15. De Leonis Papæ mutilatione agit in epistolis 12 & 13.*

Anno DCCC *Liudgardæ Reginæ obitum luget epist. 21 & 22. Non vult ire Romam epist. 13, 17, 19. Centulæ Vitam sancti Richarii scribere rogatus.*

Anno DCCC I *Carolo ex Italia revertenti gratulatur epist. 23. Eumdem ab expeditione Beneventana dehortatur epist. 24.*

88. Hæc sunt quæ de Alcuini scriptis observare potui. Superest ut fragmentum ejus epistolæ ad Candidum & Nathanaëlem exhibeam ex schedis nostris, uti pollicitus sum.

CARISSIMIS in Christo filiis CANDIDO & NATHANAELI ALBINUS salutem. Cura mea & caritas mea vobiscum, filii, omnibus vigilat horis, optans vos moribus & religiosâ vitâ Deo placere & domino meo DAVID: & exemplum sitis boni operis aliis in palatio juvenibus. Gratia est patris filius sapiens. Sapientia vera est, quæ ad vitam ducit æternam. Nec nobis ignobilia quædam statuit præcepta, sed valde nobilia & omni honore dignissima: in quibus ad vitam possumus pervenire perpetuam, & inter homines laudabilem habere honorem. De quibus siquidem præceptis sæpius vos admonui in schola auditionis nostræ: sed nuper de nido paternæ educationis educti, ad publicas evolastis auras. Intelligatur in vobis quod audistis à nobis. nam & pater in filiis *, qui modò trepidus exspectat diem mortis suæ, optat vos habere superstites, quos habuit in servitiis Dei laboris sui commilitones. Plurima mihi essent scribenda, quæ vobis necessariò sunt observanda: sed scio me de honestate vitæ sæpius vestram admonuisse caritatem, litterisque monita mea sæpius prosequi & renovare. Quapropter dicamus quæ modò nobis & vobis necessaria esse videntur. Igitur venerabilis Pater THEODULFUS Episcopus quibusdam cum Fratribus sancti Martini, fi-

*f. pater filios

CHR. AN. DCCC XV. MAII XIX. delibus vestræ prosperitatis intercessoribus, de quodam reo fugitivo habet disceptationem, qui reus post plurima pœnarum genera subitò de vinculis elapsus, ad ecclesiam confugit sancti Martini præcipui Confessoris Christi, confitens peccata sua, reconciliationem deposcens, Cæsarem appellans, viam ad ejus sanctissimam præsentiam flagitans. Quem reddidimus * .·. ejusdem Episcopi propter insidias sibi paratas in via, ut fertur. Abeuntes eum dimiserunt ante fores ecclesiæ stantem. Sed ejusdem venerandi Episcopi his transactis hostiliter venerunt homines quamplurimi, ut conjectura est. Sed octo primates homines intraverunt cum Episcopo nostro die dominico in ecclesiam. non illi octo qui in Propheta leguntur in gladiis & lanceis pascere terram Nembroth: sed rapere reum, & sanctitatem domus Dei profanare, & sancti Confessoris Christi Martini imminuere honorem. Irruentes siquidem intra cancellos altaris, quos * expulerunt Fratres ante faciem altaris. Si aliud dicunt, omnino falsum ferunt: quia illorum nullus caput tunc temporis inclinavit ad altare Dei. Sonuit siquidem ante civitatem venisse hostem Aurelianensem ad profananda sancti Martini suffragia: quia sciebant commanentes in villulis homines exinde venientes. Concursus fuit in civitate subitò mendicorum ex omni parte, suum parati defensorem defendere. Timor & tumultus ubique increpuit, de quorum manibus Fratres nostri eripuerunt præfati Episcopi homines, ne quid mali paterentur; populumque foras ecclesiam expulerunt. Sed scio ante nominatum Pontificem multas dicendas esse accusationes contra Fratres nostros, & quæ gesta sunt exaggerare, & plurima addere quæ gesta non erant, sicut in ejus legebatur litteris. Quapropter .·.

* ministris

* f. nostros

Hactenus epistolæ fragmentum, quod vir optimus Iacobus Sirmondus manu propria nonagenarius scripsit in gratiam Acherii nostri, cui integram epistolam pollicitus erat. Ejusdem est argumenti alia epistola Caroli Magni ad Fratres Monasterii sancti Martini missa cum minarum interminatione, nisi reum illum Theodulfo repræsentarent. quæ egregia epistola inedita præ manibus est V.C. Stephani Baluzii, propediem (ut spero) vulganda.

AN. CHR. DCCCXVIII. MAII IV.

DE V. JOSUE ABBATE
MONASTERII S. VINCENTII
AD VULTURNUM IN ITALIA.

1. *De hujus Monasterii origine dictum est in Saculi III parte 1 ad Vitam sancti Paldonis Abbatis primi, & successorum ejus Tasonis & Tatonis; & parte 2 in actis venerabilis Ambrosii Autperti, qui septimus Abbas eumdem locum rexit, ac prædictorum Abbatum gesta litteris mandavit. Autperti successores fuere* HAINRADUS, POTO & PAULUS, *cujus obitum Chronographus Monasterii describit his verbis:* Consummatis in sua sede Pater Paulus annis IX, mensibus V, diebus XX, migravit ad Christum XIV Kal. Aprilis, die dominica, anno Incarnationis dominicæ septingentesimo nonagesimo secundo, Indictione XV. *Paulo successit* JOSUE, *de quo hic agere institui, excerpendo ea quæ de ipso in Chronici Vincentiani lib. 2 leguntur.*

Paulo succedit Josues.

2. *Is* ex regali progenie ortus, regali quoque aulæ nutritus, liberalibus studiis apprime eruditus, puritatem innocentis vitæ felici ortu prævenit.

Genus ejus & patria.

An. Chr. DCCCXVIII. Maii iv.

unde jure meruit adipisci præmia digna. Cùm enim esset Imperatoris HLudovici, qui Almus est appellatus, ex præclara conjuge ipse quoque cognatus; tandem à Domino fore * vocatus, & sub sacro habitu Christo militaturus accessit, & propositum divinæ religionis piis exercebat operibus. *Hinc intelligimus, Iosuam fuisse cognatum prioris uxoris Ludovici Pii, scilicet Ermengardis, quæ Ingramni Hasbaniensis Comitis filia erat: ac proinde in Belgii partibus natum fuisse.*

* l. fortè

Vita monastica.

Abbatialis dignitas.

3. Sed dum in sacro Cœnobio ultra ceteros, qui sibi videbantur esse commilitones, ita summa virtutis ope excederet, ut in sanctæ conversationis studio præcelsior haberetur; ex divino nutu totiusque sanctæ congregationis electione, undecimus post sanctum PALDONEM constitutus est Abbas. *Auctoris hujus mens est, Iosuam fuisse Monachum Cœnobii Vincentiani, cujus etiam Abbas exstitit. Dubitabam num idem esset* JOSEB *Casinensis Monachus, quem Carolus Magnus Abbatem fieri jusserat ex Theademari epistola, relata in Chronic. Casinensis lib. 1. cap. 12 Theademari hæc verba sunt.* Joseb quoque Frater noster, quem, ut scribere nobis dignati estis, præficere ad regendum Monasterium sub Regulæ tramite destinatis, habet secundùm sacrorum canonum instituta largitatis facultatem, ut hoc possit facere: quæ licentiam Monachis tribuunt, etiam ecclesiasticis gradibus sublimari. Videat tamen ille, si sic se potest coartare, ut possit suo exemplo Fratribus prodesse. Grandis siquidem & prima est in hoc Monachis & contra Regulæ seriem districtio, si eis sine sua electione externus aliquis præponatur. Vestra tamen sagax providaque subtilitas, sicut cælitus mentem hauserit, ita disponat. *Sanè & Casinum Vincentiano Monasterio vicinum erat, & scriptæ epistolæ tempus accedit ad tempus Iosuæ electionis. Nam epistolam anno* DCC XC *scriptam esse puto: & Iosues anno* DCCXCII *Abbas creatus est ex dictis.*

Ludovici Pii adventus in Monasterium.

4. *Maximè dubiæ fidei censenda sunt quæ prædictus Chronographus scribit de Ludovici Augusti accessu in Vincentianum Monasterium, deque ejus præsentia in nova ecclesiæ dedicatione per Paschalem Papam facta. Is enim Auctor refert HLudovicum Augustum*, qui totius Italiæ post piæ memoriæ Carolum genitorem suum Regni jura susceperat, cùm esset Romæ, cognitâ præclara opinione præcipuæ religionis præfati Cœnobii congregationis, prædicti quoque sui cognati *Augustum visitare Cœnobium. quò cum pervenisset, cùm maxima* dona eidem Monasterio contulisset, *venerandum Patrem Iosuam obnixè ab ipso poposcisse*. ut illis concederet templum antiquissimum in territorio Capuano, quod maximis columnis & diversis lapidibus ab antiquis fuerat institutum, in loco ubi Ædes Imperatoris vel Cryptæ dicebantur. & quia tantis Patribus in unum congregatis esse illis parva orationis domus videbatur, suæ pietatis auxilio ecclesia in eodem Monasterio ad honorem summi Dei, & ejus pretiosi Martyris vocabulo Vincentii sublimior & celsior ædificaretur. *Et quidem Augustum postulata concessisse, & quæque necessaria erant tribuisse.* In cujus ecclesiæ fronte, *addit Chronographus, ita deauratis litteris legebatur:*

Novæ ecclesiæ structura.

Quæque vides, hospes, pendentia celsa vel ima,
Vir Domini Josue struxit cum Fratribus unà.

Erat ipsa ecclesia in longitudine habens passus triginta sex, & in latitudine cum ipsos porticus passus sexdecim, & in altitudine passus duodecim usque ad trabes: cameras quoque juxta factas ædes firmissimas habens. *Tum de ecclesiæ dedicatione hæc subdit.* Perfectis igitur ædificiis invitatur ad ejusdem ecclesiæ sollemnia dedicationis Augustus: quique gaudens & lætus cum sua Regina ejusdem felicissimi Abbatis Josue germana sorore, ac magna multitudine utriusque conditionis & sexus advenit. Adest & apostolicus Papa primus PASCHALIS cum collegio sacro Episcoporum, Cardinalium, diversorum Clericorum, atque innumera multitudine Fidelium populorum undique concurrentium: & cum maxima exsultatione &

Dedicatio.

An. Chr. DCCC XVIII. Maii IV.

lætitia prædictam dedicant basilicam, ubi eadem die Rex & Regina dona contulerunt magnifica. Pet singulas denique columnas singulas palliorum cortinas pendere jussit Regina: quæ columnæ hinc & inde simul fuérunt ttiginta duæ. Certè nos qui nunc vidimus, vel qui tunc illis vidêre temporibus, satis mirari non possunt illius ecclesiæ magnitudinem vel pulcritudinem in his regionibus. *Ab eo tempore quo Ludovicus Carolo patri successit, usque ad mortem Iosuæ Abbatis, quæ anno* DCCC XVIII *accidit, Ludovicus in Italiam non est profectus. ac proinde post adeptum Italiæ Regnum nec Iosuam Abbatem in Monasterio suo invisit, nec interfuit novæ ecclesiæ dedicationi: quæ super Paschalem Papam facta est, non ante annum* DCCC XVII, *quo sedem iniit, fieri potuit. Legimus quidem in Vita Ludovici Pii, Ludovicum ipsum anno* DCC XCIII *Caroli patris jussu in Italiam contendisse cum copiis, ut Pippino fratri Italiæ Regi opem ferret in Beneventanos rebellantes, quos ambo junctis viribus debellaverint. An verò ea occasione Ludovicus in Vincentianum Monasterium, cui jam tum præerat Iosues, advenerit, definire mihi non licet.*

Josues interest Concilio Aquisgranensi.

5. Hoc tempore, *inquit Chronographus, id est anno* DCCCXVII, idem Imperator conventum religiosorum Episcoporum & Abbatum fecit in Aquisgrani palatio, & cum multis Franciæ Abbatibus: inter quos etiam venerandus Pater Josue adfuit, septuaginta & duo capitula nostri Ordinis generalia constituit. *De hoc Concilio fusiùs dictum est tum in hujus Sæculi præfatione, tum in Vita Benedicti Anianæ Abbatis.*

Monasterii felix sub illo status.

6. Pater autem egregius Josue post ædificationem sui Monasterii, sanctæ congregationis velut optimus pastor sedulè invigilabat, & in animabus colligendis ac salvandis tam perfectissimus erat, ut divina se protegente gratia, tam præclaræ congregationis numero, quàm præcipuæ religionis cultu maximis etiam tunc Italiæ Monasteriis excellentior haberetur. Ferebatur quoque ubique fama sanctitatis illorum, adeo ut è Francorum provinciis plurimi patriam, parentes, opesque relinquentes, eorum se subderent magisterio, etiam ex aula regia, illorum religionem sequi cupientes. Confluebant præterea ex cunctis Italiæ finibus nobiles quoque Duces, Principes, & Comites, atque potentes: beatos se fore æstimantes, si aliquid Deo in eodem Monastetio pto suæ mercedis emolumento ex suis facultatibus & possessionibus offerre potuissent. *Lege varias diversorum donationes apud eumdem Auctorem.*

Josues Paschali P. familiaris.

7. Præter ea apostolicæ sedis summus Pontifex PASCHALIS ejusdem magnifici Patris Josue ita sibi familiarissimi amico sæpe utebatur consilio, & Romanæ Ecclesiæ necessariis rebus adjutorio, ut cum à suptadicto Imperatore Ludovico pactum confirmationis acciperet, (sicuti in Pontificali ejusdem Ecclesiæ Romanæ scriptum reperi) inter reliquos Franciæ Abbates eum adesse pro parte sedis apostolicæ voluisset. cui etiam redeunti vice dilectionis atque gratiarum quædam insignia cum hujusmodi pr.·.·.lio contulit.·.·. *Hoc loco intellige decretum confirmationis, quo Ludovicus Augustus donationes Ecclesiæ Romanæ ab avo suo Pippino Rege & à patre Carolo Magno f. ctas Paschali Papæ confirmavit: cui decreto subscripserunt* tres filii ejus, & Episcopi decem, & Abbates octo, & Comites quindecim, & Bibliothecarius unus, & Mansionarius unus, & Ostiarius unus. *quod anno* DCCC XVII *factum est.*

Obit ann. 818.

8. Venerandus autem Pater Josue postquam annis viginti quatuor, mensibus sex, & diebus sexdecim, sanctæ congregationis rexetat gregem, sumtus in gloria migravità sæculo IV Nonas Maii mensis, anno dominicæ Incarnationis octingentesimo decimo octavo, Indictione XIII, ultra humanum modum secundùm merita sua. cujus sanctum corpus ante eamdem ecclesiam in dexteram partem sepultum est in pace. Sed longo pòst tempore, id est post ultimam desolationem ipsius ecclesiæ, cùm fama ce-

lebri didicissemus aliquos ad ejus corpus divina sæpe sensisse beneficia, illius ossa & venerabilis Authperti, cujus superiùs vitam descripsimus, & aliorum Patrum antiquorum hoc in loco attulimus, atque in sarcophago grandi posuimus cum domni Hilarii Abbatis corpore, de quo adjuvante Domino quæ novimus, suo loco narrabimus. An. Chri. DCCC XVIII. Maii IV. Translatio corporis.

9. De Iosue nulla mentio in recentioribus etiam Martyrologiis, neque sancti nomine honoratur in serie Abbatum Monasterii sancti Vincentii, apud Ughellum tomo 6. De nongentis Monachis qui à Saracenis cæsi sunt, inferiùs dicendum.

VITA SANCTI BENEDICTI, ABBATIS ANIANENSIS IN GALLIA NARBONENSI.

An. Chr. DCCC XXI. Febr. XI.

Auctore Ardone seu Smaragdo ejus discipulo.

Ex ms. cod. Anianensi auctior quàm in editis apud Menardum & Bollandum.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *In Gallia Narbonensi*, quam Septimaniam, Gothiam, Occitaniamve appellant, multa loca sunt sancti* Benedicti *nomine ac factis illustrata. Huic ortum dedit Comitatus, cujus caput Magalona* seu Magdalona, urbs ad oram maris Mediterranei, episcopalis sedes quondam, ante annum* MDXXXVI, *quo cathedra Pauli Papæ tertii auctoritate Montem-pessulanum translata est. Ea in diœcesi exstat insigne Monasterium ab Aniano amne* Aniana *dictum, cujus auctor Benedictus, idem ipse multorum Cœnobiorum postea Rector,* Benedictus Anianensis *vulgò appellatus. Ejus Vitam edidit* Ardo *seu* Smaragdus, *tanti viri discipulus, rogatu Indensium Monachorum; eamdemque Menardus noster cum eruditis notis & observationibus præmisit Concordiæ Regularum à Benedicto conditæ; tum Godefridus Henschenius in Martio Bollandiano novo rursus commentario illustravit; nosque demum auctiorem ex ms. codice Anianensi recudimus hoc loco. Agemus infrà de S. Ardone, qui huic scriptioni dabat operam superstite Ludovico Augusto, ut patet ex num. 40. Theodulfus eleganti elogio Benedictum Anianensem Benedicto Casinensi comparat in carmine, quod huic Vitæ subjiciemus.* Benedicti patria. *le Languedoc *Maguelone Vita.

2. *Benedictum celebrant Martyrologia vetera, tum Anianense, tum Gellonense,* tertio Idus Februarii. *sic enim in apographo Gellonensi legitur:* III Id. Febr. obitus beati viri Benedicti, qui in provincia Gotia exortus sub Pippino Rege Francorum, *&c. iisdem fere verbis, quibus usi sunt Monachi Indenses in epistola ad Ardonem in calce istius Vitæ referenda. Eodem die sancti Benedicti Officium legitur in vetusto Breviario Anianensi, nec alio die ejus memoria colitur Anianæ, ut fallunt nonnulli. Ex quibus corrigenda recentiora Martyrologia, etiam Benedictinum, quæ ejus depositionem rejiciunt in diem sequentem.* Memoria.

3. *Anianense Monasterium suis impendiis excitavit Benedictus, adjuvantibus Carolo Magno ejusque filio Ludovico Augusto: cujus Ludovici quanta fuerit tùm in Benedictum, tum in ipsius Monasterium animi propensio, probant varia quæ concessit, quæque ego ipse legi diplomata minimùm tredecim; quatuor quidem* Benedicto *Abbati inscripta, quintum* Senegillo *Benedicti successori, sextum* Georgio *Abbati,* Trutesindo *itidem Abbati quatuor, tria* Ermenaldo; *omnia in gratiam Anianensium Monachorum. Istorum diplomatum summaria capita & chronologicas notas referre juvat, quò primorum Abbatum Anianensium ordinem ac seriem delibemus.* Monasterii Anianensis primordia.

4. *Benedictus è Monasterio sancti Sequani egressus, postquam annos aliquot in cella prope Ananum exstructa vixit cum discipulis suis, grande Cœnobium* Anianam *dictum ædificavit, & basilicam Salvatori ac beatæ Mariæ nuncupari jussit circiter annum* DCC LXXXII. *tum* Abbates & diplomata.

An. Chr. DCCC XXI. Febr. XI. *Carolus Magnus ei privilegium immunitatis concessit in sequenti Vita relatum, cujus characteres chronologici exciderunt. Privilegium hoc Ludovicus Augustus petente Benedicto confirmavit* VIII Kl. Maii, anno primo imperii, Indict. VII, Aquis palatio, Durando Diacono ad vicem Helisacaris recognoscente: *cùm pridie ejus diei immunitatem ab itinerariis censibus eidem concessisset. Dein* vir venerabilis Benedictus Abba unà cum consensu Georgii venerabilis Abbatis Anianensis Monasterii, quem ipse ibidem successorem elegerat, & Monachis ibidem consistentibus, seu etiam Nebridii Archiepiscopi, *privilegium ab eodem impetravit* de Bella-cella, *concessum* VII Id. Martii anno VI imperii, Indict. XII, Aquisgrani palatio. *Denique idem Imperator suggerente Benedicto Monachis Anianensibus fecit potestatem*, ut Advocati Monasterii perdita quærerent, & justa possessa ubique secundùm legem defenderent, *litteris datis* Idib. Octob. anno imperii III, Indict. XI, Compendio palatio, *quas* Durandus Diaconus ad vicem Fridugisi recognovit.

5. *Benedictus Aquisgranum ab Ludovico vocatus, & Inda Monasterio præfectus,* Senegillum *Aniana Abbatem substituit anno* DCCC XV. *Id patet ex ipsius Imperatoris diplomate de Casa nova sive Gordanico, dato* anno II imperii *ejus, quod postea integrum referemus.*

6. *Senegillo* Georgius *suffectus à Benedicto est anno* DCCC XIX, *uti discimus ex aliis Ludovici litteris de Bella-cella, quas modò citavimus, integras inferiùs adducendas.*

7. *Georgium excepit* Trotsindus *anno* DCCC XXII. *cujus Abbatis electionem confirmant Ludovici Augusti littera ab Acherio nostro edita in Notis ad Guibertum. aliaque ejusdem Imperatoris ad eumdem Abbatem littera exstant in tabulario Anianensi de immunitate Monasterii,* datæ XIII Kal. April. anno IX imperii HLudovici, Indict. XV, Aquisgrani palatio. *item alia de Gellone, Monte-calmensi, aliisque de rebus, data Aquisgrani die insequente ejusdem anni. Denique alia de quibusdam rebus villa Cinetani* in pago Biterrensi, *quas res* Arnaldus Comes domno Benedicto tradiderat; *sed postea fisco* à Missis dominicis revocatas *Ludovicus Tructesindo restituit* anno IX imperii, XIX Kal. Septemb. Carbonsco villa, Hirminmario Diacono ad vicem Fredugisi recognoscente.

8. *Trutesindum sequitur* Ermenaldus, *cui Ludovicus privilegium ab ipso jam pro Advocato donatum confirmavit* XII Kl. Aug. anno XXII imperii, Indict. XIII, Strennaco villa. *quas litteras legesis in Notis ad Guibertum pag. 647. Eidem Abbati concessa item sunt alia littera inferiùs referenda, quibus Ludovicus confirmat omnes possessiones Monasterii,* XII Kl. Novemb. anno XXIV imperii, Indict. XV, Aquisgrani palatio: *quod alio diplomate jam præstiterat de cella Gellonensi* XIV Kal. Octob. *anno & loco iisdem.*

9. *Ermenaldo successit* Arnulfus, *ad quem exstat diploma Caroli Calvi, datum* in Pontione fisco regio, anno XIII regni *ejus. Hæc de primis Aniana Abbatibus dicta sint ad corrigendos indices vulgatos. alios investigare mihi non promtum, aliis rebus occupato.*

Aniana multorum Monasteriorum caput. 10. *Nec mirum, si tot tantisque privilegiis & immunitatibus donatum est Aniana Monasterium, utpote* cunctorum caput Cœnobiorum, non solùm quæ in Gottiæ partibus constructa esse videbantur; verùm etiam & illorum quæ aliis in regionibus ea tempestate & deinceps per hujus exempla ædificata, atque de thesauris illius ditata sunt, *inquit Ardo. His de Monasteriis agemus post Vitam sancti Benedicti, quem rei Benedictina restitutorem eximium fuisse in hujus Saculi Præfatione probavi, & in Præfatione ad Saculum II. In mss. codice Anianensi huic Vita præmittitur inscriptio in hunc modum:* Vita Beati Benedicti Abbatis Anianæ scripta et missa per S. Ar. *id est (ut conjicio)* Smaragdum Ardonem, *aut certè*, sanctum Ardonem.

PRÆFATIO AUCTORIS.

Auctor Indensium Fratrum rogatu, * infrà

1. Dominis *merito venerabilibus Patribus, Fratribusque, Inda Monasterio Deo* Jesu *famulantibus,* Ardo *servorum Christi famulus salutem dicit.* Jam pridem, dilectissimi Fratres, vestræ ad me delatæ fuerunt litteræ *, amore piæ recordationis Patris nostri Benedicti Abbatis stipatæ, exitumque ac migrationem ejus ad Christum breviter, sed amabiliter continentes. In quibus exiguitatem meam admonere estis dignati, ut latiùs initium conversationis ejus audi-

re

re cupientibus scriberem: sed hactenus virium mearum cernens pondus excedere, distuli. Siquidem sagaci industria scribentibus præcedentium vitam meritis venerabilem, virtutibus celebrem, curandum est, ne aut negligentiâ torpentes omittant utilia, aut inducti gratiâ adjiciant supervacua: sed diligentissimè exquisita, necnon evidentium relatione testium roborata currente calamo scribant, non rusticitatis virium redolentes peritorum aggravent aures, sed urbanitatis salefacientie [a] condita pruferant verba, politisque sermonibus (ut ita dixerim) derogantium demulceant aures. Meæ verò ipse imperitiæ expertus, vestris quandoque pariturus præceptis longo silui tempore, & ut ab eruditioribus explicaretur sustinui. periniquum nempe decernens, si tanti patroni vitam imperitis attingerem verbis, peritioribusque debitum auferrem laborem, qui queunt, copiâ verborum affluentes, pompaticè quæque volunt enucleare, & inter Syrtes nihil paventes regere cymbam, solœcismorumque vitare fœtorem; facundiaque eloquentiæ præditi, ex abundanti eis est copia fandi derogantium comprimere linguas. Pavebam, ne hi dum vitiosè composita currigere vellent, à malè contextis exacerbati adjudicarent negligenda: præsertim cùm noverim vos sacræ aulæ palatii adsistere foribus, nec turbulenti rivuli sitire potum, quin potiùs ab indeficienti vena purissimi fontis sedulò sapientiæ haurire fluenta. Hæc me ratio annali continuit spatio.

An. Chr. dccc xxi. Febr. xi.

2. Interea cœperunt me mordacissimis verbis ab inerti studio expergescere Fratres, quos ipse pio conamine genuerat Christo, & ut eis illum gestis vitæ religiosæ resuscitarem compellere; à quo absentes esse solo constat consortio corporis, non plenitudine caritatis. Sic tandem aggrediot explicare opus. Dedit ausum ac consilium veniale etiam locus, qui ab eo primitus constat esse constructus, Fratresque qui ejus noverant conversationis initia. Nam quod aliis contigit vix non auditi, ab his potuit vix non videri. Igitur pro captu rebus ex parte collectis, impensas operi accuratiùs explicaturi paramus, & quasi quoddam seminarium latiùs promulgaturi nimiùm artamus. hoc humili prece poscentes, ut si quis hoc despexerit opus, linquat aut corrigat: sin aliàs, legere & sequi volentibus sinat, seque ad præcedentium Patrum Vitam legendum convertat. Et si hanc ab eorum tramite juxta vires non aberrasse repererit, gratuletur: sin autem, non temere judicando refutet; sed lacrymabiliter interveniendo ei æquissimum Judicem pacatissimum reddat.

post annuam moram, hanc Vitam scribit.

3. Vestris quia parui jussis, ô sanctissimi Fratres, precor, ut me orando adjuvetis ad Deum, quatenus orantibus vobis, & meorum mihi detur venia delictorum, & posteris proficiat in augmentum. Rursusque obnixè postulo, ut hanc pervigili studio relegatis, & quæque vitiosè contexta fore probaveritis, elimando corrigite: si qua verò utilia, in arcano pectoris vestri excolenda servate. Siquidem imperio vestro silentii vl subtracta affectum præbuimus, non effectum; loqui nostrum vobis imputabitis, qui non tacere nos imperasse recolitis. Et quoniam ei unicæ dilectionis affectu migranti de sæculo HELISACAR [b] hæsit Abbas, sicut ipsius auro pretiosior nubis directa testatur epistola; post vestram examinationem illi singulariter censeo præsentari. Esto, occulendam esse decreverit, veniam de meo posco errore: sin verò utilem, qui libenter paruerunt vi-

[a] Menardus habet *sale facientis*. Henschenius expunxit vocem *facientis*, cùm tamen habeatur in codicibus mss *salefacientie*.

[b] De eo item infra in epistola Indensium Monachorum de obitu Benedicti. Abbas erat Monasteriorum sancti Maximini apud Treviros, Centulæ in Pontivo, Gemetici in Neustria; Ludovici Augusti etiam Cancellarius, laudatus apud Amalarium in præfatione Antiphonarii, in Chronici Centulensis lib. 3, in consultatione Agobardi de baptismo Judæorum mancipiorum, & in libro de dispensatione; anno DCCC XXVII à Ludovico missus cum aliis ad motus Hispanicæ Marcæ comprimendos, teste Eginhardo.

An. Chr. DCCC XXI. Febr. XI.

venti, imitari satagant vitam absentis. Perantiquam siquidem fore consuetudinem, hactenus Regibus usitatam, quæque geruntur acciduntve, annalibus tradi posteris cognoscenda, nemo (ut reor) ambigit doctus. Et quoniam mens diversis rebus partita oblivione cæcatur, divinitus credimus esse consultum, ut quæ oblivio prolixa percurrente tempore poterat abolere, litteris mandarentur servanda, quarum lectione jucundantur, hilarescunt, totosque se ad gratiam inflectunt hi qui talia concupiscunt legere: nec ab his temerarius judicatur auctor scripturæ, etiam si contingat minùs politis perstrepere verbis, ad quam avidè cognoscendam desudant. Concedant igitur nobis & præcedentium legere Vitam, & posteris mandare quæ ipsis nostris temporibus vidimus, vel audivimus ad augmentum animarum profutura: nec condemnemur de imperitis sermonibus, & rusticitatis vitium redolentes, quoniam ratum ducimus normam salutiferam licèt rudibus depromere verbis, & in abjectis virgulis pulcherrimum pandere favum. Suo quisque sumat arbitrio, quæ animo comperit placitura.

ex visis & relatis.

INCIPIT VITA.

Benedictus in aula Regis educatus,

4. IGITUR vir venerabilis, nomine & merito BENEDICTUS Abbas, ex Getarum [a] genere partibus Gotiæ oriundus fuit. Nobilibus natalibus ortus, sed eum superna pietas potiori virtutum claritate nobilitavit. Pater siquidem ejus Comitatum Magdalonensem, quoadusque vixit, tenuit: & Francorum genti fidelissimus totis viribus exstitit, fortis & ingeniosus; hostibus enim valde erat infestus. Hic nempe magnâ prostravit strage Wascones, qui vastandi gratiâ fines Regni Francorum fuerant ingressi: è quibus nullus evasit, nisi quem pernix fuga salvavit. Hic pueriles gerentem annos præfatum filium suum in aula gloriosi PIPPINI Regis Reginæ tradidit inter scholares nutriendum: qui mentis indolem gerens, supra ætatem diligebatur à commilitonibus. erat quippe velox, & ad omnia utilis. Post hæc verò pincernæ sortitur officium. Militavit autem temporibus præfati Regis: post cujus excessum, cùm Regni gubernacula CAROLUS gloriosissimus Rex potiretur, ei adhæsit serviturus.

fit pincerna.

Sæculi fugam meditatur.

5. Interea illustrante divina gratia, superno cœpit flagrare amore, & ut sæculum linqueret, totis æstuare nisibus, periturumque fastidire honorem, ad quem cum labore attingere posse cernebat, sed adeptum citò amittere. Per triennium autem hoc corde tegens, soli Deo secretum tenuit, corpore, non mente se sæculi actibus inserens. Tentabat igitur infra hoc spatium, si continentiæ culmen arripere posset, subtrahere corpori somnum, reprimere linguam, abstinere à cibo, parciùs sumere vinum, & veluti peritus athleta ad futurum se componere bellum. Præmeditabat siquidem in sæculari adhuc habitu sistens, quæ postea devotus implevit: sed quamquam se à sæculi actibus exuere vellet, hæsitabat tamen, quibus hoc modis faciendum esset, utrum peregrini adsumeret habitum, an fortè se alicui conjungeret, & hominum oves aut armenta gratis pasceret, an etiam in civitate sutoris exerceret artem, & quæ habere posset pauperibus erogaret. Sub tali quippe certamine fluctuante animo ad amorem se vitæ regularis convertit.

ex naufragio ereptus

6. Eo namque anno, quo Italia gloriosi Caroli Regis ditioni subjecta est, cùm frater ejus incautè fluvium quemdam transfretare vellet, & à

[a] Id est Gothorum, qui ab anno CCCC XII Tolosam insederunt, in vicinas inde regiones effusi. quamquam Getas, Danubii juxta Daciam accolas indigenas, à Gothis adventiciis distinctos esse constat.

tumentibus raperetur undis, hic equo sedens periculum conspiciens fratris, sese inter undas præcipitem dedit, ut pereuntem à periculo redderet extorrem, atque natante equo fratris attigit manum, quem cùm tenuit, tentus est; vixque qui eripere morientem voluit, mortis evasit periculum. Tunc se voto Deo constrinxit sæculo deinceps non militaturum: patriam petit, sed hoc patri non patefecit. Quidam autem erat Religiosus WIDMARUS nomine, corporea luce carens, sed cordis luce resplendens, cui velle suum ostendit, isque secretum tenuit, & consilium salubre præbuit. Præparatis itaque omnibus iter quasi Aquis iturus arripuit: sed ubi sancti Sequani ingressus est domum, redire suos ad patriam jubet, seque in eodem Cœnobio Christo Deo servire velle indicavit. Postulat ingrediendi licentiam, qua adepta mox capitis comam deposuit, & veri Monachi habitum [a] sumsit.

An. Chr. DCCC XXI. Febr. XI.

id tamen exsequitur in Cœnobio S. Sequani.

7. Factus verò Monachus incredibili inedia per biennium & sex mensium spatia corpus suum affligere cœpit. Sic quippe carni suæ acsi cruentæ bestiæ erat infestus, cibum permodicum sumens, pane videlicet & aquâ corpus sustentans, mortem potiùs quàm famem arcens, vinum siquidem ceu pestiferum virus devitans. Somnum si quando devictus animus sumere vellet, vili se strato paullulum quieturus collocans, aliquando nuda humo prostratus nimiùm defessus quievit, ipsa sua se plus requie lassaturus. Sæpe etiam pervigil in oratione pernoctans, nudis plantis in pavimento glaciali rigore perfusus, persistens in divinis nempe meditationibus ita se totum contulit, ut quamplures continuaret dies, sacris psalmodiis deditus, silentii legem non interrumpens. Quiescentibus cunctis hic eorum calceamenta aquis mundans tergebat, eaque locis congruis lota restituebat. Heu prô dolor! quidam eum veluti illudentes insano prorsus, procul posito caligas jactabant, quorum vesanam insipiditudinem hic altiori consilio bene tranquillus ferebat. In vestitu namque suo tanta se vilitate dejecit, ut vix persuaderi nescientibus veri simile fortè possit. Erat itaque ei vilis & pervetusta tunica, quam non nisi post plures exactos mutabat dies. quapropter copia pediculorum in squalenti surgebat cute, à quibus jejuniis attenuata depascebantur membra. Cucullæ illi nimia erant vetustate consumtæ: & si quando veterascentia rumperentur fila, ex dissimili colore foramen patens pannum repertum farciebat. quæ res eum satis reddebat deformem. Quam ob rem à compluribus deridebatur, impellebatur, conspuebaturque: sed cælo animus fixus viliora appetens, cùm in festis diebus, cultioribus se reliqui componerent vestibus, hic sine reverentia coram obtutibus omnium utebatur. Balnearum usus per idem tempus suo corpori numquam indulsit, munditias autem Monasterii, quoties opportunitas experiit, exercuit.

Monachus rigidè vivit,

aliis ministrans,

vili amictu contentus.

8. Compunctionis gratia, ope divina concedente, tanta ei largita est, ut quoties vellet, fleret. Quotidie lacrymis, quotidie gemitu ob gehennæ metum alebatur, illud Davidicum amabiliter canens: *Cinerem sicut panem manducabam, & poculum meum cum fletu miscebam.* Pallebant ora jejuniis, & macie exhausta carne, pellis ossibus inhærebat, ac in modum paleariæ boum rugata pendebat. Hoc modo tenetum quasi indomitum animal non tam mansuefaciens, quàm (ut ita dicam) mortificans corpus, cùm cogeretur ab Abbate parciùs erga semetipsum exercere rigorem, adsensum minimè præbuit. Regulam quoque beati BENEDICTI tironibus seu infirmis positam fore contestans, ad beati Basilii dicta, necnon Pachomii Regulam scandere nitens, quamvis exiguis possibilia gereret, ju-

Lacrymis affluit, Psal. 101. 10. & jejuniis.

Regulæ S. Benedicti studiosus.

[a] Anno scilicet DCCLXXIV, quo recepta à Carolo Italia. Certè Benedictus obiit anno DCCCXXI, post annos monasticæ professionis quadraginta octo. De sancti Sequani Monasterio diximus ad Vitam sancti Sequani Sæculo I, & Sæculo III, ubi de sanctis Alsigiano & Hilarino Monachis.

An. Chr. DCCCXXI. Febr. XI.

giter impossibiliora timabat. His se pœnitentiæ lamentis prælibans, quoniam inimitabilis erat vel nullis vel paucis, coopitulante gratia divina, ut multorum fieret documentum salutis, in amorem præfati viri Benedicti Regulæ accenditur, & veluti de singulari certamine novus athleta ad campum publicè pugnaturus accessit. Interea cœpit aliorum corrigere mores, negligentes arguere, exhortari tirones; ut proficerent admonere probos, ut corrigerentur increpare improbos.

Cellarii curam gerit.

9. Injungitur ei post hæc custodiendum cellarium, quo memoriæ Regulam præfati Patris commendavit, & juxta præceptum illius totis viribus sese componere, ac licita petentibus sine mora studebat largiri, malè petentibus denegare, impossibilia exquirentibus blandè excusare. Et quoniam pro libita voluntate eis pocula non præbebat, æquis obrutibus à compluribus non inruebatur. Hospitum, infantum, pauperumque omni sagacitate curam gerebat. Abbas quoque eum summo colebat affectu, eo quòd esset in omnibus utilis, & suæ vitæ cautus, de aliorum salute sollicitus & circa ministerium frequens, in loquendo rarus, ad obediendum promtissimus, in monendo affabilis. Contulerat siquidem illi divina pietas inter alias quamplures virtutes etiam intelligentiæ donum, eloquentiæ spiritalis copiam.

Abbas electus in patriam fugit.

10. Decurso quinquennii & octo mensium in saluriferis rebus spatio Abbas præfati Monasterii migravit è sæculo. Tunc omnes uno animo parique consensu Benedictum sibi præferri optant. At ille suis illorumque non convenire motibus cernens, ad patrium concitus solum contulit pedem, ibique in patriis suamque possessionem super rivulum, cui nomen est Anianus, necnon prope fluvium Arautis, cum præfato viro Witmaro paucisve aliis, juxta beati Saturnini permodicam ecclesiam, cellam exiguam ad habitandum construxit: quo in loco nonnullos annos magna cum penuria vixit, noctibus diebusque cum gemitu & lacrymis clementiam implorans divinam, ut velle suum effectum proveheret efficacissimum. Erant autem per idem tempus in provincia illa quidam summæ sanctitatis strenui viri, Atilio videlicet & Nibridius [a], necnon & Annianus religiosè degentes, sed regularem ignorantes custodiam: à quibus compertus non modicè diligebatur. Siquidem dum eum aliqua adversa impulsio paullulum superare tentaret, mox strato asello ad Atilionem, qui ei vicinior erat, properè festinabat.

Cellam construit cum aliis.

ab Atilione in proposito confirmatur.

11. Primo siquidem tempore ardenti animo perplures sæculo relicto cum eo religiosè vivere tentabant: sed fracti animo, novum formidantes genus vitæ, dum inauditam cogebantur arripere abstinentiæ viam, ut panem in pondere, vinumque in mensura perciperent, mox ut sues ad cœnum canisque ad vomitum in calle salutis positum retrahebant pedem. Quorum instabilem vir Dei intuens fidem, turbatus ad proprium voluit redire Cœnobium. Qua de causa consulendum præfatum adiit virum: cui cùm velle suum narrasset, increpavit eum ille dicens, sibi esse ostensum cælitus, lucernam illum datum hominibus. Quapropter cœptum constanter oporteret implere bonum; fraude hoc antiqui fieri hostis, qui semper invidens bonis infestus est actibus; cui adsensus præbendus est numquam. Sicque ejus consilio adminiculatus intrepidè aggressus est, quod ardenti perficere optabat animo; non super alienum fundamentum ædificans, sed novo opere construere domos cœpit, ignotamque salutis pandere curabat viam.

[a] Theodulfus Aurelianorum Episcopus hos laudat in carmine inferiùs adducendo: ex quo mihi fit veri simile id quod ait Menardus, Nebridium seu Nibridium hunc esse ipsummet Nebridium Monasterii Urbionensis seu Crassæ Abbatem, & Archiepiscopum Narbonensem, qui *Nifridius* appellatur tum ab Alcuino in epistola præfixa libris duobus contra Elipandum, tum in diplomate quodam Caroli Magni concesso *anno* VI imperii. *Nimfridius* verò in Necrologio Crassensi notatur his verbis: *Kal. Jann.* Nimfridius *Abbas & Archiepiscopus Narbonensis.*

12. Igitur venerabilis vir Benedictus cum paucis sibi aggregatis Fratribus, qui ejus comperta opinione ad eum confluxerant, in jam memoratum locum cœpit flutere in religione pia, & cæleste iter volentibus pandere gratis, propriis laborare manibus: & ne aliis prædicans ipse reprobus inveniretur, quæ sequenda monebat, prior implere curabat. Non enim perterritus inopiâ cœptum deseruit opus; sed, ut ait Apostolus, in fame & siti, in frigore & nuditate positus hortabatur inconcusso subjectos persistere corde, docens artam & angustam viam esse quæ ducit ad vitam, & non esse condignas passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelanda est Sanctis. Quo documento roborari, majoribus se atteri oprabant laboribus. Nulla eis tunc erat possessio, non vineæ, non pecora, non equi; unus tantùm erat asellus, cujus solamine cùm alicubi pergendum esset, vicissim Fratrum arcebatur defectio. Vinum tantùm diebus Dominicis sollemnibusque percipiebant. Pellebatur aliquoties eorum esuries lacte delato à vicinis mulieribus: quoniam ariditate tabuerant corpora eorum, solo viventes pane & aqua. Quapropter ut pigrum depellerent frigus, lectaria [a] urebantur, cùm in vigiliis divinis adsisterent. Erant quippe pauperes rebus, prædivites meritis: & quo eorum atterebantur inopiâ corpora, eo magis saginabantur virtutibus animæ. Æstuabant siquidem amore cælesti, fulæque lacrymæ illis in angustia ferebant solamen. Quorum invictam fraternam unitatem hostis cernens antiquus hac eam scindere arte molitur.

AN. CHR. DCCC XXI. FEBR. XI. Discipulos quo ritu instituit. 2. Cor. XI. 27.

13. Unum eis erat circà molinum, in quo quæ habere poterant molebant cibaria. Instigatus autem maligni cogitationibus quadam eis nocte hospes advenit, quem juxta posse refectum in strato aselli collocant. At ille malè vigil quiescentibus illis surrexit, & secum in quo jacuerat perferens, situlamque de qua hauserat aquam, sed & ferramenta molini non oblitus abscessit, pro bonis mala rependens. In crastinum verò damnum compertum magistro discipuli narrant, quos benevolè ferre illatas contumelias docuit, damnaque lucra putare, illique potiùs dolendum adseverans, qui dum nisus est adquirere lucrum, perdidit fidem.

Furtũ hospitis fert æquanimiter.

14. Cœpit interea paullatim turba discipulorum crescere, & fama piæ religionis sensim per circà habitantium ora volitare, seseque extendens ad longè posita decurrere loca. Et quoniam vallis, in qua primùm insederat, perangusta erat; paullulum extra confinia ejus Monasterium novo opere construere cœpit, laborantibusque Fratribus ipse aliquando conlaborare, aliquando autem eorum ad vescendum decoquere victum, lignumque etiam pariter circa coquinam occupatus ferebere satagebat. Lignamina verò sæpe propter penuriam boum humeris propriis cum discipulis deferebat. Domus enim in eo erat loco, quo fundare moliebantur Monasterium, quam auctam in honore sanctæ Dei genitricis consecrarunt Mariæ. Concurrentibus undique, & illius se certatim subjicere magisterio postulantibus, & fabrica Monasterii citò perficitur, & in rebus locus ditatus augmentatur, dantibus singulis quæ habere poterant. Non enim ornatis parietibus tegulisque rubentibus, vel pictis laquearibus; sed stramine vilique maceria cooperire, ut facere domos decreverat. Licèt enim mulriplex numerus Fratrum augeretur, ille semper viliora & humiliora appetebat. Quapropter si quis de possessionibus suis aliquid conferre Monasterio vellet, suscipiebat: sin verò servos ancillasque copulari niteretur, refugiebat. nec passus est quemquam per idem tempus per chartam Monasterio tradi, sed ut fierent liberi, impetabat. Vasa autem ad Christi

Monasterium Anianense condit.

[a] Menardus interpretatur *culcitra*. at quid culcitæ cum officio divino? Consentit tamen Henschenius, qui legit *lectariis*. Forsan lectaria dicuntur saga nocturna, quibus lecti insternuntur.

An. Chr. DCCC XXI. Febr. XI.

conficiendum corpus nolebat sibi esse [a] argentea: siquidem primùm ei fuerunt lignea, deinceps vitrea; sic tandem conscendit ad stannea. planetam verò refutabat habere sericeam; & si aliquis illi dedisset, mox aliis ad utendum præstabat.

[a] in Missa respuit pretiosa ornamenta.

15. Præterea surrexerunt in regione eadem vel circumquaque nonnulli viri religiosi ædificantes Monasteria, aggregantes Monachos, seseque ad exemplum beati viri exercitantes: & ex ejus magisterio imbuti, vitam pristinam priscosque amputantes errores, quibus ipse ut pater erat, subsidium opemque ferens, non spiritualium solummodo rerum, verùm & corporalium: quos sæpe visitans hortabatur cœptum non deserere opus, ne egestate perculsus terroribusque attritus retrò respiceret animus. Sicque documento salubri fulta numerosa adsunt Cœnobia, & maxima Monachorum exstat multitudo.

Monachis vicinis subvenit,

16. Orta autem fame [b] gravissima per idem tempus, cœpit multitudo pauperum, viduarum, & pupillorum ad eum confluere, ac portas Monasterii, viasque stipare. Quos ille intuens inediâ tabidos; immo ipsa jam pæne morte glutitos, angebatur, quoniam unde tantam pasceret multitudinem ignorabat. Sed quia nihil deest timentibus Deum, quousque fruges attingerent novas, quæ Fratribus sufficere possint, seorsum jussit reponi, cetera per constitutos Fratres per singulos dies præcepit largiri. Carnes etiam armentorum oviumque dabantur per singulos dies, lac etiam vervecum præbebat auxilium. Siquidem fecerant sibi tuguria congruis locis, in quibus usque ad novas habitarunt fruges. Deficiente cibaria, rursus ea quæ in Fratrum reponi jusserat usus, mensurare præcepit. quod factum est ter. In Fratrum verò animis tantus inerat affectus misericordiæ, ut libenter etiam impenderent, si fas esset, cuncta. Nam quæ sibi subtrahere poterat quisque, clam deferebat inediâ consumtis: sicque vix erepti à famis fuêre periculo. Aliquoties enim in ore panem habens mortuus reperiebatur.

& incolis fame laborantibus. [b]

17. Nec illud silendum puto, quia cùm pæne provinciam illam eodem tempore perversum Feliciani [c] invaserit dogma, hic ab omni pestifero perfidiæ errore illæsus ope divina intus evasit, multosque, non solùm infimos, verùm etiam Præsules Ecclesiæ suo eripuit studio, & adversus nefandum dogma veris disputationum jaculis armatus sæpe congressus est.

Felicianam hæresim tefutat.

18. Erat enim eo tempore & numerosa jam turba Fratrum, & in fervore perpetuæ vitæ succensa. Certabant siquidem quis eorum esset humilior, quisve in obedientia promtior, in abstinentia ardentior, in vigiliis anterior, in loquendo posterior, in vestitu vilior, in caritate ferventior: quibusdam etiam revelationes fiebant. Quidam namque erat Frater qui juxta humanam honestatem minùs erat compositus, quem negligenter incedentem dum Pater perspiceret, in animo eamdem rusticitatem indicare cœpit. Hic autem in ecstasi ductus, gregem columbarum aggregatum cer-

Discipulos habet perfectos.

[a] Et tamen vasa pretiosa postea in rem sacram admisit, ut patet ex num. 27. Porro ex hoc loco & ex Regula Magistri patet, etiam temporibus illis in usu fuisse calices vitreos, quorum usus abrogatus in Concilio Triburiensi anno DCCC XCV, perseveravit tamen ad sæculum usque undecimum, quo Henricus Germaniæ Rex Richardo Verodonensi Archiepiscopo calicem unum de onychino, & alium crystallinum donasse perhibetur. Quamquam calices etiam ex sapphiro vitrei dicebantur, ex carta S. Patriciacensi apud Perardum, quæ est Heccardi Comitis, Rotardo cuidam legantis *calicem vitreum de saphiro*.

[b] Id accidit ante conditum amplius Monasterium. anno proinde, non DCC XCIII, ut censet Henschenius; sed DCC LXXIX, quo *famis magna in Gallia* fuisse perhibetur in Annalibus Loiselianis.

[c] Felicianum dogma, à Felice Orgelitano Hispaniæ Episcopo malè fabricatum, ab Elipando Toletano pejus assertum: id erat, Christum esse filium Dei adoptivum. ad quod revincendum coacta Concilia Ratisponense, Francofurtense, & Aquisgranense; missus in Hispaniam non semel Benedictus cum aliis, ut testatur Alcuinus in epistola præfixa libris quatuor adversus Elipandum, inscripta Leidrado Episcopo Lugdunensi, Nefridio Narbonensi, & Benedicto Abbati, cùm *essent in procinctu itineris*, ut ait in fine. V. C. Stephanus Baluzius in calce Notarum ad Agobardum refert Synodum Urgellensem anno DCC XCIX ea de re habitam, cui Benedictus noster interfuit.

An. Chr. dccc xxi. Febr. xi.

nens, quædam miræ candoris fulgentes, quædam verò erant mira varietate distinctæ, quædam autem solo capite tetrum colorem gestabant. Qui cùm sciscitasset, quid hoc esset, dicta sunt nomina singulorum, quorum aut negligentia fecerat nigros, aut studium splendore nitentes. Is rediens ad se, Patri quæ viderat retulit, eumque, ne se despiceret, admonuit. At ille singulorum acta discutiens, mentes Fratrum, de quibus à Fratre didicerat, turbatas reperiens, & benignum malagma castigationis impositum ad congruam formam instituit.

Damna ab aliis illata fert patienter.

19. Sed antiquus hostis ægrè ferens unitatem & augmentum boni gregis, nisus est quorumdam concutere corda, ut bonum institutorem à proprio ovili redderet extorrem. Plures quidem sua arte à Monasterio pepulit, pluresque turbavit; sed paratam tribulationibus non valuit concutere mentem, confractas rursum recuperat perituras vires. Sibi subjectos instigat, inferre damna impetat, equos bovesque furtim patenterque auferri jubet. Sed qui Deum cunctis præposuerat rebus, sine dolore amittit, quæ sine amore possidebat. Certè pro nulla amissa re umquam eum quisquam vidit commotum, perditam numquam repetiit, furatam numquam quæsivit, furanti (si captus est) beneficium præstitit, latentem ne caperetur dimisit. Quidam enim cùm equos Monasterii furtim auferret, à vicinis non sine vulnere captus, & Patri est præsentatus. Cui ille impensas præbuit, medicum instituit, sanatum incolumem direxit. Contigit autem vice alia, cùm venerabilis Pater iter conficeret, alio secum comitante Fratre, quemdam equum à Monasterio sublatum sedentem obviare. Frater verò curiosis luminibus intuens, eum qui furatus fuerat esse cognovit, mox voce prorupit, Monasterii esse equum. At ille silere eum jubet. Sæpe similare equus equum solet, ait. Seorsum autem increpavit Fratrem dicens: Et ego agnovi; sed meliùs silendum censeo, quàm verecundiam inferamus.

Non repetit ablata.

Incendium orando restinguit.

20. Et quoniam omnipotens Deus qui cuncta creavit, mira etiam congruis temporibus per servos agit suos; quæ per hunc gesserit, pauca relatione perstringam. Ignis quodam tempore domum juxta beatæ Mariæ Virginis basilicam sitam invasit. sed cùm vorax flamma stipulam lamberet siccam, concurrerunt dolentes Fratres, domum quam non sine magno labore construxerant, à rapidis flammis videntes consumi; summoque studio satagunt, ne ignis vicinam succenderet ecclesiam. illò enim omnis impetus ignis ferebatur. Ad quod spectaculum etiam Benedictus Pater accessit, cui protinus Fratres, ut orationibus eos adjuvaret, imperant. at ille festinus obtemperans jussis Fratrum, sese cum lacrymis ante beatæ Virginis & Dei genitricis Mariæ altare prostravit. Illo autem orante, mox divina opitulante misericordia in contrarium impetus ignis convertit.

Locustas precibus abigit.

21. Locustarum etiam tanta eodem tempore adfuit multitudo, ut sua densitate radios absconderent solis, quæ conglobato impetu in vineam, quæ Monasterio vicina est, vastaturæ resident, ex qua quàm maximè pocula Fratres percipere soliti erant. Vir verò venerabilis, beatæ Dei Genitricis adiit basilicam, & flebili voce perfusus lacrymis divinum implorat auxilium. Sed post paullulum malè quiescentes abscedunt locustæ.

Ignem aliò vertit.

22. Rursus vice alia montem vicinum ignis invasit, & arentem stipulam, frondesque, ac solis ardore perustam cœpit lambere terram, suoque impetu ruinam vineæ ac Monasterio minitans ibat. Ad quem exstinguendum omnis turba Fratrum cucurrit, cum quibus & venerabilis Benedictus Pater adiit. sed ignis cœptum mox deseruit iter, dextrâ lævâque exstinguendus properans. Non enim nisi oratione ejus credendum puto tantum incendium superatum fore.

An. Chr. DCCC XXI. Fabr. XI.

Benedictione sua Monachum à latronibus servat.

23. Cuidam etiam Fratri custodia boum erat injuncta. Is cùm à Monasterio ad suum vellet ire officium, Patri benedictionem petiit. cui protinus ille signum crucis dedit, dicens: Dominus te custodiat. At cùm Frater in diversorium venisset, duobus latronibus occurrit: à quibus, dum incautè accessisset, tentus est per habenam equi, quem sedebat: se verò diutiùs adspicientes, nihil loquentes dimiserunt eum. at ille citò discessit, & postquam Patri retulit, ait: Benedictio te Dei servavit illæsum.

Præpositum ad meliorem frugem reducit.

24. Nec silentio illud prætereundum est, quod ipse adspexit. Frater enim quidam Præpositus est constitutus, sed in superbiam lapsus, ab ordine præpositurræ deponitur. Ad tantam demum malitiam ruit, ut à Monasterio egressus latrocinia exerceret, ita ut ab ipso monasterio clam educeret equum. Quem tentum junctis pedibus subter equum ad Monasterium deduci jubet vociferantem & jurantem, numquam se illò abiturum. Ob cujus insipitudinem virgis eum lævigare jussit. sicque deinceps justè pieque vivens in Cœnobio quievit, ac si ipse in eo hostis malignus cæsus fuisset.

25. Hactenus de vita tanti Patris, qualiter divina illustrante clementia sæculum reliquerit, qualiterque in Gotiæ partibus transmigraverit, ac de novo opere Monasterium construxerit, dicta sufficiant. Nunc opitulante Christo, ex præcepto Caroli quibus modis aliud in eodem loco Cœnobium ædificaverit, evidenti ratione pandamus.

Salvatori basilicam exstruit cum claustro,

26. Anno igitur DCCLXXII [a], Caroli verò Magni Regis XIV, adjuvantibus eum Ducibus & Comitibus, aliam rursus in honorem Domini & Salvatoris nostri ecclesiam prægrandem construere cœpit; sed & claustra novo opere alia cum columnis marmoreis quàm plurimis, quæ sitæ sunt in porticibus: non jam stramine domos, sed tegulis cooperuit. Tanta autem sanctitate idem locus est præditus, ut quisquis fideliter periturus advenerit, & non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit; statim quod poposcerit, impetrare licebit. quia ergo mira religiositate præfulget, ratum ducimus, si de positione ejusdem loci aliquid pòst futuris pandamus. Siquidem venerabilis Pater Benedictus pia consideratione præventus, non in alicujus Sanctorum prætitulatione, sed in deificæ Trinitatis (uti jam diximus) nomine præfatam ecclesiam consecrare [b] disposuit. Quod ut dico luce clariùs agnoscatur, in altari, quod potissimum præ ceteris videtur, tres aras censuit supponi, ut in his personalitas Trinitatis typicè videatur significari. Et mira dispositio, ut in tribus aris individua Trinitas, & in uno altari essentialiter firma demonstretur Deitas. Altare verò illud forinsecus est solidum, ab intus autem cavum: illud videlicet præfigurans, quod Moyses condidit in eremo, retrorsum habens ostiolum, quo privatis diebus inclusæ tenentur capsæ cum diversis reliquiis [c] Patrum. Hæc de altario dicta sufficiant. Ad instrumentum domûs quo ordine vel numerositate compositum succinctè pergimus. Cuncta siquidem utensilia, quæ in eadem domo habentur, in septena-

& variis altaribus & ornamentis.

Nota.

[a] Mendum hîc non advertit Menardus. Legendum potiùs anno DCCLXXXII, quo jacta amplioris Monasterii fundamenta. nam ab anno DCCLXXVI Anianensem locum Benedictus incolere cœpit.

[b] Non me fugit quid de hac dedicatione legatur in quibusdem codicibus mss. Verùm id totum prætermittere satius est, quàm criticorum censuræ exponere. Sufficiet hac de re Sermo quondam habitus in festo dedicationis, infrà in Appendice hujus Vitæ.

[c] In Anianensium reliquiarum indice ms. numeratur inter alias particule veræ Crucis, *quæ est in area aurea, quæ fuit Imperatoris Constantinopolitani*. item alia, *quæ est incastrata in auro, & semper manet in scutella, quæ est argentea Karoli Magni*. item *una spina de corona Domini nostri* JESU CHRISTI, *incastrata in auro*. quæ itidem in prædicta scutelle semper ad servatur. In vetusto libro cæremoniarum ejusdem Monasterii præscribitur, ut Sacerdos hebdomadarius panem sollemni ritu benedicturus, *accipiat scutellam Karoli cum vera Cruce*. &c. Scutella hæc cum pluribus aliis rebus sacris deperdita est. Lege Sermonem de dedicatione in Appendice.

rio

rio numero consecrata noscuntur. Septem scilicet candelabra fabrili arte mirabiliter producta, de quorum stipite procedunt hastilia, sphærulæque, ac lilia, calami, ac scyphi in nucis modum ad instar videlicet illius facta, quod Beseleel miro composuit studio. Ante altare etiam septem dependent lampades miræ atque pulcherrimæ, inæstimabili fusæ labore, quæ à peritis, qui eas visere exoptant, Salomoniaco dicuntur conflatæ. Aliæ tantumdem in Choro dependent lampades argenteæ, in modum coronæ, quæ in se insertis circulis cyathos recipiunt per gyrum: morisque est præcipuis in festivitatibus oleo repletas accendi, quibus accensis veluti in die, ita in nocte tota refulget ecclesia. Tria denique altaria in eadem sunt dicata ecclesia vel basilica, unum videlicet in honorem sancti Michaëlis Archangeli, aliud in venerationem beatorum Apostolorum Petri & Pauli, tertium in honorem almi protomartyris Stephani. In ecclesia verò beatæ Dei genitricis Mariæ, quæ primitus est fundata, sancti Martini, necnon & beati BENEDICTI haberi videntur altaria. Illa verò, quæ in cœmeterio fundata consistit, in honorem sancti Johannis Baptistæ consecrata dignoscitur, quo inter natos mulierum majorem neminem surrexisse divina attestarunt oracula. Considerare liber quanta humilitate ac reverentia isdem metuendus sit locus, qui tot principibus videtur esse munitus. Siquidem Dominus Christus Princeps est omnium Principum, Rex Regum, & Dominus dominantium: beata verò ejusdem Dei genitrix Maria cunctarum Virginum creditur esse Regina; Michaël cunctis præfertur Angelorum; Petrus & Paulus capita sunt Apostolorum: Stephanus protomartyr principatum tenet in Choro testium; Martinus verò gemma refulget Præsulum; BENEDICTUS cunctorum est Pater Monachorum. In septem item altaria, in septem candelabra, & in septem lampades septiformis gratia Spiritus-sancti intelligitur.

An. Chr. DCCC XXI. Febr. XI.

27. Cognoscat quisquis ille est, qui hanc cupit legere, vel audire Vitam, cunctorum hoc caput esse Cœnobiorum, non solùm quæ Gortiæ in partibus constructa esse videntur; verùm etiam & illorum, quæ aliis in regionibus ea tempestate, & deinceps per hujus exempla ædificata, atque de thesauris illius ditata, sicut inantea narratura est schedula. Dedit autem cor suum ad investigandam beati Benedicti Regulam, eamque ut intelligere possit satagere circumiens Monasteria, peritos quosque interrogans quæ ignorabat; & omnium Sanctorum, quascumque invenire potuit Regulas congregavit. Normamque utilem, & Monasteriorum salubres consuetudines didicit, suisque eas tradidit Monachis observandas. Instituit Cantores, docuit Lectores, habuit Grammaticos, & scientiâ scripturarum peritos, de quibus etiam quidam pòst fuere Episcopi, aggregavit. Librorum multitudinem congregavit, pretiosa vestimenta ecclesiastica, calices argenteos prægrandes, offertoria argentea, & quidquid operi Dei necessarium esse conspexit, summo cum studio adquisivit. Notus itaque factus est omnibus, & fama sanctitatis ejus regias imperialesque penetravit aures. Abiit deinde ad gloriosissimum Imperatorem CAROLUM ob utilitatem Monasterii, illique Cœnobium pia consideratione præventus, ne incommoda à parentibus * suis paterentur post ejus discessum superstites, per chartam tradidit possidendum: à quo mox immunitatem percepit [a] continentem ita:

Aniana caput Monasteriorum.

Regula illustrata.

Monachi rebus omnibus instructi.

* id est consanguineis

[a] Quæ sequuntur usque ad numerum 41, desunt in editis apud Menardum & Bollandum.

An. Chr. DCCCXI. Fere XI. Praeceptum Caroli Magni.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, CAROLUS Dei gratiâ Rex Francorum & Longobardorum, ac Patricius Romanorum. Maximum Regni nostri in hoc augere credimus munimentum, si beneficia opportuna locis ecclesiarum benivola devotione concedimus, ac Dommo protegente stabiliter perdurare conscribimus. Igitur notum sit omnibus Episcopis, Abbatibus, Comitibus & Vicecomitibus, Vicariis, Centenariis, Judicibus seu omnibus Fidelibus præsentibus scilicet & futuris, qualiter vir venerabilis Benedictus Abba ex Monasterio, quod ipse novo opere jure proprietario à fundamentis in honore Domini Dei ac Salvatoris nostri JESU-CHRISTI, seu sanctæ semperque Virginis ejusdem Dei genitricis Mariæ, seu aliorum sanctorum ædificavit in loco nuncupante Aniano, in pago Magdalonense subtus castro Monte-Calmense, ad nostram accessit clementiam, & prædictum Monasterium cum omnibus rebus & ornamentis ecclesiæ, seu appendiciis vel adjacentiis suis in manibus nostris plenissima deliberatione visus est delegasse, & ipsum sanctum locum sub nostra defensione atque dominatione ad regendum nobis visus est tradidisse. Idcirco ad ejus petitionem tale pro æterna retributione beneficium erga ipsum sanctum locum visi fuimus indulsisse, ut in ecclesiis & locis vel agris seu aliis possessionibus ipsius Monasterii, quas moderno tempore per nostram donationem ac confirmationem seu ceterorum Fidelium justè possidere videtur, in quibuslibet locis, quidquid ibidem propter divinum amorem collatum fuit, quæque etiam deinceps in jure ipsius sancti loci, aut per nos aut per alios voluerit divina pietas augeri; præcipientes jubemus atque anathematizamus, ut nullus Comes, neque Episcopus, aut ulla judiciaria potestas ad causas audiendas vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, nec homines ipsius Monasterii tam ingenuos quàmque servos, qui supra terram memorati Monasterii residere videntur, distringendos, nec ullas redibitiones aut inlicitas occasiones perquirendas, aut ullum omnino censum inquirendum, ullo umquam tempore ingredi audeat, vel exactare præsumat. Sed hoc ipse Abbas vel successores sui aut Monachi memorati loci, præsentes scilicet & futuri, propter nomen Domini sub integræ Immunitatis nomine absque cujuslibet inquietate aut contrarietate valeant dominare, & nulli umquam homini pro qualicumque re nullum censum omnino audeant impendere: sed ipsum sanctum locum sub nostra defensione atque dominatione volumus constare. Statuentes ergo atque jubentes, ut neque vos, neque juniores seu successores vestri, vel quislibet ex judiciaria potestate in ecclesiis & locis vel agris seu reliquis possessionibus suprascripti Monasterii, vel de omnibus quæ suprà scripta sunt, nullo umquam tempore inquietare aut exactare præsumatis: sed quod nos propter nomen Domini & æterna remuneratione ad jam fatum Monasterium indulsimus, perennibus temporibus proficiat in augmentis. Et quandoquidem divina vocatione suprascriptus venerabilis Benedictus Abbas vel successores ejus de hac luce migraverint ad Dominum, qualem meliorem, & nobis per omnia fidelem ipsa sancta congregatio de suprà scripto Monasterio aut de qualicumque loco voluerint eligere Abbatem, qui ipsam sanctam congregationem secundùm Regulam sancti BENEDICTI regere valeat, per hanc nostram auctoritatem & permissâ indulgentiâ licentiam habeant, & ubicumque voluerint ordinari, aut ipsi aut Monachi ipsorum, vel à quolibet Pontifice ex præcepto & consensu nostro potestatem habeant, quatinus ipsi servi Dei, qui ibidem Deo famulari videntur, pro nobis ac conjuge proleque nostra & stabilitate totius Regni à Deo nobis com-

missi vel conservandi attentiùs Domini misericordiam exorare delectentur. a

An. Chr. DCCCXII. Febr. 21.

Benedictus res sibi oblatas distribuit in Monasteria,

28. Hæc gloriosissimus Rex Carolus venerabili viro Benedicto per præceptum contulit: sed & circumquaque utilia pecorum laboribusque apta per chartam imperialem loca ab eo suscepit. Honore autem magno ab Imperatore donatus, scilicet argenti libras ferme XL, ad suum in pace rediit quantocius Monasterium. Mox autem patrium ut attigit solum, divisum per partem quod attulerat argentum benedictionis gratiâ per singulorum direxit Monasteria. Fuit enim illi hoc nostris temporibus præ cunctis singulare donum, benivola scilicet circa omnes piaque consideratio, atque sollicitudo omnium Monasteriorum circà longeque positorum. Etenim ea crebrò visitabat, & ordine sanctæ vitæ imbuebat: de his autem, quæ illi à Fidelibus conferebantur, juxta numerum habitantium, vel secundùm posse transmittebat, his qui magis indigebant amplius, exigua autem indigentibus minus. Noverat utique singulorum Monasteria, eorumque nomina retinebat. Pallia verò, quia singulis dare non poterat, per partes divisa ad cruces saltem faciendas mittebat. Omnium denique Monasteriorum tam in Provincia quàm in Gotia seu Novempalitana b provincia consistentium erat quasi nutrix fovens juvansque; atque ab omnibus amabatur ut pater, venerabatur ut dominus, reverebatur ut magister.

& in pauperes.

29. Pauperum quoque summo cum studio secernebatur portio, viduarum non patiebatur in alios expendere usus particulas. Omnium siquidem Sanctimonialium viduarumque circà positarum noverat nomina. Captivis hilariter præbebatur redemtio, nullus illo habente indonarus, ut reor, abiit, sed pro posse omnibus omnia factus est. Quapropter ultro quisque ei suam ferebat substantiam, quam in usus pauperum, egenorum, viduarum, captivorumque ac Monachorum expendendam compererat: ita ut à quibusdam pæne IIII aut V susciperet millia solidorum, vasorumque indigentibus distribuenda.

Suis aliisque dat monita sancta.

30. Cura illi etiam erat ingens suos non solummodo prædicationis reficere cibo, verùm etiam quoscumque obviare contingeret, mox cælesti eos alebat pane; & ne oblivione salubrem amitteret escam, verbis talibus ut tenaciùs inhærerent cordi inculcare consueverat: Esto, inquiens, casto corpore & humilis corde. quoniam Deo accepta non est superba castitas aut humilitas inquinata. Quibusdam verò hoc inculcare solitus erat: Si plurima tibi impossibilia esse præcepta noscuntur, hoc exiguum serva præceptum: *Declina a malo, & fac bonum*. Quæ sententia ita ei familiaris exstitit, ut tempore mortis collectis omnium Patrum sententiis, unum ex ea vellet conficere librum. Fratribus verò sibi subjectis omni hora, in nocturnis scilicet, in capitulo, in refectorio, pabula vitæ præbebat. Psal. 36. 27.

Eximiæ caritatis in omnes.

31. Et quoniam, dum benivolentiam ejus pandere tentavimus, virtutum ejus copia palam occurrerunt; pro viribus commodum decerni mus quantulumcumque de his nescientibus desiderantibusve enucleare. Hoc enim comperit omnis, qui ejus familiaritati adhæsit, caritate eum vincere cunctos. Numquam enim quod sibi, sed potiùs quod utile aliis judicavit, agere voluit: quod si fecisset, citò correxit. Caritatis enim amore ut plures faceret salvos, aliorum circuibat Cellas, & eis Regulæ sanctæ pandebat abscondita. Caritate itaque plenus, Arelato cum quàm pluribus Episcopis, Ab-

a In quibusdam istius diplomatis exemplis apponitur hæc clausula: *Data VI Kl. Augustas anno nonodecimo regni nostri. Actum in Reganesburg palatio.* quæ clausula certior videtur quàm appositio *Bartholomæi Notarii ad vicem* HLUDOVICI *recognoscitatis*. Constat enim Ludovicum fuisse Cancellarium Caroli Calvi, non Caroli Magni, qui tum apud Bajoarios cum exercitu erat. Istud privilegium postea Benedicto confirmavit Ludovicus Augustus litteris datis VIII *Kl. Maii anno primo imperii, Indict.* VII, *Aquis palatio.*

b Aliis Novempopulonia dicta, inter Garumnam fluvium & montes Pyrenæos Oceanumque comprehensa, vulgò *la Gascogne*, sic dicta à novem populis, quos ambitu suo complectitur.

An. Chr. DCCC XXI. Febr. XI. batibus, Monachis per plures resedit dies, canonum decreta pandens, & beati Gregorii Papæ homelias enucleans ignorantibus. Plenus nempe caritate, ex diversis locis in suo Cœnobio susceptos alebat Clericos ac Monachos, quibus magistrum præponens sacris imbuebat sensibus. Caritate sibi injuriam facientibus munera destinabat. Neque laborandum est, ut pandamus quæ meliùs cuncti viderunt, perplures obsequio experti sunt.

Laborat in æstu & siti cum suis, .32. A rigore verò suæ primæ conversionis paullulum declinarat, quoniam impossibile opus adsumserat: sed voluntas eadem permanebat. Siquidem cum arantibus ipse arabat, cum fodientibus socius erat, cum messoribus metebat. Et quamvis regio illa solis calore esset adusta, & ita vapor ignis velut à clibano procedens incendat potiùs quàm calefaciat; hic suis nimio fervore æstuantibus vix ante horam refectionis aquæ poculum indulsit. Nam labore defessi, igne perusti, frigidam potiùs desiderabant aquam quàm vinum: nec erga eum quisque murmurare poterat, quoniam similia patiebatur. Quæ eis res non modicum ferebat solamen. quo- in silentio niam dum sitientem siti cerneret, humaniùs erga suos agebat; nec laborantium quis fabulis perstrepere audebat, sed manus opere, linguæ occupabantur psalmodiis. Euntium enim & redeuntium ac laborantium ora divinis meditationibus erant intenta. Sæpe eum etiam palmas cædere vidimus, eorum videlicet qui erga eum in potu ciboque humaniùs agere conati sunt. Sæpe sibi positum vas mensurare conspeximus; &, sicut hi qui cel- Abstinentiæ deditus, lario præfuerint narrant, aliis bibentibus vinum, aquam excepto sabbato aut dominica die sæpe bibebat. Sæpe à cibo ejus pinguedinem subtraximus, & ne vel exigua particula casei triti in eo inveniretur, summopere curabatur. Carnem quadrupedum à die conversionis suæ usque ad extre- a mum vitæ edere noluit: jus è pullo [a] compositum sumebat, si aliqua accessisset debilitas. Multos etiam per annos primævo tempore pinguedinem vetuit: ceteris verò, quotiens opportunum fuit, ea quæ sibi negabat, præ- & parsimoniæ. bebat. Tanta enim ejus erat sollicitudo, ut si vel modica grana leguminum, vel exiguæ porri comæ cauliumque folia ab eo neglecta invenirentur, mox dignâ excommunicationis animadvertebatur sententiâ, cujus probaretur esse delictum. Sin autem quis ei aquam ad lavandum porrigeret, & ut solet largiùs quàm decet effunderet, peccatum incurrere fatebatur, eo quòd discretionis non incederet calle.

Animæ morbos mira dexteritate curat. 33. Erat illi & hoc singulare bonum. Nam si quis cogitationibus concussam mentem gerens, mox ut ad eum accederet, ejus salubre consilio tumultuosa turba cogitationum abibat. Sæpe etiam cùm infestis cogitationibus pulsatus quis, sicut à vero Fratre didici, diceret, quia ibo & pandam vos domno Benedicto; ilico importunus ab eo recedebat tumultus. Si quis verò gravioribus esset detentus delictis, illi cor suum pandens, consolationis recipiebat fomentum. Si tristitiæ morbo angeretur, accedens ad eum mox lætus discessit.

Monachos habet 300. 34. Aucta est autem turba Monachorum Deo famulantium, ita ut plusquam trecenti fierent, ob quorum eximiam congregationem talem mansionem construere jussit, quæ mille & eo amplius homines capere videtur, centum recipiens cubitos in longitudinem & viginti in latitudinem: & quia cetera loca eos capere non quibant, constituit locis congruis Cellas [b], quibus præfectis magistris posuit Fratres.

Inundationem compescit oratio. 35. Accidit denique eodem tempore inundatio pluviarum, quiescentibusque Magistro cum Fratribus, subitò ab ambobus ostiis ingredi redundans aqua cœpit adquiescentium occupare domum. Pavore verò Fratres

[a] Videtur majori cum religione Benedictum abstinuisse à quadrupedum carnis esu, quàm à jusculo volatilium, qua de se deque usu pinguedinis aliàs.

[b] En causa erigendarum Cellarum, quas modò Præposituras & Prioratus vocamus.

perterriti concitè surgunt. Domus autem latrinarum super torrentem magno cum labore fuerat sita, quam tumens torrens nitebatur subvertere, ita ut ab inferioribus conquarientes rauco cum murmure undæ in jam jamque ruituram prosilirent domum. Concurrunt pariter media ferme nocte ad ecclesiam, ubi ipse Pater perveniens primus, signi funem arripuit, jussitque canere laudes, Sanctorumque implorare suffragia, atque cum lacrymis unà Dei flagitare clementiam. Post multas quoque preces adeunt visere, si jam domus foret subversa. Quo eunte venerabile viro obscura sub caligine noctis, vepris cruribus ejus hæsit, nimioque tædio affectus, lacrymabiliter, ut sedaretur inundatio, Deum deprecatus est. Sed cùm ad locum devenerunt, integro descendisse pede aqua reperta est. Confisi jam de Dei adjutorio, ad socios in ecclesia constitutos redeunt, & beneficia Dei narrantes pariter benedixerunt Deum. — An. Chr. DCCC XXI. Febr. XI.

36. Interea audientes ejus sanctitatis famam gregisque ejus sanctam opinionem, postulare instanter exempli gratiâ Monachos nonnulli Episcopi cœperunt, de quibus LEIDRADUS [a] Lugdunensium Pontifex volens Monasterium, quod vocatur Insula-Barbara, reædificare, quæsivit instanter qui ei initium bonæ vitæ ostenderent, & accepit. Siquidem electos ferme à grege XX discipulos, quibus præposuit Rectorem, eosque Burgundiæ partibus ad habitandum direxit: quo præstante Christo Domino nunc in sancta religione pollentes & florentes, prægrandis est turba aggregata Monachorum. THEODULFUS quoque Aurelianensium Præsul, cùm Monasterium sancti Maximini construere vellet, à jam præfato viro postulat regularis disciplinæ peritos: cui mox adsensum præbuit, & bis denos illi Monachos præfecto Magistro misit. Qui constanter in sancto studio decertantes, non parvam Monachorum turbam coadunarunt: quos cùm visitandi gratiâ Pater venerabilis adisset, quæ ibidem acta sint pandam. Siquidem ejus præstolantes adventum, omni studio satagunt, quatinus ejus pro amore copia piscium ciborumque apparatus non solùm illi, verùm etiam omnibus Fratribus foret abunde. Fit concursus Fratrum, sollicitantur piscatores, perscrutantur nundinæ: sed tanta evenit difficultas, ut nec ad emendum invenirentur, nec ab eis capi possent, qua de sterilitate nimio afficiebantur mærore. Advenit interdum Magister, gaudentes suscipiunt, gaudensque eorum profectibus resalutat: sed verecundiam Fratres læto celabant sub vultu. Præterea accidit ut Frater quidam quippiam operis exercens juxta fluvium Ligeris sisteret: & ecce subitò prægrandem piscem, quem ilicem vocant, conspicit circa litus natantem: ad quem non tardus capiendum insiluit, abstractumque Fratribus detulit. Fit quoque hac de re gaudium, sed admiratio major: omnes tamen meritis hoc venerabilis viri Benedicti evenisse confessi sunt. hoc enim ego à fideli Fratre, ni fallor, ita didici. ALCOINUS [b] quoque ex genere Anglorum, ordine Levites, sapientiâ præclarus, sanctitatis merito venerabilis, regens Monasterium beati Martini Confessoris, qui fuit Turonensium Pontifex, quique in aula gloriosi Imperatoris Caroli omni honore dignus habebatur; auditam * expertamque viri Dei sanctitatis famam, inviolabili se illi caritate conjunxit, ita ut ex suis epistolis ei sæpe directis aggregatis in unum unus conficeretur libellus. Datis itaque illi muneribus postulat obnixè sibi Monachos dari. Cui cùm protinus venerabilis Pater adsensum præbuisset, equos misit qui eos ferrent: quos in Monasterio, cui nomen est Cormarine, quod ædificaverat, collocavit. Fuere etiam & hi, ut reor, XX cum prælato sibi

Margin: Monasteria alia reformat per suos. — [a] Barbarense, — Mitiacense, — [b] — * auditâ, &c. — Cormaricense.

[a] De Leidrado & Monasterio Barbarensi, deque Theodulfo & Mitiacensi inferiùs agendum, ubi de aliis Monasteriis per Benedictum ordinatis.
[b] Alcoini seu Alcuini Vitam superiùs retulimus, ubi etiam actum de Cœnobio Cormaricensi, deque necessitudine, quam inter se se habebant Benedictus & Alcuinus. Alcuini epistolæ hic memoratæ exciderunt.

An. Chr. DCCC XXI. Febr. XI. magistro: ad quorum bonum conversationis exemplum, magna est aggregata multitudo Monachorum.

Reliquias sacras non satis reverenter tractantes corripiuntur.

37. Quæ autem peridem tempus propitia divinitate sint acta miracula, non ab re puto, si huic operi inserantur. Quidam siquidem Frater tabulam sacratam, in qua beati Dionysii erant reliquiæ aliorumque Sanctorum plantatæ, missus est ab alia Cella ad aliam deferre: isque secum pergens catulos detulit, tabulam verò sacratam post aliquos dies revertens non lotis vestibus incautus deferre nititur. Ingressus navigio properat (erat enim Cella ipsa inter stagnum & mare sita) sed ut mox terram attigit, equumque adscendens in quo catulos pertulerat, tabulam portaturus suscepit, divina hunc ultio perculit. Equus quidem eâdem horâ se in circulo rotando conversus est, quousque frater in terram rueret, tabula quoque manibus ejus elapsa inlæsa suscipitur; equus siquidem statim exstinctus est; sed & is, qui ceciderat, Frater non sine magno est languore evectus, à quo diu confectus tandem sanitatem recepit. Hi verò Fratres, qui petendas reliquias miserant, quæ acciderant audientes, alium rursus Fratrem mittunt. Qui quoniam erat Sacerdos, secum crucem, in qua lignum erat dominicum, tulit. In stagnum verò ingressus, valida tempestate vexatur navicula: sed mox ut crucem quam collo gestabat, undis tumentibus opposuit, quieverunt procellæ. In Cella verò quiescens per somnum vidit miri candoris virum, qui eum ita affatus est: Nisi, inquit, lignum Domini mei tecum adtulisses, nequaquam abhinc quo velles tempore exires. Admonetur itaque ut pedester eas deferret: & quia non obtemperavit, deductas * ad præfatam Cellam Reliquias, gravi est infirmitate percussus. Post hæc autem in ecclesia eadem qua reliquiæ fuerant delatæ, pharum pendebat, in cujus vascula permodicum erat oleum, sed in crastino plena reperta sunt. Hoc autem contigit per ter. Hæc nempe his, quibus languor acciderat narrantibus comperi.

* deductis, &c.

Feminæ ob ludibrium punitæ.

38. In montibus autem, in quibus Fratres soliti erant alendarum ovium curam habentes habitare, sibi ad orandum exiguum Oratorium construxerunt, in quo ingressæ sunt mulieres, postquam Fratres ab eo discesserant loco, & deridentes habitacula Monachorum dicebant ad invicem: Tu vicem Abbatis habeto in loco ejus stans. Sicque singulæ ordinatim stantes in loco orationis quasi orantes, malè surrecturæ recumbebant. Vacua siquidem remanserant habitacula, in quibus æstatis tempore solummodo morabantur, sed eas statim digna subsequitur ultio. Tornutionibus verò vexari cœperunt, à quo dolore non sunt ereptæ, quousque viri earum subsequuti sunt Monachos à montibus cum ovibus descendentes, eosque precati sunt, ut pro temerariis preces funderent. Orantibus autem Fratribus sanitati continuò sunt redditæ.

Arrepticius liberatus.

39. Quidam energumenus vice etiam quadam ad Monasterium parentibus deducentibus suis venit, qui in basilica beatæ semperque Virginis Dei genitricis Mariæ collocatur: pro quo dum orationem cum vigilia Fratres fudêre, sanitatem * perceptam discessit in pace. Femina rursus immundo spiritu plena ad Monasterium pervenit, eamque in Oratorium sancti Johannis Baptistæ, quod in cimiterio situm est, Fratres cum vigiliis & orationibus custodiunt, quæ præstante Deo sospes abscessit. Ad Oratorium verò, quod in honore sancti Saturnini Martyris dedicatum est, ubi venerabilis vir primùm habitare cœpit, si quis febricitans abierit & paullulum dormierit, si fide non hæsitaverit, incolumis revertetur ad propria. Quæ multorum relatione didici, eorum videlicet qui per semet beneficium sanitatis experti sunt. Hæc de miraculis nostris temporibus actis pauca dixisse sufficiat. Ad ordinem cœptum juvante Deo redeamus.

* sanitate, &c.

Item femina.

Febricitantes sanati.

40. Gloriosissimus autem Ludovicus Rex Aquitanorum tunc, nunc au-

tem divina providente gratia totius Ecclesiæ Europa degentis Imperator Augustus, sanctitatis ejus vitam compertam permaximè diligebat, ejusque consilium libenter obtemperabat: quem etiam omnibus in suo Regno Monasteriis præfecit, ut normam salutiferam cunctis ostenderet. Erant enim quædam Monasteria instituta canonica [a] servantes, Regulæ autem præcepta ignorantes. Cujus ille obediens jussis, circumivit singulorum Monasteria, non solùm semel & bis, sed & multis vicibus, ostendens monita Regulæ, eamque eis per singula capitula discutiens, nota confirmans, ignota elucidans: sicque actum est providente Deo, ut omnia pæne Monasteria in Aquitania sita regularem susciperent formam.

An. Chr. DCCC XXI. Febr. XI. Ludovici jussu Monasteria ordinat vir sanctus. a

41. Sed is qui bonis actibus semper invidet innocentiæ adversarius & pacis inimicus, non æquum decernit, si pii Regis diutius adhæreret amicitiis, damnum suæ parti inferre non dubitans, horum si eminus indivisa caritas permaneret. & quoniam naturæ suæ glotiam superbiendo amisit, in ea bona quæ perdidit ne homo introducatur, totis viribus cavet: dolet enim hominem miseratione Dei recuperari. Sed nec mirum si piorum probitate hostis crucietur antiquus, & eorum quos invincibiles cernit profectibus torqueatur; cùm sint etiam plures qui bujus malignitatis opera imitentur. Multi enim (quod dolendum valde est) uruntur alienis utilitatibus, atque in eorum armantur odium, quorum sequi nolunt exemplum. Præfatis ergo proficuis actibus Deoque dignis agnitis, quorum stipatus agmine, invidiæ jaculis armatus malè pugnaturus processit. Et primùm quidem Clericorum in ejus derogatione accendit animos; tunc demum aulæ regiæ Militum stimulat corda, quorumdam etiam Comitum subvertit mentem: omnesque pariter invidiæ face succensi non clam, sed jam palam virus pestiferæ mentis vomentes, circillionem rerumque cupidum & prædiis aliorum invasorem, suarum animarum jugiter oratorem, publica voce clamabant. quorum vesana sævitia ad tantum nefas prorupit, ut animum serenissimi Imperatoris Caroli erga eum concitare tentarent. Sed vir Dei bene securâ conscientiâ, nec derogationibus commovetur, nec fraudulentis adsertionibus perterretur. Palatium deinceps hac de re adiit. quo eunte prohibere nonnulli conantur, adtestantes si conspectibus Imperatoris adstiterit, patriam ultrà non visum iri, quoniam erga se imperialis ira nimis foret accensa. Pergit tamen intrepidus, Dei miseratione confisus, illi spem suam committens, cujus pro amore certabat non pigrus. Esto, exsilii decerneretur subire laborem, mentem suam agebat famulari Deo securiorem. Quod si ab officio ne præesset pelleretur, omni desiderio bactenus hoc se concupisse narrabat. At priusquam in conspectu Imperatoris adstetit, ad tantam superna pietas tranquillitatem ejus inflexit mentem, ut viso eo deoscularetur, eique poculum propria porrigeret manu; & quem æmuli à proprio solo autumabant fieri exsortem, ad eum rediit magno cum honore. sicque divina ordinante misericordia eum dum infamare conati sunt, prædicarunt; & quem mentiendo odiosum reddere studuerunt, hunc non solùm minimis, verùm etiam Magnatibus venerandum ostenderunt.

Invidiam passus apud Carolum Magnum sese purgat.

42. Guillelmus [b] quoque Comes, qui in aula Imperatoris præ cunctis erat clarior, tanto dilectiunis affectu beato Benedicto deinceps

Guillelmum Comitem Monachis adjungit. b

[a] Quale erat Dionysianum prope Luteciam Parisiorum, quod à monasticis ritibus ad Canonicorum mores deflectebat, dum Ludovicus Augustus per Benedictum Abbatem ad primæva instituta revocare tentavit, idque tandem perfecit anno DCCXVII. cujus rei litteræ imperatoriæ exstant apud Sirmondum in tomo 2. Conc. Galliæ. quale itidem erat Monasterium sanctæ Columbæ apud Senonas. Hujus rei litteras legesis in Appendice ad Lupum Abbatem editionis Baluzianæ.

[b] Ejus Acta superius retulimus ad annum DCCCXII, ubi de Gellonensi Monasterio actum, iterumque agendum de eodem infrà.

An. Chr. DCCC XXI. Febr. XI.

adhæsit, ut sæculi dignitatibus despectis hunc ducem viæ salutaris eligeret, qua pertingere posset ad Christum: acceptaque tandem convertendi licentiâ, magnis cum muneribus auri, argentique, ac pretiosarum vestium speciebus subsequitur venerabilem virum. Nec moram inde ponendi comam fieri passus est, quin potiùs die natalis Apostolorum Petri & Pauli auro textis depositis vestibus, Christicolarum induit habitum, sese Cælicolarum adsciscì numero quantocius congaudens. Vallis verò à beati viri Benedicti Monasterio ferme quatuor distat millibus, cui nomen est Gellonis, in qua construere præfatus Comes in dignitate adhuc sæculi positus Cellam jusserat. illic se vitæ suæ tempore Christo tradidit serviturum. & quoniam nobilibus natalibus ortus, nobiliorem se fieri Christi amplectendo pauperiem studuit, & summum quem genuino perceperat, pro Christo abjecit honorem; ratum puto si de piis conversationis ejus actibus pro nescientibus pandam. Etenim in Cellam præfatam venerabilis Pater Benedictus suos jam posuerat Monachos, quorum exemplo imbutus, infra paucos dies, eos à quibus edoctus est, virtutibus antecellit. Adjuvantibus quoque eum filiis, quos suis Comitatibus præfecerat, Comitibusque vicinis, ad perfectum fabricam Monasterii, quam cœperat, citò deduxit. Qui locus ita secretus est, ut solitudinem non desideret habitator. Cingitur denique nubiferis undique montibus: neque cuiquam illic accessus est, nisi quem ultroneus orandi causâ deduxerit animus. Tanta verò amœnitate est perfusus, ut si Deo servire decreverit, aliorum non desideret loca. siquidem adsunt vineæ, quas præfatus vir plantare præcepit, hortorum quoque copia variis stipata diversarum generibus arborum. Possessiones adquisivit plurimas. Petenti siquidem eo serenissimus Rex Ludovicus spatioso hoc dilatavit termino, de fiscis suis ad laborandum concedens loca, vestes sacras perplurimas dedit, calices argenteos aureosque & offertoria præparavit, libros secum perplures attulit, altaria auro argentoque vestivit. In hanc nempe ingressus Cellam totum se dedicavit Christo, nihil mundanæ pompæ relinquens vestigii. Tantæ autem deinceps humilitatis fuit, ut rarus aut nullus ex Monachis ita flecti posset, dum obviare contingeret, ut ab eo humilitate non vinceretur. Vidimus sæpe eum cædentem asinum suum, flasconem vini in stratorio deferre, eumque super insedentem, calicem in terga humeris vehentem nostri Monasterii Fratribus tempore messis ad refocillandum sitim eorum occurrere. In vigiliis quoque ita pervigil erat, ut vinceret cunctos. In pistrino, nisi occupatio aliqua præpediret aut ægritudo tardaret, propriis operabatur manibus. Coquinam vice sua complebat; in habitu summæ humilitatis adsumserat formam; jejunii amator exstitit, orationibus instans, compunctioni continuus: vixque corpus Christi poterat percipere, priusquam lacrymarum ejus in terram decurrerent guttæ. Lectuli quoque duritiem avidè expetebat; sed propter ejus invaletudinem Benedictus Pater culcitram, eo nolente licèt, substerni fecit. Aiunt nonnulli, se quia sæpe pro Christi amore flagellis cædi, nullo alio præter eum qui aderat conscio jussit. Mediis fere noctibus glacialibus profusus rigoribus, uno perrarò tectus tegmine, sæpe in Oratorio, quod in honorem sancti Michaëlis construxerat, soli Deo notus, vacans orationibus stabat. His aliisque virtutum fructibus intra exiguos stipatus annos, imminere sibi diem mortis cognoscens, cunctis Monasteriis in regno Domini Caroli pæne sitis per scripturam notum fieri jussit, se ab hoc jam sæculo migrasse: sicque deinceps copias virtutum reportans Christo vocante migravit è mundo. Hæc perscite cupientibus dixisse sufficiant: ad cœptum rursus redeamus opus.

Gellonensis Monasterii auctorem,

virum eximiæ virtutis.

Ludovico acceptus,

43. Piissimus quoque Ludovicus Rex, quò ab insanis magis magisque

que inridebatur Benedictus venerabilis Abba, eo sibi eum in dilectionis sociabat multoeiùs amore, sciens mundi amatorum esse consuetudinem profectibus obesse justorum. Regina quoque pio affectu colebat eum; & quia justum noverat, libenter auscultabat, suisque muneribus sæpissimè honorabat. Et quoniam turba discipulorum ejus succreverat, & locus in quo ipse degebat, infecundus, humoque sterilis pæne & ardore solis super ustus est, dedit illi Monasterium [a], quod est in Arvernis territorio situm, quod sanctus Meneleus tegio de semine ortus fundavit, in quo & jacet in corpore: ubi duodecim direxit Monachos, constituens eis Abbatem summæ reverentiæ virum, nomine ANDOARIUM, qui à primævo tempore conversionis suæ ei adhæserat, virum probatum & multis laboribus attritum: quibus laborantibus pioque studio decertantibus ferme septuaginta, vel eo amplius illis, monachicam vitam pro posse servantes adhæserunt. Ad quod Monasterium dum quadam vice egregius Abba visendi gratiâ Fratres adiret, ex alia parte ejus adventum dum quidam Abba cum Fratribus suis expeteret; contigit eum ipsius Monasteni Cellam, ubi ecclesia in honorem Dei & Salvatoris nostri sita est, advenire. Siquidem ibi primum habitare Fratres cœperant: sed quia angustus erat locus, ad jam præfatum Monasterium serenissimus Rex eos transtulerat. Fratres autem qui ad providendam Cellam remanserant, videntes Abbatem unà cum suis gavisi sunt. Et quia erat eis ingens paupertas, tristabantur. Sed quoniam ubi caritas est, etiam exigua sufficiunt, jubet qui præerat Fratribus, juveni vinum afferre. cui mox ille, Nihil, inquit, est in vasculo vini. Duo siquidem illis vascula euntes permodica reliquerant Fratres, in quibus modicum erat vinum, ex quo vel Missas canerent, vel dominicis diebus singulas potiones perciperent. Audito autem Magister Cellæ illius non esse vinum in vasculo, doluit, & confidens ait: Perge, & affer nobis, quoniam pro amore Patris nostri bibent hi qui ad eum properant, & non deficiet eis. Perrexit Frater, & abstracto duce [b] egreditur vinum. Jam quidem priùs voluerat accipere, sed nequaquam invento recesserat. Nuntiat quod acciderat: glorificant Deum qui aderant, & meritis domni Benedicti fieri profitentur. Biberunt ergo pro velle, & secum benedictionis causâ tulerunt. Domnus quoque Benedictus cum suis adveniens, juxta quod opus fuit accepit, secumque ex eo in via tulit: sicque post hæc cessavit vas fundere vinum. Ipsis nempe Fratribus hæc qui viderunt referentibus comperi, qui usque nunc testes horum exsistunt.

AN. CHR. DCCC XXI, FEBR. XI.

Menatense Monasterium suscipit ad regendum; [a]

ubi vinum cælitus Benedicto concessum; [b]

44. Alia rursus vice in eodem Monasterio venit. post longum verò prædicationis sermonem piumque confabulationis alloquium, discessurus pacis osculum Fratribus præbet. Quidam autem Frater inter alios osculaturus accessit: quo perspecto vir Dei protinus substitit, pacisque osculum paullulum negavit: post increpationem verò congruam nobis mirantibus Fratrem deosculatus est. Post hunc quoque inter alios alter adfuit Frater, cui similiter fecit. tum demum ultimum vale dicens Fratribus abiit. Illo autem abeunte in crastino compertum est, quoniam Fratres illi fugam arripere disposuerant. Intelleximus tunc, quoniam ob hanc causam eos revelante sibi sancto Spiritu venerabilis Abba osculari tardabat, quorum perversam voluntatem etsi non patenter ostendit,

& patefacta cordium arcana.

a Menatense scilicet, quo de Monasterio actum Sæculi III parte I, in Vita sancti Menelei Abbatis, qui ejus auctor esse dicitur, id est instaurator. nam altero ante Meneleum sæculo exstitisse Monasterium illud constat tum ex Actis sancti Carilefi Abbatis, tum ex Gregorio Turonensi Episcopo, qui *Manatensis Monasterii* meminit in libro de Vitis Patrum cap. 12.

b Malè in editis *vasculo*. Dux enim sive duciculus, vulgò un *dusset*, serraculum dolii est, uti Sæculo superiore notavimus in Vita sancti Romarici Abbatis, & suprà in libro 1 de miraculis sancti Angilberti Abbatis.

An. Chr. DCCC XXI. Fabr. XI.

turbatas tamen conscientias salubriter increpavit.

Sancti Savini item Monasterium regit, a & Masciaceuse,

45. Aliud demum illi Monasterium gloriosissimus Rex dedit, ubi (ut reor) viginti Monachos misit, Abbatemque illis constituit. Situm verò est Monasterium illud in territorio Pictavense, & dedicatum in honore sancti Savini [a], in quo positi Fratres, dum in piis studiis vigilant desudantque, turba Monachorum non parva eis adjungitur. Rursus ei aliud contulit Monasterium, quod est in territorio Bituricensi situm, illoque quadraginta ferme posuit Monachos, constituitque Abbatem: & quoniam locus ille novo opere erat fundandus, adjutorium præstitit, libros vestesque sacras dedit. At illi in sanctæ Religionis habitu florentes, sanctæque conversationis normam pandentes, unitatem quoque spiritus servantes in vinculo pacis, permaximum intra Christi ovile gregem Monachorum aggregarunt.

Bellamcellam, b

46. Ulfarius [b] etiam quidam nomine, nullum habens consanguineum, vir illuster & nobilis, per chartam ei ad ædificandum Monasterium locum tradidit in Albiensis confinio, ubi etiam Monachos ordinato illis Abbate fere duodecim misit: & his etiam quoniam novo opere fabricam Monasterii cœptam perficere satagebant, libros plurimos contulit, vestes sacras præbuit, calicem argenteum ac offertoria, crucemque & omnia, quæ illis necessaria fore prospexit, administravit. Ipsi verò tam in ædificiis rerum corporearum, quàm etiam in ædificatione animarum, SANCTÆQUE REGULÆ institutis decertantes, magnam Christo Deo famulantium congregationem religiosorum Fratrum adquisierunt.

Maurum-Monasterium,

47. Post obitum quoque serenissimi Imperatoris Caroli, cùm filius ejus Ludovicus Rex Aquitanorum Imperii curam suscepisset, Franciæ eum partibus ire jussit, cique in *Alsat* Maurum-Monasterium designavit, ubi plures suæ vitæ sequaces ex Aniano Monasterio collocavit. Et quoniam magnum à palatio distat spatium locus præfatus, nec congruo occurrere tempore cùm vocaretur poterat; & quia Imperatori multis pro causis erat necessarius: placuit Imperatori, ut non longè à palatio provideret locum aptum sibi, in quo cum paucis quiescere posset. Sicque præfecto Abbate Fratribus Mauro degentibus, ipse cum nonnullis Imperatoris voluntati obtemperaturus accessit.

Indam.

48. Vallis autem erat vicina, quæ à palatio (ut reor) sex non ampliùs millibus distat, quæ viri Dei placuit oculis: ibique Imperator jussit construere miro opere Monasterium, quod vocatur Inda, mutuato de rivulo ejusdem vallis nomine. In dedicatione verò ecclesiæ adfuit Imperator, eamque de suis copiosissimè ditavit fiscis, immunitatemque jussit, atque per scripturam, ut triginta ibidem Deo Fratres Christo famulantes persisterent Monachi, statuit. Qua de re ut numerus impleretur, venerabilis Abba de notis Monasteriis lectos jubet venire Fratres, quos suo instrueret exemplo, essentque aliis documentum salutis, quousque instinctu divinæ gratiæ sæculari pompa relicta æterno Regi militare desiderantes ex eadem provincia in eorum subrogarentur ordine.

Imperatori causis omnium exponit.

49. Cœpit autem post hæc vir Dei palatinas terere fores, olimque dimissum ob multorum utilitatem ferre tumultum. Omnes siquidem qui aliorum pressi incommodis imperialia petebant suffragia, cùm ad eum accederent, alacriter susceptos osculabatur, eorumque querimonias in schedulis impressas tempore opportuno offerebat Imperatori. Ex quibus

a Hactenus nomen retinet sancti Savini, de quo aliàs diximus Sæculo superiore, ubi de sancto Marino Martyre, acturi iterum Sæculo V Benedictino in Vita sancti Hugonis Monachi Æduensis, & Sæculo VII in Vita beati Bernardi Abbatis Tironensis.

b Wlfarius Comes Bellam-cellam in pago Albigensi ad fluvium Agotum ædificasse dicitur, cujus rei charta inferiùs referenda.

adsuetus aliquoties serenissimus Imperator mapulam manicasque ejus palpans reperiebar, repertasque legebat, atque ut utilius noverat decernebat. propter oblivionem quippe talibus in locis eas ferre solitus erat. Libenter etenim hujuscemodi querimonias audiebat Imperator, & ob id quàm maximè sedulò illum in palatio fore jubebat. Etenim qui eum ex regni moderamine, ex dispositione provinciarum, & ex suis consulerent utilitatibus, erant perplures. nullus prorsus afflictorum miseriis ita compatiebatur, nullusque Monachorum inopiam ita Regi ut ipse pandebat. Erat quippe miserorum advocatus, sed Monachorum pater; pauperum consolator, sed Monachorum eruditor; divitibus pabulum vitæ præbebat, sed Monachorum mentibus Regulæ disciplinam inculcabat; omnium licèt utilitatibus consuleret, Monachorum tamen necessitatibus sedulo interveniebat.

50. Præfecit eum quoque Imperator cunctis in Regno suo Cœnobiis: ut sicut Aquitaniam, Gotiamque normâ salutis instruxerat, ita etiam Franciam salutifero imbueret exemplo. Multa denique Monasteria erant, quæ quondam regulariter fuerant instituta; sed paullatim tepescente rigore, regularis pæne deperierat ordo. Ut autem, sicut una omnium erat professio, fieret quoque omnium Monasteriorum salubris una consuetudo; jubente Imperatore aggregatis Cœnobiorum [a] Patribus unà cum quampluribus Monachis perplures resedit dies. Omnibus ergo simul positis Regulam ab integro discutiens, cunctis obscura dilucidans dubia patefecit; priscos errores abstulit, utiles consuetudines affectusque confirmavit. Judicia igitur Regulæ cunctaque dubia ad proficuum deducta effectum, quas minùs Regula pandit consuetudines, adsentientibus cunctis protulit: de quibus etiam Capitularem institutum Imperatori confirmandum præbuit, ut omnibus in Regno suo positis Monasteriis observare præciperet: ad quem Lectorem scire cupientem dirigimus. Cui protinus Imperator adsensum præbuit, inspectoresque per singula posuit Monasteria, qui utrum ea quæ jussa fuerant sic observarentur inspicerent, quique etiam formam salubrem ignorantibus traderent. Perfectum itaque propagatumque est opus divina opitulante misericordia, & una cunctis generaliter posita observatur Regula, cunctaque Monasteria ita ad formam unitatis redacta sunt, ac si ab uno magistro, & in uno imbuerentur loco. Uniformis mensura in potu, in cibo, in vigiliis, in modulationibus cunctis observanda est tradita. Et quoniam alia per Monasteria ut observaretur instituit Regula, suos in Inda degentes ita omni intentione instruxit, ut ex diversis regionibus adventantes Monachi non (ut ita dixerim) perstrepentia, ut imbuerentur, indigerent verba: quia in singulorum moribus, in incessu, habituque formam disciplinamque regularem pictam cernerent.

Cœnobiis cunctis præfectus, in conventu Abbatum uniformem vivendi ritum præscribit, Indæ accuratè observatam,

51. Propter plurimorum quoque indiscretum fervorem & quorumdam ineptum tepotem, minusque capacium sensum obtunsum, constituit terminum, ordinemque [b] observandum cunctis tradidit: illos retrahens ne superflua peterent, hos imperans ut torporem excurerent, alios nihilo minus admonens, ut saltem visa implere expeterent. Denique multa Regula implere jubet: sed permulta sunt quæ usus explere quotidianus experit, ipsa tamen reticet: ex quibus omnibus habitus Monachi veluti gemmis ornatur, & sine quibus dissolutus ac fluxus incompositusque esse probatur. Nonnulla autem præcipit, quæ aut propter concordiam unitatis, aut certè propter observantiam honestatis, seu propter considera-

personis & locis accommodatum.

[a] Id factum anno DCCCXVII in Synodo Aquisgranensi, de qua inferiùs agendum.
[b] Hinc colligunt nonnulli, Benedictum hunc auctorem esse libelli qui inscribitur *Ordo conversationis monasticæ*, ab Haefteno editus & illustratus in fine Disquisitionum monasticarum.

An. Chr. DCCC XXI. Fabr. XL. tionem fragilitatis admittuntur. Quapropter piæ recordationis venerabilis Abba quæque observanda comperit, absque ulla cunctatione vel excusationis fuco implere decrevit: ea verò quæ certis pro causis aut dimittenda cognovit, aut commutanda inspexit, nihilo minus, prout rectiùs & secundùm posse locique positionem dirimere quivit, suis observanda discipulis tradidit: si qua nempe minùs lucidè pagina Regulæ pandit, aut omnino silet, rationabiliter apteque instituit atque supplevit, de quibus ope divina jutus pauca relatu perstringam.

Cujus forma hic describitur. 52. Primitus siquidem quàm signum horis nocturnis pulsetur, in Fratrum dormitorio squillam [a] tangere jussit, ut priùs Monachorum congregatio orationibus fulti propria residerent per loca, tunc demum Ecclesiæ ostiis patefactis hospitibus pateret ingressus. Surgentes verò concitè juxta quod Regula præcipit, Fratres aquis se sanctificatis perfundant, & cuncta altaria humiliter & cum reverentia percurrant. sic demum ad propria loca accedant, sintque parati, ut cùm tertium pulsaverit signum, absque mora surgentes attonitis auribus Sacerdotem exspectent, qui officium incipiendi sortitus est. Nec cuiquam liceat per hoc spatium, per angulos ecclesiæ sistere, eorum scilicet quibus ingredi jussum est; sed in choro sedentes institutos secretè concinant psalmos. Psalmos autem cantare jussit, quinque [b] pro omnibus fidelibus in toto terrarum orbe vivis, quinque etiam pro omnibus Fidelibus defunctis; pro eis quoque qui nuper defuncti sunt, quia ad notitiam singulorum non statim causa pervenit, ut jugiter canerentur instituit nihilo minus quinque. Decursis verò psalmis quinque pronus orationi incumbat, eos pro quibus cecinit, Deo commendans: & tunc demum pro aliis rogaturus initium sumat. Nec pigritandum est pio, certis defixisque psalmodiis æterno Regi demerso in terram corpore supplicare: cùm potentibus ad singula verba non revereatur quis inflectere caput; maximeque quia hoc modo gratia provocetur divina, & compunctionis suscitetur fervor. Tempore siquidem æstatis post expletum Matutinorum officium, mox egredi ab ecclesia propter somnolentiam jussit, seseque calceantes lotis faciebus denuo ad ecclesiam concitè redeant, & juxta præfatum ordinem altaria cum reverentia circumeant, sanctisque se aquis perfundant: & sic deinceps ad loca sibi constituta accedant, diurnum expleturi honestè officium. quæ officia juxta Romanum [c] psalmo CXVIII persolventur: sintque parati, ut pulsato signo horæ primæ, mox ad chorum occurrant. Signum autem ita prolixè tangere jussit, ut omnes illo sonante occurrant, illo cessante Sacerdos incipiat horam. Expletâ Primâ in unum aggregati solvant capitulum: quo expleto, cum silentio, aut psalmos [d] decantando exeant ad opus sibi injunctum. In Monasterio quoque remanentes non fabulis occupentur otiosis, sed bini & bini, aut certè singuli in coquina, in pistrino, in cellario psalmos canant. Post completorium verò instituit, ut non pro libita quis voluntate aut egrediatur, aut moretur in oratorio; sed hiemis tempore decem priùs canant psalmos, æstate verò quinque: sicque pulsato signo omnes pariter juxta præfatum modum altaria cuncta circumeant, & sic ad lecta sua singuli pausaturi accedant. In his tribus per diem vicibus circumire cuncta præcepit altaria, & ad primum

[a] Id campanulæ seu tintinnabuli genus, quod Lanfrancus signum minimum vocat in Decretorum cap. 1, & in secretario locat, Durandus in tricl- nio lib. 1 de divinis officiis cap. 4.

[b] Hi sunt psalmi graduales, quos Quadragesimæ tempore singulis feriis quartis etiam nunc ante matutinum officium frequentamus.

[c] Ergo jam tum Romanæ Ecclesiæ mos obtinebat, ut psalmus centesimus octavus-decimus, uti & nunc, in horis diurnis psalleretur. Aliter diurnum psallendi officium distribuit sanctus Pater Benedictus in Regulæ cap. 17.

[d] Sic psalmos inter laborandum decantari præscribunt Adalardus Abbas in statutis suis, & Cluniacenses apud Udalricum, in Consuetudinum Cluniacensium lib. 1 cap. 30.

An. Chr. DCCCXXI. Fabr. XI.

ex eis orationem dominicam dicant & ſymbolum, ceteris orationem dominicam, vel ſua confiteantur delicta. Diurnis autem orationum horis ad ſuum quiſque accedat oraturus locum: ſi autem peculiariter ſibi vult orare, quibuſcumque vacat horis, licenter peragat. Has igitur tres ideo conſtituit orationis vices, ut hi qui torpore pigreſcunt, & orare faſtidiunt, ſaltem compulſi agant quæ libenter nolunt, & conſtitutas non præſumant relinquere horas: hi verò, qui nimio ſuccenduntur amore, ne extera indiſcretè petant retrahantur. Sic enim accidere ſolet, ut nimiis vigiliis atterantur unius noctis [a] indiſcretione: horis autem quibus divinis pſalmodiis eſſe intentum oportet, præoccupatus ſomno non valeat divinum exſolvere cenſum. In habitu quoque diſſimiles fecerat multorum conſuetudo. Siquidem nonnullis uſque ad talos cucullæ pendebant. Quam ob rem vir Dei uniformem cunctis tenendum Monachis inſtituit modum, ut non ampliùs à duobus cubitis excederet menſura, vel uſque ad genua pertingere poſſet. Conceſſit etiam neceſſitatis cauſa, propter qoam Regula jubet, duas ſcilicet ſtamineas [b], & femoralia, pelliceas quoque, & tegumenta eorum, cappas duas: & quæcumque neceſſaria proſpexit, ut omnem amputaret occaſionis ambagem, tribuit & conceſſit.

53. Oſtendit quoque per Scripturam Imperatori rationem de his quæ jubet Regula, ſed certis ex cauſis intacta remanent; & de his quæ illa prorſus reticuit, ſed utiliter ſupplentur. Omne quippe deſiderium ſuum in obſervationem Regulæ converterat, ſuumque hoc permaximè erat ſtudium, ut nihil intellectui ejus excederet. Quam ob cauſam quos peritos eſſe compererat, attentè ſciſcitabatur circà longeque poſitos, eos etiam qui iſtis in partibus ad montem Caſinum accederent, veluti qui non audita ſolummodo, ſed viſa perciperent. Ob quam dilectionem intelligentiæ cùm quiſlibet ei aliquid novi panderet, mox humiliter ſuſcipiens ſumma reverentia aiebat, necdum ſe poſſe occultos ſenſus Regulæ noſſe: & cùm cunctis non dicam tironibus, ſed ipſis ſapientibus ipſe eam elucidaverit, nova & inaudita ſe non tantùm à peritis, verùm etiam à ſimplicioribus reperire fatebatur. Fecit denique librum ex Regulis diverſorum Patrum [c] collectum, ita ut prior beati Benedicti Regula cunctis eſſet, quem omni tempore ad collectam matutinam legere juſſit. Ex quo rurſus ut oſtenderet contentioſis nulla frivola caſſaque à beato Benedicto edita fore, ſed ſuam ex aliorum fultam eſſe Regulam: alium collectis Regularum ſententiis compoſuit librum, cui nomen Concordia [d] Regularum dedit, ita dumtaxat ut beati Benedicti præcederet ſententia, ei verò rationabiliter convenientes jungerentur deinceps. Alium nihilo minus ex ſanctorum Doctorum homiliis, quæ in exhortationem Monachorum ſunt prolatæ, conjunxit librum, eumque omni tempore in veſpertinis collectis legere juſſit.

Studium omne in Regulam convertit.

edita ob hoc Concordia Regularum.

a Eamdem rationem ſuggerit Caſſianus in Collat. 2. capp. 16. & 17.

b Jam ergo tunc vigebat uſus ſtaminearum, ſeu interularum lanearum, quas tamen Rotbertus Moliſmenſis Abbas repudiaſſe fertur apud Ordericum in hiſt. lib. 5. Certè ſanctus Pater Benedictus de ſtamineis ſeu quibuſlibet interulis ſilet. Et tamen ſtamineas duas Monachis concedit Fructuoſus in Regulæ primæ cap. 4. & 5. Ethildrita non lineis, ſed laneis veſtimentis in Monaſterio uſa eſt, teſte Beda in hiſtoriæ lib. 4. cap. 19. Denique Anſegiſus Abbas Fontanellenſis *drappos albos* x x, *de quibus camiſia* x x *fieri poſſent*, Fontanellenſibus adſignavit.

c Nempe, ut quidem exiſtimo, codicem Regularum omnium, qualem exhibent mſſ. codices, Corbeienſis vetuſtiſſimus, aliique, qualem, inquam, Holſtenius edendum reliquit, editumque typis Romanis & Pariſienſibus habemus. Eo in codice Regulæ, unaquæque poſt aliam, integræ referuntur, cùm in Concordia Regularum ſingulis Regulæ ſancti Benedicti capitulis ſingula aliarum Regularum capitula inſtar commentariorum aptentur.

d Hunc librum edidit, notiſque eruditis illuſtravit Menardus noſter, qui etiam Benedicti collectionem ex homiliis Patrum in codice Floriacenſi legiſſe ſe teſtatur. quem tamen codicem ego perquiſitum reperire non potui.

An. Chr. DCCC XXI. Febr. xi.

54. Cernens quoque nonnullos totis nisibus anhelare in adquirenda Monachorum Cœnobia, eaque non tantùm ut precibus obtineant, verùm etiam decertare muneribus, suisque usibus stipendia Monachorum expendi, ac per hoc diruta nonnulla, alia verò fugatis Monachis à sæcularibus obtineri Clericis; adiit hac de causa piissimum Imperatorem, precibusque pulsat, ut ab hujuscemodi contentionibus Clericos, Monachos verò ab hoc redderet periculo extorres. Adsensum præbet gloriosissimus Imperator, Monasteria in Regno suo cuncta prænotata, in quibus ex his Regulares Abbates esse queant, decernit: ac per scripturam ut inconcussa omni maneant tempore, firmare præcepit, suoque anulo signavit: sicque multorum cupiditatem, Monachorum nihilo minus pavorem extersit. Erant etiam quædam ex eis munera ª militiamque exercentes: quapropter ad tantam devenerant paupertatem, ut alimenta vestimentaque deessent Monachis. Quæ considerans suggerente præfato viro piissimus Rex, juxta posse servire præcepit, ita ut nihil Deo famulantibus deesset, ac per hoc alacres pro eo ejusque prole, totiusque Regni statu piissimum precarentur Dominum. His verò Monasteriis quæ sub Canonicorum relicta sunt potestate, constituit eis segregatim unde vivere regulariter possent, cetera Abbati concessit.

Ad placitum pergens equos admittit.

55. Quæ autem cùm ad generale Placitum jubente Imperatore pergeret, nutu Dei acciderint, non silendum puto. Ibat nempe ægritudine nimisque caloribus fessus, jussis obtemperans regiis, sed caritatis armis stipatus, multorum explere utilitatem paratus. Sed is qui piis semper invidet actibus inimicus, ut piorum detrimentum ferret saluti, hunc à tramite cœpto tali arte retardare molitur: equos siquidem, quibus ipse vehendus erat, per vasta silvarum deturbans custodibus fere ignota. Sed vir Dei nullo dolore de amissis equis perculsus, alacer regias prope pervenerat fores. Expletis siquidem Monasteriorum Monachorumque, de quibus illi ingens & jugis piaque erat sollicitudo, utilitatibus, numerus equorum imminutus à Rege fulcitur *. Sed & post unius mensis spatium amissi redeuntur equi. sicque divinitus actum est, ut quia de amissis non doluit, duplicatum susciperet lucrum.

* id est suppletur.

Duplices recuperat.

In morbis numquam otiosus.

56. Cœpit post hæc diversis variisque atteri ægritudinibus, & multos per annos continuis vigiliis, assiduis lacrymis, acerrimisque jejuniis atque laboribus meditationibusque attritum corpusculum novo certamini præparare: ut qui subactis vitiis virtutum obtinuerat arcem, nobiliter infirmitatibus patientiæ armis accinctus decertans, geminatam à Rege suo superatis hostibus victricem perciperet palmam. Quo enim validiùs pulsabatur ægritudine, eo intentiùs magis magisque aut orationibus vel lectionibus persistebat. Nullus otiosum reperit, nullus omnino in opere Dei pigrum, nullus vanis frivolisque fabulis occupatum invenit. Aut enim ipse per se lectioni instabat, aut legentem studiosè audiebat. Quis umquam solum nisi flentem reperit? quis ad eum subitò ingrediens siccas ejus reperit genas? & non prorsus aut humi prostratum, aut cælo erectis manibus stantem, aut ne sacri voluminis nimiis humectarentur fletibus paginæ, pugnis recipientem lacrymas invenit. Carnis deficiebant vires, sed animi adamante durior persistebat intentio, rigor semel cœptus pæne ipse perdurans. Carnium quadrupedum esus non suscepit à die conversionis suæ: balneis etiam in ultimo suo tempore languoribus attritus vix umquam indulsit. Vestimentum post quadraginta vel cò amplius dies mutare solitus est. Legere siquidem coram se sanctorum Patrum Vitam, obitusque jubebat: qua lectione recuperatus animus for-

Lacrymis deditus,

corporis afflictatione,

& legendis Sanctorum Actis.

ª Quæ ad munera, quæ ad militiam olim tenebantur Monasteria, recensentur apud Chesnium in tomo 2 Historiæ Francorum, & apud alios. In editis aliter hic versus legitur.

tior perdurabat. O bone JESU, quibus suspiriis fletibusque perfusus æstuabat animus cupiens dissolvi, & esse cum Christo: non tamen si necessarius Fratribus foret, laborem ferre recusans.

An. Chr. DCCC XXI. Febr. XI.

57. Invalescente autem ægritudine Imperatorem familiariter alloquutus in Monasterio deducitur, Fratribusque valefaciens, tota nocte orationibus psalmodiisque pernoctans, ipsius diei regulare officium peregit. At cùm alterius diei regulare * explesset officium, & Cursum persolvere vellet, ventum est ad clausulam: *Justus es, Domine.* quem versiculum decantans ait: Deficio. & adjecit: *Fac cum servo tuo, Domine, secundùm misericordiam tuam.* sicque inter verba orationis virtutibus decoratum emisit [a] spiritum. Adsunt autem ejus omnibus divitiis dulciores epistolæ, quas pridie quàm migraret à sæculo, Fratribus Aniano positis proprio dictavit ore, in quibus testatur faciem suam ampliùs non visuros. Aiunt etiam quidam, quoniam horâ qua migravit ad Christum, Episcopo STABILI Magalonensi obitus ejus revelatus est. à somno siquidem surgens mox suis quod acciderat retulit. Obitum autem ejus ob id cursim attigimus, quoniam Fratres qui eo tempore præsentes adfuerunt, latiùs explicaturi sunt, quod sequens demonstrat pagina.

Officio persoluto piè obit.
* *lege indicem onomasticum.*
Psal. 118.

BENEDICTUS igitur Abbas in provincia Gotiæ exortus sub Pippino Rege Francorum, & post ejus decessum sub Carolo filio ejus ab infantiæ tempore usque in adolescentiam militavit. Post hæc autem relicto palatio in Monasterio sancti Sequani in provincia Burgundiorum habitum veri Monachi suscepit: ibique duobus * ac semis annis consistens, Deo jugiter militavit. Sed quia ibi regularem usum minimè reperit, in Gotiæ partibus migravit, ibique super fluvium Anianum manu propria Cellam primitus; postmodum verò cum ipsis Fratribus qui ob amorem Christi sub ejus regimine venerant, Monasterium ex novo opere construxit, in quo non longo pòst tempore trecentos sub suo regimine Monachos habuit. Defunctoque Carolo Imperatore Ludovicus filius ejus Imperium suscipiens, Benedictum venerabilem virum unà cum suis quibusdam discipulis in Franciam venire fecit, ac primitus in pago Alsacense Monasterium ei Maurum dedit: postmodum verò pro ejus amore juxta Aquis palatium super fluvium Indam ex novo opere ei Monasterium ædificavit. Hic est Benedictus, per quem Dominus Christus in omni Regno Francorum Regulam sancti BENEDICTI restauravit. Hic habuit sub regimine suo Monasteria duodecim, id est Anianum, Gellonem, Casam-novam, Insulam-Barbaram, Menatem, sanctum Savinum, sanctum Maximinum, Massiacum, Cormariacum, Cellam-novam in Tolosano, Monasterium-Maurum in Alsatz, Indam ex jussu Imperatoris ob illius ac discipulorum ejus usum ædificatam, & de fiscis regalibus ditatam. In his omnibus ex doctrina sua Monachos & Rectores misit. Curam autem maximam habuit de omni ordine ecclesiastico, videlicet Monachorum, Canonicorum, atque Laïcorum, maximè autem Monachorum. Imperator autem omne ejus consilium libenter audivit, & fecit. unde & à quibusdam Monachus vocitatur, videlicet quòd Monachos sancti viri pro ejus amore semper suos proprios appellavit, & post ejus decessum hactenus Abbatem se Monasterii illius palàm esse profitetur. Sanctus igitur vir usque ad obitum suum in palatio Regis pro augmento Fidelium, non pro terrenis rebus perseveravit: quia juxtà erat Monasterium in quo degebat. Ante quartum verò exitus sui diem adhuc sanus omnia Imperatori, quæ ei solitus erat dicere, replicavit: & in ip-

Epistola hac de re Indensium Monachorum.
* *suprà annis, 10. quinquennii & octo mensium spatio. an biennii?*

[a] Sepultus in Monasterio Indensi, ubi hactenus in lapideo sarcophago quiescit, coliturque die 11. Februarii, suprà in Observationibus previis, & infra in fine Vitæ.

An.Chr. DCCCXXI. Febr. XI. » sa die febre correptus, ad mansionem suam usque pervenit. Altera verò » die audientes hoc omnes Magnates Imperatoris, ad eum visitandum ve- » nerunt. Tanta autem ibi fuit multitudo Episcoporum, Abbatum, ac » Monachorum, ut nobis qui eum ibi custodiebamus, vix ad eum acce- » dere facultas esset. HELISACAR autem Abbas primus ad eum venit, » & cum eo usque ad obitum perseveravit. Quintâ siquidem feriâ ægro- » tavit, in sexta autem feria nocte misit Imperator TANCULFUM Came- » rarium, jubens ut eum in ipsa nocte ad Monasterium ferremus. quem » levantes ante gallorum cantum unà cum Helisacar & suis ac nostris » hominibus, primâ horâ diei ad Monasterium deduximus. Cumque esset » tertia diei hora, omnes à se exire præcepit, & usque ad sextam horam » solus permansit. Post hæc ingressus suprà dictus Abbas cum Præposito » nostro, percunctati sunt quomodo ageret. Quibus ipse respondit, num- » quam se tam bene fuisse. adjunxitque: Usque modò inter choros Sancto- » rum coram Domino adstiti. In crastina autem Fratribus ad se vocatis eis » monita salutis dedit, & tunc professus est, quia quadraginta octo anni » essent, ex quo Monachus fuerat, in quibus annis nullo die antea panem » comedit, donec coram Deo lacrymas funderet. In ipsa die brevem ad- » monitionem Imperatori misit, & alias per diversa Monasteria direxit. » Isdem verò venerabilis vir omne officium suum de quinque annis & duo- » bus mensibus ante obitum suum, sicut in ejus tabulis post ejus decessum » repetimus, & ipse vivens quibusdam dixit, cantatum* per semetipsum re- » liquit. Obiit autem septuagenarius, tertio Idus Februarii, anno ab In- » carnatione Domini octingentesimo vigesimo primo, Indictione decima- » quarta, concurrente I, epacta decima-quarta, anno nono imperii Ludo- » vici piissimi Imperatoris. Post tertium verò diem sepulcrum ejus aperui- » mus, & eum in vas lapideum, quod Imperator paraverat, mutavimus: » discooperientes autem faciem ejus, vidimus in fronte & circa oculos ac » labia ejus tantum ruborem, quantum nec vivus habuerat. His ita exce- » ptis, & ita se habentibus, nos famuli ex Monasterio Inda, videlicet » DEIDONUS, LEVIGILDUS, BERTANUS, & DESIDERIUS, tibi » Ardoni Magistro nostro salutem in Domino optamus, petimusque cari- » tati tuæ, ut secundùm à Deo datam tibi sapientiam de vita Patris nostri » Benedicti libellum componas, & eum nobis dirigas. Salutant vos om- » nes Fratres nostri, & vos salutate omnes Fratres nostros. Amen.

* id est recitatum

Benedicti epistola ad Anianenses scripta in extremis.

» SUMMÆ *in Domino beatitudinis ac felicitatis Georgio Monasterii Aniani Ab-* » *bati, & cunctis filiis ac Fratribus nostris bene & vigilanter sub norma Patris* » *degentibus* BENEDICTI, *ultimus omnium Abbatum* BENEDICTUS *optat jam* » *in extremis positus salutem.* Super omnibus igitur quæ meum ardent ani- » mum, & præ cunctis curam inquirunt rebus, hoc est quòd de vestro » maximè sollicitor vitæ regularis ordine. Nempe nequaquam ullo modo » ignoro vos nobiliter desudare, & nostri fidelissimè fore memores, ne- » que ullo indigere adhortationis verbo. Verumtamen in ultimis constitutus, » ignorans utrum jam vos videre queam, urgenti erga vos caritate animum, » nonnulla tam per fideles verba amicos, quàmque per epistolas curavi » dirigere. Denique ipsi nostis, qualiter totis quantum valui nisibus, » quamdiu potui, & vitæ & exhortationis exempla monstravi sollicitus vo- » bis. Nunc, fili mi*, precor, & per ipsum testor Deum, ut unanimes in » caritatis nexu idem sitis sapientes, neque ullos, quos vel mecum addu- » xi, vel alicubi propter aliquod exemplum aut pro aliqua re misi, quasi » habeatis extraneos: sed quicumque ad vos iterum ex illis reverti volue- » rit, & regulariter vobiscum versari, piè benigniterque velut fratres re- » cipite, ut decet. Deo enim gratias, non deerit vobis corporale subsi- dium.

* al. Filium Dei

dium. Omnibus autem generaliter, maximè verò illis quos nobis in amicitia junctos nostis, diligentissimum semper attendite affectum, & ut potestis, aliis pauperioribus quæ supersunt vobis necessaria, Monasteriis ministrate. Abbati quoque MODARIO de Monasterio sancti Tiberii auxilium, in quibus indiguerit, ferte: & de his & de aliis, veluti in vita nostra, magis autem post mortem agite meam. Sicut ergo multa Monasteria dudum vitiata jam aliquid emendationis à nobis accepisse videntur largiente Deo; ita omnimodis nunc cavete, ne (quod absit, te posco misericors Domine) sinistram viam . . . . scilicet queant ullo tempore tenere. Monasterio verò Indæ velut Fratribus estote juncti unicis. HELISACAR quoque, qui præ omnibus super terram omni tempore vobis exstitit amicus fidelissimus Canonicorum, & Fratres ipsos in eo habetote semper loco, & ad eum semper sit refugium vestrum. Sed vobis ita nunc suggero, quia ignoro utrum in præsenti vos videam sæculo. Jam septimo Idus Februarii acerbissimo, dante misericordia Christi . . . . tactus verbere, nihil aliud quàm ultimum celeri exspecto diem vocationis. AN. CHR. DCCCXXI. FEBR. XI.

Jussit hoc domnus Benedictus adhuc vivens IV Idus Februarii scribere, & obiit III Idus ejusdem mensis. *Explicit epistola.*

Ut valeat novos divino semine jacto,
Rore poli madido, Doctorum vomere cultus,
Cordis opimus ager centenos reddere fructus.

VENERABILI *in Christo Patri* NIBRIDIO *Archiepiscopo*, BENEDICTUS *ultimus omnium Abbatum Abbas sempiternæ felicitatis salutem opto in Domino.* Eia vir Dei parcat modò caritas ac dilectio seu benivolentia, qua semper modò, in quantum potes, sive per te ipsum seu familiares & amicos, necnon per omnia Monasteria ubicumque transmittere potueris, ut orationes tam in psalmis quàm in Missis pro me ad Dominum fundere non cessent, quia modò valde necessarium mihi est. Scito, Pater dilecte, quia jam in extremis pugno, ad finem curro, jam anima à corpore separatur, & in hac luce oculis corporis te minimè video. Ille qui potens est facere de immundo mundum, de peccatore justum, de impio sanctum, faciat nos pariter regnum perfrui sempiternum, ibique cum omnibus Sanctis cantare canticum novum. Supplico, carissime Pater, ut sicut semper mercedem habuisti de Fratribus qui degunt in Aniano Monasterio; ita semper, usque dum sancta anima à corpore egreditur nostro, melius ac melius habeatis in vestra sancta dilectione. Omnes istis in partibus amicos familiares, & propinquos commendo. In Monasterio quoque vestro [a] totis viribus, sicut credo facitis, eisque ad perseverantiam laborare studete, & illam sententiam tam in divitibus quàm in pauperibus, quam Dominus per beatum Apostolum suum Paulum dignatus est dicere, ubi ait: *Argue, obsecra, increpa;* semper ex ore proferre vestro ad omnes. Vestra sanctitas, credo, bene sciat quem arguere debeat, quem obsecrare & quem increpare. Propterea dico, Pater, ut nullum periculum remaneat in vobis, unde in perpetuum damnari debeatis; sed libera voce cum Psalmista dicere valeatis: *Iustitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem & salutare tuum dixi.* Tamen omnia cum caritate & discretione agite, vosque Trinitas sancta custodiat, & præmium largiatur æternum. Amen.

Alia ad Nebridium Archiepiscopum Narbonensem.

Psal. 39. 11.

[a] In editis legitur, *nostro totis nisibus sic credo, facietis arguendo, obsecrando, increpando, ut libera voce cum Psalmista, &c.* At legendum *vestro*, id est in Monasterio Orbionensi, cui Nebridius præfuerat Abbas.



An. Chr. DCCC XXI. Fisa. XI.

APPENDIX

De Synodo Aquisgranensi, deque Monasteriis Anianæ subjectis, aut per Benedictum ordinatis.

1. *Q*UID *in rem ecclesiasticam præstiterit Benedictus, hactenus vidimus ex ipsius Vita, in qua & contra Felicianam hæresim, tum in legatione Hispanica, tum in Synodo Urgelitana laborasse, & Concilio Arelatensi, quod ad restituendam Ecclesiæ Gallicanæ disciplinam anno* DCCC XIII *celebratum est, interfuisse memoratur num. 31. Nunc quid pro re publica monastica, maximè in Synodo Aquisgranensi, egerit, expendendum est. Cùm rem Benedictinam fere ex æquo promovere studerent Ludovicus Augustus & Benedictus noster, anno* DCCC XVII *Imperator Aquisgrani convenire jussit Abbates quamplurimos Regulæ nostræ servantes, ad resarciendam sacri instituti disciplinam, quam Benedictus scriptis, monitis, exemplisque suis revocare modis omnibus tentabat. Nimirum* Monasteria Monachorum, in quibus olim beati Benedicti Regula conservabatur, tum negligentia subrepente remissiùs ac dissolutiùs custodiebatur, vel certè penitus abolita negligebatur, *aiunt Patres Concilii Turonensis tertii canone 25. Quam ob rem varia tum à Carolo Magno, tum à Ludovico ejus filio convocata Concilia, ut collabenti reipublicæ nostræ opem ferrent. Anno* DCCC XVII *Aquisgrani congregata est plurimorum Abbatum Synodus, cui præfuit Benedictus. sancita hac de re capitula septuaginta duo. tot enim enumerant Leo Marsicanus in Chronici Casinensis lib. 1 cap. 16 novæ editionis, & Chronographus Cœnobii sancti Vincentii ad Vulturnum lib. 2, quo ex Cœnobio* JOSUAS *Abbas eidem conventui interfuisse memoratur,* APOLLINARIUS *ex Flaviniacensi, & alii, de quibus in Præfatione actum est. Peracto Concilio* constituit idem Deo amabilis Imperator Benedictum Abbatem & cum eo Monachos strenuæ vitæ, qui per omnia monasteria Monachorum euntes redeuntesque uniformem traderent cunctis Monasteriis tam viris, quàm sanctimonialibus feminis vivendi secundùm Regulæ S. Benedicti incommutabilem morem, *ut legitur in Vita Ludovici Pii. Etsi enim universa Galliæ Monasteria eamdem sancti Benedicti Regulam profitebantur, non una tamen omnium erat vivendi ratio, sed varia pro locorum, personarum, morumque diversitate. Benedicto socius & adjutor adhibitus Arnulfus Abbas, testante Ludovico Augusto in diplomate, quod de restituto ordine monastico in Monasterio S. Dionysii confecit* VII. Kal. Septembris, anno XIX imperii. Mox, *inquit*, ut divina dignatio nos paterna sede suscepta imperialibus sceptris muniri voluit, piæ intentionis nostræ sollicitudo exsequi procuravit, ut religio, decor & omnis honestas à domno & genitore nostro divæ memoriæ Karolo cœpta & instituta liquidò & veraciter, remota omni simulatione in propriis quibusque maneret & vigeret ordinibus. Unde ad monasticæ institutionis normam corrigendam duos religiosos & venerabilis vitæ viros BENEDICTUM & ARNULFUM Abbates constituimus, qui per nostrum à Deo gubernandum & conservandum Imperium seduli huic negotio studiosè insisterent. *Exstat hoc diploma integrum apud Sirmondum in tomo 2 Conciliorum Galliæ, egregium sanè pietatis imperatoriæ monumentum. Arnulfus is erat Abbas, ut puto, Monasterii Glonnensis seu sancti Florentii ad Ligerim in diœcesi Andegavensi, & forsan etiam Abbas Heriensis, ut dicam inferiùs in historia translationis sancti Filiberti Abbatis.*

Monasteria à Benedicto ordinata.

2. *Quam Anianæ disciplinam instituit Benedictus, eamdem in varia Franciæ ac Germaniæ Monasteria propagavit. Tria primò nobis proponit Ardo,* Insulam Barbatam, Mitiacense, & Cormaricense. *quibus addit* Gellonense, Menatense, S. Savini Masciacense, Monasterium à Wlfario conditum, Maurum-Monasterium, & Indam. *Indenses in epistola sua addunt* Casam-novam, & Cellam-novam *in Tolosano. addo & ego* Monasterium sanctæ Columbæ *apud Senonas. De quibusdam actum est in superioribus notis: de aliis hîc nonnulla observanda.*

Barbatense.

3. *Leidradus Archiepiscopus Lugdunensis in epistola ad Carolum Magnum,* Monasterium regale Insulæ Barbaræ, *inquit*, situm in medio Araris fluvii, quod antiquitus est dedicatum in honore S. Andreæ Apostoli & omnium Apostolorum, nunc autem in honore S. Martini recèns videtur esse fundatum; jussu domni Caroli Imperatoris, qui ibidem præfecit domnum Benedictum Abbatem, cum quo simul direxit ibi suos codices, ita restauravi, ut tecta de novo fuerint, & aliqua de maceriis à fundamentis erecta: ubi nunc Monachi secundùm regularem disciplinam numero triginta habitare videntur. *Hic est Leidradus seu Laidradus Archiepiscopus, cui in*

Hispaniam cum Benedicto adversus Elipandum profecturo Alcuvinus libros suos dedicavit, quique postea dignitatem Agobardo resignavit, in sancti Medardi Suessionense Monasterium secessurus. Alcuinus in epistola 60 Monachis Barbarensibus, quos Fratres Lugdunenses *vocat, gratulatur de restituta monastica vitæ disciplina, eosque præmonet adversus gliscentes errores. Insula-Barbara Monasterium, cujus non semel alibi facta mentio, nunc sæculari toga donatum est.* AN. CHR. DCCC XXI. FEBR. XI.

4. *Quid in Mitiacensi Asceterio prope Aurelianos, nunc sancti Maximini dicto, præstiterit Benedictus, declarat Theodulfus ejus facti auctor in Carminum libro 2. ex quo quia carmen totum est in laudibus Benedicti nostri, juvat quosdam versus adducere in hunc locum. Sed priùs ex Letaldo Monacho Mitiacensi discamus, qualis tum fuerit istius Monasterii status. sic enim ille in libro de miraculis sancti Maximini Abbatis cap. 3, quem librum Sæculo 1 vulgavimus. Nempe eo tempore* devotio Mitiacensis Cœnobii & studium monasticæ vitæ emollita erat à sæculi dilectoribus, partim cupiditate, partim incursione hostica, quæ ex Aquitanica impugnatione crebrò obtingere solebat. Per idem enim tempus inter Pippini Duces & Waifarium Aquitanorum Regem gravis & diuturna conflictatio Rempublicam Francorum non modico profligavit damno, tandemque apud Toarcense castrum capto Waifario summa rerum ad Pippinum concessit. His fere temporibus locus supradictus adeo est adnullatus, ut nemo ibi posset manere Monachorum: sed habitacula eorum aut essent diversoria sæcularium & feminarum, aut stabula equorum & pastiones canum. Temporibus igitur divæ memoriæ Caroli Augusti, disponente rerum omnium Domino eumdem locum pristinæ reddere nobilitati, Theodulfus nobilissimus & moribus & genere acerrimique ingenii, Aurelianensis Ecclesiæ Episcopus subrogatur. Hic itaque multâ industriâ certans quatenus idem locus in antiquum revocaretur honorem, dum in contiguis regionibus minùs idoneos invenisset ad id efficiendum Monachos, ex Septimaniæ partibus adscivit, quibus & locum dedit, & res illi loco olim attributas de suo insuper addens contradidit. In qua re non pœnituit eum facti sui. quippe cujus temporibus in tantum ejus loci gloria enituit, ut veteris ignominiæ dedecus honestas superveniens obumbraret, & præteritorum dispendia lucra sequentia compensarent. *Duos hanc in rem Monachos Theodulfus obtinuerat à Benedicto, cui hoc nomine gratias agit, eumdemque de aliis mittendis interpellat, ac cum S. P. Benedicto Casinate comparat his versibus.* Mitiacense

I mea charta celer BENEDICTI ad tecta beati,
Hocque salutato tecta revise Patrum.
Huic salveque valeque meum, huic singula narra,
Prospera quæ nobis sunt tribuente Deo.
Inde refer multas missis pro munere grates:
Utque libens mittat plura, precare libens.
Utque pium consurgat opus fundamine jacto,
Quod me jam mulcet, jam mea corda fovet.
Sit melius culmen: bonus est fundaminis ordo,
Quem gemini numeri sorsque decusque sacrat.
Ecce duo Monachi duo sunt præcepta salutis,
Divino ut vinctus sit quoque fratris amor.

Et infrà:

Semina tu nostros misisti parva per agros,
Plurima mitte, seges hîc tibi grandis erit.
Non distes merito, cujus non nomine distas:
Nominis & meriti sors beet una duos.
Quod fuit Ausoniis BENEDICTUS Rector in arvis,
Hoc modò tu in nostris es, Benedicte, locis.
Ut cerebro Euphorbi Samius satus esse putatur,
Sic Nursi Patris in te revocatur opus.
Ut per TEUDULFUM Teudulfi verba precantis
Imples, cumque una it hinc prece nomen idem;
Sic Benedictus ei per te, Benedicte, quod optat
Conferat, & voti tu mediator eas.
Quodque fuit, Casine, tibi pius hic Pater olim,
Hoc modò sit Cellæ urbs Aureliana tuæ.
Quàm bene Mitiacum vocitavit prisca vetustas,
Quæ fuit auspicium mitibus antè choris!
Maximinus ibi Fratrum vernante corona
Præfuit. his junctus scandit ad astra poli.

AN. CHR. DCCC XXI. FIDA 21.

Corpora sunt quorum variis tumulata sepulcris,
Sunt animæ in finibus sed, Patriarcha, tuis,
Has fera barbaries exempto munere pacis
Dejecit sedes, destituitque locum.

Quid his verbis significare velit Theodulfus, explicat Letaldus superiùs relatus. Pergit Theodulfus, & poëtice mere carmen suum dirigit ad Benedicti Cœnobium, tum post aliquot versus subdit.

Inde salutandi Fratrem pietate revise,
Sum cui junctus ego nomine, non merito.
Hinc pete NEBRIDII Patris venerabilis ædes,
Mox & DONATI sit tibi visa domus.
Sed nec prætereas sancti loca Fratris ATILI,
ANNIANIque mei tecta verenter adi.
Nam prius adspiciat dantem sibi dona salutis,
ATALA te videat, dicque, OLEMUNDE, vale.
Ac si fortè vales mundanas ire per urbes,
Singula perlustrans oppida, rura, casas,
Præsulibus nostris in carmine pande salutes,
Atque omni Clero, quosque referre mora est.
ATTILA, CLARINUS, TEUTFREDUS, LEUBILA, & omnis
Turba Patrum nostrum sentiat alma vale.

Quos hìc primos salutat Theodulfus, erant ii ipsi, quos Benedictus operis sui adjutores primarios habuisse dicitur apud Ardonem suprà. Crediderim Annianum esse eum, qui sancti Anniani Monasterio in Gallia Narbonensi hactenus exsistenti nomen dedit. quod cave confundas cum Monasterio Aniana seu Aniane.*

* S. Chignan

Gellonense. *5. Gellonense Monasterium excitavit Vuillelmus Comes, postea ibidem Monachus, atque Anianensi Abbati subjectum esse voluit, uti in ipsius Vita diximus ad annum DCCC XII. Benedictus loco præfuit Abbas primus, dein permissi nonnumquam Abbates peculiares alii ab Anianensibus, qui Gellonensium Abbatum electionem probabant. Exstant non una Ludovici Augusti aliorumque Regum littera,* Cellam Gellonensem *Aniana attribuentes. Demum Gellonenses sui juris esse cœperunt, reclamatumque non semel ab Anianensibus seculo XI, quo* EMMENO *Aniana Abbas graves hac de re querelas deposuit apud Gregorium Papam VII, qua in tabulario Anianensi leguntur. Sed tandem prævaluit Gellonensium pervicacia Urbani secundi pontificatu, qui Gellonense Monasterium à jure Abbatia Anianensis absolvit: Callistus verò Papa secundus Romana sedi proximè seu (ut aiunt) immediatè subjecit, & post eum Alexander tertius.*

Masciacum. *6. Masciacensis Cœnobii in Biturigibus fundamenta jecit* EGO *Comes anno* DCC XXXVIII, *ut docet ejus loci breve Chronicon à Labbeo editum in tomo 2 Bibliotheca nova.* Adventus Monachorum in Masciaco anno DCCC XIV *collocatur, nimirum post Cœnobii restitutionem ab Ludovico Augusto factam, de qua in ejus Vita. Monasterium istud, quod hactenus persistit sub Ordine sancti Benedicti, vulgò* Massay *appellatum, rexit* ABBO *Abbas, qui* natus anno DCCC XVII, ordinatus anno DCCC XLVII, anno DCCC LXVI, *quo urbs Aurelianorum cremata est,* mortuus est, *& quidem* VII Kal. Decembris, *ex Kalendario.* Et anno DCCCC LXVII Odo Abbas bonæ memoriæ VIII Idus Junii *decessisse fertur; &* AROUIEUS Monachus Nonis Septembris.

Bella-cella. 7. WLFARIUS vir illuster & nobilis *locum in Albigensis pagi confinio tradidit Benedicto, ubi is* Monachos duodecim *cum Abbate collocavit.* Casam-novam *interpretatur Henschenius: sed Ludovici Augusti littera, quas videre non potuit, nos docent esse* Bellam-cellam. *En diploma ex tabulario Anianensi.*

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostrl JESU-CHRISTI, HLUDOVICUS divina ordinante providentia Imperaiot Augustus. Notum sit omnibus fidelibus nostris, quia vir venerabilis BENEDICTUS Abba unà cum consensu GEORGII Abbatis Anianensis Monasterii, quem ipse ibidem successorem elegerat, & Monachis ibidem consistentibus, seu etiam & NEBRIDII reverentissimi Archiepiscopi, & aliorum servorum Dei, cuidam cellulæ in pago Albiensi super fluvium qui dicitur Agnotis sitæ, nuncupante Bella-cella, constructæ in honore sancti BENEDICTI & aliorum Sanctorum, quæ nuperrimis temporibus novo opere in rebus quas WLFARIUS Comes memorato Monasterio Anianensi delegaverat, constructa est, tale privilegium ob firmitatem loci illius concessit, ut semper de ipsa congregatione ibidem eligerent Abbates, quamdiu ibi tales inveniri potuissent. Si verò contigisset ibidem illum inveniri minimè posse, ut de prædicta congregatione Anianensis Mooasterii ibidem

constitueretur. Et si aliter quàm oportebat fecisset, aut à suo proposito in aliquo exorbitasset; ut Rector sæpe nominati Monasterii sua auctoritate illud emendaret. ceterùm quamdiu suam professionem bene observabunt, nullatenus qualibet occasione eos infestassent, aut eorum quietem perturbassent, aut aliquid contrarii eis fecissent. Sed ut meliùs conservaretur, petiit ut nostræ jussione manus ratum maneret. Proinde has litteras fieri jussimus, per quas jubemus, ut memorati Fratres in eodem loco consistentes juxta superiùs taxatum modum Deo quietè militent, & Abbatem quamdiu ex se bonum eligere potuerint, juxta præmissam constitutionem eligant. Et si à proposito suo aliorsum digressi fuerint, per Abbatem Anianensis Monasterii corrigantur. Et sicut intulimus, nullam infestationem aut inquietudinem qualibet occasione, dum bene suum propositum conservaverint, à Rectoribus & congregatione præscripti Monasterii Anianensis patiantur: sed juxta præmissam conditionem in omnibus quietè vivere valeant. Hæc verò cellula sub eadem immunitate quam nos prædicto Monasterio Anianensi fecimus, indivisibiliter, sicut res ceteræ ad ipsum Monasterium pertinentes, ita ea sub nostra defensione consistat. Et ut hæc nostra jussio in omnibus firmior habeatur, & meliùs conservetur, de anulo nostro subter jussimus sigillari. DURANDUS Diaconus ad vicem HELISACAR recognovi. Data VII Id. Mart. anno Christo propitio imperii domni HLudovici piissimi Augusti Indict. XII. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen. An. Chr. DCCCXXI. Febr. XI.

Bella-cella statum hodiernum necdum rescire potui.

8. Maurum-Monasterium, *primitus* Cella sancti Leobardi *à primo auctore dictum*, in honorem Apostolorum Petri & Pauli & sancti Martini *constructum in Alesatia prope Tabernas * principatu Childeberti secundi; postea* Maurum Monasterium *cognominatum est à Mauro Abbate, cui Theodoricus quartus, Kalensis dictus, privilegium concessit, editum apud Iodocum Coccium & Carolum Cointium in Annalium Francorum tomo 2 ad annum 586 num. 43.* Maurum-Monasterium. * Saverne

9. Inda, *celeberrimum Cœnobium prope Aquasgrani, vocabulum traxit ab amne præterfluente,* sancti Cornelii *etiam appellatum à Cornelio Papa & Martyre, cujus caput & brachium istic observari dicuntur. Eo in loco sepultus est Benedictus noster ejus loci Abbas ex dictis.* Inda.

10. Casa-nova *sive* Gordanicus in pago Ucetico, *nunc usque Prioratus Aniana subjectus, vernaculè* Goudargue, *primitus à Willelmo Comite constructa dicitur in diplomate Ludovici Augusti, quod huic loco illustrando referre non pigebit.*

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri JESU-CHRISTI, HLUDOVICUS divina ordinante providentia Imperator Augustus. Si liberalitatis nostræ munere de beneficiis à Deo nobis conlatis locis Deo dicatis aliquid conferimus, id nobis & ad mortalem vitam feliciter transigendam, & ad æternam perpetualiter obtinendam profuturum liquidò credimus. Unde noverit experientia atque utilitas omnium fidelium nostrorum tam præsentium quàm & futurorum, quia placuit nobis pro mercedis nostræ augmento & animæ emolumento quamdam cellulam ex re proprietatis nostræ quæ nuncupatur Casa-nova, quæ sita est juxta castrum quod nuncupatur Planitium in pago Ucetico super fluvium Cicer, quam dudum WILALMUS quondam Comes à fundamento in honore sanctæ Mariæ semper Virginis construxerat, & rebus quamplurimis ditaverat, & domno & genitori nostro KAROLO bonæ memoriæ piissimo Augusto cum rebus & omnibus quæ eidem Cellulæ aspicere fecerat, per chartulam delegavit donationis. Sed postea propter compendium & loci utilitatem non procul ab eodem loco eadem cellula constructa est, quæ nuncupatur Gordanicus, in eodem pago & super eumdem fluvium, ad Monasterium quod nuncupatur Aniana, concedere, & per hanc nostræ auctoritatis largitionem tradere, quod est situm in pago Magdalonense, non longè à castro quod dicitur Monscalmus, constructum in honore Domini & Salvatoris nostri JESU-CHRISTI & sanctæ Mariæ semper virginis, ubi etiam SANAGILDUS Abba præesse videtur: quod olim vir venerabilis BENEDICTUS Abba in suo construxerat proprio, & similiter domno & genitori nostro Karolo Imperatori per instrumenta delegaverat chartarum. Hanc itaque cellulam, quæ, sicut diximus, nuncupatur Gordanicus, & illam quæ vocatur Casa-nova, cum omnibus ibidem pertinentibus vel aspicientibus, cum mancipiis, domibus, ædificiis, terris, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, cum omnia quæ prædictus Willelmus per venditiones, cessiones, donationes adquisierat, & præfato domno & genitori nostro tradiderat; & cum his quæ postea prædictis locis à bonis hominibus traditum est, memorato Monasterio Aniano præsenti tempore

An. Chr. DCCC XXI. Fran. XI. tradidimos, & per hanc nostræ auctoritatis donationem perpetualiter ad habendum concessimus, ita videlicet ut quidquid in ipsis locis aut de ipsis ad utilitatem & profectum Rectores aut Congregatio ipsius Monasterii facere vel judicare voluerint, libero in omnibus perfruatur arbitrio faciendi. Hæc verò auctoritas largitionis nostræ ut per curricula annorum inviolabiliter inconvulsam obtineat firmitatem, & à fidelibus nostris præsentibus scilicet & futuris seu etiam & successoribus nostris fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ veriùs certiusque credatur, etiam manu propria subter firmavimus, & anuli nostri impressione signare jussimus. DURANDUS diaconus ad vicem HALTSACAR recognovi. Data XII Kl. Junias anno Christo propitio secundo imperii domni HLudovici pissimi Augusti Indictione VIII. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

Varia hac de cella exorta sunt lites tum adversus Casa-Dei Monachos pontificatu Paschalis secundi, & Callisti itidem secundi; tum adversus Arelatensem Archiepiscopum Callisto item Pontifice. Et quidem, *ait Callistus Papa in litteris hac de re concessis*, Anianenses Monachi cellam illam per Lodoici Imperatoris, Karoli magni Imperatoris filii, & filii ejus Karoli Regis scripta & largitiones Anianensi Monasterio vindicabant. Archiepiscopus verò se Lodoïci filii Bosonis Regis chirographo tuebatur. *Sed tandem auditis utriusque partis momentis Callistus ipse de consilio Cardinalium jus Anianensium possessione roboratum confirmavit. Exstant hæ litteræ in lucem editæ tomo 6 Spicilegii.*

Cella-nova 11. *De Cella-nova*, vulgò Celle-neuve, *qua hactenus ab Aniana pendet, exstat diploma Caroli Magni in hæc verba:*

KAROLUS Dei gratia Rex Francorum & Langobardorum ac Patricius Romanorum, omnibus Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Vicariis, Centenariis, seu cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, & nostris præsentibus & futuris. Notum sit qualiter vir venerabilis BENEDICTUS Abbs ex Monasterio sanctæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ, quod est constructum in loco nuncupante Aniano, in pago cujus vocabulum est Magdalonense, Serenitati nostræ suggessit, eo quòd ipse unà cum Monachis suis loca aliqua erema infra fiscum nostrum nuncupante Juviniacum, antiquo verò vocabulo vocatur Fonte-agricolæ, nunc autem Nova-cella appellatur, quam ipsi proprio opere ædificaverunt; etiam & molina duo infra ipsius terminum fisci super fluvium Lero visi sunt construxisse, & inter mare & stagnum loco qui vocatur Porcarias, unà cum consensu Comitum & ceterorum Christianorum ibi circumquaque habitantium de loca erema accepisset. Similiter in loco qui dicitur Asogrado cellam ædificasset, cum omni adjacentia sua, etiam & alia loca Comajacas & Caucino super fluvium Araurem, ubi dicitur Ad-salices, ad pascua armentorum & alenda pecunia *, cum aliis usibus suis hactenus habeant, & jusserit se hæc omnia cum æquitatis ordine absque ullius inlicita contrarietate possidere. Sed pro integra firmitate petiit Celsitudini nostræ, ut quicquid nunc tempore ipse cum Monachis suis justè & rationabiliter ad suprà dicta habere dinoscitur, denuo per nostræ auctoritatis præceptum ei & Monachis suis inibi sub sancta Regula consistentibus plenissima deliberatione & mercede animæ nostræ ad præfatum Monasterium cedere & confirmare deberemus. Cujus petitionem denegare noluimus, sed in eleemosyna nostra ita concessisse & in omnibus confirmasse cognoscite. Præcipientes ergo jubemus, ut neque vos, neque juniores seu successores, quæ memorato viro venerabili Benedicto Abbati aut successoribus suis de supradicta loca undecumque ad præsens ipse & Monachi sui cum æquitatis ordine ac justè & rationabiliter vestiti esse noscuntur, inquietare aut calumniam generare, nec aliquid exinde contra justitiam abstrahere aut minuare quoque tempore præsumatis: sed per hanc nostram auctoritatem atque confirmationem habeant in eleemosyna nostra omnique tempore concessum, ita ut eis meliùs delectet pro nobis & filiis ac filiabus nostris seu cuncta familia domus nostræ & omni populo gentis nostræ attentiùs Domini misericordiam exorare. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur & diuturnis temporibus meliùs conservetur, manus nostræ signaculis subter eam decrevimus roborare, & de anulo nostro jussimus sigillare. Data in mense Junio anno XXXI & XXVI regni nostri. Actum Aquis palatio nostro in Dei nomine feliciter. Amen.

* f. pecora

S. Columbæ Monasterium. 12. *Ad hæc in Monasterio sanctæ Columbæ apud Senonas monasticam disciplinam restituere conatus est Benedictus, testante Ludovico Augusto in diplomate, quod editum à V. C. Stephano Baluzio in appendice ad Lupum habes hæc verba:* Notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, & nostris, præsentibus scilicet & futuris,

qoia olim dum monasticum Ordinem usquequoaque depravatum esse constaret, & ad eum corrigendom atque emendandum, immo ad pristinom debitumque modum & rectitudinem auxiliante Domino reducendum, quemdam Abbatem ejusdem Ordinis ferventissimum, Benedictum cognominatum, per Monasteria Imperii a Deo nobis commissi destinaremos; contigit ad Monasterium quod dicitur sanctæ Columbæ, haud procul ab vrbe Senonensi devenire: in quo cùm cetera regulariter ordinare satageret, quia tunc temporis Abbatem Canonicom, Jacob vocabulo, inibi præesse contigerat, quasdam villas, quæ priscis temporibus ad osum Fratrum Deo famolantium fuerunt destinatæ, segregavit, &c. An. Chr. DCCC XXI. Fran. XI.

13. *Præterea Ludovicus Augustus* ad Monasterium quod dicitur Aniana, ubi Georgius Abba præerat, quamdam cellam juris sui, qoæ est constructa in honore S. Martini infra muros Atelatensis civitatis, cum his quæ ad eam pertinent, memorato Monasterio ad stipendia Fratrom ibidem Deo famulantium vel ad subsidia pauperum concessit pridie Non. Decemb. anno imperii III, Indict. X, Aquisgrani palatio regio. *tum postea addidit* cellam quæ dicitur Massacia cum appendiciis suis, habentem plus minùs quadraginta mansos, quæ est ex ratione prædictæ cellæ S. Martini, *litteris datis* IIII Id. Mart. anno VII imperii, Aquisgrani palatio regio. *Demumque piissimus Imperator Monasterii Anianensis res omnes confirmavit generali diplomate concesso Ermenaldo Abbati, quod pro coronide hoc loco referre visum est.* Cella S. Martini.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu-Christi Hlodovicus divina ordinante providentia Imperator Augustus. Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei eosque in eisdem locis sibi famulantes beneficia oportuna largimur, præmium nobis apud Dominum æternæ retributionis rependi non diffidimus. Idcirco notum sit omnibus fidelibus nostris præsentibus & futuris, quia placuit nobis pro mercedis nostræ augmento ad Monasteriom quod dicitor Aniana, situm in pago Magdalonense, constroctum in honore Domini & Salvatoris nostri Jesu-Christi, & sanctæ ac semper virginis Mariæ, seu aliorum Sanctorum, obi venerabilis Harmenaldus Abba præesse videtur, aliqoid ex rebus tradere nostris, id est qoamdam Cellulam noncupantem Gellonis, sitam in pago Lotovense, cum omnibus appendiciis suis, vel qoidquid ibi Willelmus quondam Comes, qui ipsam cellolam in causa domni & Genitoris nostri construxit, seu & alii boni homines per strumenta chartarum tradiderunt. Et in prædicto pago villam quæ dicitur Magaranciate, & locum qui dicitor Castra-pastura ad pecora eorum alenda, seu diversis usibus, com terminis & adjacentiis suis. Et in eodem pago fiscum nostrum Curcenate cum omnibus adjacentiis suis. In pago quoqoe Biterrense fiscum nostrum, qoi dicitur Miliacus, cum ecclesia sancti Paragorii & Miliciano villa, cum omnibus appendiciis & adjacentiis suis. Et in eodem pago Villam-Cincianum cum appendiciis & adjacentiis suis. Et inter confinia de pago Rotenico seu Nemausense alpes ad pecora alenda seu alios osus quas dicunt Jaullo, cum terminis & adjacentiis suis, quas olim præfato Monasterio per Missos nostros Ragambaldo seu Fulcoaldo Comite tradidimus cum omni integritate, sicut à temporibus domni & genitoris nostri ab eisdem Monachis possessum fuit. Et locum qui dicitur Auraria cum omni integritate, sicut olim à bonæ memoriæ Ermengarde Regina prædicto Monasterio traditum est. Et in pago Magdaloonense Castrum quod dicitur Monte-Calmense situm juxta fluvium Araur, cum ecclesia sancti Hilarii, à termino ejusdem Monasterii Anianensis usque ad terminom rerum, sicut genitor noster trans ripam præfati fluminis per suum præceptum ad proprium jam dicto tradidit Monasterio, excepto proprium ingenoorum hominum quod infrà conjacet. Et super præfatum fluviom, Caocinom ad pascua armentorum & alenda pecora seu alias utilitates, cum villolis & omnibus aspicientiis sois. Et alio loco Comajagas com finibus & adjacentiis suis, seu & Paliares cum appendiciis suis. Et in loco qui dicitur Sogrado, cellolam quam ipsi Monachi ædificaverunt cum adjacentiis suis. Omnia hæc com omni integritate, sicuti à Misso genitoris nostri Karoli Leydrath Archiepiscopo traditum & marmotibus per cruces & terminationes adsignatom fuit, & ab ipsis Monachis à temporibus genitoris nostri possessum. Et in ipso pago, in fisco nostro noncopante Juviniaco, locum quod antiquo vocabulo Fons-agricolæ dicebator, nunc autem Nova-Cella appellatur, quam proprio opere ipsi Monachi manibus suis ædificaverunt; etiam & molina duo infra ipsius fisci terminum super fluvium Lero ab eisdem constructa cum omoi integritate, sicut hactenus à temporibus prælibati genitoris nostri qoieto ordine tenuerunt. & inter mare & stagnum locum qui vocatur Porcarias, quem sibi ad porcos alendum vel Nota

An. Chr. DCCC XXI. Indi. XI.

ad piscationis opportunitatem, seu alias adjacentias de locis heremis præfati Monachi susceperunt, & à genitore nostro eis per præceptum conlata sunt. Item in eodem pago illos segos cum ipsa piscatoria & plagis maris & fiscum nostrum adhærentem illis qui nuncupatur Sita, qui est inter mare & stagnum, & subjungit pago Agatensi, cum ecclesiis, villaribus, mancipiis, plagis maris & piscatoriis, cum omnibus aspicientiis & adjacentiis, cum silvis & arboribus suprà positis, usque ad locum qui dicitur Cataracum, quantumcumque vel quomodocumque in eisdem locis idem genitor noster quondam ad suum habuit opus. Et in pago Narbonense salinas quæ sunt nuncupante Ad-signa, quantascumque noster missus Leibulfus Comes eis designavit, cum terminis & laterationibus suis. Insuper & Cellam juris nostri, quæ est constructa in honore sancti Martini infra muros civitatis Arelatensis, cum omnibus quæ ad eam in eodem pago Arelatensi vel Avinionensi præsenti tempore pertinent. Et locum qui est in pago Arausiune, vocabulo Mutenatis, quicquid ad ipsum locum pertinet; & villam quæ dicitur Massscis cum omnibus appendiciis suis, habentem plus minus mansos XL, quæ est ex ratione prædictæ Cellæ sancti Martini; seu & insulam Suburbanam nuncupatam, quæ cingitur ab omni parte à Rhodano flumine, cum ecclesiis ac rebus seu appendiciis suis, sicut quondam Leibulfus Comes per auctoritatem nostram cum Notone Archiepiscopo ea suo alode * excambiavit & jure possedit, atque per cartam donationis præfato contulit Monasterio. Necnon & in pago Ucetico donamus cellulam proprietatis nostræ, quæ nuncupatur Casa-nova, quæ sita est juxta locum qui vocatur Gordanicus super fluvium Cicer, sicut eam & genitor noster quondam possedit, & nos olim præfato Monasterio per auctoritatem nostram concessimus. Hæc omnia præscripta cum omni integritate prædicto Monasterio per hanc nostræ auctoritatis donationem perpetualiter concedimus ad stipendia Fratrum ibidem Deo famulantium, ita ut quicquid ab hodierno die & tempore de prædictis rebus facere vel ordinare voluerint ministri loci ipsius, libero in omnibus perfruantur arbitrio. Quam ob rem hanc præceptionem nostræ auctoritatis pro firmitatis studio fieri jussimus: per quam omnino præcipimus atque jubemus, ut nullus ex fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ ac nostris de præscriptis rebus à nobis præfato Monasterio vel congregationi ibidem degenti concessis aliquid abstrahere aut minuere tentet, nec in ecclesias aut locos vel agros seu reliquas possessiones prædicti Monasterii, quas moderno tempore per donationes genitoris nostri ac nostras seu ceterorum fidelium justè possidere videtur in quibuslibet locis, quicquid ibidem propter divinum amorem conlatum fuit, quæque etiam deinceps in jure ipsius sancti loci aut per nos aut per alios voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius Monasterii tam ingenuos quàmque servos, qui super terram memorati Monasterii residere videntur, distringendos, nec ullas redibitiones aut inlicitas occasiones perquirendas ullo umquam tempore ingredi audeat vel exactare præsumat. Et quicquid de rebus præfati Monasterii fiscus sperare poterat, totum nos pro æterna remuneratione prædicto Monasterio concedimus, ut perpetuis temporibus in alimoniam pauperum & stipendia Monachorum ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum. Et quandoquidem divina vocatione supradictus Abba & successores ejus de hac luce migraverint, quamdiu ipsi Monachi inter se tales invenire potuerint, qui ipsam Congregationem secundùm Regulam sancti Benedicti regere valeant, per hanc nostram auctoritatem & consensum, sicuti in aliis eorum continetur præceptis à nobis vel genitore nostro sibi conlatis, licentiam habeant semper eligendi Abbates, quatinus ipsis servis Dei qui ibidem Deo famulari videntur, pro nobis & conjuge proleque nostra & stabilitate totius Imperii à Deo nobis concessi vel conservandi jugiter Domini misericordiam exorare delectetur. Et ut hæc auctoritas nostria futurisque temporibus Domino protegente valeat inconvulsa manere, manu propria subscripsimus, & anuli nostri impressione signari jussimus. Hirminmaris Notarius ad vicem Hugonis recognovi. Data XII Kl. Novembris, anno Christo propitio XXIV imperii domni HLudovici piissimi Augusti, Indictione XV. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

* exstat in tabulario Anianensi.

Sermo in dedicatione ecclesiæ Salvatoris.

14. *His omnibus haud ab re visum est subjicere Sermonem aliquando habitum in festo dedicationis basilicæ Salvatoris, factæ circiter annum* DCC LXXXII, *de qua in Vita num. 26. Sermo iste nomen Ardonis seu Smaragdi præfert in ms. codice: sed falsò, ut colligo ex ipsius auctoris verbis, dicentis* veternosa *suo tempore fuisse Anianensis basilicæ ædificia, &* antiquam *ejus dedicationis* relationem *vocat. Ad hæc* priscam *vocat* consuetudinem, *qua feminis negabat aditum in utrumque templum, Salvatoris scilicet & beatæ Mariæ: atque* interjectis annis, *id est suo tempore concessum sequiori sexui ingressum in basilicam*

basilicam Salvatoris. quæ verba convenire nequeunt Ardoni, Benedicti discipulo. Neque scio an non satis exploratum videatur id quod refert auctor iste, trecentos scilicet & sexaginta Episcopos, *(quorum fallacem catalogum legi) ipsumque Carolum Magnum huic dedicationi interfuisse: cujus rei nullam mentionem facit Ardo in Vita superioris num. 26. Eodem loco haberi debet id quod legitur de absolutione peccatorum Carolo divinitus concessa ac revelata: quo spectat* miraculum in consecratione Anianensis Archisterii revelatum, *relatum in Vita Caroli Magni, tribus libris scripta tempore Frederici Ahenobarbi, apud Lambecium in Cæsarea Bibliotheca tomo 2 pag. 333. Sermonis titulus ita se habet in codice ms.* Sermo sancti ARDONIS, cognomento Smaragdi, Monachi & Confessoris, ac magistri in sacra pagina, Monachi quondam Monasterii Anianæ, Ordinis sancti Benedicti, Magalonensis diœcesis: qui sermo fuit celebratus in consecratione altaris sancti Salvatoris ejusdem Monasterii die vigesima-nona mensis Decembris anno ab Incarnatione Domini DCCLXXI*. — An. Chr. DCCCXXI. Febr. 21. — * *l.* DCCLXXXII.

SEQUITUR TENOR SERMONIS.


AD gloriam & honorem tui nominis, Christe JESU Salvator sæculi, auribus catholicæ Ecclesiæ antiqua rei relatio per novos futurorum temporum decursus transfert notitiam, qualiter venerabile tuum Anianensis Cœnobii templum sui fundaminis suscepit exordium. Nam cùm Patricius Romanorum & Rex Francorum CAROLUS per Gallias ad honorem Dei templa & admiranda ædificia passim constitueret, quoddam insigne in Christi Salvatoris nomine constituit, quod sui stemmatis veternosa congeries mortalium oculis adhuc pandit. Post cujus constitutionem, de Narbonensis urbis obsidione remeans, in qua Angaricam gentem expulerat, ibi Synodo peracta trecentos sexaginta sex Pontifices invitavit, & ad consecrationis opus congregavit. Verè felix locus ille à tanto Principe honorabiliter electus, & ubi cælestis Hierusalem in terrenis conversationibus activam vitam ad suam contemplativam gaudet exeuntem, & in cælestibus claustris exspectat transferendos filios adoptionis, quos ibi nutrit Regula sanctæ Religionis, quam secundùm pii Patris BENEDICTI auctoritatem traditam alter quoque BENEDICTUS nomine primitùs ibi edocuit, qui in domo Domini ibi in atriis ejus justus ut palma floruit: cujus paternitatis principium Anianense promeruit Cœnobium, & per eumdem Abbatem primum, & gloriosum Regem Carolum piæ dedicationis diem vidit optatum. In quo præfulgida venerabilium Episcoporum pontificalis caterva præfata magnifici Regis in canto * conglomerata, sollemne opus exercuit, & prætactum finem gratiâ dedicandi adhibuit. — * *f.* cœtu
Tunc illud dedicationis peractum officium Deo placuisse cælitus est demonstratum. Nam eidem Regi sequenti nocte pernoctanti, & cuidam Pontifici Coloniensi & Benedicto Abbati (ut in ore duorum vel trium stet omne verbum) quædam visio spiritualis apparuit, quam ipsi tres postea professi sunt, videlicet quod Deo sacrata Anianensis aula, tota intus quasi ardens resplenduit, & lux erumpens ad cælum emicuit. Quis igitur in die consecrationis, quam sic Deus approbavit, interesse non lætabitur? Jam tunc illa nostri Salvatoris quàm felix aula canoris vocibus jucundata reboans cæleste dedit jubilum, & harmonica suavitas humanis auribus illata, per æthereas auras invitata super eos, uranico concentui subriguit. Audita est populorum plausibus permixta vox lætabunda, & omne vulgus utriusque sexus divinum opus admirans Deo gratias laudifluo rependit præconio. Magnum quidem est & difficile per singulas causas spiritualiter retexere omne genus divini operis, quod illic Deo dispensante per religiosorum manus decenter exhibitum est. Sed ne videamur acervare superflua, hactenus opus, nostra titillante manu brevitatis compendio, facili stilo laboratum, futuris sæculis in altam tradimus memoriam, quod fidelibus legendum & audiendum, sicuti relata gestorum didicimus, manifestum aperimus, &c. Adest hîc ara triplex, solius columnæ unitate subnixa, significans Trinitatis unitatem, ut in personis proprietas intelligatur, & deitatis unitas credatur, &c. Adest etiam dominicæ Crucis figura, quam in suo tempore sancti Salvatoris aula per sui fabricam depinxit, monstrans fidelibus Christi crucem spiritualiter esse gestandam, quam Deus Salvator crucifigendus sibi corporaliter bajulavit, & Crucifixus omnia de se dicta à Vatibus consummavit. cujus Crucis venerabile signum suo præcipuo Salvatoris conservat altario, & multis Beatorum pignoribus penetrale imbuit arcanum, quod obtinens reliquias in se, cælestes habet margaritas, &c. Nullos hîc quoque hæsitet suum tandem pectus pugillo, & quadam quasi pugni cordis manu excitare ignaviam, piæque confessionis modo illum Evangelii sequi Publicanum, qui suam de suis peccatis damnans conscientiam, sibi propitiari divinam quæsivit clementiam. Cujus exemplo in hac — Reliquiæ *l. Vita num. 26.*

An. Chr. dcccxxi. Febr. xi.

Anianensi aula confessio Caroli fertur gemebundis patuisse suspiriis, & pro quadam admissi sceleris noxa crebris obsecrationibus instituisse, divinæque misericordiæ aures lacrymabili propulsasse querela: quatenus ei Salvator ignosceret, ille qui pro hominibus cunctis venisset redemtor. Ad ostendendam verò redemtionis adeptam gratiam, exauditor supremus notatis apicibus cuidam Pontifici signum direxit, dum pro eo veniam peteret inter eucharisticas eulogias ad altare: persensitque Carolus celebrantis sibi manus impositas, qua impositione recreatus indultum sibi peccatum intellexit, &c.

Exsultet Galliæ tellus, & Anianensis spatii templo nobilitata lætetur: in quo ad indicium nobilitatis & pignus regalis amoris Karolus Princeps divinum munus ibi lecturis reliquit. Cùm igitur sit ita quodlocus iste regalibus polleat rebus, & sacris ad cælum ædibus adsorgat; decet omnem cujuslibet ætatis hominem ipsum reverenter honorare, & Deum in illo devotiùs adorare, qui in tanta prioribus habitos est religione, ut mulieribus ad ipsum arceretur accessus, ne qualibet occasio sanctos regularis observantiæ corrumperet mores. Convenit omnque pudicitiæ cultoribus illud evangelicum sequi, succingere lumbos, & in manibus habere lucernam. Hinc est quòd gloriosa mater Virgo sexum à suis liminibus exclusit femineum, & intra peculiare filii sui templum interjectis annis recipit, quos prisca consuetudo in utrumque templum penetrare non sivit. O felix virtus in domo Dei, sed multo jam felicior si sobrietatis custodia sit. &c.

Feminæ ab hoc templo seclusæ.



An. Chr. dcccxiii.

VITA VENER. EIGILIS ABBATIS FULDENSIS IN GERMANIA,

à Candido ejus discipulo scripta, prosa, & metro.

Ex libro Christophori Brouveri de Sideribus Germaniæ.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Candidus vitæ scriptor.

1. Libros duos de vita Eigilis seu Ægilis *Fuldensis Abbatis quarti, unum soluta, alterum stricta oratione composuit* Candidus *ejusdem Cœnobii sub ipso Eigile Monachus, quem is* pio Patris affectu in suam familiaritatem & gaudium introire concessit, *ut scribit Candidus ipse in Vita prosaïca num. 23. Notanda est Candidi subscriptio in fine præfationis metricæ ad Modestum sodalem suum, cui utrumque libellum ab se conditum dedicavit.* Explicit præfatio Candidi ad Modestum, qui proprio nomine Bruun & Reccheo nuncupatur. *Legendum videtur plurali numero* nuncupantur, *ita ut Candido & Modesto fuerit nomen duplex, Latinum & Germanicum, pro more illius ævi. nimirum Candido* Bruun, *sicuti apparet ex Vita metrica cap. 17. Modesto* Riccheo, *qui* junior *dictus est, ex ejusdem Vita cap. 7. Erit forsan qui suspicetur, Candidum hunc non alium esse à Candido Alcuini discipulo, cujus Alcuinus ipse meminit non uno in loco. Verùm ut alium fuisse existimem, movet me in primis Alcuini præfatio in Ecclesiasten,* Oniæ Sacerdoti & Candido Presbytero *inscripta: in qua eos de paterna pietatis nido, non in claustrum Monachorum, sed* in publicas negotiorum sæcularium auras *evolasse scribit, eosque à divitiarum cupiditate dehortatur. movent etiam epistola 93 & 97, in quibus Candidum ex Britannia insula, non verò ex Germania ortum esse significat. In ms. indice Abbatum Fuldensium, cujus fragmentum mox referam,* Modestus & Candidus *noster* ad Clementem Scotum Grammaticæ studendi gratiâ *dicuntur missi à Ratgario Abbate. qui Clemens in Gallia, teste Monacho Sancti-Gallensi, residere jussus à Carolo est.*

Brun dictus.

non Alcuini discipulus,

sed Clementis Scoti.

Eigilis memoria.

2. *Eigilis memoriam nullo publico testimonio cultuve honoratam lego. tametsi Christophorus Brouverus, qui ejus Vitam edidit primus, Eigilem* sanctum *passim appellat.*

An. Chr. DCCCXXII.

HRabanus in suo Martyrologio unsquam, neque alius quisquam veterum Eigili hoc vocabulum tribuit. Quamquam illius avi hominibus persuasum fuit, Eigilem in calum receptum à Deo fuisse, quem Candidus in libro metrico nulli veterum pietate secundum *predicat. & quem* super astra manere *canit HRabanus in ejus epitaphio, quod ipse composuit. Abstinebo tamen à* sancti ac beati *appellatione*, venerabilem *appellaturus, donec certioribus argumentis ejus sanctitas mihi contestata fuerit, uti & dies obitus hactenus ignoratus, de quo agendum in Notis ad finem prosaici libri. Fuit & alius eo fere tempore* EIGIL *Abbas Prumiensis, dein Flaviniacensis, ac demum Episcopus Senonensis, cujus Elogium inferiùs exhibebo.*

Eigil alius

Eigilis Fuldensis antecessores.

3\. *Antequam Eigilis Vitam referam, quædam præmittenda sunt de ejus antecessoribus, ut planiora fiant ea, quæ de ipso hic commemorantur. Monasterii Fuldensis Abbas primus sanctus Sturmius, cujus Vitam retuli in Saculi superioris parte 2, successorem habuit* BAUGOLFUM *seu* Paugolfum *anno* DCCLXXIX. *Baugolfus verò, ut in Fuldensibus Annalibus traditur*, anno DCCCII, relicta quam habuit potestate, RATGARIUM successorem accepit, *ac superstes in annos tredecim, obiit anno* DCCCXV, *testante Brovvero. Fallitur Trithemius, qui eum anno* DCCCIV *obiisse scribit in Vita HRabani, ubi Baugulfus* nomen sanctitatis *apud Germanos omnes* gloriosum *consecutus fuisse dicitur. Certè ipsum longè post annum à Trithemio signatum superfuisse constat ex inscriptione sequenti, quæ exstat apud Brovverum in lib. 2 Antiquitatum Fuldensium cap. 12.* Anno DCCCXII dedicata est ecclesia in Slitisse rogatu Bangolfi à Richolfo venerabili Archiepiscopo Moguntiacensis ecclesiæ, XII Kal. Octob. in honorem sanctæ Margaretæ virginis. *De eadem agit Ruodolfus in Actis HRabani infrà. Vitam ejusdem Baugolfi jubente Eigile in litteras retulit Candidus, cujus hac de re lucubratio hactenus in tenebris latet. De Ratgario Abbate ita scribitur in indice Abbatum apud Brovverum, in Notis ad HRabani poëma* XIII. RATGARIUS in partibus Germaniæ parentibus nobilibus natus, susceptus est à sancto Sturmione in Monasterium Fuldense, & successit Baugulfo in regimine Abbatiæ anno DCCCII, & depositus fuit anno Domini DCCCXVII. Hic nobiliter rexit Monasterium per XVI annos; & ut sapiens architectus, occidentale templum mira arte & immensa magnitudine alteri copulans, unam fecit ecclesiam. HRABANUM & HATTONEM Turonis direxit ad ALBINUM magistrum gratiâ liberales discendi artes; BRUNONEM ad EINARDUM, variarum artium doctorem peritissimum; MODERATUM & CANDIDUM cum aliis ad CLEMANTEM Scotum Grammaticæ studendi gratiâ. Sed & auro & argento, coronis & lucernis, & omnibus bonis locum gloriosè provexit. Fecit etiam hic venerandus Pater Monasterium laudabilis & discretæ mensuræ in monte, cui pretiosus martyr Bonifacius Episcopi nomen indidit, & ab Haistolfo Moguntinensis ecclesiæ Archiepiscopo in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ dedicari fecit, & in introitu claustrali ipsius ecclesiæ ad dextram senex & plenus dierum bonorum sepulturæ traditus est. cui successit ÆGIL, *nimirum anno* DCCCXVIII.

Monasterii perturbatus status sub Ratgario.

4\. *Hoc Ratgarii elogium videbitur immodicum, si consideres, ipso Abbate quàm turbatus fuerit Monasterii status, & quæ harumce turbarum causa. nimirum Ratgarii dura severitas in Monachos suos, quæ in tantum exarsit, ut ipsi coacti sint Carolo Magno porrigere libellum supplicem inferius exhibendum post hanc Vitam: in quo apud Imperatorem querelas suas deponunt, postulantque mores & leges Monasterii in pristinum restitui statum. Et ne putes has turbas factione tantùm nebulonum quorumdam excitatas fuisse; probi quique, immo tota quanta erat congregatio Fuldensium Monachorum, hac procella exagitati sunt, HRabanus in primis, ut ipse testatur in poëmate 30* de transitu Monachorum, *qui à Ratgario Abbate secessionem fecerunt. Id contigisse anno* DCCCXI *docet nos Chronicon Saxonicum ms. his verbis:* Eodem quo suprà diximus anno DCCCXI facta est Fuldæ conturbatio non minima in Monasterio sancti Bonifacii: & Fratres XII ea ipsa familia perrexerunt pariter cum Abbate Ratgario ad judicium Imperatoris Karoli; nec tamen commotio illa quievit. Postea Ricolfus Archiepiscopus Mogontinus, & Bernharius Episcopus civitatis Wangionum, & Hatto Episcopus Augustensis, & Wolgarius Episcopus Wirceburgensis, ad eamdem causam convenerunt jussu Imperatoris, eamque sanaverunt. *Eadem verba sunt Chronici Hildenesheimensis, & Annalium veterum in anno quarto Ludovici Augusti desinentium, quos Petrus Lambecius edidit in tomo 2 Bibliotheca Casarea, lib. 2 cap. 5. ubi hac anno* XLIV *Caroli Magni accidisse loquuntur. Carolo mortuo cùm Ratgarius à suorum vexatione haud desisteret, Ludovicus Augustus Fuldensium iteratis motus querelis*, Monachos occidentales, *id est Gallicanos, eò misit; tum Ratgarium abjici ac relegari jussit anno* DCCCXVII, *& alium Abbatem in ejus locum substitui. Electus dein Eigil, qui rerum statum in melius restituit, & Ratgarium ab exsilio (qua pii viri, immo & Monachorum Fuldensium benignitas & commiseratio*

An. Chr. DCCCXXI. HRabanus Eigilis successor

fuit) communi suorum consensu revocavit.

5. Eigili successit HRABANUS *anno* DCCCXXII, *rexitque Monasterium annos viginti; dein cedere compulsus, postmodum factus est Archiepiscopus Moguntinus, cujus Vitam referemus ad annum* DCCCLVI.

Eigilis scripta.

6 De Eigile id unum mihi observandum superest, eum scripsisse libellum de vita sancti Sturmii Fuldensis Abbatis primi: quem libellum HRabanus laudare videtur in poemate [a] 14. *cui titulus*, ad Eigilum, de libro quem scripsit. *In poëmate sequenti ejus mansuetudinem commendat his aliisque versibus.*

mansuetudo.

Presbyter ætate, meritis & Presbyter alme
 Eigil, te Christus salvet in orbe Deus.
Sis mihi quod posco; quodque opto, hoc esto benignus,
 Præceptor, pastor, semper amicus, honor.
Nec me contristant tua corripientia verba,
 Cùm scio quod semper pectora amica tenes.
Verum dico tibi, nec me sententia fallit,
 Te unum præ multis corde tenere volo.
Sis mihi semper idem, quia sum tibi semper & idem.
 Semper amicus amat: semper amandus erit.

Eamdem Eigilis lenitatem, comitatem, & affabilitatem prædicat Candidus in sequenti Vita. Ex quo intelligitur, Eigilem his præditum fuisse dotibus, quæ ad corrigendam Ratgarii ferocitatem necessaria erant.

PRÆFATIO AUCTORIS.

1. DILECTISSIMO *Fratri & compresbytero suo* MODESTO CANDIDUS, *perpetuæ pacis & beatitudinis optat in Christo salutem.* De cetero quoque notum facio tuæ caritati, quòd anno præterito domnus Abbas HRABANUS, cùm illi querebar, quia non haberem quemquam mecum consociorum, cum quo in divina lectione disputando, & legendo proficere potuissem, tale mihi responsum referebat: Exerce, inquit, temetipsum legendo, & aliquid utilitatis adde dictando. Nam dum ego ibidem, ubi nunc ipse moraris, quondam commanerem, librum prosa & versibus in laudem sanctæ crucis divina gratia inspirante incœpi, atque Fidelibus legendum studioso labore consummavi. Hac igitur, Frater, licentia fretus, duos libros de vita Eigilis Abbatis nostri, dictando & scribendo Dei dono peregi: unum prosa, alterum verò versibus explicavi. quos tamen ideo in unum corpus conligare rogabam, ut in rerum narratione alter alteri subsidia ferret. In quibus nimirum HLUDWICI serenissimi Augusti clementiam circa nos factam reverenter expressi, cujus commonitionem atque doctrinam, etsi ita ut ab eo prolatæ sunt, ad integrum explanare nequivi; benivolam tamen voluntatem illius secundùm legem Dei & sanctorum dogmata Patrum enodare curavi: quatenus per hoc misericordiæ bonum ejus memoria subolumque illius apud nos nostrosque successores in sancta oratione maneat semper. Hoc igitur opus, dilectissime frater, ad profectum & utilitatem legentibus Deo donante congessi, & tibi famulo Dei consecravi, ut sit in memoriam antiqui Præceptoris tui jugiter apud te. Vale.

VITA INCIPIT.

Vita Baugulfi à Candido scripta. [a]

2. EX eo igitur tempore, quo me venerabilis Pater EIGIL vitam Baugulfi [a] cari Abbatis nostri jam de ergastulo corporis absoluti intima exhortatione persuasit litteris explicare, ex eo me libuit benivolentiam, studium & gravitatem tanti Patris memoriæ commendare.

[a] Vitam hanc excidisse suspicor, cùm eam non viderit Browerus, qui monumenta Fuldensis Monasterii excussit. Lege Observationes prævias num. 3.

An. Chr. DCCCXXII. Eigil Noricus,

3. Hic igitur vir parentibus ingenuis Noricâ provinciâ ortus, non longè post martyrium beati Bonifacii translatus est gratiâ servitutis Dei ad Monasterium in silva Bochoniæ constitutum, secus ripam fluminis Fuldæ, ob cujus vicinitatem hoc Monasterium usitato nomine Fulda nuncupatur: ubi martyr Christi Bonifacius sacro corpore requiescit; & vir venerabilis Styrmi cognatus ejus, de quo loquimur, eo tempore turbam Monachorum dignis conversationibus regere videbatur. Huic nimirum adhuc puerulus Eigil de patria transportatus, honorificè à parentibus præsentatur. quem paterna pietate blanditiis delinitum scholæ [a] congregationi, ubi lex divina jugi exercitatione discitur & docetur cum summa industria, causâ litterarum sociare mandavit. qui mox divina gratia ministrante in tantum proficiebat cotidie in meditatione scientiarum scripturarum, ut etiam apes esurientes in colligendis floribus imitari videretur.

Fuldæ scholis tradites, [a]

4. At verò non multis post hæc evolutis annorum curriculis, confortatus in Dei servitio, fit Monachus. Abbati suo videlicet carus & cunctæ congregationi suavis; memoriam habens justitiæ Dei, quam docuit eum Deus à juventute sua, ut adnuntiaret mirabilia ejus. Hinc etiam processu temporum, divina dispensatione promotus, ordinatur ab Lullo Episcopo Moguntiacensis ecclesiæ Presbyter, qui post sanctum Bonifacium magnum & electum Dei Pontificem ejus urbis Episcopatum tenebat primus.

dein Monachus, ac Presbyter.

5. Interea igitur Styrmi primus Abbas & fundator Monasterii Fuldæ, quem sanctus Bonifacius præceptor ejus Eremitam suum vocitare solebat, morbo atque senectute lassatus cœpit infirmari: qui etiam non post multo temporum intervallo, senex & plenus dierum, in pace migravit de hac luce temporali ad lucem, credimus, sine fine durantem. Cui namque successit Baugolfus Germanicus, ejusdem Monasterii Monachus. Hoe nimirum cessante Ratgarius eligitur in Patrem mirâ concordiâ Fratrum. quo jam [b] decedente ob quamdam discordiam, quam seminaverunt inter eum & Fratres illius membra capitis omnium jurgiorum, surrexit statim cura & auxilium circa nos Hludwici serenissimi Augusti: cujus etiam cor nostra miseria adeo commoverat, ut diceret se tantum doloris numquam expertum, excepto eo, qui ei acciderat ex morte beatæ memoriæ Karoli genitoris sui. Hic igitur misit nuntios suos Aaron & Adalfridum cum sociis ipsorum, Monachos scilicet occidentales [c], qui nos in tentatione temporalis miseriæ consolando sublevarent; &, si quæ de Regulæ institutis apud nos aut incœpta, aut dilapsa fuissent, fraterna dilectione præmonendo corrigerent.

Sturmii Abbatis successores. Discordia sub Ratgario, VI. [b] Ludovici Augusti curâ sopita, [c]

6. Eramus quidem multo tempore in Cœnobio degentes vitam quietam sub eorum magisterio, addito Præposito, Decanis ab eisdem constitutis. Postmodum namque congregatio Fratrum inito consilio cum Aaron, & sociis ejus, miserunt Adalfridum unum ex eis, virum (ut nobis videbatur) bene morigeratum, & cum eo Fratres nostros ad Imperatoris clementiam, si fortè dignaretur quid indignis de Abbatis electione præmonstrare. Quibus sanè clementer susceptis, electionem concessit; &, ut esset eadem electio secundùm Regulæ auctoritatem, satis evidenter

eligendi Abbatis potestate facta.

[a] Id est scholis, uti exigunt sequentia, non cellæ Novitiorum, quæ *schola* nomine aliquando intelligitur, ut notavit Menardus noster in caput 15 Concordiæ Regularum.

[b] Hoc est dejecto. Annales Fuldenses ad annum DCCCXVII *Ratgarius Abbas Fuldensis Cœnobii accusatus à Fratribus & convictus deponitur.*

[c] Id est Gallicanos. nam Gallia Germaniæ occidentalis est, nova Francia, & occidentalis eo tempore dicta. Aaron & Adalfridus, cujus Monasterii fuerint, divinare nolim. Inter Fratres conscriptos Monasterii sancti Galli recensetur Aaron *Monachus de Cœnobio sancti Petri fontis Besua* in Burgundia.

An. Chr. DCCCXXII. edocuit, sæpe commemorans austeritatem indiscreti Pastoris. Cùm autem reversa esset hæc eadem legatio, & intrasset Monasterium Fuldam; „ congregatis Fratribus Imperatoris mandatum exposuit hoc modo. Fra„ tres, HLudwicus serenus Augustus remandavit vobis salutem: electio„ nem verò quam petistis, hilari vultu perdonavit. Insuper etiam hoc fre„ quenti admonitione repetivit, ut hunc talem, si quis sit, in hoc opus eli„ gatis, qui vobis secundùm Deum & SANCTÆ REGULÆ auctoritatem „ velit esse Pater, & possit. His autem Fratres auditis sermonibus proni adoraverunt, gratias agentes Imperatori. Postea verò à senioribus persuasum est cunctæ congregationi, ut hoc negotium precibus altis Dei dispositioni commendare studerent, & invicem conloquendo & disputando semper ad ejus referre voluntatem.

Altercationes in eligendo. 7. Hinc tamen interea quæstione suborta, facta est non modica dissensio, sicut sæpe fieri solet in turba diversæ voluntatis: quæ tumultuando & fluctuando non valet, nisi vnitati adquiescat, portum capere veritatis. Crescebant namque inter Fratres alternatim sermones, procedebant in publicum verba, sæpius in absfondito murmuratio: quidam hunc, quidam verò illum sibi præesse contendunt. Quem una societas appetebat, altera denegabat; & in omnibus his confabulationibus semper ad exemplum amissi Abbatis austeritas versabatur, quem non tam sua quàm adulatorum & accusatorum subvertebat nequitia. Quidam autem Fratrum, de nobili genere Abbatem sibi creare conati sunt, „ dicentes: Si hunc suscipimus, defendit nos contra Comites & poten„ tiores nobis. quin & Imperatorem nobis sua dignitate propitium facit. „ Scitis quare? quia habet in palatio generositatem. Hujus itaque asser„ tioni alius obviabat, dicendo: Quiescite, Fratres, ab hac alta & gene„ rosa electione, quia infirma mundi & contemtibilia elegit Deus. In„ firmitas namque in Deo innocentia est, ignobilitas autem humilitas. „ nam innocentia sine Deo infirmitas æstimatur; & humilitas non prop„ ter Deum ignobilitas judicatur. Tali etiam, non dico nobilitati, sed ig„ nobilitati si colla subjicimus, quò nos vertimus, si aversus fuerit à no„ bis opprimens nos? si ei humiliter suggerimus ut quiescat, fortasse ma„ jori commotus iracundia, non quiescit, quia confidentiam habet in pro„ pinquis. His quoque hoc modo altercantibus, alius quidem propiùs sedens adfirmabat, satius eligendum Patrem doctrinâ pollentem, alius juvenem, alius mediocrem. Econtra verò alii tetractantes dicebant: Si do„ ctum & nimis eloquentem promoverimus, & postmodum sanam doctri„ nam postponens, iracundus & obstinatus contra præceptum veritatis „ fuerit effectus; quid faciemus? scit enim multiplices syllogismos, & de„ primit nos, cum austeritate pauca sibi suppliciter suggerentes, licèt justam habeamus querelam. aut fortè (quod timendum, quin & dolen„ dum est) si ejus obstinationi paullulum necessariò responsum dederimus,

Reg. S. Bened. cap. 3. „ ita dixerit: Quare contenditis mecum, cùm Regula prohibeat, uti Mo„ nachus cum Abbate suo non contendat? & sic cùm voluerit, & quoties„ cumque voluerit, necessariam suggestionem dicet esse contentionem. ac „ per hoc, Fratres, omnia tuta timentes formidamus, & nescimus quò nos „ vertamus. In multis siquidem rebus conterriti sumus: quia, ut vulgò dici„ tur, Homo ustulatus ignem timet. Nonne igitur ista, quæ protulimus, ita „ nobis jam fuisse vel deinceps fieri posse videntur? Nonnulli igitur ex „ nostris, quos bene fraternitas vestra novit ex nomine, sub prætextu ali„ cujus utilitatis ad alia Monasteria propter quamdam parvissimam respon„ sionem necessariæ dictionis in exsilium transmissi proprio loco privantur, „ & (quod eo siquidem tempore dictu & visu miserabile fuit) senes at„ que decrepiti absque ulla miseratione ad diversa loca trahebantur inviti.

An. Chr. DCCCXXII.

Scitis, fratres, si hæc ita sint? scimus sine dubio, quia scitis, nec vos illorum quidquam latere potest, quorum notitiam longo tempore penes vos habuistis. Sic & sic, Frater Modeste, quæstio suborta versabatur; & sic de hujusmodi personis diversa sentientes dicebant. Sed nec quidem aberant in hac permutatione verborum coætaneis consocii, hoc modo, licèt in angulo, susurrantes: Si te vel te nobis præficimus, dic nobis, oramus, in veritate, si velis tunc nobis facere bene. putamus sanè, quia velis, & facias. tu enim nosti, cum quali tribulatione corporum & animarum periculo, degebamus simul in hoc Monasterio sub Abbate litigioso; ac per hoc credimus, quia nostri misereris. Scis enim ubi illo errabat, & in illam partem non declinabis. Fædum est enim apud te, ut postmodum id facias, quod antea in odio habuisti; & qui alium quondam in primatu constitutum vituperabas in multis, in eodem primatu postmodum in eisdem reprehensibilis inveniaris. ac per hoc maximè, quia nunc nobiscum detestaris, reprobas rectoris tui & judicas actiones. Quid dicis ad hæc? fortasse nobis omnia bona pro tua possibilitate promittis? sed cùm electus fueris ad hoc magisterium, quod optamus; timebimus nobis, ne quando eveniat ut obliviscaris fraternitatis & humanitatis tuæ circa nos; & efficiaris, ut leo, more prioris *, in domo tua evertens domesticos tuos, & opprimens subjectos tibi. Nosti quoque infirmitatem morum & corporum nostrorum; nec te quidquam latet secreti nostri. quapropter maximè suspicamur, si alienatus fueris à nobis, ut ungulas nobis detractionis in dorsum ponas, & prava juvenilium actionum suspicione nos deridendo confundas. Talis quoque fuit confabulatio diversarum mentium: & taliter pervagatio cordium procedebat in publicum.

* scil. Ratgarii Abbatis

8. Erat igitur eo tempore Fratrum nostrorum turba valde confusa, nec ullum adhuc inter Fratres simplicitatis apparuit documentum. Factum est autem cùm hæc orta dissentio finiretur, extollens vocem pars prima Patrum saniori consilio dixit: Oremus, Fratres, in primis omnipotentis Dei bonitatem, ut secundùm voluntatem suam audiat nos deprecantes; & ut nobis ea concedat postulare, quæ ipse nobis expedire cognoscit: quatenus secundùm voluntatem ejus orantes, salvari mereamur per eum, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Post hanc igitur sanctam & salubrem Patrum doctrinam, expleta oratione, Fratres congregati consederunt in unum: quos etiam iterum pars prior seniorum tali locutione roboravit: Confidite, inquit, Fratres, confidite, & sit vobis in Deo cor unum & anima una; nec quisquam vestrûm propter amorem Dei & proximi, quid sibi soli utile sit, sed quod multis, quærat: ut in hac dilectione discipuli Christi nominemur & simus. De cetero quoque inspirante ac demonstrante Spiritu-sancto visum est nobis, si vestræ placuerit voluntati, quod Pater Eigil propter ætatis suæ maturitatem, immo etiam & gravitatem morum suorum, congruentius conveniat in locum ministerii hujus, de quo sublatus est ille, qui nobis antè præerat. Quo dicto, statim universa multitudo Monachorum consensit consilio eorum & actu: quamvis pauci propter constantiam mentis illius de hac conventione claudicarent, timore correpti. Erat enim constans & bene cordatus, duri cordis, & indisciplinatis durus; mitibus verò & bene morigeratis, ut in melius proficerent, mitis: eratque hilaris facie, lætus mente, discretus in opere, consentiens in utilitate. Accusatorum nugas & frivola vaniloquia audire non consentit, sciens se inde magis turbari, quàm jucundari. Suspicionem prorsus menti suæ quietis amator non permisit dominari: neque angulosis vir simplex delectabatur insidiis. Noxia quæque vetuit, sed

Eigil electus.

An. Chr. DCCCXXII.

maximè ferum commissa persequebatur, & aperta mala reorum constanter agendo damnabat.

quamvis repugnans,

9. Postquam verò, ut dictum est, juniores super Abbatis electione cum senioribus concordari fuerant, rogabatur Eigil à Fratribus manifestè, ut regimen & curam illius Monasterii suscepisset, sibi ad præmium, Fratribus verò ad exemplum; utrisque autem in commune, divina gratia præveniente atque subsequente, ad perpetuam sanitatem. quo nimirum multimoda narratione reluctante, consolabatur eum blandis sermo-
„ nibus concordia Fratrum. Noli, inquit, timere, Pater, quia parati su-
„ mus fascem hujus laboris tecum sponte sufferre; & non dimittimus te
„ sub tanto pondere sudasse solum, maximè si nobis modò in hac necessita-
„ te spontanea voluntate succurris.

tandem consentit.

10. Vix igitur precibus Fratrum superatus suscepit saltem cum magno timore impositi sibi regiminis [a] curam, manifestè pronuntians, quia fugam tanti laboris pro humana laude non fecerit; sed quia senectutis & infirmitatis suæ causâ tam difficilem & arduam rem declinare curasset.

Imperatoris exhortatio.

11. Non multis igitur post hæc evolutis diebus, Pater iste noviter constitutus, & Aaron Presbyter primus ex Monachis occidentalibus, turba Fratrum comitante, Imperatorem adierunt. Quibus sanè misericorditer salutatis, his sermonibus adlocutus est eos.

„ Vos igitur Patres, fratres, & dilectissimi filii mei, scitis, scio & ego,
„ novit etiam pæne totum regnum meum, quanta pericula vos circumste-
„ terunt ex tempore beatæ memoriæ Karoli genitoris mei usque huc. Sed
„ quia nunc divinâ miseratione salvati estis, erigite corda vestra in Domi-
„ no, mæstumque metum hujus tempestatis & diras mentium vestrarum
„ secludite curas. Conversationem vestram secundùm Dei timorem &
„ Sanctæ Regulæ auctoritatem componite; ut in ea permanentes he-
„ redes sitis regni Dei. Si enim suscepistis minimam inchoationis [b] Regu-
„ lam, & in ea confidentiam habuistis, juxta promissum beati viri Dei
„ Benedicti, vitam perpetuam vos adipisci; quare neglexistis tantum
„ bonum, dimittentes propter unius conservi obstinationem locum ve-
„ strum & legem? quis vos fascinavit in tantum veritati non obedire? Pu-
„ tabat enim quandoque pater meus nuperrimè nominatus, arbitrabar &
„ ipse in imperio natus, si legem vestram atque institutum vobis infrin-
„ gere voluissem, quod absit, mihi adsensum minimè dedissetis. nondum
„ enim usque ad sanguinem restitistis. Turpe est propter unius minas le-
„ gem veritatis & locum sanctum tam facilè dimittere: cùm plurimi San-
„ ctorum pro lege Dei sui certarint usque ad mortem, & à verbis iniquo-
„ rum non timuerint. Quare hoc fecerunt? quia fundati erant super Chri-
„ stum firmissimam petram. Vos igitur, Fratres, habetis notitiam divina-
„ rum scripturarum, habetis præcedentium exempla sanctorum Patrum;
„ tenetis præterea Regulam vobis specialiter institutam: in quibus sine
„ dubio vos ipsos quasi in quodam speculo considerare potestis, quales si-
Rom. 15. „ tis, & quò tendatis. *Quæcumque enim*, ait Apostolus Paulus, *scripta sunt,*
„ *ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scriptura-*
„ *rum spem habeamus.* Nam prima legis in monte Sinaï ordinatio hæc ad
Deut. 6. „ Moïsen data est: *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &*
„ *ex tota mente tua, & ex tota virtute tua. & ex tota anima tua: secundò proxi-*
„ *mum tuum sicut te ipsum.* Vacat enim dilectio Dei, nisi subjungatur & pro-
„ ximi. Plenum ergo præceptum est veritatis, ut maneat in sensu indivi-

[a] Nempe anno DCCCXVIII. ad quem annum Annales Fuldenses: *Monasterio Fuldensi* Eigil *Abbas electus & ordinatus est.*

[b] Sic Regulam suam præ modestia vocat Sanctus Benedictus in Regulæ capite ultimo.

dua

dua regula caritatis. Cura ergo disciplinæ Monachorum perfecta dilectio est, hæc vinculum caritatis & pacis exhortatur, sincavaritia. Igitur in dilectione sincera modus sufficiens est præsentibus, & qui invicem diligunt, filii regni vocantur perfectè invicem diligentes. Ipsi sunt qui manducant panem in regno Dei; sine macula vivunt, & alieni à ruga discordiæ. Studete igitur, Fratres, complacere Deo, conversationem spiritalem habentes, divina mandata ejus conservantes. Cum sapientia legis præcepta in tenebris cordium vestrorum sint: nequidem amplius aliquid sapiatis, præter id quod simplicitas affirmat scripturarum Dei. Multi enim aliter de Deo sentientes exciderunt à dilectione Dei, & proximorum suorum. Dissensiones, si quas habetis inter vos, projicite ab invicem, scientes, Deum non esse seditionis, sed pacis. Ignoscite invicem, & dimittant singuli juxta præceptum Evangelii debita fratribus suis, & tristitias ac simultates: & si quid est jurgii à choro sanctorum abigatur. Liberate corda vestra timore Dei, ut fugato mendacio dominetur veritas, & cessantibus bellis pacis tranquillitas tedeat; ut in ea ambulare possitis coram Deo & hominibus. Omnes æqualiter, moneo, diligatis in Christo, ut serviatis Deo & concordiæ, & non concupiscentiis variis oculorum vestrorum, & tumentis scientiæ fraudulentiis, catnisque vitiis: è quibus oriuntur schismata, contemtus legis Dei, contentio, malæ cogitationes, quæ igne iracundiæ bullientes, quasi aqua erumpunt foras, & dispumant in corporis voluptatibus. Propter peccata siquidem homines famem, pestilentiam, mortalitatem, bestias perpessos esse Sapientiæ liber manifestè proclamat: quibus nimirum incommodis ab initio mundi usque nunc humanum genus desudasse dinoscitur, & maximè nunc. quia, ut Apostolus ait, instant tempora periculosa, & sunt homines se ipsos amantes, & coacervantes sibi magistros secundùm desideria cordis eorum. Quod nefas non mediocriter in quibusdam Monasteriis neque latenter, sed patenter & infeliciter regnare videtur: cùm quilibet potentiores in congregatione, personas sibi consentientes præsumtuosa contentione Abbates ordinare conantur: quatenus illis dominantibus ipsi pariter omnium dominentur, cunctaque Monasterii ministeria eorum tantummodo, qualecumque sit, consilio disponantur. Ex his nimirum nascuntur præsumtiones in socios, indignationes, judicia injusta, consilia mala, accusationes cæcæ, susurrationes & cetera mala, quæ monasticæ vitæ probantur inepta. Hinc quoque prorumpunt animositates, contradictiones, inimicitiæ, murmurationes assiduæ & cetera noxia, quibus irretiti periculo subjacebunt. Sed his ita ubicumque sint manifestatis, currendum est & agendum omnibus in Christo fidelibus, ut zelo justitiæ corripiantur auctores dissensionis; & tollantur de medio fratrum qui eam operantur, secundùm Apostoli præceptum dicentis: *Auferte malum ex vobis ipsis*, donec digna satisfactione ab hujuscemodi morbo sanentur. Hæc igitur omnia, Fratres mei dilectissimi, vobis ad cautelam & salutem animarum vestrarum, prout potui, diligenter explicare curavi. Idcirco etiam, Fratres, estote prudentes, & in hac electione vestra mentis intuitu vigilate, ut sit secundùm Deum & sanctæ Regulæ institutionem. Quia si quis, ut ait Cassianus, regularibus institutis sub seniore non fuerit eruditus, numquam poterit ullo modo fratrum congregationem præcedere. quia quid minoribus obtemperaturis imperare oporteat, obediendo non didicit; nec quid minoribus tradere debeat, seniorum prius adsecutus est institutis. Numquam poterit salutaria præcepta audientibus discipulis dare, nisi qui priùs universis virtutum disciplinis fuerit eruditus. nam alios bene regere, summum donum & gratiam Spiritus

An. Chr. DCCCXXII.

1. Tim. 4.

1. Cor. 5.

Cassian. lib. 2. Inst. cap. 3.

An. Chr. DCCCXXII. » sancti verissimè Patres nostri dixerunt. Præterea verò singula hæc mala » sunt, ut beatus Papa Gregorius in libro pastorali commemorat, quæ à » subditis sæpe in Prælatos, sæpe à Prælatis in subditos committuntur. » quia & omnes subditos hi qui præsunt, minùs quàm ipsimet sapientes » arbitrantur; & rursum qui subjecti sunt, Rectorum suorum actiones ju- » dicant: & si ipsos regimen tenere contingeret, se potuisse agere meliùs » putant. Unde plerumque fit, ut & Rectores minùs prudenter ea quæ » agenda sunt videant, quia eorum oculos ipsa nebula elationis obscurat; » & nonnumquam is qui subjectus est, hoc, cùm Prælatus fuerit, faciat, » quod dudum fieri subjectus arguebat: & pro eo quod illa, quæ judica- » verat, perpetrat, saltim quia judicavit, erubescat. Sed neque hoc præ- » tereo, quod idem Papa in eodem libro commemorans ait de inani ti- » more quorumdam Prælatorum. Sæpe, inquit, novimus, quòd plerum- » que qui præsunt, inordinatum sibi metum à subditis exigunt; & non » tam propter Dominum, quàm pro Domino venerari volunt. Intus enim » se tumore cordis extollunt, & cunctos subditos in sui comparatione de- » spiciunt; nec condescendendo consulunt, sed dominando præsumunt. » qui videlicet alta cogitatione se erigunt, & æquales se illis, quibus eos » præesse contigit, non agnoscunt. Contra hunc tumorem per Ecclesiasti- Eccli. 38. » cum librum dicitur: *Ducem te constituerunt, noli extolli, sed esto in illis qua-* » *si unus ex illis.* Hunc tumorem per Prophetam Dominus in Pastoribus Ezech. 34. » increpans ait: *Vos autem imperabatis eis cum austeritate & potentia.* Quia » ergo unusquisque rector, quoties extollitur, in eo quòd ceteros regit, to- » ties per lapsum superbiæ à summi Rectoris servitio separatur; & cùm » æquales sibi subditos despicit, ejus super se dominium, sub quo omnes » æquales sunt, non agnoscit. Hi tales, Fratres mei, dum à consentaneis » non tam prodesse, quàm congregationi præesse coguntur, simulata im- » possibilitate repugnant: & tamen ad hoc magisterium, ad quod quasi » trahuntur inviti, ne non perveniant timent; & cùm fortè pervenerint, » quanta hoc priùs ambitione mentis amaverint, postmodum diversis spe- » ciebus informant.

Approbatio electi. 12. Cumque hæc & alia multa benivola voluntas Imperatoris in commune Fratribus obtulisset, ait: Producite Patrem, quem vobis elegistis, ut videam, & sciam quis sit. Quo dicto, statim cum festinatione Pater Eigil præsentabatur ejus obtutibus, vir scilicet & maturæ ætatis, » & gravis adspectu. quem intuens Imperator, inquit: Istene est ille Fra- » ter, quem sibi tota concors congregatio secundùm Dei timorem & san- » ctæ Regulæ uno ore probat ac postulat? Inquiunt: Iste. Istum, inquit, » nunc vobis committo, Fratres, secundùm Dei timorem & sanctæ Re- » gulæ auctoritatem, ut sit vobis pater, pastor, & frater, juxta Monaste- » rium beati Benedicti, qui hanc eamdem Regulam Monachorum, » Spiritu-sancto repletus, cum magna discretione conscripsit; suisque se- » cum servandam mandavit alumnis. Vos autem filii, hunc senem Patrem » vestrum sanctis conversationibus vestris honorate, sincero amore diligite; » obedientiam verò non solùm illi, verùm etiam ad omne opus bonum Et ad eum exhortatio. » certatim vobis invicem exhibere curate. Tu verò, Pater mi, juniores » tuos cum omni studio & sagacitate secundùm Dei voluntatem servare » contende: quatenus in hac sancta concordia perseverantes, ad eum per- » venire mereamini, qui ad hoc solummodo descendit de cælo, ut mun- » dum Deo Patri pacificaret per ipsum. Vobis igitur scientibus legem Dei Ædificia superflua improbat. » loquor, de qua nihil aliud hortor, nisi ut legatis, & juxta possibilitatem, » quam Dominus donaverit, verba veritatis in opera. Immensa verò ædi- » ficia, Pater, & opera non necessaria, quibus familiæ foris & intus Fra-

trum congregatio fatigatur [a], exhinc penitus ad mensuram dimitte. & memento, quàm sæpe hujus nimietatis querimonia genitoris mei ac nostras aures inquietabat. Ad hoc enim me, licèt minùs idoneum, tamen divina potentia in hoc subrogavit imperium; ut essem oculus cæco, & pes claudo, pater essem pauperum, & causam quam nescirem diligentissimè investigarem; ac per hoc, hujus religionis non possum utilitatem non loqui. Johannes verò ille Chrysostomus, de his qui martyria ædificant, & ecclesias ornant, eleganter commemorans ait: Ecce enim, inquit, qui martyria ædificant, ecclesias ornant, bonum opus facere videntur; sed & siquidem & aliam justitiam Dei custodiunt, si de bonis eorum pauperes gaudent, si aliorum bona per violentiam non faciunt sua; scito quia ad gloriam Dei ædificant. Si autem alias justitias Dei non servant, si de bonis eorum pauperes non gaudent, si aliorum bona faciunt sua aut per violentiam, aut per fraudem, quis tam insensatus est, ut non intelligat, quia non ad gloriam Dei faciunt ædificia illa, sed propter æstimationem humanam? Et justè ædificant martyria, ubi pauperes violentiam passi ab eis interpellent contra eos. Non enim gaudent Martyres, quando ex illis pecuniis honorantur, in quibus pauperes plorant. Qualis est illa justitia munerare mortuos, & spoliare viventes? de sanguine miserorum tollere, & Deo offerre? Illud non est Domino offerre, sed velle violentiæ suæ socium facere Deum: ut si obligatam sibi pecuniam de peccato libenter acciperet, consentiat in peccato. Vis domum Dei ædificare? da fidelibus pauperibus unde vivant, & ædificasti rationabilem domum Dei. In ædificiis enim homines habitant; Deus autem in hominibus sanctis. Quales ergo illi sunt, qui homines spoliant, & ædificia Martyrum faciunt? habitationes hominum componunt, & habitationes Dei disturbant? Substantiam verò, mi Pater, Monasterii tibi commissam caveto, ne audaci judicio imprudenter effundas, nec aliquid injustè jubeas, aut constituas, quasi liberam habeas potestatem. Hieronymus quoque te docet, scribens ad Paulinum, ne pauperum Christi res effundas. Quæ utilitas est, inquit, parietes fulgere gemmis, & Christum in pauperum fame mori? Jam non sunt tua, quæ possides. dispensatio tibi credita est. Memento Ananiæ & Saphiræ. Illi sua timidè servaverunt: tu considera, ne Christi substantiam imprudenter effundas, id est ne immoderato judicio rem pauperum tribuas non pauperibus; & secundùm dictum prudentissimi viri, liberalitate liberalitas pereat. Multi enim Monachorum, juxta cujusdam Patris sententiam, sæcularibus actibus & forensibus negotiis involuti, dum propinquitati prodesse cupiunt, suas animas perdiderunt. Hinc igitur summopere cavendum tibi est, ne immoderato, immo verò audaci judicio rem pauperum tribuas non pauperibus, eleemosynas videlicet laïcorum Fidelium, quas pro salute animæ ipsorum ad pauperes Christi nutriendos Domino contulerunt. Sed ne quidem subjectis tibi consentias, ut res pauperibus Christi conlatas, cognatis & amicis, sive etiam (quod pejus est) seditiosis audeant procaciter exhibere. quia, ut scriptum est, non solùm qui faciunt mala, sed qui consentiunt facientibus, digni sunt pœna. Regulam verò vir Dei BENEDICTUS luculento sermone conscripsit, in qua nihil doctrinæ latentis, nihil obscuritatis comprehendit. quapropter non indiget expositione, sed admonitione. Hæc est enim angusta porta & arta via, quæ sequentes se ducit ad Deum. Hæc sanè, in tantum discretio-

An Chr. DCCCXXII.

Ioh. Chry. hom. 35. in Math.

atinos in ædibus sacris.

Eleemosynarum justam dispensationem commendat.

[a] Hanc sententiam, quæ sanè verissima est & observatu digna, ex libello supplici Fuldensium huc adduxit Candidus, & Ludovico dicenti aptavit. Neque enim putandum est, tam verbosam fuisse Imperatoris adhortationem. De modestia servanda in ædibus religiosis, notanda in primis epistola Guillelmi Abbatis ad Fratres de Monte-Dei.

AN. CHR. DCCCXXII. „ nem, mensuram, & caritatem te docet habere, ut etiam cum caritate „ hortatus, prævaleas ipsa vitia resecare, agere cuncta propter pusillani„ mes mensuratè, discretionem sancti Jacob cogitare, & semper in his om„ nibus fragilitatem tuam tibimetipsi ad memoriam revocare. Sed timeo „ ne sicut serpens seduxit Evam astutiâ suâ in deliciis paradisi Dei com„ manentem; ita per adulatores & accusatores, vasa scilicet intelligibilis „ serpentis, corrumpatur sensus tuus, (quod absit) & abjiciaris cum ani„ malibus tibi subjectis in locum miseriæ & calamitatis. Quemadmodum „ igitur in hoc mundo periculosissimo vivimus quasi in pelago, ubi num„ quam est minùs tempestas; & si tempestas interdum non fuerit, tamen „ semper timor tempestatis. sic & in hoc mundo viventibus numquam est „ minùs tentatio, & si tentatio interdum facta non fuerit, tamen timor „ tentationis est semper. Ideo rogemus divinam clementiam, quatenus no„ bis conferat auxilium gratiæ suæ, ut non vincamur à malo, sed ipsi ma„ lum omne vincamus.

Heistolfi Archiepiscopi oratio ad Eigilem. 13. Hæc ita commemorans benivola Imperatoris voluntas, commendabat se precibus Fratrum, & sic dimisit eos ire in pace. Egressus autem de palatio cum sociis Pater Eigil, per Moguntiam fecit iter: qui cùm pervenisset ad urbem, susceptus est honorificè ab HEISTOLFO ejusdem urbis Archiepiscopo, & facta oratione consederunt. Postea verò „ Præsul civitatis sic prior incipiens ait. Nos, Pater, in primis laudemus „ Dominum Deum nostrum, & gratias illi uberes agamus, qui nos sua „ benignitate conduxit in unum; ac mutua conlocutione jucundos esse „ concessit. De cetero quoque, Pater, dilectam familiaritatem tuam com„ monere curabo, ut in hoc suscepto regimine vitam tuam atque doctri„ nam ita componas, ut tibi atque omnibus, qui tuo subduntur imperio, „ ad æternam proficiat sanitatem. Talem te filiis tuis patrem exhibere con„ tende, qualem tibi & Fratribus tuis tecum paullo antè fieri postulabas: „ cujus petitionis & optionis exemplar à vobis hoc modo dictatum ac scrip„ tum Karolo præsignabatur Augusto. [a] [Hoc igitur, clementissime Im„ perator, quod maximè nobis necessarium esse judicavimus, præ omni„ bus optabamus; id est unitatem & concordiam cum Abbate nostro ha„ bere, sicut cum anterioribus nostris Abbatibus habuimus: & misericor„ diam & familiaritatem, pietatem & modestiam in illo sentire; & ut „ etiam benignus infirmis, propitius delinquentibus, affabilis Fratribus, „ mæstorum consolator, laborantium adjutor, benivolorum auxiliator, „ bene certantium hortator, lassorum refocillator, cedentium sustentator, „ cadentium restaurator: omnes Fratres amaret, nullum odiret, & nul„ lum zeli vel livoris dolo persequeretur: fieretque non turbulentus vul„ tu, non anxius animo, non nimius in judicio, non obstinatus in consilio; „ sed hilaris facie, lætus mente, discretus in opere, consentiens in utili„ tate: & quando aliquis de Fratribus præoccupatus fuerit in aliquo delicto, „ non statim tyrannicâ vindictâ illum excruciaret; sed misericordi disci„ plina corrigere festinaret, conversumque clementer susciperet, nec pra„ va suspicione denuo illum fatigaret, neque perpetuo odio extermina„ ret.] Quid enim, Pater, altius vel manifestius de hujusmodi persona „ poterit explicari? En igitur, clarum est, qualem tibi Patrem priùs fieri „ voluisti, talis esto nunc Fratribus tuis: & habebis laudem ex Deo & „ hominibus bonæ voluntatis.

Eigil ab Archiepiscopo exceptus convivio. 14. Cumque autem hæc & alia moneret, præcepit ministris, ut refectionem digniùs propter hospites more solito præpararent, ipse verò laudes Deo interea referendas ad ecclesiam repedabat. Postea quoque Ab-

a Hæc petitio parenthesi inclusa habetur in numero 10 libelli supplicis, quem Fuldenses Monachi Carolo Magno porrexerunt, quem integrum postea videbimus.

batem cum suo comitatu honorificè suscepit in domum, & mensâ repositâ, cum gratiarum actione sumserunt pariter cibum. Lectio planè legebatur ad mensam secundùm dispositionem Sacerdotis; quâ nimirum finitâ, orta est inter eos conlocutio spiritalis, ut cibo scilicet corporali cibus subveniret spiritalis; & utilitas ecclesiarum Dei multifaria narratione disputabatur apud eos. Erat enim uterque lætus in Deo. Gaudebat quidem Speculator *, quòd Christum suscipere meruisset in hospite: Pater verò lætabatur, quòd in ministro Christi vera Christi susceptio claruisset. AN. CHR. DCCCXXIX. * Archiepiscopus

15. Postquam verò se diversis utilitatibus mutuò roborassent, petitâ licentiâ Pater Eigil à Pontifice [a] benedictus, profectus est Fuldam: quo nimirum veniente obviam ei fuerunt Monachi sui. qui eum honore condigno suscipientes, ad orationem duxerunt. Expleta namque oratione in oratorio prostrati solo salutaverunt Abbatem: quibus clementer & humiliter resalutatis, osculabatur eos pacificè, cantans pariter cum illis more Patrum canticum David hoc modo: *Ecce quàm bonum & jucundum habitare Fratres in unum*. Et facta est lætitia magna in ecclesia ibidem in nomine Domini congregata. & benedictus, à suis salutatur.

16. Non multo igitur post hæc temporis intervallo cœpit hic venerabilis vir magno Dei cultûs amore ecclesiæ mundare loca, pavimenta refundi constituit; altaria nihilominùs locis congruis fieri demandavit, in summo lapidibus cooperta politis. In eadem verò ecclesia duas cryptas magnifico opere conlocavit; unam, quæ respicit solis ortum; alteram, quæ solis occasum intendit. Ecclesiam instaurat & ornat.

17. Cumque hæc & alia multa diversarum specierum ornamenta in templo Dei collocasset, accepto Fratrum consilio, misit epistolam ad Heistolfum Archiepiscopum, ut dignaretur venire ad dedicandam ecclesiam in laudem Dei omnipotentis constructam: quatenus per hæc piæ operationis officia, utrisque à Deo merces maneret in futuro, ac benigna memoria sanctæ orationis apud homines frequentaretur in mundo. Venit igitur Archiepiscopus juxta petitionem Abbatis tempore sibi condicto. Venerunt nihilominùs alii quamplurimi Episcopi, Abbates, Presbyteri, Comites, ab Abbate Monasterii honorificè invitati. Insuper etiam fama vocante, vulgus ordinis inferioris ad templi hujus dedicationem, è diverso veniens confluxit in unum [b]. Interea quoque venerat alma dies dedicationis inlustrata solis perpetui luce corusca. Processit Pontifex cum omni ornatu ecclesiæ, & dedicavit templum in Monasterio Fuldæ constructum in honorem sancti Salvatoris, Dei videlicet & Domini nostri JESU-CHRISTI: & translatum est corpus Martyris Christi Bonifacii in locum, quem præparaverat ei Pater Eigil, unà cum Fratribus suis, sicut in sequenti libro manifestissimè continetur *. In dedicatione verò templi, populus Dei decantabat Deo laudem, & in ore eorum dulcis resonabat sonus. Et erat jucunditas magna in ecclesia Dei in ejus nomine congregata. quam per Heistolfum curat dedicari. translatum etiam corpus sancti Bonifacii. * cap. 27.

18. Cumque igitur opus Dei perficeretur, Præsul invitabatur ad mensam, ut refectus cibo spiritali, propter infirmitatem corporis reficeretur & carnali. Erat enim ibi ad mensam recitata lectio legis Dei, & inter- Archiepiscopum pascit duplici cibo.

[a] Abbatis benedictio seu ordinatio sacratione per Episcopum antiqua. Ejus enim mentio fit in nonnullis Gregorii Magni epistolis, nimirum lib. 9 epist. 18 Indictionis primæ, & 94 Indictionis secundæ; & in Regula Magistri cap. 93. item in libris primo & secundo Bedæ de historia Monasterii sui, in Conciliis Becanceldensi sub finem sæculi septimi, & Celichitensi cap. 8 sub initium noni apud Spelmannum. denique etiam in Ordine Romano.

[b] Id factum anno DCCCXIX, teste HRabano in carmine ad Heistulfum, præfixo libris de institutione Clericorum, quos ei dedicavit. & quidem Kalendis Novembris dedicatio hæc facta dicitur in ejusdem HRabani Martyrologio. Diem & annum signavit etiam HRabanus in Denotatione (ut vocat) ejus rei apud Browerum in lib. 3 Antiquitatum Fuldensium cap. 3.

AN. CHR. DCCCXXII. dum intermista quæstio lectionis: quâ sanè perlectâ, oriebatur inter eos, sicut erant graves animoque insignes, confabulatio spiritalis, & diversæ utilitates ecclesiarum Dei multipliciter apud eos agebantur. Post refectionem verò surgentes à mensa dixerunt versum: atque hinc vespertinis laudibus celebratis, & completorio finito, somno capti quieverunt.

Humbertus cryptas duas sacrat. 19. Altera quoque die, duas ecclesiæ cryptas HUMBERTUS Chorepiscopus [a] jussu Archiepiscopi sui Heistolfi consecravit, atque omne opus ipsius diei, divina sibi auctoritate commissa, cum summa reverentia timoris Dei reverenter explevit. Cujus nimirum dedicationis diem, tempus, numerum, & annum, simul etiam & sanctorum nomina, quorum reliquiæ ibidem plantatæ sunt, disciplinabiliter litteris infetendo HRABANUS magister [b] memoriæ commendavit. Hac igitur sancta & salutifera sollemnitate peracta, reversus est Pontifex & omnis populus gaudens in tabernacula sua.

Cœmeterii ædes condita. 20. Pater namque Monasterii dehinc sedulus, addiscens communis vitæ gaudia, cum consilio & Fratrum consensu ecclesiam [c] parvam ædificavit rotundam, ubi defuncta corpora Fratrum sepulturæ tradita requiescunt, quam cimiterium vocant, quod Græcè dicitur Κοιμητήριον, Latinè verò dormitorium interpretatur. cujus etiam ædificii structura subtus terram, ubi pervium circuit antrum, ab una columna lapidea in medio posita, arcubus hinc & inde in eamdem compaginatis, valenter exsurgit: suprà verò octonis subrigitur columnis, atque in summitate operis lapide concluditur uno. Hoc siquidem ædificium Pater iste venerandus ac suprà commemoratus magister eum sociis, nescio quid magni fingentes, divino magisterio docti, quod tamen ipse, salva fide, Christi & Ecclesiæ puto præsignati posse figuram. Paulus namque Apostolus, qui & ipse vas electionis à Domino appellatur, de Ecclesia Christi ex lapidibus vivis, hoc est sanctis hominibus compaginata, quòd sit habitaculum Dei, suis

1. Cor. 3. auditoribus manifesté pronuntians, ait: *Templum enim Dei sanctum est quod estis vos.* cujus tecturæ princeps & conditor est Christus JESUS, fundamentum scilicet columnaque manens semper immobilis perpetuæ majestatis virtute: in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino. Quid verò significet hoc, quod in summo uno lapide istius ædificii perfectio consummatur, idem Doctor insinuat, qui nos intenta mente docet orare, ut ille, qui cœpit in nobis opus bonum, per-

Philipp. 1. ficiat usque in diem Christi JESU, quatenus cuncta operatio nostra à Deo semper incipiat, & per eum cœpta finiatur. Octo igitur columnæ in hoc templo Domini stantes octo beatitudinibus, quas ipse Dominus in Evangelio comprehendit, convenienter coaptantur: ut quique quater bina hæc dicta JESU complentes, in hac ecclesia Christi sustentaculâ mereantur haberi. Circulus verò ecclesiæ, qui nullo fine terminatur, interiùs habens compendia vitæ, id est divina sacramenta, regnum perpetuæ majestatis & spem vitæ æternæ ac præmia mansura, quibus justi meritò coronantur in ævum, non incongruè significare videtur.

ab Heistolfo dedicatur. 21. Hoc igitur templum, quod iste vir venerandus cum magno pietatis amore construxit, Heistolfus Moguntiacensis Ecclesiæ Præsul, Turingea rura transiens, dedicavit in honorem Domini nostri JESU-CHRI-

[a] Malim Coepiscopus. nam hoc loco intelligendus videtur Humbertus Wirtziburgensis Episcopus, Moguntini Archiepiscopi Suffraganeus, qui rogante HRabano reliquias Martyrum transtulit in Monasterio Holzkiricha, teste HRabano in epigrammate 63. Humberto Episcopo HRabanus scripsit epistolam hoc argumento, *in quota generatione licitum sit connubium inter consanguineos.*

[b] Exstant hi versus inter poemata HRabani, uti & alii de benedictione cœmeterii, de quo infrà.

[c] Oratorium sancti Johannis in cœmeterio Fratrum itidem construi jussit Benedictus Abbas Anianensis, suprà in Vitæ num. 39. Et hic mos Ordinis nostri erat, ut peculiare cœmeterium haberetur cum sacello extra claustrum.

XXII & sancti Michaëlis Archangeli Christi, & reliquorum: cujus dedicationis nihilo minùs diem, numerum, tempus, & annum, pariterque Sanctorum nomina, quorum reliquiæ ibidem conditæ sunt, idem Magister qui suprà, versibus, & prosâ [a] eleganter expressit, sicut sequens volumen diligenter legentibus satis evidenter ostendit.

An. Chr. DCCCXXII. a

22. Postquam vero hæc, quæ ad cultum divini operis pertinebant, hoc modo peragebantur, hic idem venerandus vir, licèt jam senio morboque tricatus lassasset, tamen claustrum Monasterii ex novo construere cogitavit. Vocantur ad consilium Fratres. Quæsitum est in quo loco ædificatio claustri congruentiùs potuisset aptari. quidam dederunt consilium; contra partem meridianam basilicæ, juxta morem prioris: quidam autem, Romano more [b], contra plagam occidentalem satiùs poni confirmant, propter vicinitatem Martyris, qui in ea basilicæ parte quiescit. quorum consilio adsensum præbuere priores: concordabat nihilo minùs & reliqua pars Fratrum. Quibus verò ita in unum coadunatis, tendebatur statim mensura laboris, effossaque terrâ, operis magistri consequenter fundamenta ponebant. Erat enim in hoc opere, & non solùm in hoc, verùm etiam in omnibus utilitatibus Monasterii par cura, voluntas, ac studium Fratribus & Abbati. Audiebat enim libenter consilium Fratrum, & eorum conlocutionibus sæpissime fruebatur. Sciebat enim scriptum: *Omnia fac cum consilio.* atque ideo non se sublimiorem, nec prudentiorem ceteris æstimabat, neque etiam inani tumore tractabat se consolatione * alterius non egere. Attamen si quandoque minùs prudens in aliquibus errabat, hoc magis aliorum minùs prudentium introductione, quàm propria inventione concepit.

Claustrum novum ædificatur, ad plagam occidentalem, b

Eigil in omnibus consulit Fratres. Prov. 15.

* f. consolatione

23. Diligebat ergo Fratres suos, sicut sancta Regula docet, & maximè illos, quos in Dei servitio, atque divina lectione studiosos esse cognovit. Inter quos sanè me ipsum, quamvis indignum & ultimum servorum Dei servum, tamen pio Patris affectu in suam familiaritatem & gaudium introire concessit. Disputationem [c] quoque sæpius cum HRabano magistro, qui ei erat speciali familiaritate connexus, excepit. Et frequenter in disputando, ad hoc solummodo nos cum ipsô in ejus præsentia concitavit, ut secundùm sententiam Salomonis, audiens sapiens, sapientior efficeretur. Omni quoque industria & sagacitate laborabat, ut gregem sibi commissum, divina opitulante gratia, in Dei servitio custodiret. Nullum zeli vel livoris dolo persequebatur, nec quemquam prava suspicione fatigabat, neque perpetuo exterminabat odio. Fuit quippe in diebus ejus Fratribus pax, cor unum & anima una in Deo; nec erat qui perturbaret Monasterium in tam delectabili concordia roboratum. Obedientiæ bonum non solùm Abbati, sed & sibi invicem cum summa reverentia exhibere gaudebant, scientes se per hanc obedientiæ viam ituros ad Deum. Adeo enim hic venerabilis vir sospes & alacer in hoc suscepto regimine usque ad finem vitæ suæ perdurabat, ut numquam illi congregatio, nec ille congregationi Monachorum ullam molestiam perturbationis videretur inferre. Quod ideo mirum non est, quia, ut suprà dictum est, erat eis cor unum & anima una in Deo.

Monasterii status sub eo. Reg. S. Bened. cap. 1. c

Prov. 1.

[a] Utrumque refert Brovverus in lib. 2 cap. 5. en prosa. *Anno Incarnationis dominica* DCCCXXII, *Indictione* XV, *dedicatum est hoc cimeterium ab* HEISTOLFO *Archiepiscopo Moguntiacensis ecclesiæ mense Ian.* XVIII *Kl. Febr. in honorem sancti Michaelis Archangeli & sancti Iohannis Evangelista, sancti Abonds Martyris, & sancti Amandi Confessoris, & aliorum plurimorum sanctorum Martyrum atque Confessorum Christi.* Renovato oratorio facta est alia dedicatio à Folëramo Mindensi Episcopo anno MXCII, IV Non. Decembris, rogante Rothardo Abbate.

[b] Nota morem antiquum Italorum obvertendi claustra ad Occidentem.

[c] Sic collationem de rebus spiritalibus appellant nonnulli, ut aliàs observatum. Eodem sensu Candidus in præfatione hujus Vitæ queritur, quòd sodalium suorum habebat neminem, cum quo in divina lectione *disputando* & legendo proficere posset.

An. Chr. DCCC XXII. Officiales Fratribus in mensa serviunt.

24. Hic quoque, sicut semper facere consueverat, cum consilio & consensu Fratrum suorum constituit atque decrevit, ut Fratres qui extra Monasterium ministeria prævidere noscuntur, Fratribus infra Monasterium commanentibus per singulas anni septimanas, juxta ordinationem Præpositi vel Decanorum, in cibo & potu atque aliis quibuslibet commodis monasticæ vitæ congruentibus, super indictam sibi annonam, ad honestam consolationem, non coacti, sed ut eos sumtus permitteret, spontanea voluntate [a] servirent: ita tamen ut ipse primò [b] omnium hujus servitutis initium in die Natalis Domini ad exemplum ceteris cum gaudio suscepisset. Hæc ideo Fratribus sanè extrà manentibus commisit instituta, ut per hæc caritatis officia mercedem consequerentur à Deo, & à præcepto Regulæ, quæ jubet ut Fratres sibi invicem serviant, longè positi non discreparent.

etiam Eigil ipse.

Anniversariam pro defunctis Fratribus instituit.

* l. Sturmis

25. Simili namque consilio atque devotione idem bonæ voluntatis vir anniversariam Styrmes * primi Abbatis & fundatoris Monasterii Fuldæ, & memoriam omnium Fratrum nostrorum de hac luce defunctorum in natale sancti Ignatii martyris Christi, qui paullo inferiùs ab hac anniversaria numeratus, propter intercessionem tanti patroni, in Missarum celebratione, psalmodiis, & oratione sancta celebrare [c] sancivit. Hujus rei siquidem constitutio dum cunctæ congregationi perlecta esset, ac deinde si placeret interrogatum fuisset, respondebatur ab omnibus, Placet. Sed ne cui fortasse hæc celebratio superstitiosa, & cassa esse videatur, legat conlocutiones sanctorum Patrum; & ibi reperiet hujus festivitatis [d] exemplum. Eadem verò die ob reverentiam tantæ sollemnitatis, secundùm congruentiam monasticæ vitæ, ad victum fraternum cultius quid solito jucundiusque fieri demandavit. Lectionem quoque libri illius, quem de vita supradicti Abbatis & origine Monasterii nuperrimè nominati, Christi gratia largiente composuit, Fratribus ad mensam recitare præcepit: quatenus in eadem mirabilia divinæ operationis audientes, gratias divinæ majestati referre studerent, & omnis jucunditas ipsius festivitatis in ejus laudem resonaret.

Ratgarium ab exsilio revocari curat.

26. Inter alia verò pietatis opera, hoc misericordiæ bonum probabiliter egisse laudatur, quòd antecessorem suum, quem quondam cum sociis quasi persecutorem fugiendo vitabat, cùm esset causâ illius inquietudinis ab Imperatore in exsilium missus, unà cum Fratrum suorum petitione de exsilio liberavit. quorum fidem atque misericordiam adeo mirabatur Augustus, ut diceret eos, juxta præceptum Veritatis, pro persecutoribus suis veraciter exorasse. Hinc igitur, frater Modeste, secundùm Apostoli commonitionem, humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore tribulationis; omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. Sobrii estote & vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, cujus nequissimæ voluntati vos resistere concedat auxilium Dei, sine quo nihil potest humana fragilitas boni. Non enim lectori supradictæ inquietudinis tam crebra mentio calumnia videatur, dum Petro principi Apostolorum nihil obesse dignoscitur culpa trinæ ne-

cur turbarum Ratgarii mentio repetita.

a Sanctus Benedictus Cellerarium, infirmos, & eos qui fortè majoris momenti negotiis occupantur, eximit à servitio mensæ in Regulæ cap. 35.

b Abbates Abbatissasve, aut vicibus suis, aut aliquot sanè anni diebus, in coquina subditis suis ministrasse, docent nos Vitæ sanctæ Salabergæ, & aliarum; & Regula sancti Ferreoli, qui ter in anno id fieri præcipit cap. 18; uti & Rituale Beccense ms. Denique Abbas & Cellerarius Cluniaci *coquinam in natali Domini procurabant*, teste Udalrico in Consuetudinum Cluniacensium lib. 1 cap. 46.

c Anniversarium Sturmii Abbatis & conditorum Monasterii jam ante Eigilis regimen colebatur, ut patet ex libelli supplicis exordio. Sed Eigil Abbas illud decreto suo restituit, & sollemnius celebrari jussit, nempe XVI Kal. Janu.

d Nempe in Collat. 19 cap. 1. qua de re fusè actum est in Præfatione prima Sæculi tertii num. 102.

gationis

gationis sæpius in Ecclesia recitata, quam divina visitatione compunctus, amarissimis lacrymis abolevit. quod ideo illi evenire non dubium est, ut sciret se confidentiam non habere in homine, sed in eo, de quo Psalmista dicebat: *Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in Principibus.* & ut in sua disceret culpa, qualiter postmodum in regimine positus, aliis misereri debuisset. Paulus quoque Apostolus in membris Christi, Christi extitit persecutor: & qui quondam fuerat magister erroris, divina voce correptus, factus est discipulus veritatis. Loth igitur uxor, cùm incendia fugeret Sodomorum, versa est in statuam salis, ad condimentum scilicet Fidelium: quia punitio rei, eruditio est justi. Sed & arbori siquidem infructuosæ plerumque stercora circumfusa prodesse noscuntur; hoc homini videlicet circa mandata Dei negligenter agenti commemoratio peccatorum suorum ad æternam plerumque proficit sanitatem: dum per hoc divinæ miseratione compunctus reviviscit, & producit ex se bonorum operum fructus, in odorem suavissimum Domino Deo. Hæc namque ideo testimonia divinæ lectionis in hoc libro, Frater Modeste, notavi, ut non sit spes sibi quisque, sed ponat in Deo spem suam; & qui se existimat stare, videat ne cadat: & qui lapsus per superbiam cadit, divina lectione correptus studeat cum Dei auxilio resurgere per humilitatem; & ut omnis peccator in Ecclesia constitutus, cum fide recta per humilem confessionem veramque pœnitentiam à Deo veniam speret. AN. CHR. DCCCXXII.

27. Cùm autem, ut suprà commemoravi, ædificium claustri jam ex parte in altum crescendo profecisset, idem venerabilis Pater correptus morbo cœpit acriter infirmari. qui, cùm dehinc mortis suæ tempus cerneret imminere, rogabat se orationis gratiâ ducere in cimiterium, cujus suprà fecimus mentionem. Postea namque accepto sarculo designavit locum sepulcri ipsius in orientali parte cimiterii; & ut valuit, pro infirmitate ipse primus terram percutiens fodit. Sarcophagum verò in locum monumenti aptavit, in quo se post obitum ejus condere humili supplicatione poposcit. Inde igitur cùm esset reductus in domum, decidit desperatus in lectum; & cognovit, quia moriturus est. Quod cùm audissent Fratres, venerunt visitare eum, atque pro exitu animæ illius preces fundere Deo. quibus conspectis, gratulabatur in adventu eorum, & in oratione ipsorum delectabatur anima ejus. Ægrotans designat sepulcrum suum.

28. Interea namque rogabatur à Fratribus, quo purior de hoc mundo migrasset, quamvis occulta, confessione & digna pœnitentia purgaretur: ut si quem læderet, veniam postularet; vel si à quoquam læsus fuisset, simpliciter remissionis indulgentiam daret. Commonitionem itaque Fratrum libenter audiens, ait, Si quem, inquit, læsi, humili supplicatione veniam rogo; & si à quoquam læsus fuissem, dimittat illi dicitur *; & ego veraciter illi ex intimo corde dimitto. Cumque enim hæc verba jam moriturus explesset, commendabat se Deo & precibus Fratrum suorum, atque in lectum corpore congregato spiritum exhalavit[a]. Quo viso perterriti Fratres & jam tunc in angustia positi, Patris interitum suspirabant, scientes qualem habuerant Patrem, & nescientes qualem accepturi fuissent. Nemo enim, Frater Modeste, cognoscere potest, nisi ille solus qui hoc experimento cognovit, qualis plerumque filiis mi- Monitus dat petitque veniam. *l. Deus moritur.

a Annum DCCCXXII signant Annales Fuldenses his verbis: EIGIL *Abbas Fuldensis Cœnobii defunctus* HRABANUM *successorem accepit.* Dies hactenus ignoratus. In libro I Traditionum Fuldensium pag. 527 & 528 legitur traditio quædam Eigili Abbati facta VI *Non. Augusti, anno* IX *regnante Ludovico Imperatore.* & pag. 532 & 533 invenio donationem HRabano Abbati factam *anno dominicæ Incarnationis* DCCCXXII, *Indict.* XV, *regni HLudovici anno* IX, *mense Octobri, die* V *Kal. Novembris.* Ex quibus colligo, Eigilis diem obitus incidisse in illud tempus, quod effluxit à die VI *Non. Augusti.* quo prior traditio eidem facta est, in V *Kal. Novembris,* quo alia HRabano successori facta.

AN. CHR. DCCCXXII. *l. vitricus

feria est, quod eis legitimus Pater aufertur, & vitricius * consequenter infertur: propria mater occumbit, & noverca succedit. Quod apertè manifestabant illæ duæ mulieres circa infantem vivum litigantes in judicio Salomonis Regis Hierusalem. Fratres verò post hæc secundùm consuetudinem Patrum tulerunt corpus cari senioris, & cantantes atque orantes in ecclesiam deferebant: & ibi oratione completa levaverunt corpus ejus, & sepelierunt in sepulcro, quod ipse sibi paraverat vivens, fidem habens resurgendi in die adventus Domini nostri JESU CHRISTI, cui gloria & potestas in æternum, Amen.

Sepelitur in tumulo ab se design ato.

VITA METRICA

Auctore eodem CANDIDO Monacho.

PRÆFATIO.

CANDIDUS *Fratri suo* MODESTO.



HOc carmen cecinit CANDIDUS ecce
Fratri quippe suo sponte Modesto,
Lecti commemorans inclita facta
Patris hic, abitum * hineque venustum.
Quapropter rogitat hic quoque glebo *
Promtosque & resides quosque legentes,
Formicæ ut tenuem farris acervum
Hujus non temere dente peroso
Multum dilacerent. Sed magis orat
Summisso capite & pectore prono,
Ut Frater socio hunc rite relegat,
Ursisque alitibusque abdicat atris.

* transitum
* arator.

Explicit Præfatio CANDIDI ad MODESTUM, qui proprio nomine BRUUN & RECCHEO nuncupatur *.

* l. nuncupantur.

INCIPIUNT CAPITULA.

CAP. I. *Ducitur puer Eigil ad Monasterium Fuldam.*
II. *Præsentatur Styrme Abbati, & defertur ad scholam.*
III. *Fit Monachus & ordinatur Presbyter.*
IV. *Catalogus Abbatum Monasterii supradicti.*
V. *Metaphoram inducit Poëta.*
VI. *Regia cura circa Fratres Fuldenses.*
VII. *Legatio Fratrum ad Imperatorem directa.*
VIII. *Responsio Imperatoris Fratribus aperitur.*
IX. *Increpatio Poëta & hortatio ejusdem.*
X. *Datur licentia conspirandi super Abbatis electione, & consilium seniorum, & Abbatis electio.*
XI. *Excusatio ejusdem & objectio Fratrum & consensus senis.*
XII. *Itur ad Regem super Abbatis confirmatione.*
XIII. *Confirmatio Regis & instructio ejusdem.*
XIV. *Revertitur per Moguntiam Pater Eigil, & suscipitur veniens Fuldam à Fratribus propriis.*
XV. *Infecta basilica opera peraguntur.*

INCIPIT VITA.

CANDIDUS AD MODESTUM.

EX quo me Pater ille senex fastigia vitæ
EIGIL BAUGOLFI, quondam labentibus annis
Communisque Patris olim memorabile nomen,
Litterulis mandare jubet; post jussa beari
Vota viri, moresque graves animumque virilem
Extunc non piguit, nec nunc meminisse piget me.
Hinc juvat, ô Frater, quo non præstantior alter,
Hujus namque senis famosi culmina vitæ,
Quæ juvenis jam, postque senex celeberrima vidi,
Rebus in eximiis quæque interdum auribus hausi,
Relligiosorum ex dictis pia facta virorum,
In cumulum congesta tibi sacrare Modesto.

CAP. I. *Ducitur puer Eigil ad Monasterium Fuldense.*

Hic juvenis Norica quondam regione serena
Nobilis exoritur. illic haud multa moratus
Tempora, progenies patriis evectus ab oris
Ducitur in silvam fagi de nomine dictam
Bucboniam: undisonus serpens ubi labitur amnis
Fulda, unde iste locus, ubi nunc ingentia cernis
Mœnia, prima olim nomen ab origine sumsit.
Ventum est interea varia per compita longè
Ad sanctum lectumque locum templumque dicatum,
Martyr ubi pro laude Dei Bonifacius almus,
Qui pro lege Dei duro succumbere Marti
Quondam non timuit, digno veneratur honore.

II. *Præsentatur Styrme Abbati, & defertur ad scholam.*

Proditur hicce puer vectus, pro postibus adstans
Eigil, fortè viro qui tunc ditione regebat
Cœnobium Fuldense humili sub mœnibus hujus.
Quem mox blandiloquo STYRMI cum murmure visum
Suscepit, lassisque suis complectitur ulnis,
Ac juveni consanguineo dat basia pastor.
Talibus auspiciis primævis miles ab annis
Christi cœpit. abhinc qui sit pòst exitus, atque
Qui sibi jam fuerit juvenili in pectore sensus,
Quæque viro succrescenti constantia mentis,

An. Chr. DCCCXXII. Si mihi vita comes fuerit, si spiritus intus
Corpus alet, lingua & solitum si munus habebit,
Progressusque dabit summa ac veneranda secundos
Majestas, eadem paucis superare camœnis
Incipiam. Abbatis post hæc subductus ab æde
Hic puer inberbis scholæ defertur ad arcem,
Lex æterna Dei semper, qua munere Christi
Discitur à pueris, seniorumque ore docetur.
Nec mora continua cœpit elementa parare,
Utque apis esuriens primo cum tempore veris
Enitens paribus volitat per gramina pennis,
Campigenosque sibi certat decerpere flores;
Altiùs inde volans, glaucas stridentibus alis
Nunc salices, nunc namque pirum platanumque nitentem
Floribus ore legit, tiliam fervore recenti hinc
Mellifluam satagit cæco sub condere tecto.
Haud secus hic juvenis librorum carmine primùm
Corticibus veluti rasis quis pascitur acris,
Donec vi quoque non propria, sed munere Christi
Proficiens ætate simul sensuque sagaci,
Pasci promeruit umbrati nectaris haustu.

III. *Fit Monachus & ordinatur Presbyter.*

Hinc etiam Monachis jam tunc Fuldensibus hærens
Moribus atque habitu, vitæ cælestis amore
Succensus, cum consilio Fratrumque Patrisque
Jungitur, ac nitidis Christi succingitur armis
Signifer intrepidus Christi tutamine fretus.
Fit comes interea Patris fidusque minister,
Prosperè cuncta gerens: supplex oracula cujus
Sæpius unà cum senibus spatiatur ad alta.
Sæpe etiam ante omnes multa exspectante caterva
Jussus jura dabat, iterumque infanda verabat.
Ac magna ingenii quæque disceverat arte,
Tempore non alio, meritis & dogmate clarus,
Felix patre satus quondam, felicibus annis,
Eigil hoc sortitus erat baptismate nomen.
Fungi promeruit ab Lullo Præsule sacro
Presbyter, infestis mundi direptus ab undis.

IV. *Catalogus Abbatum Monasterii supradicti.*

Contigit interea senio morboque peresum
Styrmen, qui fuerat primus fundator & Abbas
Cœnobii Fuldensis, ab hac quoque luce migrasse,
Credimus, in lucem semper sine fine manentem.
Cujus post obitum concordi voce boantum
Baugolf eligitur larga, Germanica proles,
Rite patet præcessoris porrectus ab ore.

AN. CHR. DCCCXXII.

V. *Metaphoram inducit Poëta.*

Hoc nam cessante successit Monoceros a, qui
Fortè gregem sibi commissum (res fœda refertur)
Nescio qua fronte, stimulis agitabat ineptis:
Donec vi nimia pastum fontesque fluentes,
Dulcia namque loca & stabula alta coactus
Deserit, atque fugâ regnis decessit avitis.
Quid majora sequar? tomi * dum pondus in istis,
Si quis ab ore velit petagrans hæc cuncta referre,
Congeritur quodam instinctu grex omnis ab uno
Lanigero, circumspectè collectus in unum, &
Spem sibi direptam saltim viresque recepit.
Atque iterum insolitum repedavit concitè pastum.

VI. *Regia cura circa Fratres Fuldenses.*

Hinc quoque sublato silvestri Monocerote,
Inprovisa citò surrexit regia cura
HLUDWICI, qui semper erat melioris amator
Vitæ, qui Monachos casto dilexit amore.
Quem Deus omnipotens sospem * de sede paterna
Conlocat * & regnum lucis sedemque beatam.
Misit ab occiduo hic Monachos qui maximè nostros,
Quin & finitimos fratres: hincque inde cubantes
Mores & studia & leges & dogmata Patrum
Incœpta incipere, & lapsa renovare monerent.

* sospitem
* l. Conlocet in regnum

VII. *Legatio Fratrum ad Imperatorem directa.*

Subdimur interea, duro custode remoto,
Scilicet extremis, usque dum frater ADALFRID,
Unus ab occiduis, nostris comitatus ad alta
Fratribus, eximii subiens oracula Regis,
Frustrataque loco & diro spoliata magistro
Fuldæ Patre pio, rursus vestirier orat.
Cui pia progenies contrà sic ore locutus:
Vade age, consiliumque voca, Fratresque saluta.
Et quemcumque velint justè riteque repertum
Expetito Patrem, ex nobis concede labori.
Dixerat, & lætum clara dimisit ab aula.
Ille ubi percepit Regis responsa potentis,
Atque hæc ipsa suo volvens sub pectore versat,
Hortatur socios creber, jubet esse paratos,
Cogit inire viam, & celerem per opaca locorum
Concitè ferre gradum, per terras, gramina, limphas,
Per montes, vallesque simul, per densa ferarum
Lustra, lupus horrendum ululans ubi devius ore
Sanguineo, sæpe insidias sub corde volutat.
Nec mora, cumque dies noctis superaverat umbras,
Titanisque rubens orbi lux alta refulsit;

a Ratgarius scilicet, quem Monocerotis insidentem adpinxit Modestus hoc loco in primario Candidi exemplari, notans hoc symbolo impetiginem hominis.

An. Chr. DCCCXII. Statim cum sociis missus de Rege remissus,
Ardua certatim pariter ad mœnia tendit
Fuldæ, parta quidem secum bona dona reportans.
Interea latos volitat pennata per agros,
Cœnobii Fuldensis ovans adlabitur aures
Fratrum fama, boni, cursum rumoribus aptis,
Fortè virum ostentat, absque discrimine sospem
Confectum, lævique monet nil mente vereri.
Hæc adhuc memorans lictor de Rege venusto
Missus adit, nostrique simul cum Principe fratres
ODILHOH, RECCHEO [a] & senior, jam functus; uterque
Presbyter & Monachus, animo lætique minores
Jussi tecta petunt: neque enim post tempora multa
Fratribus accitis, Regis ita nuntius orsus.

VIII. *Responsio Imperatoris Fratribus aperitur.*

Hludwicus Rex pacificus Cæsarque serenus,
Vobis jam propria mandavit voce salutem,
Et quemcumque cupit vestra concordia concors
Rite Patrem, justeque simul digneque repertum
Læsis luminibus vestro concessit amori.
Dixit, & introrsus oris spiramina sæpsit.
Nulla mora in medio supplex in rebus egenis
Fratrum congeries responsa ante ora ferentis
Corpore conlapso genibus procumbit humi, mox
Grates persolvens dignas hæc munera danti.

IX. *Increpatio Poëta & exhortatio ejusdem.*

Quis tibi tum fraterna cohors in pectore sensus?
Immo talia volventi quæ mente voluntas?
Quasve tremens cieras concreto corpore voces?
Nonne vias simplex Fratrum se flectit in ambas
Discolor, atque subintravit discordia ponè,
Turbataque ruit simpla concordia retro?
Talia si subeas ultra, ô sociabilis ordo,
Concilia, tenui liceat te voce monere.
Parce metu, solique Deo confidere disce.
Posce Deo placita, si scis. si poscere nescis,
Aut tibi si desit veri sapientia verbi,
Alma altaque fide regnantem cernuus ora,
Qui bona cuncta dabit, & nulli probra rependit.

X. *Datur licentia adspirandi super Abbatis electione, & consilium seniorum & Abbatis electio.*

Larga quidem super hoc concessa est copia fandi
Fratribus, inque vicem dehinc respirare potestas.

[a] Fuere ejus nominis Fuldenses Monachi duo: unus RECCHEO senior, de quo hic, qui *Diaconus* Einhiltæ Milizensis Abbatissæ litteras donationis pro Monasterio Fuldensi scripsit anno DCCC, in lib. 2 Traditionum Fuldensium pag. 511. & qui jam *Presbyter* aliam scripsit anno DCCCXIX pag. 531. alter RECCHEO junior, alio nomine Modestus, cui hæc Vita nuncupata. De Odilhoh nihil succurrit adnotandum, nisi quòd ejusdem fere nominis *frater* ODILLEO nominatur in Alcuini epistola 64 *ad Fratres in ecclesia sancti Liudgarii Episcopi.*

Fit ſubitò Fratrum paſſim concurſus in unum.
Longis porticibus, clauſtri conſeſſio longa
Cernitur. Hinc vario varia ſermone levata.
Concitè prorupit in medium res diſſona, circum
Fuſa torat, acuens variis rumoribus iras
Infauſta genitrice ſata diſcordia proles.
An loquar, an ſileam? vulgi ſententia fatur,
Quod quis flammigero validè contactus ab igne,
Ignem flammigero pavitanti mente veretur.
Hicce Patrem petit hunc, illum namque ille repoſcit.
Quem pars una cupit, refugit pars altera: longè
Compellare ſenem juvenis, audetque virum vir
Vocibus infeſtis duroque laceſſere verbo.
Nec jam quis proprium furtim teſtatur amorem.
Curritur ad ſolita ſaltim ſolatia votis.
Omnibus in commune Deo prex alta refertur.
Supplicat obnixè oſtendi fraterna voluntas.
Dextera quid ſuper hoc ſtatuat manus Omnipotentis.
Perſpice nunc precor, ô confidentiſſime Frater,
Ipſe Deus Rex perſpicui poſſeſſor olympi,
Fidis quàm facilè miſerans in rebus egenis
Conſulit omnipotens. diſcors & futtulis amens
Aſt hereſis refugit, ſubitò bipatentibus intrat
Læta quidem comitata fide concordia portis.
At verò interea quatitur denſiſſimè ſignum *,
Quo moniti fortaſſe animis non viribus æquis,
Ordine permixto Fratres glomerantur in unum.
Exin more quidem ſolito fit lectio verſus;
Inde ſequens tandem extimplo prece rite peracta;
Erupit in vocem graviter pars ardua Fratrum,
Ac ſalubri dehinc conſilio, ſic ore ferebat.
Nos, ô fida manus, vario turbante tumultu,
Sæpe ſub adverſo partim ſudaſſe labore
Contigit. in commune tamen diſcrimina morbi
Mixtim nos toleraſſe mali contingeret adhuc;
Celſi fulminea ſubitò ni dextera Patris
Deſuper adveniens, noſtri miſereſceret ultro.
Sed quia nos voluit magni regnator olympi
Hæc iterum loca percipere, non linquere; noſque
Rurſus in antiquam noſtræ conducere formam
Vitæ; nunc animæ, totis nunc viribus eſto
Quiſque ſuæ vitæque memor. præſumite Patrem
Fratres qui valeat, ſupplex licèt ore recuſet:
Non hunc, qui cupit atque nequit, licèt ore repoſcat;
Moribus inſignis pariter eum dogmate ſacro ac
Mente pia, dignè tantam præcedere turbam.
Hæc memorans circumſpectè pars ardua Patrum
Extulerat, ea dein repetens quoque cætera prona
Contulit, inque vicem ſpiſſo ſermone reformat.
Haud mora continuò concordi mente vetuſtus
Poſcitur in Patrem Noricâ regione ſerena
Nobilis adveniens olim & parviſſima proles
Eigil, tuncque gravis veterum ſcrutator avorum.
Quove reluctanti, ſedato pectore pauca;

* campana

An. Chr. DCCCXXI. Fraternum antè quidem nobiscum fœdus iniisse
Te meminisse decet. sociûm miserere tuorum, &
Si quid habes virtutis, ait concordia Fratrum,
Corporis atque animæ precibus neu subtrahe nostris.

XI. *Excusatio ejusdem, & objectio Fratrum, & consensus senis.*

Tunc quoque longævus, commoto pectore contrà,
Nonne vides quòd hoc corpus effæta senectus
Deprimit, exagitatque caput, vestigia torquet?
Visus languescit, lacerat præcordia tussis,
Corporis ac totos quatit æger anhelitus artus?
Solus qua propter, fateor, subsistere tanta
Pondera non valeo. Senior sic ore repugnans
Dixerat, & luteos lacrimis perfudit ocellos.
Desine plura, Pater, inquit, & cede petenti huic
Cœnobio: non, oro, senem te cura refringat.
Hujus namque operis Fratrum concordia tecum
Viribus infessis pariter sufferre laborem
Sponte subit; nec te solum sub fasce dolere
Sustinet. Hincce senis durum mollescere cœpit
Pectus; & hinc Fratres dictis affatur amicis.
Non me velle fugam mihimet pro laude pacisci
Hujus profiteor operis; nec terruit hoc cor
Horridus iste labor: sed debilitata senectus
Terrebat, morbusque tumens, & pestifer hostis.
Nunc jam cedo equidem jussis, ac jussa facesso.
Tu tamen interea pariter, concordia fratrum,
Viribus infessis mecum partire laborem.

XII. *Itur ad Regem super Abbatis confirmatione.*

Hæc ubi dicta essent, verrat * fraterna potestas
Fratres ac socios proprio de corpore lectos,
Qui cum Patre simul noviter seniore recepto
Regis ad eximii super hoc decreta recurrant.
His quoque compositis pergunt, comitatur AARON
Primus ab his, misit sollers quos regia cura
Ad nostrum commune bonum sub tempore, quo nos
Improbus atque minax demum furialibus ausis
Monoceros jam cessavit terrere fugaces.
Solibus hinc etiam nonnullis rite relectis,
Venit ad occidua hæc eadem legatio rura,
Cæsaris antiqui supplex oracula poscens.
Tum namque occiduus Monachus & Presbyter alti
Regis ad adspectum prior invitatus Aaron
Progreditur, causasque viæ Fratresque venisse
Fuldenses, humili coram sermone patenter
Rege aperit, atque ante fores adstare reclusis
Quos cùm pro foribus Cæsar præsensit, ut intrent
Dicitur. at senior Fratrum stipante caterva
Intrans procidit ad genua, genibusque volutans
Unà cum sociis, vultum regnantis honorat.
Nec mora continuò, dextra innuit ipse nitenti,

Atque

Atque adſtare jubet. prior & ſic incipit ipſe.
O nati, fratreſque mei, lectique parentes,
Spes patriæ, noſtrique decus & gloria regni.
Vos horrenda nimis ante diſcrimina peſtis
Letiferæ urgebant. ſaltim nunc eruta corda
Erigite, mæſtumque metum ſecludite: veſtra
Regula quod doceat, intento corde tenete.
Ipſa eſt porta atque arta via, quæ ducit ad alta
Regna poli. contendite nunc intrare per illam:
Ut per eam modò currentes, veniatis ad illum,
Qui vos de tenebris miſerans & carcere cæco,
Non meritis, produxit in admirabile lumen.
Currite nunc, Fratres, vitæ dum lumen habetis,
Neu tenebræ vos præripiant. ante omnia pacem,
Veram pacem, inquam, ſine qua nec munus ad altar
Proficit adlatum, (neque enim poſſeſſio quemquam
Pauperibus profuſa juvat, nec Martyr ab alto
Judice dona tulit umquam) ſervate, monebo.
Hæc dicens aliaque ſimul longo ordine multa,
Quem vobis optaſtis, ait, producite Patrem
Fratres. Canitie ſubitò conſperſus Eigil
Porgitur in medium, conſtanti mente vetuſtus.
Regis ad Imperium propiùs proceſſerat ultrà.
Progrediens, quem ut conſpexit, Rex arduus infit:
Iſtene paſtor adeſt, quem omnis concordia Fratrum
Concors provehit, atque probat uno ore canoro? at
Regis ſuppliciter pauca legatio Fratrum,
Iſte eſt, ô bone Rex, nunc inclinata recumbit
In te ſumma eadem. tantùm decerne tenendum, ô
Spes noſtra noſtræque decus & gloria vitæ.

XIII. *Confirmatio Regis & inſtructio ejuſdem.*

Ecce ſenex iſte hic præſens, quem poſcitis adſtat.
Hunc habetote Patrem, hunc Fratres ſervate parentem.
Tuque tuos addiſce, Pater, ſervare minores
Omni cum ſtudio, inque vicem pia fœdera ſollers
Jungere ſemper ama; retro de pace ruentes
Corripe, ne pereant, ſuavi teducique ſalubri
Ad pacem tepedare doce. diſcretus in omni
Re quoque cauſidicus ſunto: quod condita norma
Communis doceat intento corde teneto.
Ecce ibi repperies fixum, quid paſtor ovilis
Prævius, atque tener quid dehinc poſt terga ſequens grex
Exſequitur operis, pariter qui paſtus obeſis
Lanigeris proſit teneris, qui congruat agnis.
Nec minùs ordine compoſito ſcrutator avarus
Quæ ægris debilibus maneat, quæ cura fovendis.
Hanc BENEDICTUS ovans ſacro ſpiramine plenus
Legem conſtituit, Monachorum rite magiſter,
Servandamque ſuis ſecum mandarat alumnis.
Hanc tibi nunc committo equidem, tu percipe normam.
Atque in ea totum, ô paſtor, ſub fœdere firmo
Cœnobium Fuldenſe, bona exhinc omnia circum

An. Chr. DCCCXXII Quæque loca ipsius jam decernoque tuenda.
Hæc ait, & Fratrum precibus Rex inclitus almis
Expertis, in pace simul dimisit abire.

XIV. *Revertitur per Moguntiam Pater Eigil.*

Post hæc inde means, sociûm comitante caterva
Iste Pater lætus gressum direxit ad urbem,
Quondam opulentam opibus, opere constructa vetusto
Apparet quæ namque super glacialis aquaï
Ripam Rheni: in quem fluitans turgentibus undis
*f. Nam (Non * parte ex alia castrum qua cernitur ingens,
Haud procul à ponte [a] sursum, quem sospite regno
Olim Rex KAROLUS fecit) prolabitur amnis
Mogoin, ex quo, ut fama sonat, Moguntia dicta est.
HAISTOLFO interea venit gratissimus hospes
Eigil Pontifici sacro Moguntiacensis
Ecclesiæ, condigno etiam susceptus honore.
Primùm ducitur ad templum, precibusque peractis
Præsulis occurrit subitò conspectibus, inque
Oscula pacis iens pronus, dignanter adorat.
Postquam consedere simul provectus uterque
Temporis ætate, pariterque in dogmate claro
Legis justitiæ Præsul, pastorque vetustus,
Adveniens prior urbis apex, sic incipit ore.
Nos, Pater, in primis laudemus Cunctipotentem,
Atque olli grates dignas dicamus ovantes,
Qui sibi nos proprio devotos munere vernos
Unà cum sociis sospes condnxit in unum.
Præterea te nosse decet, quæ pondera quondam
Quámque importuna temet pressere, tuosque
Consocios, indiscreto regnante tyranno, &
Maximè nunc, quia te voluit Regnator olympi
Notis præficere vigili tutamine mandris:
Ne quandoque, Pater, subjectos more prioris
Exagitans, ex his fortè indignatus aberres.
Non te decipiat falsa & fugitiva potestas
Sæcli pompiferi, nec te pomposa virago
Possideat. iram cohibe; fuge nomen avari;
Omnia fac cum consilio. sic Idida quondam
Basileos Solimæ repetens, sic Legifer ipse
B. Bened. Reg. cap. 3. Vester ait. & post factum te pœna reorum
Non eruciet, nec verba debinc tibi dira manebunt.
Consule quosque tuos, Pastor, pietate paterna;
Consule quosque tuos Fratres. quia sæpe minori
Optima quæque bona, rerum qui condita præsens
Inspicit Omnipotens, pandit, dignaque revelat.
Sæpe quidem stropha mentem confundit inanem,
Hostis perversi retrò feriente sagitta:
Aut ita subripiet, sensumque interpolat error
Humanum, quia nullus adest in carne manens vir,
Ut homo, qui numquam non falli possit in ista,

[a] De illo ponte ligneo quem Carolus Magnus super Rhenum ædificari jussit, quique supremo illius vitæ anno conflagravit, agunt Eginhardus & alii ejus temporis Annalistæ.

Quamvis magnificè ingenio quis polleat alto, AN. CHR. DCCC XXII.
Utque ille interdum, sophiâ quis acrior exstat,
Ingenio majorque manet, quid mente retunsa
Falsum concipiat. contra & quid rectius atque
Verius ille minùs sapiens meritique minoris
Cordis in hospitio interdum præsentiat. inde at
Nullus in hac vita positus, sit spes sibi, nec se
Consilii alterius tumidè non dicat egere;
Cujus judicium, etsi non Zabolica fallit
Gannatura *, tamen laqueos hinc inde tumoris *Vulpinus astus
Non facilè superat graviores. Hæc ita Patri
Commemorans, aliaque simul longo ordine Præsul,
Statim jussit adesse viros, qui rite ministrent
Undam, qui Cererem, Bacchum, mensasque reponant.
Ipse autem interea sacram spatiatur ad aram
Cum Clericis alta acturus modulamina Missæ.
Laudibus expletis Christi, venerandus honore
Præsul perspicuo patulam suscepit in aulam
Abbatem comitesque suos, manibus data limpha
Funditur, & coràm subitò fit mensa reposta,
Vate atque hospitibus, epulis onerata venustis.
His ita confectis, successit lectio sacra,
Quam Præsul solito tetigit summo tenus ore,
Interdum satians supera dulcedine cives.
Hac namque explicita mussabant ora virorum
Dulcia conloquia: resonans pax undique circum-
Fusa volat, penitus fit lætus in aula
Urbis apex, pastorque senex, cunctique minores,
Amborum quoque tripudio versantur in alto.
Hinc Pater iste pius, Fratrum gyrante corona,
Post epulas, post conloquia, post pocula læta
Summisso capite saltim divortia lætus
Nota petens, à Pontifice benedictus abibat.
Non multi fluxere dies, nec tempora multa
Præteriere, dehinc Fratrum genialis acervus
Cum Patre unde ierat, iterum remearat eòdem.
Ventus * namque senex famosi nominis Eigil *Veniens
Cum sociis digno primùm collectus honore,
Fratribus à propriis altam defertur in ædem,
Christi Martyr ubi comta requiescit in arca,
Quondam cum sociis telo sopitus acuto.
Hinc, prece completa, Monachorum conflua turba
In parte occidua templi seniore reviso
Statim prona ruit, Patrem de more salutat.
Qua resalutata, propiùs accedere contra
Namque jubet, pacemque iniens, atque oscula figens
Congrua; more Patrum pariter cum Fratribus ipse
Davidicæ subitò cecinit modulamina Musæ.
En quàm dulce bonum, Fratres, quámque ardua semper
Lætitia longè bilis rancore remoto,
Moribus in sanctis communem vivere vitam!
Hoc quoque carmine completo, divortia lassus
Abbas progrediens adiit optatus, euntem
Prosequitur turba mixtim, juvenesque senesque.

An. Chr. Inſpiciunt gaudentque ſimul, ardentque tuendo.
DCCC XXII. Illum namque diem Pater idem lætus in omni
Lætitia cunctis ſecum diſponit habendum;
Fratribus oſtentans penitus præcordia læta
Corporis effigie, lingua, vultuque micare.

XV. *Infecta baſilicæ opera peraguntur.*

Hic homo cœpit abhinc magno pietatis amore
Eccleſiæ mundare loca, pavimenta refundi
Conſtituit, quadrata locans altaria circum.
Fixerat in ſummo petris contecta politis
Arcubus idem RACHOLFO [a] dictante magiſtro
Et Monacho, Fratrumque ſimul ſine felle miniſtro.
Cujus te meminiſſe rogo, cunctoſque legentes,
Hoc opus ut Domini pietas requietis honorem
Ipſius animæ tribuat, lucemque perennem
Conferat. Ut dixi, hoc ipſo dictante magiſtro,
Arcubus atque interpoſitis hinc inde columnis
Binas magnificè erexit pulcro ordine cryptas.
Quarum prima quidem ſpectans intendit Eoum.
Ternis luminibus Oriens, ubi lucis ab axe
Signifero pluvia tempeſtateque ſonora
Disjecta primum radios ſol aureus orbi
Terrigeno ſpargit. unam quæ continet aram
Interiùs comtam, ſanctorum rite patronûm
Relliquiis, quos inferiùs ſubnectere mens eſt.
Nec minùs hoc ſpeleum capitis in vertice geſtat
Altare, ſanctus quod jam ſub tempore priſco
Conſecrat ipſe ſuo Bonifacius Omnipotenti,
Quæ ſuper addita ſunt, alii ſacranda relinquens.
Aſt aliud quoque nobiliter, ubi Martyr adeſt nunc,
In parte occidua conſtructum cernitur antrum,
Multum dives ope, interiùs ſpoliiſque piorum,
Ternis proſpiciens fixis poſt terga feneſtris.
Obſcuratus hinc atque hinc clauſiſque duobus
Solis ad occaſum, qua Phœbus more recepto
Mergitur in ſolitum vergens lux aurea callem,
Luſtrandoque rotat iterum tollendus in ortum.
Hoc ſummo in capite, duris præ viribus aram
Fortiter inſiſtens pedibus nam ſuſtinet, in qua
Chriſti Martyris eximii nunc membra locata
Cum ſociis quoque ſacra manent ſine fine beatis.

XVI. *Invitatur Pontifex ad dedicandam eccleſiam.*

His ita conſtructis, mox invitatur ab omni
Fratrum conſilio dignè Fratrumque parente
HAISTOLF ſacrandam Metropolitanus ad ædem.
Interea quoque fama volans, rumoribus altis
Excitat ad laudem Chriſti * multorum Chriſticolarum
Concitè corda pia, veniendumque: ecce repentè

[a] An idem RACOLFUS *Cancellarius*, qui litteras donationis à Waltone quodam Fuldenſibus factæ ſcripſit anno XXXIII regni Caroli Magni, in lib. 1 Traditionum pag. 516.

Non mora digreditur propria de ſede Sacerdos, AN. CHR. DCCCXXII.
Primùm progrediens Metropolitanus, & exin
Turba Sacerdorum, *Abbatum, Comitumque potentum,
Ordinis atque etiam gaudens hincque inde minotis
Ad tam magnificum & ſanctum ſub tempore feſtum,
Diſpoſitó, cum vi multa confluxit in unum.

CANDIDUS AD MODESTUM.

Perſpice nunc, Frater, quo non præſtantior alter,
Mentis luminibus, mecumque hæc numina firma.

XVII. *Dedicatur eccleſia, & tranſlatur corpus martyris Chriſti Bonifacii.*

Venerat alma dies radio inluſtrata coruſco.
Solis perpetui Præſul proceſſit ad aulam
Sacrandam; tunc relliquiæ tolluntur in altum
Condendæ interiùs. præceſſerat ordine claro
Pontificalis apex, rubra vexilla triumphi
Regis magnifici pariter tolluntur in auram;
Luminibus roſeis aptè ſtipata deinde
Turba Sacerdotum, Monachûm, Comitumque potentum.
Ordinis atque etiam clamans poſt terga minoris
Conſequitur, Chriſtumque vocans ter voce tonantem.
Invitatur enim Chriſtus virtute potenti,
Ipſaque ſancta Dei genitrix, virgoque MARIA.
Compellantur in auxilium cæleſtia votis
Agmina, Sanctorumque dehinc exercitus omnis.
Cumque etiam his precibus ternos expleverat orbes
Præſul, & ipſa ſequens pariter læto agmine turba
Protinus ante oculos plebis, ora que virorum
Regi virtutum, Regis præcone jubente,
Victorique Deo patuerunt limina templi.
Ingreditur Præſul divino numine ductus,
Preſbyterique ſimul intrant aræque miniſtri,
More ſuo interiùs acturi juſſa potentis.
Importantur enim lætis vallata choreis
Sanctorum ſpolia. exteriùs nam cætera turba
Inſiſtens precibus, altis excluſa reſpectat,
Donec cuncta bonus famulis altaria Præſul
Conſecrat altithroni Regis præſentibus abſque
Quinis, quæ mihimet iterum memoranda relinquo.
Protinus interea rurſus, lictore jubente,
Panditur alta atque alma Dei domus omnipotentis.
Inruit agmen ovans plebis, ſubitò quoque ſemet
Inque vicem valvaſque intrò preſſere ruendo.
Dextram namque tenet dextra, inducitque virum vir,
More laïcorum porgentes baſia buccis.
Hinc ſopito etiam & turbis clamore remoto,
Eccleſiaſticus hinc atque inde collectus in unum
Martyris ad tumbam extimplo convertitur ordo,
Quæ tunc noſcitur in medio conſiſtere templo.
Plebs quoque teſtis adeſt præſens, fit teſtis & ipſe
Conditor omnipotens, qui majeſtate perenni

An. Chr. DCCCXXIV Semper ubique manet, ejuſque exercitus omnis,
Quòd eadem ipſa hora adventus tunc numinis alti,
Qua rapitur Chriſti Martyr de ſede priore,
Perſpicuè in ſacra multis innotuit aula.
  Præſulis interea inſiſtit veneranda vetuſtas
Haiſtolfi precibus, Chriſti ſolamina poſcens,
Ut opus incœptum divino munere ſacrum
Cum ſociis ſacro poſſit concludere fine.
  At poſt hæc propiùs Chriſti tutamine fretus
Idem Præſul iens, tolli venerabile corpus
Inſtruxit: levat ipſe prior, hunc voce valenter
Hymnum magnifico laudis nidore refertum
Gignentis, genitique ſimul, ac ſpiritus almi.
  Te ergo Deum laudamus, te Dominumque fatemur,
Te genitorem perpetuum terra veneratur.
Cuncta tibi angelicus adſtans mirabilis ordo,
Namque poli cunctæque poteſtates venerandæ,
Cherubin quoque Seraphin pariterque verenter
Jure tibi ſoli inceſſanti voce reclamant:
Sanctus, ſanctus, ſanctus enim Dominus Deus unus
Sabaoth. cæli magna tellusque teplentur
* l. Dorâ Donâ * perpetuæ majeſtatis: quoque temet
Cœtus apoſtolicus pollens, atque inclitus ordo,
Teque Prophetarum numerus laudabilis, æquè
Te nitidus teſtûm laudat exercitus ardens.
Ecclefia te ſacra canit diffuſa per orbem,
Majeſtatis enim Patrem immenſæ venerandum,
Atque tuum proprio verum de pectore Natum,
Sanctum nam Paracletum æquali numine flatum.
Tu doxæ Rex ac lucis, lux ardua Chriſtus.
Tu genitoris es æternus ſine tempore natus.
Tu hominem ſuſcepiſti mundum ad liberandum,
Virginis atque uterum non horruit alta poteſtas.
Devicto mortis ſtimulo tu victor ubique
Fidis, nam miſerans reſeraſti regna polorum.
Tu Patris in dextra regnas virtute perenni,
Deſuper adveniens certus namque arbiter orbis.
Te petimus proni, proprios defende colonos,
Mundi quos proprio redemiſti ſanguine Soter.
Salvum fac populum hoſtis de fauce reductum.
Atque tuam dignare, Deus, benedicere ſortem.
Auxilioque tuo Rege ſublimato per ævum, &
Omni quippe die temet benedicimus altè.
Laudamuſque tuum cuncta per ſæcula nomen.
Hacce die nos, Chriſte potens, dignare tueri,
Neu nos commaculent ſpurcæ contagia vitæ.
O noſtri miſerere, Deus, noſtri miſerere,
Sitque tua circa noſmet miſeratio larga,
Corde quidem fixo veluti confidimus in te.
In te, ſumme Deus, ſpero, non turber in ævum.
Hunc hymnum ſubitò trepidus ſuſcepit ab ore
Pontificis fortè ſimul eccleſiaſticus ordo,
Altithrono cantans altò modulamine laudem.
  Nam feretrum loculi, ſacta quo Martyris almi

Membra inclusa jacent, in prima fronte gerentes — AN. CHR. DCCCXXII.
Ambo graves, amboque senes, HAISTOLFUS & Eigil:
Scilicet à tergo pariter Monachusque Sacerdos
ERCANBERCTUS Baugolfi germanus, & Abbas
THEOTGARIUS: BRUUNWARQUS [a], simul HRabanus & ipse
Presbyter & Monachus, multorum jure magister.
Ibant æquati numero, Christumque canebant.
Cumque quibus admixta pars hinc atque inde piorum
Presbyterûm, turbaque premens cum lumine circum,
Vi multa loculum gaudet contingere dextrâ.
Regia quippe via pannis candentibus apté,
Regis perpetui magnum quæ ducit ad altar,
Strata fuit, illuc idem, quos ipse Sacerdos
ERCANBERCTUS ovans Christi devotus amore
Martyris exhibuit, ostro peplumque rigentem
Insuper accumulans auxit per seque, suosque.
His ita perceptis gressum porrexit ad aram
Pontificalis apex, magno comitatus honore,
In parte occidua Romano more peractam.
Elevat interea populari voce repentè
Advena plebs Kyrie eleison; fit clamor ad astra.
Christicolis ardent penitus fervore recenti
Numinis infusi. verùm, mirabile dictu,
Tu scis non solito laudis vox omnibus æqua
Efficitur, lacrymas profundunt gaudia mentis:
Lætitiæ lacrymæ, & cantus miscentur in unum.
Hinc aliud cecinit simili moderamine carmen
Sors Domini, magna laudis dulcedine plenum,
Gignentis genitique simul ac spiritus almi
In celsis Domino gloria magno
Voti sitque boni terrigenis pax:
Laudamus quoque te, & sanctificamus
Propter magnificum & decus altum.
Hæc tam quippe diu celsæ jubilatio vocis
Personuit, donec saxoso membra sepulcro
Includunt, clausaque dehinc pausanda relinquunt:
Hoc namque occiduæ Martyr tumulatus honore,
Altithroni Regis comta jacet altus in ara,
Absida quam super exstructa namque imminet ingens:
Quámque egomet, quondam hac Christi nutritus in aula,
Presbyter & Monachus BRUUN vilisque magister,
Depinxi ingenio tenui, parvaque Minerva
Formans expressi varios ferrugine vultus.

XVIII. *Supplicatio Pictoris & Poëtæ.*

Cujus quemque rogo meminisse legentem
Hoc opus, orando Dominum pietatis amore
Ut scelerum veniam fidens mereatur ab illo,
Qui non vult quemquam peccati morte perire:
Sed magis ut rediens vivat virtutibus almis.

[a] Forsan Bruuvvardus Chorepiscopus, ad quem exstat HRabani poema 15. Brovverus putat ipsummet fuisse Abbatem Hersfeldensem, Lamberto memoratum ad annum DCCCXXVI. Theotgarius cujus loci Abbas fuerit, Fritislariæ an Cœnobii sancti Albani, mihi non liquet.

An. Chr. DCCCXXII. His quoque parratis summæ celebratio Missæ
Laudibus intonuit dignis: quâ rite peractâ
Lassi cum sociis, mulra crepitante caterva,
Haistolf atque Eigil ducti sub tecta recurrunt
Mœnibus en altis Præsul convivia lætus
Pastor & ipse simul: utrorumque inde minores
Mox adeunt, Patris celeres tum fortè ministri
Dona ferunt Cereris multo sudore canistris.
Quæsita ast alii vario nidore respersas
Instant ferre dapes; alii namque inclita vitro
Ordine composito miscebant pocula Bacchi.
Nec minùs intererat epulis simul alma paternis
Lectio. namque cibus fortis solidusque vitorum,
Intentos satians superi pinguedine verbi.

XIX. *De crastina dedicatione & reliqua.*

Crastina cumque dies fuscas dimoverat alas
Noctis, & umbrifera nebula concederat arvis;
Evolat hospitio solis jam luce retecta,
Cum sociis jussus Humberct Corepiscopus antra ad
Ecclesiæ sacranda duo, quæ luce reliquit
Hesterna Præsul. primum quod spectat Eoum,
Pontificis vice, rigido conspectus in ostro,
Adgreditur spelcum saltim. quo nempe sacrato
Uno cum titulo, simili mox ordine sacrat
Solis ad occasum spectans, quod respicit antrum.
Excipiuntur enim infecta hinc altaria bina.
Unum qua Martyr media testudine templi
Antè fuit, aliud qua Styrmi corpore quiescit
* f. Bonifacia Ac digna Liobgid pausans Bonifacio * neptis;
Sola jacet busto mulierum sorte sepulta.
Quæ rediens uno Jacobi simul atque Philippi
Cum titulo Præsul venturo dedicat anno.
Ut liceat dictis summam comprendere paucis,
Hanc aulam Haistolf Præsul Moguntia censis
Ecclesiæ Christi primævis miles ab annis,
Cum magno studio ac magno pietatis amore,
Insuper & magno Sanctorum sacrat honore,
Ordine prædicto complens promissa petenti.

XX. *Commemoratio HRabani magistri & operis ejus.*

Hujus nempe diem numerumque ac tempus & annum,
Officia pariter, Sanctorum & nomina partim,
Quem suprà tetigi, HRabanus jure magister
Versibus obtitulat, partim sermone tetexit.
Panso equidem cujus nunc hic ex ordine dicta
Florigera huic operi dignum infigenda putavi:
Quatenus in libro hoc memori narranda relatu
Inlæsa intactaque simul serventur in ævum.
Hæc tibi, Frater mi, coram sollemnia præsens
Ut vidi, ut sensi, ut super hæc addiscere quivi,
Versibus exposui: jam nunc hic limite facto,

Quæ

Quæ ſuperaddita ſunt, aliis ſcribenda relinquo. AN. CHR. DCCCXXXI.

XXI. *De ædificatione baſilicæ rotundæ, & deſignatione ejuſdem ſtructuræ.*

Hæc ubi facta at ſunt, inſtat prudenter ubique
Sedulus addiſcens communis gaudia vitæ
Eigil, ſubjectis facto connexus amore,
Frarrum conſilio, parvam qua corpora Fratrum
Hinc defuncta jacent devotè namque rotundam
Condidit eccleſiam, latitans qua pervia crypta
Sub tellure latet, unâ quæ rite columnâ
Incipit, ac ſuprà octonis ſubrecta columnis,
Præpulcrè in ſummo lapide concluditur uno.
Hoc opus hoc etenim divino munere docti
Paſtor, & ipſe ſimul infantum Doctor * honeſtus
Cum ſociis jaciunt alto ſinuamine mentis,
Neſcio quid magni fingentes arte fecunda,
Quod tamen ipſe reor, ſalva menteque fideque,
Iſtius Eccleſiæ & Chriſti præferre figuram.
Templum quippe Dei ſanctum eſt, quod Paulus apertè
Chriſticolas eſſe Chriſti vas perſonat ipſe.
Cujus tecturæ princeps & conditor adſtat
Arbiter ipſe Deus, fundamentumque, columna
Inconcuſſa manens ſemper virtute perenni.
Qua fidei merito nunc hic plebs advena Chriſto
Subrigitur, templumque Deo congleſcit * in almum. * coaleſcit
Quod verò in ſummo lapide concluditur uno,
Edocet ipſe monens, intenta mente rogandum
Egregius Doctor, ut qui virtute potenti in
Nobis cœpit opus placitum, dignetur in altum
Perficere JESU, donec manifeſta micando,
Ac famoſa dies Chriſti procedat in orbem.
Octonæ interiùs ſtantes hincque inde columnæ,
Totque beatitudinibus aptantur, ut aptè
Quique quater bina hæc complentes dicta Tonantis,
In hac æde Dei fulcra mereantur haberi.
Circulus eccleſiæ qui nullo fine rotundus
Clauditur; interiùs complectens commoda vitæ,
Spem quoque vitæ perpetuæ regnumque perenne, ac
Præmia manſura poſt hanc ſignare videtur,
Vitam quîs juſti meritò vincantur * in ævum.

XXII. *De ejuſdem eccleſiæ dedicatione, quam cimiterium vocant, &c.*

Hoc igitur templum Domino quod condidit almo
Impiger ille ſenex, Metropolitanus ab urbe
Digrediens Haiſtolff, Turingea rura petendo,
Tempore diſpoſito cum ternis dedicat aris.
Cujus & ipſe ſimul infantum Doctor opimus,
Quem ſæpe poſui, dignè, docteque, pieque
Officii numerum, tempus, annumque diemque
Cum Sanctis reliquis varia complectitur arte.

HRabani verſus & proſam hac de re habes in lib. 2. Antiquitatum Fuldenſium cap. 7.

AN. CHR. DCCCXXII.

XXIII. *De claustri structura, & infirmitate Abbatis.*

Ast opus ecce novum senio depressus acerbo
Exorsus, tandem subitò fit mentio claustri.
Consilium subeunt quidam, dant more prioris
Constitui. ast alii depromunt more Romano
Solis ad occasum satius, ubi Martyr opimus
Ponè jacet. huic consilio cessere priores,
Atque huic suppliciter consensit cætera pubes.
Quidnam plura loquar? statim mensura laboris
Tenditur, effossoque solo fundamina ponunt.
Fervet opus, animosque simul viresque ministrat
Cunctis par cura, atque operis concepta voluntas.
Quod tamen infectum post se compleverat alter.
Protinus interea magni discrimine morbi
Corripitur, cessitque citò violentia lassis
Artubus. increpuit mussans concordia Fratrum
Cum gemitu Patris inviso perterrita morbo.
Et tamen ille sibi collectis viribus ipse
Corporis hospitium tenui virtute dehiscens,
Primus namque aperit, propriis manibusque reclusit.

XXIV. *De obitu & sepultura, & epitaphio ipsius.*

Hinc magis atque magis fervet, mortemque minatur
Effera vis morbi, tandemque urgente dolore
Ductus ad extrema est, sistitque in limine letum.
Quem circum glomerati omnes, hinc comminus atque hinc
Namque senes juvenesque adstant; prex alma refertur
In commune Deo cari pro flamine Patris.
Tum Fratrum precibus saltim commenditus [a], ac sic
In lectum moriens lassos protenderat artus,
Undantemque animam superas proflabat ad auras.
Hoc obitu concussi animo, altusque per omnes
It gemitus, queritantur hic genitoris amissa
Gaudia. sed hujus gerere quod * namque potes vir; *quid
Cum sua cuique dies atque inreparabile tempus
Certum jure manet: Solita sic lege priorum
Hic obiit, aliisque loca hæc tutanda reliquit.
Exin more Patrum Fratres mox quippe cadaver
Exanimum templi orantes sub tecta ferebant.
Inde interque manus sibimet, quem fecerat ipse,
Poscentes requiem, tumuli sub domate condunt.
Cujus epitaphium celebri cum dogmate jam tunc
Versibus expressit noster HRabanus ovando,
Et Pater & Pastor, meritis & dogmate celsus.

Commemoratio cari Patris & Pastoris.

Cernis quàm nihil est, cernis, mi Frater amate,
Sæcli fluctivagi vana & peritura potestas.

a Barbarè pro *commendatus*, eum ad modum quo Alcuinus utitur voce *commendite* pro *commendate* in epigrammatis 124, 164, 167.

An. Chr. dccc xxii.

En jacet obtectus tumulo, quem plurima quondam
Turba senum juvenumque simul stipata togebat.
Sed licet ad præsens careat affectibus istis,
In Fratrum precibus semper lætatur honestis.
Hæc nam conditio misera, diraque sub aura
Condita fama * manent cunctis mortalibus ægris.
Hanc legem jure primi meruere parentes,
Unius ob culpam hanc Reges procerésque potentes,
Dives, inops; dominus, servus; contractus, egenus;
Insons, sonsque capit; nec habent discrimina finem.
Letifera hæc rapidus usque dum fortis & ardens
Ultimus ille dies nebulæ clangoris & iræ
In commune rapit totum sub tartara mundum.
At Pater hic genitale solum, patriamque parentes
Infans postposuit, Buchonica rura petivit.
Justitiæ gradibus paullatim providus, hicce
In hac æde locum divino munere celsum
Promeruit; nulli veterum pietate secundus.
Hunc ita nutribat geminis discretio mammis
Mater virtutum, summo sit gratia Christo,
Ut nec sponte suos umquam terrore videntes
Præciperet, nec ab his umquam contetritus iret.
Auribus admitti sprevit prudentia Patris
Frivola vaniloquum: nec huic insomnis & atra
Suspicio, incautos torquet quæ maximè quosque,
Prævaluit. sed nec facilè commotus in ira,
Dira & flammivoma mentis incendia promsit.
Hic acies geminas flectens divertit & aufert,
Hostis pestiferi prorsus neu vana viderent.
Pænituit altè, si quem conspexit inertem
Vela dare, nimiumque fugam, tetrumque timorem.
Ipse sui blando sæpe compescuit ore.
Hinc etiam sopita fuit hincque inde maligna
Infausta genitrice sata discordia proles.
Nec poterat exhinc Fratrum concordia rumpi.
Hujus strenuitas Fuldensis Cœnobii res
Non tulit in partes rapere, nec torva potentum
Lumina, nec procerum tumidos horrebat honores.
Noxia quæque vetans, vetuit sed maximè fures,
Insequitur pansaque mala, constanter agendo.
Cacopragmones * hic ritè procul expulit à se.
Hic decus, hic nostræ fautor & gloria vitæ
Exstitit, hic operis nostri nostrique laboris
In hac æde Dei salubri cum dogmate Noe.
Hujus te meminisse rogo, cunctosque legentes,
Hoc opus, ut Domini magna & miseratio larga
Hunc in perpetua requie conservet in ævum.

* f. fata

* Malefícos

APPENDIX.

In qua refertur Eigilis epitaphium duplex, & libellus supplex à Monachis Fuldensibus Carolo Magno porrectus.

1. Oc loco referre juvat Eigilis Abbatis epitaphium duplex, unum à HRabano, alterum ab ipso Eigile compositum. Candidus utrumque exscripsit, & HRabanicum quidem cum hoc titulo:

Epitaphium Eigili Abbati ab HRabano dictatum.

Ingrediens, lector, perparvi domatis antrum,
   Cerne legens titulum, nosceque fata viri.
Abbas iste fuit famosi nominis Eigil,
   Qui jacet in tumulo, sed super astra manet.
Hoc quoque Cœnobium rexit feliciter ipse,
   Multaque facta bona rite peregit ovans.
Martyris ergo sacra cum Præsule transtulit ossa,
   Ac binas pariter has dicat ecclesias.
Post hæc alta petit, animamque ad sidera misit,
   Corporis infirmi membra locavit & hic.
Huic quoque HRabanus, vilis successor, amando
   Conscripsi hunc titulum. Christus utrosque juvet.

Alterum condidit Eigil ipse ad modum epitaphii Damasi Papæ, quod itidem retulit Candidus, prout sequitur.

Versus quos ipse Abbas Eigil dictaverat sibi.

Abbas hîc Eigil tumulatus sorte quiesco,
   Qui dudum multis notus in orbe fui,
Hîcque mea parvo clauduntur membra sepulcro,
   Quod vivens ipse construere studui
Hîc Dominum exspecto, qui solvet vincula leti:
   Cùm veniet, credo, surgere me faciet.

2. *Addam etiam libellum supplicem, quem fervente Ratgarii schismate Fuldenses Monachi obtulerunt Carolo Magno. quod egregium antiquitatis monumentum illustrandis tum Eigilis Abbatis, tum monastici Ordinis rebus non parum conducit. Exstat in lib. 2. Antiquitatum Fuldensium cap. 15 modo subjecto.*

SUPPLEX LIBELLUS

Monachorum Fuldensium CAROLO Imperatori porrectus.

Hæc quoque Cœnobium totum Fuldense rogavit
   Augustum Carolum jura novare sibi.
Quæ cuncta honesta censebat Cæsar opimus,
   Et votum precibus jussit inesse piis.

IN primis petimus pietatem tuam, clementissime Imperator, quòd liceat nobis orationum, psalmodiæ & vigiliarum modum tenere, quem patres nostri habuerunt pro amicis nostris viventibus atque defunctis, id est quotidianam precem pro te, Domine Auguste, & pro liberis tuis, & pro omni populo Christiano. Quam mane quando in unum convenimus, & capitulum de Regula coram Fratribus legebatur, exsurgentes post lectionem, ter versum, *Deus in adjutorium meum intende*, adjuncta *Gloria Patri*, cantantes flexis genibus Psal. 1 cecinimus, simul cum Versibus & Collecta. In secunda quaque feria uniuscujusque septimanæ, orationem pro omnibus

eleemosynas nobis tribuentibus, id est eundem Psalmum L, quem tota congregatio, juxta corpus B. Martyris simul prostrata, cantavit, cum oratione Dominica, & versibus. Pro defunctis ergo Fratribus nostris commemorationem illam, quam quotidie bis habuimus, id est post matutinam celebrationem & vespertinam, quæ est Antiphona videlicet *Requiem æternam*, & prima pars psalmi, *Te decet hymnus Deus*, Versus & Collecta. In Kalendis verò omnium mensium, unam Vigiliam & L Psalmos. Pro Sturmi quoque Abbate & fundatoribus Monasterii istius, in anniversaria obitus die, unam Vigiliam & unum Psalterium; per singulos annos. AN. CHR. DCCCXXII.

II. Quòd Presbyteris concedatur Missas sæpiùs celebrare, & quòd spatia eis ad hoc dentur, sicut a majoribus nostris dabantur. Quodque illi ad sacrum Ordinem eligantur, qui eruditi sint verbo, & sancta conversatione probati: & nec fures, nec scelerati, & qui sacerdotis juris penitus ignari sunt.

III. Ut Sanctorum honor & festivitas non deteratur, sed in Vigiliis & Missis eorum digna commemoratio fiat: & quod in his festivitatibus, quibus major veneratio convenit, Fratribus ab opere ad lectiones & psalmodiam vacare liceat, sicut apud majores nostros licitum est: id est in festivitate S. Mariæ, & XII Apostolorum, S. Stephani & S. Laurentii, & ceterorum, quorum memoriæ apud ecclesias Germaniæ celebres fiunt: necnon & eorum, quorum corpora in his regionibus habentur.

IV. Quòd communicationem fracti panis ante cibum quotidie sumere non respuatur, secundùm exempla præcedentium Patrum.

V. Quòd infirmorum major cura sit & miseratio, senum videlicet & debilium; neque penuriâ victus affligantur, neque vestitûs paupertate contristentur; & nec ineptiis aliquibus vexentur; ita ut nec baculum eis pro sustentatione ferre liceat, nec ad inclinatorium, quod nos formulam dicimus, morando hærere: quia cæcus & claudus non possunt sine sustentatione baculi bene incedere; nec decrepitus sine formula genua flectere. Hoc rogamus, ut tales propter fastidium de Monasterio non ejiciantur, ne fortè in cellis sub laicis constituti, sine Confessione & necessario vitæ Viatico moriantur.

VI. Quòd omnibus ad Monasterium vitæ hujus amòre venientibus pietas congrua impendatur; & nec infirmi, neque seniores, neque delicati duritiâ angustientur, sed omnes cum misericordiâ suscipiantur; & solatium, quod petierint, honestè infirmitati eorum impertiatur.

VII. Quòd nullus ante probationem suscipiatur, neque corpori Monasterii sociëtur; ne fortè aliquis magis propter commoda terrena, quàm propter æternæ vitæ amorem se Monasterio sociare voluerit; & receptus, inhonesto suo more conturbet Fratres.

VIII. Ut nullus propter pecuniam vel possessionem terrenam, fictis suasionibus seductus, & blanditiis deceptus, postquam in Monasterium susceptus fuerit; & non habens quod sibi promittebat, tristitiâ & pœnitentiâ sæculi pereat; sed veritas unicuique ore proferatur, & opere impleatur.

IX. Quòd nullus vi Monachus fieri cogatur, nec ad Clerum tondeatur, sive liber sit, sive servus: quia tales in Monasterium suscepti, auctores sunt scelerum, & exsecutores vitiorum.

X. Quòd victum & vestitum, sicut majores nostri nobis constituerunt, habere liceat: quia primus Abbas noster Sturmis in monasterio S. Benedicti per annum conversans, huc postea rediens, secundùm electionem S. Bonifacii habitum eorum & victum dijudicantis nobis istum constituit, cujus rei plures adhuc testes supersunt.

XI. Quòd commune magisterium à Decanis & Præposito omnibus Fratribus fiat; quia hæ divisiones, quæ modò factæ sunt, occasiones sunt scandalorum, dissensionum & contradictionum. Credimus enim propter pacis caritatisque custodiam expedire, secundùm priorem constitutionem committiet Fratribus Decanos omnes constitui, ut communis cura cautelam præbeat, & dilectionem impendat.

XII. Ut ædificia immensa atque superflua, & cetera inutilia opera omittantur, quibus Fratres ultra modum fatigantur, & familiæ foris dispereunt; sed omnia juxta mensuram & discretionem fiant. Fratribus quoque secundùm Regulam, certis horis vacare lectioni liceat, & item certis operari.

XIII. Quòd peregrinorum susceptio & lavatio in eis pedum non negligatur, sed secundùm Regulam, & secundùm priorum nostrorum consuetudinem, quandocumque venerint, misericorditer suscipiantur, & ab omnibus Fratribus lavatio pedum eis exhibeatur.

XIV. Quòd hospitalitas antiqua non obliviscatur, sed omnibus hospitibus congruus honor & omnis humanitas exhibeatur. Quando autem plures simul advene-

An. Chr. DCCCXXII. riut, ut in Missa S. Bonifacii, consolatione undique facta, ab his qui Cellas provident, omnibus refectio præbeatur.

XV. Ut privata negotia, & sæcularia beneficia, & divisio possessionum atque agrorum, in ipso Monasterii loco non fiant: quia inde exoriuntur jurgia, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, inimicitiæ, dissensiones, invidiæ, furtivæ comessationes, & ebrietates; & pæne omnia mala, & saluti nostræ contraria. Sed omnes agri atque Cellæ in communi omnium Fratrum fiant, & omnes homines, qui in eodem Monasterii loco habitant, ab uno vestiario vestitum accipiant, prout Præpositus sive Cellarius dispensaverint; nec mercimonia aliqua ab aliquibus ibi ventilentur, sed sint omnia omnibus communia.

XVI. Ut ipsa Monasterii ministeria per Fratres ordinentur, id est pistrinum, hortus, braciarium, coquina, agricultura, & cetera ministeria, sicut apud decessores nostros fuerunt. quia devotiùs & digniùs per Fratres omne exercebitur officium, quàm per laicum aut servum malevolum.

XVII. Quòd malitiosæ & furiosæ mentis homines, & ad cuncta flagitia perpetranda promtissimi, non colligantur intra Monasterium, sicut factum est de illo homicida Clerico, qui Monachum interfecit; qui, contra omnium Fratrum voluntatem & consensum, locatus est in Monasterio. quia timemus, ne fortè cognati ipsius Monachi diabolica suasione in ultionem ejus inflammentur, & homicidium augeatur. Quódque ipsi, qui propter scelera sua & improbitates inter sæculares esse non poterant, in vicina Monasterii loca gregatim non collocentur: quia furto Monasteria deprædant, & proxima quæque loca latrociniis infestant.

XVIII. Quòd ipse Abbas corrigatur, ne institutis S. Bonifacii detrahat, dicens, quòd decreta ejus Synodus damnaverit; & quòd Majores & cetera Monasteria non reprehendat, quasi regulariter non vivant.

XIX. Ut Crucis gloriatio in singulis diebus Dominicis fiat ante Missam, Fratribus omnibus circa vicina quæque loca Monasterii Crucem sequentibus, Hymnos & Antiphonas cantantibus, sicut apud Majores nostros usus erat, in diebus Dominicis, Passionis & Resurrectionis Domini gloriam celebrari. Et quòd in diebus jejuniorum ab Episcopo decretis Crucem portare, & Litanias facere liceat.

XX. Hoc igitur, quod maximè nobis necessarium esse judicavimus, præ omnibus optabamus; id est unitatem & concordiam cum Abbate nostro habere, sicut cum anterioribus nostris Abbatibus habuimus; & misericordiam & familiaritatem, pietatem & modestiam in illo sentire: & ut esset benignus infirmis, propitius delinquentibus, affabilis Fratribus, mæstorum consolator, laborantium adjutor, benevolorum auxiliator, bene certantium hortator, lassorum refocillator, cedentium sustentator, cadentium restaurator: omnes Fratres amaret, nullum odiret, & nullum zeli vel livoris dolo persequeretur: fieretque non turbulentus vultu, non anxius animo, non nimius in judicio, non obstinatus in consilio, sed hilaris facie, lætus mente, discretus in opere, consentiens in utilitate: & quando aliquis de Fratribus præoccupatus fuerit in aliquo delicto, non statim tyrannicâ vindictâ illum excruciaret, sed misericordi disciplinâ corrigere festinaret; conversumque clementer susciperet, nec prava suspicione denuo illum fatigaret, neque perpetuo odio exterminaret.

His & talibus, Domine Imperator, apud priores nostros Abbates usi sumus; & de hoc istum Abbatem sæpissime rogavimus, sed usque in præsentem diem impetrare non potuimus.





DE VISIONE ET OBITU

VVETINI MONACHI AUGIENSIS LIBELLUS,

An. Chr. DCCCXXIV. Oct. XXXI.

Wetino ipso referente scriptus ab Hettone ex-Abbate Augiensi, & Basileensi ex-Episcopo.

Ex duobus mss. Puteano & Besliano.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *De viso sive de somnio* Wettini *seu* Guetini, *Augiensis in Alamannia Monachi, hec habet Hermannus ejus loci Cœnobita ad annum* DCCC XXIV, *quo id contigit.* Augiæ Wettinus Monachus, è corpore ductus & reductus, post triduum obiit: cujus visiones Hetto Episcopus prosâ, & Walafridus heroïco metro scripsit. *Walafridi carmen typis mandavit Henricus Canisius in antiquarum Lectionum tomo 6. Hettonis seu Hettonis prosaïcum opus, nusquam antehac editum, è duobus codicibus mss. eruit, ac mihi liberaliter concessit vir eximiæ eruditionis & humanitatis* Stephanus Baluzius, *Bibliothecæ Colbertinæ Præfectus: qui beneficium in me suum etiam ornare dignatus est eleganti epistola, quæ observationum mearum hoc loco supplebit vicem.* Scriptores duo. Hetto primus.

Cl. & Erud. viro Ioanni Mabillonio, Monacho Benedictino,
Stephanus Baluzius *Tutelensis*
S. P. D.

Teneritudo religionis, V. C. maximum ac potentissimum credulitatis nostræ incitamentum est. Erat sæculum Ludovici Pii pronum ad pietatem, signorum ac miraculorum avidum, tum sacrarum reliquiarum comparandarum cupidissimum, visionum denique ac revelationum & amantissimum simul & feracissimum. Testis liber revelationum Audradi, testis visio Bernoldi Presbyteri, tum etiam Presbyteri Anglicani, quæ refertur ab auctore annalium Bertinianorum; testis denique, ne singulas commemorare frustra coner, hæc visio Wettini Monachi Augiensis, cujus exemplum ad te mitto descriptum ex duobus antiquis codicibus manu scriptis bibliothecæ regiæ: quorum unus fuit Claudii Puteani Senatoris Parisiensis, alter Joannis Beslyi Pictonis, virorum, ut scis, eruditissimorum.

Auctorem istius opellæ Hettonem Abbatem Augiensem facit Walafridus Strabus, qui Wettini discipulus & auditor fuit, quique eam posteà reddidit versibus hexametris, penè verbum è verbo ponens è prosa oratione in poëmate. Sed tu tamen, E. V. hinc putabas dubitari meritò posse, an hæc esset genuina Hettonis scriptio, quòd in initio poëmatis Strabi, quod ex narratione Hettonis sumptum dicitur, bene multa legantur ad historiam Augiensis monasterii pertinentia, quæ in codicibus regiis non extant. At ego deprehendi Strabum non adeo severè functum esse officio interpretis, quin paraphrastem etiam ac poëtam aliquando se esse meminerit. Quo fit ut existimem priorem poëmatis partem,

An. Chr. DCCCXXIV. Oct. XXXI. quæ necessaria non erat in simplici narratione, additam à Strabo fuisse poëtarum more, qui situm & antiquitatem locorum ut plurimùm describunt, in quibus res actæ sunt quas illi scribere meditantur.

Fuit ista visio omnium quæ seculo illo evenerunt & celeberrima & acceptissima. Statim credita, statim per universas Francici imperii nationes sparsa ac vulgata est. Hincmarus Remensis Archiepiscopus eam se legisse refert in epistola de visione Bernoldi Presbyteri. *Sed & tempore Domni HLudovvici Imperatoris*, inquit, *ætate nostra cuidam Vvitino viro religioso revelata relegi.* Ratpertus in capite nono de origine & casibus monasterii sancti Galli, dum recenset catalogum librorum ejusdem monasterii, in uno illorum descriptas fuisse docet *Visiones Vvetini & Baronti*. Penetrasse in Aquitaniam hinc manifestè colligitur, quòd inserta reperitur Chronico Mallcacensi in codice Beslyano. Tanta autem ejus auctoritas fuit, ut & Monachi sancti Vincentii Metensis in societatem gloriæ postea venire voluerint. Hoc enim est initium istius Visionis in codice Puteanico, qui fuit hauddubie sancti Vincentii Metensis: *Visio Guetini, priùs Canonici, postea monachi, quam ostendit illi Deus per Angelum, & nos fratres ejus ipso narrante scripsimus, servi sancti Vincentii Mettis.*

Contigisse ista anno DCCC XXIV docent Strabus & Chronicon ms. Willelmi Archiepiscopi Moguntini. Epidannus tamen obitum Wetini retulit ad annum superiorem. Verùm ea res tanti non est, ut cujusquam criticen, nedum tuam, V. E. exercere debeat. Facile porro esset illustrare hanc narrationem, quæ plurimum habet historiæ reconditioris illorum temporum. Tuæ prudentiæ erit æstimare quid facto opus sit. Interim bene vale, non solùm mente, quod semper facis, sed etiam corpore, quod & imbecillum habes & tenuissimum, meque semper ama tui nominis tuæque famæ studiosissimum. Lutetiæ Parisiorum XI Kal. Jul. M DC LXXIII.

2. *Hactenus eruditissimi viri epistola, quæ planè illustrat Hettonis lucubrationem, Vvetino referente scriptam ab Hettone, Dominico die trigesimo mensis Octobris anni* DCCC XXIV. *Hanc Vvetini Visionem postea* ipso narrante, *hoc est ex ipsius Vvetini narratione Hettoni facta, exscripserunt Cœnobii sancti Vincentii Monachi Mettenses.*

Walafridus alter scriptor. 3. *Anno sequenti, id est anno* DCCC XXV, *rogatu* GRIMOALDI *Archicapellani, postea Gallensis Abbatis, Vvalafridus Hettonis prosaicam narrationem versibus lusit in festo paschali, cùm annum ageret ætatis decimum octavum. Ex quo apparet, adolescentem fuisse præcocis pro tempore ingenii: uti etiam docent nos versus anno quinto-decimo ab eo editi ad Ebonem Remensem Archiepiscopum in persona Tattonis præceptoris sui; & alii ad Agobardum anno vitæ suæ decimo octavo. Sanè quæ Hettonis narrationi de suo addidit Vvalafridus, maturum prò auctoris ætate judicium sapiunt: & nomina personarum, quæ Hetto reticuit, obscurè expressit, uti ea ex ore ipsius Vvetini acceperat.*

Wetini visio cur hic edita. 4. *Erunt fortasse qui inquirant, quam ob causam Vvetini Visio à me edita hoc loco sit: cùm Vvetinus in Sanctorum canonem relatus non fuerit. Quibus respondeo, Vvetinum, si non sanctum, saltem virum fuisse pium ac* religiosum, *uti eum vocat Hincmarus; & pio mortis genere defunctum: nec alibi melius, quàm in his Actis, referri posse ejus Visionem, quæ multa scitu digna continet ad historiam illius temporis & ad mores rectè componendos. De Augiensis Monasterii conditione variisque nominibus dictum est ad Vitam sancti Pirminii in Sæculi tertii parte 2. Iam referenda est Visionis historia, cujus titulus sic habet in regio codice ms.*

VISIO GUETINI.

Viſio ſubſequens apparuit Fratri GUETINO in Monaſterio ſito in regione Alamannorum gentis, vocabulo eorum Auva, temporibus Francorum Principis LUDOVICI nomine, gubernatoris etiam Romani Imperii, ſub Abbate præfati Monaſterii HEIDONE [a] nomine, pridie ante tranſitum Fratris prænominati. a

1. CUM prædictus Frater die ſabbati cum aliquibus Fratribus noſtris potionem ad providendam ſalutem corporis accepiſſet, ceteris eam ſalubriter digerentibus, ipſe cœpit magna difficultate indigeſtam rejicere, & ſtatim à perceptione cibi, quem ad refocillandum corpus ſumere debuerat, faſtidite. Craſtina verò, id eſt Dominica, inluceſcente, levius quidem habuit, & cum ceteris quos ad procurandas prædictas corporales neceſſitates ſibi ſociaverat, refecit, ſed in tædio prædicti faſtidii perduravit. Nullo modo tamen vitæ corporalis diſcrimen ob hoc ſe paſſurum fore æſtimavit: quia ad ſpem præſentis vitæ refectio ſecundæ & tertiæ feriæ, decreſcente faſtidio, in nullo jam diffidentem animaverat. Feriâ verò tertiâ, incipiente crepuſculo veſpertino, conſedentibus ſibi ad refectionem Fratribus, dixit ſe ibidem cum eis finem refectionis exſpectare non poſſe. Sed interim illis cænantibus, in aliam cellulam eidem cellulæ contiguam, tantùm parietis unius interpoſitione remotam, ſtramentum lectuli ſui fecit efferri de loco confeſſionis * prædictæ, ut ibidem quieſcendo præſtolaretur finem eorum refectionis & ſuam iterum regreſſionem ad locum lectuli ſui. *Wetinus ægrotans.* *f. confeſſionis*

2. Membris ergo in lectulo compoſitis, oculis tantummodo clauſis & necdum in ſomnum, ut ipſe fatebatur, reſolutis, venit malignus ſpiritus, effigiem prætendens Clerici, in tanta deformitate cæca & tenebroſa facie, ut nec ſigna oculorum in eo apparerent, ferens in manibus diverſa tormentorum genera, in tantum terribilis gratulabundus adſtans capiti ejus, quaſi craſtina eum eſſet torturus. Illo ergo tantis tortoribus minitante, ſubitò apparuit caterva ſpirituum malignorum totum cellulæ ipſius ſpatium implens, cum ſcutulis & lanceolis, ex omni parte circumfuſa, ædificium quoddam facturi, in modum armariorum * Italicorum præfiguratum, ad incluſionem ejus. In tanto ergo horrore & tam intolerabili terrore circumvallatus Frater prædictus, & in tantum anxius factus eſt, ut jam ſpem evadendi ſigna mortis hujus ulteriùs nullatenus haberet. Sed ecce ſubitò adfuit divina miſeratio. Nam ſtatim in eadem cella apparuerunt viri magnifici & vultu honorabiles ſub habitu monaſtico in ſcamnis ſedentes. quorum unus è medio eorum reſidens dixit Latinè iiſdem verbis ut hic ſcripta ſunt, ſicut ipſe fatebatur: „Non eſt æquum ut iſti inutiles talia faciant. nam homo pauſat. Iſtos jubete recedere.“ Poſt cujus vocem conventus malignorum ſpirituum evanuit & receſſit. Immenſitate igitur tanti terroris ſublata, venit Angelus incredibili ſplendens pulcritudine, veſte purpurea circumdatus, ſtans ad pedes ejus, amicabili eum voce compellans. „Ad te, inquit, venio, dilectiſſima anima.“ Cui idem Frater Latinè reſpondit: „Si Dominus meus *à dæmone terretur.* *Codex Beſſ., armarioli vel aliàs figuratum præfig.* *à Sanctis defenditur.* *Angelum videt.*

a Hettonem tum ante unum aut duos annos regimine ceſſiſſe conſtat ex Walafridi carmine & ex Chronico Hermanni.

An. Chr. DCCCXXIV. Octob. XXXI.

„ peccatis meis ignosceret, misericordiam ageret. sin autem, in manu ejus „ sum: faciat quod sibi videtur. Nam Patriarchæ, Prophetæ, & Apostoli, omnisque dignitas cælestis sive terrestris pro genere humano laborant. Et vos modò magis laborare debetis, quia istis temporibus fragiliores sumus. Tali sermocinatione ipsius Angeli & prædicti Fratris finita est prior visio: quam ipsis verbis ad invicem collatis eo referente scribi fecimus, nihil inde dementes aut de nostro adjicientes, nos, qui hæc scripto commendavimus.

Rem sodalibus narrat.

3. Expergefactus idem Frater resedit: & circumspiciens si quis ei adesset, invenit duos, Præpositum ipsius Monasterii & alterum Fratrem, ad solatium ejus derelictos, ceteris post cænam ad repausandum jam dimissis. Ipsis ergo convocatis, exposuit eis omnia per ordinem, quæ in tam angusto sibi temporis articulo ostensa fuerant, juxta quod hic scripta tenentur, in tantum jam præscriptæ visionis horrore tremebundus, ut totius corporalis molestiæ gravedinem oblitus, intolerabili æstu timoris vexaretur. In ipsa ergo immensitate timoris anxius proruit in terram coram prædictis Fratribus, distenso omni corpore in crucis modum: & postulavit, ut omni virtute qua possent, pro peccatis ejus intercederent. Illo ergo sic prostrato, cœperunt prædicti Fratres tam septem pœnitentiæ psalmos, quàm ceteros tantæ anxietati aptos, qui sibi ad memoriam occurrerant, pro eo decantare.

adhibet preces.

Gregorii dialogum rogat sibi legi.

4. His ita finitis surrexit, & resedit in lectulo, postulans dialogum beati Gregorii sibi legi. Principia ergo ultimi libri ejusdem dialogi audiente eo lecta sunt usque ad consummationem novem aut decem foliorum. Finita ergo lectione, hortatus est prædictos Fratres, ut lassitudinem quam pro eo vigilando contraxerant, quiete corporum temperarent, sibique paullulum noctis spatium quod superfuerat, ad repausandi inducias concederent. Illis ergo recedentibus, & in parte illius cellæ corporibus ad quietem collocatis, ipso etiam post tantam lassitudinem tam animæ quàm corporis in somnum resoluto, venit idem Angelus qui ei in priori visione ad pedes stans purpuratus apparuit, candidis amictus indumentis ad caput stans, splendore incredibili fulgidus; eumque blandis alloquens sermonibus, laudavit confugium ejus, quod ad Deum in angustiis positus, tam studio psalmodiæ, quàm lectionis fecerat, hortans eum de cetero fine defectu similiter aucturum *. Inter ceteros etiam psalmum centesimum octavum-decimum, quia moralis in eo describitur virtus, sæpe repetendum admonuit: seque valde delectari, cùm aliquem instantiâ lectionis & iteratione psalmodiæ intentum videret, Deumque ob hoc placabilem fieri posse, si usus iste veraciter & non fictè teneatur. His igitur dictis, assumsit eum idem Angelus, & duxit per viam amœnitatis immensitate præclaram: in qua dum pergerent, ostendit ei montes immensæ altitudinis & incredibilis pulcritudinis, qui quasi essent marmorei videbantur, quos circumibat maximus fluvius igneus, in quo innumerabilis multitudo damnatorum pœnaliter inclusa tenebatur, quorum multos se agnovisse fatebatur; & in ceteris locis, innumeris tormentis diversi generis cruciatos adspexerat: in quibus plurimos tam minoris quàm majoris ordinis Sacerdotes stantes, dorso stipitibus inhærentes, in igne strictè loris ligatos viderat: ipsas quoque feminas ab eis stupratas, simili modo constrictas ante eos, in eodem igne usque ad loca genitalium dimersas. Dictumque est ei ab Angelo, quòd sine intermissione, uno die tantùm intermisso, die tertia semper in locis genitalibus virgis cæderentur. Plures eorum suæ agnitioni notos dicebat. Sacerdotum, inquit Angelus, maxima pars mundanis lucris inhiando, & palatinis curis inserviendo, cultu vestium & pompâ

Angelo duce,

* l. acturum

rapitur ad Purgatorium,

ubi videt pœnas Sacerdotum,

ſæculorum ſe extollendo, quæſtum putant eſſe & pietatem. Animabus lucrandis non invigilant. Deliciis affluentes in ſcorta proruunt: & ita evenit, ut nec ſibi, nec aliis interceſſores eſſe poſſint. Sæculo enim peſtilentia & fame laboranti ſua prece ſuccurrere potuiſſent, ſi luctum Deo tota virtute conferre voluiſſent. Et ideo tali remuneratione in fine damnantur, quia præcedentibus meritis talia patiuntur. «An. Chr. «DCCC «XXIV. «Octobr. «XXXI. «

5. Ibi ſe etiam quoddam opus, in modum caſtelli ligno & lapide valde inordinatè conjectum, & fuligine deforme vidiſſe fatebatur, fumo ex eo in altum vaporante. Cui interroganti quid eſſet, reſponſum eſt ab Angelo, habitationem fuiſſe quorumdam Monachorum de diverſis locis & regionibus congregatorum ad purgationem ſuam. Qui de eodem numero unum ſpecialiter nominavit, quem dixit ibidem in arca plumbea incluſum præſtolare debere diem magni judicii propter opus peculiare, quod in Anania & Saphira ad corrumpendam communis vitæ integritatem præceſſerat. De quo Fratre damnabiliter incluſo, cuidam peregrino in extremitate vitæ per exceſſum rapto ante decennii tempus oſtenſum fuerat, ſicut tunc fama vulgaverat. jamque diu obliteratum oblivione fuerat, iſto Fratre hæc ante minimè audiente, & ad memoriam eamdem cauſam ſimili viſione revocante. Unde apparet in una re bina iteratione repetita hoc quod malè pullulat, crebriùs ſuccidi debere; ne his qui Monachorum nomine cenſentur, opus peculiare ibidem vertatur in plumbi gravedinem. Monachorum,

6. Ibi etiam oſtenſa eſt ei cujuſdam montis altitudo. Et dictum eſt ab Angelo de quodam Abbate ante decennium defuncto, quòd in ſummitate ejus eſſet ad purgationem ſuam deputatus, non ad damnationem perpetuam; ibidemque eum omnem inclementiam aëris & ventorum incommoditatem imbriumque pati Adjunxitque idem Angelus de eo, quòd quidam Epiſcopus nuper defunctus ipſi Abbati ſolatio precum ſuarum ad impetrandam veniam ſubvenire debuiſſet, ſicut ei in viſione apparens per quemdam Clericum ejus mandaverat. Præſcriptus verò Epiſcopus hoc negligenter pertractans, caritatis ardore non condoluit, ut ei certamine adhibito ſuccurreret. Et idcirco nec ſibi jam, ait, ſubvenire poterit. Et ubi eſt? inquiens ille. Ecce, ait, ex altera parte ipſius montis ſuæ damnationis pœnas luit. Abbatis cujuſdam, & Epiſcopi

7. De viſione verò quam paucis prælibavimus, ab ipſo qui hæc ante triennium ſomniaverat audivimus. Veni, inquit, in quoddam habitaculum ambitu parietum deſtitutum, in quo idem Abbas tibiis reſidens cruentatis vocavit me. Vade, inquit, ad Epiſcopum, & dic ei quòd præſens manſio mihi & alio data contubernali meo propter hoc fœduit, quia duobus hìc comitibus in thermis ſe lavantibus intolerabilis fœtor inde conſurgens, pæne eam nobis inhabitabilem reddidit. Et ideo quoquo modo collectis undique ſumtibus patentia claudat. Quòd ſi per ſe ſumtus ad concludendum ea non habuerit, legationem dirigat ad Monaſteria denominata. Inde ſolatiis gratanter adminiſtratis, ſupplebunt omnia clauſuræ huic neceſſaria. Quod audiens Epiſcopus, Deliramenta, inquit, ſomniorum non ſunt attendenda. Sed & ipſa eadem Angelus in præſenti viſione remonuit, quòd Epiſcopus ſolatia precum ſuarum etiam à mortuis conventus non ſubminiſtravit. Ipſi verò Fratri, qui hæc quaſi de inferis ad ſuperos reportabat, præſcitum antè non fuerat. qua de cauſa.

8. Illic etiam quemdam Principem [a], qui Italiæ & populi Romani ſceptra quondam rexerat, vidiſſe ſtantem dixerat, & verenda ejus cu- Regem in tormentis cernit,

[a] Nempe Carolum Magnum, ut ex carmine Vvalafridi conſtabit, ubi etiam prædictorum Abbatis & Epiſcopi nomina reteguntur.

An. Chr. DCCCXXV Oct XXXI. jusdam animalis morsu laniari, reliquo corpore immuni ab hac læsione manente. Stupore igitur vehementi adtonitus admirabatur, quomodo tantus vir, qui in defensione catholicæ Fidei & regimine sanctæ Ecclesiæ moderno sæculo pæne inter ceteros singularis apparuit, puniri tanta deformitate pœnæ potuisset. Cui ab Angelo ductore suo protinus responsum est, quòd quamvis multa miranda & laudabilia & Deo accepta fecisset, quorum mercede privandus non est; tamen stupri inlecebris resolutus, cum ceteris bonis Deo oblatis longævitatem vitæ suæ in hoc terminare voluit, quasi prava obscœnitas & concessa fragilitati humanæ libertas mole tantorum bonorum obrui & absumi potuisset. Qui tamen, inquit, in sorte electorum ad vitam prædestinatus est.

& pœnas Comitibus præparatas. 9. Illic etiam dona præmagnifica & innumerabilia pompaticè à malignis spiritibus ad proferendum ordinata viderat in palliis aureis & argenteis, equis, & linteaminum subtilitate candentibus. Interrogante autem eo cujus hæc essent, & quid in figuratione sua protenderent; Comitum, inquit Angelus, diversarum provinciarum jura regentium sunt hæc: ut huc venientes ea inveniant, & sciant, quia muneribus, rapinis, & avaritia congesta sunt. Quorum aliquos nominatim exprimens, dixit ea numquam defectura aut delenda priùs quàm ipsi venirent, & ea in sinum suum reciperent. Quàm terribilem verò sententiam de conversatione Comitum intulerit, quis enarrare sufficiat? cùm quosdam eorum non vindices criminum esse dixerit, sed vice diaboli persecutores hominum, justos damnando, & reos justificando, furibus & sceleratis „ communicando. Munerum, inquit, præventione cæcati, pro mercede „ futurorum nihil agunt. Sed cùm mundanas leges pro coërcenda mali „ audacia administrant, damna legalia, quæ debitoribus infligunt, absque „ misericordia & quasi jure sibi debita, suæ avaritiæ reponunt, hic iterum „ invenienda. Justitiam verò spe futurorum numquam agunt: sed cùm „ eam gratis offerre omnibus pro æternitatis mercede debeant, semper „ eam venalem, sicut & animam suam, portant. Quosdam enim jam judicatos nominatim dixerat, sicut Evangelium de incredulis proloquitur: Joh. 3.18. *Qui autem non credit*, inquiens, *jam judicatus est*. Innumerabiles etiam se vidisse retulit, tam de plebeio, quàm de ordine monachico diversorum Cœnobiorum & regionum, aliquos in gloria, quosdam eorum in pœna depressos.

ad paradisum ducitur. 10. His ergo & ceteris innumerabilibus conspectis, quæ causa compendii stilo currente excludimus, duxit eum ad loca pulcherrima naturali constructione fundata, cum arcubus quasi aureis & argenteis, opere anaglyfo * discreta: quæ tanta magnitudine & altitudine & tam pulcritudine incredibili claruerant, ut nec à mente concipi, nec ore humano proferri tanti immensitas operis posset. Tunc processit Rex regum & Dominus dominantium cum multitudine Sanctorum, tanta gloria & majestate fulgidus, ut homo corporeis oculis jubar tanti luminis & dignitatem gloriæ Sanctorum, quæ ibidem apparuit, sufferre nequiverit. Tunc ipse Angelus, qui ejus ductor & ostensor fuerat, dixit ad eum: Crastina migrare debebas: sed interim certamus pro misericordia. Tunc præeunte Angelo perrexit ubi consessus sanctorum Sacerdotum in gloria & dignitate inæstimabili fulgebat. Tunc dixit ei: Isti sunt apud Deum meritis bonorum operum coronati, quibus vos officia ecclesiastica impenditis. Rogemus illos, ut tibi misericordiam apud Deum impetrent. His dictis, supplices facti, orabant eos intercessores fieri. Sancti verò Sacerdotes sine mora surgentes perrexerunt ad thronum: & prostrati ante thronum, misericordiam postulabant prædicto Fratri. Ille verò Angelus cum eodem Fratre, illis intercedentibus, de longè in parte stetit.

* in Puteano additur in margine: id est, cælato

Confessorum orationes postulat.

An. Chr. DCCCXXIV. Cer. xxxi.

Quibus ante thronum supplicíter pro misericordia postulantibus, vox de throno audita est in responsum eis data: Exempla ædificationis aliis facere debuit, sed non fecit. nihilque amplius in responsis auditum est. In illo ergo tam præclaro ordine Sacerdotum sanctos Dionysium, Martinum, Annianum, Hilariumque se cognovisse asseruit.

tum Martyrum.

11. Tunc iterum cohortante Angelo simul perrexerunt, ubi beatorum Martyrum multitudo innumerabilis inæstimabili gloria fulgebat. Isti sunt, ait, quos gloriosus certaminis triumphus ad tantam gloriam provexit, quos vos in Ecclesia honore excolitis ad honorem & laudem Dei, quos inter intercessores pro indulgentia peccatorum tuorum quærere debemus. Quos cùm simili supplicatione humi prostratos cernerent, statim sine ulla dilatione ad thronum divinæ majestatis tendentes, prostrati veniam poposcerunt. Quibus à throno vox ut antè emissa est dicens: Si eos quos malè docendo, exemplo suæ pravitatis illexerat, & à via veritatis in viam erroris depravando eos deduxerat, correxerit, & ad viam veritatis reduxerit, remissa sunt. Illis autem iterum interrogantibus, quomodo hæc correctio ab eo fieri potuisset, ut ad remissionem postulatam pervenire potuisset; iterum vox de throno est ad eos facta: Convocet, inquit, omnes quos suo exemplo aut doctrina ad illicita agenda illaqueaverat, prosternat se ante eos, & profiteatur se malè egisse aut docuisse, & postulet veniam, ipsosque petat per Deum omnipotentem & Sanctos omnes, ut hæc mala ulteriùs nec agant, nec doceant. illis interim in parte de longè stantibus, sicut in priori Sacerdotum intercessione. Inter quos sanctos Sebastianum & Valentinianum agnovisse fatebatur.

dein Virginum.

12. Inde ergo Angelo perducente tendentes ad locum, in quo innumerabilis multitudo sanctarum Virginum morabatur, incomparabili dignitate & splendore corusci luminis fulgens. Hæ, inquit, sunt sanctæ feminæ, quibus vos famulatum ecclesiasticum ad honorem nominis Christi impenditis. Has ad intercessionem apud Deum pro longiuturna vita præmittere debemus. His dictis, ut antè, prostraverunt se ante eas. Illæ statim sub omni festinatione ad thronum tendentes, pro longiturna ejus vita postulantes: ipsis interim ut priùs in parte stantibus. Antequam verò solo ad preces prosternerentur, apparuit majestas Domini obviàm. Et elevans eas, dixit eis: Si bona doceat, & exempla bona agat, & eos quibus mala præbuit corrigat, erit petitio vestra.

à Deo responsum accipit.

Hominum maximum sceleris sodomiam.

13. Post hæc inde recedentes, cœpit ei Angelus exponere, in quantis vitiorum sordibus volutatur humanitas. Licèt enim, inquit, in diversas criminum numerositates ab Auctore suo recedat humanum genus, diabolo se mancipando; in nullo tamen Deus magis offenditur, quàm cùm contra naturam peccatur. Et ideo multâ vigilantiâ certandum est omnibus locis, ne scelere sodomitico Dei habitaculum vertatur in delubra dæmonum. Non solùm enim, inquit, hic morbus virulenta contagione inrepens inficit animas, inter se concubitu masculorum pollutas, sed etiam in conjugatis multiplici peste concretus invenitur, dum in rabiem vexatione libidinis versi, & instinctu dæmonum agitati, naturæ bonum à Deo concessum perdunt: ita ut thoro immaculato in stupri maculam verso, ambo prostituti dæmonibus fiant. Unde præcipio tibi ex auctoritate divina, ut hæc publicè prædices: etiam quantum discrimen in luxu concubinarum hæreat non celes. Quamdiu enim in illa obscœnitate polluuntur, regni cælorum aditum non merentur. Cui ait: Domine, hæc proferre in medium non audeo, quia propter vilitatem meæ personæ ad hoc me aptum non sentio. Cui Angelus magna cum indignatione respondit: Quod Deus vult & per me tibi jubet, tu non audes pro-

An. Chr. DCCCXXIV. Oct. XXXI.

ferre? Post hæc cœpit eum admonere modo diverso de emendatione sua. Ego, inquit Angelus, ad custodiam tui deputatus sum, qui quondam Samsoni illi quem liber Judicum describit, ab ejus ortu à Deo sum ordinatus, & in omni conatu operum mirandorum Deo favente cooperator illi exstiti, usque dum carnis illecebris emollitus, in Darila Dei offensam incurrens, & consecrationem suam scorto vendens, à Deo est derelictus. Tunc autem recessi ab eo. Tu ergo in pueritia tua mihi placuisti: nunc verò in mœrore & pœnitudine cordis ad Deum conversus, iterum places.

Monachorum vitia.

14. In Cœnobiis etenim Monachorum admonendum est, ut vitiorum radicibus arefactis, virtutum possint germina pullulare: quia majoris numeri frequentia reperitur eorum, qui mundanis necessitatibus, quàm qui spiritu Dei ad hæc spiritalia castra se conferant. Animalis enim homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Et ideo certandum est totis viribus, ne multitudine carnalium tepescat vita spiritalium, ne abundante iniquitate refrigescat caritas multorum. Caveatur avaritia: qua dominante non descenditur ad paupertatem spiritus, qua cælorum aditus obseratur. Ciborum & potus ingluvies vertatur in vix sufficientem victus necessitatem. Aqua, inquit, valde ad potandum utilis est, quia naturalis potus est. Nitor vestium mutetur in necessarium arcendæ nuditatis & frigoris temperamentum. Superbiæ tumor mutandus est in humilitatem non fictam. In quibusdam enim videtur cervicum inflexio, sed non deponitur in eis cordis erectio. In hoc namque maximè ipsa vita apostolici Ordinis confunditur, quòd virtutes vitiis * suffocantur. Et dum culpa quæ sub specie pietatis intravit, in usu retinetur, jam quasi pro lege rectè vivendi defenditur. Ideoque in occiduis regionibus, Germaniæ videlicet & Galliæ, istius Ordinis homines ut ad veram Christi humilitatem & voluntariam paupertatem informentur, admonendi sunt, ne à janua vitæ, Deo hæc per me terribiliter pronuntiante, repellantur.

*codex Bosiu, suffocantur

& Sanctimonialium

15. Quanta etiam in congregationibus feminarum culpa excreverit, & damnum Deo factum in lucrum diaboli profecerit ordinatione confusa, non tacuit. Cùm enim, inquit Angelus, mortuæ feminæ vivis præferuntur, (quia vidua vivens in deliciis mortua est) mortuis operibus communicando, ex vivis eis subjectæ mortuæ fiunt. Et dum sæcularibus dantur [a], inexplebiliter opes terrenas sitientes; in terrenas & perituras voluptates ordine confuso vertuntur opes, quæ ad conservandam castimoniam cælestis vitæ à Fidelibus congestæ sunt.

ubi regularis disciplina.

16. Et ubi, inquit, illius vitæ apostolicæ formula incorrupta servatur? In transmarinis, ait, regionibus adhuc apostolici vigoris constantia viget: quia paupertate spiritus præventi, sine ullius terreni impedimenti obstaculo cælorum regna capessunt.

Inculcatur Sodomiæ gravitas.

17. His dictis, iterum atque iterum de scelere sodomitico verbum intulit. Cetera enim vitia vitanda semel tantummodo notavit. Hunc verò pestiferum animæ morbum, contra naturam commento diaboli suggestum, quinquies & eo ampliùs vitandum repetivit. Interrogante autem eo, cur pestilentia grassante tanta populi numerositas interiret; Immensitate, ait, criminum mundo peccante peccatorum punitio est, & signum à Domino est denuntiatum, præsagio suo demonstrans mundi terminum citò venturum. Admonuit etiam inter cetera, quòd celebritas operis Dei tota virtute & diligentia ordine inconfuso sine alicujus tædii aut negligentiæ subreptione in ecclesiis ageretur.

Pestis causa.

[a] In codice Puteano legitur *damnantur*. Erit qui legendum putet *dominantur*. Sed retinendum puto *dantur*, ut sit sensus *dum sæcularibus viduis dantur regenda Sanctimoniales*, &c.

18. De GEROLTO [a] verò quodam Comite dixit idem Angelus, quòd in requie esset, gloriæ Martyrum adæquatus. Zelo enim, inquiens, Dei in defensione sanctæ Ecclesiæ infidelium turbis congressus, temporalis vitæ dispendia est passus. ideo æternæ vitæ est particeps factus.

An. Chr. dccc xxiv. Oct. xxii.

Gerol[illegible] [illegible] Vi[illegible] vala [illegible]

19. His igitur & aliis pæne innumeris ab eodem Angelo ostensis & auditis, quæ huic scripto causâ compendii exclusimus, idem Frater iterum expergefactus est, alitibus jam vicina diei concrepantibus. Convocatis iisdem Fratribus qui in ejus excubiis pernoctaverant, visionis magnitudine permotus, & intolerabili timoris anxietate jactatus, per ordinem exposuit secreta visionis suæ, cupiens statim ut veniente Patre Monasterii, eo præsente exciperentur sermones ejus. Cui cùm dicerent quòd Fratres meditatione nocturna occupati, claustri * silentia irrumpere non auderent; Vos, ait, interea liquenti ceræ hæc imprimite, ut aurora illucescente paratiora reddantur. Timeo enim ne, lingua torpente, visa & audita nequeant propalari. quia cum tanto mihi obligationis damno in publicum producenda injuncta sunt, ut reatu silentii hujus sine venia feriri timeam, si meo silentio ita deperéant, ut per me publicata non pateant. Namque illa ultima sanctarum Virginum intercessio, quæ pro longiuturna vita ad Deum facta fuerat, in ancipiti me positum dereliquit, utrumnam pro longitudine æternæ aut istius temporalis vitæ prolata fuisset. Si ergo eadem intercessione, quam præfatus sum, istius temporalis vitæ induciæ protelatæ mihi non fuerint, omni scrupulositate postposita juxta sponsionem Angeli ductoris mei crastina sum migraturus. His igitur sermonibus cohortati, omnia per ordinem ab eo excepta ceræ impressa sunt.

* cod. Bosf. claustra silentii

ceræ impressa.

20. Interea matutinalibus finitis hymnis, visitandi gratiâ advenit Pater Monasterii cum quibusdam Fratribus: cui eùm jacenti adsisteret, secretum petiit. Egressis ergo ceteris, Abbas secum retentis ibidem quatuor Fratribus quintus remansit. Prolatis igitur in medium quæ nocturno silentio trepida velocitate tabulis impressa fuerant, verbo & scripto recapitulavit universa; & de lectulo consurgens, humi prostratus, pro commissis veniam postulans, & ut intercessores pro eo ad Deum fierent exorabat. Quem cùm cernerent nec pallore deformem, nec macie tabescentem, nec dolore membrorum queritantem, nec tactu venæ aut ullius letalis signi læsione præventum, verbis consolatoriis ad spem præsentis vitæ totâ fiduciâ animabant. Quibus eadem responsa quæ suprà retulit, in nullo se dubium crastina migraturum. Totam ergo diem & noctem subsequentem & spatium totius diei succedentis usque ad vesperam in hoc consumserat, metum vocationis suæ exponendo, gemitu & suspiriis laborando, nunc singulis quibusque se commendando, brevibus ad diversos destinatis, pro absolutione peccatorum intercessores quærendo. Ad extremum, crepusculo vespertino subsequentis diei in noctem jam verso, Fratribus convocatis, vitæ præsentis metas in se decursas esse pronuntiavit: & ideo psalmodiæ eos insistere omnimodis postulavit, antiphonas omnes & psalmorum initia quasi Præcentor ordiens pro se fecit decantari. His ergo finitis, paullulum respiravit, Fratribus ad sua strata redeuntibus, huc illucque deambulando æstuans. Imminente velocitate transitus sui, decidit in lectulum; sumtoque Viatico, ultimam hujus instabilis vitæ clausit horam.

quæ Abbati & aliis iterum narrat.

Suffragia morientium sibi postulat.

Viatico percepto moritur.

a Is Carolo Magno regnante Bajoariæ præfectus erat, de quo plura infrà in opere metrico.



EADEM VISIO

A WALAFRIDO STRABO metricè reddita anno DCCC XXV.

Ex tomo 6 antiquarum lectionum Henrici Canisii.

PRÆFATIO AUCTORIS.



DOMINO *Patri, vereque felici, & purissima sinceritate venerando* GRIMALDO *Capellano*, STRABUS WALAFRIDUS *æterna beatitudinis in Salvatore mundi salutem.* Ex quo, Pater beatissime, familiari quadam pietate exiguitatem meam dignati estis agnoscere, sedulò tenaci memoria amplexabar, cujus præsentiam summo ardore sitiebam, sicut & hactenus ago. Licèt enim longa interjectæ telluris spatia sequestrent, vasti montium & saltuum dirimant anfractus, assiduè vestros, quasi quoddam speculum, intueor obtutus. Denique jussu ADALGISI venerandi Patris in Domino, visionem Wetini propinqui[a] vestri, quam beatus Pater HETTO urbanæ facundiæ mellifluis floribus adornans, prosaicis verbis doctissimè composuit, versibus hexametris furtim exemplare coactus sum. Ideo nulli hoc ut placeat exhibeo. tantùm illius voluntati satisfeci, & major erat obedientia, quàm facultas. Sciebam etenim, quia qui spiritalibus viris obtemperat, numquam errat. Et si in pedum mensuris & synalæpharum positione fefelli, contra nullum luctamen inibo: quia ad rumusculos spargendos non egi, sed potiùs ob propositi mei conservationem. quippe cui nec ætas ad talia competit, nec scientia suppetit. Scintilla quidem inest, sed eget fomite. In hoc autem primitivo carmine, nec tempus morosum ad cautelam concessum est, nec proprii sermonis habui potestatem. Arbitror autem quòd si per campos darentur vacandi induciæ, quivissem fortasse ramusculos aliquot decerpere, quibus mea rusticitas aliquantisper tegeretur. Unam itaque ob causam impossibilitatem superavit voluntas. Comperimus etenim quosdam esse, qui hoc nil amplius vanis somniis dijudicantes, nec habere aut credere, aut audire dignantur. Hanc autem præsumtionem ut audierint, turgentes adsumunt in manus, avidique vitia quibus redundat rimantes, velint nolint, ipsum quod oderunt invenient, dum quod sitiunt quæsierint. Compulsum tamen me sciant in hoc prorupisse, & quasi stimulis plerumque impulsum scripritasse. Sed propter amorem ejus qui hæc vidit, & ista fieri desideravit, & me hac fiducia animavit.

Quapropter, beatissime Pater, quæso sanctitatem vestram, ut emendare dignemini, quidquid in hoc pittacio censura vestra aptum correctioni, vel à vero discordans deliberaverit. Necesse enim est, ut ERLEBALDUM dominum*, & TATTONEM præceptorem meum hæc res non lateat: quia fas non est Monacho suum quidquam celare Abbatem. Si itaque considerantes nimiis nacti fuerint sordere mendaciis, statim pungent, non palpabûnt; & ut vereor, qui pæne octavum-decimum

* id est Abbatem

Aucturis ætas.

a Vvetini fratrem fuisse Grimoaldum patet ex carmine. quod huic narrationi poëticæ subjicitur *ad Grimaldum*. Vvetinus primùm Canonicus, ex codice Mettensi, dein Augiæ Monachus litteras docuit, novæ basilicæ auctor, ut patet ex carmine subsequenti post Visionis metricam narrationem.

a jam

[a] jam annum transegi, dignis verberibus vapulabo. Optimè enim hac arte, sicut & in aliis, imbuti sunt: sed minùs diligunt [b]. Ideo defendere dignemini vilitatem meam, & hujus schedulæ infirma tueri. Quædam etiam nomina in contextu occultata, qui diligenter investigaverit, istis versibus impressa [c] reperiet. Bene valentem & Strabi memorem te Deus omnipotens in æterna felicitate conservare dignetur, sanctissime Pater, Amen.

An. Chr. DCCCXXIV. Oct. XXXI.

I. Invocatio.

CHRISTE, novum qui Pascha mihi concedis agendum,
Suscipe dona precum, laudisque salubria nostræ
Vota, voluntatem potiùs quàm dona requirens.
Quantum posse dabis, tantum sum velle paratus,
Cùm tua majestas velle atque valere ministret.
Te precor alme Deus, pueriles disjice ludos,
Et fermenta tui placida ingere dogmatis, ut sit
Blanda mihi dulcisque Patris sententia, cujus
Jussa sequor: ne dorsa fero lacerare flagello
Incipiat, carmenque animo reprobare citato.
Non aliunde quidem primum componere carmen
Disposui, quàm sancta sequens præcepta priorum,
Primitias deferre Deo, cui cordis in ara
Fertur adeps, sanctæ cum laudis odore litatus.
JESU-CHRISTE crucis rogo per merita alma sacratæ, — in Paschate hoc carmen editum.
Atque resurgentis per maxima festa Leonis,
Cujus adest hodie festum venerabile cunctis:
Ut me digneris vitiis mundare nefandis,
Ne quod voce probo, hoc nostro damnetur in actu.
Quid loquar ulteriùs? mundi miserere Redemtor,
Perque potestatis numen succurre triformis.
Rhenus ab Ausoniis quo ducitur Alpibus, æquor
Miscet, in occiduis diffusus partibus: ingens — II. Augiæ situs.
Illius in medio suspenditur insula fluctu,
Augia nomen habens, jacet hanc Germania circa.
Hæc solet egregias Monachorum gignere turmas.
Primus in hac sanctus construxit mœnia Præsul
PIRMINIUS, ternisque gregem protexerat annis. — Abbatum series.
Hujus quisque velit sanctam cognoscere vitam,
Ipsa sepulcra petat, satis ipse probabit in Hornbach.
Postea septenis præsedit cursibus ETO.
Tum sequitur binis laudandus GEBA Sacerdos.
Bina ERMENFREDUS tum lustra peregerat Abba;
SIDONIUS ternis denique ibi præfuit annis.
Vicenos binosque receperat inde JOHANNES.
Quinque PETRUS sortitur item venerabilis annos:
Quattuor inde tulit WALDONIS lustra potestas.
Tempore sub quorum juvenis velut aurea surgit — III. Hettonis elogium.
Stella, tenebrosum citius vulganda per orbem.
Cœnobium quinquennis enim Insulanense petivit.
Nec latet urbs homines in vertice structa levato,
Sed neque testa subit modium. peregrina volando

a Notandus hic locus, quo discimus Walafridi ætatem, qui anno DCCC XXV agebat annum ætatis decimum-octavum, mortuus anno DCCC XLVII.

b Nimirum poësim. Huc spectare videntur ipsius Vualafridi versus ad Sigimarum Abbatem.
Sunt mihi namque Patres celeberrima jura tenentes,
Talia curantes non recitare metra.

c Scilicet initialibus quorumdam versuum litteris, uti observavi num. XII & XIII infrà.

AN. CHR. DCCCXXIV OCT. XXXI.

Tanti fama viri regales verberat aures.
Pòst rapitur non ſponte foras de carcere caro:
Et qui liber erat, fit libertate ſoluta
Paſtor ovile tuens: cujus pars magna profanis
Actibus inſiſtens, Chriſti de valle viavit.
Provida quippe Dei talem ſapientia Patrem
Conſtituit, qui cuncta ſacris ſub legibus arcens
Ruretenus deſtructa novat, geminamque ruinam
Elevat, inque Dei varium transmutat honorem,
Interiora medens, atque exteriora reformans.
Cujus ad ingenium nullus mihi ſermo redundat
Narrandum, quando ſpecialis in orbe refulſit
Doctus, in incultis jaciens ſacra ſemina ſulcis.
Largus in auxilio, vitâ probus, aptus amori,
Juſtus in arbitrio, arte ſagax, perfectior actu.
Quid moror iſta canens? cùm poſſim jure fateri
Me neſcire alium, qui compenſetur ad iſtum.
Cogitur interea Monachorum paſtor haberi,
Diſcipulus dudum diſponitur ipſe magiſter.
Carceris ipſe fuit cuſtos, quos ſæpe cupivit
Finitimum exſpectare diem, tum morte revicta
Perpetuaque frui Chriſto donante corona.
Vocibus in ſeptem ſi promat verba palatus;
Non erit ulla tamen narrandi cuncta facultas,
In quibus immenſum perfecerit ille laborem.
Quidquid erat Chriſti per ovilia jure regendum,
Fecit, & aſſidua conſtanter pace ſalutem
Chriſticolis ſtatuit: regali munere fultus
Dirigiturque maris trans æquora vaſta profundi
Græcorum [a] ad proceres, ſcopuliſque illiſa carina
Fudit onus cunctumque virum: ſed Præſul ab undis
Seque ſuoſque manum Domino præbente recepit.
Nulla maris poſt hæc rabidi diſcrimina paſſus,
Sed potiùs recto curſu, fatiſque ſecundis
Argivûm reſponſa raro tulit ordine Francis.
Denique longa tulit poſtquam faſtidia, cœpit
Mente ſubobſcura refugus tractare receſſum
Ordine de tanto, ne captus amore tenendi,
Linqueret æternum cui ſemper munus inhæſit.
Anno igitur decimo HLudowici Cæſaris, atque
Bis ceſſere novem illius tunc ordinis anni,
Sexaginta quoque ætatis jam tempora clauſit,
Morbus in exitium traxit letale patronum.
Ille dolor dilectus erat, cariſſima febris,
Mors contemta, fugæ hæc occaſio prima patebat.
Venit adoptivum redeundi in carceris antrum
Tempus, ut alterius contemplans ora jubentis,
Quod priùs injunxit, jam tunc ſervaret agendo,
Solvitur ex onere, atque ſibi ſubjecta refutat.

[a] Hermannus Contractus: *Anno DCCC XI Heito Abbas Augiæ & Epiſcopus Baſileæ cum Hugone & Hatone Comitibus Conſtantinopolim miſſus. hodæpericum ſuum ſcripſit.* Nemone illud proferet in lucem, ſi uſpiam reperitur, uti & hodœporicon Amalarii Archiepiſcopi Trevirenſis & Petri Abbatis Nonantulani, de quo idem Auctor anno DCCC XIII? Interim legeſis quæ de fortuna Hettonis in legatione Conſtantinopolitana memorat: prodidit Monachus Sancti-Gallenſis in lib. 2 de vita Caroli M. capp. 8 & 9.

Perfruiturque quiete fruens feliciter exin.
Fare precor, quicumque velis quæsitor honoris,
Quod tibi munus erit, cujus mala fama cerebrum
Turbat, & hanc famam durissima pœna sequetur?
Conspicis ecce meum dulci rumore refertum
Pro nihili * duxisse volans & inane favoris
Molle decus, multumque viris miserabile justis.
O ne magna dies damnans inhonoret, honores
Spernite, per normamque sacri resipiscite Patris.
Versibus in paucis HETTONIS gesta parumper
Depinxi, brevitate tamen i majora potestis
Nosse, sub invidia si mens non vestra gravatur.

* f. nihilo

Musa soror majora refer, celerique volatu
Pange melos, laudisque facem, generisque latebras,
Cujus ab exortu Hettoni traditur heres [a].
Est famosa tribus, quæ legum docta per artes
Promeruit primo populi sedisse senatu,
Judicioque bonas justo discernere leges.
Illius è medio surgit generamine proles.
Dicitur ERBALDUS, verso sermone Vir audax.
Post septem denosque petit venerabilis annos
Insulanense solum: sociatu Fratribus illis,
Atque magisterio Hettonis traditur almi.
Quo monstrante, sacris non parva ex parte libellis
Imbuitur, variæque vetant ne traderet artes
Septenas curæ, antiqui quas auribus indunt
Nobilium. namque illa refert scriptura Johannis
Ante retroque animalia sancta oculata fuisse.
Sensus adest: sic doctus homo ex ratione biformi,
Ante superna videt, retro terrena; cavetque
Hac ex parte foret ne clauso lumine cæcus.
Mittitur ad quemdam socio comitatus ab inde,
Cujus multa viret sapientia, dogmate Scottum [b].
Quem dixi socium, carmen perquirit abundans.
Nam vitam meta & vires in morte triumphat.
Nunc incœpta sequar, post pauca parabor ad illud.
Denique post reditum luxit perfectior actus.
Moribus ardor inest; sermone fidelis amor stat.
Fulget in ingenio verax, probus, aptus, honestus:
Norma boni, æqua fides, dilectio sancta sub illo:
Innumerisque bonis nituit, quæ cuncta sub ista
Non possum brevitate sequi, ne audire recuset.
Hæc Hettonis erant postquam jactata per aures,
Approbat ipse suo passim moderamine vera
Esse satis, secumque vehit per terga liquentum
Camporum, fluctusque secant, Argosque penetrant,
Diximus ut suprà, redeuntque Augense sub antrum.

IV. Hettoni succedit Erlebaldus [a]

[b]

[a] Hermannus anno DCCC XXIII. *Augia Heitone*, inquit, *Abbate & Episcopo privatam & quietam vitam adeptante, Erlebardus Abbas XIII præfuit annis XIII.* Et tamen Walafridus infrà canit, Erlebaldum Hettoni successisse anno decimo Ludovici Augusti, id est anno DCCC XXIII. Ergo Hetto seu Hetto non erat ampliùs Abbatium, cùm hæc visio accidit. Et tamen in titulo prosaicæ narrationis ea contigisse dicitur *sub Abbate Heidone.* forsan quia Erlebaldus tantùm Coadjutor erat, aut quia Hetto prioris dignitatis nomen retinebat etiam privatus.

[b] An Clementem Scottum, quem Monachus Sancti-Gallensis initio Vitæ Caroli Magni ait litteras docuisse in Gallia.

An. Chr. DCCCXXIV. Oct. XXXI.

Ergo ubi Hettonis silet argumenta potestas
Per multa, alteriusque licet dum jura levare,
Jam precis arte patet; curritque per ora vicissim
Erbaldo debere dari his in mœnibus arcem.
Annuit ipse Deus, cunctos qui mente sub una
Hoc voluisse dedit, pastori mandat alendas
In tellure ferax quæ gaudet fruge bidentes.
Tum perfecta magis Domino servire voluntas
Incubat, insignemque virum vota optima produnt,
Mentis in occulto quantum prius esse benignus
Vellet, in adjecta poteris brevitate probare.
Dicam equidem quid in antiquis donasse figuris
Hinc agnosco Deum, veteres recolendo Prophetas.
Heliæ successit enim venerabilis ille
Heliseus, vectumque leves affatur in auras.
Spiritus oro tuus mecum duplicetur. at ille
Grandia nate petis, fiat tamen ipsa voluntas.
Maxima Hettonis nituerunt facta per orbem.
Si quid adesse potest, tamen exsuperatur ab isto,
Qui solita virtute potens, pariterque benignus
Virtutum custos, vitiis sævissimus hostis
Ex ætate fuit puerili ipsam usque senectam.
Quam pulcrè & dignè multumque insigniter heres
Vernat uterque Pater, vitaque graduque beatus.
Hic Pater antè fuit: modò filius adstat, obaudit, (Hetto postea ipsi subjectus.)
Per natumque regi proprium vult corde paterno.
Filius iste priùs ductor Patris esse jubetur.
Et tamen intendit, quæ se sententia docti
Jam senioris agat, sequiturque per omnia pacis
Congeries, jungitque gregem concordia præpes
Pastorum: nullusque dolus, nullum ira lacessit.
Res laudanda quidem, paucis innata magistris.
Omnipotens vitæ pacis lucisque repertor,
Ambobus vitam per sæcula multa ministret.

V.

Spiritus alme veni, nostræque adjungere Musæ,
Unius ut vitam præstanti fine capessam.
Perge camœna, virum [a] quem suprà tolle reliqui.
Nam Wetinus erat, celebri rumore Magister, (Vvetinus doctus,)
Artibus instructus septem, de more priorum:
Cui fortuna dedit scholis adnectier illis,
Quis gaudere solet nitida & lasciva juventus.
Sed tamen exteriùs, quantum discernere nostrum est,
Moribus in castis vitam mediocriter egit,
Laudibus ex hominum multas vulgatus ad auras.
Hic igitur, postquam Dominus descendit ab alto
Carnis in hospitium, sexto quater atque peracto
Octingentesimo rapidis discursibus anno; (anno 814 morbo correptus,)
Undecimoque Pii Ludovici Cæsaris, & dum
Sexies Octimber declinat quinque diebus [b],
Adfuit illa dies, quæ septima in ordine constat.

[a] Perturbata constructio sic redigenda: *Virum tollo*, id est extolle, *quem suprà reliqui*, id est de quo superiùs agere destiti.

[b] Hoc est die trigesima Octobris jam instante, & quidem sabbato, quod anno DCCCXXIV incidebat in diem 29 Octobris, Dominica verò in diem 30.

Ut sibi moris erat, quemdam pro * corporis haustum
Prosperitate tulit, quod tunc non solus agebat, — An. Chr. DCCCXXIV. Oct. XXXI.
Adduntur socii reliquisque salubriter actis.
Ipse nova ingentes patitur gravitate dolores,
Indigesta vomens, dapibusque in corporis usus
Sumendis fastidit ali. Jam venit ab ortu
Prima dies, multusque parum discesserat angor. — Dominicâ,
Tum teficit, non cœpta tamen fastidia linquens,
Nec tractavit in hoc ullum se ferre periclum
Mortis, ad hanc vitam quando cibus ille animavit.
Tertia lux oritur, noctisque rotam Hesperus adfert. — horâ tertiâ.
Colligitur mixtura virûm, residetur ad escas.
Tum Fratri non mensa placet, non pabula prosunt.
Cedo locum. compellot enim feritate doloris
Strata videre mea: hæc aliam portate sub umbram.
Tolluntur stramenta, aliamque feruntur in ædem
Contiguam cellæ, quam cænatum ante petivit.
Ergo ubi membra suo componit languida lecto, — VI. Dæmonem videt sibi minantem.
Conclausis oculis penitus dormire nequibat.
Spiritus ecce doli foribus processit apertis,
Clericus in specie; frontis latuere fenestræ,
Ut nec signa quidem parvi videantur ocelli.
Jam manibus tormenta gerens, capitique propinquans,
Magna sub ardenti complectens gaudia corde,
Cras torqueris, ait, meritumque rependitur omne.
O mens orba hominum! quo te deducere cæcum
Expertis, & cujus retinentur sidera septem
In palma, hunc inimicitiâ aversaris amarâ:
Et cùm luce cares, tenebris circumdaris atris!
Ille feroxque, rapaxque, minax, mendaxque, sagaxque,
Finibus insidians, fundo te tinguit averni.
At Dominus si ductor erit, transmittit olympo.
Ille igitur dum tanta minans promittit inermi,
Turba catervatim piceum comitata magistrum
Affluxit, totumque locum tetro agmine supplet,
Armati velut in bellum curruntque per aulam,
Structuri angustum pœnalis carceris antrum,
Nulla relinquentes fugiendi dona pavorem.
Hic locus insinuat Solymæ quod dixit Iesus,
Ecce dies venient, & tu circumdata vallo
Laberis usque solum, gladio mactabitur infans,
Et lapis esse super lapidem hac strage vetatur.
Urbs animam; lapides tractatus nempe figurant;
Vallus, in angorem positus dignoscitur esse.
Destructor nam dæmon erit, destructio finis.
Evenit hoc illi, qui notum spernit Iesum.
His actis timor ora premit, pavor occupat artus:
Spes jam nulla fuit nigram vitare catervam. — VII. Angelus dæmonem fugat.
Sed divina cito advenit clementia cursu.
Viderat in cella Monachos sedisse nitentes,
Forma quibus radians, habitusque ignotus in armis.
Unus ait, media quem sors in sede locavit:
Res injusta patet, fugite his sedibus hostes.

* Scilicet pharmacum aliquod pro corporis sanitate.

An. Chr. DCCCXXIV. Oct. XXXI.

Hic homo ſumet adhuc hujus compendia vitæ.
His dictis velut in vallem cum lympha minatur,
Fertur ab adſpectu ſubitis diſceſſibus agmen.
Ceſſit & anxietas: tandemque decorus in aulam
Angelus ingreditur, fulgens in veſte rubenti,
Greſſibus inſiſtens, ſermone acclamat amico:
Te delecta anima hoc momento viſere veni.

VIII. Talia dicenti recubans ſermone Latino
Subdidit: Omnipotens noſtris ſi ignoſcere culpis
Dignatur, pietatis opus perfectius auget.
Sin aliàs, pugno concludimur illius omnes:
Impendat quodcumque placet, ſequimurque libenter.
Nam prima ſancti Patriarchæ fronte ſtatuti,
Inde Prophetarum collectio ſancta priorum,
Sanctus Apoſtolici demum globus ordinis, omnes
Hi genus humanum multo vexêre labore.
Nunc etiam majora petit ſolamina præſens,
Colloquio in medio rumpuntur viſa duorum
Nondum verborum, ſed viſus finis habetur.
Evigilat, ſi quiſque ſibi quæſivit adeſſet.
Vidit adeſſe duos, cunctis qui ad ſtrata reverſis
Fortè domum intrabant, quorum tunc unus in ipſo
Cœnobio Præpoſtus erat, meus ipſe magiſter,
Præcipua bonitate vigens, & moribus omnes
Præcellens; latitare volens, ſed notus ubique.
Repperit hunc aliumque domo conſiſtere Fratrem,
Accitiſque cavas utrûm * jaculavit in aures,
Quidquid in anguſto cognovit temporis actu.
Palluit ac timuit, carniſque dolore remoto,
Surgit ab excubitu pronus tellure recumbens,
In patulæque crucis diſtendens membra figuram.
Jam tota virtute viri, prece poſco frequenti,
Inquit, adorantes, veniam depoſcite nobis.
Intentas formate preces, clementia magna eſt.
Conſpiciunt igitur tanto terrore gementem,
Cantibus inſiſtunt, palmaſque in ſidera tendunt.
Cantantur ſeptem lacrimarum carmina, necnon
Plurima pſalmorum modulamina fortiter addunt,
Quæ tanta anxietas ſibi continuare requirit.
Tunc ſurrexit humo, lectoque reſedit anhelus,
Expoſcitque legi ſibi verba noviſſima ſancti
Gregorii, in ſcripto quod noſcitur illius eſſe
Dialogus, quo multa bonis documenta miniſtris
Conſtruxit, mortiſque ſitus per multa ſerebat.
Grandis in hoc libro perlecta eſt lectio fratri.
Tunc ait: Oro, Patres, componite corpora terræ,
Atque quiete gravem placida relevate laborem:
Et mihi quod reſtat ſpatium concedite noctis,
Corpus ut invalidum ſomno paſcatur inani.

IX. Poſtquam laſſa ſuo componunt membra papyro,
Ipſe tam diros animæ carniſque labores
Dum recreare cupit, cælorum è culmine miſſus
Angelus albato veſtitu venit amictus
Adſiſtens capiti, qui viſum in veſte priorem

Marginal notes: Vvetinus rem narrat duobus Monachis. — * utriuſque — orationes poſcit. — dicuntur 7 pſalmi pænitentiales, &c. — Dormienti adeſt Angelus.

Purpurea ostendit, juxta vestigia stando, AN. CHR. DCCCXXIV. OCT. XXXI.
Blandaque dictorum præmittit verba suorum,
Laudat & hoc studium, quòd confugisset ad almum
In precibus Dominum, quòd lectio sancta placebat, Psalmus XII commendatus.
Tempore quo graviter terrens angustia pressit.
Hoc servabis, ait, nec prætermiseris exhinc.
In multis quoque est Psalmus perfectior unus,
Cui virtus moralis inest, post carmina constans * * id est exsistens
Septena atque decem centumque. hunc sæpe reflectes,
Lectio quo legitur, psalmique canuntur aperta
Veracique fide; jucundum munus habetur,
Talis & ad Dominum utiliter devotio fumat,
Atque serenatum hoc placat certamine Christum.
His igitur dictis, adsumens Angelus idem X. Vvetinus videt lustrales pœnas,
Infirmum, duxitque via præcessor amœna.
Dum vadunt, montana vident, quæ sidera tangunt,
Marmoris in specie pulcro commixta colore,
Quæque in circuitu præcingens igneus amnis,
Ambit inexhaustos tribuens intrantibus ignes.
In quo multa nimis monstrata est turba regum,
Inque locis aliis diversas facta sequentes
Agnovit pœnas, multosque recumbere dudum,
Quos habuit notos. ibi major & alter in undis maximè Sacerdotum.
Ordo Sacerdotum præfixo stipite vinctus,
Terga dedit vinclis, quæ curis carne superbis
Contra quemque stetit: mulier pro crimine stupri
Fomes adulterii, est consors pœnalis averni.
Tertia cùm radios semper produxerit aura,
Dicuntur cædi genitalibus artubus ambo.
E quibus ille aliquos se se cognosse ferebat.
Magna Sacerdotum numero pars, Angelus inquit,
Lucra petunt terrena quibusque inhiantur adhærent,
Atque palatinis [a] pereuntia præmia quærunt
Obsequiis. ornantque magis se veste polita
Quàm radiis vitæ, pompofis fercula mensis
Glorificare parant, animarum lucra relinquunt,
Deliciis ducti per scorta ruendo volutant.
Hac ratione alios neque se defendere possunt.
Peste fameque inopem possent solarier orbem,
Si tota virtute Deo sua lucra referrent.
Hanc summam mercedis habent, qui talibus instant
Rebus, ut æternam capiant in finibus iram.
O Patres, si pauca addam, ne spernite, quæso. Apostrophe ad Sacerdotes pravos.
Quid facit Antistes? in ovile lupus ruit, ullo
Non claudente fores: jacet ebrietate sepultus.
Pastor adulterium in Domini committere sponsam
Qualiter audebis? thalamum usque inducere debes,
Regis, & ipse torum prior invasisse nec horres?
Miror avaritiam sacrarum pectus habere.
Cui servas? resipisce, precor, non nascitur heres.
Quid cumulas? non quippe tuo sub jure tulisti,
Sed sic dona Dei quæ dispensare juberis.
Nemo bono obsistit, si rectum velle tenebis,

[a] Confer librum 2. de vita Vvalæ Abbatis cap. 5 infrà ad annum DCCCXXXV.

An. Chr. DCCCXXIV. Oct. XXXI.

Quid rapis & vendis Solymorum more columbas?
Valde cave, expulsum Dominus ne torqueat atris
Verberibus, pompasque truci condemnet averno.
Cur tibi magnus eris, numerum si fortè bidentum
Te recolis debere Deo signare potenti?
Crebra sub occultum claudis suspiria pectus.
Si non damna doles, verecundia ducat ab igne.
Cumque videbis oves dextrâ, tu * parte sinistra
Esse tuas, nuper ductor nec terga sequêris,
Pro cunctisque lues patiens incendia pœnas.
Nolo tibi ille canat, Præsul sacrate, Propheta,
Plebis erit similis stultæ peccando Sacerdos.
Laus gregis esse stude, & cælestia regna meteris.

* adde, dextrâ tu,

XI. Vidit & horrendum, ligni lapidisque opus illic
Materiâ exstructum, castelli more locatum
Ordine confuso, summo atque vapore repletum.
Territus his Frater, quærens quis mansor inesset;
Audiit inclusam Monachûm pro sorte catervam,
Purgandi variis patriisque locisque manentûm.
Hos inter speciale tenet discrimen, & unus
Frater in illicitum cecidit qui crimen habendi,
Secretas cumulans injusto pondere gazas,
Roboream ille habuit, quem plumbea possidet arca,
Judicii usque diem dubio sub fine vomendum.
Hac se fraude duo primo armavere jugales
Saphira & Ananias, communis vasa pericli.
De quo Fratre priùs cuidam, dum peste laborat,
Annos ante decem similis sententia visa est,
Dum reperetur in excessu, jamque illa vetustas
Delituit, donec memores revocentur ab isto.
Ille etiam cui nunc patuit, non audiit ante.
Indicat iste locus vitium, quod sæpe notatur,
Sæpius hoc Monachis magis ac magis esse cavendum.
Succidique juvat, quod tantum pondus adauget.
O Monache, esse cupis quod te jam velle negasti,
Dives opum, cui nulla Patrum hoc documenta dederunt,
Sed paupertatem, cujus pars Christus habetur.
Si vendis Christum, maneat quæ, cerne, gehenna.
Liquisti commune bonum, furtumque peculi
Eligis: haud capies communi sorte coronam.
Tu tamen omnipotens proprios rege ductor alumnos.

Monachos videt in Purgatorio,

maximè propriis studentes.

In Monachos peculii cupidos.

XII. His visis celsum cælo montemque propinquum
Adspiciunt, dum ductor ait: Hac arce tenetur
Abbas [a], ante decem corpus qui liquerat annos.
Ventorum incursus tempestatumque furores,
Vim pluviæ multumque * . . . . discrimen, ibidem
Abluit incauto quidquid neglexerat actu,
Lætus ut æterni ducatur Regis in aulam,
Deliciasque sacras Sanctorum sedis in ævum
Obtineat, pœnaque carens ubi vita sequatur.

Abbatem videt,

* supple fetens

[a] Nempe Vvaldo, ut ex initialibus litteris apparet. Is Abbas primùm Augiensis ab anno DCCLXXXVI, dein anno DCCCVI ad regendum sancti Dionysii Cœnobium transpositus, testante Hermanno. Hinc patet eum obiisse anno DCCCXIV.

Angelus

Angelus hæc addit, quidam quòd Præsul [a] eumdem | AN. CHR. DCCC XXIV. OCT. XXXI
Deberet precibus factisque juvare benignis,
Ante dies multos, ceu demandaverat ipsi
Legato ostensus, quem tunc per somnia ferre | [a] Cui Episcopus opem ferre negans,
Hortatur sibi dicta Patri: sed Episcopus ille
Esse ratus soliti mendacia inania somni,
Ludendo excepit, despecto Fratris amore.
Mente piger, nec corde sagax, succurrere tardus, | & ipse torquetur.
Ui tormentorum jam nunc succumbit amaræ;
Sortiturque suas proprio pro crimine pœnas.
Ad quem Frater: Ubi quem dicis clauditur? inquit.
Dixerat, Ex alia montis malè parte tenetur.
At nos quæ paucis dedimus jam somnia verbis,
Monstramus per verba viri [b], qui hæc ipse videbat. | [b]
Orsus ait: Dormire casa squalente videbam | Abbas ab Episcopo suffragia poscit.
Disposito sedisse loco quem diximus antè
Abbatem, surasque & crura cruore fluentes.
Labitur in vocem: Fili fer dicta patrono *. | * id est Episcopo
Respicies hanc ædem? bini coluisse jubemur
Informem socii. Duo namque lavare suescunt,
His comites se se nantes in gurgite thermis,
Resperguntque domum hanc letalis pestis odore,
Ut miseri istius pellantur ab æde coloni.
Ad loca sanctorum pete mittat ut ille virorum,
Deposcens quod gratìs agunt solatia ferre,
Reprimere ut possit paries ubi nullus habetur
Immensum fœtoris onus, relevetque dolores.
Hæc mi nate precor, non oblivisceris hæc tu.
Post hæc Antistes dum cuncta ex ore ferentis | referenti negat fidem Episcopus.
Audiit, hæc, inquit, phantasmata credo fuisse,
Idcircoque fidem verbis non commodo fictis.
Credere quæ renuit, hæc Angelus iste resignat.
Quippe quod admonitus functis incredulus exstans, | ob id punitus.
Auxilium conferre precis tardaret egenti,
Atque ideo propriis fruitur sine munere pœnis.
Denique quod paucis visum percurrimus odis,
Ante nec audivit qui nunc renovara revexit,
Et velut ad superos imo devexit abysso.
Annuit iste locus multum pia vota mereri. | Admonitio.
Fidere sed noli, post vitæ tempora solvi
Alterius per verba: focos quos colligis ipse
Actibus ex pravis, licèt intercessio purget
Crimina multorum; tamen hac securus haberi
Nemo potest, quia quo nescit sua pondere facta
Pensentur. Quapropter ego esse mihi utile dico
Quod gessi purgare priùs, sua quemque sequentur.
Contemplatur item quemdam lustrante pupilla, | XIII.
Ausoniæ quondam qui regna tenebat, & altæ
Romanæ gentis, fixo consistere gressu,
Oppositumque animal lacerare virilia stantis, | Carolus Magnus cruciatur ob libidinem.
Lætaque per reliquum corpus lue membra carebant.
Viderat hæc magnoque stupens terrore profatur:
Moribus hic, hominum, dum vitam in corpore gessit,

[a] Adalhelmus scilicet, ut ex acrosticho patet, at cujus sedis Episcopus, ignoro.

[b] Nomen viro Adam fuisse colligo ex litteris initialibus horum quatuor versuum.

Iustitiæ nutritor erat, sæcloque moderno
An. Chr. dccc xxiv. Oct. xxxi. Maxima pro Domino fecit documenta vigere,
Protexitque pio sacram tutamine plebem,
Et velut in mundo sumsit speciale cacumen,
Recta volens, dulcique volans per regna favore.
Ast hic quàm sæva sub conditione tenetur,
Iam tristique notam sustentat peste severam,
Oro refer. Tum ductor: In his cruciatibus, inquit,
Restat ob hoc, quando bona facta libidine, turpi ª
Fœdavit, ratus inlecebras sub mole bonorum
Absumi, & vitam voluit finire suetis
Sordibus. Ipse tamen vitam captabit opimam,
Dispositum à Domino gaudens invadet honorem.

Monitum Admonet hic hominem, qui dignis moribus horas
Has servare cupit, ne quodam crimine cuncta
Perdat, & omne probum fundat vastante ruina.
Talis aquas haurit pertuso vase receptans:
Quodque diu immisit, sorbente foramine linquit.
Est labor iste gravis, malus atque miserrimus, ex quo
Semper habet damnum, numquam mercedis honorem.
* in terris Omnibus in rebus vitam moderetur in arvis *,
Qui cupit in cælis regnum retinere perenne.

XIV. Comitum vitia carpuntur. Illic magnificis conspexit munera pompis
Dæmonis in manibus, jam præsentanda parari
Pallia, & in vasis auri argentique metallum
Et lini: obsequitur candentia fila caballus
Plurimus, hunc ornat species fulgentis habenæ.
Tum rogat hæc cujus hominum de parte venirent,
Quidque figurarent. Tali sermone rependit
Angelus: Hæc Comitum sunt per diversa manentûm,
Regna soli injustè legalia jura regentûm,
Quatenus huc ducti inspiciant, quòd cuncta tapinis
Collegêre, avidoque minores ore vorabant.
Nomina quorumdam manifestè protulit, ex his
Dixit & hæc numquam finiri dona, priusquam
Quisque finum in proprium præventus morte teceptet,
Quidquid ad hospitium æternæ transmiserat aulæ.
Quàm verò horrendo Comitum sermone profanam
Intulerit vitam, nullus narrare redundat.
Non scelerum ultores, satanæ sed habentur amici.
Illorum quidam multis stringendo peticlis
Afficiunt homines, justos damnare, reosque
Justificare viros contemta lege solentes.
Furibus adnexi, vitiumque per omne sodales.
Muneribus capti, qui pro mercede futura
Nil faciunt: sed cùm quædam sub lege coercent
Debita justitiæ, furiunt pietate carentes.
Ardor avaritiæ nescit concedere quidquam,
Sed totum extorquet; totumque ad tartara mittit,
Accumulans iram, cùm venerit hora futoris.

ª Hæc dicta de Carolo Magno, qui pluseulum mulierosus fuit. Nomen expressit Walafridus litteris initialibus hoc modo: CAROLUS IMPERATOR. Et tamen in numerum Sanctorum relatus est à Guidone Antipapa sub nomine Paschalis tertii, curante Frederico Ahenobarba, idquod postea Alexander tertius ratum habuit.

An. Chr. DCCCXXIV. Oct. XXXI.

Justitiam numquam vitam quærendo beatam
Impendunt; & quam gratis præbere videntur,
Venalem portant, animam pro pignore dantes.
Judicio quosdam jam nunc succumbere dixit.
Dixerat ut Dominus de non credentibus olim:
Judicium sumsit, quicumque incredulus exstat.
Jam satis est dictum, felix qui corde reservat, ad Comites.
Ne sit amor nummi major, quàm mansio cæli.
Grandi abundantes subitò comprendet egestas.
O Comites, cujus comites perpendite sitis.
Christus ait: Quicumque polum conscendere quærit,
Debet in angusto gressum configere calle.
Servus item mortis vestigia lata sequendo,
Vergit in æternum miseris ploratibus ignem.
Omnia mutantur *. nunc tristes læta tenebunt: * edit. mitantur
Quos gaudere libet, tristes tundentur in umbras.
Quod placet ingredere, est melius tunc læta tenere.
Vidit & innumeras diversa sorte phalanges
De Monachis, gradibusque aliis, populique senatu;
De variisque locis, longè patriisque remotis.
Hos gaudere hilares, illos frendere gementes:
Hos paradisus habet, discindit tartarus illos.
His visis multisque aliis, quæ scribere longum est, XV. Paradisum videt Wetinus,
Quæque stilus currens stricta brevitate relinquit;
Ducitur ad quædam perpulcræ mœnia sedis,
Quæ naturali consistere mole ferebat.
Hoc opus immenso nituit splendore coruscans,
Arcubus effulgens, variisque ornatibus aureis,
Argentique gerens multum structura metallum
Præbuit arte oculis anaglyphâ pascere mentem.
Mœnia quæ tantum latam longamque tenebant
Mensuram, pulcrumque statum, mirabile factum;
Altaque per volucres pandebant culmina ventos,
Quantum nulla potest intentio mentis in usum
Claudere tractandi, nec quis sermone fateri,
Aut operi tanto veracem optare staturam,
Aut decus excellens veris disponere verbis.
Hæc cernunt, Fratrique sacer tunc Angelus illi,
Cras migrabis, ait, vitæ confinia linquens
Terrenæ. tamen interea certabimus ambo postridie moriturus
Pro pietate preces sanctis prosternere Christi,
Ut vel parva tuis fiat concessio factis.
Inde beatorum parili venêre volatu XVI. Confessores interpellat.
Sedes usque Sacerdotum, quis fulgidus ordo
Captat onus meriti, jugique potitur honore.
Angelus, Hos, inquit, secum dominator opimis
Ditavit meritis. ideo enarrare coronam
Nemo potest, qua quisque nitet, cui Christus obumbrat.
Et quibus officia ornatas præbetis ad aras,
Hos rogitemus apud Dominum intercedere pro te.
Tunc pedibus venerandorum subnixus uterque,
Unius illecebras precibus relevare precatur.
Nec mora Sanctorum pariter consortia surgunt.
Agressique thronum Christum petiere jacentes,

An. Chr. DCCCXXIV. Oct. XXXI. inertiæ arguitur.

Ut potiùs laxare velit, quàm digna teferre.
Tum reboat de ſancta vox teſtudine dicens:
Debuit exemplis multos incendere Fratres;
Sed torpore madens deſivit ferre laborem.
Hinc reſponſa ſilent, vocemque emittere ceſſant.
Angelus hæc inter, Fraterque in parte ſteterunt
Eminus, & Sancti ſedes cum pace reviſunt.
Ipſe Dionyſium, Hilarium, ſanctoſque ferebat
Martinum, Annianumque ſuas cognoſſe feneſtras
Qualiter agnovit, quos numquam corpore vidit?
Sed ſperare datur, quòd vel ſermone beati
Hæc ducis audiret, vel quæ ſibi gratia cuncta
Monſtrarat, quoſdam faceret cognoſſe ſilentes.

XVII. Martyres adhibet.

Tunc hortante iterum greſſum ductore retorquent,
Ad ſedeſque viam nitidas preſſere reſumtam,
Gloria Martyribus quæ pollet opima beatis.
Credere non poteris ſpeciem numerumque quot eſſent.
Hos, ait, invictus tulit hæc in regna triumphus.
Hos etenim terris cæleſti laude tenetis.
Hos precibus commiſſa ſuis tua ſolvere ſanctis
Poſcamus. ſtatimque ſacra ad veſtigia ſe ſe
Projiciunt, citiuſque facer conceſſus ab inde
Surgit, & ante Dei auratam proſternitur aulam.

Quid reſponſi audierit.

Dimitti peccata rogans, vox ſede recurrit.
Si quos prava docens peccati felle fefellit,
De que via in præceps inlex commiſit abire,
Hos iterum revocet, ſolventur debita gratis.
Inquiruntque modum quo crimina ſolvere poſſit.
Qualiter ex aliis pravæ miſerabile virus
Doctrinæ eximeret. tum vox proceſſit ad illos:
Convocet hos omnes, quorum per inania mentes
Dogmata pervertit, nocuit vel in actibus umquam,
Aut quibus exemplum dicti, vel præbuit actus,
Quo vitam moreſque ſuos corrumpere poſſent:
Et ſe ſternat humo, dicatque per omnia ſe ſe
Eſſe reum, geſſiſſe malè, & docuiſſe pudenter.
Sic veniam expoſcat, ſtatimque adſtantibus addat:
Vos precor, ô nati, Domini per numina ſummi,
Per ſanctoſque viros, addens, animaſque beatas
Cælicolaſque omnes, repetat ne crimina quiſquam
Hæc veſtrûm, tradatque alii facienſve docenſve.
En patet, alterius quantum qui polluit actus,
Deſipiat. vel in exemplo ſeu dogmate pravo,
Qui malus eſt, multos ſecum invitare ſueſcit.
Et tamen è cunctis ſcelerum commercia ſumet.
Infelix ſua ferre nequit, majora requirens.
Interea à longè bini de parte ſteterunt.
Ecce Sebaſtianum magno ſplendore micantem,
Atque Valentinum ſpecie cognovit aperta.

XVIII. Virgines orat.

Inde etiam averſo . . ducente, catervas
Virgineas adeunt, ubi ſplendor luce coruſca
Summus adornavit nitidis conſeſſibus ipſas.
Sunt, ait, hæ ſanctæ, quarum ſub honore Tonantis
Nomina divinis colitis famulatibus. ipſas

Pro longa ad Dominum vita præmittere præsta.
Sic ait, & pedibus se se prosternere certant.
Protinus adsurgunt, citiusque ad limina pergunt
Celsa throni longam Fratri deposcere vitam.
Sed priùs orantes quàm se prosternere possint,
Obvia majestas Christique immensa potestas
Elevat inclines, miro splendore nitescens,
Qualis ab humanis cerni agnoscique figuris
Numquam posse datur. certant ut bella fidei
Miris ad adstantes Christus dat verba puellas.
Justa docens si recta gerat, dignumque ministret
Omnibus exemplum, revocans ad mœnia vitæ,
Quos adversa docens æterno prodidit igni;
Tunc vester præstabit honor quod cuncta remittam.
O meritum sublime tuum, sanctissima mater
Virginitas, quæ casta poli terræque supremum
Imperium retines, Domino quæ proxima Christo
Æternam super astra domum inviolata locasti.
Sola quidem cælebs tantum cognomen habebit.
Et corrupta tamen si se post crimina saltem
Convertens anima ad Dominum summissa recurrit,
Præmia certa manent, si nomine in æva carebit.
His igitur gestis, facili discedere gressu
Incipiunt, iterque suum sacer Angelus istis
Prosequitur dictis. Quantis humana volutet
Progenies vitiis, ô quis narrare valebit?
Nam licèt à Domino numerosa peste laborans
Abscedat genus humanum factore relicto,
Atque jugo satanæ sua colla gravare suescat;
Nulla tamen tanto peccata furore Creator
Vindicat offensus, quàm quæ contraria constant
Naturæ, quod quisque nefas vitare laboret.
Quapropter cunctos nimium certare necesse est,
Ne subeat mater scelerum sodomita libido,
Et templum Domini mutetur in horrida nigri
Serpentis delubra, quibus se degere gaudet.
Sordida non tantùm hic morbus contagia præbens
Inficit, alternas maribus dum turpitet instat,
Commaculatque animas ardente cupidine stupri.
Verùm multiplici thalamum violare jugalem
Adsolet illuvie, rabiem dum quisque sequentes
Luxuriæ instinctu violenti dæmonis acti
Naturæ concessa suis stimulante relinquunt
Conjugibus luxu, licitumque in stupra calorem
Vertentes satanæ incedunt hostile lupanar.
Unde tibi jubeo auctoris de nomine nostri,
Ista palam referens, ut clara voce revolvas:
Nec celare velis, quantum discrimen adhæret,
Esse subinductas mulieres pluribus aptas.
Tempore nam quanto tam fœdis sordibus instant,
Non capiunt aditus cæli vitamque beatam.
O quicumque malis cupimus nos subdere tantis,
Incidat in mentem tormenti pœna futuri.
Dulcis enim est animo, carnique insana voluptas;

An. Chr. DCCCXXIV. Oct. XXXI.

Christi responsum.

Virginitatis laus.

XIX. Angeli oratio ad Vvetinum.

Libido innaturalis ceteris pejor.

An. Chr. DCCCXXIV. Oct. XXXI. Durior heu miseri gravibus plangoribus ignis
Tunc veniet, cùm finis erit, qui quemque sequetur.
Quæso probare velis, digitum si ferre per ignem
Hunc facilem possis, certè sufferre recusas.
Qualiter æternum tota cum mole calorem
Corporis incedes, quo vermis & ignis in ævum
Consistant vitiisque vicem dant omnibus atram?

XX. Wetini responsio.
Tunc Wetinus ait: Domine hæc proferre pavesco,
Vilis enim persona mihi est, nec congruit isti
Judicio, quod ad humanas transmittimus aures.

Angeli increpatio.
Angelus è contra magnam permotus in iram
Incusat: Quod summa Dei sententia jussit,
Non audes proferre pigro torpore retentus?
Tum satis admonuit ptoprios componere mores,
Atque suam radiis vitam inlustrare beatis.
Adjungens: Ego sum qui te servare jubebar
Angelus, & custos rerum persisto tuarum.
Quem scriptura vetus Samsonem vulgat in orbem,
Hujus in auxilio semper mansisse solebam,
Et miranda favente Deo complevimus ambo,
Quem mandante Deo, primo comitabar ab ortu,
Donec per Dalilam in Domini procurreret iram,
Venderet & scorto auctoris sacra munera Christi.
Quo scelere infectus Dominumque Deumque reliquit.
Tunc ego dicessi vitiis offensus ab illo.
Ergo puer bene castus eras, mihi quippe placebas.
Sed postquam propriis cœpisti vivere votis,
Displicuit tua vita mihi, nam pravus abisti.
Nunc iterum placido temet complector amore
Mærentem lacrimis, & toto corde reversum.
Cælicolas hominum custodes esse sacrata
Scripta ferunt, Dominusque docens ostendit Iesus,
Ante Patris faciem stantes servare fideles.
Atque libet [a] Pastoris opem demonstrat eamdem.

XXI. Monita pro Monachis.
Cœnobiis etiam Monachorum valde monendum est,
Angelus adjunxit, vitii ut radicibus omnis
Abscissis, vireant virtutum germina pulcra.
Major enim numerus mundanis rebus inhæret,
Quàm qui se stimulante Deo monitisque supernis
Hæc ad castra ferant, vitamque fideliter ornent.
Nescit enim carnalis homo, quod spiritus almi est.
Viribus idcirco totis certare necesse est,
Carnalis ne turba premat sacra dogmata vitæ,
Pondere neu scelerum frigescat pignus amoris
Æterni, qui plura tenet spe pectora sancta.
Vulnus avaritiæ medicamina sancta repellant,
Qua dominante humilis fit nemo in nomine Christi,
Unde polum penetrare potest. cui cura subintrat
Ingluviem vitare cibi potusque, monemus,
Sufficiens & parva quidem sit pensio victus.
Optimus usus aquæ, dedit hanc natura bibendam.
Tegminis ornatus mutetur, ut algida tantùm

[a] Hujus libri auctor dicitur Hermes, Apostolorum temporibus proximus, cujus liber inter apocryphos relatus est à Gelasio Papa.

Frigora depellat, nudosque ut contegat artus. | AN CHR. DCCCXXIV. OCT. XXXI.
Mens humilis vigeat studiis non perdita fictis,
Deserat & totam perversa superbia mentem.
Nam quidam flexa placidi cervice videntur:
Erecto sed corde tument, falsique probantur.
Pulcher apostolicæ vitæ pervertitur ordo,
Cum vitiis variis virtutum jura premuntur.
Et dum sub specie pietatis culpa subintrans
Assiduè crescens, proprio retinetur in usu;
Jam velut ex lege ad justos describitur actus.
Idcirco occiduis homines in partibus hujus
Ordinis instruimus, quos Gallica rura tenere
Novimus, & cunctos quos hæc Germania gignit,
Pauperiem ut veram devota mente sequantur.
Janua ne cæli contra claudatur iisdem,
Indeque depulsi pereant sub faucibus ignis,
Qualiter omnipotens hominum sator atque redemtor
Per me terribili cunctis sermone remandat.
Hæc satis esse videns, illis nihil addere possum,
Qui vitæ meritis debent præcellere cunctos,
Qui mundum fixisse sibi, mundoque refixi
Famantur, quod quippe Deo promisimus omnes.
Scimus enim documenta Patrum, finesque viasque.
Quotidie crepitant librorum verba per aures.
Impugnat mundus: felix qui fugerit illum,
Et post terga oculum qui mittere vitat in ævum.
Quantaque femineis nascantur damna catervis, | XXII. In viduas Abbatissas.
Quæ servire Deo Monachorum more suescunt,
Angelus exponens: Quàm plurima dæmonis, inquit,
Lucra virent, lucrumque Dei tepor occupat ingens,
Ordine confuso mulier dum mortua vivis
Præfertur, quia deliciis viduata marito
Sufficiens functa est, prohibent quam vivere gazæ.
Subjectæ & vivæ mortis confinia sumunt,
Dum factis perversa suis exempla sequuntur.
Sic perduntur opes, quas congessere Fideles
Ad conservandum jus virginitatis honestæ.
Accipit has sitiens labentia gaudia mundi,
Inque voluptatem fert sobria dona nefandam.
Vivit enim virgo, mortem scelerosa subibit.
Denique jam viduæ capiunt dum jura regendi,
Subvertunt pravam justo molimine vitam,
Sordidus è solitis paucæ se demere possunt.
Sed neque concubitu quædam cessare probantur.
Sic seducta cohors sequitur per cuncta magistram.
O Princeps qui tale malum junxisse videris,
Da castis castas, aliud viduata receptet.
Non equidem prodest multorum perdere mores.
Creditur en mulier melior, quàm masculus esse.
Accipit illa gradum, rarò est lex ista virorum,
Ut nupto citius dentur loca sancta regenda.
Confusum natura modum discernere poscit. | XXIII. Ubi tum regularis vitæ observ...
Frater item quærit, ubi dogmatis illa moderno
Staret apostolici perfecta in tempore norma?

AN. CHR. DCCCXXIV. OCT. XXXI.

Partibus ex aliis salsi maris [a], inquit, habetur
Ille rigor, veterumque viget constantia Patrum:
[a] Qui paupertatem variis sine rebus adepti,
Terreni nihil inquirunt, quod vota retardet.
Sicque penetrantes cælorum regna capessunt.
Felices patriæ quarum de cæspite surgunt
Oprima gemmarum cælo ornamenta nitentûm,
Auxilium patriæ, meriti decus, orbis honestas.

XXIV. *In Sodomitas.*

His dictis, iterum verbum sacet Angelus infert
Crimine de veteri Sodomæ, quod rura necavit.
Cetera namque semel vitia exsecranda monebat:
Hunc autem morbum, mores animasque nocentem
Dæmonis instinctu, naturam perdere promtum,
Quinquies admonuit aut amplius esse cavendum.

XXV. *Pestis causa.*

Tum Frater rogitat, numerus eur tantus obiret
Pestis [b] in exitio, plebis populique fidelis.
[b] Hæc, ait, ex factis homines commercia pravis
Accipiunt, damnatque reos sententia grassans,
Significatque diem mundo properare futurum,
Terminus ut tandem ponatur in ordine sæcli.
Ecce dies veniet, nostrûm sit quisque paratus.
Ecce venit Dominus nostros ut congreget actus.
Jam vigilare decet, veniens ut quemque coronet.
Præcipuè admonuit divinis laudibus omnes
Conatu servire bono, studioque sagaci.

Officium divinum commendatur.

Præcipiens ut nemo gravi torpore subactus,
Negligat assiduas Domino persolvere laudes,
Ecclesiæque decus celebretur ut ordine sancto.
Sollicitus propriam quærit quicumque salutem,
Hæc agat, & se se poterit subducere flammis.
Non eget his Dominus, sed nos ut agamus egemus.

XXVI. *Geroldi Comitis mors beata.*

Quin etiam quondam Comitem sacer ille GEROLDUM
Angelus adseruit requiem captasse beatam,
Martyribusque parem, quo gloria summa beatis
Civibus æternæ reddit dulcedinis haustum.
Et quando zelum Domini conceperat, inquit,
Gentibus infidis Christi defendere plebem,
Congrediens hujus sumsit dispendia vitæ.
Æternis ideo meruit fulgere tropæis,
Munera perpetuæ capiens ingentia vitæ.
Hic vir in hac patria summa bonitate nitebat,
Moribus egregius, verax, mansuetus, honestus:
Cui Regina soror, Ludovici cara genetrix,
HILDEGARDIS erat, parili bonitate venusta.
Viribus ille potens sanctoque potentior actu.
Defuerat soboles, pariterque & defuit heres.
His igitur verbis se se compescere cœpit.
Denegat heredem Dominus: manet ipse superstes.
Quod dedit, accipiet, Mariæ commendo beatæ.
Sic votum factis sequitur, magis omnibus isti

[a] *In transmarinis regionibus* scribit Hetto, in Britannia insula, an in Græcia? quamquam etiam in Gallia resflorescebat cultus regularis disciplinæ per Benedictum Anianæ Abbatem.

[b] Anno DCCC XXIII ingens pestilentia per totam Franciam hominum utriusque sexus innumeram multitudinem consumsit, teste Eginhardo.

Profuit

Profuit ille loco: cujus nitet Augia donis.
Bella movet Carolus duros, cùm Cæsar in Hunnos,
Hoc cecidit [a] bello, populo certante, Geroldus.
Tunc dominum famuli lacrimis sumsere referti,
Hucque teportatum tam longa per avia corpus
Insulanensis humus contexit in æde Mariæ.
Hæc & plura videns, numerum quæ pæne recusant, XXVII. Vuetinus visa refert.
Quæ festina manus currens intacta reliquit.
Experrectus item, jam cæca silentia noctis
Nuntius excussit lucis resonando per ædes,
Fratribus accitis, quos pernoctasse videbar
Excubiis secum, trepidans multoque timore
Permotus, cecinit narrans ex ordine visum,
Secretumque latens avidas effudit in aures.
Poscit & ut veniens sermones protinus ipsos
Abbas excipere, & scripto mandare juberet.
Talibus adstantes compescunt verba loquentis:
Nunc solito Fratres meditantur in ordine noctis,
Incumbuntque preci, nunc claustra silere [b] necesse est.
Non audemus enim nos hæc turbare, vel illi.
Vos, ait, interea molli depingite cera,
Ut fulgente die citiùs manifesta patescant,
Ne lingua torpente palam depromere visa
Non possim, quæ tam grandi sub mole minatum
Sunt injuncta mihi, manifesta voce canenda,
Et cunctis liquido citiùs dicenda boatu.
Ut timeam, si fortè tacens dimisero quidquam,
Me veniam nec habere, gravi stringente reatu.
Ultima virgineæ turbæ intercessio memet
Liquit in ancipiti positum. nam nescio qualem
Implorasse Deo vitam præstante puremus,
Utrum perpetuam, vel temporis hujus amaram.
Si mihi defuerint præsentis commoda vitæ,
Ecce procul dubio, mortem cras corpus habebit.
Dux meus hæc dixit, cujus mihi sponsio certa est.
His igitur verbis Fratres hortatus eosdem,
Expediens iterum jam dicta retexere cœpit.
Illi continuò tabulæ impressere liquenti.
Laudibus interea Domini jam rite peractis, XXVIII.
Abbas adveniens aliis comitantibus intrat.
Nam solitus compellit amor refovere jacentem,
Adsistunt propius, secretum infirmus adoprat.
Discedunt reliqui, remanent ibi quinque sedentes.
Primus erat Hetto; Erbaldus fuit inde secundus,
De quibus in primis modicas conteximus odas.
Tertius ipse Tacens [c] sapienti corde Magister.
Quartus erat senior, mulris provectus in annis,
Theganmar Domini famulus, cui longa senectus
Contulit æterno venerandos munere canos,

[a] Id contigit anno DCCXCIX, teste Eginhardo, & quidem Kalendis Septembris, ut constat ex ejus epitaphio, quod exstat apud Henricum Canisium tomo 6 pag. 505. Alios fuit Geroldus Levita, Caroli Magni signifer & consanguineus, Patherbornæ sepultus, de quo agitur in vita sancti Meinvverci Episcopi apud Brovverum.

[b] Nempe apud nostros sanctum est silentium maximè nocturnis horis ex Regulæ cap. 42.

[c] An Tacens nomen proprium fuerit, an allusione facta à Vvalafrido ipsi inditum, mihi non liquet.

An. Chr. DCCCXXIV. Oct. XXXI.

Grandis honor capitis, major sapientia mentis,
Confessor Fratrum [a], gnarus conferre medelam,
Moribus antiquos sequitur sine crimine Patres.
Quintus adest TATTO, cui gratia magna benigno
Contulit eximios vitæ perducere mores.
Nempe palatinas puer est translatus ad aulas:
Sed Christi mercede calens, mercede sodales
Servitii gaudere suos dimisit, & istud
Cœnobium ingrediens, Monachum se lege ligavit.
Hoc recolens, quòd prima inibi documenta recepit,
Est hodieque probus, felix, spectabilis, aptus.
Gaudeo quòd tali mereor parere Magistro,
Cujus ob auxilium præsens me continet ætas.
His etenim quinis visa atque audita patenter
In verbis scriptoque simul quod nocte notavit
Veloci currente manu, narrando resignat.
Et surgens prostratus humi, commissa remitti
Poscit, & orantes Dominum placare tonantem.
Commendans arcana Dei, si morte fuisset
Raptus, ut in lucem verbo scriptoque tulissent.
Sin aliàs, prodenda sibi dimittere poscens.
Namque cupit patulis totum famare per orbem
Faucibus, & cunctas hominum vulgare per aures.
Denique vita manens, si corpore staret in isto,
Ulteriùs voluit strictam perducere vitam,
Ut potaret aquam, mergentia pocula numquam:
Pluribus adjectis quæ nunc exponere longum est.
Inspiciunt vultus, nec pallida forma videtur:
Non macies fœdat, nec membra dolore rigescunt.
Attrectant venas, vivo quæ sanguine gaudent:
Nec signum letale vident, mortisve periclum.
Fidentesque animo, vitæ compendia spondent
Præsentis, mortemque procul discedere dicunt.
Ille quibus responsa dedit, quæ protulit antè,
Crastina namque dies animam de corpore pellet.
XXI. Taliter ergo diem Frater consumserat illam,
Instantemque rotam noctis dieique sequentis,
Exponendo metum gravida de carne recessus;
Suspirans, gemitusque imo de pectore fundens,
Fratribus & cunctis sese committere certans,
Schedulas amicis dirigit, Ad multosque Breves cogitans direxit amicos,
Ut sanctis precibus veniam implorare studerent.
Has ego conscripsi manibus, quibus ista notavi.
Denique cùm primùm radios produxerat aura,
Vua [?] fido scribente. Me vocitare jubet, residensque infigere ceræ
Præcipit, atque Breves bis quinas dictat, eisdem
Sensibus adnectens, quas hic signare studemus,
Ut perfecta fides cunctis lucescere possit.
Nempe decem fuerant, quarum conscriptio talis.

a In quolibet Monasterio unus Sacerdos probatæ vitæ designatus erat ad excipiendas confessiones Fratrum. sic Gosuinus Aquicinctensis Prior factus, Bernardo fratri suo injunxit Confessiones audire Fratrum pro titulo sanctitatis & consilii sanitate; in Vita lib. 2 cap. 21. Lege Præfationem Sæculi III.

VEnerabillimo in Christo Patri ill.[a] WETINUS jam devotus vester æternam in Domino salutem. Scripsi vobis in mortis periculo: & quia juventus adhuc floruit, de alio sæculo meam infirmitatem consolari dignemini, ut hujus corruptionis mole deposita, ibi quoque gravitate pœnarum non constringar. si usque ad centum Missas centumque psalteria perveneris oratio, erit merces certa. Vale, quem jam non mereor videre. « AN. CHR. DCCC XXIV. OCT. XXXI.

Hunc finemque Breves jussit firmare per omnes.
Quod dum commutans aliter conscribere vellem;
Dixit ut haud dubiis possem sic dicere verbis:
Nescius hoc scripsi, penitusque stupore movebar.
Quippe diem totum soli transegimus illum.
Nunc legimus, nunc membra juvat componere lecto.
Me sopor oppressit, vigilem non contigit illum.
Orat in excubitu, surgit graditurque valenter.
Vesper adit, tandemque mihi est sic ore locutus.
Vade puer, corpusque cibo relevare memento,
Proque labore tuo grates digneris habere.
Discessi, noctemque minans sol vergit in æquor.
Jamque poli pingunt fulgentia sidera centrum,
Adveniunt Fratres, sistuntque in domate multi. XXX. Morti proximus psallit.
En, ait, incumbit metam finire supremam
Carnis in exsilio, terram terræque recondi.
Omnimodis petimus sacras protendite palmas,
Instanresque preci nostrum defendite finem.
Res invisa quidem! psalmos prior omnibus ille
Antiphonasque, velut quidam præcentor, adorsus,
Principium cujusque suo depromit ab ore.
Finitis igitur concentibus, ille parumper
Respirat pavidus, Fratresque ad strata recurrunt.
Surgit, & huc illucque viam deflectere tentat.
Æstuat, agnoscens velox quòd transitus instet. Viatico sumto moritur.
Decidit in lectum Christi mysteria sumens,
Clausit & extremam vitæ mutabilis horam.

En venerande Pater caleem compulsus adivi,
   Cujus principium horror adire fuit.
Non ignoro quidem vitiis sordere camœnam;
   Extortos apices protege si valeas.
Ales enim quæcumque suas præcurrere pennas
   Cogitur, è superis corruit ima petens.
Nil prodesse scio: tamen est parere necesse.
   Hoc potiùs Dominus quàm sacra thura cupit.
Vestra sequens humilis famulus mandata peregi,
   Ætate & sensu impar ad istud opus.
Ne reputes non posse meum, sed velle videto,
   Atque bono vigeas longa per æva statu, Amen.

[a] Id est *illi*. quo ritu veteres exprimebant incertum nomen, quod nos littera N exprimimus. sic Græci τῷ δεῖνα scribunt, cùm significant certum hominem, quem tamen non nominant, adnotante Erasmo in Matthæi caput 26 versu 18. Galli nostrates dicunt *un tel*. Menardus in observationibus ad librum Sacramentorum pag. 383 existimat, notam illam N non fuisse in usu nisi paullo ante annum millesimum. Verùm ante annos octingentos jam usitata erat, ut observavi cum in libris mss. nonnullis, tum in editis, maximè in epistolis Frotharii Episcopi Tullensis, in quibus passim adhibetur hæc nota.

AN. CHR. DCCCXXIV. OCT. XXXI.


Ad GRIMALDUM Cappellanum de morte Wetini.

Grimaldum hortatur ut persequatur opera Vvetini fratris.

SCRIBERE nulla juvat, scriptor quia noster obivit,
Qui nova pectoribus monstravit dogmata nostris,
Ædificare volens longum stabilita per ævum
Tecta: sed indomita præventus morte, nequivit
Culmen in aërios templi sustollere cursus.
Forsitan indigni fuimus sapiente Magistro.
Sed licèt hunc cælestia non dubitemus adisse,
Abscessisse tamen, nosmet deflere necesse est,
Primus hic incultis mandavit semina sulcis [a],
Ut collecta seges gereretur ad horrea Christi,
Mercedem & propriam præclarus haberet arator.
Hoc studium fuit, hoc votum, hoc etiam ipsa voluntas.
Plangimus interno compuncti corda dolore:
Flemus agrum subitò tanto cultore carere.
Et specialis ego ingeminans connecto lacertos
More orbatorum, placidum deflendo patronum.
Sæpe quod adjungo alterius ploratibus, unum est,
Quòd nullus magni profertur dogmatis heres.
Prædia tanta vacant, nullo vineta colente,
Deperit absconsæ sapientia mentis ab usu.
Dicitur, heu misero, qui dum cadit, ipse levantem
Non habet, ille jacet cuncto miserabilis orbi.
Tu fratris deserta tui jam semina profer.
Non torpore vacat, sancta quod lege jubetur:
Est sed fructiferum, si quis sub lege potitur,
Decidit ille mihi, vicibus nemo illius adstat.
Fercula pulcra dedit: victum quis porrigit artum?
Vestibus ornavit: præbet quis tegmina grossa?
Innumerisque bonis meritum superaverat omne:
Quis mihi nunc misero verbum demonstrat adhortans?
Annales memorare dies mortemque notare
Quis cogit? nisi sollicita sub mente retractet,
Proximus esse sibi jussum de nomine Christi,
Ne fraterna suo tollatur ab ordine proles.
Hæc jam dicta legas, Pater optime, corde receptans,
Exhinc esse mihi dignare affabilis, atque
Rebus in occultis nostrum solare dolorem.
Scintillam portamus enim, quam si quis adauget,
Multiplicabit opem veniarum fine futuro.
Adveniens sua dona Deus cum pace requirat,
Multorum quòd sancta ferant tutamina nobis.
Inter convivas residens dulcesque catervas,
Audivi cupidus prisci convivia cœtus,
Qui pascente Deo meruit saturarier ipso,
Panibus ex quinis, tum piscibus ordine binis.
Quæ cum re facta pandunt mysteria certa,
Adsunt & nobis per suavia dona creantis
Panes, pisciculi, blandi quoque copia musti,
Semper ubique suis qui dat solatia servis,

[a] His versibus docet Vvalafridus, Vvetinum Augiæ litteras docuisse. Hinc suprà cap. 5 *celebri rumore Magister* fuisse dicitur.

Omnia qui condens renovat pereuntia clemens. *An. Chr. DCCCXXIV. Oct. XXXI.*
Interea dulcis fertur mihi normula piscis
Asconis calidi: sequitur vas denique musti,
Optatum & calidum, largè de principe missum,
Abbas quod *. . . . transmisit laude colendus. ** f Grimald*
Quem quàm laudarem, si tantum tempus haberem.
Quod mox ut cœpi, subietunt organa signi,
Quod Christi solitum monuit persolvere votum.
Quem dum tempus erit, gaudens mea musa sonabit,
Centuplicatque modos spatii quos deserit exsors.
Interea valeat, felixque per omnia surgat:
Lætus & in terris, superis lætetur in oris.



HISTORIA TRANSLATIONIS

SANCTI HUCBERTI

EPISCOPI TUNGRENSIS

IN MONASTERIUM ANDAGINENSE.

An. Chr. DCCCXXV. Sept. XXX.

Ab JONA Episcopo Aurelianensi tum vivente scripta.

Ex libris editis & codicibus mss.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. HUCBERTUS, *seu* HUGBERTUS, *recentioribus* Hubertus, *Tungrensis post sanctum Ladebertum Episcopus ab anno* DCCIX, *ad superos migravit anno* DCCXXVIII, *Leodii sepultus in oratorio sancti Petri, quod ipse construxerat. Corpus ejus tumulo compositum est cum iis ornamentis, quibus* indui solitus erat divino altari adsistens, subuculâ scilicet lineâ atque planetâ. Anno autem sexto decimo felicissimi ejus excessus, *qui annus* Karlomanni Regis, *id est Ducis seu Majoris-domus*, tertius *erat*, *Christi* DCCXLIV, *ipsius corpus è tumulo levatum, repertumque integrum est. Sacra pompa interfuit Karlomannus*, *qui* unà cum Optimatibus & Proceribus sui palatii, sanctissimi viri membra sustulit ex vase sepulcri, loculo imposuit, & detulit ante sanctum altare: ibidemque maxima ei munera devovit atque attribuit, vasa scilicet argentea, & pallia peregrino opere elaborata, necnon fundos fundorumque reditus, itemque servos prædiorum. *Hucberti obitus, elevatio.*

2. *Quia verò ecclesia sancti Petri humilis & modica erat*; WALCANDUS *Leodicensis Episcopus, qui recèns Andaginense Monasterium instauraverat, eò transtulit corpus sancti Hucberti, qua de translatione hic agimus. Rei gesta historiam Vvalcandi rogatu in litteras retulit* JONAS Episcopus, *haud dubiè Aurelianensis, & epistolam nuncupatoriam præfixit libro de vita sancti Hucberti, quem librum ipsius Hucberti discipulus condiderat. Exstat utriusque lucubratio apud Iohannem Roberti Societatis* JESU *in historia sancti Huberti, unà cum libro de miraculis ejusdem Sancti, quem librum post sequentem translationis historiam referemus.* *translatio Andaginum.*

3. *Andaginense seu Andainense Monasterium, à præterlabente amne Andagina sic dictum, postea sancti Hucberti, in saltu Arduennensi & Leodicensi diœcesi situm est. Monasterii auctor & Abbas primus fuit sanctus* BEREGISUS, *in sancti Trudonis Cœnobio educatus, qui in loco Andagino Canonicos rexisse perhibetur. Id factum eo tempore, quo Pippinus Heristallensis domum regiam moderabatur. Dein rebus in pejus abeuntibus, ad paucos Clericos redactum est istud collegium, dum Vvalcandus Leodicensis Episcopus collabentia in-* *Andaginensis Cœnobii primordia & incrementa.*

An. Chr. DCCCXXV. Sept. XXX

ſtauravit ædificia, quæ Monachis Ordinis noſtri attribuit. Poſtea ad augendam loci religionem ſancti Hucberti corpus eo transferri juſſit: quo ex tempore iſtic monaſtica diſciplina hactenus perſeveravit. Locum rexit ſæculo XI ſanctus THEODORICUS *Abbas, de quo agendum ſuo loco. Interim quædam de ſancto Beregiſo hîc præmittenda, & de cultu ſancti Hucberti.*

Beregiſus ejus auctor quis.

4. *Libellum de vita ſancti Beregiſi Abbatis anonymus quidam Monachus Andaginenſis ſcripſit* ſecundo anno Ottone filio Henrici Saxonum ſive Auſtraſiorum Rege ſuper Auſtraſios agente, qui eſt ab Incarnatione Domini nongenteſimus triceſimus ſeptimus, *uti ipſe tempus ſignavit. Conqueritur in prologo,* quòd ſcriptorum ignaviâ *ſancti Beregiſi res geſtæ in tenebris eatenus latuerint. teſtatur verò id operis ſe ſuſcepiſſe* deſiderantibus Fratribus *ſuis, & quæ refert ſe didiciſſe potiſſimùm à ſenioribus Monachis* OTBERTO, WLBERTO *&* BERREGRINNO. *Primùm tempus quo vixit Beregiſus præmittit, nempe ſub Pippino Majore-domus Franciæ, cujus Pippini Beregiſus Capellanus fuit. Cùm de ſtabiliendo Beregiſi tempore ſollicitus eſſet Auctor,* contigit cartam reperiri, quæ ſub cuſtodia eccleſiæ relervatur repoſita. Hæc namque ſub ipſius venerabilis Abbatis tempore ipſius nomini data eſt à quodam illius temporis Comite, nomine GRIMBERTO, & per ipſam donatio vinearum Treviris, quæ adhuc in jure Monaſterii retinentur, facta. Cùm ergo, inquit, hanc diſcuterem, & pro difficultate barbaricæ ſcripturæ non facilè penetrarem; adverti tandem in ultimo quod ipſa proponebat, in quinto anno Theodorici Regis editam fuiſſe. Inde recurrens ad volumina, ubi Regum ſupradictorum geſta deſcribuntur, reperi ſub Theodorico Rege Francorum Pippinum cognomento minorem, filium Anſegiſili, Auſtraſiis cum quodam Martino ducatum præbuiſſe. *His de tempore præſtitutis Auctor Vitam aggreditur, cujus hæc ſumma.* Beregiſus ex Gonduſtro pago Auſtraſiorum, ex vico qui vocatur Spongius, ortus fuit, parentibus, non quidem quantum ad ſæculum ingenuis, ſed tamen ſecundùm natales locupletibus ac religioſis. Patris nomine à memoria avulſo, matrem ferunt BERILLAM vocitatam fuiſſe: ipſum Haſbanio intra Monaſterium ſancti Trudonis parentum traditione ſub religionis habitu educatum, litterarumque eruditione ſimulque divina lege imbutum adeo ſalubribus incrementis profeciſſe, ut pontificali auctoritate ſacris ordinibus *initiaretur*, & reverendo Sacerdotii gradu ſublimaretur. *Tum Pippinus Anſegiſili filius eum ad ſe adſcivit* ut præcipuum Sacerdotem, cujus doctrinæ inſtituendum ſe cum conjuge ac prole ſubdidit. Sed vir prudens non immemor, quo fluctibus naufragoſi ſæculi ſe committere impellebatur, eo fidei gubernaculo navim mentis viriliter retorquens, ad portum quietis conſtanter relabi nitebatur. *Pippini indignationem incurrit*, eo quòd *cùm quondam in eccleſia* ſolus crinarii ornamentum *geſtaret, nec deponere vellet Pippinus, ipſum* ad oſculum *admittere noluit. Poſt hæc Beregiſus in ſaltu Arduennenſi aliquando cum Plectrude Pippini conjuge perambulans, locum Andaginum ſibi divinitus ad habitandum conceſſum eſſe intelligit, eumque obtinet à Pippino. Ibi* Monaſterium ſtatuit, baſilicam conſtructam beati principis Apoſtolorum nomine & reliquiis conſecrat, Clericorum officia delegat: quibus Clericis canonico ordine militantibus ipſe Pater in eodem habitu ſociatus eſt. *Ejus corpus poſt obitum* in ipſa æde terræ mandatum, miraculorum oſtenſione eſt glorificatum. *Ejus* depoſitio colitur ſexto Nonas menſis Octobris. *Hæc carpsimus ex prædicti Auctoris anonymi libello.*

5. *Ex his intelligimus primò, Andaginenſe Monaſterium* anno quinto Theodorici Regis *conditum jam fuiſſe. quod de Theodorico Kalenſi interpretor, non de Theodorico Chlodovei minoris filio: cujus Theodorici anno quinto nondum Pippinus Princeps, Heriſtallenſis dictus, Major domus erat. certè vix dum ædificatum erat Trudonianum Cœnobium, in quo Beregiſus educatus eſt. Secundò, Andaginenſe Monaſterium pro Canonicis conditum ab initio fuiſſe, & Beregiſum* in habitu canonico *eis præfuiſſe. quod etiam in ſubjecto libro atteſtatur Ionas ſcribens,* Cellam Andagium olim inhabitatoribus habitus canonici floruiſſe. *Hinc arguat aliquis, ſancti Trudonis Monaſterium, in quo Beregiſus* ſub religionis habitu educatus *fuiſſe dicitur, eadem norma addictum fuiſſe. At reſponderi poteſt, ipſum quidem* ſub religionis habitu *iſtic educatum, non tamen profeſſum eſſe monaſtica vota, quæ eo in loco ab aliis ſervabantur. Vualcandus Andaginenſis Monaſterii inſtaurator Leodicenſem iniit ſedem anno* DCCC X, *poſtea* commutato ordine clericali anno Domini octingenteſimo decimo-ſeptimo, Idus Auguſti, in die ſancti Laurentii Martyris, cum conſilio Papæ Leonis & Lodovici Imperatoris, Monachorum ibi religionem conſtituit, diſpoſitis eis poſſeſſionibus, quæ ſufficerent ibi Deo ſervientibus, *ut Ægidius Aurea-vallis Monachus ſcribit.* ALTUSUS *ſeu* ALVEUS *Abbas primus Monachis prælatus, de quo in lib. de miraculis cap. 1.*

S. Hucberti cultus.

6. *Hactenus celebre eſt ſancti Hucberti Andaginenſe Monaſterium, confluentium popu-*

lorum frequentiâ illustre, eorum maximè qui rabiosorum canum morsu contacti sunt. Antiquam ejus rei fuisse religionem constat ex libro sequenti de miraculis ejusdem Sancti, præcipuè ex capitibus 21 & 29, ubi etiam mentio fit incisionis & particula ex stola sancti Hucberti decisa, quæ contactorum fronti inseri solet. An. Chr. DCCC XXV. Sept. XXX.

1. ANNO siquidem octingentesimo tertio-decimo felicissimæ Incarnationis Domini nostri JESU-CHRISTI, exemto rebus humanis famosissimo Imperatore KAROLO victoriosissimo piissimo Augusto, qui regni Francorum spatia longè latéque dilatavit, & Christi gloriam suis in finibus ampliavit; insuper & multarum gentium cæcitatem quanta potuit virtute perculit, ereptasque profundis tenebris lucis claritate conspicuas reddidit; LUDOVICUS gloriosus filius ejus sceptra imperialia sibi debita atque à Deo tradita post eum feliciter rexit. Decebat quippe Christum talem ac tantum Imperio suo præficere Principem, in quo non modò aviti specimen elucerer Imperii, sed & qui mentis nobilitate insignis, prudentiâ singularis, moribusque innocuus, cunctis sibi subjectis fieret tot virtutum excellentiâ mirabilis. Hic ergo Imperii sui primordia talibus tantisque dedicare instituit auspiciis, ut incorrecta corrigerentur, bona collapsa erigerentur, & stantia solidarentur. Et quisque Ordo in Regno sibi tradito non passim levitate jactatus à propria regula exorbitaret, sed laïcus Ordo justitiæ deserviret, atque armis pacem sanctæ Ecclesiæ defenderet; Monasticus Ordo quietem diligeret, orationi vacaret; & qui se sæculi actibus secrevisset, eisdem iterum nec voluntate, nec necessitate semet subderet. Episcopalis autem Ordo ut his omnibus superintenderet, scilicet ut si qui ab his aut voluntate, aut necessitate deviarent, eorum solerti judicio prudentique consilio ad lineam rectitudinis correcti redirent. *Ludovicus Pius laudatus.*

2. In quibus, ut revera decet, cùm multi imitatione dignissimam talibus ejus monitis præberent obtemperantiam, pars horum non minima exstitit VVALCANDUS venerandus Episcopus. Is enim partim Divinitatis instinctu & mercedis intuitu, partim verò hujus sacratissimi Principis talibus monitionibus incitatus, studebat magnopere plebem sibi à Domino traditam bonorum operum exercitiis nobilitare, & de bonis ad meliora semper evehere: ac si quid in Episcopio suo resedisset emendatione dignum, totis nisibus in meliorem statum recuperare. Unde inter cetera quæ emendationem postulabant, obtulit se ejus munificentiæ Cella quædam, antiquo nomine vocata Andagium, quæ olim quidem inhabitatoribus habitûs canonici floruit; sed per excessum temporis vetustate nimia collapsa, & deficientibus habitatoribus pæne fuerat adnullata. Hæc ergo se materiam quamdam obtulit ejus munificentiæ, in qua liberalitatis suæ laxatis habenis quàm vacuus tenacitatis esset non inanibus verbis, sed exsecutione ostendit operis. Namque hanc pæne à fundamentis restauratam in melioremque statum denuo renovatam, posthabitâ avaritiâ nobiliter ejus statum composuit, ædificiis honestis nobilitavit, & exceptis prædiis quæ olim religiosorum virorum largitate possedit, alia de Episcopio suo superaddidit, incolasque illius Monachos esse voluit. Qui ut nullius rei inopes indigentiæ manus darent, atque à proposito sancto deficerent, ut dictũ est, strenuè prævidit, & nobiliter ordinavit. Egit namque ut sicut quæ forent necessaria subministrarat, ipsi quoque quæ divinæ forent grata voluntati, peragerent; & quantum sibi posse divinitas conferret, nequaquam ab ea declinarét. Adductis namque regularis vitæ optimis præceptoribus monasticæ ordinem vitæ eos edocuit, & bonorum operum exercitiis operam dare tam voce propria quàm & lectione divina suasit. Unde & actum est, ut ejus studium non inani labore cassaretur, sed super optimam terram jacto verbi semine citius centuplicato verbi fenore fructus multiplicaretur. *Vvalcandus Andaginum instaurat.* *Monachos ibi locat.*

3. Cœperunt igitur undequaque in eumdem locum religiositatis cultores confluere. & maximè nobiles viri ex Monasterio sancti Lamberti [a], qui apostolicæ vitæ desiderio accensi erant, viriliterque ejusdem ordinis vitam morum actuumque probitate tenere. Qui postquam detrita sanctæ conversationis via, quæ olim sibi fuerant aspera, Christo ductore cœperunt fieri levia; augmenta suæ perfectionis & devotionis requirentes, adierunt præfatum venerabilem ac devotum Antistitem Vvalcandum, uti beatissimi Hucberti Præsulis ossa eis à loco ejus sepulturæ permitteret transferre, & in Cellam suæ habitationis ob sui consolationem & Confessoris Domini ampliorem honorem transportare. Qui vocis eorum petitionem ut pius Pater clementer audivit, indignumque locum quo sancta membra jacebant, tanto Confes- *Eò plurimi se recipiunt.* [a] *S. Hucberti corpus eò transfertur.*

[a] Sic vocatur ecclesia cathedralis urbis Leodii, cujus ecclesiæ Canonici ad Monasterium Andaginense plurimi receperunt se se. Nam eo tempore Monasterii nomen etiam ecclesiis cathedralibus tribuebatur. Lege Ægidium Aureæ-vallis Monachum in cap. 34 de Vvalcando.

An. Chr. DCCC XXV. Sept. XXX.

sore judicavit. Sed & piam petitionem eorum impleri posse atque debere non abnuit. Attamen ne incautè ac passim levitatis errore dictante id fecisse videretur, ferme tribus annis eorum petitionem distulit. Sed cùm ab ipsis venerandis viris magnopere ut id eis concederet exigeretur; prudenti consilio cuncta peragens, Adabaldum [a] venerabilem virum Metropolitem suum super hac re consuluit, qui & ipse in tanta re consilium suum, ut decebat, summæ humilitatis virum reputans, minimum ratum duxit, ut unà Christianissimum atque Orthodoxum Principem Ludovicum Imperatorem adirent, & quæ eos pulsaret Fratrum petitio, pariter edicerent. Qui & ipse gloriosus atque invictus Augustus considerans rem pergrandem, atque paucorum vires magnitudine sui transscendentem, ad Concilium [b] venerabile Episcoporum, quod tunc temporis apud Aquasgrani congregatum erat, statuit conferendum, & quid de his esset gerendum à sententia sancti conventus magnopere flagitandum. Isdem autem venerabilis ac prorsus Deo amabilis conventus, consideratis undique partibus, scilicet qui & quam rem peterent, sed & reverentiâ Domini Confessoris, sanxerunt tot religiosorum virorum voto sancti viri ossa committi, & in Monasterio supradicto, ubi religiosiùs honorarentur, collocari. Quorum sententiæ sæpe dictus Pontifex obedientiam præbuit, consilio assensit, & petentibus jam dictis venerandis viris sanctissimi viri Hucberti corpus attribuit.

annuente Metropolitano, Rege & Concilio,

anno 825. 4. Nam anno ordinationis ipsius sextodecimo, qui est Incarnationis dominicæ octingentesimus vicesimus quintus, undecimo Kalendas Octobris, ad beatissimi Confessoris ventum est urnam, atque à Sacerdotibus cum maxima reverentia à loco sepulturæ ejus effossa, indidemque cum religiosi populi gradusque ecclesiastici frequentia in beati Lamberti ecclesiam Sancti ossa sunt transvecta, ubi triduo orationibus & vigiliis prosecuta, pridie Kalendas Octobris ad memoratum Monasterium cum loculo suo sunt perlata, ibidemque Christo annuente, ut tanto Confessori competebat, sunt mirificè condita.

prid. Kal. Octobris.

5. Sed quoniam insignia Christi miracula quibus multifariè Sanctos suos glorificat, nullo modo sunt occulenda, sed magis magisque, quantum fari mortalibus datur, ob ejus laudem & gloriam propalandam fideliter præconanda; valde indecens indignumque judicavimus, ut ejus magnificentiam, quæ nostro sæculo circa memorati sancti viri cadaver, mirabiliter effulsit, silentio tegamus. Verùm sicut sæpefati venerabilis Antistitis Vualtcandi & quorumdam aliorum religiosorum virorum veraci relatu didicimus, prorsus ab illa corruptione quæ ob prævaricationem primi parentis justissimè naturæ humanæ pœnaliter inflicta est; ejusdem beatissimi viri corporis totius compago ita aliena immunisque est reperta, quemadmodum tempore Karolomanni Regis [c] legitur fuisse inventa & terræ mandata. Quòd quantum sub ipsius Principis tempore erga præfati sancti viri corpus per tot elapsa sæcula [d] incorruptè servatum virtus divina claruerit, si quis plenè nosse desiderat, seriem hujus libelli paullo superiùs repetendo perspicaciter legat: ibique quanto honore, quantave inlæsione & incorruptione protectio divina illud donaverit, rationabiliter comprehensa fideliterque adnotata perfacile colligere quibit. Cùm igitur nil detrimenti, nilque corruptionis in corporis ejusdem sancti viri prima translatione, quæ facta est sub memorato Principe, compertum fuisse didicerit; nullo modo quod in hac secunda, quæ facta est à Vualtcando Præsule sub piissimo Deoque amabili Ludovico Cæsare, sæpedicti sancti viri corpus solidum illæsumque eadem Christi gratia protegente inveniri quiverit, dubitabit. ac per hoc totius ambiguitatis nubilo exutus, veritatisque perspicuæ luce perfusus, nil nisi quod miretur, & unde divinæ potentiæ multiplices grates dignè persolvat inveniens, Deum proculdubio mirabilem gloriosumque, sicut in ceteris Sanctis suis, ita quoque in hujus fidelissimi servuli sui corpore tot tantorumque donorum prærogativis legi naturæ vim inferentibus honorato & glorificato, toto adnisu prædicandum cernuis vocibus exclamabit.

Corpus integrum repertum.

6. Interfluxit autem spatium temporis à prima usque ad secundam translationem

[a] Adabaldus seu Hadabaldus in sedem Coloniensem successit Hildebaldo Archicapellano circiter annum DCCC XVII, idemque Concilio apud Teodonis villam interfuit anno DCCC XXI, & Moguntino anno DCCC XXVIII.

[b] Nota hic ad reliquiarum translationem requiri consensum Metropolitani, Regis & Synodi. Nempe id statutum fuerat in Concilio Moguntiacensis cap. 50 anno DCCC XIII. Concilium istud Aquisgranense videtur fuisse aliud ab eo quod anno DCCC XVII celebratum est. Cur enim dilata fuisset translatio in annum DCCC XXV?

[c] Id est Majoris-domus, cujus anno tertio alevatio corporis sancti Hucberti facta est, ut superiùs observatum, id est anno DCC XLIV, tertio scilicet anno ab obitu patris Caroli Martelli.

[d] Videtur Jonas hic sæculorum nomine annos intelligere. Nondum enim duo sæcula ab Hucberti morte tum effluxerant.

annorum

annorum circiter septuaginta quinque [a], regnante Domino nostro JESU-CHRISTO & pollicente suis se usque ad consummationem sæculi adfuturum fidelibus, eorumque agonibus misericorditer opitulante, triumphosque fideliter atque feliciter, ineffabiliterque remunerante, qui vivit cum Deo Patre & regnat Deus in unitate Spiritus-sancti per infinita sæcula sæculorum. Amen. An Chr. dccc xxv. Sept. xxx. Intervallum inter utramque translationem.

INCIPIUNT MIRACULA

Post prædictam translationem facta.

Scripta ab auctore Anonymo sub finem sæculi XI.

Ex Iohanne Roberti in historia S. Huberti.



N ipso anno translationis beati Huberti, cæcus quidam peregrinus, sed fide devotus, de longinquo venit ad Monasterium, & secundùm morem hospitio susceptus, respectum divinæ misericordiæ per ejus merita præstolabatur. Eo per triduum in precibus persistente, nox advenit dominica; Fratribusque ad vigilias surgentibus, & ipse fideliter adesse maturavit. Exorso autem à canente responsorio duodecimo [b], repentè illuminatus, cœpit conclamare gratias Deo & beato Huberto, quòd post laborem tanti itineris, visum meruisset recipere. Cumque Fratres eum ad Sancti sepulcrum sine ducatu currere viderent, laudibus divinis instabant attentiùs, eisque expletis cecinerunt hymnum *Te Deum laudamus*. Hoc vicini comperto, congratulabantur de præsentia tanti Præsulis, quem suis quoque necessitatibus specialiter adfuturum sperabant. unde & concepta devotione frequentiùs ad eum confluebant. Venerabilis verò ALVEUS [c] qui tum præerat Monasterio, cæcum illuminatum WALCANDO Episcopo ditexit, eumque gratanter exhilaravit, quia sic divinitus magnificaretur locus suæ constitutionis. Unde & adsistentibus sibi referens frequentiùs rei jucunditatem, apud se hominem retentum vestibus novis jussit indui, eique rerum sufficientiam usque ad obitum constituit. Caput I. Cæcus luminé recipit.

II. In Marlida * quoque, quæ villa erat ecclesiasticæ possessionis, fabrum quemdam nomine Anglemarum, ob suæ artis studium, contigit cæcari. qui comitante fide, post quinquennium à filio perductus ad Monasterium, ne vacuus venisse videretur, duas ferri fusuras ad limen ecclesiæ secum detulit. Biduo autem retentus, in hospitio pauperum mansit, & tertia ductus ad ecclesiam, longiùs orationem protraxit. Fratribus verò jam post meridiem [d] pausantibus, filius eum hortari cœpit, ut ad hospitium rediret, & benedictionem à Fratribus præparatam cum ceteris sumeret. Ad quem Pater conversus, homines eminus gradientes se dixit intueri, structuramque ædificiorum mirari. Cui cùm filius responderet eum vera videre; ille versus ad Orientem contra Sancti sepulcrum, voce qua poterat cœpit laudare Dominum, & tam exaudibilem Patronum. Quo Fratres audito, debitas pro miraculo laudes exsolverunt, & homini ex consulto stipem constituentes, ut usibus Monasterii in arte sua deserviret, quam diu superfuit, detinuerunt. Item alius. * Marloye

III. Quidam de Villa Brattis * quæ proxima est Monasterio, Fratrum usibus deserviebat, ejusdemque servitutis procurationem sollicitè agebat. qui ad hoc ipsum exsequendum, ut expeditior interesset foro rerum venalium quod circa festum sancti Pontificis agitur, equum suum sine custode emisit ad pastum. Expleto negotio cùm requisitum non inveniret equum, familiare Patroni sui reclamavit patrocinium: cui etiam devovit candelam, si ejus meritis reciperet equum, quem perdiderat. Interea qui equum rapuerat, nullomodo silvam circumjacentem exire poterat, quam, ut sibi videbatur, jam diu præterisse gaudebat. Facto mane, cùm hebetato divinitus sensu, tanto sibi videretur securior, quanto elongatior, repentè in foro, quo subterfugerat, se positum recognovit, ibidemque hominem pro equo à se ablato Fur impeditus. * Bra Candela oblata.

[a] Immo octoginta & unius annorum. tot enim numerantur anni ab anno dcc xliv ad dccc xxv.

[b] Lectiones quippe duodecim totidemque responsoria in nocturnis officiis Dominici festorumque dierum dicuntur ex præscripto Regulæ nostræ capp. 11 & 14.

[c] Is est Abbas Andaginensis primus. qui Synodo Aquisgranensi interfuisse memoratur in catalogo Abbatum istius Monasterii. Synodus hæc habita est anno dccc xvii. ac proinde corrigendus catalogus, ubi dicitur Alveus Monasterio præfectus anno dccc xxiii.

[d] Et hoc ex Regulæ cap. 48. ubi sanctus Benedictus suis in æstate somnum pomeridianum indulget.

An. Chr. DCCC XXV. Sept. XXX. anxiantem offendit. Ille viso equo jam lætior factus, cum rubore divertere volentem invasit, & equum recipiens cum gratiarum actione Patrono suo votum exsulvit.

IV. Contracta directa. Quædam mulier de villa Trodans, nobilis, sed contracta, audiens famam virtutum sancti Pontificis, ut ad ejus festum ab amicis perduceretur obtinuit. quæ vehiculo delata, & ad caput sepulcri deposita, circa horam tertiam reddita est sospitati: & nullo juvante, rediens ad propria, quoad vixit in eadem sospitate permansit.

V. Item clinicus. Alius quidam, Otgarius nomine, adeo infirmitate premebatur, ut privatus officio totius corporis, non solùm standi vel ambulandi, sed etiam sedendi careret usu. Qui suorum auxilio, gratiâ recuperandæ salutis ad Monasterium devectus, dum ibi per biennium moraretur, nocte dominica convaluit, incolumitati integerrimæ restitutus. Cujus gratiæ ne videretur ingratus, postquam circumquaque discurrens Sancti gloriam cum laudibus prædicavit; reversus ad ecclesiam, ejus se deinceps offertoriali a servitio mancipavit.

VI. Anno 830 tempestas sedata. Anno igitur Verbi incarnati octingentesimo trigesimo septimo, imperii autem LUDOVICI vicesimo quinto, ordinationis verò domni WALCANDI b Episcopi vicesimo octavo, accidit, ut circumquaque desæviret furor animadversionis, ejusque fusoris pondus maximè incumberet viciniæ beati Huberti. Tanta enim imbrium inundavit enormitas, tanta sævæ tempestatis immanitas, ut quæque sata, aut radicitus evelleret, aut ad solum usque deprimeret, & ex periculo famis mortem omnibus intentaret. Hujusmodi pestem offensioni suæ reputantes Sacerdotes, cum populis conferebant, & qualiter divinæ indignationi satisfacerent, ad invicem consulebant. Tandem definito consilio, hoc solùm crediderunt sibi superesse remedium, ut ad beati Huberti confugerent patrocinium, si tamen liceret eis indifferenter ejus adire Monasterium. Nam tunc temporis sub venerabili Abbate SEVOLDO c tanta in loco erat religionis reverentia, ut quibusque sæcularibus difficilis esset ibi conveniendi licentia, nullusque ingrediendi aditus concederetur feminis d, nisi in annuali festo ipsius Pontificis. Præmissi igitur cum precibus legati, periculum quo premebantur, suggesserunt Abbati & Fratribus. Et quia sciebant conveniendi aditum difficillimè concedendum, ut tandem concederetur, prætenta generali necessitate expetierunt, addentes, se velle cum reliquiis & crucibus convenire, & offensam divinæ indignationis, per intercessionem ejusdem Patroni, collatis muneribus complacare. Audito periculo communi Abbas & Fratres cœperunt angustiari, ne vel infracto consuetudinis usu, arguerentur temeritatis, vel deesse viderentur tribulantium devotioni & justæ petitioni. Tandem compulit invitos caritatis affectus, ut fraternæ necessitati compaterentur, & ex communi consultu, permissâ licentiâ veniendi, indixerunt & hoc ipsum fieri cum gravitate & reverentia. Cumque hujusmodi consensum legati ad eos, qui se præmiserant, hilariter retulissent, de spe consolationis conceptâ lætitiâ, omnes in commune jocundantes Dominum laudabant. Ergo ex condicto devotionis, Sacerdotes undequaque terni aut quaterni vel quini, prout erat eis convenientia commeandi, multa plebe sexus utriusque comitante, certificatis diebus ad Monasterium, nudis pedibus, & jejunantes, cum crucibus atque oblationibus convenerunt: Fratres quoque cum debita devotione & reverentia venientibus obviàm processerunt. Quibus ecclesiam cum laudibus, ingressis, & ad sepulcrum sancti Pontificis oblationibus depositis, post celebrationem Missarum, ejusdem Patroni intercessione divinæ consolationis effectum absque ulla dilatione obtinuerunt. Nam ilico radiante sole, conquievit inundatio imbrium, & longo pòst tempore nullum partibus illis quælibet tempestas intulit damnum. Nec mora, provinciales tam celerem divinæ propitiationis experientiam meritis beati Huberti reputantes, petierunt sibi concedi; ut per singulos annos, certifica-

a Alii Sanctorum seu cujusvis ecclesiæ servi erant offertoriales, alii censuales. Offertoriales toti addicti erant ad obsequium ecclesiæ: censuales aliquid annuo censu deferebant. Offertoriales se tradebant aliquando fune ad collum alligato, ut patet ex historia translationis sancti Gorgonii cap. 17. Censuales verò capitis inclinatione ad altare, ut in lib. de miraculis sancti Emmerammi legitur cap. 11 legitur de quibusdam, qui capita cum manibus religiosè altari sancti Emmerammi imponentes, professi sunt se Martyri perpetuos censuales.

b Hinc apparet Walcandum anno DCCC X pontificatum iniisse: & amplius annis octo decim, quos ipsi tribuit Ægidius Aureævallis Monachus eum tenuisse.

c Tertium hunc Abbatem numerant recentiores, qui primum Alveum, secundum notant Marcwardum, qui etiam Prumiensis Monasterii rector fuit, quem viventem aiunt Sevoldo regimen Andaginense resignasse, Sevoldum verò præfuisse annis XIX ab anno DCCC XXXVI, ac demum Idibus Januarii migrasse ad Christum.

d Id usu receptum in plerisque Monasteriis Ordinis nostri, ut sæpius observatum.

sis diebus, pro necessitatibus suis multis convenirent, ea nimirum conditione inter- AN. CHR.
posita, ut quisque deferret ad devotionis gratiam, prout esset illi facultatis copia. DCCC XXV.
cujus devotionis consuetudinem, ne quisquam infirmare, vel minuere præsumeret, SEPT. XXX.
banno [a] Imperiali & lege synodali confirmata est.

VII. Clinica restituta.

Apud fiscum Caviniacum quidam Adelmoldus filiam habebat, quæ usque ad quinquennium incolumis permanserat. Sed cùm quadam nocte obdurmisset, facto mane adeo se invenit debilem, ut omnimodo contracta nusquam se penitus movere posset, & per triduum sanguinem vomeret. Hujus suæ infirmitatis octavo anno, prædictæ autem constitutionis secundo, ex edicto Sacerdotum præparabant se ad Monasterium ituri, & vota quæ spoponderant, hilariter & devotè reddituri. Eumdem apparatum, ut erat debilis, puella audivit; & nisi cum ceteris illò pergentibus deferretur, patri se omnino morituram asseruit. Pater, licèt affectus tædio ejus diutinæ infirmitatis, fidem suam apponens ejus fidei, equo superimpositam ad Monasterium devexit. Ceteris qui venerant vota solventibus, inter Missarum sollemnia, pater filiam ante sepulcrum Sancti deposuit, seque cum illa in oratione prostravit. Oratione expleta, cùm filiam ut erigeret vellet amplecti, illa jam incolumis, ejus se adjutorio non indigere exclamavit; ipsaque per se alacriter surgens, per omnes, qui convenerant, Domino tamque exaudibili Patrono maximas gratiarum actiones suscitavit.

VIII. Anno 843 invasor punitus.

Anno incarnati Verbi octingentesimo quadragesimo primo, succedente in Regnum patris KAROLO Ludovici filio, Comes ODO ex rebus suis transitoriis affectans sibi commodum æternitatis, Bonorrinum, & Bononismoniem, & ecclesiam quæ est in Tilatio in honore sancti Audoëni, sub venerabili Abbate SAVOLNO, adstantibus & laudantibus HARCARIO, GODARANNO, BERAMONNO, nepotibus ejus, ecclesiæ sancti Petri sanctique Huberti pro animæ suæ remedio legaliter tradidit. Post cujus decessum, nepos ejus Goderannus, quæ tradita fuerant, violenter invasit, negans sine suo consensu factum ejusdem traditionis donum, cui interfuerat: ideoque sibi justè repetendum, & jure propinquitatis cedendum. Legatio Monasterii ad eum frequenter directa supplicabat, ut ab hac intentione resipisceret: in hoc se potiùs propinquum defuncti probaret, ne pietate neglecta, ejus devotionem impediret: vel si eum recordatio humanitatis non flecteret, saltem divinæ ultionis pœnam timeret. E contrario cùm ille pertinacius resisteret, parvumque sibi ex eo commodum provenisse objiciens, nullum justæ rationis assensum admitteret; contigit, ut per eadem prædia transiens in Monasterium diverteret. quem Fratres læti honestè susceptum, ut caritatis gratiâ pranderet, coëgerunt, panesque suis manibus cum laude psalmodiæ [b] formatos discumbenti attulerunt. Ille, ut erat perfidæ mentis, suspicatus, hac exhibitione se velle induci, ut tandem resipisceret à pervasis rebus ecclesiasticis, oblatos sibi panes cum suis modicè prægustatos abjecit, & cum indignatione & superbia, canibus suis, qui oblatrabant, projici jussit. Prohibentibus ministris id agendum, eamdem prohibitionem canes comprobaverunt. quia licèt famelici, eos nullo modo contingere præsumserunt. Mirantibus ceteris hujusmodi spectaculum, Goderannus pro nihilo duxit miraculum, & inde cum irrisione digressus, ibat quò disposuerat eundum. Abeuntem ultio divina prosequitur: & subitaneo dolore viscerum interceptus, cùm ob injuriam Sancti talem se intelligeret pati vindictam, licèt invitus, relaxat quæ injustè pervaserat: & missa legatione ad Monasterium, hoc ipsum nuntiari Fratribus imperat. Nec mora, ab infirmitate convaluit. Sed ingratus ejusdem valetudinis, ad eadem repetenda, quæ relaxaverat, seipso deterior, ferventiùs inardescit. Audito fratris incommodo, quidam ejus frater eum reviserat mærens. Ad quem ille conversus, cœpit seipsum nimiæ levitatis arguere, quòd casuali attactus dolore, quæ sui juris erant, beato Huberto relaxasset: sed nemo speraret, se diutius hoc pati posse. Continuò fauces minantis redivivus dolor intercipit: stridoribus potiùs, quàm verbis clàmat, se strangulari Monachorum eulogiis. Et inter clamandum, horrendo exitu spiritum emittens, quæ sua erant, ecclesiæ liberiùs possidenda reliquit.

IX. Cæca lumen recipit.

In pago Condustro [c] femina quædam nobilis lumen amiserat: quæ precibus importunis parentes suos, ut se ad ecclesiam beati Huberti deducerent, sollicitabat. Quibus obsistentibus, & hujus suæ spei fructum desperantibus, concepta semel fide, in rogando perseveravit; & quod non obtinuerat gratiâ consanguinitatis, sub assectatio-

[a] Id est edicto Imperatoris, scilicet Ludovici Augusti. neque id ad cruces bannales (quas vocant) referendum

[b] Hic duo notanda. unum panes fuisse eulogias, quos panes vocamus benedictos. neque enim aliàs canibus eos iis dare illicitum fuisset. alterum, factos fuisse ritu illo, quo sacras hostias fieri præscribit libri 3 Consuetudinum Cluniacensium caput 11.

[c] Condrustum, *le Condrost*, tractus inter fluvios Urtam & Mosam, diœcesis Leodicensis

An. Chr. DCCXXV. Sept. XXX. ne meritorum sancti Pontificis ut tandem abduceretur exoravit. Agebantur sollemnitas ejusdem Pontificis, & impingentibus eam confluentibus turbis cùm difficilis aditus ecclesiæ sibi videretur; periit, ut ad aquam quæ per canales in usus Monasterii influebat, deduceretur. Quò deducta, cùm ter faciem ablueret, & inter abluendum Sancti meritum imploraret; quædam albugo ab oculis ejus cecidit, & diu desideratum lumen recepit.

X. Invasor alteri multatus. Quodam tempore, apud villam Rapazium, quæ sita est juxta Tarvoniam, temerarius quidam tentabat invadere partem agri ecclesiastici juris, & possessioni suæ, quæ contermina erat, copulare. Superveniente enim messis tempore, collegit duodecim manipulos ex eodem agro, qui suæ sationis non erant, & seorsum violenter suis apposuit. Requisitus à villico ecclesiæ, cur tale quid facere præsumeret, ille, adscenso equo, cum indignatione messem quæ superetat, discurrendo cœpit conculcare, virgâ designans adhuc etiam ulteriorem ejusdem agri partem cessisse sibi jure paterno. Qui, cùm rediens domum, matri facta retulisset, & illa cum seniorum judicio, quæ agenda deliberat, committere moneret; ipse in crastinum evocatis senioribus villæ, cœpit eques subsequentes ad agrum præcedere. Insolentiam verò festinantis divina vindicta excepit. Nam hebetato sensu ab eodem agro divinitus procul repulsus, per campus & villas circumjacentes equo insaniente circumfertur. Taliter per viginti milliaria, continuato cursu, ab hora diei tertia usque ad vesperam, sub sessore equus deficit, & moritur. Requisitus homo ab amicis & inventus, domum semianimis revehitur: & lecto prostratus, inter dolores & gemitus nomen sancti Pontificis, ut sibi jam pœnitenti remittat injuriam, deprecatur. Campum sui juris abhinc perpetuò illi donandum pollicetur: sed mater ipsum donum tamquam inutile statim morituro interdicit. Tamen post votum juvenis paullulum relevatus, ducitur in ecclesiam ibidem in honore Sancti constitutam; nihilque se adversus eum ampliùs conari publicè profitetur. Sic jam factus sanior & longioris vitæ securior, promissi agri mutavit votum, eumque Sancto subductum, posteris suis destinavit hereditandum. Continuò vindex mendacii languor redintegratur. & ne alicui casualis videretur, cùm aliquando visendi causâ ad agrum, quem diligebat, deferretur; in ipso egressu, ne eum ampliùs videret, subita cæcitate mulctatur.

XI. Vexator punitus. Contigerat sub eodem tempore, quosdam Principes Austrasiorum per eamdem Tarvoniam transitum habuisse, & imminente nocte ibidem remansisse. In confinio ipsius villæ duo pauperes cohabitabant; quorum casalam quidam hostium irrumpentes, ut eis cœna pararetur violenter exigebant. Quibus cùm ad satisfaciendum præferretur quidquid in promtum habebatur, illi dedignantes condescendere pauperum possibilitati, carnium sibi copiam procurari minis & verberibus compellebant. Negantes illi, quod non habebant, cum furore trahuntur ad pœnam: & quod solum superetat illis remedium, beati Huberti lacrymabiliter implorant suffragium. Tandem ea conditione relaxantur, ut quomodocumque quærerent quod exigebatur: unoque retento, alter ad hoc procurandum emittitur. qui pacto pretio carnes à creditore deferens, domum revertitur, & exactores suos admonet, ut delatis utantur. Recusant illi oblatas. jam enim eos invaserat ultio divina; atrociorem quidem intraneus dolor; alterum verò ne idem pateretur, horribilis timor. Depositâ feritate, jam supplices exorant, ipsos pauperes sibi patrocinari apud Patronum, quem reclamaverant; cujus indignatione provocata, tam celerem experiebantur vindictam. Super his mori sodales, de proximo confluunt, & ne simili plecterentur vindicta, jam moderatiores hospitibus suis per totam villam redduntur. Facto mane, ille, ut erat sui mer impos, sociorum manibus equo superpositus religatur, & Hasbaniam usque devectus, miserabili fine vitâ privatur

XII. Contractus erectus. Alio tempore confluentibus populis ad festum sancti Pontificis, quidam contractus concepta spe recipiendæ sanitatis ad locum devectus convenit. qui juxta sepulcrum Sancti positus, in oratione pernoctavit, & divinæ misericordiæ clementiam usque ad media Missarum sollemnia sustinuit. Perlecto Evangelio, crura femori hærentia cœperunt resolvi, nodositates brachiorum extensis nervis relaxari; & acclamantibus populis, adplenè redintegratus homo, seipsum mirari. Probato publicè divinitatis miraculo, suscitatur in debitas laudes communis devotio: & unde ad salutem rediit unus, inde multorum in Dominum profecit affectus.

XIII. Item alii duo. Alii duo æquè contracti ad patrocinium Sancti diverso tempore convenerant: quorum unus, dum apprehensâ pallâ altaris nititur adsurgere, se miratur convaluisse: alter innixus parieti, quo locus sepulcri ambitur, dum se transponere molitur, integerrimè in omnibus membris reformatur.

Villa quæ dicitur Luisceia, Monasterio satis est contigua. Hujus quidam Procura-

tor morſu rabidi lupi infectus, dum ſibi ineſſe ſentiret mortis periculum, ad Sancti confugit auxilium, & ut ejus beneficium certiùs experiretur, devovit illi dandum quo vehebatur equum. Eſt enim eo in loco certiſſima ſalus hujus horrendi a diſcriminis, ſi adſit vera fides periclitantis, & obſerventur dictata conditio collatæ ſanitatis. Auro igitur ſacratæ ſtolæ capiti periclitantis de more inſito, & ſe obſervandi ordine dictato, domum rediit. Qui per acceſſum temporis, jam liberior timoris, & certior impetratæ ſalutis, votum quod nolebat reddere, ſe etiam voluiſſe diſſimulabat. Quandoque tamen, ut erat curioſus illius ſuæ procurationis, per Monaſterium tranſitum habuit, & religato procul equo, ad fores eccleſiæ oraturus procubuit. Citata oratione, dum exſurgit curſor anhelus, equum quem procul religaverat, juxta ſe ſtantem miratur. ſic ſibi quaſi apparatum, profecturus adſcendit: ſed hærentem nuſquam promovere valens, reſiſtit. Factus miſer ſibimet ludibrio, & concurrentibus ſpectaculo, quo acriùs equum urget, ut exeat, eo recedens ille obſtinatiùs, cum hinnitu caput ad templum replicat. Conveniunt ad ſpectaculum eccleſiæ æditui cum paucis qui relicti erant Monachis. nam ceteri, delatis ſecum Sanctorum pignoribus, propter Umbrorum b incurſus in caſtro Gamedeſla morabantur. Iterum atque iterum clamoribus circumſtantium equus incitatur, flagris tunditur, obſeratis ſibi foribus reappropinquans repellitur. Jam palam à cunctis intelligebatur, non id fruſtra fieri, cùm reus voti quod jam diu diſtulerat, non ſine confuſione prodidit. Et quia præ laſſitudine indigebat equo domum revehi, pactâ ſponſione illum remittendi, conceſſione Fratrum velociter diſceſſit, & votum ſine dilatione remiſit, gratias agens Deo & ſancto Pontifici, quòd tamdiu ingratus, evaſiſſet periculum juſtiſſimæ ultionis.

An. Chr. dccc xxv. Sept. xxx.

XIV. Voti violator.

Comitatum Ardnenenſem agebat Theodoricus, cujus frater Alerannus partes æquabat ejuſdem Comitatus. Hi cùm opportunitate ſilvarum haberent venandi ſtudium; in eodem exercitio quidam Jamenoldus erat Præpoſitus venatorum. qui dum ſæpius eccleſiaſticos ſaltus circa Monaſterium luſtraret, nullumque proventum venationis inveniret; condixit ſuis ut in nomine ſancti Pontificis exeuntes, ſi quid proveniret, illi pro voto redderent. Igitur aggregatis canibus die ſtatuta procedentes, repentino eventu inſperatæ magnitudinis aprum emoverunt. qui poſt varios anfractus ſui moris gradum ſigens in quodam vicino Monaſterii receſſu, quaſi ſe Sancto ſponte dederet, immobiliter hæſit. Quem prædictus venatorum Præpoſitus, cum ſuis hilariter proſecutus, dum eum cujus eſſet magnitudinis, miraretur; quaſi jam captum, decrevit domino ſuo deferendum; alium verò minoris quantitatis Sancto perquirendum. Mox aper, quaſi indignatus ſe Sancto ſubtrahi, grege canum deturbato elapſus evaſit, & dignam confuſionem caſſatis venatoribus reliquit. Erat enim ab antiquo totius Arduannæ primoribus, ex debito firmatæ conſuetudinis, per ſingulas vices annuæ venationis primitias, & decimas cujuſque generis ferarum beato Huberto perſolvere, eo quòd idem Sanctus, priuſquam mutato ſæculari habitu, propoſiti ſancti ordinem percepiſſet, hujus exercitii fuerit ſtudioſus. Unde & de cetero à quibuſque vicinis nobilibus idem ſtudium in ejus nomine agitur.

XV. Venationis præda S. Hucberto vota.

Quodam tempore per pagum Arduennenſem hoſtilis expeditio tranſibat: quæ dum, ut moris ejus eſt, ſe per opportuna loca ſpargeret, quædam pars in Aprivillam, quæ Monaſterio finitima eſt, divertit. Et cùm equis immiſſis immoderatiùs prata vaſtarent, & incolæ ſpem alendorum animalium ſe amittere dolerent; non ſolùm in hoc dolentibus non pepercerunt, ſed & violenter eorum effractis domibus, quæ in eis erant victualia rapuerunt. quibus refecti, cùm veſpera imminente cum equis ſuis ibidem pernoctare deſtinarent, & eccleſiaſtica familia Patroni ſui auxilium ſuper hac injuria flagitaret; cælum repentè obnubilatum terribiliter intonuit, & maxima tempeſtas incubuit. Obſcurato aëre, non ſolùm cum pluvia grando ferebatur, ſed & ſcuta fugientium capitibus ſuperpoſita colliſione lapidum detrita comminuebantur. Quibuſdam vix fuga vitam reſervaſſet, domibus quas priùs violenter infregerant, ſe ſuppliciter injecerunt, incoliſque, ut à Patrono ſuo ſibi veniam vitamque obtinerent, humiliter ſatisfaciebant: quem, quia protervè offenderant, hujuſmodi vindictam patiebantur. Et cùm ibidem pernoctaſſent, ſemper ſuſpecti, ne periculum quod verebantur eveniret eis, orto mane ut citius excederent, exierunt, equos ſuos quæſituri, omnibuſque exſtinctis, vix ſupereſſe duos invenerunt. Quibus aſſumtis, cùm eis abſcedere licuiſſet, nullum ſibi damnum eveniſſe reputabant, cùm etiam mortem quam timebant, contigiſſet evaſiſſe.

XVI. Sancto injuri territi.

a Hinc patet primis illis temporibus Fideles ad ſanctum Hucbertum confugere ſolitos ad rabiem vitandam, & particulam ſacræ ſtolæ, uti etiam modò actitatur, periclitantium capitibus inſertam. Lege caput 21.

b Id eſt Hungrorum, ut puto, qui initio ſæculi noni regiones illas infeſtabant.

An. Chr. DCCCXXV. Sept. XXX.

XVII. Erluinus Comes morte punitus.

Quidam Erluinus, Comes Gabeliensis, tantæ feritatis & superbiæ fuerat, ut quibuscumque prævalere posset, sive ecclesiarum, sive sæcularium rebus, oppressionem inferret. Quia verò possessiones beati Huberti eo sibi videbantur ad deprimendum faciliores, quanto & erant propinquiores; postposito respectu justitiæ, in ipsum etiam Mononem Præpositum Monasterii manum conatus est mittere, quia ei videbatur inimicus ob defensionem ecclesiæ. Hic digressus per Arduennam, transitum habere Burias devenit: & ibidem in prato quodam juris sancti Remacli, cum suis repausaturus descendit. Injustam vastationem alieni juris quidam fidelium incolarum molestè ferens, nomen & meritum beati Remacli, ne hoc impune pateretur, inclamavit. Ab indignantibus derisus est homo, eique objectum est nihil hujusmodi juvaminis inesse Remaclo. Tandem profecturi, cùm ducem, utpote viarum ignari, quærerent, quemdam subulcum familiæ beati Huberti offenderunt, quem ut eis prævius esset, verberibus cogere cœperunt. Ille omnino renitens, cùm curam pastionis suæ cogentibus prætenderet, uxor ejus accedens, ut relaxaretur, Erluini pedes complecti voluit. quam ille indignatus, pede percussam contumeliosè rejecit. sed statim eamdem impietatem ultio divina vindicandam excepit. Nam repentino dolore compressus, cùm tardiùs solito incederet, & quod patiebatur dissimulantem mirarentur milites, vix equitando ad villam *Masbourg* pervenit, & ibidem lapsus equo, inter manus suorum corruit. Inde in gestatorio collectus, cùm ad sua destinaretur revehi, vix perlatus usque ad rivum Martini, miserabiliter spiritum exhalavit.

XVIII. Sancti corpus ob Danos elatum.

Danorum gens à finibus suis egressa, partem Austrasiorum cæde & incendiis indifferenter vastabat. Horum fama, quæ falsos æquè ut veros timores circumquaque augebat, Fratres quoque Andaginenses cum ceteris incolis cmovit ad fugam. qui assumto pretioso corpore sui Patroni, remotiora loca suæ possessionis, vel Campaniæ villam Everneicurtem [a], vel Mosellensem Lisuram adire tentabant. Inter eundum igitur divertentes per opaca silvarum, quæ tutiora putabant, paullulum requieverunt soporati, ut remissiùs expedirent, quod restabat aggressi itineris. In somnum itaque ipsa sua lassitudine depressis, uni eorum Evotingo, morum probitate claro, quidam in venerabili habitu visus adstitisse, & ut locum illum deserentes diffugerent, quia hostes superveniebant, imperiosè indixisse. Expergefactus ille, cùm aperto volumine [b] invenisset, *Non hic requiescat pes tuus*; visionem intellexit divinitus factam; & ut quantocius loco cederent, socios admonuit, ne sic evidenter monitis incommodi aliquid eveniret. Aliquantulum jam processerant abeuntes, & ecce cum tumultu hostes imminebant, à tergo insequentes. Sed qui eos susceperat tuendos, de imminenti periculo eduxit illæsos. Sic patenter liberati, talem erga se curam beati Patroni recognoverunt, & divinæ providentiæ gratias pro liberatione sua retulerunt.

XIX.

Diutiùs autem perseverante gentis ejusdem persecutione, assumto corpore Sancti, Fratres iterum loco exierunt, & Palatiolum [c] devenientibus obviàm processit maximus concursus provincialium. Horum prudentiores cœperunt ipsos arguere, cur sic inconsultè toties efferrent tantæ dignitatis Patronum, cujus præsentiæ, si longiùs asportaretur, timebant amittere patrocinium. Fratres verò, post laudum & orationum sollemnia, gestatorium reverendi corporis diligentiùs inspicere decreverunt; ne fortè minùs solidum, repentina progressione, vel casu citius, non sine periculo, dissolveretur. Cùm igitur accedentes, operculo sublevato, reverenter introspicerent, an ex more mortalium esset ipsum corpus in cinerem redactum; gratia Dei quæ semper eadem se mirificat in sanctis suis, eamdem integritatem ejus, quam sub Karolomanno Principe & Walcando Pontifice transferentibus cum ostenderat, usque ad idem tempus repræsentavit conservatam.

Corpus integrum repertum.

XX. Anno 955. Calvenciacum Sancto concessum.

Anno Incarnationis dominicæ nongentesimo quinquagesimo quinto, imperii autem Ottonis primi vicesimo, Comes Stephanus dedit Andaginensi ecclesiæ legali dono, quidquid sui juris erat in Calvenciaco: & hoc præsente Brunone Archiepiscopo Coloniensium, & Balderico Pontifice Leodiensium: cujus cùm esset erga beatum Hubertum affectus magnæ dilectionis, ut corpus ejus ad prædictum fiscum deferretur, ab Abbate Alberto & Fratribus ejus obtinuit, ibidemque illi vestituram ejusdem allodii coram Raginero & Gisleberto Comitibus, multisque regni Principibus publicè firmavit. Longo pòst tempore, quidam Frede-

Invasor punitus.

[a] *Everneicourt*, prope Castrum-Porciani ad Axonam fluvium, ubi Præpositura hactenus sancti Hucberti Monasterio addicta. Confer caput 22.

[b] Moris erat quondam in dubiis rebus sacros libros consulere, ut ex prima quæ occurreret sententia discererent, quid facto esset opus. Ea res, tametsi à piis sanctisque viris olim usitata, postea tamen Ecclesiæ decreto prohibita est.

[c] Palatiolum opidum est infra Treviros, ubi quondam Sanctimonialium Cœnobium, de quo dictum est in Sæculi III parte 2, ubi de sancta Adela Abbatissa.

RICUS, frater Ducis THEODORICI, idem allodium vehementer invadens, ecclesiæ subtrahere tentavit. Cumque nulla justa ratione ab ipsa invasione vellet reprimi, beati Huberti corpus illò referre necessitas ipsa coegit. His Fredericus auditis, & indignatus se insequi præsentiâ Pontificis, urgente se ultione divina, camdem villam irrupit, solito temerarior, ut quasi ad injuriam Sancti videretur in ea potentior. Qui dum equo sedens, spatiaretur per plateas flexibus incompositis, in ipso exitu villæ idem equus fracto collo, sub eo concidit: ipse quoque toto collisus corpore ibidem exspiravit. Hujusmodi fratris interitus cùm Duci Theodorico referretur à quibusdam, ille divinæ vindictæ laudabilem probavit justitiam, & iniqui pervasoris temerariam improbavit superbiam: qui tanti Pontificis & ejusdem possessionis domini non reveritus est præsentiam. An. Chr. dccc xxv. Sept. xxx.

Quidam nobilis & potens JOSBERTUS de Castro Marla *, quod situm est juxta Laudunum * super fluvium Somnam *, rabidi canis morsu attrectatus, ex consuetudine evadendi periculi, venit ad Monasterium: & ibi incisus, ejusdemque incisionis observantiam edoctus, ad sua securus rediit. Quia verò persæpe potentibus levitas est familiaris, ille ut erat moribus levis, injunctam sibi observantiam a neglexit, & invalescente mox ægritudine periclitari cœpit. Reductus verò ad ecclesiam Pontificis, continuò meruit liberari; & ne ingratus videretur ejusdem liberationis, totam tertiam partem Everneicurtis *, quæ sui juris erat, illi liberaliter tradidit. quam donationem cùm per annum integrum, liberam & ratam ecclesiæ permisisset: quadam die inter prandendum, cùm sibi sufficientia adesset, causatus est sibi etiam ampliora deesse. Respondentibus ministris id sibi imputandum, qui illi Huberto Ardennensi suum dederat allodium; Josbertus indignatione concepta, diabolo suggerente, donum quod firmaverat, infirmandum juravit. Sed statim immundus spiritus vocem minantis excussit. Quo impellente, uxoris suæ faciem, injectis dentibus arripuit, & interceptam partem abstrahens, horribiliter vociferantem infecit. Comprehensus à suis, tentabatur ad Sanctum reduci: sed, cùm quasi injuriosus illi, præsentari vereretur, cuidam lecticæ colligatus violenter attrahitur. Labore continuato; tandem ad locum perveniunt, Fratribus vigilias Deo exsolventibus. Pulsatis foribus, cùm rei ordo & necessitas referretur Abbati, ille introitum petentibus usque in lucem distulit. Exclusi, cùm quasi de misericordia desperantes, justè depelli arbitrarentur; inimico seipsum ad horam dissimulante, respiravit Josbertus, seque sanum mentitus, petiit ut absolveretur. Putatus verum dixisse, cùm resolutus super pedes constitisset, collectis viribus, in altum prosiluit, & impacto capite in lapidea camera, quæ tunc erat pro foribus Monasterii, quasi mortuus in terram recidit. Exhortnerunt circumstantes miseriam, dicentes hanc ei justè vindictam evenisse, eo quòd Sancto deliberasset subtrahere donationem, quam fecerat. Facto mane supervenit Abbas cum Fratribus gratiâ compatiendi: & eo adstante, cùm respirasset qui mortuus videbatur, ligatus iterum illatus est ecclesiæ. Qui dum per triduum, in continua vexatione oblatum sibi pulverem de sepulcro vitasset attingere, in dolio aquæ frigidæ depositus est cum exorcismis, & ejusdem pulveris admistione. Sensit inimicus pondus virtutis divinæ, & coactus per posteriora egredi, talem dedit crepitum, ut omne dolium à compage sua resolveretur. Corruit Josbertus exanimis: cùm non multò pòst sanus exsurgens, Deo sanctoque Pontifici perfectæ sanitatis gratias reddidit. qui ibidem per mensem honestè retentus, donec uxor ejus de more incisa sanaretur. Quidquid priùs ecclesiæ dederat, iterata donatione reddidit, indeque ad sua rediens, quamdiu advixit, fidelis & devotus Sancto permansit. Hujus donatio fuit tota tertia pars Everneicurtis in omnibus appendiciis suis. Et licèt eam violentia Novicastri * in ecclesia, in banno, & in molendinis, minuerit; tamen fundum ipsius possessionis, evidentibus divinæ virtutis indiciis, vel mutuando vel usurpando, ecclesiæ nemo subtrahere potuit. Quidam enim regius satelles, cùm beati Huberti parvipenderet, quasi exteram dominationem, equos suos immisit, ut ecclesiasticas segetes depascerent. qui subitò insanientes, dominum morsibus dilaniaverunt, & seipsos mutuò commanducantes, in admiratione multorum exspiraverunt.

XXI. Votum violans punitur.

* Marle * Laon * la Some

a

* Evergnicourt

Nota

* Neufchastel

Nostris quoque temporibus, quidam HADUINUS Laudunensis, annuente Abbate felicis memoriæ THEODORICO b, eamdem possessionem mutuare voluit: sed nullo assensu provincialium id obtinere potuit. Cujusmodi contradictionem prudenter Abbas perpendens divino nutu fieri, expostulato altari ejusdem possessionis, à Dom- XXII. b

a Nimirum quædam officia quæ ab ejusmodi contactis hominibus exigit antiqua loci religio.

b Ex hoc loco discimus Auctorem vixisse sub finem sæculi undecimi, nempe Theodorico Andaginensi Abbate, & Elinando Laudunensi Episcopo: qui uterque anno M LXXX florebant.

An. Chr. DCCC XXV. Sept. XXX. no ELINANDO Pontifice Laudunensi, Cellam ibidem constituit, & Fratres imposuit: & eamdem constitutionem suam cum omnibus ipsi adquisitis vel adquirendis Romanæ auctoritatis privilegio roboravit.

Cella Evernicurtis. Apud Lisutam, in territorio Trevirensi, dono VVALCANDI Episcopi, possidet ab antiquo Andaginensis ecclesia, vineas sui juris. His aliquando vindemiatis, cùm

XXIII. Vini raptor punitus. sub Abbate THEODORICO Præpositus ecclesiæ ad usus Fratrum deduceret vinum, quidam Ebroinus de Berenges violenter illud cum bobus rapuit, ipsumque Præpositum ablato equo peditem ad Monasterium remisit. Super hujusmodi damnum & injuriam Abbas ipsum Ebroïnum sæpius interpellavit, illoque in pertinacia persistente, apud quosque terrenæ potestatis Judices justitiam reclamavit. Sed cùm in neutro se profecisse videret, clamorem vertit ad Dominum, sanctoque Patrono rei commisit exitum. Interea supervenit sollemnitas dominici Natalis, & Ebroïnus cum suis apparato sibi prandio epulaturus discubuit. Jam inter prandendum jocundior, de vino illius Ardennensis Huberti præcepit sibi deferri, addens se velle experiri, cujus haberetur saporis. Minister ingressus cellarium, omne invenit evanuisse vinum, exceptis tribus hamis, quod ad supplementum vasorum ex domestico fuerat additum. Miratus rei eventum, Ebroïno renuntiavit miraculum. Ille quidem primum difficilè credidit, quod à ministro relatum exhorruit: sed experta veritate miraculi, timuit ne culpæ vindictam experiretur ex seipso. Statim procuratis sibi intercessoribus, ad Monasterium in ipsa hyemis asperitate nudis properavit pedibus, ibidemque, cùm per humilem satisfactionem obtineret veniam, ad integrum restituit quidquid abstulerat.

XXIV. Confugium in Sancti ecclesiam malè violatum. Quidam vir militaris Theodoricus, ab inimicis interceptus, ad Monasterium confugit, & intra claustra receptus à Theodorico Abbate, sperabat se tutum ab eorum insectatione. Prosequentibus autem inimicis usque ad atrium ecclesiæ, cùm fautoribus videretur eo usque licuisse; quidam Adelardus munitionem atrii violenter infregit, & ut intrarent subsistentes, exclamavit. Illi irruentes, invenerunt Theodoricum in camera, sub dormitorio Fratrum, quæ postea facta est domus infirmorum. Hortatus ab Abbate, ut cederet oppugnantibus inimicis, ille ut erat virilis animi, indignatus timere, restitit. Orta decertatione dum res ageretur, permistis utrimque telis, veritus Abbas eventum homicidii, signa ecclesiæ pulsari jussit. Continuò discedentibus illis, ad sonitum terroris Adelardus, qui atrium infregerat, à dæmone arreptus, equo corruit. quem cùm quidam comitum, retro se componeret evehendum; ille componentis collum mordens, partem abstraxit, & non multo pòst infeliciter exspiravit. Theodoricus verò cùm taliter evasisset, ejusdem evasionis ingratus, prædam

Sancto injurius virgis cæsus. super ecclesiasticas possessiones exercere non erubuit: statimque justo Dei judicio uxorem ejus Hesplendem dæmonium invasit. Quæ ad Monasterium deducta, nullomodo liberari meruit, donec vir ejus recordatus id sui causâ fieri, scopis secum delatis ut coram Sancto cæderetur expetiit. Post talem viri satisfactionem, recepit mulier sanitatem; sicque expertum est, propter Sancti injuriam, à viro illatam, hanc illi evenisse passionem.

XXV. Puella quædam paralytica, Ateleonis delata est ad Monasterium; nondumque reseratis foribus, aditum ecclesiæ præstolanti, adfuit miseratio divinæ clementiæ. Erecta namque ad perfectam sanitatem, ut erat dies dominica, prosecuta est cum Fratribus ejusdem diei processionem.

XXVI. Germanus quidam ecclesiasticæ familiæ per multum tempus infirmatus, jacebat: quem quia diligebat Abbas THEODORICUS, præcepit ut ad Monasterium deferretur. Qui cùm langore ingravato, quasi ad exitum in dies declinaret; nocte quadam personam venusti vultus cum stola pontificali vidit in somnis sibi adsistere, qui ei ut sanus surgeret, imperiosa præcepit auctoritate. Ille continuò surgens accenso igne se calceabat, cùm post matutinas laudes, Abbas eum revisens, ut solebat, cœpit eum non sanæ mentis reputare, quia sic se videbat habere, quem morti vicinum reliquerat. Qui intuitus se admirantem, receptæ sanitatis ordinem illi retulit, & denuo sanus permanens, ad sua cum gaudio rediit.

XXVII. In villa Palatiolo dicta, cujusdam Guiredi infirmabatur filia, quæ uno semis anno, non nisi alterius auxilio, de lectulo surrexerat. Huic media fere nocte, quæ festivitatem Sancti præcedebat, vir quidam venerandi habitus jacenti apparuit, utque ad Sancti sollemnitatem cum ceteris illò euntibus properaret, admonuit. Illa è contra, prætendens infirmitatem, cùm voluntati causaretur deesse facultatem; jussit qui adstabat, ut incunctanter surgeret, & suam exsequeretur admonitionem. Sensit illa vim verbi, & jam sana surrexit, & velut iter factura, sibi calceamenta deferri admonuit. Petito lumine Pater lætus accurrit, & ex relatione prædictæ visionis,

beati

beati Huberti meritis sanatam intellexit. Processurus sine mora ad festivitatem sancti Pontificis, dum equum procuraret filiæ, respondit illa, equo se non indigere, paratamque proprio gressu liberatorem suum adire. Miraculum tam subitæ sanitatis, cùm publicè referretur THEODORICO Abbati, ipsius Pontificis sollemnitatem reddidit hilariorem, & ampliorem erga Deum populi suscitavit devotionem.

An. Chr. dccc xxv. Sept. xxx.

XXVIII. Anseromiæ Comitatus ecclesiæ restitutus.

Comitatui Namucensi, [a] licèt injustè, subjacebat centenaria justitia Anseromiæ, & violentiâ Vicecomitum nimis affligebatur ecclesiæ familia. Acturi causas hujus exactionis, Guilelmus de Vervia cum Hermano & Rodulfo fratre ejus de Onhais die condicta illò convenerant: & in dominicali curia porcum unum invenientes, in cœnam suam occidi, & parari fecerunt. Bullientes carnes satis multus ignis suggestus coquebat: sed nullomodo decoqui poterant, & ministris de more attentantibus eas, cruditatem suam & sanguineum horrorem ingerebant. Cœnaturi Domini cùm tædio afficerentur hujus exspectationis; carnes illas, qualescumque essent, sibi jusserunt apponi. Sed cœna eadem illis ultima fuit. Nam Guillelmus à dæmonio arreptus &Верviam in gestatorio relatus, miserabiliter exspiravit. Hermannus verò & Rodulphus aliquamdiu superstites, defecerunt sine pœnitentia, & divina recognitione. His probatis ALBERTUS Comes Namucensis, cùm in Arduenna silva moraretur gratia venandi, & occasione loci diverteret cum uxore sua IDA ad ecclesiam beati Huberti, poscente THEODORICO Abbate, prædictum Comitatum Anseromiæ perpetuò remisit ecclesiæ.

XXIX.

Aliud miraculum, omni hactenus sæculo inauditum annectimus, quod viro egregio LAMBERTO, loci hujus Monacho, postmodum verò Hasteriensi [b] Abbate, referente comperimus: quod nun credat necesse est, qui Domino derogat dicenti: *Qui credit in me, opera quæ ego facio faciet, & majora horum faciet.* Contigit aliquando, quemdam strenuum virum, morsu rabidi canis pervasum, ad hunc locum venisse: &, sicut est consuetudinis, incisum, oblatis Sancto muneribus, ad sua cum gaudio remeasse. qui cùm ad extremam usque senectam incolumis & sana mente pervenisset, quadam die ex more balneum ingressus est; cui una famularum assistens, caput lavit, pexit, (erat autem tunc temporis nigerrimi capilli, sicut in diebus juventutis) cùm subitò pectinem rapuit, & scalpenti fronti impegit, ruptaque cicatrice præteritæ incisionis, particulam auri de stola sancti Pontificis in pectine invenit. Diu multumque miratus, tandem: Ecce, ait, triginta anni sunt hodie, ex quo hanc ferebam in fronte. reponatur ergo, donec quid inde fieri debeat, inveniam in consilio. Quid plura? Lætus ad prandium discubuit, & quod reliquum fuit diei, in hoc stupore transegit: cubitum abiit, & manè (mira dicturus sum) quasi cycnus ita albus apparuit, ipsaque sui canitie, maximum spectaculum videntibus se præbuit. Mox ergo cum ipsa particula ad meritum Sancti rediit: & quæ secum acta essent, indicans, ipsam sibi iterum imponi fecit. quamdiu supervixit testis idoneus in se facti miraculi.

Ioh. 14. 12.

Stolæ particula integra post annos 30.

[a] Namucum olim dicebant veteres, recentiores Namurcum. quæ urbs est ad confluentes Sabis in Mosam.

[b] Hasteriense Monasterium, vulgo *Hastiere*, ad Mosam supra Dionantum, nunc Valecodorensi conjunctum, ab uno eodemque Abbate regitur.



An. Chr. DCCCXXVI. Jan. II.

VITA S. ADALHARDI ABBATIS CORBEIENSIS IN GALLIA,

Auctore S. PASCHASIO RADBERTO ejus discipulo.

Ex Surio, Bollando & duobus mss.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ scriptores.

1. ADALHARDUS, *aliis* Adelhardus, Adelardusve, *æquè fortunatus fuit, & quòd* PASCHASIUM RADBERTUM, *virum doctum & sanctum discipulum habuerit; & quòd eumdem meruerit vitæ suæ scriptorem. Et verò Paschasius in operibus suis ubique pietatem spirat, nescio quid tamen dulcioris succi respergit in hoc libro de gestis Abbatis ac Magistri sui: quem alterum* Aurelium Augustinum *ob eloquentiæ facultatem,* Antoniumque *ab Alcuino cognominatum affirmat in subjecta Vita num. 21. Excurrit quidem Paschasius nonnumquam in lugubres digressiones, adeo ut hæc Vita potiùs* Epithalamium *Gerardo alteri Adelhardi laudatori visa sit*, quàm textus alicujus historiæ. *Quæ res in causa fuit, cur* GERARDUS *ipse, resectis iis quæ superflua judicavit, breviorem de sancti Adalhardi gestis narrationem aggressus sit tum, cùm Cellerarii officio Corbeia fungeretur. id quod præstitit occasione receptæ sanitatis per sanctum virum, qui ipsum ab improbo capitis dolore liberaverat. Fuit is Gerardus Monachus primùm & Æditunus Corbeiensis Monasterii, tum Cellerarius, dein Abbas Laudunii in Vincentiano, tum Suessione in Medardensi Cœnobio, ac demum auctor & Abbas Monasterii Silva-majoris* in agro Burdegalensi, ubi vitam sanctissimè exegit sæculo XI, quo tempore de eo agemus. Utramque lucubrationem, Paschasii nimirum & Gerardi, hîc exhibere visum est cum rudi Ecloga hactenus inedita, quæ Paschasii libro in codicibus mss. subjici solet. His addentur libri duo de miraculis sancti Adalhardi, quorum primus ab eodem Gerardo, alter ab anonymo Corbeiensi Monacho scriptus est. Paschasii lucubratio condita fuit statim à morte sancti Adalhardi, certè superstite Wala ejus fratre ex num. 35. ac proinde ante annum* DCCCXXXV, *quo Wala supremum vitæ diem absolvit. Ecloga verò tametsi libro Paschasii continenter subjicitur, alterius tamen videtur auctoris, qui ad Paschasii ingenium non accedit. Gerardus scribebat post annum millesimum quadragesimum. Præterea multis laudatur Adalhardus tum in lib. 1 de vita Walæ fratris sui auctore Paschasio Radberto, cujus libros de Wala duos inferiùs referam, tum in libro de translatione sancti Viti infrà. Eodem tempore Corbeiæ vivebat* ADALHARDUS *alter junior, qui exsulantis sancti Adalhardi Abbatis vices sibi gessit ex sequentis Vitæ num. 65. Fuit & alius eo tempore* Adalhardus Comes *palatii, is de quo agit Eginhardus ad annum* DCCCXXIII, Minor *dictus ad annum* DCCCXXV. *Quo tempore Adalhardus in Sanctorum numerum relatus sit, dicetur infrà in miraculorum lib. 1.*

* la Seauve

alii Adalhardi.

Adalhardi genus.

2. *Adalhardus patrem habuit* BERNHARIUM *seu* Bernardum, *Caroli Martelli filium, Pippini Regis fratrem, patruum Caroli magni: quem Bernardum quidam ex legitima conjuge, alii ex concubina progenitum aiunt. Horum fundamentum est, quòd Carolus Martellus in Regni divisione nullam rationem habuit nisi Carolomanni, Pippini & Grifonis; habituri etiam Remigii, Hieronymi, & Bernardi, si, æquè ut illi, legitimi fuissent. Hic est* Bernhartus, *Caroli magni* patruus, *qui unà cum Carolo ipso in Italiam* per montem Jovis cum una parte exercitus *profectus est contra Desiderium Langobardorum Regem anno* DCCLXXIII, *teste Eginhardo: quique inter fratres conscriptos Monasterii sancti Galli numeratur. Uxoris nomen genusque, ex qua filios tres* Adalhardum, Walam, & Bernarium; *& filias duas,* Gundradam & Theodradam, *omnes à Paschasio laudatos infrà num. 32 & sequentibus, suscepit, hactenus discere non licuit. Saxonicam eam fuisse inde colligo, quòd Radbertus in lib. 1 de vita Walæ Abbatis cap. 12 tradit, Walam (quod etiam de Adalhardo dicendum)* ex genere Saxonum *fuisse. quod cùm de paterna stirpe dici non possit, de materna interpretandum est. Eorum fratres patrueles ex Hiero-*

nymo fuere sanctus FOLCUINUS Morinorum Episcopus, & FULRADUS Abbas Monasterii sancti Quintini. De sancto Folcuino infra suo loco.

AN. CHR. DCCCXXVI. JAN. II.

Patrium solum.

3. Adalhardum in Belgii vico, vocabulo Hustia *, natum esse tradunt Meierus, Molanus, Iohannes Cosinus, & si qui alii. qui locus exstat in diœcesi Tornacensi prope Aldernardum * oppidum, sancti Adalhardi fonte & cultu celebratus. Illud tamen movet, quod Hustia non per Adalhardum, sed per Conradum Comitem, in possessionem Corbeïensis Monasterii venisse memoratur. Nam in quodam recentiori Chronico ms. ejus Monasterii lego, Odonem ex Abbate Corbeïensi Bellovacensem Episcopum, pactione facta cum Agnolmo Tornacensi Episcopo, ecclesiam de Hustia construxisse anno DCCCLXXIV, in honorem Apostolorum Petri & Pauli, ea conditione, ut Corbeïensis jurisdictionis remaneret, sacrumque oleum & chrisma singulis annis Episcopus Tornacensis donaret. tum subduntur hæc verba: Et hanc villam de Hustia quidam Conradus Comes superiori anno ecclesiæ Corbeïensi donarat. Et tamen sancti Adalhardi patrimonium in Belgio plurimum fuisse docet nos idem Chronicon, ubi de Hildeberto Abbate: cujus tempore Normanni anno DCCCLXXXI Corbeïense Monasterium, quod tum apud omnes celeberrimum erat, in multis ditasse; totumque patrimonium beati Adalardi, videlicet Biringuas, Montem-aquarum, Gomplas, & Molas, cum adjacentibus castellis combussisse feruntur. quæ villæ omnes in Belgio sitæ sunt. Biringua, vulgò Beringhen, in pago Leodicensi, uti & Montes-aquarum, Montensc; Gompla & Mola in Brabantia pago dicto Campinensi. Alia plura in illis partibus ad sanctum Adalhardum pertinuisse dicuntur: quæ omnia superiori sæculo alienata, nescio an brevi redibunt in possessionem Abbatiæ Corbeïensis. Certè Adelhartus inter Comites & primates Carolomanni in Austria regnantis ab Eginhardo recensentur ad annum DCCLXXI. quod argumento est, Adalhardum nostrum, qui tum Comes erat, subfuisse Regno Austrasiano, ad quod Belgica provincia pertinebat.

* Husse
* Audenarde

Patrimonium.

Abbatialia dignitas.

4. Varias dignitates piè ac feliciter gessit vir sanctus, facta monastica vita professione. Fuit in primis Abbas utriusque Corbeiæ, antiquæ scilicet in Gallia, & novæ in Saxonia, cujus præcipuus auctor fuit cum Wala fratre suo. De veteri Corbeia dictum est in Sæculo secundo, ubi de Theodefrido ejus Abbate primo; & in tertio, ubi de Martino Monacho Caroli Principis Capellano. Exstat in vetusto codice membraneo catalogus Abbatum ejus loci, desinens in Ratoldo Abbate, cui alii Abbates secunda manu additi leguntur. De Corbeia nova fusè agetur inferiùs, tum in libro de vita Walæ Abbatis, tum in libello de translatione sancti Viti.

Italici Regni administer.

5. Ad hæc primus è nostris Adalhardus ad Regni administrationem à Carolo Magno vocatus est, ut Regnum italiæ, quæ sibi commissa fuerat, & ejus Regem Pippinum juniorem ad statum reipublicæ & ad Religiosis cultum utiliter, justè atque discretè honestiùs informaret. Ubi tantam promeruit laudem, ut quibusdam, ita ut fertur, non homo, sed pro virtutis amore Angelus prædicaretur, inquit Radbertus infrà num. 16. qui etiam num. 17. egregium Papæ Leonis elogium de eo refert. Idem munus excepit Wala frater Adalhardi, eò missus à Ludovico Augusto unà cum Gerungo Ostiariorum Magistro, quorum consilio & in re familiari, & in negotiis ad Regni commoda pertinentibus uteretur Lotharius ejus filius. Adalhardus ex Italia reversus, primus inter Consiliarios Caroli Magni habitus est, ut ex Hincmaro patebit inferiùs: eamque dignitatem retinuit Ludovico imperante, teste Paschasio in Vita num. 32.

Regni consiliarius.

Conciliis interest.

6. Præterea Romam à Carolo Augusto missus est ad Leonem Papam anno DCCCIX, unà cum Bernario Wurmatiensi & Iesse Ambianensi Episcopis, quibus socius etiam datus Smaragdus Abbas Monasterii sancti Michaëlis in pago Virodunensi: ut contentio de processione Spiritus sancti auctore Iohanne Monacho Hierosolymitano exorta finiretur. Hæc constant tum ex monumentis Conciliorum Galliæ, tum ex collatione hac de re habita Romæ, quam collationem scriptis mandavit Smaragdus, tum ex epistola Leonis ad Riculfum Episcopum. Interfuit etiam Abbas noster Synodo Noviomagensi ad OEsiam anno DCCCXIV, ex Frodoardi lib. 2 cap 18. De conventu Attiniacensi & Compendiensi dicendum inferiùs.

Studiis deditus.

7. Denique litterarum studiis non humanioribus modò, in quibus maximè pro tempore excelluit; sed etiam sacris addictus fuit. qua in re erat Patris Augustini velut pedissequus operum clarissimus imitator, ob id Aurelius Augustinus appellatus, ut memorat Paschasius in Vita num. 14 & 21. qui & num. 18 adducit egregium specimen ejus eloquentiæ & intrepidi zeli, fragmentum scilicet unius è multis epistolis Adalhardi, quas omnes excidisse dolemus. Ejusdem librum de ordine palatii, etiam deperditum, laudat Hincmarus Remorum Antistes in epistola de recta novi ac juvenis Regis institutione cap. 12 his verbis: Adalhardum senem & sapientem, domni Caroli Imperatoris carne propinquum, & Monasterii Corbeïæ Abbatem, inter primos Consiliarios primum in adolescentia mea vi-

Scripta ejus.

An. Chr. DCCCXLVI. Jan. II.

di: cujus libellum de ordine palatii legi & scripsi. *Exstat in Spicilegii tomo 4 liber de statutis Monasterii Corbeiensis Adalhardi mandato conditus, in editis imperfectus interpolatusque sub hoc titulo:* Brevis, quem Adalhardus ad Corbeiam regressus anno Incarnationis Domini DCCCXXII, mense Januario, Indictione XV, imperii verò gloriosi Chludvici Augusti VIII, fieri jussit. *In eodem codice membraneo, ex quo hæc statuta descripta sunt, habentur* Capitula domni Adalhardi Abbatis de admonitionibus in congregatione, *id est, ut quidem interpretor, summaria rerum, quas Monachis suis inter concionandum solebat inculcare. quæ capitula cum aliis ejus scriptis aliàs Deo dante proferemus in lucem. Postremò Frodoardus in historia Remensi lib. 3 cap. 23 testatur Hincmarum Odoni Belvacensi Episcopo scripsisse* pro ratione lunæ paschalis, & lectione quam Adalardus Abbas inde composuit. *Hæc de scriptis sancti viri, cujus Vita jam referenda est, servatis initialibus sectionibus, quas Bollandus apposuit.*

Prologus.

1.  Retium operis est, viros quosque doctissimos imitari, qui pio mentis affectu, carorum in Christo funera pietatis opere deflevere, flendo quoque miris * eos prosecuti sunt laudibus. Quoniam, sicut beatus Ambrosius in opere super Valentinianum dixit, etsi incrementum doloris sit, id quod doleas scribere, tamen plerumque in ejus, quem amissum dolemus, commemoratione requiescimus: & dum scribendo mentem in eum dirigimus, intentionemque defigimus, videtur nobis in sermone revivíscere, & totus medullam mentis nostræ influere. Ceterum posteritatis negotium est, ut eorum exempla virtutum litteris commendemus, quatenus & nostrum caritatis debitum proximis persolvamus, & Patrum exempla, quos imitari debeant, filiis non negemus. Novimus igitur eos non periisse post mortem, sed beatiùs immutatos, ut moriendo ad immortalia summæ felicitatis gaudia pervenirent. Idcirco non omnino penitus oblitterandi sunt à memoria, præsertim tales, quorum non desiisse hinc mortis evulsio fuit, sed in melius commutasse. Neque enim fatendum est, juxta quorumdam perfidorum insaniam, quod Scriptura inquit: *Exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ, nec est refrigerium in fine hominis, & non est qui agnitus sit regressus ab inferis.* Neque hoc dicendum, quòd ex nihilo nati sumus, & post hæc futuri sumus quasi non fuerimus. Verum igitur est & incunctanter profitendum, Christum resurrexisse à mortuis, & mortem moriendo vicisse; ut similiter omnes, qui in Christo moriuntur, non jam mortui, immo in Christo vivi atque beati inveniantur. Deus enim vivorum est, & non morientium, eò quòd in illo qui vivit, omnes qui in ipso sunt, vivi inveniuntur. Unde & Scriptura eos dormientes appellare consuevit.

* al. multis

Sanctorum gesta describenda.

Sap. 2. 1.

Adelhardus sanctus.

2. Quapropter officiosissimum est, sicut dixi, sanctos imitari viros, videlicet præfatum Ambrosium, & beatum Hieronymum, reliquosque sacros imitabiles viros, qui suis epitaphia caris facundissimè condiderunt: & si non adsequi eorum jura facundiæ queo, materiam tamen loquendi scias non deesse: quia eum recolere scribendo cupio virum, quem sanctum & admirabilem universus pæne prædicat orbis: quem quia vidimus, & usi familiaritatis ejus amore, licèt indigni sumus; omnino tacere, quamvis indocti nequimus: ut dum eum oculis videre negamur, saltem mentis officio prosequi mereamur.

Auctor ejus discipulus.

Mortuos lugere an liceat.

* al. taxatus

3. Sed dum hoc cogitare incipio, duobus valde contrariis afficior intus, mæroris videlicet atque gaudii. Sed contristari Apostolus pro tali negotio vetat; gaudere verò non solùm mea, verùm omnium nostrorum subita desolatio prohibet. quibus utrisque taxatis * stipendiis pietatum, gaudere magis, multumque congaudere profectò spe promissionis æternæ de tanto Patrono oportet. Itaque per felices eum jam transisse agones, quem procul dubio requievisse in Christo sine fine beatè mansurum,

minimè dubitatur. Sed quia fletu amoris vincor potiùs, quàm desperationis ignaviâ, mihi parcendum non ambigo: præsertim cùm Apostolus non flere prohibeat, nisi tantum ut de dormientibus, tamquam ceteri qui spem non habent, non contristemur. Ergo longè aliud est cum desperatione contristari; aliud verò dolere & condolere, quòd sic peccati causâ huc venimus, ut ad modicum vix parum aliquid esse videamur. Unde procul dubio carorum lacrymis abluere sepulturam, debitæ pietatis affectio esse debet, non erroris. An. Chr. DCCCXXVI. Jan. II.

4. Qua pietate, licèt mentis ingenio segnis, tui recordor, virorum carissime ADALHARDE Pater, senectutis decus, species sanctitatis, forma virtutum; in tantum, inquam, tui recordor, amoris vinculo, ut vix admodum me valeam inter utraque temperare negotia. qui dum video Dominum JESUM-CHRISTUM, Lazarum, quem diligebat, flevisse mortuum, & non solùm flevisse, verùm turbatum fuisse spiritu; nimiùm flere cogor, tali ac tanto cæli destitutus oraculo. Ceterùm ipsa natura docet carorum non oblivisci debere, sed quibus possumus eos commendare ingeniis: ut & dilectio in mente firma teneatur, visione carnis sublata; & amor in mente qui dudum accensus fuerat, dum melius vivat quem diligimus, non moriatur. Unde, mi votorum carissime, tui superspargo more vulgi sepulcri jura floribus, ornare cupiens funus litterarum officiis: quatenus tuarum aromata virtutum non tumulo teneantur clausa, sed longè lateque in exemplum futuris fragrent temporibus. Neque enim more quorumdam censeo pueros hinc inde super tumulum constituere, qui tuas fingendo laudes debeant decantare, ut instar lugubrium carminum ad fletus & gemitum audientium pectora concitent; sed veritatis jura mihimet torpentis otio ne abdicentur, litterarum fidei commendabo: atque ita tuo refrigeratus alloquio, tui per sæcula memorabor. neque à meo poteris evelli animo, nisi nomen tuum laudesque depromam. Fidelis est mihi conscientia, quòd quidquid dixero à tua minus est laude: ideo persuadere mihi de te talia minimè erubesco. Unde tua præsens absentia mihi manens, novos in me generat lacrymarum affectus: ita tamen ut præsentia absens faciat gratulari, quòd jam perveneris ad diu promissa gaudia felix.

5. Ne, quæso, lacrymanti dicas: Gratulari de me potiùs quàm flere, carorum fili, debueras; præsertim cùm scias me evasisse mundi ludibria, & pervenisse ad fontem æternæ vitæ: qui si me diligeres, gauderes utique & congauderes, quia jam fruor immortalitatis stolâ, & satior intuendo majestatis gloriam. Scio, mi Pater, scio, inquam, quia exutus carneis indumentis, cælesti jam frueris visione: sed vincor itaque pio perfusus amore, præsentem tuam flere absentiam, quo mihi triste videtur omne quod intueor, dum te suspirans abesse sentio. Et ut verbis Fortunati utar.

Qualiter agnus amans genitricis ab ubere pulsus
Tristis & herbosis anxius errat agris:
Nunc fugit ad campos, feriens balatibus auras;
Nunc redit ad caulas, nec sine matre placent.

Sic me de tuis, Pater, absentem suggero verbis. dies, inquam, obitus tui mihi utinam non luxisset, quia nec poterat pejor esse mihi exiguo, neque sævior ulla tuis omnibus inlucescere: quò quid agam quidve faciam perpendo, sub mærore amatus non invenio, prohibente (ut dixi) Apostolo, multum flere volens non audeo; gaudere verò, quamvis invitus, tuæ claritatis gloriâ persuadeor. jam enim tibi hiems, mi Pater, abiit, & recessit imber. Ergo venerunt nuptiæ agni, inter delicias paradisi frueris, vox tua sonuit jam in auribus meis, & audita est vox turturis, ita di-

An. Chr. dccc xxvi. Jan. ii.

cens: Sicut audivimus, fili, sic vidimus in civitate Domini. Audivimus quidem gloriosa, sed cernimus potiora, in civitate Domini virtutum. Virtutum ergo, & non vitiorum, quia Deus fundavit eam in æternum fundamento perpetuitatis. Intelligo quidem planè talia te canentem, sed suspiro dolens, & gemo anxius, longè interdum à tuo sejunctus consortio: & quod serius est, orbis te virtutis virum prædicat, nec contingimus, nec videmus.

6. Novi igitur quòd neque has velis accipere laudes, qui tuas jam in cælo scriptas procul dubio tenes. Ibi tuum prorsus feceras horreum, ibique tuum semper erat mentis habitaculum Unde quamvis mihi exigam quod impendo: tibi exinde gratulor, quia frueris quod amasti: mihi doleo, quem depulsum à lacte velociùs amisisti: jocundor tui causâ, sed mei plango. ruis itaque gaudiis superatus, tandem gratias Deo agere non recuso. Ago quidem gratias, quòd talem te habuimus: vincor verò affectu, quia priùs te caruimus, quàm comites paradisinos tuo adsciveris consortio. Propter quod obsecro, mi Pater, prospicias per cancellos, per fenestras quoque Domino concedente voti intuearis filios. Novi igitur qua fueris caritate præditus, quave fide firmus, qualique spe diu velut anchora Dominó religarus. certissimum idcirco teneo, quòd triplex iste tuus funiculus difficilè, immo numquam resolvitur. Miraris non modò sub pedibus nubes ac sidera, sed etiam altam planitiem cæli, niveo candidatus habitu. ideo precor ne differas misereri humilium, quos dudum ad talia provocabas in certaminis campo. Fortis, mi Pater, fuit ut mors dilectio tua: ideo nullo victus es hoste, nullo superatus agone. vicisti oblectamenta mundi fortiter; & ideo coronaris, credimus, gloriâ triumphantis indubitanter. Venite, filiæ Hierusalem, & videte diadema, quo coronatus est senex noster sollemnitate æterna: quibus ille inauratus est indumentis: perpendite quomodo adhuc juvenis malignum vicerit hostem, quomodo puer mundum pedibus olim calcaverit:

Vitæ exordium. Adelhardus Caroli propinqui sui illicito conjugio commotus,

7. Qui cùm esset regali prosapia [a], Pippini magni Regis nepos, Caroli consobrinus Augusti, inter palatii tirocinia omni mundi prudentia eruditus, unà cum terrarum Principe magistris adhibitus; elegit magis justitiæ fore & veritatis amicus, quàm in inlicita consentire, etiam multis oblectatus blanditiis. Unde factum est, cùm idem Imperator Carolus desideratam Desiderii Regis Italorum filiam [b] repudiaret, quam sibi dudum etiam quorumdam Francorum juramentis petierat in conjugium; ut nullo negotio beatus senex persuaderi posset, dum esset adhuc tiro palatii, ut, ei quam vivente illa Rex acceperat, aliquo communicaret servitutis obsequio. sed culpabat modis omnibus tale connubium, & gemebat puer beatæ indolis, quòd & nonnulli Francorum eo essent perjuri, atque Rex inlicito uteretur thoro, propria sine aliquo crimine repulsa uxore. Quo nimio zelo succensus elegit plus sæculum relinquere adhuc puer, quàm talibus admisceri negotiis, ut propinquo quem contraire prohibendo non posset, non se consentire fugiendo monstraret. Nec minus igitur Johanne pro justitia mori paratus fuisse creditur, qui

a Bernardi scilicet filius, ut ait Radbertus infrà num. 61. Lege observationes Vitæ præmissas.

b Huc spectant verba Monachi Sancti-Gallensis in lib. 2 de vita Caroli Magni cap. 26. Carolum scilicet post mortem Pippini patris, cùm iteratò Langobardi Romanos sollicitarent, in Italiam profectum eos in deditionem accepisse, *& infirmitatis gratiam filiam Desiderii Langobardorum Principis* (Ermeogardem vocant) *duxisse uxorem*. quam non multo post, *quia clinica esset & ad propagandam prolem inhabilis, judicio sanctissimorum Sacerdotum reliquerit*. Et tamen Carolus & Carolomannus superstite patre conjuges ex Francorum genere duxerant, quas repudiare, & earum loco filias Desiderii accipere volebant, ut patet ex epistola Stephani Papæ ad eos scripta, quæ est ordine 45 in codice Carolino. & Carolomannus biennio post patrem mortuus, jam liberos ex filia Desiderii susceperat. Ex quo veri simile efficitur, ambos fratres statim à morte patris, tametsi jam conjugatos, de novis nuptiis cogitasse, & contra Stephani interdictum Desiderii filias obtinuisse: at porro Carolum rejectâ etiam Desiderii filiâ Hildegardem superduxisse repugnante Adalhardo.

pari adnisu inlicitam reprehendebat Regis audaciam, & spernebat hujusmodi nuptias: nec considerans propinquitatis jura, ut carni adsensum præberet; sed leges Christi, quas violare non ferens sibi in animo præponebat. Unde & voluit magis cum Christo mente ingenuus crucis ignominiam ferre, ut fortia quæque confunderet, quàm si etiam adoptaretur in regnum, ut esset Regis filius.

AN. CHR. [illegible]

8. Despiciens itaque Pharaonis regni divitias, pervenit tandem ut Monachus, velut Moyses in eremo, Dei frueretur alloquiis. Neque enim adhuc sæculo ita calceatus, poterat cæleste visum in monte videre: sed exutus his omnibus & sanctificatus, Dei agente gratia, discipulus factus est Salvatoris. Legerat ergo, *Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Neque igitur ignorabat, quòd facilius sit camelum per foramen acus transire, quàm divitem in regnum cælorum intrare. & ideo deposuit aselli onera, ut faciliùs artam atque strictam viam mandatorum Dei curreret. Quibus depositis, Corbeïæ, immo Christi ibidem expetiit fontem, velut cervus ille Davidicus. quo cùm parum fuisset immoratus, subitò humilitatis discipulus factus est magister virtutum: & qui pridie pedissequus videbatur aliorum, inventus est dux & prævius suorum in Christo commilitonum. Elegeras enim, bone JESU, tibi tironem & puerum: non quidem ille te, sed tu illum elegeras, & prælegeras, tuâ præventum misericordiâ. elegisti eum ferme cùm viginti esset annorum, quando infelix nimiùm ætas humana fragilis & valde proclivis est ad peccandum: tunc quando omnes tirones tui, cùm exirent de terra Ægypti, à viginti annis & suprà in libro vitæ te conscripti sunt præmonente. necnon & cùm rursus à Josue recensentur omnes hac ætate, & deinceps qui possunt ad bella procedere, in cæleste collegium supputantur. hi tantùm in castris Domini figunt tentoria, hi soli procedunt ad bella. Sanè quia mirum ad modum est tunc vincere, cùm oblectatur variis blandimentis triumphare, multis cùm impellitur argumentis. Viginti etenim fiunt quinque quater ducti, aut quatuor quinquies supputati. quibus ita collectis constat eos tantùm ad bella fore promtissimos, qui veteris ac novi Testamenti ætate senuerint, & ejus sapientiâ fuerint educati. Horum igitur virtus est ad bellandum aptissima, & ut se vincant primùm monenda: præsertim cùm tunc hostis, quantum in carne est, majoribus utitur decipiendi ingeniis.

Corbeiæ fit Monachus.

Luc. 14. 33.

ætate vicennis.

9. Tunc ergo tuus Christe ætate puer, mente ingenuus, prostravit mundi inlecebras: tunc deposuit arma Saül Regis, ut te solo lapide, quem gestabat in pectore, prosternatur * ingens animarum delusor. te denique elegit secum in præcordiis ferre: te auctote contra spiritalia nequitiæ in cælestibus dimicare. Quid plura? ita certaminis campum ingressus, pervenit ad Cœnobium [a]: ubi annuo pulsans voto, tandem introivit portas justitiæ, per quas soli justi ingrediuntur. deinde pervenit ad portam virtute mactus, quæ sola suos quosque ducit ad vitam. Ingressus namque est artam & strictam viam, quæ paucorum est, ut dilatato animo viam mandatorum Dei curreret sagacissimæ artis ingenio. atque cùm jam diu ita totus effloruisset inter monasticam disciplinam, ut magis inesse cælestibus quàm terrenis crederetur; nescio quo ducti Patres affectu, quasi ex jussu regio, hortulanum eum constituunt. qui gaudens ut bonus athleta Christi, ac si inter paradisi delicias, ita obe-

* al. prosternetur

a

deinde hortulanus.

[a] Adalhardus in Corbeiense Monasterium ad[illegible]ius à Mordramno [illegible] in [illegible] G[illegible]llia Christiana malim ab Addone ejus decessore is qui Corbeiam [illegible]ebat Caroli Magni anno primo [illegible], ut [illegible] ex regio [illegible]plomate Ad[illegible] con[illegible]cesso. Addonem præcesserat Leodgarius seu Leudgarius Leudharius, qui anno D[illegible]CCLXV Synodo At[illegible]n[illegible]acensi [illegible] [illegible]psisse repe[illegible] in Labbeana editione Conciliorum. Hic est Leucharius Abbas, qui scribere jussit Commentarios Sancti Ambr[illegible] [illegible] Lucam.

An. Chr. DCCCXXVI. Jan. II.

diens lætabatur animo. Sciebat namque Dominum in hujusce sepultum fuisse spelæo, ibique Mariæ ut hortulanum apparuisse. Sciebat eodem in loco eum resurrexisse, etiam inibi visiones angelicas apparuisse. Unde profectò thesaurum effodiens in hortis animi multiplici corpus aromate ungu[illegible]at Jesu.

Animo excolendo deditus. Cant. 5. 1.

Quid tunc, putas, dicebat, tali adstipulatus officio? ni fallor, dicebat, (si non voce, mentis tamen affectu) dicebat inquam: Veniat dilectus meus in hortum suum virtute consitum, & comedat fructus pomorum suorum. Erant igitur illi in animo diversa virtutum olera: & idcirco dixisse non ambigitur, ut comedat fructus pomorum suorum. suorum, inquam, quia non sibi, sed Domini applaudebat gratiæ, si quid boni mente gestaret. Alii labores agrorum super excolant quàm virtutes animi obedientiæ causâ defensi: iste talia non omittens hortum deliciarum animam suam Domino consectaverat. Fecerat enim quod ab eo sibi dictum

Cant. 8. 6.

meminerat: *Pone me sicut signaculum erga cor tuum.* quo præsidio vallatus secum in animo Domini magis delectabatur colloquio, quàm rerum negotiis temporalium. Descenderat enim profectò dilectus ejus Christus hortum animi illius invisere: descenderat utique ad areolam aromatis, & in eo virtutum deliciis pascebatur. hortus autem deliciarum eo vocatus est paradisus, quod intelligitur mens hominis, quia Eden hortus deliciarum interpretatur. unde & quidam florentem eum dixerunt. Descenderat ergo in eo Christus, ut lilia colligeret castitatis, & videret si jam mala punica germinassent.

* al. messuitur

10. Est autem boni viri animus, ut dixi, hortus plenus deliciarum virtutibus, atque ita alter denique paradisus. Metitur * ibi myrrha, membrorum scilicet mortificatio, cum virtutum aromatibus. colligitur rosa martyrii sanguine rubricata: nitent poma convallium, cælestibus disciplinis inrorata: germinant mala punica propter odoramenta bonorum actuum: absque eo si quid intrinsecus latet Dei flagrans pius ardor amoris. Inde est, Frater, si velis advertere, quòd noster senex totus amabilis & suavis erat: inde quòd aptus omni eloquio puritatis. Nonne tibi videtur mel & lac ex ejus lingua manasse, qui ita se suo influebat eloquio, ut nonnumquam aliquos ac si ebrios redderet sanctitate; omnes

eloquio suavis.

verò sibi connexos præ dulcore nimio faciens? & quid aliud erant ejus labia, quàm favus distillans? & ut altiùs dicam, quid aliud quàm organum sancti Spiritus? alioquin humana non potuisset apprehendere sapientia quæ loquebatur. plena denique sanctitatis munere verba cælesti manabat * oraculo.

* al. manabant

Suorum congressus fugiens, Gen. 12. 1.

11. Qui cùm idem ita longè diùque à sancto ageretur Spiritu, recordatus præcepti Abrahæ fuisse dicitur, ubi inquit Scriptura: *Exi de terra & de cognatione tua, & de domo patris tui, ac veni in terram quam monstravero tibi.* Qui cùm secum talia contulisset, cœpit intra se meditari & dicere, quòd nondum hoc præcepti genus opere complevisset. qui si mente reliquerat nativitatis solum, reputabat quòd adhuc corpore interesset. & si juxta Evangelii præceptum, patrem aut matrem aut cognatos jam reliquerat, ut Deo dignus haberetur discipulus; adhuc etiam ampliùs molestabatur: quia, licèt pro dignitatis genere, sæpiùs tamen eum invisendo propinqui & noti frequentarent, quàm quieti viri animus poposcisset. quo factum est, ut ilico alter Helias fugâ laberetur, non Jezabel, sed carnis fugiens voluptatem. Quærebat enim severus Christi miles effugere, ut se se fugiendo pleniùs inveniret. atque ita qui dudum fuerat multis fulcitus blandimentorum obsequiis, factus est hospes peregrinationis. non habens cum Christo (quod egregium habendi genus est) salrem ubi caput reclinet. Itaque sic se fugiens ut se inveniret, pervenit

nit secum in fortitudine verbi usque ad montem Casinum, nolens patriæ cognoscere curas, neque prædicari de se vento jactantiæ laudes. Cogitabat autem solùm se velle tantùm percepisse, necdum divisum à vitiis, quousque moraretur infra patriæ fines. & ne rursus novis diaboli retibus ligaretur, exivit ultrà se vadens si quomodo posset relatu veritatis edicere: *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus.* An. Chr. dccc xxvi. Jan 11. Casinum se recipit. *Gal. 2. 20.*

12. At ubi ita conscius venit Casinum, quo totius fons Religionis & origo putabatur; susceptus quidem à Patre [a] Monasterii: sed Dei disponente judicio ibi eum paullulum licuit immorari. Fertur namque quòd ilico quidam ei Anachoreta in spiritu Dei prædiceret, quinam & unde esset, & ob quam causam eo usque advenisset. ac deinde post modicum prædicit adventuros Regis nuntios, qui eum repeterent, suoque in loco restituerent. Quod ille audiens turbabatur plurimùm quòd vota prospera non succederent. qui adsumens ilico Abbatem loci illius, retulit ei sua quæque, rogans atque obsecrans, si quo modo posset effugere, clementer annueret, quò nomen illius ultrà etiam nec à longè audiretur. Sed ab Anachoreta detectus, a

13. Sed præoccupavit Deus mox eorum consilia: & dum moras faciunt evolvendi, continuò præoccupatur nuntiis, qui tenentes eum reduxerunt in patriam. Quid putas? quàm amarus erat animus, quàm mæstus, quia ad patriæ fines & dulcia proprii soli arva invitus rediret? Audiant igitur hujusmodi virum nostri concives Monachi qui lenti requiescunt umbrarum delibuti fuligine: audiant qui post se sæcularium greges trahunt. audiant, inquam, quòd non satis tutum sit suorum se deliniri parentum affectibus. Christus ergo matrem nescit & ignorat fratres, ut veram nobis mentis ostendat fraternitatem. *Si quis*, inquit, *fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis est; ipse meus frater, soror, & mater est*. deinde revocat discipulum ab officio funeris ne patrem liceat sepelire debito carnis jure. *Sine*, inquit, *mortuos sepelire mortuos suos, tu autem sequere me*. Hoc igitur totum noverat pius senex noster: & ideo fugere festinabat è medio civium suorum. Recordabatur namque quòd Jesus non fit signa operatus in patria: neque Propheta sit sine honore, nisi in proprio solo. Hic autem honore mundi exspoliatus idcirco festinabat exire carorum vinculis, ut verè posset sibi mentis honorem adsciscere, atque (ut altiùs dicam) angelicam in terris degere vitam. Videbatur non satis pauper posse fieri in medio parentum suorum, qui regni pollebant honore, & divitiarum copiis renitebant. & ideo disruptis vinculis clari nominis, voluit pauper fieri sine ambitione, quondam locuples. Sed sui contemtor eximius paupertate fit ornatior, fugâ clarior, vilitate humilitatis sublimior: & ut beati Hieronymi verbis utar, sint nonnulli ditiores Monachi, quàm fuerint sæculares: possideant opes sub paupere Christo, quas sub locuplete & fallace diabolo non habuerant: ut suspiret eos Ecclesia divites, quos mundus tenuit antè mendicos: Adalhardus verò noster mundi omnia calcans vicit in schemate, & cuncta quæ mundi sunt sub pedibus attrivit. Reducitur in Galliam. *Matth. 12. 50.* *id. 8. 22.* *Epist. 1. ad Nepot.*

14. Et dum ita quietus jam victor celsa sederet in mentis arce; dispensante Dei providentia rursus ei novus constituitur pugnandi ordo. Agitur namque non longè postquam redierat; proprio consentiente Monasterii Patre [b], ut nec multum longè dispar, id est alter Augustinus Abbas eligitur. b

[a] Nimirum à Potone, ni fallor, qui ab anno fere dccc xxi in annos sex Casino præfuit, Theodemarum sortitus successorem. In libello de translatione sancti Viti Adalhardus alter cum Adalhardo nostro Casinum secessisse dicitur. Quod cur mihi suspectum sit, exponam eo loco.

[b] Is erat Mordramnus Abbas cujus obitus xiii Kal. Julii reponitur in vetusto Indice Abbatum Corbeiensium.

AN. CHR. DCCCXXVI JAN. II. S. Augustini imitator.

vivente prædecessore successor eligatur: nisi quòd ille Episcopus fuerit, iste verò Abbatis loco subrogatus sit; utrique tamen perfecti Dei dispensatores inveniuntur. Erat autem idem beatus præfati Patris Augustini velut pedissequus operum clarissimus imitator, satis acutus ingenio, voluntate promtus, eloquentiâ dives, dulcifluus affatu, auditorem tanto afficiens fructu, ut linguam ejus vix aliud quàm calamum sancti Spiritus credere potuisses. Prædicationis ejus officium lacrymæ commendabant, & cordis duritiam gemitus molliebat. Fluebat itaque lacrymarum ab eo serotinus imber, quatenus mentes uberius semen fructificandi caperent, & cor audientium hujusmodi sensu caritatis amore mulceret.

Eximiis virtutibus præditus, *Horat. lib. 2. Serm. Sat. 7.*

15. Vox ejus plena virotis gratia & omni constantia fortior videbatur: ipse verò vultu corporeo nitens, plenus pinguedine sancti Spiritus credebatur. Erat autem juxta illud Horatii quod magnis laudibus prædicatur,

Fortis, & in seipso totus teres atque rotundus.

Fortis siquidem fide, constantia & virtute solidus, in tantum ut nil trepidans nihilque dubitans videretur, etiam si totus terrore infractus orbis laberetur. Verumtamen si aliquâ terroris procellâ impulsus esset, aliquando spe inspetabat, aliquando verò ratione vincebat: timor autem mundialis eum nusquam potuit subrigendo transverberare. teres autem & rotundus ideo in seipso, immo in Deo fuisse dicitur, quia non solùm sibimet virtutibus ac moribus aptabatur, verùm etiam omnibus congruus erat & amore dignissimus; in tantum ut omnia omnibus esset & pæne cunctis lucrifieret. Erat siquidem carne nobilis, sed nobilior moribus: plenus Dei sapientiâ, sed opere non vacuus: pulcra facie, sed fide ac sanctitate pulcrior: dives progenie, sed ditior almitate, quia propago erat natus de propagine cæli.

Prudentia, justitia in Italiæ administratione.

16. Totus igitur novo homine indutus erat, & quantùm hic mortalibus fas est, in intimo Domino recreatus. Equitatus ejus erat quadriga virtutum: rotæ verò quadrigæ illius, prudentia, justitia, fortitudo, & temperantia. Porro prudentia tanta illi inerat ut fons consilii ex ejus animo manare videretur. Cernebat enim simul præterita, præsentia & futura: ut de singulis prævideret quid agendum, quidve sequendum Dei consilio monstraretur. Justitiam verò quantùm sectatus sit, testis est Francia & omnia regna terrarum consultu sibi submissa: maximè tamen Italia, quæ sibi commissa fuerat, ut regnum & ejus Regem PIPPINUM [a] juniorem ad statum reipublicæ & ad religionis cultum utiliter, justè atque discretè honestiùs informaret. ubi tantam promeruit laudem, ut à quibusdam, ita ut fertur, non homo, sed pro virtutis amore Angelus prædicaretur. Fatentur enim quòd numquam in judicio alicujus personam inspexerit: neque juxta proverbium vulgi, aureo pugno sit murus ejus animi fractus. Solus, ut aiunt, potuit illæsus fluvium transire Achetontis avari, & sine discrimine cæcitatis ex Alpibus remeare per annos. Ante quem tremebat in promtu superborum altitudo, gloriabatur humilitas mansuetorum. deposuit enim ilico in ingressu omnem inde tyrannicam potestatem, qui velut prædones iniqui in populo furebant: tantoque audentiùs quantum liciti auxiliabantur domini jure. Unde & omnem terram pessima potestate vastabant. Primùm ergo his pacem reddidit: deinde sua cuique pius arbiter jura restituit. Ergo tanta inerat ei

[a] Pippinus ab Hadriano Papa baptizatus, & Langobardorum seu Italiæ Rex coronatus est anno DCC LXXXI, testante Eginhardo: mortuus anno DCCC X successorem habuit Bernhardum filium, sub quo etiam Adalhardus Italiam administrasse fertur in libello de translatione sancti Viti, infrà.

sapientiæ virtus, ut pro virga censoris judicis uteretur verbo, neque moram faciens sua cuique quæ justa fuerant designando. Fecit igitur ut suum quique adimplerent officium, & nulli jus usurparent alienum. Erat autem thesaurarius pauperum, viduarum patrimonium, pater verò orphanorum: mærentium consolator, brachium infirmorum, & forte superbientium flagrum. Verumtamen omnes de supercilio mentis artificioso deponebat ingenio, & nullum penitus frangebat, nisi quem conspiceret irrevocabilem esse. AN. CHR. DCCCXXVI. JAN. II.

17. Atque ita virtute validus mitis & mansuetus Romanorum pervenit ad fines, ubi à domno LEONE tunc temporis Apostolico, tanto familiaritatis officio est susceptus, ut neminem constiterit Francorum antea suscepisse. Unde nostrorum quidam narrant sibi jocoso dixisse animo: France, inquit, sciendo scias, quia si te aliud invenero quàm te « credo, non ultrà necesse est Francorum aliquem huc venire cui credere « debeam. Quo profectò patet quantum pondus habuerit idem vir, « cujus evacuatio fidei Francorum genus omne probaverit non credendum, cujusve firmitatis fuerit. à Leone Papa III laudatus.

18. Sed quantus sit, plurimum produnt opera promissionis impleta: & testantur litteræ quas de hac, quæ inter homines est tenenda fides, HLOTHARIO Imperatori nuper direxit, inter reliqua ita dicens: Quid « putas, inquit, ô Princeps, si fides sæpe inter cruores & sævientium ar- « ma, etiam inter paganos tantum valuit, ut quisque se committeret al- « terius fidei sacramentis: quantum valere debeat fœdus Christiani in ve- « ritate promissum? non te decipiat aliquis, obsecro, inquit, Imperator, « quia fides cùm contra aliquem violatur, non homo, sed Deus testis & « veritas mea contemnitur. Talibus dictis procul dubio liquet, quòd « facilius fuerit ferri violari vincula, quàm hujus viri fidei contaminari promissa: præsertim cùm in ejus pectore nil toto nisi fons veritatis & mira simplicitas radiabat. quem si diligenter inspiceres, erat in eo animus sigillo Christi impressus: ideo in nullo penitus corrumpi poterat. Lothario scribit.

19. Animus verò ejus erat velut hortus paradisi, fidei muro conclusus, universatum consitus virtutum generibus. Hujus viri imitabatur humilitatem, istius lenitatem: sequebatur autem alterius parsimoniæ victum & mediocrem vestimentorum habitum. Illius quoque habebat patientiam, hujus verò mansuetudinem. Cum frequenti autem suspirio tale mihi verbum pietatis ore dicebat: Super quem requiescam, nisi super humilem & quietum ac trementem sermones meos? Tu nosti, bone JESU, ut quid talia sibi sedulo replicabat mentis affectu. Habebat enim sibi distinctè & appositè ad persuadendam hominis sanctitatem: universa tua præcepta sibi animo commissa tenebat, & inde conferebat secum, habens tuorum dicta mandatorum suos ante oculos: atque ita omnium Sanctorum vitas uno mentis intuitu considerabat, quorum sedulò ruminabat virtutum exempla, ut ex his omnibus unum colligeret virum perfectum Deo plenum, & religionis officio decoratum. aliorum virtutes æmulabatur. *Isa. 66. 2.*

20. Scribit namque Tullius rex eloquentiæ Latinæ in libro secundo de inventione rhetoricæ artis, quo tempore Crotonienses florerent opibus, atque ita cùm beati numerarentur, & templum religionis suæ picturis egregiè locupletare vellent, vocasse Zeuxim quemdam, qui omnium pictorum ingeniis videbatur excellere: quem magno pretio conductum adhibuerunt, ut sibi pingeret cujusdam Helenæ imaginem sæculis opus mirabile permansurum. Qui ilico quæsivit ab eis quasnam virgines formosas haberent. Illi autem statim deduxerunt hominem in palæstram, atque ei pueros ostenderunt multos magna præditos dignitate: deinde honestissimas ex gymnico certamine victorias domum cum lau-

de maxima retulerunt. Cùm puerorum igitur formas & corpora magno hic opere miraretur; Horum, inquiunt illi, sorores sunt apud nos virgines, quæ quanta sint dignitate, potes ex his suspicari. Et ille: Præbete illas mihi, quæso, ut ex his dum pingo formosissima quæque, transferam super unius imaginem rei quam petere censuistis. Quod illi obtemperantes, pictor quinque delegit, quarum formam suo probavit judicio pulcritudinis esse. Neque enim putavit omnia quæ quæreret ad venustatem uno se in corpore reperire posse, eo quòd nihil simplici in genere omnibus ex partibus perfectum natura expolivit, tamquam ceteris non sit habitura quid largiatur, si uni cuncta concesserit.

21. Ita si quidem & senex noster ingrediens palæstram hujus vitæ, postquam ablutus est baptismi fonte, post abrenuntiationem sæculi; quo puro mentis intuitu conspexit diversos ad diversa tendentes? Alios quidem vidit sudare ad mundi honores & præsentis vitæ gaudia, alios verò ad luxum & libidinem carnis: nonnullos autem sectari justitiam, necnon & aliquos futuram respicere vitam. Elegit tamen ex omnibus quos potuit intelligere quinque virgines, quæ pio caritatis oleo suas indesinenter ornant lampadas, & parant exire obviàm sponso & sponsæ: & has imitatus est vigilanti animo, ne fortè fur nocte veniens dormientem subriperet. Audivit etiam ex gymnico carmine Sanctorum quàm dignas honore victorias: atque ex his omnibus unam in se Christi reformavit imaginem. Illic in uno videlicet Deo & homine Christo Jesu omnia quæ sunt venustatis & decoris æternæ vitæ ultrà quàm intelligi possit adinvenit: sed perfectum quod in omnibus Ecclesiæ partibus natura prohibuit, gratia concessit, ut sit Deus omnia in omnibus. Idcirco ex omnibus per omnia satagebat, ut jam Christum in omnibus inveniret. Ob hoc autem ab aliquibus, ut epistolæ Magistri Albini [a] ferunt, Antonius vocabatur: à nonnullis verò, ut suprà dictum est, Aurelius Augustinus. agebat namque istud Gregorii, aliud verò beati Silvestri.

dictus ob id Antonius & Augustinus.

liberalis in egenos.

22. Testis est mihi conscientia mea quòd sæpe mirabar, cur tantum mutuo vellet accipere, ut indigentibus vel suorum erogaret usibus, donec vitam beati Silvestri inspexi, cujus in hoc imitabatur exemplum: ut semper magis mutuando pauper quàm dives inveniretur. Dicebat namque sibi sæpe cohærentibus: Vis nosse, ô inquam tu, utrum avarus largusne videaris? scias prorsus quòd si timueris quid magis te dedisse quàm oportuerit, avarus convinceris. quòd si minùs quàm debueras; largitatis est utique signum. & ideo te, fili, moneo ut magis si neglexeris, in hoc reus appareas, ut de nostro plus censeas tribuere, quàm minus aliquid erogare.

23. Novit altissima virtus, quòd frequentiùs in tantum liberaliter tribuebat, ut ipse pauper ac sui simul viderentur egere. Sed tunc lætus tunc gaudens exultabat in Domino. Aiebat namque: Utinam vel in modico paupertate Christi participaremur. sed numquam ei visum est aliquando ad hoc potuisse pervenire negotium, eo quòd Christus magis in eo pusillanimes animaret assiduè, ut sua liberaliter discerent erogare, & de Dei largitate præsumere. præoccupabat enim eum divina clementia ministrando. Unde cùm quodam die omne pulmentum casei de Monasterio hospitibus ex integro expendisset, ita ut nihil Fratribus reservaret;

[a] Exstat Alcuini epistola 107 ad Antonium scripta, quæ hoc loco sine dubio à Paschasio designatur: qua hortatur Adalhardum, ut Homeri seu Angilberti salutem procuret, *Valens*, inquit, *per te fieri, quod per me non posse fieri agnovi*. In hac epistola meminit Alcuinus alterius epistolæ abs se ad Antonium scriptæ, quæ non exstat. Sunt qui Adalhardum *Arsenii & Hieremiæ* nominibus à Paschasio designari existiment initio libri de corpore & sanguine Domini. At Vvalam significari demonstrabo ad annum DCCCXXV, quo Vvalæ Vita referenda est.

contigit ut quidam cùm esset Cellerarius, quasi voce minaci quodam mentis affectu diceret: Mitor, ait, Pater, quid tua velit ingentis rei expensio. en nihil residui permittis esse Fratribus, quo vesci libeat. Tum ille ut erat suavis eloquio arridens: Dominus dabit, inquit. & ille: Tu semper, inquit, ita polliceris; sed non sic extimplo dabitur, quòd tu indifferenter effundis. Interim autem dum hæc aguntur, ecce duo adsunt plaustra pro foribus, unum nescio quid ferens piscium, & aliud plenum caseis. Quod beatus Pater audiens, lætus pro Fratre, jussit eum adesse continuò. Ecce frater, inquit, & quod timebas argueris, ecce imprudens convincitur ignavia. tum ille, ut erat simplex animo, videns se argui beneficiis; Da, mi Pater, inquit, deinceps, da quantum volueris. jam enim non dicam ulteriùs: Non dabit Dominus; sed dicam prorsus, quia dabitur quantum volueris. AN. CHR. DCCCXXVI. JAN. II.

24. Neque igitur tantus vir prudenti affectu poterat ignorare, quid, cui & quantum daret. hoc solùm vitii, si libeat, deputetur quod aiebat, dicebat enim ita: Si ad dandum mihi ita exiguum fuerit, ut non habeam quod duobus impertiam indigentibus, quo solùm eorum aliquis adjumentum capiat; bonum mihi videtur, cui jure magis competit ut ei totum tribuam, quàm utrisque nil pæne impertiam, aut eos ex toto vacuos relinquam. Unde uni impendebat utrumque benevolentiæ munus, alteri pietatis affectum. Videte, duricordes, videte viscera pietatis. ecce hic, licèt non posset largiri omnibus, tamen omnium doloribus & penuriis atque casibus variis compassionis affectu, quasi propriis afficiebatur.

25. Verè tantus ac talis erat, ut de se quippe relatu veritatis potuisset adserere: *Vulneratus caritate ego sum.* qui nisi vulneratus esset à caritate, omnium casus continuis lamentis ut proprios non lugeret. Flebat autem diebus singulis, si non ampliùs, semel in die aut secundò, mane videlicet & vesperi. Ignis ergo erat iste in eo perpetuus non deficiens ex altari animi: sed jugiter tali ardebat voto. Ibi enim fiebat suave holocaustum Domino: ibi victimæ mactabantur, præcipuè in noctis medio. erat enim pervigil in orationibus. Omnem carnis adipem & concupiscentiarum inlecebras tunc cremabat flammarum incendio; & omnia intrinsecùs vitalia caputque cum pedibus, id est initium vitæ ac finem Domini in sacrificium adolebat. Lavabat enim quæque lacrymis primùm, ut deinceps omnia Domino mundiùs cremarentur. Fateor planè numquam me invenisse virum, cui fons lacrymarum tantus inesset tantusque gemitus. Putares enim intrinsecùs omnia fletibus resoluta profundis suspiriis pectus disrumpere. Videbantur in eo ac si tonitrua resonare, dum se crebris tunderet ictibus, ut lacrymarum imbres uberiùs eliceret. Haud dubium quin tonitrua fuisse rectè dicamus: quia tu intus eras, bone JESU, ut fletibus virtutum rigares semina, & agri pleni quem benedixeras, fructum fonte adspersionis ablueres. *Lacrymis deditus.*

26. Qui cùm exiguus ego aliquando ab eo requirerem hujusce lamenti genus & tanti fletus gratiam, intulit ita dicens: Plango, inquit, fili mi, plango, non quasi humiliando flere me conveniam, aut ut altiora cæli sacramenta conspiciam? sed me, inquam, quid sim considerans, plangendo lugeo. plango quidem, non quia sic me vellem plangere: sed quia me ita plangendum novi, procul dubio plango. O profunda humilitas viri & altissimum mentis ingenium! dicebas enim hæc, non quòd te talem scires, sed ut me quem talem fortè noveras, ad plangendum saltem seriùs invitares & pectus saxeum sic tuis fletibus emollires. alioquin tu ideo flebas, quòd velut intra sancta Sanctorum ingressus, nondum continuare poteras quod cernebas. Spes namque quæ dif- *quam ob causam.*

An. Chr. DCCC XXVI. Jan. II. fertur afflige animam. Ergo cernebas mentis oculo cælestem illam patriam, quo hymnidici chori Deo laudes concelebrant: & fruebaris beatum illum & felicem cæli concentum, ubi indefessa voce resultant præ gaudio jubilationis organa; & quod majus est, adhuc feceras tuam ipsius animam sancti Spiritus habitaculum. Sed cùm idem Spiritus paullulum altiùs evolasset ut eum requireres, flebas præ amore nimio, multùmque flebas ita dicens: Anima mea liquefacta est ut locutus est mihi, si quidem locutus est & abiit. abiit ut mens avida fruendi feliciùs inardesceret, & flammam cùm invenisset, in eo caritatis firmiùs retineret. Inde erat, mi Pater, quòd in mortis articulo non recedebat ab ore pius affectus, ac dicebas: Sitivit anima mea ad Deum vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Jam enim cupiebas ingredi tabernaculi locum admirabilis, jam vox exsultationis in auribus erat & confessionis in ore: jam sonus epulantis audiebatur: jam quodammodo intereras his quorum habitatio est sicut lætantium omnium. Talia quippe dum fleres, tibi ante oculos adsistebant: & ideo amore totus clangueras ac dicebas: Adjuro vos, filiæ Hierusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo. Noverit pius lector, quòd si se à talibus paullulum pro quibuslibet negotiis segregasset, quasi à sanctis exiens festinabat ocius ut rediret: sed continuò totum se inveniens, totus aderat quasi in die nihil aliud inter manus habuisset. Mox etenim aderant lacrymæ, mox gemitus, atque omnis devotio: revirebat quoque animus ilico, & omnis sensus corporis continuò mundo moriebatur.

In officio divino quam pius. 27. Quòd si ad Dei intrasset officium, ut idem jucundo animo solitus erat dicere, mox omnes cogitationes & causas rerum temporalium ante ostium reponebat, & secum totus ingrediebatur, ut totus Deo ac sibi adesset. Quem si conspexisses, subitò videres eum introire suæ secretiora mentis, & nescio quid verenti vultu respicere. Tingebat quippe calamum linguæ fonte sancti Spiritus, ut mundus Deo laudes diceret: inter ipsas laudes nescio quid musicum percipiens, aliquando abundantissimè flebat. Et quid mirum? cùm ut audivi quodam referente Episcopo, inter ipsas palatii populorum frequentias dum Rex & Consiliarii ejus aliud quid intenderent, & turba more solito undique perstreperet, sæpe eorum in medio positus lugebat, quasi ad agonem flendi huc venisset. Itaque ibi residens aliubi cælorum Regi secretiùs adsistebat.

extra Monasterium ut se gerit. 28. Quòd si inter mundi discrimina huc illucque pro Ecclesiæ negotio occupatus esset, instituta tamen Regulæ minimè deserebat, sed pro lectione vacabat fletibus, & pro reliquis officiis mentis jubilo Domino famulabatur. Noverant igitur omnes sui comites & itineris socii continuò eum se nolle adpropinquari: idcirco procul ab eo gradiebantur, quatenus ille soli Deo vacaret. Venerat enim illi jam tempus, ut neque in monte, neque in Hierosolymis, & (ut ita dicam) neque in aliquo loco; sed ut in spiritu & veritate adoraret Patrem. Templum autem ejusdem Spiritus suam fecerat animam veritatisque habitaculum: idcirco ut mihi visum est, totus ubique secum totusque cum Deo erat, ac sollicitus cum eo gradiebatur.

Dissidentes revocat ad pacem. 29. Inde erat quod profectò semper hilaris sempetque mitis ac lætus inveniebatur: inde quòd tam patiens, tam longanimis, tamque benignus in omnibus habebatur. Erat enim filius pacis caritatisque catena, ut fraterna sibi viscera invicem cohærerent. Novit hoc Spoletum & Beneventum: qui cùm hostili gladio se invicem indesinenter cæderent, factum est ut idem beatus illuc usque ob hoc progrediens deveniret, & Beneventum intraret. porro ibi cùm esset, inter eos tantam

restituit pacem, ut usque hodie connexi & confœderati sibi mutuò in pace Christi cohæreant. Unde non solùm apud eos, sed etiam apud Græcos & omnes maris insulas, nimiam promeruit amoris gratiam, famam virtutis. Perpendebat autem in hoc discidio, quòd utrique Christiani & fratres essent: neque censuit eos ita Deo placere posse, ut tanta cruentarentur cæde, & suarum prædas facultatum facerent: quia *omnis*, inquit Apostolus, *qui odit fratrem suum, homicida est: & scimus quòd omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem.* Unde se medium inter eos pius Pater injecit, & quam diabolus pacem Christi violaverat, sanè ad plenum restituit. Igitur hujuscemodi negotio infatigabilis videbatur, & pro justitia certator eximius.

AN. CHR. DCCCXXIV. JAN. II.

1. Ioh. 3. 15.

30. Unde & factum est cùm Imperator CAROLUS [a] dum vitæ fecisset extremum, & HLUDOVICUS proles ejus Augustus successisset in Regnum, ut diaboli agente invidia in eo veritas pravorum rursus solitis agitaretur insidiis. Nec novum aliquid: quia apud improbos semper inimica veritas fuisse comperitur, & justitia stultorum criminibus lacerata. Jam enim annosa perversorum improbitas, juxta illud Platonis, beatas & felices respublicas esse ingemiscebat, si eas studiosi sapientiæ regerent, vel si earum rectores studere sapientiam contigisset. Unde dolo accensi atque invidia, excogitaverunt quomodo ac si Danielem ex Regis latere amoverent *, ut justitia ulteriùs non habendo defensorem statum amitteret; & iniquitas suis peremta fraudibus locum dominandi reciperet. Noveras enim omnium animarum Deus inspector, qui hoc consilium illius cordi inseveras, ut Regis & Ecclesiæ cederet jussionibus, quòd non nisi ob commune omnium bonorum studium hoc fecerat: videlicet ut libertas potentiorum tyrannide relevata propensiùs Domino militaret, & universarum jure laudes Ecclesiarum devotiùs Domino redderentur. Sed Deus qui suos ad altiora semper invitat, voluit hunc virum manifestiùs approbare, quantusque esset in adversis ostendere: ut qui tantus Deo victor in prosperis triumphabat, in adversis etiam triumpharet, ut quia jam gratiâ Dei septem Evangelii beatitudines vitâ & moribus sibi adquisierat, octavam quæ supererat operibus adimpleret. *Beati*, inquit Evangelium, *qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Passus est igitur idem malignorum supercilio & accusatus fraude humanitatis, qui amore justitiæ ac veritatis in promtu nil sibi tutum servaverat, nisi se pro ea usque ad mortem modis omnibus tradidisset. Numquam enim timore occuluerat veritatem, numquam mendacium locum habere concesserat: sed miseros objecta * veri puritate clementer tegebat, quos præsertim avaritia & crudelis imperitorum vexabat ignavia. Unde cùm cæcitas iniquorum dolosiùs aranearum telas quàm cautiùs venandi retia texuisset, noluit ante faciem apparere, ne fortè pravitatis turpitudo justitia relucente fedius monstraretur. Quo factum est, ut sine accusatore, sine congressu, necnon sine audientia atque sine judicio justitia plecteretur in eo. Qui pulsus præsentibus bonis, dignitate exutus, vulgi existimatione fædatus; ob beneficium Reipublicæ exsilium [b] tulit. Sed quàm cæca & stulta perverso-

veritatis & justitiæ causâ exsulat; [a]

* mss. facerent

Math. 5.

* al. veritas

[b]

[a] De quodam reliquiario, quod Carolus ante obitum concessit Adalardo, in appendice hujus Vitæ dicendum.

[b] Adalhardo quæ causa exsilii fuerit, non liquet. Certè non Bernardi Italiæ Regis factio, cùm ea cœperit anno tertio exsilii Adalhardi, qui proinde non ob id relegatus est, quasi particeps ejus fuerit. Neque porro usquam inter istius conjurationis reos nominatur, tametsi auctores præcipuos memorant Eginhardus, Auctor Vitæ Ludovici Pii, aliique. Certè exsilium hoc Adalhardo ejusque propinquis inflictum videtur non aliam ob causam, quàm quia homines potentia & ingenio præditi suspecti fuere Ludovico, pio quidem Augusto, sed suspicioso ac meticuloso. Id colligitur ex Vita ipsius Ludovici, ubi hæc de Vvala ad annum primum imperii Ludovici: *Timebatur quàm maximè Vvala, summi apud Carolum Imperatorem habitus loci, ne fortè aliquid sinistri contra Imperatorem moliretur.*

vatus honore [a], sed cælesti interim undique vallo fulcitur. Dissolvitur autem ad tempus quàm felix quadriga germanitate in modum illius Ezechielis conjuncta: super quos JESUS loricâ virtutum succinctus decentissimè præsidebat. Erant igitur quinque unius viri semine propagati: quorum trium Imperator Augustus familiari usus consilio, unà secum fundabili quadratura Francorum Imperium satis admodum dispositum regebat Reipublicæ augmentatum. De his namque equis Habacuc non incongruè Domino cecinerat dicens: *Qui adscendis super equos tuos, & equitatio tua salus.* Quorum quidem impar cursus, sed par animus ad palmam in primordio ferebatur. Porro jam deinceps præsidente eis Spiritu-sancto æquo voto in his unum propositum consummatur: qui primò quidem discolores videbantur equi currere, sola voluntate concordes; postremùm verò, ut beatus Hieronymus ait, iidem in hoc opere unum aurigæ jugum trahunt æqua cervice & proposito pares, non exspectantes flagelli verbera, sed ad vocis Christi hortamenta ita ferventes, ut magistri a duces exercitui fierent sanctitatis. Erat autem major natu senex noster sanctissimus, ætate ac gratia jam Domino consecratus; maturior consilio, eximior omnibus sanctitate. deinde WALA virorum clarissimus, qui ei successit postea Monachorum Pater eximius; tunc temporis primus inter primos, & cunctis amabilior unus; nimia familiaritate Regi * inhærens, [b] & maxima præfecturæ dignitate subvectus, in senatu clarior cunctis, in militia verò prudenti animo fortior universis. quem tanta laus sequebatur in omni vitæ negotio, ut longè plus censeretur amore posse, quàm omnium fastus etiam & tyrannis reliquorum. Erat enim justitiæ custos & decus honestatis, oppressorum quoque justus oppressor.

AN. CHR. DCCC XXVI. JAN. II.

a Ezech. 1. alii ejus fratres ac sorores,

Hab. 3. 8.

b * al inhæsus

33. Quibus inhærebat ex latere sexu soror GUNDRADA, nomine dispar, sed virtutibus procul dubio compar, fratribus assiduitate præsens. si quidem virgo familiarior Regi, nobilium nobilissima, quæ inter venereos palatii ardores & juvenum venustates, etiam inter mulcentia deliciarum & inter omnia libidinis blandimenta, sola meruit (ut credimus) reportare pudicitiæ palmam, & potuit (ut dicitur) carnis spurcitias inlæso calle transire. Pudicitiæ, inquam, sceptra secum tenuit: quia prorsus sibi locupletius fore credidit integritatem servasse carnis, quàm roseos castitatum flores violare. Est autem pudicitia virtus (quâ feliciter ut probatur coronari meruit) velut Tertullianus facundissimus ait * ita dicens: Flos morum, honor corporis, decor sexus, integritas sanguinis, fides generis, fundamentum sanitatis, præjudicium omnibus bonæ mentis. ac deinde: Quamquam rara, inquit, nec facilè perfecta vixque perpetua. Hujusce igitur Christi famula inter omnia castitatis discrimina delegit expetere campum certaminis, & meruit triumphum victrix obtinere pudoris. Reliqui verò duo, videlicet BERNARIUS noster, & THEODRADA soror ejus Deo devota, quæ jam reddito fructu nuptiarum secundùm castimoniæ gradum arripuerat, ad pedes JESU cum Maria domi sedebant: illa quidem Suessionis Sanctimonialium regens vitam, iste verò Christi discipulatus nobiscum habens formam: utrique tamen ad unum bravium supernæ vocationis currere festinabant.

* Tertull. de pud. c. 1. " "

34. Video igitur in hoc eorum quinario numero dulci, sonum utrisque partibus revolutum personare musicum, & ad aliquid harmoniæ horum quantitates concinere. Porro si primùm inspicias viros, & secundò

a Adalhardus junior, ejus alumnus ac discipulus, vicem optimi parentis gessit toto illo septennio, quo exsulavit Adalhardus senior infrà num. 66.

b Walæ Vita duobus libris scripta exstat infrà ad annum DCCC XXXV.

AN. CHR. DCCC XXVI. JAN. II.

duas ſorores, erit diapente Græcum & proportio ſeſqualteræ quantitatis. tres enim duplum medietate ſui ad aliquid vincunt: & concinit unus, videlicet beatus ſenex noſter, inter duos & duas: atque ita mellifluam muſicæ ſymphoniam artis & pyramidem geometricæ diſciplinæ formam reddunt. Sed quod operatur unus, id eſt Adalhardus ſenex, inter quatuor, ut bene concinant; hoc verò iſdem ſupereminens, ut in modum ignis quadrati cæleſtis patriæ amore ardeant, invitat. Alioquin ſi reſpicias eos in negotio Reipublicæ prælatos, erunt rurſus tres publicis, velut Martha, mancipati officiis, & duo ad pedes JESU intenti, tantùm ut audiant verbum. Atque ita medius eſt Pater noſter ſenex: qui inter utraſque vitas, activam ſcilicet & contemplativam, interdum mediè temperatus incedit. denique ſi eos rurſus diligenter attendis, tres eorum ſi quidem ſunt qui continentiæ triumphum ſortiuntur, & duo qui primum caſtum meditantur connubium; ad poſtremum verò utrique par jugum monaſticæ diſciplinæ trahunt. In omnibus igitur veſtiti duplicibus, in omnibus conſoni & concordes atque conceleres * prædicantur. Conſpicio quidem eos cum Benjamin ſingulos inter Patriarchas quinque indutos ſtolis; ſed à JESU noſtro veſte ſimpliciter nuptiali poſtmodum glorioſiùs decorari. contueor autem quinque talenta credita, ſed his omnibus unum præmium lego ſuper appenſum.

* Bell. concolores

Aliò relegati.

35. Qui cùm ita his avidiùs in invicem pro ſe & in omnibus decertarent, venit invidiæ ventus, & diſperſit eos procul ab invicem, in quibus præſertim florebat totius regni decus: ut & ipſi probati manifeſti fierent, & ad quos devenirent, eorum virtutibus fulcirentur. At verò Corbeia tunc, multorum quoque ore jam diu laudata, mærens ac flens cùm de tanto viduata Patrono lugeret; in conſolationem ſui, Domino diſpenſante, meruit ſuſcipere WALAM, clariſſimum virum, inter reliquos quos habebat nobiles, velut tironem Chriſti, quem poſtea poſt deceſſum fratris vice Chriſti gaudens ſibi exſultat Patrem habere. O providentia Dei & parati oculi diſcurrere in omnem terram attingens à fine uſque ad finem fortiter, diſponenſque omnia ſuaviter: quàm incomprehenſibilia ſunt opera & judicia tua univerſa, qui cæcitate humana uteris inæſtimabili lucis conſilio! Flagellas enim ad tempus filios, quos coronare diſponis. Inde igitur eſt, mi Pater omnipotens, quòd BERNARIUS noſter Lirinum [a] remittitur: Wala verò tuus Corbeiâ, ut dixi, tiro recipitur. qui deponens militiæ cingulum, ut te totum velle ſanctitatis indueret, arripuit primum tirocinia paradiſi, ut conſummaret in ſe menſuram Chriſti. THEODRADA namque quaſi innocens ſub ſancta profeſſione Sueſſionis relinquitur: porro præfata Gundrada ad ſanctam Radegundem quondam Reginam mittitur, idcirco ut cui communicaverat ex parte florens inter palatii diſcrimina, imitaretur virtutum ejus inſignia: & cùm ea die noctuque Deum exorans, de ſe ſuiſque interdum conſolationem obſecrando reciperet.

Exſilium læto animo ſubit vir ſanctus.

36. Sed cùm iidem quaſi exhonorati ſecedunt à palatio, procedit ſenex noſter quaſi ad epulas invitatus inter eos, ut aiunt, fortis fide, mente alacer, conſcius puritate. Agebat namque gratias quòd dignus inventus fuerit pro veritate contumeliam pati. deinde nunc fratrem oſculo deliniens lacrymantem, nunc ſororem blanditiis & Sanctorum afficiens hortamentis, amicis perſuadens mentis fortitudinem, Proceribus verò palatii exhibens virtutum exempla, porro in omnibus mirabilem mentis ſuæ con-

a Et tamen in Vita Ludovici Pii Bernarium, non Lirinum, ſed Floriacum exſulaſſe, aut certè Lirino in Floriacenſe Monaſterium abductum fuiſſe, colligitur ex verbis Auctoris, qui ait BERNARIUM *à Monaſterio ſancti Benedicti evocatum & reconciliatum*, eidem cum Adalhardo fratre fuiſſe reſtitutum loco, nempe Monaſterio Corbeienſi.

stantiam demonstrabat: ita ut quidam Archiepiscoporum duo flentes ab eo regressi, ut fertur, Imperatori Augusto interroganti dicerent: Quid putas, ô, inquiunt, Imperator? numquid vindicare te cupis hunc virum exhonorando, & qualibet terrarum parte eum exsillando? fatemur planè quòd numqoam ei gaudiom huic simile facere potuisses, quo nunc ei probata patientia cælitus condonatur: præsertim cùm hodie sibi nimiùm gratulatur, pristinam in Christo recipere libertatem. Unde scias, quòd numquam lætior, numquam jucundior à nobis visus est aliquando, itaque nullum ferientis spe sancta subnixus pavet occursum, neque eum ullus hinc penetrat dolor. Quòd audiens Imperator, pudore suffusus doluit se fecisse, quod jam ruboris erat inhibere. AN. CHR. DCCC XXVI. JAN. II.

37. At verò pius Christi famulus hoc Cæsari quasi pro crimine imputantibus aiebat, dicens: Nolite, quæso, Fratres mei, nolite attendere, quasi quod de nobis agitur, in hominis sit potestate. Fateor enim etiam si idem aliud delegerit, quàm quod à Deo semel prolatum est, non posse penitus tetractari, nisi primum hoc opere compleatur: neque possunt compleri disposita, si non idem annuerit. Idcirco moneo vos, carissimi, attendite Deum in nobis, licèt per cujus non optassem manus, voluntatem suam explere; quia secundùm Job, cùm ista expleverit, talia ei præstò & quàm plura sunt multa. Alioquin cùm expletum fuerit quod præfixum est, non quod in istius erit voluntate, sed prout suo clementer annuerit nutu, quandoque revocabimur. Interim verò, quæso, parcite à Deo collato nobis Principi, quòd non sua quodammodo, sed Domini nostri cui peccavimus, interdum utitur voluntate. Ceterùm juxta beati David vocem, si Dominus incitat eum adversum nos, precor suppliciter exorate, ut sacrificium humilitatis nostræ odoretur, & suos suscipiat pænitentes in omnibus: ita tamen ut ejus fiat voluntas. Ecce quanta & quàm immobilis patientia illi inhæserat! quanta doctrina, quantaque viscera pietatis! Igitur inter omnia hæc & inter omnium voces gementium & lacrymarum alloquia, medius de se consolator erat & persuasor virtutum.

Imperatori non indignatur, | Job 23. 14. | 1. Reg. 26. 19.

38. Erat enim quasi speculum sanctitatis & inter omnium querimoniarum jura causidicus irrogantium. Dic rogo, quis tunc vel saxeum pectus habens non fleret? quis præcisus vel de silice non doleret? aut quis vel ferreis continere se poterat oculis ne lugeret? maximè eâ horâ, cùm omnes una voce plangendo clamarent: Pessima cæcitas malumque consilium ut fons consilii exsilio deportetur. Istud, inquiunt, non recuperabitur, neque Francorum quisquam ei similis tantusque caritatis ac veritatis invenietur adsertor. Planè, fatemur, pessima fraus & callidus veneni dolus! ecce quàm iniquissimum instat tempus, dum justi & boni exhonorantur viri, & nemo est qui interdicat. Quid igitur, putas, erit de nobis? Ecce, aiunt, tollitur pravitatis interdictor, & quis ultra justitiæ locus erit? quæ consilii sanitas? præsertim cùm omnes sua quærant. Nemo igitur Reipublicæ, sed pessimè sibi quisque consulit, consilium pro muneribus venditur, sequuntur retributiones, propria lucra considerant.

aliis ingemiscentibus.

39. His & hujuscemodi querimoniarum vocibus usi, generaliter omnium corda singulorum fletibus ingemiscere cogebantur. Ignorabant ergo quòd Dei occulto judicio factum sit, ut senex noster mala cùm fierent ne videret, & pœna peccati interim * in quosdam liberiùs desævitet. Tunc itaque quasi ei hoc solum deesset quod primum concupiverat, Domino dispensante ab humano pellitur orbe. Et credimus quòd cælestibus pastus sit sacramentis: ut cui vetitum erat solum terrarum cernere, Johannis exemplo cælestis patriæ inquisitor fieret. Quid putas? num-

* mss. iteratum

AN. CHR. DCCCXXVI. JAN. II. quid Deus oblivisci poterat quod primum contra ejus decreti voluntatem tali eum ab officio retardarat? sed nunc fortassis ideo ei votum diu desideratum conceditur, quasi ut quem priùs Deus labore hujusce honoris læserat, tandem posteriùs concessu operis deliniret: quem si vel tenuis pulveris inter hujus mundi discrimina maculæ sordidassent, angelico assuefactus consortio fontibus lacrymarum ablueret. Quod factum proculdubio creditur, ut septem annis, qui ad hoc sacratus est numerus, sancto ibidem spiritu ageretur, si quomodo septiformem ejusdem spiritus gratiam ex integro accipere meruisset. alioquin non talis ac tanta fuisset collata virtutum fama, nisi quia divino arbitrio conventum est, ut qui pæne omnibus Europæ partibus jam clarus inerat, etiam Aquitaniæ solum extremis finibus illustraret: ut qui sibi pollebat ubique sanctitatis nomine, illuc usque cunctis clarior redderetur, ac deinde ubique fultus Dei auxilio præmiis meritorum uberiùs abundaret.

Septem annis exsul.

magno Heriensi Monachorum professu.

40. Hujusce rei testes idonei sunt adsertores sancti Fratres, inter quos idem Beatus, ut ipsi fatentur, vitâ angelicâ per septennium visus est habitasse. quos Fratres idem ad omnia quæ Dei sunt, sanctâ devotionis flammâ movebat: quoniam tanta caritatis virtus in eo erat, ut omnibus se posset influere, & suo eos amore in Dei causa firmiùs solidare. Dei quippe altissima virtus asperos ei quosque secundabat ubique casus, quæ tribus pueris medium fornacis fecerat tamquam spiritum roris flantem. Unde nec procellis allidebatur, neque vi ventorum impingebatur. Christi enim erat fundatus amore. & ut cum Apostolo dicam, quis eum separaret à caritate Christi? tribulatio, an persecutio, an fames, an nuditas, an gladius? verè, ut evidentiùs loquar, neque mors, neque vita, neque instantia, neque futura, sed neque ulla creatura poterat eum separare à caritate Dei, quæ est in Christo JESU. fundati enim erant pedes ejus supra petram: & ideo non poterat commoveri.

Rom. 8. 35.

41. Unde cognoscentes eum beati viri, inter quos quasi sub custodia degere primùm videbatur; cœperunt magno ejus amore inardescere, & nimiùm venerari, non ob regiæ quidem propinquitatis honorem, sed pro venustate morum & sapientiæ documentis, necnon & pro sublimitate virtutum in tanto eum honore præferentes, ut etiam ejusdem loci Pater & omne illud collegium sanctum Patris eum venerarentur obsequio, & secundùm ejus consilium sua cuncta tractarent, & obedirent ei in omnibus, prout is semel ore aliquid protulisset. Tu enim hæc omnia, Deus Pater incomptehensibilis, tuo disponebas nutu, ut & devotus tuus famulus tandem aliquando diu optato potiretur otio, & devoti milites tui ejus fulcirentur consilio.

** al. potitus est.*

42. Vacabat igitur illic jam cælesti sabbato fruitione perenni, & * gustavit quàm suavis sit Dominus. Unde quàm immensæ laudes & gratiarum actiones ibidem ejus resonarent ab ore; puto, nemo est qui possit ad plenum edicere. Si quidem erat ei felix illa habitatio in modum paradisi, ex quo serpentis invidiâ primus ejectus est homo. Et mirabilis satis admodum ordo. ille quidem projectus inde confusione tegitur; iste verò ejusdem suasu quasi revectus ibidem gloriatur, eo quòd jam consortio frueretur angelico. Erat igitur ei, ut quidam Poëtarum eximius ait,

Virgil. Georg.

Quàm secura quies, & nescia fallere vita,
Dives opum variarum, & latis otia fundis.

Atque ita nimiùm jucundus inter mulcentia sanctitatis otia lætabatur, quasi inter florigeri paradisi amæna: nec dubium veritatis odio cum

beato Johanne adeo usque exsilio deputatus, sicut venerabilis [a] Beda Presbyter ait. AN. CHR. DCCCXXVI. JOAN. 33. *Beda in Serm. de S. Ioh.*

43. Quin licuit cernere fluctivagas ubique mundi rotas, & Babylonis ac Hierosolymorum mixtim confligere castra, hinc inde vicibus tela atque fugam capi. Inde erat, mi Pater omnipotens Deus, quòd tuus athleta tantum pro discrimine hujus vitæ flens lugebat, ac dolore suffusus nimio lamento gemebat, rogans ac petens præsertim ut suorum parceres hostium cæcitati. Videbat enim & prævidebat jam senex Pater hoc in tempore miseram humani generis vitam deliciis adnullari, & Jezabel propheten se dicere, & seducere servos Dei, fornicari & manducare de idolothytis, ventris ingluviem sequi, & libidine coronari. quia, inquam, monstrum videri posset, si gula sine luxu, aut luxus sine gula regnaret. Heu quàm misera conditio ventris, qui talium affinitate partium cohærens, utroque cluditur fine, & malæ felicitatis fastu casso vestitur honore. Unde, quamvis voce poëtica utar, moneo vos.

Qui legitis flores & humi nascentia fraga,

hinc fugite, quoniam serpens his usibus latet. At verò præfatus senex noster interim eos flere non cessabat quos aviditate ditescendi * velut quasdam aves nox illuminat & dies cæcat: qui dum non dispositionem Dei, sed suos intuentur affectus, licentiam vel impunitatem scelerum omnino putant esse felicem. Sed eorum interdum immanitate flagitii cælesti viro beneficia cumulantur in tantùm, ut omne sibi gaudium æstimaret adfuturum, dum tentatione ad victoriam functus sit invidorum. Idcirco quocumque se verteret, proficiens ultrà atque crescens ibat. * *mss. ditandi*

44. Gaudebat ergo ut Dei in eo compleretur voluntas, quia totus Deo subjectus esse parabatur. Aiebat namque inter reliqua patientiæ suæ verba de suo quærenti exsulatu, ovium se velle imitari simplicitatis exemplum, & ad instar leporis mutationem loci non curare. Ovis enim, dicebat, propter aliorum caloris indumentum suo sine invidiæ zelo nudatur vellere, & de sui indumenti exuviis alterius fovetur nuditas. Ita siquidem & in me aliquod sit est utilitatis prudens opus, volim ut quilibet id gratis sine meo percipiat quæstu. atque ita si fuero huc illucque, addebat, pro insidiantis impulsu more leporis fugatus, neque locum quietis quo dudum prorsus insederam, cum mærore relinquo, neque ad quem propellor, cum amore teneo. Nostra autem conversatio in cælis esse creditur; ideirco quæ sursum sunt sapimus, & non quæ super terram. Mortui enim sumus cum Christo, & vita nostra cum eo in cælis est abscondita: ut cùm Christus apparuerit vita nostra, tunc & nos simul cum eo appareamus in gloria. His & hujuscemodi verbis ad petram quæ Christus est, Fratrum animos solidabar, ut quia inter fluctus marinos extra mundum positi videbantur, spe quam velut anchoram habemus, cælo profundiùs firmarentur [b]. Exsilio ut proficit ipse.

45. Quibus paterna ex acie per septennium ita discretione virtutum vallatis, factum est, Domino annuente, ut sui exsulatus jam finem faceret, & clarior propriis honoribus redderetur. Propriis ergo dico, quòd meritò sibi competerent, & idem summum paternitatis officium meritis illustraret. Alioquin honoribus dixi reddendum, quem proprius meritorum honor ubique & sapientia decorabat. non quòd amiserit, quo reverentiâ dignus censeri posset, sed æstimatione vulgi privatus honoris officio, quantum in ipsis fuit, dignitatum fascibus redhibetur. Ceterum exhonorari, sicut consulta veritas patefacit, non poterat, quem cælestis gratia Honoribus tandem redditur,

[a] En Beda *venerabilis* dictus à Paschasio Radberto, quo tempore etiam Jonas eidem hoc cognomentum tribuit, ut dictum est in ipsius Bedæ elogio ad annum 735.

[b] Adalhardus dum in illa insula exsularet, jussit describi Historiam tripertitam, qualis hactenus inter mss. codices Bibliothecæ Corbeiensis apud nos adservatur sub numero 507.

An. Chr. DCCCXXVI. Jan. II.

illustrabat: præsertim cùm indebitus honor potiùs turpet insipientem, dum summis sedibus inclarescit, quàm decoret: quia minùs ejus dedecus patuisset, si non altis sublimaretur officiis: quo velut struma (ut quidam ait) in superficie cutis eminet, unde indignus Prælatus videri possit. Sed senex noster non tam alienis quàm propriis meritorum honoribus ubique ab omnibus veneratur, ab omnibus interim dignus honore censetur. Verumtamen quia improbos, ut dixi, dignitas reverendos nequit facere, dum pluribus eos ostentat; sed despectiores, immo indignos eadem dignitas facit. Ceterum senem nostrum tantâ præditum dignitatis magnificentiâ fuisse constat, ut non solùm per sublimitatis gradus illum contingeret videri honorandum, sed quia multo erat fultus consultu, idcirco etiam inter ignotos nimiùm videretur honorabilis.

omnibus applaudentibus,

46. Quò factum est, ut peracto tempore cùm summo tandem revocaretur obsequio, ut pristinam reciperet dignitatem [a], passim omnibus exsultantibus & congratulantibus pæne cunctis. Unde lætitiæ voces hinc inde ad cælum usque tollebantur. Gratulabantur Monachorum Cœnobia, resultabat jucunditate Cœtus ecclesiarum, vulgi quoque gaudia ubique ridebant. factus est autem concursus populi, quasi si in communi omnium festo cæli præconio insignis redderetur.

exceptis Heriensibus.

47. Fratres autem cum quibus interim deguerat, audito suæ regressionis die, cœperunt profectò contristari & mæsti esse, atque quodammodo gratulari: constaque præ nimio amore ingenti animo lacrymabant, lacrymando quoque vix eum dimittere cogebantur. Inter quos virtute venerabilis RAGNARDUS, qui postea Abbas [b] eligitur, præcipuo fervebat mentis spiritu, flens mærore animi, & flendo quoque lætabatur. Lætabatur quidem, quia veritatis amator locum taxati meriti recepisset: sed dolebat valde quòd tanti viri præsentiâ privabatur. Unde factum est, ut cùm pius Dei cultor jam jamque inde abiret, & omnes Fratres ardenti animo ejus vestigia gressusque osculando lacrymis abluerent, eique valedicerent, præfatus vir Dei domi infra lacrymarum cubicula se se reciperet, ne proficiscentem videret, quem plusquam se manere secum vellet, pro quo mori etiam procul dubio paratus esset. Sed cùm senex eum multum diuque exspectando requireret, inventus est in quodam obscuritatis loco flens & ejulans, multaque trahens suspiria. qui cùm vocatus esset ut seni valediceret, illeque nollet exire, precatus est internuntios, ne eum ibi plorantem detegerent. Quod audiens caritas sancti viri, regreditur jam de navi, ne Fratrem quem sanctum noverat, inosculantem omitteret. Veniente autem ad eum sancto sene, cœpit idem magnis vocibus inclamare ac dicere: Quid hic quæsisti, felix Pater? vel cur te mihi nunc ostendere voluisti? Testem, inquit, Deum habeo, quia mallem te hic mortuum sepelire, quàm me relicto hinc vivum habere. Tunc omnes Fratres & famuli magnis eum prosequuntur fletibus: levantur vela tandem, remigia impelluntur: dant omnes gemitum, & ad litus eousque exspectant, quamdiu eum possent conspicere. fervebat verò in eis unus spiritus amoris, & ideo non se poterant continere.

Imperatori paret.

48. Ille verò solutis carnis quidem, non cordis adspectibus, longa corporis attenuatus macie tandem pervenit ad palatium. ubi suscepto eo ambitiosè ab omnibus, quæsitum est, quomodo ei celsitudo regia satisfaceret, quia timebant pro tanti viri injuria futurum discrimen incur-

[a] Istius restitutionis meminere Eginhardus & scriptor Vitæ Ludovici Pii ad annum DCCC XXI quo accidit.

[b] Si Heriensis Monasterii, omissus est in vulgatis Abbatum Heriensium indicibus, locandus inter Arnulfum, qui tum Abbas erat, & Heribol-dum: quo Abbate facta est corporis S. Filiberti translatio, cujus historia in consequentibus referenda.

rere. Tunc beatus senex videns pudore animi talia meditantes, proruit ad medium & verecundam Regis mentem blandis delinivit affatibus. Persuasit autem nil eum de hujusmodi facto in animo retinere, sed omnia se Dei judicio deputare debere. An. Chr. DCCCXXVI Jan. II.

49. Interea tum eodem cogente Principe compellitur recipere suum sanctæ vitæ Cœnobium flagitantibus filiis suis, ut eum saltem quocumque modo recipere meruissent. Ad quos cùm advenisset diu desideratus, ut piis eorum complecteretur jam jamque amplexibus, vexabat eum salutis inimica febris, ita ut gemini affectus singulorum animos sauciarent. Pugnabat siquidem in singulis mærur compassionis & lætitiæ fervor: eo quòd viderent membra carissimi viri sævissimè laniari, pro quo libenti animo etiam vitæ quàm fortes dispendium sustinerent. Vincebat autem omnes nunc jucunditatis magnitudo, nunc lacrymarum effusio: & extollebant simul mixtim usque ad cælum lætitiæ laudes, ut in eo Dominum illuc advenisse nullus ambigeret, cui ita suscepto ita congratulabantur omnes: idemque benignè allocutus est universos. Cœnobio suo restituitur,

50. Sed cùm ibidem aliquantisper dulciter quievisset, caritatis officio jucundatus, iterum ab Augusto gloriosiùs accersitur, & redit ad palatium. ubi cùm introisset, velut quidam ait, virtutum radiis illustratus, quia venit Titan, marcescunt sidera. Apparuit autem ilico nudata insipientia, quæ tegebatur pallio caliginis, & factus est stupor nimius, quis senatum populi ad tantam ineptiam deduxisset. Qui comperto non parum eos * invidiâ fuisse delusos, duxerunt in irritum, pæne quidquid per hoc tempus, ut eis visum est, argumentosè tractaverant. Solvitur itaque sæva multorum captivitas eorum, maximè qui ex regio pollebant semine. Redditur ergo in uno libertas omnibus, quocumque in loco tenerentur, nisi quos vitâ priùs mors privarat. Tum deinde quorumdam tonsura propter furoris sævitiam illata transiit ad coronam: & dant Deo sponte, quod dudum inviti quasi ad ignominiam susceperant. in palatium revocatur, * l. se Imperatore cum aliis pœnitente,

51. Quid plura? ipse gloriosus Imperator publicam ex nonnullis suis reatibus pœnitentiam [a] suscipiens, factus est omnium humillimus, qui quasi regali elatione sibi pessimus persuasor fuerat: ut quorum oculi offenderant in delicto, satisfactione regia sanarentur; præsertim quòd ejus velle cunctos considerare, ejusque nolle conspicere manifestum non ambigitur. Sed nisi reversus esset veritatis adsertor, interea minimè paruisset, quo lethargico spiritu premerentur. Unde etiam matura senectus cæcitatus eorum vulnus salubri Christi antidoto mederi persuadendo curabat. a

52. Ac deinde studuit ut justitiæ virtus & sapientiæ suas reciperent sedes, ut unusquisque servaret sibi commissum negotium, & sua cuique largirentur jura. Porro novitates vocum & temerarias juxta Apostolum præsumtiones, velut pestem in omnibus reprimebat. Omne igitur quod in lege caritatis non invenisset, inimicum æstimabat Deo, & velut venenum repudiabat. Cùmque his & hujusmodi præconiis velut aurum probatum per ignem, clariùs enituisset; factus est omnibus decuplo honoratior, ita ut ore omnium egregiè resonaret. Amplectebatur autem cunctorum manibus, & quasi patet ab omnibus colebatur. etatque ecclesiarum magistris [b] velut humilitate filius, consilio verò & prudentiâ ac statum regni reformante. b

a Nempe in conventu Attiniaci habito, ubi teste Eginhardo, *de iis quæ erga Bernhardum filium fratris sui Pippini, necnon & circa* ADELHARDUM *Abbatem & fratrem ejus Walachum gesta sunt, publicam confessionem fecit, & pænitentiam egit.* Lege Vitam Ludovici Pii ad eum annum, nempe DCCCXXII, & Agobardi librum de dispensatione, ubi Ludovicum ob res eo in conventu sancitas *venerandus senex* ADALARDUS laudibus extulisse perhibetur. Anno sequenti *in Compendio palatio* jussu Imperatoris rursus convenit Adalhardus cum aliis, teste ipso Agobardo..

b Argumento est in primis Consultatio & Supplicatio Agobardi, *Patribus sanctis* ADALARDO, WALÆ & *Helisachara* porrecta, de baptismo Judaicorum mancipiorum.

AN. CHR. DCCCXXVI. JAN. II. quasi subvector inelitus. Qui cùm ita satageret indefessus, ut perfecti omnes & Deo digni invenirentur; videtur demum novus renasci Francorum ordo, & aurora justitiæ quasi ab ortu surgere. Siluerat enim jam *Eccl. 9.* ex parte stratum furoris æquor, & ventosi ceciderant, ut Virgilius ait, *Eccl. 2.* murmuris auræ. Redierat, ut idem inquit, virgo cupidinis: (si parum ** al. tyrannidis* liceat immutari) redierant & Saturnia * regna, quia progenies bonæ mentis jam quasi cælo refulserat alto,

Abbatis manus retinet invitus, 53. Omnibus igitur circumcirca eatenus satisfactionis studio illustratis, & suis cum eo summo fruentibus otio, voluit se demum his exuere curis, ut esset sibimet & Deo intentus. Sed nequaquam passi sunt sancti Fratres, licèt multam eis excusationem senectutis suæ prætenderet: quoniam quanto ætate maturior, tantum ad virtutum culmina tendentibus salubrior videbatur. præsertim cùm vigore sancti Spiritus & viriditate adhuc non exhaustæ carnis satis vigeret, curans se laboribus & vigiliarum negotiis fatigari, etiam plusquam juvenum constantia sequi posset.

sibi soli durus, 54. Quis enim umquam tam fervidus quàm idem fuerat? vel quis alterius tam crudelis arbiter, quàm ille sui videbatur? fateor planè quod numquam nisi de se quòd durior esset, necessitatem corrigendi habuit. Unde cùm à suis Fratribus & filiis quàm sæpe corriperetur publicè, cur sibi tam infensus esset, qui sic discretus omnibus habebatur; aiebat ita dicens, ut læsos eorum animos mitigaret: Ego mei curam habebo, & prorsus vestro providebo famulo, ne fame aut laboribus fatigatus pereat. ** al. paullatim* Sed hoc peracto paullulum * delitescendo non diu pòst resumebat esuriem & laborum negotia, ita ut vix juvenilia membra ferre possent, quibus se parsimoniis & vigiliarum operibus adfligebat. Attamen semper *adspectu hilaris.* erat viroris gratiâ plenus, semper discreta macie satis admodum rubicundus; vultu quoque decorus, & venustus adspectu. Neque enim faciem ejus ac frontem ignavus rugabat furor: sed totum eum matura hilaritas decorum componebat & aptum. Canities verò sancta eum candore niveo exornabat; & velut lilium super roseos amictus, hinc inde coma capitis, quasi elatæ palmarum, super cutem renitebat. eratque, si- *Cant. 5. 10.* cut scriptum est Canticis, senex noster candidus & rubicundus, electus ex milibus: ita ut culparetur in eo natura humana, quòd antequam adulta sit, vitiis corrumpatur.

Laudatur à dotibus, 55. Et si a velim laudare tantisper glebam corporis ejus multo confectam nitore, erit exiguum quidquid inpendo: quia pulcriùs in eo re- * nituit, quòd virtutum splendore ornatus velut lilium inter roseos colores, Christo respersus emicuit. Nec dubium quin omnis caro fenum, & omnis gloria ejus flos feni: virtus autem Christi, quæ semper in eo viguit, manet in æternum. Ceterùm si figuram nobilitatis ejus à puero describere voluero, quæ Græcè χαρακτηρισμὸς dicitur, ero inefficax. quia etsi secundùm rhetoricæ artis facundiam ipsius persona consideretur, possitne laudis idonea comprobari; multò excellentius in eo illud antefertur, quòd totus de carne in spiritum convolavit. Personæ quippe juxta præfatam artis peritiam plurima sunt adtributa, ex quibus optimè dinoscatur. Consideratur enim perfecti viri qualitas, juxta Oratores, nomine, patria, genere, dignitate, fortuna, corpore, institutione, moribus, victu; si rem bene administret; qua consuetudine domestica teneatur; affectione mentis, arte, conditione, habitu, vultu, incessuque, oratione, affectu. Talibus igitur & hujusmodi circa eum consideratis, videre juvat, luculentus senex noster si tot floruit virtutum præconiis,

a Mirum quantum sibi permisit interpolator in hac sectione & sequenti, ut patebit conferenti libros vulgatos cum hac editione, quæ ad verius exemplar exacta est.

quot

quot ſunt artis hujus ad laudem ipſius inſignia præconatus documenta.

An. Chr. DCCCXXVI. Jan. II.

56. Quorum ex catalogo primùm de nomine, fueritne ſapiens, rectè quæritur. Sed ſi cæleſti magiſterio fuit magis quàm artis eloquentiâ inſtitutus, quomodo non ſapiens fuit? Nam ſapientia eſt humanarum rerum divinarumque cognitio cum ſtudio bene vivendi. Unde nec dubium eum verum Philoſophum aut certè ſapientem, quantum fas eſt, poſſe appellari, qui, & quæ Dei erant, prudenter per Dei gratiam ſectabatur; & quæ hominum, non ignaviter procurabat. Atque omne ſtudium vitæ ſuæ in his duobus præceptis ſuperimpendens, ipſe totus impendebatur. Natione autem, quod cunctis liquet, Francorum erat ex ſummorum genere: ſed renatus in Chriſto, ubi & ſpiritu verſabatur, totus natione cæleſtis omnibus renitebat. Unde & illi patria, quamvis hîc carne natus eſſet, cæleſtis illa Hieruſalem juxta Apoſtolum fuiſſe non dubitatur, per eum qui nos jam ſpe conſedere fecit in cæleſtibus. Genere quidem nobilium nobiliſſimus Francorum, ut paullo antè præmiſi, proſapiâ ortus, ſed demum per Chriſti patriam Deo in filium eſt adoptatus. Qui licèt dignitate regia magnus videretur, tamen major effectus eſt ſublimitate perennis vitæ. Fortunâ qua fuerit auctus, ipſius vita deſignat, quo cuncta reliquit: & juxta illud, pauper in anguſto regnabat habendo Deum. Propter quod, ut credimus, ut optamus, ſupra multa conſtitutus, jam ei vitæ gaudia famulantur.

à nomine, natione & genere, à fortuna

57. Corpore quàm decorus fuerit, etiam & morum eximietas patefacit. cui illud de Canticis canticorum non immeritò coaptatur: *Caput ejus aurum optimum; coma verò ejus ſicut elata palmarum.* quoniam ſurſum cotidie ad Deum conſcendere procurabat. Oculi ejus velut columbæ deſuper rivos aquarum quæ lacte ſunt lotæ; quia ſimplex ejus adſpectus doctrinâ Chriſti totus intentus erat, ex qua nos velut parvuli lacte nutriebamur; neque felle concupiſcentiarum immixtus, ſed verâ innocentiâ mentis lotus. Porro genæ illius ſicut areolæ aromatum, quæ conſitæ ſunt à pigmentariis, videlicet à ſanctis doctoribus omni flore doctrinæ & virtutum exornatæ oleribus. Manus illius tornatiles ſanctitatis formam exprimentes, & motu ſphærico celeriter ad omne bonum inſiſtentes: plenæ hyacinthis cæli ſpecie in cælis theſaurizando renitentes, quæ multis replebantur muneribus. venter ejus eburneus, virtutum diſtinctus ordinibus. Guttur illius ſuaviſſimum ob favum eloquentiæ: & totus deſiderabilis probabilitate morum atque caritate eximia. Idcirco quærimus te, Pater, dum paſcis inter lilia; quærimus quem diligit anima noſtra. In lectulo enim per noctes quærimus te cum lacrymis: ſonet vox tua, obſecro, in auribus noſtris: vox enim tua dulcis, & facies tua decora. neque enim poſſumus te patrem non amare, quem pro nobis credimus adfuturum.

& forma

58. Jam ſi de inſtitutione agitur, eruditus fuit idem alter Moyſes omni ſapientia præſentis vitæ, quaſi unus ex filiis Regis: deinde perductus ad Sina, in quo ipſius Domini præſentiâ inluſtratur & familiaritate continua fruiturus ingreditur. Moribus verò quibus fuerit exornatus, teſtis eſt vita ejus, quæ ſummis redolet meritorum inſigniis, & præconiis quàm maximis prædicatur. victus namque quem Philoſophi definiunt conſummati operis eſſe fruitionis exercitium, ut perveniat ad quietem, Dominus erat quem dilexerat, quem amaverat, quem jugiter deſiderabat. Gradus autem harum virtutum ſunt, cùm apud eos primùm ponitur affectio mentis. porro eadem affectio, eſt animi aut corporis ex tempore aliquâ cauſâ commutatio. deinde ex hoc quod afficitur, vertit ſe in ſtudium, ut effectum ſui obtineat. Studium, inquam, ad aliquam rem aſſiduam & vehementem animi cum magna voluntate occu-

à ſapientia & moribus,

An. Chr. DCCCXXVI. Jan. II.

pationem esse, postquam habitus induitur adquisitæ rei, cùm ad plenum id quod perfectum est obtinemus, de quo scriptum est: *Sacerdotes tui induantur justitiâ, & Sancti tui exsultent.* (Psal. 131. 9) felix quippe indumentum virtutis est, quo quisque induitur, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet. Hic nuptiali veste indutus foras non ejicitur: quam si primus parens noster in paradiso denique reservasset, nequaquam apertis oculis nudus inveniretur. Unde, sicut scriptum est, dum idem descenderet, exspoliaverunt eum latrones, & plagis impositis abierunt. sed senex noster floridus tali recoopertus habitu jam credimus quod audit: (Apoc. 3. 4.) Ambulabit, inquit illi Christus, mecum in albis, quoniam dignus est, & non delebo nomen ejus de libro vitæ; talique indutus habitu dum esset Pater eximius, exercebat se plurimum, ut pro victus alimonia frueretur Christo quem induerat.

à recta administratione,

59. Porro restat juxta præfatam disciplinam requirere, quomodo rem suam administrarit. Quid dicam rem suam quomodo administraverit, qui nec se sibi retinuit? fecerat enim quod audierat à Domino: (Matth. 19. 21.) *Si vis*, inquit, *perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus; & veni, sequere me.* Hoc impleto, ceterùm res ecclesiæ suæ quemadmodum administraverit, testes idonei sunt sancti Fratres, quorum consilio usus est & obsequio: per quos ita cuncta disposuit, ut & omnibus satis esset, nec multum alicui superflueret, neque in vacuum quid periret; sed omnia ad Dei laudem humaniùs largirentur. Fratribus salubria præsentis vitæ tribuens, & nociva quæque ac superflua resecans; hospitibus abundantet omnibus administrans; familiam quoque satis inlæsam à jugo servitutis conservans. Siquidem viduas hujusce familiæ destituras & cælibes viros per singulas villas constituens, eis stipendia jugiter ministrabat. Orphanorum quoque & debilium, necnon & hospitum in iisdem locis opportuniùs velut xenodochium constituerat, ut res ecclesiæ hujus suum omnes quasi patrimonium possiderent. (*à xenodochii institutione.*) Testem Deum habeo, quòd idem ipse hujus ministros officii velut medicus sæpe instituebat, ut & ipsi excogitarent artificiosè, quomodo rerum aliquid eis ad comedendum pararent, & in hujuscemodi cibis eorum sanitas ne periret. Porro Regi & divitibus nostrorum nullus tam largus erat, idcirco ut in omnibus Deus largitor omnium glorificaretur, beatius, inquam, multotius judicans dare quàm accipere; atque medium inter paupertatem, quantum ex se erat, & divitias propter alios semper incedere; itáque ut qui habent tanquam non habentes fore * instruerentur. Justum etiam percensuerat, ut omnes hujus ecclesiæ famuli sic tanquam Patrem eum sentirent, ut tumidi quoque Dominum eum fore non ambigerent. insuper ita eorum virtutibus fautor & institutor esse profligens *, ut vitiorum quoque dominus, quamvis discretus, ut crudelissimus fieret persecutor.

* esse

* *sic*

60. Jam ergo juxta quam normam consuetndinis adsuetus fuerit, novit mensura sancti oraculi, in quo fuit manna absconditum & urna aurea; altare quoque incensi aureum, & virga Aaron quæ fronduerat: habens illud xx cubitos * in longitudine, & xx in latitudine, xx quoque in altitudine: ut ex omni parte gemino denario consummatus, caritate Dei ac proximi quadratura perpetua fulciretur. Nec dubium quin Dominus ei fuerit fundamentum, infra quam mensuram adtitulatus, sola novit contemplatio divina, quid noster senex pro suo more domestico tractaret.

à consuetudine domestica.

* *mss* cubitorum

ab affectione & arte

61. Affectione verò ita inlectus omnium bonorum incitamentis, ut super fraterna viscera caritatis officio ceu facculis uteretur. Deinceps igitur arte qua fuerit eruditus, patet quia fecundus inventus est erudi-

tionis consilio. Prudentiæ namque, ut dicitur, mille oculis adinspector, virtutum quoque differtissimus disputator, liberalium artium adeo usque sanctissimus institutor, ut probares in eo illud beati Antonii, quòd sensus adinveneiit artem; & qui sensu sit integer, eum arte non indigere. De conditione jam ulterà quid loquar? qui, ut præfatus sum, regali ex progenie clarus effulsit. necnon & de altera conditione, utrum proprius, ut ipsi dicunt, adoptivusve, an abdicatus fuerit, quid ingeram? cùm & BERNARDI filius fuisse, fratris magni PIPPINI Regis, & Dei esse adoptivus non abnuitur. AN. CHR. DCCC XXVI. JAN. 16. à genere conditionum,

62. Habitu autem quo fuerit infulatus, constat paullo antè me dixisse, quòd Christus ejus tunica talaris fuisse probatur. Ceterùm vestimentorum habitus vix sufficiens monasticus fuisse ostenditur, pro frigore potiùs membra muniens, quàm honoris aliquid gerens. Dicebatur quippe à quibusdam pro ludo, loricâ frigoris: quoniam erat pelliceus & quasi thorax circa viscera fomentum caloris. vultu autem suavis idem & staturâ palmæ adsimilatus erat: eo quòd pulcher adspectu & decorus esset, velut paradisi deliciis enutritus. Quàm pulcri gressus ejus, & quàm speciosi pedes ad evangelizandum! quippe quibus expeditior damis, in calceamentis ornatior filiâ Principis. & habitu,

63. Porro ejus oratio quàm facunda, quàm plena sensibus, quàm suavis auditu manavit! Exstant ejus epistolæ ad plurimos directæ, & omnium voces, qui numquam se uberiùs aut expressiùs loquentem audisse testantur. Voce quidem canoriùs cygno mulcebat auditum: sed & melle dulcius palatui cordis melodia sapiebat. Erat autem omnis narratio ejus aperta valde, brevis ac lucida: (quod dictionis genus Oratores summis extollunt laudibus) nil feculentum, neque dubium quid in sensu reservans: at verò plano in clausulis procedens gressu, sensus ejus fasifluus pinguissimo claudebatur fine. Erat igitur sonus adsertionis expositio dictionum, ita ut voce formaretur proprius verborum intellectus, & suis singulæ partium qualitates restituerentur sensibus, habens omnia membra narrationis capitulatim distincta, & ad retinendum facillima; ad persuadendum verò vel dissuadendum promptissima: semper avidius ad intendendum promovens audientes, igne calidiùs ad desiderandum, torporem discutiendo, incitans desidentes. Quæ si facundia daretur mihi, luculentiùs explerem quod conatus sum: nunc autem excusatio pro ignorantia, venia pro voto debetur: præsertim cùm stilus nullius ad hoc negotium meliùs expediret, quàm ejus cujus ut vita præeminet, ita & sermo antecellit. sed quia id ingenii unda denegat, voluisse caritatis jura tantùm implesse probabitur. ab oratione,

64. Restat nunc affectu qualis fuerit intimare. Sed quo artis ingenio pandam ejus affectum animi, qui uno semper mentis ardore afficiebatur in omni vitæ negotio. Jugiter enim cupiens dissolvi & esse cum Christo, se laboribus fatigabat: permanere autem in carne propter nos necessarium licèt aliter fateretur, penitus sentiebat. Unde toto adnisu vitæ satagebat prodesse omnibus, mille (ut ita dicam) caritatum semper negotiis occupatus: præsertim quòd esset consilium totius patriæ, & pater omnium indigentium, qui ore ac manibus, cum omni circumstantia facultatum, pro libertate Christi erat omnium servus. & affectu.

65. Qui cùm esset semper accensus ardore, pervenit usque ad Saxoniæ fines, ubi jam parvissima cellula à sancto viro, suo æquivoco, ADALHARDO nomine, sumtu hujus Monasterii ædificari cœperat, eo quòd idem beatus vir, quia suus fuerat nutritus & familiaris filius, intercesserat loco ejus, dum ipse Hero insulâ exsul haberetur, mundi & paradisi civis. Videns igitur pius Pater ac senex sanctissimus cœptum opus, Corbeiæ Saxonicæ initia.

An. Chr. DCCCXXVI. Jan. II. quod pietatis esset officium; Regem adiit, & petivit ab eo, ut daretur ei locus ædificandi: quia ille in quo [a] situm fuerat, non utilis aut aptus esse probabatur. Quod audiens Imperator Augustus, gavisus est valde, volens ei multa largiri, nisi retineret eum ipse, qui nulli umquam concedebat sibi dare, quantum quilibet voluisset; sed quantum idem, vel si modicum, censuisset, agens semper illud Apostoli, quia beatius dare quàm accipere. Accepta autem potestate à Rege, ut ubi vellet illud ædificaret; elegit locum valde amœnum & Monachis nimis congruum ad habitandum: ubi & Rex postea plurima propter Dei omnipotentis amorem contulit beneficia.

Situs & figura loci, [b] 66. Est autem locus pergentibus ad ortum solis de Fonte [b] Patris situs supra litus Wiseræ, in modum Δ literæ, vallis planitie collocatus; habens ad ortum solis præfatum alveum, & montem porrectum in facie juxta fluvium. porro à meridie mons alius egrediens è fluvio sinu tendit ad occasum; a septemtrione verò alter è regione pari situ pergit, quousque se invicem viam per medium dantes copulentur. Atque ita in medio fit vallis, figuram Δ hoc modo, quantum recordor, exprimens. Nec immeritò. nam Magister veritatis divino nutu edoctus, talem elegit locum, qui & Christi nutriret discipulos, & suo eos describeret charactere, & signaret situ.

67. Nihil enim in omnibus Geometriæ figuris triangulari consummatius aliquid aut perfectius invenitur. Est enim numerus hic totius latitudinis & superficiei in Arithmetica solus principium, in Geometrica idem planior invenitur. & quisquis diligenter inspexerit hanc figuram; neque in his artibus aliquid mirabilius reperitur, neque in nostra disciplina quidquam majus aut melius prædicatur quàm Trinitas Deus verus. Igitur sine hoc numero formarum aliquid nihil perfectum innuitur, videlicet sine principio ac fine & horum medio inter principium atque finem. Hæc verò figura princeps est (ut dixi) latitudinis, eo quòd ceteræ omnes superficies in hac resolvuntur: ipsa verò quoniam nullis principiis est obnoxia, neque ab alia latitudine nisi à se sumsit initium, in se ipsa resolvitur. quæ si ita sursum erecta fuerit, ut ostensum est, igne caritatis flammare ibidem habitantes debere monstratur. Quòd autem ipsius à latitudine fit initium, ostendit latum Dei mandatum nimis non nisi dilatato corde perfici posse. quod verò omnes superficies in se resolvit, liquidò signatur, quòd omnes reliquæ virtutes ejus latitudine consummantur: & ipsa caritas non nisi Trinitatem colendo in unitate perficitur, ut vera perfectio in his tribus unitas individua teneatur. Hæc ideo me dixisse sufficiat, ut monstrarem, quàm prudens idem ac sapiens fuerit, quantoque caritatis ardore fervebat, qui talem ac tantum discipulis habitandi locum pararat, irriguum aquis, velut si minor Ægyptus esset & alter paradisus Domini venientibus de fonte Patris in ortum solis. Verè de fonte Patris dixi, quia in Christo renati, creduntur exinde non solùm ad ortum solis, sed etiam ultra solem usque transscendere. Quem locum beatus Pater Corbeiam alterius de nomine vocitavit, ut signum esset in posterum, à quo priùs illud esset fundatum.

Adalhardus suos ad studium paupertatis hortatur. 68. Quis, mi Pater carissime, narrare sufficiat providam doctrinam tuam in omnibus? verè fateor, quòd quoties tui recordor ad liquidum, miror satis quàm providus eras in omnibus. Recordor enim doctrinarum tuarum, quibus eos alebas, & instituebas tenellos de fide & caritate, inter quas etiam spem mediam collocabas; de moribus & de omni doctri-

a De illa cellula ejusque situ & origine, ac de Corbeiæ novæ primordiis dicetur inferiùs in historia translationis sancti Viti, & in Vita Walæ Abbatis.

b Id est Paderborna, inquit Bollandus, quod Padi fluminis fontem sonat.

na vitæ. qualiter etiam oblatas sibi res à quolibet suscipere debuissent, cum ipsis inter sollicitudinis negotia peragebas, commendans eis per omnia, ut in nullo terrenorum cupidi essent, neque quidquam vellent accipere unde alii gravarentur: & si heredes essent rerum largitoris, cautè considerarent, ne fortè ipsi, quorum erat hereditas, post modum inopes fierent. Hæc erat ejus sollicita & pia consideratio in omnibus quibuscumque præerat locis, ut neque inhonestum quidquam acciperet, neque aliquis quasi causâ misericordiæ post modum pænitudine premeretur. Dicebat enim quòd multi non solùm rectores ecclesiarum, sed etiam ipsi ibidem Deo degentes qui sæculo renuntiasse videntur, ob id decepti essent, quòd rebus nimiis abundarent, in tantum ut sæculo servire denuo cogerentur, qui mortui mundo esse debuerant. Quid, inquiens, prodesse poterit rebus propriis futuros exspoliari heredes, & rursus eos * mancipari negotiis sæcularibus? Constat igitur nos in præsenti tempore ideo Reipublicæ deservire, quia ipsa nostris attenuata cupiditatibus ex se subsistere non posse manifestè causatur. & idcirco nos infelices, qui liberi esse in Christo debuimus, facti sumus turpissimæ servitutis, etiam inviti, servi. Occasione itaque accepta, quasi in Dei causa mundi militiam bajulamus, cùm Apostolus dicat: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus*. Neque enim à nobis exigitur quòd necessaria tantùm retinemus; sed quia superflua (ut ab ipsis dicitur) possidemus: & unde miseri lati in possessione esse cupimus, inde angustamur in omni opere bono. Quapropter, filioli, estote contenti paupertate Christi, sine qua nemo est dives. Noveritis enim quòd beati sunt pauperes spiritu, quibus regnum cælorum repromittitur. & ideo, Fratres mei, nolite quasi proprietatis opere sectando avaritiam, possessionem æternam perdere. Estote igitur quod vos æterna Christi vocatio esse voluit: ut paupertate Christi participando, divites esse cum eo sine fine mereamini.

An. Chr. DCCCXXVI. Jan. 2.

Nota

* al. eas

2 Tim. 2. 4.

69. His & hujusmodi cùm eos cotidie corroboraret ac confirmaret, construebatur ibidem, Deo agente, non solùm Monasterii, sed etiam cælestis patriæ fundamentum. Quid putas quanto tunc gaudio afficiebatur ejus animus, quantaque lætitia, cùm Dei omnipotentis amor ita flagraret in eis, ut etiam omnis illa regio Deum per ipsos benediceret? Fateor itaque, ad nos nonnumquam rediens quòd præ amore pio & spirituali gaudio vix se poterat continere hinc inde exsultans atque gaudens, quòd Christus per eum glorificaretur in multis. Nos quidem rigans ac pascens cælesti pabulo, illos plantans in Christo ac propagans, agebat ut fructum plurimum Deo ferrent: in omnibus se exhibens Christi vices agere, etiam & forma humilitatis omnibus anteire.

Ob Corbeiæ novæ conditionem lætatur.

70. Sicque jugiter uno jubilationis afficiebatur spiritu, & appetebat ingressionis campum: quæ ingressio secundùm beatum Augustinum in libro ubi de animæ quantitate loquitur, una de septem, & sexta perfectionis est virtus. Quintus si quidem earum gradus est tranquillitas: sextus ingressio: septimus contemplatio. quæ ita decentissimè possunt edici, in seipsa dum anima quælibet secum ingreditur & versatur. Ad Deum, dum cotidie ardenter desiderando, ad eum ingreditur ita dicens: *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* apud Deum, cùm jam claro lumine indesinenter contemplando ei inhæret, in quem desiderant etiam Angeli prospicere. Quò nunc senex noster se pervenisse lætatur, meruisse gratias agit, atque comprehendisse summo alacritatis animo amplectitur.

71. Unde quid aliud dicam quàm illud Helisæi: Pater mi, pater mi, currus Israël, & auriga virtutum! ecce nos quàm subitò desolatos relin-

4. Reg. 2. 12.

An. Chr. DCCCXXVI. Jan. II.

quis! & ideo quærimus te lacrymosa voce, & scrutamur mellifluos mores tuos mane in præcordiis nostris: nec usquam pupilla oculi nostri silet neque consolatur, nisi cùm sibi te pro nobis meliùs adesse promisit. Recordamur enim quibus nos lactabas uberibus, vel quanto in te Dei fruebamur oraculo, quantisque ferebamur alarum remigiis, & nutriebamur caritatis visceribus: ita ut si saxei essemus, tua nos molliret pietatis oratio. Omnia enim nobis omnibus factus eras, ut Christo nos lucrifaceres. Quòd si ad speciale quorumdam te vertisses negotium, uni in momento dabas vitæ consilium, alium interdum deliniebas osculis, porro illius manum stringens, alterius animum miro demulcebas affectu: atque ita omnibus unus eras, & totus singulis.

caritate plenus in suos,

72. Fratrum verò nomina licèt scripta infra viscera sanctæ sollicitudinis semper teneres, de manu tamen certus eorum numerus diligenter scriptus pæne numquam aberat: ita ut omnes sedulò inspiceres, & mores singulorum apud te sollicitus pertractares. Jam enim de singulis tecum in judicio disceptabas, ne damnum postmodum de creditis ovibus sustineres. Bene igitur noveras quid cuique expediret: & ideo omnibus exhibebas quod saluti singulorum congrueret. Erat ergo discretio tua in nullo, quantum dici fas est, exorbitans à proposito, facilitate complendi singulis expedita; generaliter verò fiendi cunctis congrua. Nullum ferme per hebdomadam familiaritatis affectu inalloquutum relinquens; nullum quem in die generaliter, nisi ex aliqua impossibilitatis causa, non instrueret: omnibus præbens salubria, nulli prorsus denegans (ut credimus) necessaria. Idcirco filiæ Hierusalem, prout compellor dicere, flete hunc senem nostrum, & lamentum sumite. flete virum qui vestiebat nos caritatis coccino desuper totum deliciis intextum, qui præbebat cultui ornamenta virtutum. Induite cilicium & amarè plangite: quia qui consolabatur nos & fovebat quasi nutrix in gremio, sublatus est & recessit. Unde plorans plorabit anima mea, & erunt lacrymæ in maxillis meis, quamdiu non intueor quem diligit anima mea. Putasne veniet mihi, Pater, tempus, quando vel si quoquo modo liceat, faciem speciemque vultus tui conspicere?

quos in tabella descriptos habebat, & sæpe conveniebat singulos.

73. Sed quid interim jam deinceps agimus anima? ecce nunc usque quasi inter roseos versati sumus campos, & conspeximus amœna virtutum, de fonte sancti Spiritus uberiùs inrorata. Nunc verò instat ut mortis ejus finem pandamus, quem habuisse talem glorificandum est; amisisse flendum; pervenisse verò ad beatorum gaudia, congratulandum. Sed quanto nobis jucundius est in id quod amatur versari, tanto gravius est ejus absentiam, quam semper præsentem cernimus, tolerare. Unde ceu respersum nebulâ, mæstum est omne quod inspicimus: caligant oculi nostri, operimur singultibus, tremunt digiti, rotatur caput, funduntur lacrymæ, & insuper est pio amoris affectu quædam flendi voluntas. Unde & quanto hæc prolixiùs ad consolandum cudimus, tanto ardentiùs amore afficimur, amando quoque dolore premimur. Ideirco, mi Pater carissime, ocius transibo obitus tui paginas, in quo diutius inmoranti vehemens languor ingruit. Hinc quidem interim adstillat lugendi facultas, sed paullo pòst consolabimur de perventu, quo tu nunc lætaris in gaudio. Unde quæsumus priusquam incipiat calamus pulsare exitus tui horam, revertere Sunamitis, revertere, inquam, paullulum ut intueamur te. recipiet enim inde spiritum linguæ calamus, & leviùs transibimus amaros legendi cursus. Revertere, revertere, mi carissime; & quid videbimus in te, nisi ut castrorum acies quomodo sis ordinatus? ad nos saltem semel quæsumus convertere, ut omnes qualem te priùs habuimus, & modò quantusve sis videamus. Ecce adscendisti,

Ingens sui desiderium relinquit.

novimus, per desertum quasi aurora consurgens, pulcher ut luna, electus ut sol, terribilis in Deo, velut castrorum exercitus ordinatus.

Morti proximus verba facit ad suos.

74. Quid igitur terribilius humanis adspectibus videri potest, quàm tui vultus erant adspectus in hora, cùm nobis indulgentiam dares? Præceperas enim petentibus nobis, Pater, ut omnes humi sederemus: quatenus tuos nostrum ex integro, & nos tuum erectis oculis potuissemus conspicere. quo fateor nil me ordinabilius à Magistro audisse indultum, nilque flammantius aut horribilius aliquid me vidisse, quàm in tuis oculis. Pressiùs itaque enucleans sensum, ita affatim cunctis es locutus! Ecce de creditis ego ovibus rationem redditurus venio. Vos autem, ô " mihi commissus grex, de obedientia & inobedientia vestra sententiam " excepturi, attendite, quòd idem qui nunc adsisto, in tremendo judicio " vobis coràm adero, & quid de talentorum pecunia sim lucratus, vel " quomodo illam expenderim præsentabo. attamen interim si quid est in " quo excessi in vobis sciens aut nesciens, nolens volensve, indulgete, " prout ego juxta quod oportet, si quid est quod meum sit indulgere; " vice Christi relaxo. "

ab iis veniam petit.

75. His igitur cum ira præmissis plenus fervore spiritus recessit, quasi jam futurus arbiter in suo, ut instrueret se, quasi contra spiritalia nequitiæ tunc in cælestibus pugnaturus, rationem villicationis suæ reddicurum: licèt semper quasi in mortis articulo pertractasset, tunc tamen velut contra legiones iturus, diligentiùs mentis aciem disponebat, si fortè ludibria hujus vitæ sine impedimento posset effugere. Sed quia ob cursor decuplum ejus viginti milibus superare legitur, semper quæ pacis sunt Dominum precabatur. Domine, inquit, pone me juxta te, at- " que ita cujusvis manus pugnet contra me. alioquin turmas non effu- " giam iniquorum, quia tu solus inventus es inter mortuos liber. Venit " enim ad te exactor, & in te non invenit quidquam quod suum esset: " Idcirco fac me firmiùs in te inhærere, ut & ipse per te tuo in corpore " mali totius inveniar liber. "

Actus suos discutit cum senioribus.

76. Qui totum se ita discutiens, adhuc invenit in se qualiacumque quasi nondum exhausta, & præcepit ea coram quibusdam Fratribus exponere, (quorum unus, etsi indignus, ego eram) interrogans, si de his se in judicium meritò venturum fore pertimesceret. Quibus auditis, juxta divinam scripturam percensuimus non ad eum pertinere, quæ ipse quasi sua longè diuque plangebat. Quid putas quàm subtiliter secum reliqua * disputabat? quàm sibi severus erat, qui pro alienis etiam ut pro suis se puniebat? Interea singulos de singulis monens & instruens aiebat, ut post obitum suum in electionis pace, castè ac rectè secundùm Deum inter se convenirent. Exposuit etiam Fidem suam coram quibusdam ex nobis, pæne & omnem doctrinam quam docuerat, ut ex hoc etiam firmiùs commendaret pectoribus nostris. Hinc est quòd tali absentes mærore suffundimur: inde * verò gaudentes sumus, quia de Patre talia recoluntur. hinc ad hoc afficimur, ad aliud hinc protrahimur. plangimus in eo siquidem maturitatem morum, Fidei firmitatem, soliditatem spei, caritatis fundamenta ex integro, altissimam Christi humilitatem, & ditissimam in omnibus largitatem. nec ut Salvator, inquam, miseram Hierusalem ego lugeo: sed ploro in unius morte pariter omnes virtutes occubuisse. non quòd nobis desit ille qui abiit: sed quòd talem videre desivimus, quem sine lacrymis vix aut numquam recordari valemus.

* al. omnia

Fidem suam exponit.

* al. istinc

77. Quis enim siccis oculis ejus recordabitur, in quo pæne omne honestatis decus sublatum est? aut quis non doleat præsidium totius

AN. CHR. DCCCXXVI. JAN. II. Europæ subitò deperiisse? vel quis sine mentis scrupulo poterit epistolarum ejus nitorem eloquentiæ recitare? quem si vulgò audisses, dulcifluus emanabat. si verò idem barbarâ, quam Teutiscam dicunt, linguâ loqueretur, præeminebat claritatis eloquio. quòd si Latinè, jam ulteriùs præ aviditate dulcoris non erat spiritus. Idcirco, mihi carissimi ô vos omnes, qui nostis quid boni habeat tanti viri præsentia, & transitis per viam, attendite & videte, si est dolor sicut dolor nostrûm omnium. Videte igitur quàm subitò vindemiavit nos Dominus, & facti sumus squalidi venustate sublata. aurugo possedit nos, quia decus roseum versum est in favillam.

quàm eloquens.

78. Paraverat ergo se Symeon senex ad Natalem Salvatoris accensis lampadibus occurrere, & Regem regum Dominum JESUM CHRISTUM procedentem de thalamo suo ulnis suis lætus suscipere: sed tetigit eum triduo ante Natalem Domini validissima febris, dum juxta consuetudinem noctis medio in basilica fleret. Qui ita perdurans ad vigilias, unà cum Fratribus hostiam jubilationis in pectore Domino consecrabat: & quanto ut multi testes sunt, altiùs voce canebant chori, eo ampliùs idem flebat in jubilo. sicque se pertrahens ad matutinorum usque laudes, nec minùs amore Chisti febricitans elanguebat, sicut scriptum est in canticis: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Et dum cotidie magis magisque multis premeretur doloribus, spiritum non relaxabat semper Deo intentus. Disponebat igitur ita omnia providus, ac si nihil mali ferret in corpore, instituens & ordinans ita singulas officinas, ut nil finis ejus imperfectum inveniret; præcipuè ut & sanctus dies dignis celebraretur honoribus. Quo peracto vehementiùs cœpit urgeri febribus: cotidie tamen ad oratorium[a] beati Martini veniens, quem copioso amore in vita semper dilexerat; ibidemque Missas audiens, communionem sanctam percepit, donec ultimus dies vitæ à noctis hujus eum eduxit caligine.

triduo ante Natale Christi febri correptus,

Cant. 2. 5.

quotidie Missam audit & communicat.

79. Interim verò audiens beatus vir HILDEMANNUS[b] Episcopus, quem ipse Monachum nutrierat, & per concessum Regis tanto Belvacus sublimarat honore, sanctum ægrotare Patrem, advenit ilico, & excubabat jugiter ante eum, donec vivendi finem fecit, & eum propriis manibus unà cum cunctis Fratribus sepelivit. Qui dum advenisset, gavisus est sanctus Pater alacritate maxima & lætatus, ut vix se ferret præ nimio exsultationis gaudio. Agebat namque Deo immensas gratias, quòd de hujus eum consolaretur adventu & dicebat: „Deus omnium institutor & rector gratias tibi ago: quia non sum fraudatus à desiderio meo.

80. Interea cùm cœpisset idem sanctus Episcopus à nobis percunctari, utrum benedictionis oleo, sicut à beato Apostolo sancitum est, deberet perungui; interrogavimus eum, utrumne vellet, quem procul dubio sciebamus peccatorum[c] oneribus non detineri. Quod ille audiens, erectis oculis in cælum, comminus obsecrabat ut fieret. Quid putas tum sanctus agebat animus! quantis tunc replebatur lacrymis! Erant igitur „oculi ad Deum defixi, manus verò ad cælos extensæ. invitansque sanctum Spiritum dicebat: Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundùm verbum tuum in pace, quia percepi omnia tui mysterii sacramen-

[a] Illud oratorium Patrum nostrorum memoriâ extabat eo in spatio, quod modò ad muros oppidi vacuum est inter hortum & amnis Corbei influxum in opidum.

[b] De sancto Hildemanno agendum infrà ad annum DCCC XLII.

[c] Hinc patet, Radberti, ac proinde Fidelium sui temporis persuasionem fuisse, Unctionem infirmorum potissimùm valere ad expurganda peccatorum onera: patetque ex Adelardi responsione, eum non sanitatis gratiâ, qui etiam istius Sacramenti effectus est ac finis secundarius, hoc sacramentum postulasse, ut dictum est in Præfatione Sæculi primi.

ta.

ta. & nunc quid superest, nisi ut ad te veniam? verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis: tantùm fiat voluntas tua. Alioquin sitiverat jam idem diu venire ad fontem. unde & quasi jocosa voce, plenus gravitate fidei frequenter dicebat: Hinc ibo, & ad Deum meum veniam; lætus, inquam, veniam, lætus moriar, lætusque transibo ingentes hujus vitæ foveas: quoniam ad gaudia perventurus sum sempiterna, longè mihi diu promissa.

An. Chr. DCCCXXVI. Jan. II.

81. His & hujusmodi dictis sedulò se armabat Christi miles, donec ingressus est locum tabernaculi admirabilis in voce confessionis & laudis: ubi & inventus est exercitus multitudinis festa celebrantis. ibique jam senex noster tripudians creditur præcinere: Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Qui cum cotidianis diebus adhuc in carne febricitans inmensis se Deo taliter commendaret laudibus; contigit subitò, dum solus apud se ageret, ad eum ingressum fuisse sanctum Episcopum, ad quem continuò exclamans ait: Curre velociter, ô Episcope, præcipio tibi, & osculare pedes Domini mei JESU-CHRISTI, quoniam ecce adest. At ille audiens valde contremuit, quia quò iret, vel quid ageret penitus ignorabat. ille verò hoc dicto recepit se sub silentio, & quievit. Tum deinceps peracto die octavo Natalis Christi, alacriùs cœpit insistere, ut jam hinc et celebratis diebus liceret abire, si quomodo ipse tandem perveniret ad festum, quod nox non intercipit, neque morbo corrumpi potest. Et peracto igitur jam noctis mediæ spatio ita adorsus est, & Fratribus dicebat: O filii, semper mihi in Domino multùm carissimi, scitote quoniam hodie hinc ibo. datum est enim mihi jam hinc exire ac videre, (quod utinam fiat) & apparere conspectui Redemtoris mei. Finitus est ergo jam cursus certaminis mei, & restat penitus quid accepturus sim pro vocationis præmio ut ignorem. Credimus nos tamen, Pater, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit: (alioquin vacuus est labor fidei) præsertim qui dicere cum Apostolo potuisses veraciter: *Cursum consummavi, fidem servavi.* de reliquo, quid aliud quàm reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi justus Judex in illum diem?

Christum à se visum dicit.

2. Tim. 4. 7.

82. Tum mane jam facto, accersitis nonnullis ex nostris, cœpit idem beatus Pater urgere, quatenus matutinos ocius prævenirent. Quibus dictis, in laude Christi cælestis ejus lingua obmutuit. Tunc verò simul convenientibus omnibus sanctis Fratribus, communionem sanctam percepit ferme in hora diei prima, & cœperunt eum hymnidicis laudibus Domino commendare, atque ita perdurantes in ejus exsequiis usque in horam diei nonam. Tum idem *, quando & Christus in cruce, emisit [a] spiritum: ut daretur indicium, quòd cujus crucem in vita tulerat, quemque secutus fuerat; ejus & in mortis articulo sequeretur vestigia, donec perveniret ad eum quem quæsierat, quem optarat, quem & diu de toto corde desideraverat. Quis putas tunc eâ horâ luctus omnium erat, & quàm præcipua fuerint lamenta Monachorum! attollebatur autem sursum vox una canentium in excelso, & fletus omnium deorsum singulorum scindebat pectora: quoniam, sicut alibi dictum est, & pium erat tan-

Matutinis dictis viatico munitus obiit.

* al. inde

a Nempe IV Nonas Januarii. & quidem anno octingentesimo vigesimo sexto meunte. Hunc annum colligo tum ex Chronico novæ Corbeiæ, cui quatuor annis præfuit ab anno DCCCXXII, tum ex Chronico Saxonico ms. in quo ejus obitus reponitur anno DCCCXXV, secundùm veterem calculum, his verbis: *Sanctus* ADELHARDUS *Corbeiensis Abbas obiit, cui* VVARINUS *successit.* tum denique ex Vita sancti Anscharii, qui mortuo Adalhardo a Vvala Abbate ejus successore in Daniam missus est. Ex quibus intelligitur, Adalhardum propè accessisse ad annum ætatis octogesimum, ut in sequenti Ecloga legitur: cùm adolescens viginti annorum factus sit Monachus non ante annum Christi DCCLXX, ex notatis suprà. In Martyrologio Nevelonis Corbeiensis Monachi, qui sæculo XII vixit, leguntur hæc verba: IIII *Non. Jan. Corbeiæ Monasterio natalis sancti Adalardi Confessoris & Abbatis, cui Christus in transitu mortis apparuit.* Vvala & Vvarinus in utraque Corbeia successores.

An. Chr. DCCC XXVI. Jan. II. to viro congaudere, & pium erat ab ejus abscessu flere. Quis enim non fleret, etiam si de silice natus esset, eâ horâ cùm inclitus Dei Pastor hinc abiens cælos expeteret? Ipse enim erat, bone Jesu, quem in toto ex omnibus solum Abbatem repperi; ipse ex universis, quem alterius plus quàm sua quærentem inveni. qui sicut mater amat unicum filium, ita quosque tenerrimè diligebat, atque ut solidiora caperent invitabat.

Auctor ejus mortem luget. 83. Quapropter, quæso, attendite viri, & videte universi populi matrem Corbeiam flentem, (quod est alvearium Monachorum) flentem, inquam, ac dicentem: Ablatus est magnificus meus mihi, & nullus est qui consoletur me ex omnibus caris: quoniam complevit in me Dominus furorem suum, & fecit quæ cogitavit. complevit ergo quæ præceperat à diebus antiquis: Terra es, & in terram ibis. idcirco abiit carissimus mihi, & recessit. Reversa est ergo virgo Israël ad civitates suas, & deinceps ambulat gloriosè super aquas redemtionis æternæ. Ipse namque est qui erat mihi votorum carissimus: ipse convertens animam meam & custos vitæ meæ: ipse qui consurgens pro nobis in principio vigiliarum effundebat velut aquam cor suum ante conspectum Domini. nunc verò posuit nos Dominus ad modicum desolatos, propter eum mærore confectos. Ideo ergo ponimus in pulvere os nostrum, sperantes in misericordiis Domini, si fortè sit spes ut pervenire possimus, quò jam pius Patronus noster pervenisse creditur. quod donec fiat, donec optata veniat dies, hæreat lingua mea faucibus meis, si tui non meminero, pater Adalharde, si non te proposuero in principio recordationum mearum. alioquin oblivíscatur me dexrera, nisi nomen tuum laudesque pandam. Credo, mi carorum carissime, quòd priùs maternus amor perire possit, quàm nos te non diligere. quia etsi illa suorum obliviscitur, nos tui numquam obliti erimus: sed dum sæcula manent, & nox cum die partitur vices, fama prædicabitur de te semper sanctissimæ vitæ, nosque tua numquam immunes erimus à laude. Tu autem, quæsumus, trahe nos hinc post te, curramus in odorem unguentorum tuorum: quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis. recti enim te diligunt: & ideo quærimus, quousque perveniamus ubi pascis, ubi cubas. scimus namque quòd in meridie.

84. Neque igitur, juxta quod fabulæ ferunt Treicium fecisse vatem, gemimus apud inferos conjugis mortem: sed super astra tollimus Patris nomen, quo te sollemniter conscendisse fatemur. Ergo etsi felix fuit ille, qui fictè potuit lucidum boni fontem visere, & felix qui potuit vincula gravis terræ solvere; feliciores sumus nos, qui possumus post te patrem talia & tam sancta vota dirigere. Fingitur enim ille præfatus vates flebilibus modis flendo post conjugem silvas currere fecisse, amnes stare inmobiles: junxitque intrepidum latus cerva sævis leonibus; nec timuit lepus jam cantu placidum canem. cujus cùm fervor intima corporis flagrantia ureret, nec sic mulcerent animum cuncta quæ subegerat; it mites ad superos quærens conjugem: nec repertâ infernas adiit domos. illic sonantibus chordis blanda carmina temperans, quidquid de præcipuis Musarum fontibus hauserat. Ad cujus voces umbrarum dea miserans; Tandem, inquit, vincimur arbiter; & ideo donamus conjugem viro emtam carmine. Quid putas, tum ille juxta poëticam narrationem luctus dabat? quantosque threnos geminans amor moverat? quantisve precibus veniam implorarat, cujus nova carmina stupuerat infernus, ultrices scelerum deæ jam mæstæ madebant lacrymis?

85. Sed nos, Pater carissime, talia non ideo inferimus, quòd ignoremus neminem ab inferis sine Christo regressum fuisse; sed quid boni habeat amor volumus aperire. Amor enim maxima lex sibi est. & ideo imi-

tando quærimus te quasi per legem, quia omnis vita tua lex vitæ fuit; ut mercamur pervenire ad te, immo ad te, quia ad Christum, quò te pervenisse credimus & optamus. Et precamur, ut Deus nostris precibus motus exaudiat, & donetis feliciter nobis, immo nos tibi, quia te paradiso datum petimus. Credimus namque quòd ibidem coronaris jam de capite Amana, de vertice Sanir, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. Ista quippe omnia triumphando vicisti: idcirco factus es suavis inter delicias paradisi & decorus, nec est in te macula. Dextera igitur Christi amplecteris, & lævam sub capite pacis somno dormiens premis: & ideo factus es coram eo quasi pacem reperiens. lectulus ergo tuus, quia in pace Christi versaris, floridus juxta meriti qualitatem: tigna domus tuæ cedrina: laquearia verò cypressina. Et nos quidem, Pater amicissime nobis, juxta quod intelligimus gaudemus & gratulamur tibi: quia eversa domo inventa est in te drachma quæ perierat. Perierat enim noctis caligine circumfusa, sed accensis lampadibus tibi feliciùs denuo invenitur. Unde interim quando aliud non valemus, jura sepulcri tui flentes circumsedemus, & superadspergimus orationum flores. Legimus super illud nomen bonum, quod melius adquisisti, quàm divitias multas. Nam nostrûm alii pallentes violas tibi & candentia lilia carpunt, alii narcissum & florentes rosas: alii serpillum bene olentem spargunt, isti colocasiâ & mollibus illud vacciniis pingunt: quidam & suaves intermiscent odores, nonnulli verò salsis lacrymarum rigant fontibus: & ego litterarum superintexo pallas, quatenus ævi temporibus futuris sanctum servetur nomen. neque enim fucatæ artis eloquentia texo; sed sindone munda puritatis opere illud involvo. Alioquin si quis plenius hunc virum nosse desiderat, quàm fortiter fide mundum vicerit; legat illud ubi inscribitur ei nomen novum, & nomen civitatis novæ Hierusalem: & cùm intellexerit quibus civitas fulgeat ornamentis, hoc totum illi conferat: eo quòd ibidem quodammodo ipse civitas & possessor hujusce civitatis à Deo creditur esse factus.

An. Chr. DCCCXXVI. Jan. II.

Honores mortuo exhibiti.

86. Unde gaude & lætare, virgo fidei, felix Corbeia ex antiquo vocata: quia meruisti talem in Christo frui & possidere Patronum. quæso te, mater religionis inclita, amplectere hunc virum, quem tu tironem cælestibus sobriè ac discretè instituisti moribus: & imitare illum, qui te postea multis amplianit honoribus. Quare igitur mærore consumeris, virgo & filia Dei summi, quasi non sit tibi consiliarius? ecce fratrem reliquit tibi heredem, qui multis adhuc pro te sudabit laboribus. Absterge, quæso, lacrymas: quoniam mittes obviàm de medio tui etiam hunc senem, cùm universæ terrarum partes miserint eximios quosque viros. Porro vicina Monasteria cùm dederint, videlicet VEDASTUM Atrapis, & Centulum sanctissimum RICHARIUM, & circumquaque viros religione nobiles; dabis forsitan & tu non impari votò virum Deo dignissimum. neque infecunda tunc eris, cùm inter reliquos istum etiam Domino de terræ pulvere generabis: immo lætabunda & gaudens veniendo venies saltem paucos ferens manipulos. Idcirco confortare & robustiùs age, donec Amalech occurrit in via, quoniam alter Josue jam tecum dux & prævius virtute pugnat in acie. Fulci igitur istum jam in capite inter plurimos dimicantem: attende & illum in monte jam Domino palmas ad sublimia porrigentem. hic pugnat, ille orat: hic hostem premit, ille vincit. Iste namque est, carissima mihi Mater, Fratrum amator & populi Israël. Hic qui multum orat pro suis, caritate perpetuus. hic qui jugis, ut credo, intercessor erit pro civibus. Unde &, Domine, juxta beati Ambrosii vocem, quia nemo habet quod aliis plus deferat, quàm quod sibi optat; non nos ab illo post mortem separes, quem

Vvala frater ejus successor.

An. Chr. DCCCXXVI. Jan. II.

in hae vita carissimum serisimus. sed ubi es nos faeias esse simul cum illo, ut vel sie ejus perpetua visione apud te fruamur in Christo, quem propter te in hac vita carissimum diliximus valde, nunc in Christi pace sepultum.

Sepulti epitaphium.

87. Sepulta sunt autem decenter membra carissimi senis in basilica beati Petri Apostoli sub fastigio inter ejusdem medioximæ quatuor eeclesiæ eentra [a], tectus polito lapide: super quem octonis sculptum versibus musiei carminis haustu digne legitur:

Hic jacet eximius meritis venerabilis Abba,
Noster Adalhardus dignus honore senex.
Regia prosapies, paradisi jure colonus:
Vir caritate probus, moribus atque fide.
Quem dum sub tumulo recolis tu quisque viator,
Cerne quid es, quid eris, mors quia cuncta rapit.
Nam post octavas Domini hic carne solutus,
Succedente die astra petivit ovans.

88. Et sunt ibidem perhumati quatuor circumquaque venerandi viri, qui fuerant uno ejusdem officio servitutis à Domino propagati. quod factum non casu contigisse puto, sed ut quorum una in Christo fuit militia post Jesum crucem sublimiùs eodem in loco ferre propriam, unus esset & sepulturæ loeus, qui eo dumtaxat secundùm similitudinem ejusdem crucis insigniùs cohæreret. Quorum medius senex noster eernitur, super quem signa [b] ad horas divini officii pulsantur: ut ex hoc elareat juxta quod provenisse creditur, quia fuerit lingua ejus cymbalum sancti Spiritus, & invitatorium ad divini operis officium ibidem dedieatum. Unde & octoni versus, quòd post octavas Domini obierit, titulantur: quatenus monstretur eum opere eonsummato, quo dudum omnes invitaverat, ad octavam Domini, nullo litterarum imminuto numero, feliciter pervenisse.

Sequitur Ecloga duarum Sanctimonialium, uno favoris planctu conplosa, quas idem velut unam sibi in conjugium vice Christi eccle.iam * enutrisse, aliam * verò ex eadem secundùm monasticam diseiplinam miro libramine admodum genuisse peroratur. quarum quoque unam propter eandorem vultus Galatheam vocari, porro aliam propter amorem earitatis Philidis nomine eonseerasse taxatum iri non ambigitur.

* id est Corbeiam Galliæ * Corbeiam Saxoniæ

Galathea.

Plangite, quæso, viri, mecum piè plangite Patrem,
Omnis & inploret veniam provectior ætas.
Spargite humum lacrymis, conponite floribus arva:
Patris ad excubias hine fletibus omnia sudent.
Officio linguæ prodant sic corda vagitus,
Ut passim resonent etiam simul astra mugitum.
Rustica concelebret Romana Latinaque lingua,
Saxo quo * pariter plangens, pro carmine dicat:
Vertite huc cuncti eecinit quam maximus ille,
Et tumulum facite, & tumulo superaddite carmen,

* al. qui an quoque

[a] Vulgo *cintres*, id est, axes fornicem sustentantes, ut dictum in prima parte Sæculi secundi. Qui fuerint quatuor illi Abbates Corbeiæ Galliæ, in quorum medio sepultus est Adalhardus, non constat.

[b] Et quidem *ante gradum cancelli inferiorem*, ut notat S. Gerardus in Præfatione libri miraculorum, hoc est ad cancellos qui separabant Presbyterium a choro ecclesiæ.

Membra beata senis celebri conferre locello,
Qui nobis studuit venas aperire calentes.
Hujus ad exsequias Clerus, commixta caterva
Vocibus alternis divina poëmata narrent
Pastores, fuerit quòd magnus versibus edant,
Formosi pecoris custos formosior ipse.
Vulgus & è contra resonet. Deus alme creator,
Da veniam famulo, paradisi regna precamur,
Et petimus. miserere senis, miserere tuorum,
Tu quàm dignus erat misereri denique nosti.
Hinc rogo cordis amorque, dolor, gemitusque resultet,
Hinc pueri virtute, senes de nomine cernent.

PHILIS.

Quis, rogo, non plangat hominem super astra levatum
In cineres redigi, quàm duro marmore tegi?
Cujus in orbe volat virtutum fama per omnes,
Prosapies Augustorum est quòd vermibus esca.
Heu quid huic facimus miseri sub morte locati!
Ploramus, gemimus; sed nec revocare valemus.
Ergo vocatus abest, sed nec exaudit amantes.
Pectora rumpuntur, lacerantur viscera luctu:
Ille nec exaudit lacrymas, nec threna dolentum.
Et quia torquemur, laceramur, corde, tumultu;
Luctus adest animis, nec mors surdissima curat.
Pulveream servamus huic de corpore glebam;
Clarus at ille choro lætatur ad astra relatus.
Unde velim virtute viri, puerique, puellæ,
Plangite corde pio, falsos producite fontes;
Ut quia tristis origo dedit quod patimur omnes,
Atque una ex antiquo est hæc natura priorum,
Una sit & cunctis etiam compassio mentis;
Mæstitiæ fletus, lacrymæ simul æthera pulsent.
Hinc inde unus in ora fluat fletus Monachorum.

GALATHEA.

Oro senem senior tumulo Corbeïa condas.
Porro minor ego, mox tali viduata patrono,
Vocibus alternis gemitum pro carmine dicam.
Quam dudum generans felicem mater, ab uno
Atque tuo vocitans pridem de nomine faris.
O formosa ego tu mihi nunc eris alter in ævum,
Quam fundavit ovans manibus ter ille beatus,
Plura salutiferis tribuens oracula verbis.
Nam quo sic dæmon seviebat iniqua potestas,
Et cultus fani totam fedaverat arvam;
Vertit aras pecudum, sacravit ovilia Christi.
Funditus inde procul luci radice recisa,
Sancta locavit Monachis Cœnobia plena.

An. Chr. DCCCXXVI. Jan. II.

PHILIS.

O felix nimiùm! quos cogor inire dolores;
Munere divino quamvis cumulentur opima.
Ambianense priùs qui dum meruisse videris
Corbeio præesse gregi, sanctissime Pastor;
Te Patrem esse novit etiam Saxonica cæspis,
Ut commissa Deo duplicata talenta reportes.
Sed tu mors malefida, venenis parcere nescis
Ulli *, nec nobis: nec tu quoque munera curas.
Nescis amare viros, nescis servare Patronos.
Omnibus una manes sors inrevocabilis horæ,
Quæ nobis stimplo rapuisti morte beatum
Illum, quem pariter querelosis vocibus omnes
Plangimus ac gemimus, flemus, lacrymamus, amamus.
Sed nescis misera miseris miserans misereri.
Prô dolor! ecce trahis omnes sic invida tecum,
Ut quidquid jam viximus hactenus, omnia sorbas.

* f. Illi

GALATHEA.

Tum veneranda soror nostrum parvissima dixit:
O verbo quàm mitis erat blandusque! Magister,
Cur nos tam subitò liquisti valde tenellos.
Tu siquidem moreris semper per sæcula felix.
Sed ego virgo ferox, multis sanguinea bellis,
Imbrifero post te lacrymarum fonte madesco,
Atque sub ingenti gemitu rea pectora tundo.
Hinc faciem guttis diluo salsis maculosam,
Quamvis nigra meis maculis sim & fusca venenis:
Ut niveo vultu respersa colore rosarum,
Flavescam, niteam, fragrem, simul atque madescam:
Atque tui nimiùm felix in tempore plangam,
Quamdiu * maneat flebilis pars ultima vitæ.

PHILIS.

Tum quoque Mater ait, cujus de nomine dicta:
Non me tu lacrymis vinces aut fletibus umquam.
Non cantus resonare leves, non pandere vota.
Unde velim tu misce favos, ego floribus ornem.
Tu quoque pallentes violas, ego lilia carpam,
Et super adspergam tumulum quàm suavibus herbis:
Hic quoniam condignus erat muneribus istis,
Delicias nobis qui multas præstitit ipse,
Et totam roseo te pinxit sanguine Christi.
Esaïas vatis quod jam prædixerat olim.
Sancta tibi hinc veniunt plaudentia ligna decoris,
Exsultant inibi myrtus, abies, sive pinus,
Vitis & uva nitens; etiam pinguescit oliva:
Ac tamquam paradisus & hortus deliciarum,
Inriguis nutriris aquis de vertice cæli.
Quæ fueras regio sterilis, descensus averni

Porta poli jam facta pates sive janua vitæ.
Nec valet æquiperare prior perfidia mortis
Tam celerem cursum, quo nunc gloriosa superbis.
Jam caput excelsa cælorum sidera tangis,
Atque nitore tuo nimiùm splendescis in orbe:
Ut citius quàm nulla prior nutrix Monachorum
Cardine sub quadro poterit fecundior esse.
Unde, soror, facias planctum pro carmine posco.
Octoginta [a] Pater quòd vix compleverat annos, — *Adalhardi ætas. a*
Et necdum tua fortè manarant ubera lacte;
En subitò periit vel fracta est hydria fontis,
Consilium patriæ, Christi sapientia plenus.

GALATHEA.

Ah Mater subnixa Deo, tum filia dixit,
Quid tantos renovare velis narrando dolores?
Aut memorare diei, qua nec sævior ulla
Vel fuit, esse potest, poteritque aut esse futura.
Quæ simul abstraxit nobis, pereunte Patrono,
Omne decus vitæ, virtutum vota recidens.
Heu nos quàm miseri, absentes qui vivimus illo;
Quòd sumus in nimium depressi sorte maligna,
Qui pariter cælum nequivimus ire locati,
Cum quo namque mori melius quàm vivere duxi.

PHILIS.

Quapropter populis Christi quos abluit unda,
Flumineos latices producite pectoris imo,
Virgineumque meum plangamus sorte maritum,
Prudentem, sobrium, castum, caritate repletum,
Mansuetum, humilem, necnon justum atque benignum;
Nobilitate probum, quo nec sapientior ullus.
Cujus in eloquio micuit sapientia Christus.
Fons patuit saliens, vitæ doctrinâ falitus;
Moribus insignis, virtutum dogmate plenus;
Mitis, pacificus, clemens & valde modestus.
Ista fuere sui cognoscas prædia juris,
Ista meæ redolent viritim sponsalia dotis.
Unde beatus amor tàntum mihi crescit in illo,
Quantum verè novos è mundis floribus auget.
Sed proinde magis luctus succrescit in oris,
Quòd nimiùm flagret in eo insatiabilis ardor,
Et quòd nulla mei sit abhinc medicina doloris,
Si non vel liceat mihi sanctum pangere nomen.

GALATHEA.

Ad quod quàm nimiùm felix Galathea fatetur:
Incipe sollicitos tales jam ponere questus.

a Non integros annos octoginta vixit Adalhardus, siquidem vicennis factus est Monachus initio regni Caroli Magni, non ante annum DCCLXX proindeque vix attigit annos ætatis octo & septuaginta.

AN. CHR. DCCCXXVI. JAN. II.


Fortè mirantur enim tanto pro funere musæ,
Et stupefactas vos liquerunt carmina, melos.
Omnia congemuere ruis & saxea threnis.
O si, inquit, veniat tunc ille recursus amoris,
Quæ tantis in eo lacrymarum cogimur undis,
Ut tandem renovemur ejus dulcedinis haustu.
Interdum manibus juncti pergamus ad arcem,
Ad thalamos regni, quò dudum nos vocat idem.
Æthereis pascamur eo quàm perpete campis,
Quo meruit senior felix intrare Menalcha,
Qui nostros secum quàm longè duxit amores.

PHILIS.

Et trahit è nostris post se suspiria fibris.
Illò etenim voti debentur jura coire.
Quamquam adeo nobis media est via triste sepulcrum,
Sed si constanter pulsamus, quærimus inquam,
Post cineres quin haud dubium veniemus ad urbem,
Qua pietas, bonitas, pax, lux, opulentia regnant:
Lætitiæ fructus, requies & gaudia fulgent:
Omne bonum renitet, dulcis concordia mulcet:
Gloria, laus, & honor uno de fonte manantur:
Vita perennis ovat, virtutum pascua florent:
Angelicæ gratulantur oves, cælestia vernant
Præmia, perpetuis firmantur denique donis.
Quo Deus semper adest præsens, reserantur opima.
Inter apostolicas Patriarcharumque cohortes
Spirat odor quàm dulcis, suavior omnibus herbis.
Martyreo splendente choro muscosa patescunt
Castra, Prophetarum redolent dulcedinis haustu.
Candida virgineo flavescunt agmina flore,
Omnia concelebrant inibi pia gaudia passim,
Et resonant omnes uno de corde canentes
Mellifluas voces, hinc talia carmina quisque.

GALATHEA.

Desine plura soror tu, mater ait Galathea.
Ista quidem inspecta meliùs cum fortè canemus,
Cùm paradisus ovans nobis quoque sorte virebit.
Hactenus agrorum flores & lilia carpe,
Donec alleluiatica circum gaudia ridant *.
Sparge viam violis, virtutum floribus arva,
Pinge rosis callem, plateis lilia sterne.



ALIA

ALIA VITA.

Auctore S. GERARDO tum Corbeïensi Monacho, dein Abbate Monasterii Silvæ-majoris, sæculo XI.

Ex Ianuario Bollandiano.

PROLOGUS AUCTORIS.

1. MAGNUS Dominus & laudabilis nimis, gloriosus & magnificus in Sanctis suis. Ipse est enim corona Sanctorum, ipse spes, exsultatio & gaudium. Ejus singularis visio, eorum est universalis delectatio: horum autem exsultatione fundatur universa terra, mons Sion, Aquilonis latera, civitas Regis magni, universitatis Ecclesia. Quæ numeroso comta germine nuptiarum, & per eas diverso fecunda ordine filiorum, civibus electis ornat Hierusalem, urbem illam scilicet cælorum, ad cujus hæc terrestris Ecclesia præfiguratur imaginem. In hac spes civitatis illius habetur, in illa rès desiderata tenetur. Hæc beatos facit, illa electos reficit. Nec est ista expers civium illorum: Deus enim cognoscitur in domibus eorum. ubi videlicet Imperatores curvantur ante tumulos piscatorum; piscatores honorantur successione Pontificum; Pontifices religione Abbatum. Et ideo summo nos delectet succumbere bono, tanto voluptas sit subesse Dominos, qui non modò fautor est cremento proficientium, sed & remediabiliter providet casibus ruentium, dum & angelica præstat nobis suffragia non deesse, & patrocinia confert Sanctorum, quos pro reatibus intercessores non dubitemus efflagitare. Quos cùm diversis attributos provinciis communibus omnes conveniat passim honorare officiis; singulis tamen quibusque locis misericorditer provisos attribuit, quos specialiter nobis amplectendos & propensiùs exorandos voluit. Patroni cuique loco præcipuè colendi.

2. De quorum numero lux patriæ beatus ADALARDUS, Corbeïensium exstitit Abbas prædicandus, qui non solùm Francorum gemma, sed & Saxonum oriens effulsit stella. Genuit filios Ecclesiæ, nutrivit Patres Corbeïæ. Denique sanctus ANSCARIUS, qui à WALONE ipsius sancti Adalardi fratre in Còrbeïa fuit electus, ut à Rege LUDOVICO cum HERIOLDO Danorum Rege ad prædicationem Danorum mitteretur; quique postea pro Fide Christi multis pœnis ab eisdem affectus, tandem in Bremia Archiepiscopatu suo requievit, multis meritis decoratus, ejusdem sancti Adalardi auditor fuit & nutricius. RATBERTUS quoque Paschasius ejusdem Abbas loci, qui luculentum edidit librum de corpore & sanguine Domini, ejus meruit paternitatem digna filiatione sui: cujus etiam corpore cum reliquis illustratur Corbeïa. qui diversi per diversa, diversæ sanctitatis in Christo adepti sunt merita. Hic autem qualis fuerit & quantus, in quadam epistola [a] testatur Abbas Lobiensis HERIGERUS, qui eo tempore inter sapientes habebatur sapientissimus. Quamquam longum est hîc interponere. Corbeiæ patroni.

[a] Nimirum in libello de Eucharistia, qui ab Ludovicò Cellotio editus est sub titulo Anonymi in appendice ad historiam Gottescalci: quo in libello multis laudatur Paschasius Radbertus. Hujus auctoris nomen deprehendi in ms. codice Gemblacensi, in quo exstat libellus iste cum hoc titulo, & initio: DICTA DOMNI ABBATIS HERIGERI *de corpore & sanguine Domini. Sicut ante nos dixit quidam sapiens*, &c. Herigerus porro vivere desiit anno M VII. De eo plura alias.

An. Chr. DCCCXXVI. Jan. II.

3. Ad sanctum Adalardum, de quo digressi sumus paullisper, calamum studeamus convertere. in cujus caritatis dilatatione, tanta filii sui fervebant dilectione, ut à quodam eorum tanta sit composita prolixitate ipsius vita, tanta lamentationis plena amplitudine, tanto cantici canticorum amatorio languore, ut magis epithalamium dici possit, quàm textus alicujus historiæ. Qua confusione non mediocriter offensus Corbeiensis tunc custos [a] ecclesiæ, sæpe monuit Abbatem, ut recidi juberet superflua quæque. Sed illo sæcularibus curis occupato, compunctus iste reverentiâ Sancti, cui hærebat amoris privilegio, flores ipsius vitæ decerpi jussit è tanto viriditatis prato. Cujus parendo jussioni sub brevitate, non detrahitur priorum sententiæ, excepta illius qui non authenticè sensit de hac historia in sancti Viti [b] translatione, non nisi denique per hanc scribendi viam ingressus. Quomodo enim aliter interponeret Corbeïam novam, quam construxit sanctus Adalardus, licèt ad unguem descripserit ipsam translationem factam per successores ejus, inordinatè tamen erravit de Chronicis Principum & Sancti successoribus. Ad cujus errorem falsitatis removendum sufficiens sit cunctis legentibus ejusdem Scriptoris testimonium, qui etiam hoc quod ignorando adserit, in hac monet historia requirendum. Quapropter nunc ei hujus inordinationis offensam donemus, eo scilicet tenore, ut in his quæ secus quàm sunt sentit, à nullo sit per singula credendus: & sic ad rei veritatem scribendi calamum vertamus.

Cur hanc vitam scripserit Auctor.

VITA INCIPIT.

Adalhardi genus.

4. Tempore igitur quo Carolus agebat in sceptris, ille scilicet Carolus, cui cum sæculo terminavit famam palma virtutis, ratiocinabatur in palatio Adalardus, puer bonæ indolis. Cujus quidem genitores non silet antiquitas, & ideo quantæ nobilitatis fuerit, celare non potest posteritas. Secundùm enim totius generositatis genealogiam, ab ingenuis Francorum Regibus deducens nativitatis lineam, Bernardum fratrem magni Pippini [c] Regis habuit patrem: consanguineum quoque æquivocum Pippini Pippinum juniorem, consobrinumque & collegam sub alas scholares eumdem Carolum Imperatorem. Fuit quoque Francus natione, qui Franci dicti sunt à feritate; genere scilicet Trojani, qui per Illyricos sinus deducti Mæotidas insederunt paludes, duce quodam Antenore. Unde cum Romanis Æneïa signa secutis civilis est ei communitas, & unius imperii quondam fuit & esse debet communis affinitas. Hoc autem eo tempore erat, quo Carolus Romanus Imperator dicebatur & erat. Ipse enim solus fuit, quem famâ majorem mundus habuit.

Fabula.

cum Carolo educatus.

5. Cum quo postquam beatus puer liberalium fontem transivit non inloto pede, inter primos palatii ætate & sapientiâ cœpit florere, & primus haberi sub ipso sceptrigerante. Timebat tamen Deum, & omni custodia servabat cor suum. Binos quoque fratres & totidem sorores habebat: quos sicut ætate, ita & meritis anteibat. Licèt enim, utpote juvenis, naturâ cereus esset in vitium flecti, immunis tamen erat ab his vitiis, quibus illa ætas solet inquinari. Semper erat in ore ejus justitiæ

[a] Nimirum Gerardus ipse, qui Corbeïæ primùm Æduuus, dein Cellerarius fuit: lege Observationes priori Vitæ prævias.

[b] Hanc historiam habes inferiùs ad annum DCCC XXXVI.

[c] De genere sancti Adalhardi actum est in Observationibus prævijs, ubi notavi incertum esse, utrum Bernardus Caroli Martelli filius legitimus, an naturalis fuerit. Verùm non adverteram id quod scribit Radbertus in Vitæ superioris num. 61. ubi dubitare videtur, *utrum* Adalhardus *proprius, ut ipsi dicunt, propriusve, an abdicatus fuerit*: cùm tamen *Bernardi filius* fuisse non abnuatur. Quibus verbis quid significare velit, non satis capio.

attestatio, semper in corde injuriæ detestatio: & quanto junior, tanto perspicacior. *An. Chr. dccc xxvi. Jan. ii.*

6. Sed ea tempestate, quos sibi amicos obsequium, ab eisdem veritas peperit odium. Imperator quippe Desiderii Regis Italorum filiæ legitimo connubio nupsit: sed postea odio patris, injuriâ perosam repudiavit, & perjuris Optimatibus Francorum publico adulterio alteram Regno superduxit. Quæ res quantum detestabilis fuisset, etiam nunc Oriens Occidenti nuntiare valet. Et si minus justis omnino displicebat, credo quia bonis & perfectis placere non poterat. Quapropter adolescens omnimodo detestans propinqui sui illicitum conjugium, publicè obtestans perjuros esse Optimates Francorum, elegit adhuc puer palatium & cum palatio sæculum postponere, quàm talibus videretur communicari & consentire: ut propinquo, quem contrariè prohibendo non posset, saltem fugiendo se dissentire monstraret. *Carolo ob repudiatam conjugem indignatus, sæculum deserit.*

7. Abdicatis igitur palatii insignibus & tirocinio, vicesimum ætatis agens annum, quando juvenilis animus proclivior habetur in peccando, statuit suscipere jugum Christi, libertatem suam ejus servitute nobilitando. Cui quia non fictè militare disponebat, Cœnobium in quo militandi exemplum acciperet, nova religione quærebat. cujus religionis officina decens invenitur locus, qui vocatur Corbeia. Nec spes eum fefellit, quia quod devotè quærebat, devotiùs sibi cessit. Quantæ enim fuerit nobilitatis tunc locus ille, satis cernentibus adhuc claret vestigiis tantùm veteris ruinæ. Ut enim minùs quàm decet dicam de laude ejus, ipsa erat veraciter aula Dei, & absque concupiscentia pomi alter paradisus. Et qualis tunc erat, quæ modò vix signa Corbeïæ servat? utique talis, qualem decebat militem summi Imperatoris. *Corbeïam se recipit,*

8. In hoc itaque loco pulsans, & pulsando admissus secundùm Regulam sancti Benedicti instituendus, primò depositâ sarcinâ & habitu sæculari ingrediendo, cœpit currere viam mandatorum Dei. statimque discipulus effectus legis divinæ, qui antea jam perfectus erat magister mundialis scientiæ, per summæ humilitatis adeptionem breviter apprehendit utriusque legis perfectionem. Ad hoc enim venerat; ideo non magnus labor discendi erat. Sancti quoque Spiritus gratiâ omnia sibi faciebat docibilia, omnia penitus possibilia. Quidquid sibi imperabatur, ita parebat, ac si divinitus imperaretur. Nulli secundus erat humilitate, & licèt novitius, cunctis tamen prior religione. Erga priores digna acclinis veneratione, erga juniores paterna affectus dilectione. Sicque omnibus omnia factus, paullo pòst omnes præcedit virtutibus, qui paullo antè omnium erat pedissequus. Postquam conversionem morum actu atque habitu professus, quem quærebat Monachum, victorem in Cœnobio se fecit monomachum, dexterâ quippe Dei confortatus, pugnabat contra nequitiæ spiritualia in cælestibus. *ubi rectè institutus,*

9. Cumque jam in tantum effloruisset, ut intra monasticam disciplinam magis inesse animo cælestibus quàm terrenis crederetur & esset; committitur ei quædam obedientia, ut in omnibus probetur ille novus Cœnobita. Commendatur ei cura horti excolendi, causâ scilicet obedientiæ fructum exinde referendi, & (ut quidam asserunt) jussu regali, quasi scilicet hac obedientia injuriatus, flecteretur animo ad palatium regredi. Quam obedientiam monachicè & libenter suscepit: & susceptam pro posse & nosse devotè supplevit. Excolebat hortum, & cum Maria requirebat in horto resurgentem Jesum. Videre erat novum cultorem nuper inter primos palatii latera sua tenentem, nunc rastro & ligone urticas terræ rapientem. Videre erat juvenem hortulanum nunc laborantem in cuculla non sua, nuper inter palatinos se- *hortum excolit.*

An. Chr. DCCCXXVI. Jan. II.

ricatum. Sed hæc mutatio dexteræ Excelsi, qui quos vult & quales vult eligit sibi. Prorsus hæc erat via, per quam erat iturus ad astra.

Cognatos fugiens,

10. Nec via sufficit ista, postquam usu progressionis affectata est, posse teneri visa. Quærit artiorem, ut possit adscendere de virtute in virtutem. Nihil ei videtur ista conversionis ingressio, nisi per hanc procedat sibi major virtutum progressio. Considerat sibi non parum obesse, cognatis & parentibus medium interesse. Nimis quippe diligebatur à suis, & ideo ultra voluntatem suam visitabatur ab eis. quæ visitatio non solamen sibi erat, sed mentis desolatio. Eligens quippe non per vices Christi esse discipulus, quia etiam seipsum reliquerat totum totus, nolebat propositum suum impediri à parentibus. Oderat nativitatis solum: quia pro talibus quæstum audierat referri centuplicatum. Eò igitur animi processit, ut talia fugiendo, quia aliter non poterat, declinare decreverit. Nam si quæsisset licentiam, sciebat sibi omnino negandam. Quid ergo faceret? irreligiosum videbatur, si ita discederet; sed irreligiosiùs, si inter luctantes amicos remaneret.

secedit Casinum.

11. Proinde dum talia mente volvit & revolvit, omnem dubitationem bona intentio pessumdedit. Alter Helias statim fugâ labitur, fugiens voluptatem carnis, quatenus ipse sibi inveniretur. Cujus autem rei gratiâ loco suo cessit, testis est locus ad quem secessit. Non enim quæsivit aliquod remissioris vitæ diverticulum, sed voluntate & itinere direxit gressus ad montem Casinum: ubi non parum honestè susceptus, nihil instantis & quæsitæ rei, sed alia pro aliis est commentatus.

Eremita prædicente revocatur.

12. Non tamen diu potuit latuisse, quem Deus nolebat latere: immo hac fuga gloriosiùs magnificare. Quidam Eremita ibi habebatur, qui dum cum famulo Dei hospitalitatis humanitate sermocinatur, prædicit sibi quæque futura, & quis esset, & unde esset, & cujus rei advenisset gratiâ. Addit insuper quæ sibi minimè placerent; scilicet quia legati Imperatoris secuti eum ad reducendum, sine dilatione venturi essent. Quibus auditis vir Dei dissimulat quidem, sed tristis efficitur: & breviùs prolato colloquio invicem, ab invicem pro se orari petunt, & consolantur. sicque secedens ad Patrem Monasterii, causam adventus sui tandem confitetur: quærit consultum, petit auxilium, precatur abscedendi copiam, licentiam, tempus & locum, ut liceat sibi ulteriùs migrare, quò nec audiatur nomen suum. At ille laudans intentionem, non avertit petitionem; sed differt responsionem. Cujus responsionis dilatione statim intercipiuntur Imperatoris precatoriâ legatione. Et quia annus est, dum moliuntur, molitiones ilico dissolvuntur. Auditur imperiale mandatum, & audito pariter reditur Monasterium.

Corbeïæ reclusus,

13. Et quia ad votum res cœpta sibi non suppeditabat, in suo disponit esse, qualiscumque in alieno loco esse decreverat. Inter parentes stat, & parentes fugit, quia claustrum pro eremo habens, orationibus insistit. Nihil habet præter se: de seipso regnum Dei studet sibi comparare. Vigiliis vacat: jejunio se excruciat.

Abbas eligitur.

14. Proinde talis efficitur, ut non solùm ordine, sed etiam honore sublimari digneretur. Nec fit aliqua sublimandi dilatio, cunctorum corda ad id disponente Deo. Pater quippe Monasterii, corporis viribus se sentiens destitui, electum annutu cunctorum subrogavit Adalardum. Cujus dignitatis honore indusiatus, & à Principe regni legaliter inthronizatus; non efficitur philopompus [a], non ut plures adsolent, pompolentus. Qualis ipse erat, tales suos esse volebat: & ut essent, exemplo

[a] Fortè *philocompus*, φιλόκομπος, fastuosus. nam Auctor postea subdit *pompolentus*. quod idem est ac philopompus.

trahebat, verbis prædicabat. Nec deerat prædicationi multiplex scientia; scientiam vero fundabat in cordibus auditorum prædulcis facundia. In qua quàm decenter emicuit, omnis Gallia, quæ ejus consilio innitebatur, pacata probavit: maximè verò Italia, quæ sibi à Carolo fuerat commissa, ut PIPPINO juniori ad regendum magistraret, & ad statram justitiæ Regnum Italicum informaret: ubi tantam operatus est æquitatem, ut à populo compararevit sibi angelicam laudem. Nullius enim in judicio personam accepit, neque in scirpo nodum quæsivit. In ingressu suo omnem tyrannicam deposuit potestatem, eorum scilicet, qui velut prædones in populo exercebant rapiendi tyrannidem: unicuique sua restituit, & sic inter eos jurgandi causam destituit, pacemque unitam constituit.

AN. CHR. DCCCXXVI. JAN. II.

Italiæ Regem Pippinum moderatur.

15. Taliter igitur disponendo regnum, pervenit fines Romanorum, ubi à LEONE Papa tanta susceptus est familiaritate, quanta neminem Francorum constat priùs susceptum fuisse. Nec id casu evenit, talem quippe eum invenit. ideo hoc ei testimonium perbibuit: Scias, inquit, optime Francorum, quia si aliud te invenero præter quod affeci animum, nulli deinceps credam vestratum. Magnæ auctoritatis homo, cujus fides parum devia unius regni fieret evacuatio. Sed quomodo ab ea posset deviare, qui eam deviantibus studebat redintegrare, & etiam Imperatoribus scriptis intimare? In hac utique dives erat, sed rerum mundi aporiam * sponte sibi inferebat, quia in Christo pauper esse volebat. Accipiebat à multis mutuò, ut semper daret, & semper haberet; & tamen semper egeret restituendo. Semper inter manus habebat largitatem, quæ sibi affluebat per erogationem. Erogabat & abundabat: donabatur cùm dabat, quia divina retributio eum semper præveniebat. Quod suis non credentibus, sed fetentibus indignè taliter olim propalatum est divina bonitate.

à Leone Papa laudatus.

* indigentiam

quàm liberalis,

16. Tanta denique super petentes largitate usus est aliquando, ut Fratribus pulmenti nihil esset residui omnino, non pisces, non caseus, non aliquis præter panem Monachorum victus. Unde plus justo indignatus Frater, qui talium erat adsignatus minister; Miror, ait, Pater, quid sibi velit tanta expensio, & exinde nulla à quocumque repensio. Non animo reducis penurias Fratrum, ut deberes: sed egentibus succurris, & ipse eges. At ille subridens dissimulando, Non turberis, ait, Frater: inquirentes enim Dominum non deficient omni bono. Tu, inquit ille, ita semper polliceris: sed non sic continuò dabitur quod indesinenter effundis. Prius sentient Fratres expendentem, quàm debeant videre rependentem. Tanta lacessitum Patrem indignatione qui indignantem patiebatur Fratrem pro caritate, respexit filius caritatis, & porrexit manum largitatis. Statim enim adsunt duo plaustra pro foribus, non boum ministerio, sed ministro Dei deducta divinitus; unum onustum caseis, alterum piscibus. Qua beatus Pater visitatione relevatus, & plus redargutione Fratris, quàm etiam ipsa relevatione gavisus; jubet, & adest ilico ille jussus. Quo præstò, Timentibus, inquit, Deum, Frater, nihil deest aliquando: beatus vir qui sperat in eo. Ecce, quod timebas à Deo arguitur, & incredulitas tua apertè convincitur. Convictus tandem erubesce: & acceptis quæ repetebas, noli ampliùs desperare. At ille discedens confusus, erat enim simplicitate, sed non sine felle columbinus; Da mihi, inquit, Pater, veniam, peto: deinceps quippe credam tibi omnia cedere pro voto. Redditur quod dedisti, quia habes quod accepisti, gratiam quam meruisti. Vera confessio, nec dissona à merito. Non enim erat semilargus, sed ex integro totus. Mentior, si testimoniis destituor.

eximio exemplo.

AN. CHR. DCCCXXVI. JAN. II.

pia discretione.

17. Si quando fortuna egentes sibi præsentabat bis unum, & agapen utrisque competentem non habebat ad manum, satius censebat alteri totum tribuere, quàm uterque eorum pæne ineleemosynatus videretur recedere: isti impendebat pietatis effectum, illi benevolentiæ tantummodo affectum.

Lacrymarum dono præditus,

18. Nec erat inanis à visceribus pietatis: quæ quanta sibi inesset, parum corde, minùs celare poterat oculis. Semper quippe quasi aliquod aquagium manabant ex eis lacrymæ, quæ, ut videri poterat, testes erant dulcedinis, non reatus, vel pænitentis conscientiæ. Qui cùm à suis secretioribus interrogaretur lamenti causam; Plango me ipsum, filii, dicebat, non ostentando humilitatem meam, sed conveniendo conscientiam. Ego me intus & mente novi: ideo plango quod commisi. Dicebat hoc non quòd talis esset, sed qui tales erant, ut ad planctum invitaret. Quandocumque res eum occupabat mundialis, utpote exigebat, & exigit in talibus œconomia temporalis, paullo pòst exoccupatus aderat totus in divinis. Mox fluebat lacrymarum inundatio, & inter lacrymas dulciter susurrabat psalmorum murmuratio.

maximè in officio divino.

19. Ubi quoque ad divinum officium introibat, omnes cogitationes sæculares secus ostium introitus reponebat, & secum totus utpote ante Deum incedebat. Aliis psallentibus ipse flebat: dulciori enim musica solvebatur in lacrymis, per quam totus constabat. Tantæ enim erat dulcedinis & dulcissimæ in Deum intentionis, ut si etiam regalibus consiliis adsisteret, auditâ aliquâ melodiâ nullo modo se à fletibus temperaret. Nec mirum: quia dulcedo patriæ, in qua dulcescit, cui semper suspirabat canticum novum, hac dulcedine solvebat eum.

In itinere seorsim incedit.

20. Cumque etiam pro Ecclesiæ negotio itineraretur, quod ab hujusmodi ministerio, etsi aliquando, raro tamen segregari consequitur, secretus ab omnibus aliis gradiebatur. Nec deserebat instituta Regulæ, sed fletibus vacabat pro lectione, & orationibus pro reliquo conventuum tenore. Comites qui in talibus consueti erant, præcedebant & sequebantur eum, salibus suis intendendo: ipse autem salebras itineris relevabat sibi psalmodiando.

Pacem inter diffidentes reformat.

21. Ubicumque gradiebatur, pax secum comitabatur: bellum cum bello habebat: fœdus cum pace inierat. Cum qua olim perveniens Beneventum, invenit eam arma sumsisse contra Spoletum. In quibus tanto marte bacchabantur, ut omnia sua armis, prædis & flammis adnihilarentur. Fervebat Bellona in omnium necem: omnibus pulcrum videbatur perdita recipere per medium hostem. Hæc erat mensura belli, prius deficere quàm vinci. Tandem vir Dei inter eos medius caduceator deambulat: & utrisque consultum pacis expectorat. Nec antè desistit, quàm fœdus inter eos usque ad oscula restituit: pacem partibus redintegrat, mores & fines certo limite antiquat. His ergo & similibus fœderabat Regnum indefessus.

Ob justitiæ zelum relegatur.

22. Sed ea tempestate visa est è terris justitia migrare. Patiuntur mortales lucente sole deliquium, quia perit inter eos color & decus rerum. Lux denique orbis CAROLUS Imperator viam universæ carnis ingressus defecit, filiumque suum LUDOVICUM moriendo Imperatorem effecit; sed non tam bene filiatum, sicut decuisset Imperium. Non enim secutus est viam patris, sed sensit cum Roboam filio Salomonis. Quidquid pater amaverat, odio habet: quidquid illi placuerat, sibi displicet. Removentur paterni consultores: admoventur novi, & priorum osores. Quorum annosa perversitas statim felices esse res publicas ingemuit, eò scilicet quia juxta Platonem rectores earum amplecti sapientiam vidit. Erant autem illi qui viro Dei sapientiâ & honore ampliato invidebant

tempore Caroli; & malebant, quàm hunc regnare, fasque nefasque confundi. Cujus invidiæ adepto tempore vindictâ accensi, quatenus eum separent à latere Regis firmantur convoti, ut justitiam ulteriùs non habendo defensorem Regnum amitteret, & iniquitas suis quandoque capienda fraudibus dominandi locum reciperet. Nec erat res perardua: quia suppetebat locus, tempus, persona. Denique, ut aiunt, Regibus boni, quàm mali suspectiores sunt. His quoque virtus aliena semper est formidolosa. Quod viro Dei ita esse nihil constitit verius, qui sine judice dignitate honoris exutus, ob beneficium reipublicæ exsilium tulit; sicque mala pro bonis recepit. O mores! ô tempora! ex aureis utique fictilia. Sed beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, pro qua quasi mundus exsilium non esset, alterius exsilii injudicatus excepit sententiam. Non tamen sine judicio, quia feliciter munerandus divino. — AN. CHR. DCCCXXVI. JAN. II

23. Dissolvitur itaque illa felix germanitas, quæ sicut aliqua constellatio totius palatii videbatur claritas. Germani erant quinque, nt sexu, ita discreti & ætate; sed eadem uniti bonitate. Sanctus ADALARDUS primum ætatis & sanctitatis tenebat gradum: post quem WALO virorum clarissimus, ordinis, justitiæ & æquitatis heredium. quibus sancta virgo GUNDRADA hærens ex latere, dispar quidem ætat sexu, sed non dispar sanctitate: quæ sola inter venereos palatii flores ignem juventutis meruit evadere. Reliqui duo BERNHARIUS & THEODRADA: quæ reddito fructu nuptiali ante pedes JESU verbum Dei elegit audire cum Maria. Et ipsa quidem Suessionis Sanctimonialium rexit vitam: ille verò Corbeiæ Christi discipulatus adsumsit formam. — etiam & fuit.

24. Hi ergo palatii flores per diversa mittuntur insontes. Sanctus Adalardus ad Heri Aquitaniæ insulæ adeptus Dei dispensatione locum, quem antè quærebat per fugam. Walo providente Deo recipitur Corbeiæ, ut quæ flens & dolens desolata erat tanti Patris decessione, ejusdem fratris consolaretur sanctitatis & prælationis successione. Bernharius Lirino mittitur: Theodrada quasi reliquis innocentior, cùm omnes innocentes essent, Suessionis relinquitur. Pictavis dirigitur Gundrada, apud dignam digna, sanctam scilicet Radegundem ancillatura. O corde tam uniti, cur orbis intercapedine tam disceti? quos Deus conjunxit, homo cur separavit? Hæc autem proscriptio non fit legalis judicatio, sed furtiva relatio. Loco tamen acceptæ benevolentiæ omnem excludit injuriam malivolentiæ.

25. Cumque simul egredetentùr è palatio, procedit Adalardus, quòd dignus fuerit contumeliam pati gratias agendo, fratres & sorores lacrymantes osculis leniendo, amicis fortitudinem mentis persuadendo, Proceribus palatii exempla virtutum exhibendo, porro mirabilem mentis suæ constantiam omnibus demonstrando. Sequebantur enim eum plures, quia aliter non poterant, id sibi displicere lacrymis & contritione cordis ostendentes. Quibus cùm recedentibus valediceret, & ipse valedictus ab eis recederet, recedunt cum lacrymis: & duo Archipræsules, qui calido pede & calida mente adsistunt Regi, dicentes: Putas te, Imperator, vindicare, quia hunc virum exhonotas hac proscriptione? aut malè es consultus, aut non bene præmeditatus. Non denique exhonoras, sed, ut sibi videtur, pleniter eum honoras. Verùm enimvero non te ex illo, sed ex te vindicas illum, quia numquam sibi tanta, quanta hodie fuit exsultatio & gaudium. Hodie pristinam libertatem in Christo se recepisse gratulatur, & quia non aliquod gaudium huic simile sibi potuisses facere, sine simulatione fatetur. Unde scias procul dubio, quia numquam lætior visus est à nobis aliquando. Ad hæc Imperator perfunditur rubore: dolet se fecisse, quod jam ruboris sibi videbatur irritum facere: sed — omnibus lugentibus — ipse lætus.

AN. CHR. DCCC XXVI. JAN. II. si foret infectum, non esset utique posthac faciendum. Cui rem cunctis imputantibus pro crimine (nec aliter erat, peccatum enim faciens peccato non poterat carere) vir Dei omnimoda ratione obnititur; Non huic, „ dicens, non huic, quod non est in hominis potestate, imputetur. utitur „ Dei permissione, cui constat nos omnimodis deliquisse. Quod si à Domino adversum nos incitatur, oportet ut sacrificium humilitatis odoretur.

Heriensibus Monachis prodest. 26. Hæc & alia prædicando, discedit ad locum ut destinatum usui suo, ita & à se expetitum omni desiderio. Ubi quantæ fuerit humilitatis & gratiæ, testes idonei sunt Fratres, inter quos per septennium vitam duxit angelicam. Quanto enim curis sæcularibus erat exoccupatior, tanto divinis & cælestibus suspirabat attentior. Assiduus erat in oratione, post orationem in lectione, post lectionem in Fratrum relevatione. Relevabat eos melliflua ratione, se ipsum præbens speculum, quem sequerentur in actione. Parvus erat inter minores, minor inter majores; majores venerans ut dominos, minores colens ut filios. At illi gaudebant ejus paternitate, & quasi sub Abbate suo exhibebant se digna filiatione. Expetebant monentem, & in omnibus audiebant consulentem. Sermo quippe ejus sale erat conditus, & omnes adversos secundabat casus. Pater Cœnobii patris eum venerabatur loco, neque aliquid fieri censebat fine ejus consilio. Illi autem minimum erat in talibus consulere, utpote qui alterplicem * Imperii curam solebat disponere, nisi Fratrum diligentiâ evictus esset aut caritate. Sed quia in cælis erat, secundùm Paulum, ejus conversatio, semper tenebat eum divina contemplatio: à qua vix aliquando recedebat, nisi Fratrum caritas, aut edulii eum relevatio abstrahebat. Et ut fiat cita descriptionis conclusio, quia non potest fieri virtutum ejus plena definitio; talem se ibi exhibuit, qualem nulla valet comprehendere oratio.

* novè

Post septennium revocatur, 27. Qua veneratione postquam explevit septennium, ita adhuc novus in Dei obsequio, quasi nondum supplesset biennium; Deus, in cujus manu cor Regis habetur, solita dignatione solvit ejus exsilium. Dominus enim in terram adspexit, & justitia de cælo prospexit. Resedit in regno æquitas, & refrigescit multorum iniquitas: reviresc it color rerum; colorantur flores Ecclesiarum. Jam enim tempus miserendi, jam venerat tempus earum; quia clementia Dei inspiravit Imperatorem Ludovicum, quatenus ab exsilio sanctum revocaret Adalardum. In cujus revocarione cunctis congratulantibus, tanta fuit Imperii exsultatio, quanta si cælitus descendetet visibiliter ipsa divina visitatio. Nec secus erat, quia Deus per eum mortales visitabat. Gratulantur Cœnobia Monachorum, resultat jocunditate decus ecclesiarum; superborum arrogantia humiliatur, humilium patientia exaltatur; fit concursus populi, restituta sibi pristina dignitate: quia qui subtractus fuerat sedentibus in tenebris errorum, refulget sol justitiæ. Recepto patre fiunt matrimes orphani, gubernatorem recipiunt viduæ & pupilli.

præter Herienses, 28. Sed quanta istis lætitia, tanta illis à quibus recedebat oritur mæstitia. Gaudent, & dolent: quia semper eum habere vellent, & tamen ad suam sedem redire mallent. Hæc erat inter eos discors concordia, & concors pariter discordia. Quem circa lacrymantes pia dilectionis dulcedine, (non enim erant adhuc satiati per septennium, quod multis solet esse tædium, ejus dulcissima dilectione) vix eum fervore caritatis cogebantur dimittere.

maximè Reginardum. 29. Præcipuè autem inter eos dilectionis quidam erat RAGINARDUS, post eum utique qui tunc erat, ejusdem loci Abbas futurus, qui unica fervens in eum amoris caritate, gaudebat & dolebat, mutua animi alternitate

ternitate. Quia enim repatriaret adsertor veritatis, lætabatur; sed supra modum dolebat, quòd tanti viri præsentiâ privabatur. Cumque Monasterium jam egrederetur, & Fratres eum lacrymis valedicendo & deducendo prosequerentur, ille delitescens in valle plorationis, dolori satisfaciebat gemitibus & lacrymis, quia præsens ferre non poterat præsentiam abeuntis. Quem ille frequenter requirens, & sæpius exspectando resistens, statuit omnino non discedere, quamdiu superesset sibi fratri valedicere. Cui tandem reperto cùm nuntiaretur, & ne impediret abire volentem rogaretur; Nolite precor, ait, quærentibus me detegere, quia leviùs absens possum abeuntem ferre. Renuntiatur Sancto, ostenditur quo delitescat loco: qui statim passibus caritatis regressus venit ad Fratrem; ne remaneret insalutatus. Et cùm pervenisset ex improviso, exsiliens ille consternatus animo, Hei mihi, Pater, clamabat lacrymando, addidi peccatum peccato. Nolui ad te exire, ideo miser huc te cogo redire. Sed da veniam, quia sperabam latere. Nescio denique quid faciam dilatum, sed jam præsens vix queo ferre tui desiderium. Absit autem ut per me aliqua intricetur tibi mora: Domini tecum comitetur gratia, quia mecum, velim, nolim, tui semper erit præsentia. His dictis dato & accepto vale, diu immorantur in osculi caritate: sicque Sanctus egreditur cum reliquis, etiam illo prosequente. AN. CHR. DCCC XXVI. JAN. II.

30. Præparantur rudentes, impelluntur naves: & velis auræ patentibus, solvuntur anchoræ: expapillatis brachiis aptantur remiges & antennæ. Dant Fratres gemitus, & naves sonitum; atque tamdiu super ripam stantes recedenti intentant visum, donec crispantibus oculis pro uno sibi videntur videre numerum.

31. At ille solutis carnis non cordis adspectibus, post aliquot dies tandem pervenit ad palatium, longa corporis macie confectus. ubi susceptus favorabiliter à Rege & ab Optimatibus, veniam dare petitur lacrymabiliter. Fatentur errorem; & inveniunt injuriæ immemorem. Videns enim suffusos pudore, quibus non fuit pudor olim sibi usque ad effectum invidere; satisfactionem eorum prævenit, & demissis oculis jam satisfacientes ita dulciter delinivit. Nihil, ait, ô Cæsar, fit in terra, nihil, ô Proceres, sine causa. Nihil fit in mundo sine Dei judicio. Si nos pro peccatis nostris arguit Deus, quid ad vos? nos viderimus. Nihil potuisti sine Dei permissione. modò utamur Dei jussione. *Dimittite*, inquit, *&* *dimittemini.* quod ego primus faciam: vos me sequimini. Fit sine mora ab omnibus: festucantur omnia. *In palatium honorificè accipitur.* *Luc. 6. 37.*

32. Quibus ita compositis petitur pristinam sedem recipere flagitantibus filiis suis, quibus fatigatis desiderio septennium illud prolixius videbatur centuplicibus annis. Recipit nec refutat, etenim secundùm canones non poterat; immo caritas filiorum sibi imperat: & sic cum multa stipatione suorum Corbeiam remigrat. O quàm jocunda dies illustravit tunc Corbeienses! dies illa, dies lætitiæ; dies exsultationis & gloriæ. Quanta denique fuerit receptus ambitione, quis valet perorare? Procedit palliatus ordo Monachorum, Monachosque præcedit candidatus ordo Clericorum: omnis sexus & ætas ruit in obviàm; nec est audire nisi unius laudis concinentiam, Christi scilicet propter reditum Patris laudantium clementiam. Consonant & dissonant, quia voces, non laudes sexus mutavit: nec plures fudit lacrymas ejus discessionis desolatio, quàm nunc quoque refudit regressionis consolatio. *Cœnobii sui curam resumit.*

33. Sed non defuit impedimentum, quo aliquantisper tantum impediretur gaudium. Illum enim pro quo hæc arridebant gaudia, flamma febrium invadens pestifera, membra diu attenuata exsilio, attenuabat etiam nunc invaletudinis morbo. Quæ res lætitiam quidem minuebat, *Febri afficitur.*

An. Chr. DCCCXXVI. Jan. II.

ſed lacrymas utrimque procedentes & ex gaudio & ex mærore augebat. Ea tantùm relevabantur conſolatione, quia malebant eum infirmum, quàm nec ſanum habere. Quamobrem affluentes erga eum omnimoda humanitate, caritatis officium exhibent ei benigna filiatione.

In aulam redit honoratus.

34. Cumque aliquantulum remiſſiùs quieviſſet, & quietè, vellet, nollet, ſe habendo paullulum melioratus fuiſſet; accerſitur iterum ab Auguſto: & qui priùs glorioſè, modò glorioſiùs recipitur in palatio. Quem introeuntem tanta comitatur gratia, tanta loquentem ſapientia, tanta ſapientem facundia, ut ſua unicuique ſtatim pateret inſipientia. Mirantur & ſtupent, & ſuper rationem ejus hærent: quia qui priùs videbantur ſibi perfecti rhetores, nunc digito ori ſuperpoſito adſiſtunt pæne elingues.

Exſulum reditum procurat.

Quidquid tractaverant fit irritum: quidquid iſte eloquitur fit ratum. Solvitur itaque multorum captivitas, eorum maximè quibus regia jungebatur affinitas. ſicque in primis reſarcitur ejus felix germanitas, & redditur in uno omnibus plena libertas. Revocantur omnes ex diverſa regione: niſi quos feliciùs præveniens mors remiſerat patriæ. Quorumdam tonſura ſine jure ſuſcepta, per eum tranſit ad coronam, & offertur Deo ſponte, quod illatum fuerat ad ignominiam.

Aulicorum reformat mores.

35. Ipſe publicam ſuſcipiens pænitentiam Imperator glorioſus, facit ſe cunctis humiliorem in ſuis reatibus, qui regali elatione affectus fuerat alter Tarquinius. Quidquid enim exemplo & permiſſu alios feceratoffendere, tandem ſalubri conſilio inſtitutus ſanabat regia ſatisfactione, omnes præeundo reducens ad viam pænitendi, quibus factus fuerat iter deviandi. Audiebat in omnibus ſanctum Adalardum, & ad priſtinam honeſtatem precabatur reducere Imperium. Nec defuit ille, ſed juſtitiam & æquitatem reſtituit in propria ſede. Repreſſit vocum novitates & temerarias in populo præſumtiones. Et quia diſcedens cælum non animum mutaverat, mutatum Imperium refrenans timore & amore, decuplum majoratur quàm diſceſſerat. Præterea jubetur etiam omnibus Eccleſiis magiſtrare: quibus conſilio & prudentiâ magiſter, ſed diſcipulus apparet humilitate. Nec antè deſtitit, quàm Regnum Francorum in omni gloria juveneſcere fecit.

Abbatis munus retinet invitus.

36. Rebus ergo in pace compoſitis, cogitat ſe iterum exuere ſæcularibus curis, ut reliquum vitæ tempus peragat in divinis. Sed non eſt permiſſus, à filiis ſuis ſcilicet, quorum erat ſpes maxima poſt Deum, & Pater maternus. Quanto enim erat ætate maturior, tanto tendentibus ad virtutem videbatur utilior, & agendis quibuſque perfectior. Nec erat aliquis qui ſuper eum id exercere poſſet, præſertim cum vigore ſancti Spiritus, & viriditate adhuc nòn exhauſtæ carnis tantum vigeret, ut in laboribus & negotiis rerum nullius juvenis conſtantia eum ſequi, nedum adſequi valeret. Adeo perfectus erat in actione, omnia dulciter, ſe ipſum

Sibi durus,

tractans ſine dulcedine. Quis enim umquam ita dominus ſervi, ut iſte erat ſui? quis tam crudelis alterius, ut iſte arbiter ſuus? qui cùm à filiis ſuis obſecraretur aliquando paterna veneratione, cur ſibi ipſi tam indiſcretus eſſet, qui alios tractabat diſcretiſſimè, ſtatim coram eis ſpondebat correctionem, ſed paullo pòſt repetebat vigilias & eſuriem.

ſed liberali vultu.

37. Erat tamen decoris gratiâ venuſtus, diſcreta macie ſatis admodum colorus. Non obumbrabat faciem ejus aliquod exterminium, ſed aſſidua hilaritas ut edentem, ita & jejunantem componebat decorum. Canities eum candore niveo exornabat: & velut lilium ſuper roſeos amictus, coma capitis ſuper cutem puniceam relucebat. Qui ſi ex milibus electus fuiſſet, non candidior, non rubicundior eligi potuiſſet.

munificus in omnes,

38. Cetera ejus non eſt laudari modus. Perſona & nobilitate, & ſapientia, & honeſtate non diſcrepabat ab ipſa miniſterii arte. Siquidem

An. Chr. DCCCXXVI. Jan. II.

res Ecclesiæ quàm optimè disposuerit, testabitur Corbeia, quamdiu superit. Ibi erat portus pauperum, respectus divitum, domus materna orphanorum: & ejus exemplo adhuc superest cunctis petentibus refugium. Non dives indonatus, non pauper redibat inrogatus. Cælibes viros & viduas stipendiis destinabat accipiendis per singulas villas: qui ubique locis opportunis accipientes ab eo xenodochium, possidebant res Ecclesiæ communiter ut patrimonium. Thesaurus quippe in cælo sibi & suis parabatur, & domus Dei sapienter à sapiente administrabatur.

39. Ceterùm habitus vestimentorum ejus vix erat sufficiens pro frigore, tamen potiùs membra muniens, quàm aliquid honoris aut pretiositatis inferens. Prorsus non egebat aliqua corporis compositione, nihil enim sibi deerat pulcritudinis humanæ, nihil etiam interioris animæ. Adspectu erat incómparabilis, staturâ procerus, incessu virginalis: vox ejus cygnea dulcedine sui mulcebat auditum: & sermo quemque audientem sui faciebat memoriosum.

habitum vilem gerebat.

40. Ipse verò tantam memoriam filiorum habebat in visceribus paternis, ut non solùm mores inspiceret, sed etiam numerum & nomina eorum semper haberet descripta in manibus suis, quatenus non sibi excideret, pro quibus rationem redditurus esset Deo, & pro quantis. Ideo maximam gerens curam eorum, nullum ex eis in hebdomada relinquebat inallocutum, ne scilicet inimicus inveniens vacantes, zizania superseminaret cordibus eorum.

de suis quàm sollicitus.

41. Proinde quàm efficax fuerit in dispositionibus ordinationis suæ, qui nosse voluerit, in libro qui de his conscriptus est [a], legere poterit non sine grandi admiratione: ubi etiam perspiciet, quàm sapienter à sapiente disposita fuerit domus Corbeiensis ecclesiæ.

Monasterium rectè ordinat. [a]

42. Et quid laudandum in eo potiùs, cùm nec Moyse minor, nec Salomone fuerit inferior in ordinandis rebus, & omnibus scilicet quæ sibi voluisset suggerere Spiritus-sanctus? Qui si vulgari, id est Romanâ linguâ loqueretur, omnium aliarum putaretur inscius: nec mirùm, erat denique in omnibus liberaliter educatus. Si verò Theutonicâ, enitebat perfectiùs: si Latinâ, in nulla omnino absolutiùs. Testantur hoc quamplures ejus epistolæ, quæ directæ ad plurimos omnium habentur liberalissimæ. Nec enim litteras satis liberaliter non poterat nescire, qui inter alas scholares nutritus & eruditus fuit cum consobrino suo Carolo Imperatore: & posteaquàm sæculo renuntiavit, satis studiosè se habuit in monastica eruditione.

Linguarum usu præditus, *& litteratus.*

43. Sic igitur perfectus in utraque disciplina, sæculari videlicet & divina, omnibus omnia factus, sequester erat inter Reges & Principes, majores & minores, æquissimus in omnibus, Deo placens & hominibus. Consilium verò in eo vigebat totius patriæ: & licèt unicum ejus esset desiderium dissolvi & cum Christo esse, tamen precibus suorum evictus, Imperii pacem & honestatem disponebat circumquaque.

vigens consilio.

44. Quibus insistendo pervenit Saxoniam cum hoc etiam certæ rei negotio. Id autem negotii erat, quia ibi Religionem theoricam aliquando ponere decreverat: ad quam statuendam per quemdam puerum nomine THEODRADUM [b], à Saxonia Franciam à Rege deductum, & Monachum Corbeiæ factum, locum ædificandi à parentibus ejus adeptus fuerat. Quo in loco ecclesiam Monachorum usibus aptam ædificare nonnumquam disposuit: sed quia locum non satis aptum in-

Corbeiæ Saxonicæ initia & progressus. [b]

[a] Librum hunc statutorum Adalhardi appellant; de quo in Observationibus prævus.

[b] Hujus Theodradi non meminit Paschasius, nec inceptæ per Adalhardum ante exsilium conditionis Corbeiensis. Gerardus utrumque accepit ab Auctore anonymo, qui translationem S. Viti descripsit, infrà. Verùm quod hac de re scripsit Paschasius in libro 2 de vita Vvalæ Abbatis, præferendum est.

An. Chr. DCCCXXVI. Jan. II. tellexit, ctepera semper dilatione intermisit. Quam dilationem protelavit usque ad Caroli mortem, & post Carolum usque ad exsilii sui relegationem. Exsilii autem tempore, quæque sui juris fuere, qui priùs accepit, in sua redegit potestate.

45. Sed habebat ibi quemdam in Christo filium præ omnibus sibi Monachis familiarem, & univocè æquivocum. Hic ne subintraret aliquis alius, prædictum locum intercepit loco ejus. Et quia hoc eum priùs noverat voluisse, gratiâ amoris ejus ex Corbeïanis sumtibus cellam ibi cœpit ædificare. cœpit, nec perfecit, quousque Sanctus ab exsilio remeavit. Cumque remeasset, ordinabat si quid ex suis exordinatum fuisset.

46. Quo tenore Saxoniam modò pervenit, perveniens locum ex omni parte inspexit, inspectum omnino inutilem intellexit. Suspensus erat mente, quia cœptum religionis opus nolebat dimittere: & aptiorem non habens, hunc locum inhabilem videbat esse. Tandem ad Regem se contulit, & ut locum ædificabilem sibi donaret petivit. Nec momento hæsit ille, sed ejus religiosa gavisus voluntate, ubicumque inveniret, deliberavit sub ejus optione. Ivit, quæsivit, invenit, renuntiavit: & accepta hilariter ædificandi potestate, insuper multis donatus donis regia largitate, dimissâ cellâ Cœnobium cœpit ædificare.

47. Est autem locus super Wiseræ fluvium, maximæ amœnitatis & temperiei elementorum ita competens, ut constet creatus ab initio ad usus Monachorum. Dilatatur siquidem in vallis planitie, figuratus in modum Δ litteræ. Habet denique versus orientem alveum, secus quem montem in facie porrectum. porro à meridie mons alius ex alveo egreditur, qui versus occidentem dilatato sinu tenditur: à septemtrione autem alter pari situ è regione, quousque viam per medium dantes invicem se videantur copulare. atque ita vallis planissima in medio remanens, quasi alter paradisus jocunditate totius temperiei apparet florens, hoc modo quantum coincidatur trianguli figuram exprimens.

48. In hoc itaque loco construens ecclesiam cum officinis, exornat melioribus quos potest invenire Monachis: Monachos instruit moribus, locum facultatibus, & omnia omnibus, quæ præceperat sanctus BENEDICTUS. Vocat nomen loci Corbeiam, ut signo esset posteris, unde exsistendi sumserit materiam, & Corbeïæ Francorum sancit esse filiam. Et meritò, quia quidquid erat, ab illa cœpit ab ovo. Nec multum temporis fuit, quo facultate, tametsi non dignitate, matri se comparare potuit. Longè enim exhalante bono odore Monachorum, quos Pater sanctissimus ex sinu matris adducebat filiæ omnes electos, tanta abundavit erga ecclesiam Imperatoris & omnium Optimatum largitas, ut priùs deesset recipiendi quàm dandi voluntas: tanta erga Patrem sanctum & ejus filios fervebat veneratio, ut mallent Ecclesiam quàm natos suos heredes suorum adscribere.

[Saxonum liberalitas in novam Corbeiam.]

49. At ille videns sufficienter attributum, quantum scilicet suppetebat, ecclesiæ in prædiis, in auro & in ceteris rerum, ponit modum recipiendi, & quotidiana prædicatione à cordibus subjectorum eradicat vitium concupiscendi. Mortui, aiebat, debemus esse mundo, & vita nostra regnare cum Christo. Sed ecce multi, qui sæculo renunciasse videntur, nimiis rebus abundantes iterum sæculo deservire inveniuntur. Quod quàm sit absurdum, advertite nobiscum. Alioquin nihil nobis prodest, nos exspoliasse propriis rebus, dicente Apostolo: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.* Non est nostrum ditari, unde alii inopes fiant; neque nostrum lætari, unde alii doleant. Simus sufficientiâ contenti, quibus debet esse sufficiens etiam paupertas Christi: qui di-

[Adalhardus rebus ponit modum.]

[2. Tim. 2, 4.]

ves, pro nobis pauper voluit fieri. AN. CHR.

50. Hæc & alia prædicando sæpe migrabat de Corbeïa ad Corbeiam DCCC XXVI. congaudendo, audiens scilicet, quia bonus odor essent in Christo. Læ- JAN. II. tabatur tam digna plantatione, & delectabatur in earum jam radicata unitate. Erant enim inter se communes, & quia junior sub eodem patre jam sororiabat, dilectissimæ sorores. Felix Pater tali filiatione! feliciores filiæ tali paternitate! felicissimi filii, si permanserint in hac unitate! Ecce enim Pater migrat: deserit in mundo, non deserit in Christo, quos nutrierat. Adest tempus dissolvi & esse cum Christo, tempus moriendi in terris, & renascendi in cælo.

51. Imminebat itaque sollemnitas sollemnitatum, illa scilicet sollemnitas, qua per Incarnationis suæ mysterium in sole posuit Dominus tabernaculum suum. Redierat à Saxonia in Galliam, ut fundatâ filiâ in Christo adventum Domini celebraret apud matrem Corbeiam. Jamque alter Symeon senex paraverat venienti Domino occurrere, & Regem regum procedentem de thalamo suis ulnis lætus suscipere: cùm ecce triduo ante Natalem Domini tetigit eum validissima febris, orante eo & flente juxta consuetudinem suam in basilica, medio noctis. Qui ita totis vigiliis unà cum Fratribus perseverans psallebat cum eis, & psallendo flebat, usque ad lucem hostiam jubilationis in pectore Domino consecrans. Febri correptus,

52. Prosequente autem luce, jubet Fratres ad se convenire. Quibus coràm positis, singulos monens de singulis, indicat instare tempus suæ dissolutionis, & in commune petorat de pace & unitate secundùm Deum futuræ electionis. Et dicens Symbolum cum oratione, ceteris flentibus se commendans, retinuit illos cum quibus sibi erat agendum de rerum ordinatione. obitum suum imminere declarat.

53. Cumque diatim magis magisque languor crudesceret, ita providus omnia disponebat, ac si nihil mali ferret: præcipuè laborans, ne pro tædio suæ invaletudinis sancta sollemnitas minus honoris aut obsequii haberet. Cetera verò non minùs studebat ordinare, ne post se aliquid sub se imperfectum videretur remanere. Die igitur peracto qua potuit veneratione, quo summa divinitas humanitatem nostram dignata est suscipere, reliqui dies sibi profesti fuere, quia cœpit in eo mortifera febris avidiùs morbescere. Quotidie tamen ad oratorium beati Marni veniebat, cujus privilegio amotis præ ceteris eum ceteris memoriam recolebat, ibique Missas audiens sanctam communionem percipiebat. quid interim agat.

54. Interim audiens eum ægrotare HILDEMANNUS Episcopus Belvacensis, quem ille Monachum nutrierat, & eo sublimarat honore per concessum Regis; nulla detinetur instantis festi celebritate: sed mutatis gaudiis patrem suum visitat infirmitatis compassione. De cujus adventu tanta gavisus est Pater sanctus alacritate, ut nisi ultima esset, pæne oblivisceretur infirmitatem pro tanta consolatione. Reddidit Deo gratias, & illi, quòd non sit fraudatus à desiderio sui. Desiderabat enim eum videre, & inter manus ejus obire. Hildemanni adventu lætatur.

55. Et interrogatus si ab eo benedictionis oleo perungi vellet, erectis in cælum luminibus, omnimodis precabatur ut fieret. Vocatus Episcopus adest, & statim quod petebat factum est. Vix enim ex quo venit, abscistebat ejus obsequio: sed locato ante lectum sediculo, semper adsidebat coram eo. Quadam verò die cùm paullulum egressus cameram fuisset, & febricitans solus ille intro remansisset, Dei præsentiâ visitatus clamare cœpit, cùm Præsul redisset: Curre velociter, Episcope, præcipio tibi, & osculare pedes Domini mei JESU-CHRISTI, quoniam ecce adest mihi. Ad hæc ille valde contremuit: & ignorans quò iret, à quo & ungitur.

An. Chr. DCCCXXVI. Jan. II. hærens stetit: Sanctus quoque se sub silentio recepit.

ad suos verba facit. 56. Bis quarto autem Natalis, id est Circumcisionis die, alacriùs cœpit precibus Deo insistere, ut celebratis diebus tandem liceret eum hinc abire. Nec fuerunt preces sine voto. Peracto quippe mediæ noctis spatio, præscius futurorum, convocatos Fratres adorsus est hoc modo: » O filii, fructus meæ senectutis in Domino, explevi numerum, scitote » quoniam hodie hinc ibo. Datum est mihi ingredi vias carnis universæ, » & ante conspectum Redemtoris mei apparere. Finitus est cursus certa- » minis mei: nescio quid accepturus sum præmii: sed succurrite mihi, » quæso, ut ego de vobis, & vos de me possitis gaudere in Domino.

seniores de se consulit. Viatico percepto moritur. 57. His dictis dedit licentiam ut exirent, retentis nonnullis quos urgebat ut ocius matutinos prævenirent. Quibus finitis Viaticum accepit, & accepto, in laude Christi lingua ejus obmutuit. Sed non defuerunt sibi linguæ filiorum, scilicet quas erudierat in Dei laude. Quorum psalmis, orationibus & lacrymis ab hora prima commendatus Domino, circa horam nonam emisso spiritu perculit suos tristi deliquio.

58. Subsequitur vox animam Christo commendantium, & singultus voces interrumpentium. Quis enim non fleret, etiamsi de lapide natus esset? Plurimæ res intercedunt, quæ lacrymas elicere possunt. Stant filii orphani, & Corbeia mater eorum vidua: quorum dolor & luctus penetrat etiam cæli palatia. Stant oves sine pastore: crescit dolor mutus sine voce. Ipse enim erat, bone Jesu, quem in toto ex omnibus solum Abbatem reperi [a]: ipse ab universis, quem alterius plusquam sua quærentem inveni. Qui sicut mater amat unicum filium, ita quosque tenerrimè diligebat, atque ut solidiora caperent invitabat.

[a] Hæc verba à Paschasio prolata usurpat Gerardus hoc loco. Ex quo intelligas, magno delectu in his dijudicandis opus esse, ne interpolatorem pro auctore primario temere usurpes.

LIBER PRIMUS MIRACULORUM,

Ab ipso S. Gerardo Abbate scriptus.

PRÆFATIO AUCTORIS.

Corbeiæ laudes.



1 CORBEIÆ locus quantæ fuerit apud priores nobilitatis, quicumque taceat, lapides clamant non solùm ad aures, sed etiam ad oculos posteritatis. Tres enim in ea principales habentur ecclesiæ [a], in quibus corda Fidelium sanctæ Trinitatis confessio bene possit unire. Prima Petrum præfert piscatorem, secunda piscatis Evangelistam Johannem, tertia evangelizatis Stephanum protomartyrem. Pulcher ordo ordinatus utique à Deo. Non enim dixerim conditricem horum BALTILDEM Reginam, sed ejus, ut omnium bonorum, inspiratricem Spiritus-sancti gratiam.

ecclesiæ tres

situs & amœnitas. 2. Proinde situs est salubris & valde decens, totius utilitatis amœnitate florens, usibus Monachorum, utpote ad hoc quæsitus & inventus, omnino conveniens. Ex uno latere Somma fluvius præterfluit, ex altero concurrens Corbeia fluviolus vocabulum loco tribuit: sed ilico cadens in Sommam, ubi dat, ibi perdit. Sicque pratis, aquis & campis longè lateque patentibus, similis & dissimilis habetur Saxonum Cor-

[a] Perstant hactenus tres illæ ecclesiæ, quarum prima Monachorum est; secunda parœcialis, & Canonicorum, quos Caritabiles vocant; tertia itidem parœcialis: omnes circa Monasterii muros.

beiæ, illius cujus cum istâ Rector & fundator exstitit sanctus Adalardus. AN. CHR. DCCC XXVI. JAN. II.

3. Cujus expeditis superiùs gestis & moribus vitæ, sequitur nobilis materies ejusdem mortis pretiosæ. Siquidem sepultus apud ecclesiam Petri principatu principalem, medio jacuit loco, ante gradum cancelli inferiorem. Signo est epitaphii lingua, sed non sepulturæ fit similitudo alia. Ibi diu sedit cinis in cinerem, carnis exspectans cum electis resurrectionem: donec illa generatio generationem pæne integram generaret, & omnes lateret præter litteratos, ubi tam felix thesaurus requiesceret. Latuit diutius sepultura, ut reliquum terræ calcatur ab omnibus: nemo transeuntium, nemo orantium est adversus. Tandem discretor meritorum volens notificando magnificare sepulturam, per sepulti meritum tale fecit servum suum glorificandi initium.

CAPUT I. *Mira sepulturæ ejus manifestatio, per eum qui pedibus hæsit pavimento.*

4. SUFFRAGIA Sanctorum, quibus tantæ ecclesiæ florent, quidam oraturus venit: & quia sic ordo exigebat, in primis Principem Apostolorum requisivit. quæsivit Petrum, & invenit sanctum Adalardum: invenit latentem, sed larendo regnantem. Inscius enim se prosternens super tumulum Confessoris, aures supernorum sibi conciliabat, quibus poterat precibus & votis. Oravit, & est auditus: surrexit, nescio si exauditus. Cumque signato vultu discedere voluisset, pedibus hæsit pavimento, ac si clavis confixus fuisset. Stupuit miser, stupendo cœpit clamare miserabiliter: & quia pedes non poterat, vultum circumferre lacrymabiliter. Novitas rei plures cogit ad tumulum; Monachos in primis stupentes, mirantes; sed gaudentes novitate signorum; hominem videlicet non se posse movere, & tamen stare sanum. Interrogabat illos si quis ibi requiesceret, & interrogatur ab illis si quâ criminis conscientiâ torqueretur. Scio, ait, Domini, quia peccator sum homo, sed succurrite mihi quæso hinc precibus, hinc consilio. Fit utrumque actutum; oratur ab his: ille rem doctus vovet votum Sancto, scilicet Adalardo, fabricandi tumulum. Sicque à semetipso ligatus, à quo tenebatur, sine mora est solutus. Oritur utrisque lætitia, illi discedendi licentia, Monachis patroni sui magnificentia. Nec defuit Sancto ligandi solvendique præmium. Rediens enim ille decentem fabricavit tumulum, statuens insuper omnibus diebus vitæ suæ solvendi censûs diem anniversarium.

II. *De muliere contracta, & per Sancti meritum à Deo curata.*

5. HÆc igitur ligatio multorum posthac fuit solutio. Ex hac enim famosa occasione locus multa cœpit frequentari veneratione. Conveniunt sani & debiles; illi animæ, isti salutem corporis quæritantes. Inter quos contracta quædam semper adjacens sepulturæ, vim viro Dei quodammodo videbatur facere. Non nox, excepto primo conticinio, eam excludebat; non dies, nisi quando corpus alimentis recreabat. Vocabatur autem Ulfiardis: & ideo semper ita præstò, quia incola erat Corbeiensis; adeo contracta, ut magis incederet portantium pedibus, quàm suis. Quòd si deessent portitores, non bipedem gradientem, sed quadrupedem scabellulis repentem putares. Deerat cetera spes salutem recuperandi, excepta post Deum miseratione sancti Adalardi. Quadam igitur nocte, sicut solebat veniens ad tumulum, terram capite, sed precibus petebat cælum. Sedebat post orationem, quia stare

An. Chr. DCCCXXVI. Jan. II.

non poterat: candelam tenendo, lacrymis & miseriâ sui psallentium visus Monachorum in se convertebat. Multiplicabat orationem, quia non aliûs, sed suam quærebat salutem. Tandem adfuit divina miseratio, quia interfuit amici sui intercessio. Auditus nervorum crepitus, nervis ad nervos, juncturis ad juncturas resilientibus. Sentiens mulier salutem per sancti Adalardi intercessionem, vocavit ad se bajulam suam retro eam residentem. Adit illa vocantem, & dicto citiùs invenit sanam & erectam stantem. Mirantur qui aderant, eadem petentes, jamjamque salutis suæ redduntur certiores. Monachis quoque tanta accessit exsultatio, ut pro laude servi, Domini laudum fieri videretur eis interruptio. Sed intererat matutinis Abbas INGELRANNUS [a], qui eo tempore cæteris philosophabatur altiùs, quémque hujus signi testem non sors miserat, sed cujus gregis pastor erat sanctus Richarius. Ante quem accedens Corbeiæ Abbas HERIBERTUS, innuit manu, silentium quippe sibi indixerat sanctus Benedictus, si interruptis matutinis hymnum cantaret, *Te Deum laudamus*. Abnuit ille, matutinos innuit finiri debere: sicque rem laudibus omnes celebrare. Factum est, mulier laudantibus interest, ipsaque suæ salutis lingua scientibus & nescientibus facta est. Omnibus quoque nota Corbeianis contracta, integram dat fidem miraculo sana.

III. *De manuum mulieris curatione, meritis sancti Confessoris & intercessione.*

6. MULIER quoque erat in ipso Cœnobio Corbeiæ, quæ cùm varia corporis laboraret infirmitate, ita digiti hæserant palmæ radicibus, ut omnino destituta esset officio utriusque manus. Cujus contractionis spem ex integro ponens in Sanctum Dei, cujus clementia multos infirmorum sæpe videbat ab ipso mortis periculo revocari; quotidie veniebat ad tumulum, & inter reliquos infirmos, Dei & sancti Adalardi implorabat auxilium. Cumque multos multoties videret sanos recedere, quibus ipsa prior & intentior satagebat accedere; nullam inde incurrit desperationem, sed magis animabatur ad petitionem. Imputabat enim peccatis suis, quòd minus efficax esset suæ petitionis. Petivit ergo & accepit; quæsivit & invenit; pulsavit & intravit. Et quia non destitit, ut Cananæa, salva facta est in fide sua. Cùm enim diutius misericordiam Sancti implorasset, & quotidie adjacens ejus tumulo implorationis effectum exspectaret, tamdem primâ Dominicâ Passionis dominicæ, quod diu quæsierat, feliciter meruit invenire. Stans quippe intenta mente ante tumulum, ubi sanctum corpus erat tumulatum, inter preces & lacrymas cœpit extendere nodos digitorum. Redditur libertati utriusque manus vola, jam quæque involare, & revolare potest utraque palma. Redeunt ad officium manus: testificatur sospitati, quod infirmitate laborabat corpus. Sicque glorificatio Sancti, *Te Deum laudamus* canendo refertur ad laudem Dei, & ut omnia referantur sub testimonio, testis est idoneus tunc quidem puer, sed postmodum Abbas FULCO, qui onus & honorem Corbeiæ sortitus est RICHARDO Abbate humanis exemto.

a Monasterio Centulensi præfuit Ingelramnus post Ingelardum, qui ex Corbeiensi asceterio adsumtus, Centulæ monasticam disciplinam restituerat anno circa DCCCCLXXX. cui successit Ingelramnus initio sæculi XI, mortuus anno MXLV.

IV.

IV. *De elevatione Sancti, & succensione templi, & periculo regni.*

7. SEo de his hactenus: modò dicendum, qualiter sit celebrata elevatio ejus. Ea tempestate plura incommoda Corbeiæ, sed regno Francorum plurima contigit irruisse. Corbeiæ enim principale templum sancti Petri, diaboli invidiâ igne succenditur: omnis pæne Gallia famis periculo addicitur. Fungebatur vice sua in regno Francorum Rex Rotbertus, Corbeiæ verò vice Christi Abbas Richardus: uterque feliciter; nisi cum isto ignis, cum illo fames septem annis regnasset atrociter. Tot quippe populos neci dimittebat esuries, ut non pollice, sed ense viderentur rumpere fila sorores. Hæc autem lues morientium, cùm ceteras nimis, maximè partes vexabat Ambianensium.

8. Qua compulsi necessitate, statuunt sibi remedium citiùs providere; Deum scilicet, quem multimodis malis offenderant, aliquibus bonis placare. Visum est siquidem hanc ultionem ideo sibi superponi cælitus, quia pacem numquam servaverant, quam onicè diligit & diligi jubet Dominus. Talis quippe consuetudo naturaliter innata est regno Gallorum, ut præter ceteras nationes semper velint exercere rabiem bellorum. Sed quid modò? non necesse est velle mori in bello, quia catervatim moriuntur famis & pestis gladio. Non potest mundus ferre iram Judicis: initur consilium cum Ninivitis. Unà conveniunt pax & justitia: jamjam placet redire Saturnia regna. Superest desperatis unum ex omnibus consilium, ad placandam scilicet iram superni Judicis requirere suffragia Sanctorum. Requiruntur reliquiæ: ad reliquias ut quæque loca sibi adjacent conferuntur, ibique pacis invlolabile pactum confirmatur. Ita Ambianenses & Corbeienses cum suis patronis conveniunt, integram pacem, id est totius hebdomadæ decernunt, & ut per singulos annos ad id confirmandum Ambianis in die festivitatis sancti Firmini redeant, unanimiter Deo repromittunt. Ligant se hujus promissionis voto, votumque religant sacramento. Fuit autem hæc repromissio, ut si qui disceptarent inter se aliquo discidio, non se vindicarent prædâ aut incendio, donec statuta die ante ecclesiam coram Pontifice & Comite fieret pacificalis declamatio.

9. Quàm gratum verò hoc consilium foret Domino dominorum, luce clariùs demonstravit conventus qui ibi erat Sanctorum. Ea quippe die probavit Corbeia, quanti essent apud Deum meriti patronorum suorum suffragia. Quorum in parte semotis reliquiis, ubi videlicet placuit Abbati & Monachis, quotquot illoc debiles oratum venerunt, sani & incolumes absque mora effecti sunt. Sicque composita pace redierunt ad sua quique. Exinde hujuscemodi fama ita longè lateque cœpit vulgari, ut Corbeia meritò duceretur altera Roma appellari. Præsentes denique & absentes, vincti & carcerales, invocato nomine Corbeiensium Sanctorum, sine mora sentiebant sancti Petri principatum.

10. Cùm ergo fama tanti boni de die in diem clareret lucidiùs; placuit auctori horum locum magnificare nobiliùs, beati videlicet Adalardi merita demonstrando, cujus corpus sepulcrali adhuc tegebatur tumolo. Tegebatur autem in templo, quod erat igne combustum: Fratres verò ad vicinam Sancti Johannis Evangelistæ transierant ecclesiam cum reliquiis Sanctorum. ubi qualiter & quibus se revelavit, ad sepulcrum quoque post elevationem ejus quàm gloriosè Deus eum magnificavit, dicendum quidem est: sed de his priùs, de illis autem posteriùs.

An. Chr. dcccxxvi. Jan. ii.

V. *Quibus signis animatus sit Abbas* RICHARDUS, *ut levaret sanctum corpus.*

11. QUIDAM Presbyter, nomine Himoldus, secundùm suum propositum satis bonâ famâ potitus, commorabatur in prædicto Monasterio sancti Johannis Evangelistæ, quia æditus habebatur ejusdem ecclesiæ. Cui nocte quadam in horamate * se idem Confessor offerens, secumque eum per combusti templi diversoria ducens, multa mira & stupenda illi insinuavit, quæ ille insomnis redditus multis narrare dignum duxit. Vidit enim inter cetera quasi hominem quemdam nebulosum, deformis staturæ nigrum, squalidum, pannis & annis obsitum, qui maxillam inclinans super manum totus erat, ut ita dicam, non dolentis, sed doloris signum. Super quo Presbyter somniando in multis requirens sanctum ductorem; Quis est iste, inquit, domine, qui tantum deducit dolorem? Hic est, inquit sanctus Adalardus; dæmon ille, cujus sola voluntas est cuncta ad perniciem trahere, quique hoc sacrarium ignis pessumdedit edacitati. Quia verò præter spem nunc cernit sibi evenire, optimos videlicet Cœnobitas ad restaurandam elegantiùs, quàm priùs foret, domum Dei omnino satagere; ideo quanto vides dolore se afficit, & super hoc dolet quod vos lætos efficit. Ad hæc Presbyter stupefactus & stupendo expergefactus, non est effectus surdus auditor, sed visionis suæ veridicus prædicator.

* id est in visione

12. Sicque istis, & anteriùs dictis, & multis sæpe patentibus signis visum est Abbati RICHARDO felicis memoriæ, quod Deus volebat & volendo monstrabat, negligentiâ suâ non differre. Unde missis legatis accipere benedictionem à JOHANNE Papa, qui tunc temporis Vicarius [a] sancti Petri habebatur Romæ pontificali hierarchia; non solùm est permissus, sed etiam apostolica jussione jussus, quod libenter fecisset & injussus. Et quia aberat Episcopus Ambianensis FULCO, quem ex Fratrum consilio Abbas huic præviderat interesse mysterio; accersitur DROCO Teruanensis, totius bonæ famæ testimonio prædicabilis Cum quo postquàm ministri dupliciter, cordis scilicet & corporis, habitudine appa-

[a] Corrigit hanc vocem Bollandus, quasi erraverit Gerardus summum Pontificem appellando *Vicarium sancti Petri*, cùm Christi Vicarius, & successor sancti Petri dicendus esset. Verùm non solùm Gerardus, sed alii etiam Auctores eodem vocabulo usi sunt usque ad sæculum tertium-decimum, quo Papa *Christi Vicarius* peculiari appellatione dictus est. nam antea id nomen aliis Episcopis commune erat. Longum esset, varios hic referre Auctores. tantùm aliquos noto. Papam Vicarium beati Petri appellant Alcuinus in epistolis 6. & 72, Eginhardus ad annum 799, Vita Ludovici Pii ad annum 816, Lupus Abbas Ferrariensis in epistola 84, Anastasius vulgatus in Stephano Papa II & in aliis, Concilium Ticinense pro Caroli Calvi imperatoria dignitate, Aimoinus in historiæ Francorum lib. 4 cap. 3, Leo Marsicanus in Chronici Casinensis lib. 1 capp. 12 & 15, Anselmus Beccensis in epistola de fermentato & azymo, & alii. Immo etiam Pontifices Romani non aliud fere sibi vocabulum sumebant. ut Nicolaus Papa I in epistola 30 ad Carolum Calvum ante medium, & in fine epistolæ ad Rolandum Arelatensem Archiepiscopum; Hadrianus II in epistola ad Patres Synodi Duziacensis, & in litteris ad Carolum Regem ejusque conjugem. Hadrianus I vocabulum istud explicat in epistola 89 codicis Carolini, cùm ait se *vicem beati Petri* adeptum esse. Et quidem per ea tempora id peculiare nomen erat Pontificibus Romanis. Episcopi enim Vicarii Christi passim dicebantur, immo Reges etiam & Abbates. Apud Hincmarum in epistola ad Carolum præfixa libro de prædestinatione, Episcopi *Christi Dei nostri Vicarii*, & in Admonitionibus ad Ludovicum Germaniæ Regem cap. 7 appellantur. Guntarius verò Coloniensis Antistes in epistola ad Hincmarum: *Ad nos confugi*, inquit, *qui Dei estis Vicarius*. Idem elogium sæculo XII Guibertus Abbas Gemblacensis tribuit Philippo Coloniensi Episcopo non semel in epistolis mss. in quarum una hæc legitur inscriptio: *Excolendo Patri, Vicario Christi & Officiali cælestis aulæ Clavigero, Philippo*, &c. & sanctus Bernardus in sermone 1 de Adscensione Prælatos quosque Christi Vicarios appellat. Hinc cui igitur, quam immeritò Gervasius Tilberiensis Pontifici Romano indignetur, quòd *Vicarius Christi & successor Apostolorum nominatur*. cùm nomen istud quondam aliis Episcopis commune, citra arrogantiam ei reservari potuerit, uti & Papæ vocabulum aptatum est. Ab eo tempore summi Pontifices *Vicarii Christi*; Episcopi aliquando *Vicarii sancti Petri* dicti sunt, ut patet in Petri Blesensis epistola 148, & in Petri Cellensis lib 8 epistola 7. At hoc quidem vocabulum Episcopis tributum est, non tam communis appellationis causâ, quàm honoris.

rantur, sanctum corpus VI Idus Octobris de sepulcro levatur, & manibus Præsulis seu Abbatis exspectantibus populis adorandum præbetur. Claudi, surdi, muti, manci & cæci confestim sanantur. Densatur cuneus accedentium: non est numerus oblationis Fidelium, utpote ubi priùs deest locus, & tempus, quàm intentio offerentium. Exinde ergo titulus Confessoris cum ceteris Corbeïæ Patronis inscribitur, cum quibus usque ad præsentem diem Corbeïam tuetur & semper tuebitur. Celebrata est autem hæc Sancti corporis elevatio anno ab Incarnatione Domini millesimo quadragesimo [a], Indictione VIII, Romanis CONRADO, Francis imperante ROTBERTO. AN. CHR. DCCCXXVI. JAN. 11. anno 1c a

VI. *De muto & surdo ante sancti Confessoris sepulcrum sanato.*

13. NEc prætereundum oblitteratione, qualiter cum Deus dignatus est post hæc glorificare, sicut didici ab eo ipso qui ea gavisus est glorificatione. Vigilia erat celebritatis illius, qua per passionem Crucis cælos ascendit Claviger æthereus. Omnis via in circuitu videbatur venire Corbeïam, (tanti fecerat Petrus Corbeïæ suæ gloriam) aliqui oratum, aliqui mercatum, aliqui relevatum, quia combusta erat illa, quam super talem petram Christus fundavit ecclesiam. Inter quos adductus est quidam puer, Rogerus nomine, cujus loquendi & audiendi usum reservaverat natura sancti Adalardi clementiæ. Lustratis parentes ceteris orationibus Sanctorum, horâ primâ die festivitatis venêre ad tumulum, quem cinere suo sanctus Adalardus fecerat gloriosum. Erat autem tumulus in templo ignis deserto combustione; corpus verò cum ceteris honorabiliter locatum in ecclesia sancti Johannis Evangelistæ. Orant genitores pro se & pro filio, sanctum Petrum sæpe, sæpius sanctum Adalardum invocando: adfuit uterque, immo Deus propter utrumque. Puer enim recuperata salute cœpit eos qui aderant alloqui & audire. O supernam dignationem! Et ne aliquis condonaret ceteris, quod Deus singulariter donaverat sancto Adalardo, facta est hæc non ante corpus, sed ante tumulum miseratio. Nuntiantur hæc Abbati & Monachis: augetur lætitia festivitatis, festina processio orditur, sanctus Adalardus sequente populo circumfertur, venitur ad tumulum, ibi cantant, *Te Deum laudamus* hymnus oratur, de re gesta paullulum peroratur, sicque abitur.

VII. *De surdo & muto, manibus & pedibus & toto corpore contracto, & super tumulum sanato.*

14. ALTER quidam erat in Normannia, nomine Gislebertus, non solùm naturâ corporis, sed etiam humana effigie pæne destitutus. Erat enim contractus toto corpore, curvus, retrorsum reflexa facie, surdus etiam & mutus, reservatis tantummodo oculis, quibus miseriam suam posset videre. Delatus est à suis Corbeïam, ibi diu stetit Fratrum cum reliquis suscipiendo eleemosynam. Tandem post multum temporis à sancto Adalardo monitus est in somnis, ut statim quando surgeret, ad sepulcrum suum oratum iret. Evigilans ergo ire volebat: sed licèt à Sancto jam visitatus, minimè ire valebat. Et quia sæpe videndo instructus erat signis Monachorum, innuit ut se juvarent his qui erant secum. At illi compatientes ejus miseriæ, ferebant eum ubi Sanctus jacebat cum reliquis, versus ecclesiam sancti Johannis Evangelistæ. Ille autem nutu eos aver-

[a] Immo potiùs anno millesimo vigesimo quinto, in quem conveniunt omnes chronologicæ notæ, non in annum in textu expressum, quo Johannes Papa XX, Conradus & Rotbertus obsetant. Festum hujus elevationis sollemniter quotannis Corbeiæ celebratur die decima Octobris.

An. Chr. DCCXLV. Jan. II. tit, & versus sepulcrum ire convertit, ut nulli dubium esset, à quo vitiatus fuerit. Tulerunt ilico & deposuerunt coram tumulo. Ibi paullisper jacuit, oravit & exoravit: virtutem sensit, surrexit, gratias reddidit, sanus recessit.

VIII. *De Ambianensium indignatione, & muti & surdi curatione.*

15. ADOLEVERAT etiam inter Ambianenses & Corbeïenses nova quædam religio, & ex religione pullulaverat consuetudo, quæ etiam reciprocabatur omni anno. Octavis denique Rogationum ab utrisque partibus conveniebatur in unum: ibique conferebantur corpora Sanctorum. Solvebantur lites, ad pacem revocabantur discordes, mutabantur à populo orandi vices. Decreta utriusque loci renovabantur, populo perorabatur, sicque redibatur. Sed procedente tempore, cœpit aliquando res ipsa usu vilescere, & inreverentia fieri ex multa veneratione. Uterque siquidem sexus cachinnis & lusibus intendere, ordiri choreas, & inreverenter agere: & sic pæne omnes corpora Sanctorum negligere. Displicuit res illa bonis, & maximè Monachis.

16 Præerat Abbas RICHARDUS Corbeïæ, Abbas utique beatæ memoriæ: qui cùm talia fieri cerneret pluribus annis, aliquando cùm processuri essent, Fratribus convocatis; Timeo, inquit, Sanctos qui solent ferri offendere. videtis enim singulis annis quantum fiat eis inreverentiæ. Sed si vobis videtur, in cubilibus suis requiescere sinantur. Non ita oportet, inquiunt Fratres, quia venturi eum suis, si nos aliter occurretimus, superbiæ deputabunt Ambianenses. Fiat, inquit Abbas, sicut vobis videtur: sed si vultis, sanctum Adalardum deferte, quia nullus aliorum circumferetur. Fit ratum quod jusserat, nemo quippe contradicere poterat, immo Deus ita disposuerat: sicque sanctus Adalardus, quasi indignior ceteris, excipit injuriam, quam pro ceteris jussus erat. Exitur ad processionem: venitur ad statutam indictionem[a]. Occurrunt Ambianenses eum sancto Firmino, Corbeïenses cum sancto Adalardo: utque simul perveniunt, antiphonas ex more imponunt. subsistunt ex utraque parte, & orant debita religione: sed ex brevi ignorantia, grandis aliquando adquiritur gratia. fuerunt enim aliqui ferentes indignè, quasi Monachi ceteras Sanctorum reliquias, sancti Petri scilicet & sancti Gentiani, dedignati fuissent illuc deferre. Revera tamen non erat omissum alio ex consilio, nisi (ut præscriptum est) pro inreverentia quæ fiebat eis à populo. Sed multi multa loquuntur, dum qualiter se res habeat à multis nescitur. Monachi itaque sancto Adalardo comminus decenter locato, eâ quâ debent diligentiâ adsistunt Patrono suo. Populus Corbeïensis ex more agit, Sanctum Firminum muneribus donat, oratione petit. Sanctus Adalardus positus è regione non ea frequentabatur qua dignus erat veneratione. Nemo apud eum orabat, nemo aliquid ab eo petebat: & tamen nondum petitus jam dare disponebat.

17. Non tulit itaque Dominus dejectionem servi sui, sed per cujusdam relevationem statim ostendit præsentibus, quanti essent apud se meriti. Exaltavit electum suum, & magnificavit præ omnibus, qui delati fuerant ante eum. Quidam enim Retbertus *, sicut monitus erat in somnis, veniens eum Ambianensium populo, ministet scilicet cujusdam Roculfi ex castro Alimaco, videntibus cunctis juxta feretrum cœpit orare, & eo attentiùs, quia privatus erat omnino auditu & voce. Suffundebatur lacrymarum imbre, exprimebat gemitu & capitis nutu quod nequibat voce,

* f. Rotbertus

a Locus hactenus vocatus Indictum, *Lendit*, medio itinere inter Ambianorum urbem & Corbeiam.

quasi Sanctum sibi colloquentem videret, ita appetens loquaci corde. Intendebant omnes in eum, ipse autem in neminem: sed stabat percutiens pectus, & exosculans feretrum. Tandem respexit eum divina clementia, ut per eum ostentaret sancti Confessoris sui merita. Cumque paullisper in se sensisset virtutem Dei, diu multumque oscitans cœpit in vocem inniti. Movebat multos ad pietatem, plures etiam usque ad lacrymarum effusionem. Totis autem viribus in vocem enitens, iterum per nares, per os, & per aures expectoravit sanguinis fluvium, qui totum guttatim respersit feretrum. Et sic emissa voce, erupit in hoc quod priùs volebat, & non poterat proferre: Deus adjuva me, inquiens, & tu sancte Adalarde. Hæc fuit prima vox recuperata salute: statimque omnes currere, & ipse cœpit vix subsistens quasi ebrius talipedare. Sed recipitur & leniter fessum componitur: interrogatur; virturem in se factam exponendo confitetur. Lætatur uterque populus, & referunt laudes uterque ordo & sexus. Nulla insidet dubitatio, ubi tam manifesta facta est curatio. Erat sanè maxima materies credendi, persona videlicet ipsis cum quibus venerat Ambianensibus nota, quæ receperat usum loquendi & audiendi. Ipse quoque Roculfus, cujus erat minister, testimonium perhibebat fideliter. Deus etiam qui fecerat miraculum, reliquerat evidens credendi signum: & sanguis qui resperserat feretrum, ab omnium cordibus extergebat infidelitatis venenum. AN. CHR. DCCCXXVI. JAN. II.

18. Ipsis etiam Ambianensium Clericis quàm certa res fuerit hinc perpenditur, quòd ab uno eorum in eminentiorem locum statim adscenditur, & de ipsa re & de ceteris aliquantisper ad populum peroratur. Insonant voces dignæ laudis, crescitque tumultus tantæ exsultationis. Fit inaccessibilis circa corpus frequentia, funduntur preces, offeruntur munera, imponitur laus *Te Deum laudamus*, personat in eo uterque ordo & sexus: sicque Sanctos ab injuria vindicat sanctus Adalardus, quam pro eis accipere fuerat missus.

Rebus itaque compositis solvitur conventus, & ordirur monachica processio, refertur ad propriam sedem: sequente etiam Ambianensium populo. Respondent campi in ejus laude: occurritur ei à vicinis digna veneratione. Quidam verò ex Monachis præeuntes ad ecclesiam, albis & cappis induti cum reliquis Sanctorum pignoribus exierunt ei obviàm. Cumque simul ecclesiam hymnizantes repetissent, & corpus sancti Adalardi super altare posuissent, iterum ille qui sanatus fuerat ante corpus in pavimento se prosternens, gratias referebat, sanguinem rursus per aures, per os, & per nares emittens. Resonat tota ecclesia vocibus gavisoriis: nemo in ea cessat à laudibus & hymnis. Nec immeritò; tali enim honore dignus est, qui honorari dignatur à Deo.

LIBER SECUNDUS MIRACULORUM

Scriptus ab Auctore anonymo sæculi XII.

PROLOGUS AUCTORIS.

1. VIRTUTES & miracula, quibus in præsenti Sanctos suos illustrare dignatur operationis divinæ potentia, quoties apparent, dignum est posteris transmittere litterarum notitiâ: ut corda ipsorum ad laudandam Dei virtutem excitentur, & ad exhibendum honorem reliquiis Sanctorum magis accendantur. Unde virtutes aliquas breviter annotamus, quas nostris temporibus Patronus noster, Auctoris fides.

An. Chr. DCCCXXVI. Jan. 2 sanctus scilicet operatus est Adalardus, immo per ipsum operata est divina virtus. Quas quidem oculis nostris non perspeximus, sed fidelium virorum qui viderunt & præsentes interfuerunt relatione didicimus. quorum relationi plena fides est exhibenda; quippe quos commendat sanctitas morum, & ætatis reverenda. Non enim eis salutis commodum, nec Sancto gloriæ cresceret augmentum, si modò aliquibus adstrueretur mendaciis, quem constat multis antea glorificatum miraculis. Sicut autem ab eis accepimus, ita & prosequendo referimus.

CAPUT I. *Causa cur sanctus Adalardus asportatus sit in Flandriam.*

2. HENRICUS igitur Rex Francorum, qui patri suo ROTBERTO successerat in Regnum, sororem nomine ADELAM habuit, quam Flandrensium Marchioni, BALDUINO scilicet seniori, nuptiali copula conjunxit, & ei Corbeiam quæ Regno suo adjacebat, pro dotali munere cum aliis pluribus concessit. Pro hac autem conjunctione Rex & Comes fœdus inter se inierunt, & magna inter eos viguit amicitia, quoad vixerunt. Sed quia, sicut à quodam philosopho dicitur, amicitia sæpe exheredatur; postquam uterque, Rex scilicet & Comes, mortali concessit naturæ, inter filios eorum PHILIPPUM scilicet Regem, & ROTBERTUM Comitem fœdus ruptum est amicitiæ. Philippus autem Rex reputans sibi detrimento esse, quòd Regnum suum quasi diminutum esset privatione Corbeiæ, quam pater ejus, sicut suprà diximus, in matrimonio dederat sorori suæ; ipsam Corbeiam cum regali pompa intravit, & sibi sicut Regi fidelem securitatem opidanos jurare coëgit.

3. Quod postquam Comiti Rotberto compertum fuit, injuriam sibi factam molestè tulit: quam quia sicut ita exigebat, ad præsens in Regem vindicare non potuit, in Corbeiensem ecclesiam non tale quid meritam retorsit. Nam ejus villas & prædia per terram suam latè diffusa statim invasit, & Fratribus inibi Christo militantibus quæ vestimentorum eorum usibus deputata erant, denegavit. Unde FULCO Abbas, qui tunc temporis ecclesiæ Corbeiensi præerat, & Fratres non modicè turbati, querimoniam lacrymabilem coram Regis præsentia fuderunt, & super hoc ejus consilium & auxilium imploraverunt. Sed cùm aut impossibilitate aut incuriâ Regis nulla eis fieret recuperatio perditorum, magnumque damnum perpessi fuissent, suis carendo redditibus fere per biennium; quid facto opus esset cogitantes, super his animo fluctuare cœperunt. Tandem in Domino tamquam in portu jactantes cogitatum suum, anchoram suæ salutis in ipso fixerunt. Nam fuit eorum commune consilium ad divinum confugere auxilium, sanctumque Comiti præsentare Adalardum, ut Comes ejus præsentiâ flexus, ei & sancto Petro suum restitueret allodium.

II. *De asportatione Sancti in Flandriam, & quòd in adventu ejus aperta sunt fores ecclesiæ.*

4. IGITUR sanioris consilii Fratribus qui Sancto comitarentur electis, & omnibus quæ itineri necessaria essent paratis, cum magno honore, ut decebat, iter arripientes pervenerunt in Flandriam, de Dei misericordia & Sancti merito non desperantes. Fama autem præeunte Comes sibi Sanctum à Fratribus præsentandum audierat, & ne illis alicujus ecclesiæ pateret introitus interdixerat, existimans taliter nullum ad se ab illis posse fieri accessum. Sed secus ac ratus res habita est. Nam tendentibus illis ad villam quæ dicitur Curba, ubi sancti Petri jure hereditario

habetur ecclesia; Presbyter secundùm Comitis præceptum obseratis ecclesiæ foribus, secessum occultum, ne posset inveniri, petierat cum clavibus. Tandem ad ecclesiam pervenitur, claves requiruntur, Presbyter circumquaque quæritur, sed quærentibus facultas inveniendi denegatur. Mirum dictu, fidelem quærens auditorem: dum aliqua mora fieret quærendo templi Sacerdotem; ilico sponte sua confractis seris, dissilientibus repagulis, patuerunt fores ecclesiæ; & Sancto cunctisque cum comitantibus se pervias præbuere. Non magica, non ars ibi operata est mechanica: sed ad ostendendum sancti Adalardi meritum, virtus apparuit cælestis in apertione valvarum. Ecce alter in hoc facto Petrus; sanctoque Petro, cui commissæ sunt claves regni cælorum, in tali miraculo comparandus. Sancto etenim Petro de carcere per Angelum liberato porta ultro patuit ferrea: isti similiter de carcere, id est de carnis ergastulo per Angelum consilii jam educto, cesserunt ultro dura portarum robora. O stupenda dignatio! gratiam meruit à Domino, quæ cælesti concessa fuerat Clavigero. Jure etiam in aliena terra patuit illi sancti Petri ecclesia, qui apud Corbeiam hospitium fortitus sancti Petri ecclesiam, quasi pro contubernali fœdere, ad requirenda ejus bona fungebatur legatione. Taliter in ecclesia priùs inaccessa Sanctus defertur, populus utriusque sexus qui convenerat prosequitur; laudes cum vocis cordisque exsultatione à Monachis & Clericis divinæ majestati referuntur, populis applaudentibus, & gratias Domino referentibus. AN. CHR. DCCCXXVI. JAN. II.

III. *De eo quòd Comes reddidit ei omnia quæ abstulerat.*

5. SEQUENTI dic inde asportatur, & ad quærendum Comitem acceleratur iter. Ubicumque autem Sancti audiebatur adventus, à longè pro jam divulgato miraculo immensæ multitudinis populorum ei fiebat occursus. Nec solùm jam ei contra præceptum Comitis januas ecclesiarum aperire certabant, sed etiam tam ecclesiasticæ quàm sæculares personæ, ut Sanctus in ecclesiis inferretur, postulabant, magis divinam quàm Comitis incurrere timentes offensam. Audientes autem Fratres Comitem in pago Tornacensi circa Schelmas * opidum, quod obsidione militum cinxerat, commorantem, illuc iter flexerunt, & quò cœperant tandem pervenerunt. Quem cùm sibi Comes audiret deferri, ejus præsentiæ se subtrahere festinavit. Tunc Principes qui lateri ejus solebant adsistere, & in quorum consilio ejus omnis pendebat dispositio; super hoc cœperunt eum arguere, dicentes, quia nihil ei prosperè cederet, quamdiu Sanctorum ecclesias suis rebus spoliaret. Consulebant autem illi ut Sancto cum humilitate occurreret, & quidquid erga Sanctum deliquerat, emendaret. Quorum prudenti consilio Comes adquievit, & humiliter Sancto obvius processit. Videres alium Regem Ninivitarum de suo solio descendisse, pedibusque nudis præ humilitate incedentem, honorem suum deposuisse: cum tanta devotione, militum stipante caterva, Comes ad feretrum Sancti accessit, & sumto manibus suis gestatorio, militibus onus ejus leve certatim alleviantibus in ecclesiam haud longè positam tulit. Ibi quidquid Corbeiensi ecclesiæ abstulerat, coram Primatibus suis in præsentia Sancti reddidit: & quidquid erga sanctum Petrum & sanctum Adalardum deliquerat, emendavit, postulans per eos sibi à Domino indulgentiam impetrari. Fratres verò vice Domini, qui cor contritum & humiliatum non despicit, sanctique Petri, cui data est à Domino potestas ligandi atque solvendi, eum absolverunt; & eum gaudentem suisque orationibus commendatum ad obsidionem opidi remiserunt. Inde non ingrati divinæ misericordiæ, qui gratiam Comitis meruerunt

* Schlio

AN. CHR. DCCCXXVI. JAN. II. sancto Adalardo mediante, immensas laudes Deo altissimo retulerunt, cujus aures, quam precibus pulsaverant, præparationem cordis eorum audierat.

IV. *De eo quòd Comitissa voluit eum retinere.*

6. SIc non cassato itineris labore lætati, cum Sancto arripuerunt iter remeandi. Sed intervenit eis aliqua turbationis molestia, ut major subsequeretur lætitia. Contigit enim ut ad opidum quod dicitur Insula *, perveniront, & Sanctum Dei in ecclesia sancti Stephani Protomartyris, quæ ibi habetur, deferrent. Illis diebus apud idem Castrum AOELA Comitissa, de qua suprà mentionem fecimus, morabatur; dum ad obsidendum præfatum opidum Schelmas Comes, scilicet filius ejus, occuparetur. Quæ cùm audisset adesse sanctum Dei Confessorem, gavisa est valde sibi esse oblatam retinendi illum opportunitatem. Accersitis igitur Monachis, inter alia quæ protulit verba, dixit eis: Sciatis, Domini mei, sanctum Adalardum communis generis consanguinitate mihi esse proximum. & ideo ut honoris gratiam paret mihi in cælis, volo ejus honorem sublimare in terris. Unde sedet mihi in animo eum retinere in hac terra, quia ad exsequendum quod volo magis hic ero idonea. Aut enim ei novam construi faciam ecclesiam, quam immensis opibus ditabo, deputatis Monachis aut Clericis, qui serviant Sancto; aut in Blandiniensi Monasterio, quod in honore sancti Petri Apostoli situm est in castro Gandavo, faciam eum deferri, ubi præ omnibus Sanctis qui ibi habentur, faciam ei honorem exhiberi. Interdico itaque vobis, ut eum ab ecclesia sancti Stephani non dimoveatis, sed ad locum vestrum redeatis; ni potiùs cum eo remanere placeat vobis. Denique præcepit portas obseratas, & exitus viarum adhibitis custodibus observari, ne in noctis silentio clam Sanctus posset asportari.

* Lille

V. *De eo quòd per medios vigiles sublatæ sunt sanctæ reliquiæ.*

7. QUid jam Monachi facerent? in aliena terra positi suorumque auxilio destituti obviare non poterant Comitissæ potestati, ut in asportatione Sancti aliquam violentiam inferrent illi. Ilico ad sanctum reversi sunt Adalardum: & extra spem positi deliberabant, quid potiùs eis esset faciendum. Consilium autem super hac re quærentes, tales inter se conquerendo proferebant voces: Quid faciemus? quo divertemus? ad nostros sine sancto Adalardo reditus nobis non est necessarius: quia forsitan aut nos expellent, aut (quod turpius est) lapidibus obruent. Denique nos non reverti prohibet improperium & dedecus, quia nobis non revertentibus tantum damnum imponent nostræ adsensioni nostrisque machinationibus. Ceterùm quamvis absque Sancti repræsentatione gratiam eorum possimus habere, ejusdem Patris nostri ablatio, nostræ matris ecclesiæ fiet desolatio. Ipsa enim mater nostra, quæ nos tamquam filios in suo fovit gremio, relinquetur sicut umbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario. Taliter priùs navicula cordis eorum turbabatur in mari: & dormiente in eis Christo, quia dubitabant, cœperunt mergi. Sed cùm clamassent, Domine salva nos, perimus; ilico excitatus est Dominus, ventisque imperavit & fluctibus.

8. Illis autem consilium capientibus cælitus inspiratum est, ut intempestæ noctis silentio expolitas de feretro sancti Confessoris reliquias tollerent, & cum illis fugæ præsidio sibi suisque consulerent. Quod & ipse Salvator fecisse, suosque ut idem facerent legitur admonuisse.

Cùm

Cùm vos, inquit, *persecuti fuerint in unam civitatem, in aliam fugite*, licèt figuraliter possimus intelligere. Cunctis igitur per villam somno occupatis, Monachi requiem suis denegarunt oculis, opportunitatem quærentes perducendi ad finem quæ inerant illorum animis. Media autem nocte ad thecam argenteam, quâ preriosus thesaurus tegebatur, accesserunt, ipsumque audacibus, (ut ita dicam) sed fidelibus manibus exposuerunt. Deniquc ipsum super aurum & topazion pretiosiorem, omniumque aromatum fragrantiam suo odore vincentem, in mundo pallio, postea in byrso cervino involverunt: & uni eorum, Domno videlicet EVERARDO, qui ad hoc sagacior videbatur, asportandum commiserunt. Qui ceteris cum scrinio Sancti remanentibus, de commisso sibi thesauro sollicitus non modicè animo angebatur, qualiter propter vigilum excubias civitatem egrederetur. Dumque totus in hoc studio esset positus, illuxit matutinalis hora, qua expulso vesperi luctu Christi resurrectione demoratur lætitia. Tunc Christus qui est verus sol justitiæ, depellens tenebras erroris & tristitiæ, ostendit illi tramitem salutis & lætitiæ. Nam eâdem horâ obtulit se illi quidam Monachus, quasi missus à Domino, quem Remensis civitatis Archiepiscopus ad Comitem direxerat pro suo negotio. Huic sanctarum bajulator reliquiarum sociarus, per medios vigilum cuneos, portis patentibus, exivit; Deique providentiâ, per sancti videlicet Adalardi meritum, frustratas illorum excubias reliquit. AN. CHR. DCCC XXVI. JAN. II.

9. Renovatum est sanè in hoc facto miraculum, quod ad Christi resurgentis contigit sepulcrum, si tamen gloriæ Regis audemus æquiparare virtutem militis. Sed non minuimus gloriam Regis, si virtutem prædicamus militis: quia virtus militis gloria est Regis. Custodia enim militum ad Christi posita est sepulcrum, ne à suis furaretur discipulis: diligentia nihilo minùs excubatorum deputata est portis & exitibus viarum, ne corpus sancti Adalardi clam à suis efferretur Monachis. Christus summo diluculo milites signatum monumentum custodientes resurgens irritos reddidit: sanctus quoque Adalardus summo mane vigiles portas & exitus viarum observantes exeundo fefellit. Milites Christo resurgente præ timore facti sunt veluti mortui: custodes postquam sanctus asportatus est Adalardus, præ nimia admiratione redditi sunt stupidi. Taliter corpus sancti Confessoris Corbeïam refertur, & à Monachis cum magno Cleri plebisque tripudio suscipitur. Qui cum magno honore, ut dignitas ejus exigebat, repositus in archivo ecclesiæ, ipsam suâ decoravit præsentiâ, quam primùm obscuram reddiderat ejus absentia. Fratres autem cum cordis devotione laudes immensas reddiderunt super hoc bonitati divinæ, parvipendentes si scrinii fieret amissio, cùm beatos & divites reddidisset eos pretiosi thesauri restitutio. Illud enim erat recuperabile damnum: hic, si eum amisissent, damnum inreparabile. Sed qui voluit corporis thesaurum restituere, dignatus est etiam vas ejusdem remittere: ut sicut in corporis asportatione, ita etiam Sancti pateret meritum in vasis repræsentatione.

VI. *De relatione scrinii, & quòd in repræsentatione ejus sanatus est claudus.*

10. INTEREA fama volante, cùm Comitissæ nuntiatum fuisset taliter sanctum Adalardum à Monachis sublatum esse, molestè tulit se ita delusam esse. tamen intelligens hoc esse voluntatis divinæ, & ideo jam non posse contra torrentem brachia tendere; postulata veniâ concessit illis cum scrinio sancti Confessoris remeare ad propria. Taliter illi, quasi de Ægypto egressi, ubi jam quasi captivi fuerant detenti,

An. Chr. DCCCXXVI. Jan. 12. protegente eos cælestis defensionis nube, ne urerentur à sole tribulationis, pervenerunt duce novo Moyse nostro, in terram pacis & securitatis.

11. Cumque jam facti fuissent proximi Corbeiæ, præmittentes nuntios mandaverunt Fratribus suis, ut scrinio sancti Adalardi maturè occurrerent cum brachio ejusdem Confessoris. Ilico gaudium novum adhuc recenti gaudio superadditur: classica pulsantur: ecclesia tapetibus & palliis adornatur; accensis etiam luminaribus plurimis illuminatur: denique facto populi conventu, festiva processio orditur, & cum brachio sancti Adalardi præcedentibus cereis & crucibus obviàm procedítur. Tunc filii Israel quasi Arcam Domini de Philistæis reductam suscipientes, in tabernaculo Dei referebant: & cum David in voce exsultationis & confessionis psallentes præcedebant, variis musicorum instrumentorum generibus ad augendam lætitiam circumquaque sonantibus.

12. Ecce autem quidam claudus ad portam templi jacebat, ita utroque pede contractus, ut plantæ pedum ejus (quod erat in visu mirabile) retro hærerent natibus. Venerat autem ibi reptando in quantum poterat manibus & genibus, non solùm ut alimoniam peteret ab introeuntibus, sed ut sanctum Adalardum rogaret suis adesse doloribus. Qui cùm feretrum Sancti præcedente longo processionis ordine vidisset inferri, in quantum ipsa ægritudo patiebatur, clamare cœpit, ut sui misereretur. Sanctus verò Adalardus more beati Petri aurum vel argentum illi non dedit, sed quod melius erat, divina concedente gratia, illi tribuit. Nam mirum in modum statim videres nervos priùs contractos extendi, cutem disrumpi, sanguinem manare, pedes cruraque ad naturalem locum redire; illum autem præ nimiis angustiis fatigari, ita ut pæne videretur deficere. Tandem in suis erectus pedibus, jam nullius egens adminiculo ad feretrum Sancti accessit. O laudandum Dei donum! ô prædicandum Sancti meritum! Præsentia corporis ejus aberat, & tanta in vase corporis ejus Dominus ostendebat. Sed hoc in vase corporis ejus ostendere potuit, qui per umbram corporis sancti Petri ægrotos sanare valuit. Tunc qui sanatus fuerat feretrum prosequens & bajulans gratias referebat Domino, imitans illum evangelicum leprosum, qui reversus laudem dedit Deo. Cum tanto gaudio filiis in sinu matris ecclesiæ receptis, de thesauro conscientiæ proferentes sacrificium spei & fidei, quæ in ara cordis accenderat fervor caritatis; hymnum *Te Deum laudamus* cantaverunt coram altario divinæ majestatis.

VII. *De repositione sanctarum reliquiarum in scrinio.*

13. DENIQUE adscendenres gradus pulpiti, qui de valle plorationis per gradus virtutum adscenderant in montem exsultationis, populis infimis jacentibus nec ad altiora conscendere valentibus, condescenderunt propinatione saluti feri sermonis rei gestæ temporique præsenti respondentis. Nec siluerunt ad confirmationem sui sermonis quæ in via accidissent eis, quanta Domini gratia in omnibus adfuisset illis, quantisque sibi dilectum Confessorem declarasset miraculis. Et ne aliquis eorum dubius exsisteret sanctum Adalardum esse relatum; reliquias ejusdem de secretario, ubi antè repositæ fuerant, præsentari fecerunt. Quas quidem in conspectu populi adstantis extulerunt, ipsasque, ut credi decet, antiquo ebore lucidiores, visuque pro sui raritate delectabiles, conspectibus omnium adstantium cernendas præbuerunt. Postquam autem præsentiâ Sancti remota est ab illis omnis nubes du-

bitationis; cum honorificè reposuerunt in eodem scrinio, quod paullo antè relatum fuerat cum gaudio. An. Chr. DCCCXXVI.

14. Quo rite peracto, secus sanctum Gentianum [a] martyrii rosâ in domo Dei vernantem collocaverunt S. Adalardum, castitatis lilio ante Deum florentem. Felix aula, quæ tantis sustentatur columnis! felix ecclesia, quæ tantis illuminatur lucernis! ut taceamus ceteros, quorum præsentiâ feliciter ipsa floret ecclesia, istis tutoribus protegitur contra ventorum flatus, & tempestatum fulmina. Istis enim illuminantibus, repelluntur ab ea tenebrarum caligines & mærorum nubila. Istos itaque honoremus, istos veneremur in terris, ut nostri memores esse dignentur in cælis. Jan. 11. a

a De translatione corporis sancti Gentiani ex urbe Ambianorum Corbeïam dicemus Sæculo insequenti.

APPENDIX

De sancti Adalhardi reliquiis atque cultu, deque Prima (quam vocant) sancti Petri.

1. POST *elevationem ac restitutionem reliquiarum sancti Adalhardi, de quibus actum est in superiori libro miraculorum, quieverunt sacra ejus reliquia in majori ecclesia Corbeïensi usque ad annum* M CC LXIII, *quo in novam capsam procurante Petro Moreto Abbate illata sunt. Rem gestam prodit Chronicon ms. his verbis*: Anno M CC LXIII die dominica post festum Exaltationis sanctæ Crucis translatum est corpus S. Adalardi, & repositum in nova theca per manus venerabilium Patrum GUILLELMI Laudunensis & NICOLAI Cameracensis Episcoporum, præsentibus & videntibus sancto LUDOVICO Francorum Rege, ob merita in cælum relato; CAROLO ejusdem Regis fratre, qui tunc Andegavensium provinciæque Narbonensis Comes erat, postmodum utriusque Siciliæ Rege; BALDUINO, quem Michaël Palæologus biennio elapso imperio Constantinopolis privaverat; PHILIPPO superioris Ludovici filio primogenito; magistro ALBERTO, Urbani Romani Pontificis Notario & Legato; ROBERTO filio quondam Roberti Attesii Comitis, superioris Ludovici Regis Francorum fratris; GUIDONE de Castellione, Comite S. Pauli; PETRO *Mouret* ecclesiæ Corbeïensis, & GERARDO Montis S. Quintini Abbatibus; & aliorum tam Principum quàm Prælatorum multitudine copiosa.

2. *Item in eodem Chronico, ubi de Radulfo de Roïa Abbate*: Anno salutis M CCCC, quia feretrum beati Adalardi tam in auro & argento, quàm in aliis rebus erat multum deformatum, reliquiæ fuerunt ex eo remotæ, & in eodem anno per reparationem illius feretri, ipso die depositionis festi prædicti Sancti, coram omni populo repositæ fuerunt in præsenti theca, quæ nunc exstat, per ipsum RADULFUM Corbeïensem, & ROBERTUM S. Luciani Bellovacensis Abbates, præsentibus aliis quinque Abbatibus, scilicet S. Fusciani in Nemore, de Moriolio, de Bertolio, S. Martini Ambianensis, & S. Acheoli: & sunt in dicta theca tam in imaginibus quàm aliis operibus octoginta marcæ argenti. *Reliquia sacra hactenus in eadem theca adservantur: separatim verò cranium (præter os petrosum & occipitis particulam, quæ Sanctimonialibus Kalensibus concessa sunt anno* M DC XLVII) *& brachii radius alter in scriniis argenteis.*

3. *Celebris est sancti Adalhardi cultus tum Corbeïa, tum Hustia in Belgio. Corbeïenses geminam ejus festivitatem celebrant sollemni ritu, natalem scilicet die secunda Ianuarii; translationis verò seu elevationis decima Octobris cum octava. Et primum quidem sub feriandi præcepto colunt oppidani, qui sanctum Adalhardum patronum habent. Ad eum confugiunt maximè febricitantes, quibus aqua intincto Sancti dente benedicta propinari solet.*

4. *Inter varias Sanctorum reliquias, quas possidet ecclesia Corbeïensis, insignis est ea, qua* Prima sancti Petri *dicitur, hoc est prima ecclesia sancti Petri ejus loci patroni præcipui, qua Adalhardo à Carolo Magno concessa perhibetur. De hoc reliquiario habentur instrumenta duo in veteri codice Corbeïensi, qua hoc loco exhibere visum est.*

AN. CHR. DCCCXXVI. JAN. II.

5. *Antè verò quàm id præstem, duo hic observare juvat, unum sancti Adalhardi librum* de Ordine palatii, *quo de libro in Observationibus præviis ad hanc Vitam actum est, à Marquardo Frehero laudari, ejusque inscriptionem ab eodem referri in parte secunda Originum Palatinarum cap. 3.* Quod autem proprium & potissimum, *inquit Freherus,* palatii Comitis munus & officium fuerit, quis nobis meliùs exponat Adhalardo, quem senem & sapientem Domini Caroli Imperatoris propinquum, & Monasterii Corbeïæ Abbatem, inter primos Consiliarios primum se vidisse testatur Hincmarus Rhemensis Episcopus, eumdemque Comitem palatii sui fuisse ipse Carolus meminit. Is librum composuit (cujus non nisi exiguum fragmentum apud me superesse seriò doleo) hoc titulo: ORDO PALATII ET REIPUBLICÆ DISPOSITIO, QUI SUB IMPERATORIBUS PIPPINO ET KAROLO FRANCORUM GEREBATUR, PER ADHALARDUM VENERABILEM ABBATEM LITTERIS COMMENDATUM, AD MEMORIAM ET INSTRUCTIONEM FUTURORUM. Summam tamen ejus Hincmarus conservavit, *&c. Hanc observationem debeo humanitati V. C. Stephani Baluzii Colbertinæ Bibliothecæ Præfecti, qui mihi hunc locum indicavit.*

Lib. 5. Capitul. c. 151.

6. *Alterum quod prænotandum hoc loco duxi, est in Martyrologio Nevelonis Corbeiensis Monachi, mentionem fieri exceptionis multarum reliquiarum Corbeiam ante sæculum* XII *advectarum his verbis:* XV Kal. Julii, exceptio reliquiarum LIIII Corbeïam advectarum.

7. *Jam duplex instrumentum de Prima sancti Petri adducendum est. Primum à Johanne de Flissicuria Corbeiensi Monacho ex relatu Gerardi Infirmarii conditum anno* M CC LXXV, *in quo quædam notatu digna leguntur de Petro Cantore Parisiensi, & Fulcone ejus discipulo, quos laudat Iacobus à Vitriaco in historia Occidentalis cap. 8. Alterum instrumentum est Auctoris anonymi describentis translationem, quæ ab Hugone Abbate facta est anno* M CC LXXXIII, *quo reliquiæ ex vetusto reliquiario in novum translatæ sunt. In hoc Instrumento enumerantur variæ reliquiæ Primæ sancti Petri, in quibus quædam recentiorum Sanctorum sunt, puta sancti Thomæ Cantuariensis Episcopi, & alia nonnulla, quæ longè post Caroli magni tempus in Corbeiensium potestatem venêre.*

INSTRUMENTUM PRIMUM.

QUONIAM de illo vase quod vulgariter Prima sancti Petri dicitur, licèt non multum superficie tenus pretioso & ornato, tamen propter sanctissimas reliquias ibidem repositas venerari dignissimo, unde scilicet ad nos venerit, quare tale sortitur vocabulum, sive quid interius contineatur; à multis solet non inmeritò dubitari: cùm & illud à prædecessoribus nostris scripto commendari per incuriam sit omissum, aut si fortè scriptum extiterit, per successorum negligentiam sit amissum. Ego Frater JOHANNES de Flissicuria quod super his à senioribus meis didici, & præcipuè à reverentissimo viro Fratre GERARDO dicto Infirmario, jam tunc dum hoc mihi narraret fere nonagenario, qui non solùm ea quæ à senioribus suis didicit, verùm etiam quædam quibus ipse præsens interfuit, mihi freqüenter referre consueverat; ad notitiam posterorum, rudi licèt & inculto, levi tamen sermone transmittere dignum duxi. Et primo quidem à quo & per quem vas illud nobis datum fuerit; deinde quare sic appelletur, & quid in eodem contineatur, per ordinem videamus.

Auctor Johannes de Flissicuria.

KAROLUS igitur Magnus, vir omni morum honestate præclarus, & potestate sæculari præcelsus, utpote qui non solùm Francorum & Germanorum Regna, verùm etiam qui primus Regum Francorum, totius Romani Imperii regebat insignia, cujus primò vas illud extitit, & qui reliquias in eo sanctas reposuit, in prægrandi honore & reverentia ipsum creditur habuisse. Cùm enim potentissimus Imperator Imperii sui civitates vel opida tempore pacis visitaret, & in Monasteriis vel ecclesiis pretiosas haberi reliquias intelligeret; Prælatos locorum adiens, ab eis conferri sibi de pretiosioribus humiliter postulabat. Prælati verò Imperatoris sanctitatem, piam quoque intentionem, necnon & sæcularem considerantes potestatem; & ejus precibus annuebant, & quod devotè postulabat, eidem devotissimè conferebant. Acceptis itaque reliquiis pius Imperator prælatis super his gratias agens & illis valefaciens, in præfato vase easdem honorificè reponebat. Repleto igitur pretiosissimis vase præfato reliquiis, pius Imperator tantum de Domini nostri JESU-CHRISTI & perpetuæ atque gloriosæ virginis MARIÆ, quorum ibi pretiosæ, sicut inferiùs patebit, continentur reliquiæ, necnon & aliorum Sanctorum confisus est adjutorio, ut in bellis bellorumque expeditionibus præfatum sibi vas præferri juberet: & sic

opitulante Domino de suis semper & ubique hostibus triumpharet. Hoc nimirum agebat fidelissimus Imperator ad exemplum Israelitarum Arcam Domini contra suos in bellis adversarios deferentium, necnon & ad instar potentissimi Imperatoris Constantini Magni, qui in initio fidei suæ cùm Dominus eidem in somnis apparens signum Crucis ostendisset, dicens, *In hoc signo vince*, labarum quod inter bellica Romanorum signa erat pretiosissimum, in sanctæ Crucis vexillum præcepit transformari, & ad suorum confortationem, & adversariorum terrorem in bellis constituit deportari. An. Chr. DCCCXXVI. Jan. II.

Vergente jam in senium Imperatore Karolo sanctissimus Christi Confessor Adalardus, qui tunc huic nostræ Corbeïensi ecclesiæ dignissimè præsidebat, eidem Imperatori familiarissimus, utpote ipsius consanguineus, & in ejus palatio ab infantia educatus, considerans ecclesiam suam divitiis, possessionibus, atque potestate sæculari præpollere, Sanctorum tamen reliquiis quasi vacuam esse; (non enim eo tempore tot & tantis, sicut modò, florebat reliquiis) præfatum Imperatorem adiit, suis eum propulsans precibus, quatinus sibi vas prænominatum ob sui memoriam in Corbeïensi honorificè custodiendum ecclesia largiretur. Considerans itaque Imperator honestam sancti viri petitionem, piam quoque intentionem, necnon & mutuam inter se recolens consanguinitatem, (Bernardus quippe pater sanctissimi Confessoris Adalardi, frater fuit Pipini Francorum Regis, patris scilicet Imperatoris Karoli) & precibus ejus assensit, & vas illi contulit postulatum. Accepto igitur vase beatus Adalardus omnipotenti Deo atque Imperatori gratias egit, & cum magno Cleri populique gaudio ad Monasterium suum Corbeïense deferri faciens, illud in loco ubi extunc usque nunc in magna (ut decebat) veneratione habitum est, honorificè collocavit. Unde quia in eo continentur primæ reliquiæ ad sanctum Petrum, id est ad hanc ecclesiam quæ in honore sancti Petri fundata est, advectæ; propterea vas illud Prima sancti Patri, scilicet primò ad sanctum Petrum, id est primò advectum ad sanctum Petrum, sive continens primas reliquias ad sanctum Petrum advectas, cùm antea paucæ aut nullæ fuissent, non irrationabiliter appellatur. Viso igitur à quo & per quem nobis vas illud datum, & quare Prima sancti Petri fuerit appellatum, restat ut quæ interiùs continentur reliquiæ, videamus.

Mortuo itaque Imperatore Karolo, & ad regna (ut creditur) cælestia evocato, beatus Christi Confessor Adalardus, ipsius (ut dictum est) consanguineus, longo eidem tempore supervixit. In cujus tempore, necnon & temporibus Walæ fratris ipsius secundùm carnem, sed secundùm spiritum filii, & beati Rabarti Confessoris ejusdem discipuli, sed & aliorum in regimen Corbeïensis Monasterii longo eidem tempore succedentium, nulla quæ in præfato vase continerentur reliquiæ, dubitatio est suborta. Credibile enim est sanctum Dei Confessorem Adalardum; quæ & quanta de reliquiis in eo contentis ab Imperatore Karolo audierat & cognoverat, vel magis quæ fortè ipse & oculis viderat, & manibus tractaverat, cùm & Imperatori esset familiarissimus, & eum Imperii sui civitates vel opida visitantem frequenter comitaretur; filiis suis retulisse, & ut suis enarrarent successoribus præcepisse. Unde factum est, ut filii qui nascebantur & exsurgebant, quæ & quanta de præfato vase & de reliquiis in contentia à patribus suis audierant & cognoverant, suis filiis enarrarent. Emenso itaque prolixi temporis intervallo, surrexerunt in hac nostra Corbeïensi ecclesia filii, qui patrum suorum verbis increduli, ea quæ de reliquiis in præfato vase contentis ab ipsis audierant, visu cognoscere voluerunt. Erat autem inter eos quidam Frater Godefridus nomine, cognomento Audax, & revera temerarius. Hic præcipuè Fratres ad vasis apertionem & reliquiarum intuitionem modis quibus poterat omnibus instigabat. Promtum namque se & paratum vas prædictum effringere, & latentes intus reliquias extrahere, dummodò licentia sibi concederetur à Fratribus, asserebat. Unde ut eos ad hoc vehementiùs accenderet, credibile est ipsum hæc aut hiis similia hiis dixisse. Etsi usque nunc fuimus de illis, de quibus in Evangelio dicitur, *Vos quod nescitis adoratis*; saltem etsi serò, amodo tamen simus de illis, de quibus ibidem subditur: *Nos quod scimus adoramus.* Talibus ergo atque aliis commoti Fratres, & ipsius inportunitatem ulteriùs sustinere non valentes, eidem ut super præmissis suum adimpleret desiderium concesserunt. Quo audito frater Godefridus lætus, licèt ad malum suum, effectus, non, sicut in talibus fieri solet, vigiliis priùs atque orationibus vacavit, non se jejunio maceravit; sed mox acceptâ licentiâ ad sacrum vas præsumtuosè atque irreverenter accedens, irreverentiæ ac præsumtionis suæ pœnam non inmeritò reportavit. Aperto enim vase, cùm videre vellet quæ non debebat, & tangere quæ non licebat, perpetua oculorum ipsum Dei multavit justitia cæcitate. Neminem igi-

An. Chr. DCCC XXVI. Jan. II.

tur moveat huic Fratri præsumtuoso justo Dei illata judicio cæcitas oculorum perpetua: cùm nos legamus Ozam, quia Arcam Domini bobus recalcitrantibus inclinatam manu sua (quod non licebat) tetigerit; à Domino super temeritatem suam percussum fuisse, atque horribili exterminio in conspectu omnium interisse. In arca enim illa continebantur tabulæ Moysi, & urna aurea plena manna, & virga Aaron quæ fronduit: quæ eorum, quæ in hoc vase continentur, signum sunt pariter & figura. Manna quippe illud quo Judæi, filii scilicet Israël, ab Ægypto exeuntes, & ad terram promissionis properantes refecti sunt in deserto, quid aliud quàm corpus Domini nostri Jesu Christi, verum scilicet panem Angelorum, de quo veri Judæi filii Israël, id est Christiani, verè confitentes, ab Ægypto, id est ab hujus mundi tenebris exeuntes, & ad terram promissionis, id est ad cælorum regna tendentes reficiuntur, designat? De corpore enim Domini nostri Jesu-Christi in vase præfato pretiosæ, sicut inferiùs patebit, reliquiæ continentur. Virga autem Aaron, quæ altero die sine naturæ adminiculo fronduit, floruit, & fructum peperit, quid aliud quàm beatam & gloriosam virginem Mariam significat? Ipsa enim sine viri commixtione benedictum fructum, Dominum videlicet Jesum-Christum, & virgo concepit, & virgo peperit, & sic post partum virgo permansit in ævum. De beata siquidem Virgine in eodem vase sanctissimæ habentur reliquiæ, sicut à nobis inferiùs ostendetur. Sed & ipsa Arca in se legis tabulas & manna continens, quid melius quàm uterum beatæ virginis Mariæ, non legis tabulas, sed (quod majus est) ipsum Legislatorem, Dominum scilicet Jesum-Christum, qui est verum manna, id est verum viaticum & vera fidelium refectio, continentem designat? Si igitur Oza quia Arcam Domini, eorum quæ in hoc vase habentur figuram continentem, manu sua, bono zelo, ne scilicet inclinata caderet, tetigit, à Domino percussus interiit; quid mirum, si hunc præsumtorem ad sanctissimas hujus vasis reliquias irreverenter accedentem Dominus excæcavit? Mitius tamen erga istum, quàm erga præfatum Ozam, Domini operata est justitia. Nam illi mors, isti verò, scilicet Godefrido, ut correptus pœnitentiam ageret, solummodo illata est cæcitas oculorum. His itaque prætermissis, ad ea quæ inchoavimus, videlicet ad ostendendum quæ in præfato vase continentur reliquiæ, à diverticulo revertamur.

Videntes igitur Fratres præfati Godefridi præsumtionem ultione divina castigatam, admirantes timuerunt valde: & sanctum vas claudentes, & in loco proprio reponentes, ipsum ulteriùs aperire nullatenus præsumserunt. Elapso denique longissimi processu temporis, erat in urbe Parisiensi Magister Petrus, ecclesiæ beatæ Mariæ Cantor, vir quidem litterarum scientiâ admodum eruditus, conversatione honestus, vitâ & moribus præclarus: qui cùm in Episcopum fuisset electus, timens tantæ curam suscipere dignitatis, ad quoddam Cœnobium Cisterciensis Ordinis, situm in pago Suessionico, quod Longus-pons dicitur, se transtulit, rogans Fratres suis Dominum efflagitare precibus, ut si animæ suæ saluti episcopalis expediret dignitas, ita fieri permitteret: sin aliàs, de statu ac vita ipsius secundùm suam voluntatem ipse Dominus ordinaret. Eo igitur ibidem commorante & in oratione cum Fratribus persistente, ecce adsunt Sedis apostolicæ nuntii, litteras ad ipsum deferentes, in quibus continebatur, ut postpositis omnibus negotiis peregrinationem Hierosolymitanam in Regno Franciæ prædicaret. Receptis itaque litteris, cùm se reverendus vir ad obediendum Sedis apostolicæ mandatis præpararet, gravi cœpit corporis ægritudine molestari. qui cùm sui resolutionem corporis instare cognosceret, ne sanctæ Crucis negotium remaneret imperfectum, vocavit quemdam discipulum suum, nomine Fulconem, ætate quidem juvenem, scientiâ verò & moribus insignem; nec tamen in scientia magistro suo comparabilem: & ipsi, licèt totis viribus renitenti, licèt se tanto succedere magistro, maximè in tanti operis exsecutione, indignum esse vociferanti, officium prædicationis injunxit. Quo facto vir reverendus viam universæ carnis est ingressus, & ibidem honorificè ab ejusdem loci Fratribus est sepultus.

Post mortem igitur magistri Petri, discipulus ipsius magister Fulco ei in officium prædicationis sanctæ Crucis succedens, cùm se ad tanti operis exsecutionem minùs sufficientem reputaret, Deo cui nihil est impossibile, totum committens negotium, Deo cœpit devotus exsistere, misericordiæ operibus insudare, jejuniis, orationibus ac vigiliis vacare, & ex mutatione dexteræ Excelsi, subitò tantum in virum alterum est mutatus, ut fama sanctitatis ejus in toto Francorum Regno divulgata suppresso nomine proprio (Fulco enim dictus erat) Sanctus-Homo ab omni populo vocaretur. Cùm itaque prædicationis fungens officio, ad Corbeiense municipium advenisset, à Fratribus hujus loci, ut tantum decebat virum, honorificè est susceptus. Eo igitur in hoc Monasterio commorante, & ad populum prædicationis officium peragente,

Fratres ipsius sanctitatem multo majorem, quàm auditu perceperant, visu & effectu An. Chr.
cognoscerent, habito inter se consilio, virum sanctum adierunt, & eidem ut sæpe no- DCCCXXVI.
minatum vas aperiret, & ipsis quæ intus continerentur reliquiæ demonstraret, preci- Jan. II.
bus satis humilibus supplicarunt. Vir autem sanctus Fratrum petitionem non solùm justam, verùm etiam utilem considerans & honestam; & precibus ipsorum assensit, & in brevi facturum quod ipsi petierant se promisit. Non enim reverendus vir magister Fulco ad sacratum vas irreverenter accedere, sicut Fratrem fecisse Godefridum audierat, præsumsit: sed ut suavis erat alloquio, Fratres dulciter alloquens, & eos de reverentia sanctis reliquiis exhibenda edocens, triduanum eisdem indixit jejunium: in quo tridui spatio ipse jejuniis, vigiliis, atque orationibus vacans, Dominum suis sollicitabat precibus, ut se ipsum & vas sanctum aperire, & quæ intus reliquiæ continerentur, cognoscere pateretur. Peracto igitur triduano, ut dictum est, jejunio, reverendus vir Fulco assumtis secum senioribus, quos & vita sancta, & religio munda, & conversatio commendabat honesta; necnon & pueris crucem & candelabra deferentibus, ad sacrum vas cum grandi (ut decebat) reverentia & honore accedens, ipsum in conspectu omnium circumadstantium reseravit. Aperto itaque vase, vir sanctus intus adspiciens, diversos intuetur sacculos reliquiis pretiosis refertos: quorum unum quem majorem vidit, extraxit, & cunctis videntibus aperuit: de quo credibile est, cum tot & tam pretiosæ in eo continerentur reliquiæ, odorem suavissimum emanasse. Intuens itaque homo sanctus diligenter in sacculo, primùm quidem de Domino nostro JESU-CHRISTO pretiosas invenit reliquias, videlicet de sanguine ejusdem Domini nostri JESU-CHRISTI, de capillis, de umbilico, de præputio, de vestimentis, & (ut verbis ejusdem Fulconis utar) de omnibus quæ de Domino nostro JESU-CHRISTO possunt in terra quantum ad hominem inveniri. Reliquias siquidem de beata Virgine Maria invenit sanctissimas, de lacte scilicet ejusdem Virginis, de capillis, de camisia, de peplo, de panno quem ipsa propriis manibus operata est, & de multis aliis quæ longum esset per singula numerare. Sed & de sanctis Apostolis, de Martyribus, de Confessoribus, de Virginibus, necnon & de sancto Johanne Baptista, reliquiæ ibidem inventæ sunt pretiosæ: inter quas tanta de capillis ejusdem Baptistæ inventa est abundantia, ut capillorum quantitas inventorum, sicut postea testati sunt qui tunc præsentes affuerunt, videlicet Frater HUGO dictus *Cubans*, & alter HUGO, (qui tunc quidem puer candelabrum detulit, sed postea regimen hujus Ecclesiæ adeptus in claustro ingressu oratorii sepultus est) quatuor digitorum extensorum & cum pollice conjunctorum excederet quantitatem. Visis igitur tot & tantis & tam pretiosis reliquiis, & circumstantibus ad osculandum datis, clauso sacculo & in vase reposito, homo sanctus vasis ostiolum obseravit. Quod videntes Fratres aliquantulum commoti, hominem sanctum allocuti sunt in hunc modum: Quid est quod agis, Pater? Noli ita facere: sed & alii sacculi per te nunc aperiantur, & nobis reliquiæ latenter interiùs ostendantur. His itaque auditis, vir sanctus eorum ita fertur sermonibus respondisse: Quid est quod loquimini Fratres? numquid de sanguine Domini nostri JESU-CHRISTI, de capillis, de umbilico, de præputio, de vestimentis, & (ut breviter loquar) de omnibus quæ de ipso possunt in terra quantum ad hominem inveniri, pretiosas reliquias conspexistis? nonne de lacte gloriosæ Virginis Mariæ, de capillis, de camisia, de peplo, de panno quem ipsa propriis operata est manibus, & de multis aliis reliquias vidistis dignissimas? numquid de sanctis Apostolis, de Martyribus, de Confessoribus, de Virginibus, necnon & de capillis sancti Johannis Baptistæ vobis reliquias ostendimus pretiosas? Sed quid amplius videre cupitis? Sufficiat vobis, Fratres, sufficiat vobis, tot & tantas & tam pretiosas reliquias adspexisse. Tot enim & tantas vidistis, quæ (ut credo) si plures in toto Francorum regno non essent reliquiæ, ad totius regni tuitionem sufficerent & munimen. Cùm ergo tot & tantas videritis, nolite ad inquirendum alios diversos sacculos perscrutari, sed potiùs visas magno (prout justum est) laborate studio venerari. Talibus ergo sermonibus mitigati Fratres, & tanti viri consilio non adquiescere nefas esse credentes, præfatum vas acceperunt, illud ad locum proprium, sicut eis à sancto viro imperatum fuerat, reportantes. Ab illo enim die usque ad præsens tempus, id est
usque ad annum Incarnationis dominicæ millesimum ducentesimum septuagesimum Anno 1275.
quintum, non est inventus aliquis, qui & præfatum vas aperire, & sacras intus delitescentes reliquias, aut voluerit, aut præsumserit intueri. Præfatæ siquidem vasis apertioni, necnon & reliquiarum intuitioni præsens interfuit Frater Gerardus, dictus Infirmarius, de quo superiùs facta est mentio, qui nunc in senectute bona nobiscum degit, tunc quidem puerulus, necdum religionis habitum assecutus, qui non solùm ea quæ tunc & præsens vidit, & à circumstantibus audivit, verùm etiam quædam quæ post

An. Chr. dccc xxvi. Jan. ii.

ingressum religionis à Fratribus didicit, qui tunc & presentea affuerunt, & propius assistentes, melius quàm ipse videre potuerunt, mihi frequenter referre consuevit: & ego sicut ex ore ejus accepi, scripto ut cognoscat generatio altera fideliter commendavi. Sed quia superiùs de peregrinatione Hierosolymitana habitus est sermo, sciendum est quòd sancti hominis, scilicet magistri Fulconis, prædicatione, multi in regno Franciæ & in adjacentibus provinciis Barones, Principes, Duces, Comites, Vicecomites, Marchiones, Milites, Equites, necnon & cunei peditum innumerabiles cruce signati sunt: quorum quidam ad terram promissionis, ut sic vota sua Deo persolverent, transfretarunt: alii verò ad urbem Constantinopolitanam transeuntes, & eam subjugantes, virum illustrem BALDUINUM Flandrensium Comitem, cujus filia MARGARETA in præsentiarum vivit, & Flandriæ Comitatum gubernat, licèt decrepita viriliter & defendit, Imperatorem sibi unanimiter creaverunt. Hæc me de vase illo, quod secundùm vulgus Prima sancti Petri appellatur, & de sacris in eo contentis reliquiis dixisse sufficiat. Volo tamen cuncta fieri manifestum, quòd hæc omnia supradicta, priusquam ea in commune deducerem, Fratri GARARDO dicto Infirmario, quo nemo viventium majorem in præmissis habebat notitiam, legenda tradidi, hac scilicet intentione, ut si approbanda essent, approbaret; si verò reprobanda, ipse etiam reprobaret. Reverendus siquidem vir frater Gerardus tradita accepit, accepta diu apud se conservavit, conservata frequenter legit, lecta commendavit, commendata approbavit, approbata mihi reddidit, reddita etiam deduci in publicum imperavit. Hæc idcirco dixerim, quatinus his quæ superiùs à me scripta sunt, major sit in posterum fides à legentibus adhibenda; cùm judicio tantæ auctoritatis viri, & tam multa experti, ea fuisse cognoverint approbata.

INSTRUMENTUM SECUNDUM.

ANNO Domini millesimo ducentesimo octogesimo tertio, tempore domini HUGONIS *de Vers* Abbatis Corbjensis, translatæ fuerunt reliquiæ de vase quod appellatur Prima sancti Petri. quod quidem vas, secundùm antiquorum nostrorum narrationem, excellentissimus Princeps KAROLUS Magnus, Francorum Rex & Romanorum Imperator, contulit sancto ALARDO quondam Abbati Corbiensi, consanguineo suo. Quod quidem vas cùm esset propter nimiam antiquitatem nimiùm desforme, de consilio prædicti domini Abbatis H. & aliorum proborum, prædictæ reliquiæ translatæ fuerunt in quoddam vas, cujus materiam superat opus: quod Frater ACARDUS Monachus Corbiensis, tunc temporis Præpositus de terra nostra de Meneriis & de Dompetra *, de consilio prædicti domini Abbatis & licentia, de sua parsimonia comparavit. Translatæ autem fuerunt præfatæ reliquiæ anno prædicto, mense Aprili, feriâ sextâ, in Passione Domini; præsente verò domino Hugone Abbate prædicto, & aliis pluribus probis & fide dignis. Nomina verò reliquiarum inferiùs annotantur.

* Dampierre

In superiori parte contra crystallum & supra, continentur hæ reliquiæ. Primò de cruce Domini, de vestibus Domini in cruce, de præsepio Domini. Item de cruce Domini, de sudario Domini. Item de cruce Domini, de terra Calvariæ montis. Item de sepulcro Domini, de mensa Domini. Item de sepulcro, de præcinctu Domini. Item de sepulcro, de loco ubi Dominus JESUS coronatus fuit. Item de præcinctu Domini, de alba veste & sudario, de sandalia Domini. Item de cruce Domini. Item de sepulcro Domini & incenso. Item de sepulcro, de manna filiorum Israël, de unguento pretioso Magdalenæ, de capillis beatæ Mariæ Virginis, de vestimento beatæ Mariæ Virginis, de pallio beatæ Mariæ Virginis. Item de capillis beatæ Mariæ Virginis, de vestimento beatæ Mariæ Virginis. Item de capillis beatæ Mariæ Virginis. Item reliquiæ sanctæ Mariæ Virginis. de pilis barbæ sancti Petri Apostoli, de pulvere de sepulcro sancti Petri, & de ligno crucis ejusdem Apostoli, de costis beati Petri Apostoli, de capillis sancti Johannis Baptistæ, de loco ubi beatus Johannes decollatus fuit. Item de sancto Petro & Paulo, Bartholomæo, Cypriano, de vestimento beati Thomæ Apostoli, de capillis sancti Audoëni. Item reliquiæ beatæ Mariæ, & sancti Johannis Baptistæ, sancti Petri, sancti Firmini, & sancti Walarici, de sancto Samsone Episcopo, de capillis sancti Quintini, & de sancto Ambrosio. Reliquiæ sanctorum Victorici, Fusciani atque Gentiani; de sancto Appollinare, de sancto Lupo Episcopo. Reliquiæ de ecclesia sancti Michaëlis, de sancto Audoëno, de sancto Clero, de sancto Stephano, de sancto Vedasto, de sancto Leodegario. Item de ecclesia sancti Michaëlis, de sancto Marco Evangelista, de sancto Paulo Apostolo, & de mensa ipsius, de sancto Thoma Apostolo, de sancto Jacobo Apostolo. Item de monte Oliveti, de sancta Cecilia, de sancta Juliana, de sancta Agatha, de sancta Agnete, de sancta Euphemia, de sancta Helena, de sancto Fortunato,

Fortunato, de sancto Isidoro, de sancto Vitale, de sancto Amando, de sancto Christoforo. Sancti Antonii Monachi, sancti Abaquiri, de sancto Laurentio, de sancto Georgio dens & os, de sancto Mauro, de sancto Paulo Apostolo, de sancta Sabina, de sanctis Petro, Paulo, Andrea, & Jacobo. de sancto Marcellino, de sancto Apollinare, de sancto Servatio, de sancto Ulfardo, de capillis sancti Martini Episcopi, de sancto Rigoberto, de sancto Jacobo fratre Domini. Item de capillia sancti Johannis Baptistæ, de capillis beatæ Mariæ Magdalenæ, de cilicio sancti Thomæ martyris, sancti Symeonis Justi senis, Crysanti & Dariæ, de oleo sancti Nicolai. Sunt ergo c & III reliquiæ in superiori parte hujus vasis. AN. CHR. DCCC XXVI. JAN. II.

In parte secunda, in crystallo contra angelos & supra, continentur reliquiæ infrà scriptæ. Primò de cruce Domini, de capillis beatæ Mariæ, & de velo sanctæ Mariæ, de sancto Andrea Apostolo, de barba Noe, de sepulcro sancti Lazari, de sancto Quintino os magnum, de sancto Lamberto martyre. Item reliquiæ sanctæ Mariæ, sancti Quintini, sancti Adalardi & sancti Martini, de sancto Gildardo, de sancto Augustino Doctore, de sancto Sulpicio. Item reliquiæ sanctæ Mariæ, sancti Petri, sancti Johannis Baptistæ, sancti Stephani, sancti Laurentii, sancti Georgii, de præsepio Domini, de sepulcro Domini, de sancto Zacharia, de sancta Elizabeth, de sancto Martino, de sancto Mauritio. Reliquiæ sancti Petri, sancti Benedicti, & sancti Martini, de sancta Scholastica, sancti Stephani & sancti Leodegarii, de sancto Justino martyre os, de sancta Paula, de sancto Hilario Episcopo os.

In parte inferiori sub angelis continentur reliquiæ inferiùs annotatæ de sudario Domini, de præcinctu Domini, de cruce Domini, item de monte Oliveti, de præsepio Domini, de sepulcro Domini, de sancto Johanne Baptista, de sancto Petro Apostolo, de annona Abraham, de sancto Mauricio, de sancta Cecilia, de sancto Martino, de sancto Brictio, de sancto Desiderio, de sancto Maurilione Episcopo, de sancto Christophoro, de sancto Paulo, de sancto Abaquiro, de sancto Fortunato, de sancto Juliano, de sancta Helena, de sancta Agnete, de sancta Euphemia, de sancto Marco Evangelista, de sancto Huberto, sanctorum quadraginta Martyrum, pupilla oculi beati Gentiani Martyris, sanctæ Petronillæ Virginis. Summa istarum reliquiarum c & quinque. Item continentur ibidem quàm plurimæ reliquiæ, quarum nomina non potuerunt legi propter nimiam vetustatem scripturæ, vel quia erant deleta. Summa per totum cc & octo reliquiæ.



VITA SANCTI FINDANI
AN. CHR. DCCCLXXVI.

RECLUSI RHINAUGIÆ

IN SUEVIA,

Auctore Anonymo Favariensi Monacho ejus discipulo.

Ex Goldasti parte 1 rerum Alamannicarum.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *DE hujus Vitæ scriptore, qui Monachus Fabariensis, dein Reclusus post sanctum Findanum fuisse videtur ex num. 13, nihil adnotandum mihi occurrit. Æqualis sancti Findani fuit, non spernendæ auctoritatis. Hunc libellum mutilum edidit Goldastus in parte 1 rerum Alamannicarum, & eumdem ex Goldasto magna ex parte retulit Gononus in Appendice ad Vitas Patrum Occidentis.*

2. FINDANUM *seu* Finianum *prætermisere Trithemius, Vvionius, Menardus, & alii rerum nostrarum scriptores præter Bucelinum, qui ejus meminit in Menologio ad diem tertium Januarii. quem diem an ipse suo arbitrio definierit, (nam id facit nonnumquam) mihi nondum est exploratum. Tantùm hic noto unum aut alterum ejus erratum, ne fortè in alios etiam (ut fit) imprudentes propagentur. Congelli discipulum fuisse Findanum, & anno* DCLXXX *claruisse dicit. Utrumque pugnat contra subjectæ Vitæ auctoritatem. Nam*

An. Chr. DCCC XXVI. *Findanus anno Christi octingentesimo, vita suæ quinquagesimo primo, Rhinaugiam accessisse perhibetur, post annos minimùm ducentos à morte Congelli Abbatis Bencorensis. De nominibus Findani parentum, quos Bucelinus* Pipanum *&* Alinnum *vocat, & de miraculis ab ipso relatis nihil adfirmare ausim.*

Rhinaugiense Monasterium. *De Rhinaugiensis Monasterii, ubi reclusus est Findanus, origine agit Goldastus in Notatione ad hanc Vitam, atque Vvolfehardum Comitem Kiburgensem vulgò credi ejus Cœnobii conditorem, eumque esse putat nobilem Alamannum, qui Findanum constituit Monachum in ipso Monasterio Rhinaugiensi. Locus sic dictus est ab insula Rheni, in qua situm Monasterium, in diœcesi Constantiensi; alius ab Augia divite in insula itidem ejusdem fluvii, & in eadem diœcesi, & ab Augia majore ad lacum Acronium. Rhinaugia Abbates enumerat Bucelinus in Topographia Germanica parte 2: sed hæret in Abbate Monasterii primo, qui Findanum excepit. In indice Fratrum conscriptorum Cœnobii sancti Galli invenio* nomina Fratrum de Rinauva, *in his* WICHRAMNUM, WOLWINUM, *&* ANTWARTUM *Abbates, quos tres primos Rhinaugia Abbates fuisse existimo. Certè Bucelinus tertio loco numerat Vuoluvonum post anonymum & Gobbertum, omissis Vuichramno & Antvuarto.*

1. CUM Deus omnipotens electos suos, quos ad vitam ante mundi constitutionem prædestinavit æternam, diversis hujus mundi curis occupatos ac varia studia sectantes ineffabili misericordia ad perfectioris vitæ instituta perducere soleat, modis quidem diversis, ex purissimo tamen clementiæ fonte manantibus. Nobis quoque haud absurdè visum est memorabilis viri, qui nostris imitabilia fecit exempla temporibus, prædicabilem verbis compendiosis conscribere mentionem: quatenus & nobis hæc sæpe legentibus & posteris aliquid ad profectum suum afferant utilitatis.

Findanus Hibernus, 2. Vir igitur quidam nomine FINDAN, genere Scottus, civis provinciæ Langinensis, quibus occasionibus ad perfectionem vitæ pervenerit, quibusque tentationibus ac laboribus sit frequenter attactus, hinc enarrare Deo favente conabimur. Prædicti ergo viri sororem gentiles, qui Nordmanni vocantur, plurima Scottiæ insulæ, quæ & Hibernia dicitur, loca vastantes, inter alias feminas adduxere captivam. Tunc pater à Nortmannis captus, ipsius filio suo Findano præcepit, ut acceptâ pecuniâ sororem redimeret, & ad patrem reduceret. Qui sumptis secum comitibus pariter & interprete, jussa patris implere desiderans, amoremque fraternum pio corde conservans, in eodem mox itinere à paganis tentus atque in vincula conjectus, necnon & ad naves ipsorum, quæ proximo in litore stabant, est sine mora perductus. Ipso verò die & nocte sequenti catenis ligatus, sine cibo potuque permansit. Mane verò Nordmannis consilium ineuntibus liberatur. atque aliquibus, quibus mens sanior erat, & (ut credimus) à Deo instigata humanitas, referentibus, quòd illuc venientes pro aliis redimendis vi teneri non debuissent; inde ipse hoc modo liberatus est. Igitur piissimus Dominus famulum suum adhuc in laïcali habitu constitutum, sciens inter omnia postea sibi devotissimè serviturum, jam tunc liberare dignatus est de manibus hostium. Vice quoque alia cùm multitudo hostium eorumdem eum in quamdam domum fugientem insequererur, & ipse post ostium latitaret, nemo ex illis ipsum reperire poterat, quamvis circa ipsum huc illucque discurrerent.

Patre cæso, 3. Nec hoc silendum arbitramur, qua occasione peregrinationem susceperit, etiam laudabiliter adimplere conatus fuerit. In eadem Laginensium provincia inter duos Principes grandis orta est seditio. Unius ergo Principis miles fuit pater Findani prædicti, qui de contraria parte hominem occidit. quod audiens Princeps contrariæ partis, nimiâ succensus irâ, continuò domum patris Findani magno stipatus exercitu, omnia illius ipsumque ferro flammaque perditurus adivit: venientesque noctu domum armis cinxerunt, ignemque ad tecta jacientes patrem ipsius Finda-

ni de ignibus foras progredientem jugulavere. Findanum verò in alia domo manentem cùm ſimiliter ignibus circumdediſſent, & ſe pro foribus viriliter defendentem, apprehendere nequiverunt, ſed ipſe per medios ignes & hoſtes, divina videlicet eum gratia protegente, parum læſus elapſus eſt. Fratrem verò ejus, qui in eadem domo fuerat, occiderunt. Inde igitur inter utramque gentem magnæ concitatæ ſunt inimicitiæ inexorabileſque diſcordiæ: ſed poſt haud longum temporis intervallum interventu quorumdam fidelium, pecunia non modica Findano ſuiſque data, utraque pars in pacem rediit. Eodem verò anno hoſtes Findani timentes ne vindicta ſuper eos veniret, & dolor paternus in corde Findani reviviſceret, pariterque eum exſtirpare volentes, hoc modo dolum in corde meditati ſunt. Inito conſilio Findano præparavere convivia in locis mari contiguis: ad quæ Findano invitato Nordmanni venientes, & de medio convivarum ipſum rapientes, ſicuti cum inimicis ejus conſiliati ſunt, artiſſimis vinculis colligavere & ſecum pariter abduxere. Juxta morem ergo ſuum dominus ejus Nordmannus, quia necdum ad patriam ſuam redire cupiebat, alii illum vendidit, & mox ille tertio, atque ipſe quarto: qui ſociis collectis patriam reviſere deſiderans, hunc ſecum cum aliis in captivitatem duxit.

An. Chr. DCCCXLVI. ipſe necem evadens, Nortmannis traditus abducitur.

4. Cùm ergo media æquoris ſpatia navigando tranſiſſent, ecce occurrerat quædam claſſis ejuſdem gentis, & unus de his in navem, qua Findanus erat, adſcendens interrogavit inſulæ qualitatem, & qualiter ibi erga illos accidiſſet. In ipſa autem navi erat quidam, cujus fratrem ille qui hoc inquiſivit occiderat: & continuò ab eo cognitus, ac ſimul interemptus eſt. Quod ipſius ſocii videntes, pugnæ ſe præparaverunt, & duæ naves acri certamine diu dimicaverunt. His ita litigantibus Findanus in vinculis conſtitutus domino ſuo ac ſociis ſeſe erigens auxilium ferre volebat. Intervenientibus autem ceterarum populis navium & bellantes ab invicem ſequeſtrantibus, eo modo navis, qua Findanus inerat, abſque læſione receſſit. Dominus ergo ejus recordatus devotionis, qua ſibi etiam vinculatus ſubſidium ferre volebat, ac fidem talem remunerari cupiens, mox eum vinculis abſolvit, & bene ſibi cum eo futurum eſſe pollicitus eſt.

Pugnâ in mari exortâ domino ſuo acceptus,

5. His ita geſtis ad quaſdam venere inſulas juxta Pictorum gentem, quas Orcades vocant. Illis igitur de claſſi in terram deſcendentibus & corpora reficientibus, atque per inſulas huc illucque diſcurrentibus pariter & ventum proſperum exſpectantibus, Findanus & ipſe licentiâ perceptâ loca inſulana cœpit diſquirere, ac de ſalute ſua atque fuga anxia mente cogitare. Ignotis igitur in locis ſaxum ingens reperiens, ſub illo ſe ſtatim occultare curavit, quam rupem æſtus maris intereſcens ſubire ſolebat. Quid igitur ageret, quo ſe verteret ignorabat. Hinc eum pontus urgebat, illinc hoſtium timor circa eum diſcurrentium & ſuper ſaxum, quo latebat, ambulantium, & undique illum ex nomine ſuo vocantium, vehementer angebat. Malens itaque rabiem ponti ſufferre quàm in manus hominum univerſam beluarum ferocitatem exſuperantium incidere: ſpretis undarum molibus die illo nocteque ſequenti in ipſo hoc jejunus permanſit. Craſtina autem hoſtibus in alia ipſius inſulæ parte manentibus, recedenteque maris æſtu, qui fores ſpeluncæ contingens, interdum quoque flatu ventorum actus fluctus ire compellebat in antrum; Findanus exſurgens, manibuſque per loca dumoſa metu paganorum repens, exitum diligentiſſimè omnia perluſtrans invenire cupiebat. Putabat autem terram eſſe contiguam ab hominibus habitatam. Finem verò inſulæ cernens, deprehendit una parte magno mari cinctam, alia ſinu haud modico circumdatam. Itaque cuncta corporis firmitate deſtitutus,

ſe proripit in antrum. Pictorum inſulam percurrit.

Ann. Chr. DCCCXCVI. nimiaque valitudine, quam ex vinculis fameque contraxerat, obsessus aquis se credere non audebat. Per tres itaque dies continuos insulam peragrans exitumque quæritans, duplicato labore herbis tantummodo & aquâ sustentatus ibi mansit. Tertia tamen luce cùm monstra marina immensaque delphinûm corpora prope litus ludere voluntarique conspiceret, divinâ præventus clementiâ hæc secum tacita mente pertractans, has imo cum lacrymis fudit de pectore preces: Deus qui & hæc bruta animalia & me hominem creasti, quique illis mare pervium & me terris tuta figere donasti vestigia, solita mihi pietate in præsenti tribulatione succurre. tibi, Domine, ab hac hora corpus & animam meam devoveo servituram, & numquam ad mundanas animum retorquebo illecebras. te propter limina Apostolorum petam: & peregrinationem suscipiens, ad patriam nequaquam sum reversurus. totis viribus tibi deinceps famulabo, teque sequens lumina retrorsum flectere nolo.

Voto facto,

Oceano se credit.

6. Hac igitur constantia fidei armatus, omnibus ut erat vestibus indutus, immisit se in aquas. Mira dicturus sum. ita continuò divina pietas vestes ejus rigidas fecit, ut his sustentatus mergi nequiverit: & quasi ipsatum natatione, ut sibi videbatur, per tumidos fluctos [a] inlæsus veheretur ad terras. Adscendens igitur altissima montium cacumina, sicubi villas vel tecta fumantia cernere posset, exiguo herbarum victu binos iterum duxerat dies. Cùm ergo tertia terris inluxisset aurora, ecce homines eminus vidit ambulantes. quos cùm vidisset alacritate mentis exsulcans licèt ignotos adire non dubitavit. Tunc illi susceptum eum ad vicinæ civitatis duxerunt Episcopum, qui & ipse in Hibernia insula litteralibus erat studiis imbutus, & ejusdem linguæ notitiâ satis eruditus: cum quo per biennium moratus, multis humanitatis atque largitatis ejus beneficiis est usus.

incolumis ad Episcopum loci perducitur.

per Galliam &c. Romam pergit.

reversus in Alamannia degit.

[*] id est dominus

post Rhinaugiæ Monachus, dein reclusus.

7. Ipse autem Findanus promissionis suæ recordatus, collectis sociis, acceptâque licentiâ sui Episcopi, Galliarum partes paravit adire. Hinc Martini [b] sedem petens, postea Franciam, Alamanniam, Langobardiamque peragrans, proprio demum pedum labore Romam pervenit. Inde reversus quemdam nobilem virum in Alamannia adivit, cum quo in clericatu quatuor annis permansit, per singulos abstinentiæ virtute proficiens & nova exempla semper ostendens. Tunc senior * ejus in proprio monasterio, quod Rinaugia vocatur, cum monachizari fecit anno dominicæ Incarnationis DCCC, ætatis verò suæ LI. ubi per quinquennium singulos virtutum gradus adscendens, tandem majore profectus amore succensus, in artissimo loco se reclusit, & inauditâ corpus abstinentiâ perdomuit.

8. Findanus cùm recludi voluisset, & instantibus precibus pro hoc Domini voluntatem scite laboraret; vox hujuscemodi ad eum delapsa est: *Isket duit o Dia anatheset in dabdane* [c]. Licet tibi à Deo post alios remeare.

Victum suum dat pauperibus.

9. Cum permissu Abbatis [d] sui quartam partem panis in cotidianum victum sibi ut ceteris Fratribus depurati uno anno, & in altero majorem jam adgrediens parcitatem, dimidiam, & in tertio tertiam, quarta sibi solummodo parte reservara, libens pauperibus erogavit.

10. Pro lectisterniis lapides velatos adhuc inter Fratres pausans cot-

[a] Ita passim apud antiquos. Terentius in Andria, *tumulti. ornati.*

[b] Id est Cæsarodunum Turonum, cujus civitatis Episcopus fuit sanctus Martinus.

[c] Goldastus ad marginem, *id est, licet sibi à Deo ire ut Abbatiam.* qui ab hoc numero orditur caput secundum, & sic capitulationes secundùm numeros sequentes continuat.

[d] Nempe *quòd sine permissione Patris spiritalis fit, præsumtioni deputabitur & vana gloria, non mercedi*, inquit sanctus Benedictus in Regulæ cap. 58.

pori occultè subposuit atque paulolum requievit, donec cunctis quiescentibus secretò se in orationem dedisset. Accidit ut quadam nocte consuetudinariis incumbens orationibus, dæmonem in similitudine hominis cujusdam miræ magnitudinis ore aperto, linguáque emissâ, manibus expansis, oculis minacibus videret, & cùm impetum in eum facere vellet, facto signo crucis evanuit: ipse tamen interritus matutinalia coram altari in modum crucis stans exspectavit officia. AN. CHR. DCCCAXVI. Cubat supra lapides.

11. Reclusus jam cùm tanta fames eum urgeret, ut panem totum & plus manducare vellet in natale sancti Patricii, quæ tunc fortè advenerat; Deum sedulò rogavit, ut hujuscemodi ingluviem ipsius interventu à se auferret. Qui mox post orationem & lacrymas, quas incomparabiliter etiam in levibus rebus fundere solebat, tale oraculum aure percipit propriâ linguâ prolatum: *Ataich Criftocus patric Artmache, farua fcilam nakifcltile bruchir tart doit tei:co, il farkifcl* [a]. & ex hoc edacitatis vitium minimè sensit. Famem oratione vincit.

12. Item fotis positus priori anno, quo claustrum erat ingressurus, omnibus noctibus stans in ecclesia in oratione pernoctavit. Igitur priori nocte antequam sancti Blasii reliquiæ illuc de Roma venissent, more solito in basilica orans, vidit subitò corporalibus oculis columbam super altare consedisse, sensimque inde in cryptam volantem disparuisse. Crastina ergo super ipsum altare easdem posuere reliquias, super quod Dei famulo antè apparuit hæc avis adstitisse. S. Blasii reliquiæ Augiam delatæ.

13. Fotis positus procedenti quoque tempore cùm similiter noctu intra basilicam solus exsisteret, ut prædicti Martyris suffragia his verbis imploraret, dicens: Sancte Blasi, qui peregrinus his locis, sicut & ego, esse cognosceris, pro meis ad Deum intercede peccatis. Cùm hæc ingeminans lacrymas more suo uberrimè fudisset, stans ante altare, quo sanctæ positæ fuerant reliquiæ, non inclinatus, sed erectus; sed tamen ut referre solebat, obtutibus paullisper obtenebratis, vocem audivit hujusmodi: Sedes tua in cælo jam dimissis peccatis parata est. Peccata sibi dimissa intelligit.

14. Iterum in artissimo loco constitutus, de quo cùm opportunè fuerit, pleniter expedire conabimur. Cùm mane diei futuri reliquiæ sæpe memorati Martyris ab eodem loco in vicinum saltum deportandæ fuissent, præfatus Dei famulus magno exarsit desiderio, ut ipsius Martyris reliquias propriis efferre humeris mereretur, cùm jam dudum in eodem loco positus voto [b] se constrinxisset inde numquam se exiturum. Ut igitur Dominus desiderium pauperis (ut ait per Prophetam) exaudiens adimpleret, ac famuli devotissimi vota rata esse concederet; eadem nocte visus est sibi pontem Rheni fluminis, per quem de ipso Monasterio exitur, cum copiosa multitudine transisse, columbam quoque humeris suis insedisse, & eam se, ut cupiebat, humeris deportasse; inde alios petere, iterumque sibi volantem adesse. Ceterùm ostensionem loci ipsius in Favariensi Monasterio adhuc degenti, & de hac perfectione [c] jam meditanti nobis ipse referens, licèt impulsus ac pæne coactus, hoc etiam intimavit, eadem videlicet loca aquis esse circumdata, & frequenti circuitu plures efficientia insulas. S. Blasii reliquias humeris portare cupit.

15. In natali sancti Columbæ [d] iterum tentatione afflictus, & in du- Scrupulus.

[a] Id est *obsecra Christum & Patricium Archmachensem*, notat Goldastus.

[b] Non licuisse Reclusis ex cella egredi patet ex Regulæ Grimlaïci cap. 16. ideoque post ejus ingressum præcipiebat Episcopus *ostium reclusionis cellulæ apospbragismo*, id est sigillo, *suo signari*.

[c] Hinc conjicio Auctorem hujus Vitæ Favariensem Monachum, postea exemplo Findani reclusum fuisse, & forsan in cellam ipsius Findani, quem *Patronum nostrum* vocat infrà num. 18. De Favariensi seu Fabariensi Monasterio diœcesis Curiensis dictum est in Sæculi III parte 2 ad Vitam S. Pirminii Abbatis.

[d] Columbæ Hiensis, an Columbani Luxoviensis Abbatis, qui & Columba dicebatur. Veri similius est hic designari Columbam Hiensem, cujus Vitam ex Commeneo Albo retuli in Sæculo I.

An. Chr. DCCCXXVI

bitatione positus, si parvam annonam, quæ ad victum cotidianum, sicut aliis Monachis, ipsi quoque dabatur, pauperibus erogare debuisset. Reputabat enim secum, ne si cibos de aliorum labore sibi oblatos pauperibus erogasset, hinc Deum offenderet. De hac igitur re Domini voluntatem per intercessionem sancti Columbæ precibus & lacrymis requirebat. Cui tale continuò responsum voce suavissima divinitus direxit: *Cucendo chach cukenndet faden, maith det faden maith do chach.*

Famis tentatio.

16. Primis quoque diebus, quo pœnalem locum, quem in hoc mundo pro Dei amore delegerat, intrare illum contigit, gulæ nimiùm vitio tentatus est. Nam usque ad horam, qua ceteri reficiebantur, exspectare nequaquam poterat, sed etiam donec Evangelium legeretur à cibo abstinere nequiverat. qua suggestione vehementer affectus, & ultrà quàm credi potest erubescens ad solita confugit auxilia. In festivitate quippe sancti Aidani Episcopi audivit, cùm illins imploraret adminicula hujuscemodi vocem: *Ainmne ilao ocus in naidchi ni longe colonge ce lederemnt noterfas fruithiu.* qua voce statim tentatio ipsa sedata est.

Dæmonum larvæ.

17. Inclusus verò tantam multitudinem spirituum immundorum noctu conspexit, ut terram simul & arbores, quas Rhenus hinc inde cingit, implere viderentur. Cumque diu horrisonas darent voces, sancti viri precibus disparuerunt, & ulteriùs illi nusquam comparuerunt.

Carnes cælitus auctæ pauperibus.

18. In festivitate quippe sanctæ Brigitæ virginis non modicam pauperum turbam, ut sibi moris erat, collegit: carnem totam, quam habuit juxta numerum adgregatorum, particulatim incidi præcepit. hoc autem facto, ecce tanti pauperes ut aderant inprovisè venerunt. Vir verò beatus in adventu eorum Deo gratias agens, particulas quas ad numerum priùs commeantium parare jussit in Dei largitate confisus, qui quinque panes inter quinque millia virorum multiplicavit, distribui fecit. Sed licèt numerus geminaretur egenorum, & nihil de carnibus vel ab illo vel à quoquam adderetur, unicuique tamen sua particula ex eadem caruncula inveniebatur.

Findani reclusi vita rigida.

19. Findanus igitur patronus noster artissimo loco inclusus, qui situs est ad septemtrionalem partem basilicæ sanctæ Mariæ Genitricis Dei & Domini nostri JESU-CHRISTI, XXII annos incompatabiliter corpus perdomuit. Nam post primum supradictorum annum cilicio indutus erat, calore ignis numquam refectus, non pausans in lectulo, balnei lenitatem devitans, jejuniis vigiliis orationibusque indesinenter insistebat. Pane verò post primum annum ingressionis ejus, & post XVI ab omnibus, quæ mandi possunt, extrà pisciculis & his paucissimis, se Domino confortante abstinuit, aliæque præfati sanctissimi viri virtutes, quæ multis sciendo veraciter testibus sunt prænotatæ in alio miraculorum volumine, ex parte videntur fore cum cautela exaratæ [a].

[a] Cetera desunt, inquit Goldastus. quæ velim ne quis suppleat. Annum obitus sic colligimus. Anno DCCC accessit Rhinaugiam, ubi *per quinquennium* Monachus vixit, supra num. 6. postea reclusus in cellam positam *ad septemtrionalem partem basilica sancta Maria*, viginti duobus annis ibidem remansit, mortuus proinde anno DCCC XXVI, aut insequenti, siquidem verum est, ut notat Bucelinus, eum tertia die Januarii obiisse, penes quem sit fides.



An. Chr. DCCCXXVI. Dec. IX.

LIBER
DE TRANSLATIONE RELIQUIARUM
S. SEBASTIANI MARTYRIS
ET S. GREGORII PAPÆ
IN SUESSIONENSE S. MEDARDI MONASTERIUM,

Scriptus ab ODILONE Monacho initio sæculi x.

Ex mss. codicibus & Ianuario Bollandiano.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *LIBELLI sequentis, quem excepta Præfatione in lucem edidit Iohannes Bollandus sub Anonymi nomine, auctor videtur* ODILO *Monachus Medardensis* INGRANNO *Monasterii Decano, Carolo Simplice regnante. In pervetusto enim codice membraneo venerabilis viri Claudii Iolii Canonici ac Cantoris ecclesiæ Parisiacæ, qui codex olim fuit Monasterii S. Medardi, huic libello præfigitur ista inscriptio:* EPISTOLA OYDILONIS AD INGRANNUM. *& est alia etiam ejusdem Odilonis lucubratio ad ipsum Ingrannum de translatione sanctorum Martyrum Tiburtii, Marcellini, &c. quam postea exhibebimus. Corrigenda proinde inscriptio codicis Resbacensis, in quo subjectus liber Rodoino auctori tribuitur. Errandi occasio nata est ex conclusione libri, ubi Rodoinus* schedulam *de Sebastiani miraculis reliquisse memoratur. Porro Ingrannus Decanus vivebat procedente sæculo decimo, ut constat ex Frodoardi Chronico ad annum* DCCCC XXXII, *quo* Ingrannus Decanus Monasterii sancti Medardi Episcopus Lauduni ordinatus *fuisse perhibetur. Ubi observare convenit, cum temporis pleraque Monasteria, quibus impositi erant sæculares Abbates, administrata fuisse per Decanos Monachos, quos etiam pro-Abbates & Præpositos nonnumquam appellabant.* — Odilo auctor.

2. *S. Sebastiani translationem, quæ præ manibus est, celebrarunt Auctores graves & æquales, in primis Eginhardus in Annalibus ad annum* DCCC XXVI, *cujus testimonium Odilo refert in sua præfatione; & Vvandalbertus in suo Martyrologio, tum* XIII *Kal. Februarii, tum* V *Idus Decembris, quo scilicet die facta est, in hæc verba:* — Translationis memoria S. Sebastiani,

Sebastianum quinis celebramus ab Urbe
Translatum, proprio quo Gallica rura patrono
Exsultant, ingens templum cui surgit & ara,
Antiquosque nitent æquantia culmina fastus.

Partem dumtaxat S. Sebastiani reliquiarum translatam eò fuisse scribit Ado Viennensis Episcopus in Chronico, cui Baronius aliique adstipulantur. Ex his reliquiis in Galliam delatis pars Floriacensibus nostris concessa est, teste Adrevaldo in libro de miraculis S. Benedicti cap. 28, nimirum coxendicis ossa duo hactenus adservata; pars sudarii Magnilocensibus ex sequenti capite 41. alia penes Medardenses nostros manserunt ad annum usque M D LXIV. *quo Calvinistæ furentes sacra lipsana fœdè violata proculcarunt die 27 Septembris: à piis quibusdam hominibus collecta, uti & sancti Gregorii sanctique Medardi, & Catharina Borbonia Parthenonis Suessionici B. Mariæ pro tempore commendata, postea Carolus de Roffiaco Suessionensis Episcopus auditis testibus approbavit, & tribus capsulis reclusit, uti legitur in commentario Alexandri Salnovei Monachi & Eleemosynarii Medardensis, apud Bollandum.*

3. *Eodem etiam corpus S. Gregorii Papæ translatum esse tradit Odilo infrà cap. 15. quod de parte tantùm corporis explicandum esse censet Baronius. Certè Carolus cui cognomen Calvus,* cùm Suessonicam peteret urbem anno DCCC XLII, Monachi de — & S Gregorii.

sancto Medardo occurrerunt illi, deprecantes ut corpora sanctorum Medardi, Se-
An. Chr. DCCC XXVI. Dec. IX. bastiani, Gregorii, Tiburtii, Petri & Marcellini, Marii, Marthæ, Andifax & Abacuc, Homesimi, Meresinæ & Leocadiæ, Mariani, Pelagii & Mauri, Floriani cum sex fratribus suis, Gildardi, Sereni, & domni Remigii Rotomagorum Archiepiscopi, in basilicam ubi nunc quiescunt, & jam tum maxima ex parte ædificata erat, transferret. Quibus adquiescens, inibi remansit, & uti postulaverant, beatorum corpora propriis humeris cum omni veneratione transtulit. insuper & villam quæ Bernacha dicitur, rebus ejusdem ecclesiæ per edictum addidit. *Eamdem rem probat caput 20 libri primi de vita Gosuini Abbatis Aquicinctensis, qui in Medardino Cœnobio ægrotans*, videre sibi visus est de loco Sanctuarii virum egredi secus mausoleum, quod beati Gregorii creditur ossa continere, *à quo & sanatus est. quo facto Gregorius* tam Abbati Gaufrido quàm quibusdam claustralium voluit quod acciderat non taceri, quatenus de miraculi perpetratione, de superborum confusione, qui dicerent Gregorium non esse in loco illo, de exaltatione ecclesiæ suæ hilariores redderentur. *Ad hac Gregorii in ecclesia Medardensi quiescentis meminit Iohannes Saresberiensis in epistola 150. ubi Senonensis (ut puto) Archiepiscopus* in procinctu ferendæ sententiæ *contra vexatores Thomæ Cantuariensis Pontificis constitutus*, iter arripuit ad urbem Suessionum orationis causâ, ut beatæ Virgini, cujus ibi memoria celebris est, & beato Drausin, ad quem confugiunt pugnaturi; & beato Gregorio Anglicanæ Ecclesiæ fundatori, qui in eadem urbe requiescit, agonem suum precibus commendaret. *De translatione Gregorii per Gregorium Papam IV facta legendi Anastasius & Iohannes Diaconus: de translatione verò ejus capitis in Senonense Monasterium sancti Petri legendi Clarius, Odorannus, & maximè socii Bollandiani in suo Martio. ubi notant caput sancti Gregorii Papæ, primi an secundi, creditum adservari in ecclesia ejus nominis Constantiæ ad Rhenum & Vlissipone in Lusitania. De aliis Sanctorum reliquiis sæculo nono in Medardense Monasterium translatis inferiùs post hunc librum: nunc verò de istius Cœnobii origine breviter agendum est.*

Monasterii initia & dignitas. 4. *Sancto Medardo Noviomagi ad OEsiam rebus humanis exempto, & apud Suessionas sepulto, Chlotharius primùm* cellulam *seu oratorium* ex virgultis, *dein* basilicam fabricare cœpit *circiter annum* D L X. *quam postea Sigibertus filius ejus explevit atque composuit, teste Gregorio Turonico Episcopo, tum in libro de gloria Conf. cap. 95, tum in historia lib. 4 cap. 19. Basilicæ situm ad urbis Suessionicæ prospectum orientalem ita describit Auctor anonymus sæculi decimi in libello de miraculis sancti Medardi tomo 10 Spicilegii.* Erat autem illud rus quo hæc agebantur, ex ditione regalis fisci, cui Croniacus * vocabulum est, ex antiquo profano idolorum cultui mancipatum. Nam & usque hæc Danorum tempora bifrons lapideus magnæ latitudinis ante fores sacræ ædis in eodem loco perstitit. Eruderato itaque agro & in planum redacto, construitur nobile mausoleum recepturi tanti hospitis dignissimum: encæniatur locus, in quo sacrum Christi ovium famosissimum toto orbe erat alveare futurum. *id est Cœnobium Monachorum, quos eo in loco primitùs institutos à Sigiberto fuisse demonstrat V. C. Hadrianus Valesius in Disceptatione de basilicis cap. 6, & in Defensionis priori parte cap. 9. Hinc Paschasius Radbertus in lib. 3 expositionis in psalmum 44, agens de Suessione civitate, quam* Vesonam *non semel appellat*; Habet, *inquit*, ad orientem sui nunc castra Monachorum cum suis sanctis Confessoribus atque Martyribus. *In ea basilica sepulti Chlotharius & Sigibertus; & Pippinus Caroli Magni parens in Regnum levatus à Francis dicitur in brevi Chronico Monasterii, quod Chronicon exstat in Spicilegii tomo 2. Cùm angustior esset basilica, quàm ut confluentium populorum turbam capere posset; eam Hilduinus Abbas & sacri palatii Archicapellanus, juvante Ludovico Augusto, in ampliorem formam instauravit, quam postea Sigefridus Rex Nortmannorum incendio tradidit circiter annum* D C C C L X X X V I. *ut legitur in primo Chronico de gestis Normannorum apud Chesnium. Et tamen Henricus Dux, quem Carolus Imperator auxilio Parisiensium miserat, à Nortmannis cæsus, anno insequenti* in basilica sancti Medardi sepelitur, *testante Reginone in Chronico. De instauratione & incendio prædictis ita scribit Anonymus jam citatus in Spicilegii tomo 8.* Nemo sanè autumet hanc esse basilicam, *à Sigeberto scilicet ædificatam*, quæ olim à C H L U D O V I C O Cæsare cœpta, nuper est à Marcomannis exusta. Verùm illa prior à Sigeberto Rege patrata, ob frequentiam populorum propter omnigenûm virtutum insignia ad memoriam egregii Martyris Sebastiani confluentium, à R O D O I N O tunc Præposito ejusdem Cœnobii Augusta præceptione, cooperante semper bonæ memoriæ H I L D U I N O Archicapellano Abbateque jam dicti Monasterii funditus destructa, & in maximo ambitu augustiùs est instaurata. *Istius instaurationis meminit Nithardus suprà num. 3. Quis post Nortmannicam cladem loci restitutor fuerit, mihi incompertum. Ecclesia quartùm innovata*, anno M C X X X I dedicatur ab Innocentio Papa secundo in honore beatæ Ma-

riæ

* Crouy

riæ semper Virginis & sanctorum Apostolorum & Martyrum, & in bonore beati Medardi Episcopi & Confessoris Idos Octobris. *quæ sæculo proximè elapso à Calvinistis fœdè temerata, denuo restituta est nostro sæculo, quo Monasterium Congregationi sancti Mauri addictum feliciter perseverat. Illic illustria facta insignesque eventus contigere; floruerunt viri sancti ac pii non pauci: quæ omnia his Observationibus comprehendi non possunt. Nam eo loci, præter jam dicta, exauctoratus Ludovicus Augustus; Pippinus Aquitaniæ Rex jussu Caroli Calvi tonsus; Hirmintrudis Caroli uxor ab Episcopis coronata; & Rodulfus Rex dictus, teste Frodoardo in Chronico. Concilium ibibi ab Hincmaro habitum, in quo lata sententia adversus Monachos duos, qui Pippinum inde subduxerant. ibi etiam Synodum habuit Innocentius Papa secundus.* An. Chr. DCCC XXVI. Dec. 12.

5. *Istuc vitæ perfectioris desiderio secessere* LEIDRADUS *Archiepiscopus Lugdunensis*; Viri pii ac MARCUS *Scottus Episcopus sæculo nono: quo etiam Abbas sanctus* RODULFUS, *post* illustres. *Archiepiscopus Bituricensis, loco præfuisse memoratur. His etiam adjungitur* HUGO *Caroli Magni (ut putant) filius, Abbas Novaliciensis. at quid de eo sentiam, exposui in Sæculo III ad annum* DCC XXXI. *Præterea vixerunt eo in Cœnobio sancti Arnulfus & Gerardus Abbates sæculo XI, Gosvvinus Prior sæculo XII, de quibus aliàs. Hic observanda nonnulla de Marco Scotto Episcopo, qui sæculo nono vixit.*

6. MARCUS Scottigena Episcopus temporibus Grimaldi canonici Abbatis, Harmuto ejus quasi pro Abbate, Gallum, *id est Monasterium sancti Galli*, tamquam compatriotam suum Româ rediens visitat, *inquit Ekkehardus Iunior in cap. 1.* Comitatur eum sororis filius Moengal, postea à nostris Marcellus diminutivè à Marco avunculo suo sic nominatus. hic erat in divinis & humanis eruditissimus. Rogatur Episcopus loco nostro aliquamdiu stare: allecto nepote, diu secum deliberantes, via tandem consenserunt. *Id factum regnante Carolo Calvo. Post hæc Marcus in Monasterium sancti Medardi se recepit*, cùm illic vigeret præclara Monachorum congregatio, quorum honesta celebrabatur institutio, *ut scribit Lisiardus in Vita sancti Arnulfi Episcopi Suessionensis. Hericus Autissiodorensis Monachus, Marci æqualis, in libro de miraculis sancti Germani Autissiodorensis Episcopi cap. 55, Marcum vocat* sanctum senem, qui natione quidem Britto, educatus verùm in Hibernia, post longa pontificalis sanctitatis exercitia, ultroneam peregrinationem sibi indixit. Sic traductus in Franciam, piissimique Regis Caroli munificentiâ illectus, apud beatorum Medardi & Sebastiani Cœnobium anachoreticam exercebat vitam, singularis nostro tempore unicæ philosophus sanctitatis. *Et sancti Germani miraculo verbis ipsius Marci relato, ita subdit Hericus:* Hæc ita apud Britanniam catholicis litteris contineri prædictus mihi Episcopus jurisjurandi interpositione firmabat. cujus probitatem quisquis expertus est, verbis illius fidem cedere nullo modo dubitabit. *Ex quibus intelligitur, Marcum fuisse virum sanctum, cujus gratiâ non immeritò hic tantisper gradum sistere visum est.* Marcus Episcopus Scottus.

7. *Regulam sancti Benedicti Monachis ejus loci à primordiis impositam fuisse sententia* Regula *fuit Rothadi eo nomine primi Suessionensis Episcopi, qui in quodam privilegio ait, Reges* Monasterii. *in tantum extulisse Monasterium istud*, ut omnibus locis sui juris eum præficerent, ullique intra Gallias religione, scientiâ, opumque copiâ habeatur secundus, & Fratres ex nobili genere Deo servientes sub regulari & monastica sancti BENEDICTI REGULA ibidem aggregasse. *Certè in jam citato Concilio Medardensi Patres causam duorum ejus loci Monachorum* SECUNDUM REGULAM SANCTI BENEDICTI *examinaverunt anno* DCCC LIII. *quo fere tempore Hincmarus Remorum Antistes Rothado Suessionensi Episcopo scribit* pro ordinatione Monasterii sancti Medardi, & restituenda in eo Regula, *ex Frodoardi lib. 3 cap. 21. idemque etiam epistolam direxit Monachis ejusdem Cœnobii* pro Hainoardo Monacho, qui veniam pro excessibus suis apud Regem postulaverat, *& cap. 25. Denique quàm Regibus acceptum fuerit Monasterium sancti Medardi exinde patet, & quod palatium habuerint Monasterio contiguum, infrà cap. 40, & quod loci Monachos exemerint à quovis onere donorum & militiæ, quod paucis concessum erat.*

MERITO *magnifica fide reverendo, omniumque laudum præconio efferendo* INGRANNO, ODILO [a] *omnium sub norma cœnobitalis disciplinæ degentium peripsema.* Suscepto paternitatis vestræ minimè spernendo imperio, fateor, stupens hæreo. Licèt enim monachile cingulum in agonia spiritualis militiæ professus sim, & ad omnia, tametsi difficilia imponantur, paratum me esse debere, decretum sentiat regulare; ingenuè tamen testor ad exsequendum quid injungi- a

[a] In ms. codice Resbacensi hic legitur RODOLNUS, at mendosè ex dictis: in Joliano deest nomen Auctoris, quod in fronte scribitur ODILONIS, quod proinde hoc loco supplere visum est.

An. Chr. DCCCXXVI. Dec. 12.

ris nequaquam me fore idoneum. Exigitis enim ut qualiter, quove ordine agonistæ fortissimi, domni scilicet ac piissimi protectoris nostri Sebastiani, virtutiferum corpus ad nos usque perlatum sit, quæve virtutum insignia & miraculorum magnalia cunctisque seculis admiranda gesserit, litteris festinatò alligare satagam. Grande quidem opus & sui magnitudine adeo præstans, ut humanæ inbecillitatis vires excedat. quod quidem nec ipse, si vulgò (ut aiunt) Homerus emergeret, explere posset: quanto minùs ego tantillus sermone imperitus & Grammaticæ disciplinæ omnimodis expers, qui nec quidem (ut ita dixerim) ipsos aiones * ad liquidum addiscere valui? Si tam grande onus flebilibus humeris imposuero, ante mei sub fasce ruendum erit, quàm gressu aliquo liberè incedendum. Oportuerat denique me tantæ rei magnitudinem diu expendere, & si quid pulcritudinis hujusce materiei dignis sensibus concipere possem, priùs explorare; dehinc auxiliante Domino, si facultas explorata suppeteret, quod injungebatis scripere. Ast cùm præsens habeatur is, qui Italiam præproperus hæc quæ scribenda sunt perferre debeat, & vestra instantia in procinctu maturandum opus expostulet. Librandum est vestræ sanctitati, ut si perficere nequivero quod jubetis, non mihi imputetis qui tantum opus subii, sed vobis qui subire fecistis. Neque in eo verborum faleta, non eloquii venustatem attendatis. non enim qualiter quantumve volui, sed feci qualiter quantumve potui: & licèt rusticè, vera „ tamen edidi. ut enim egregius doctor Hieronymus ait: Tolerabilius est vera rusticè, „ quàm falsa disertè proferre. Sed mirari non desino, quomodo tot inmensa sidera, tam ingentia & cunctis seculis admiranda virtutum insignia, quæ per hunc speciali privilegio semper honorandum, excolendum ac venerandum Martyrem suum Christus operari dignatus est, in laudabili silentio a usque ad hanc supprimi quiverint ætatem: maximè cùm notum sit istius * sanctæ congregationis alumnos animi sapientiâ & faceta urbanitate semper fuisse profusos. nisi fortè id recipiamus, quod & ita esse ratione non spernenda conjicitur, divina miracula ex assiduitate viluisse. Et dum hoc in loco continuâ signorum frequentiâ magis magisque fruerentur, & miris semper miranda succederent; recentium copiâ delectati, præterita, quæ & numerum ipsum transgredi dicebant, litteris alligare inofficiosum & minùs utile opinantes, torpenti studio obmisere. Sed Aganardus cognomento Sapiens, ea qui tempestate habebatur insignis, hujus reverentissimi cælicolæ mentionem in gestis Cæsarum Karoli Magni & filii ipsius Hludowici faciens, inter alia quæ annotivo cursu dictabat, non inoperosum duxit mortalia acta inmortali adstipulatione roborare, ita dicens:

* *sic in Ioliano etiam.*

* *al.* hujus

Eginh. in Annal.

„ Dum hæc aguntur, Hilduinus Abba Monasterii sancti Dionysii Romam mittens, „ annuente precibus ejus Eugenio sanctæ Sedis apostolicæ tunc Præsule, ossa beatissi- „ mi Martyris Christi Sebastiani accepit, & ea apud Suessionensem civitatem in basi- „ licam sancti Medardi collocavit. ubi dum inhumata in loculo in quo allata fuerant, „ juxta tumulum sancti Medardi jacerent, tanta signorum ac prodigiorum multitudo „ claruit, tanta virtutum vis in omni genere sanitatum per divinam gratiam in nomi- „ ne ejusdem beatissimi Martyris emicuit, ut à nullo mortalium eorumdem miraculorum „ aut numerus comprehendi, aut varietas verbis valeat explicari. Quorum quædam „ tanti stuporis esse narrantur, ut humanæ inbecillitatis fidem excederent, nisi certum „ esset Dominum nostrum Jesum-Christum, pro quo idem beatissimus Martyr „ passus est, dinoscitur omnia quæ vult, facere posse per divinam omnipotentiam, in „ qua illi omnis creatura in cælo & in terra subjecta est. De his Aganardus ita. Hinc, Pater æquissime, tua benedictione donatus, tuisque beatissimis meritis præmunitus, quantum ipso eximio Martyre juvante divina faverit clementia, præceptioni vestræ humilis executor parere curabo: & quia non obedire culpabile judicatur, & quod non est posse, velle præsumere præsumptibile dicitur; malo de imperitia potiùs quàm de contemptu edicti regularis à quoquam suggillari.

a Et tamen Auctor in fine hujus libri ait superesse in suo cartophylacio schedulam Rodoini, plurima sancti Martyris miracula continentem.

RELATIO MEMORABILIS, cunctiſque Galliarum populis ſollemni eam devotione recolentibus perenniter profectiva, qualiter beatiſſimi Sebaſtiani venerabile corpus à LUDOVICO Cæſare Imperatore & ab EUGENIO ſanctæ Romanæ Sedis Pontifice conceſſum, in Galliis denique tranſlatum & apud Sueſſorum civitatem perlatum, honorificè ſuſceptum atque depoſitum eſt die v Iduum Decembrium.

CAPUT I. Hilduinus Archicapellanus, Abbas Medardenſis, Rodoinum habens Præpoſitum,

ANNO incarnati Verbi octingenteſimo quarto-decimo, divæ memoriæ HLUDOWICUS Cæſar Imperator Auguſtus, Karoli Magni filius; poſt lacrymanda ſæculis omnibus patris fata ſuprema, totius monarchiæ principatum Francorum præjudicio adeptus, nullo adverſum ſe oppoſito compacti Regni ſceptris ſtruitus ac ſtemmate donatus, univerſis quaquaverſum applaudentibus paterno eſt ſolio collocatus. Qui cùm per immenſæ dignitatis gloriam faſcibus imperialibus præpolleret, beatarum virtutum quibus numquam cani prævalet, immortalibus infulis ſe magnificentiùs exornare procuravit: præcipuè memoriam ac patientiam in omni actione ſua circumplexus, ſed & futurorum nonnumquam præſcius. Hic inter cunctos Imperii ſui primates, quos conſilio ſuo adſciverat, HILDUINUM Abbatem reverentiſſimum, virum quoque omni probitatis genere permodeſtum omnique ſagacitate & induſtriâ præditum, juſtitiâ conſpicuum, ſanctitate præclarum, in tantum amavit & extulit, ut ei ſpecialiùs quidquid ſecretiùs tractandum eſſet committeret, cumque Archicapellanum in omni Imperio ſuo conſtitueret. Hic itaque venerabilis Abba inter plurima quæ ei auguſtali benignitate commiſſa fuerant Monaſteria, habebat in proſpectu urbis Sueſſorum Cœnobium nobile, quod CHLOTHARIUS quondam Rex Francorum filiuſque ejus SIGEBERTUS in honore beatiſſimi Medardi Confeſſoris Chriſti magnis conſtruxerant ſumtibus: in quo & ejus ſacratiſſima membra tumulaverant. Hujus ergo loci Fratres Pater Hilduinus videns monaſticæ religione pollere, & eccleſiaſticis eruditionibus adſueſcere congratulans, eorum plurimum delectabatur provectibus; & ut magis magiſque ad perfectionis culmen tenderent, monitis ſalutaribus ſedulò hortabatur. Denique tanto amore ac diligentiâ locum ipſum excoluit, extulit, opibuſque ditavit, ut nulli intra Gallias religione, ſcientiâ opumque copiâ haberetur ſecundus. Hujus tunc ſanctæ congregationis Præpoſitus RODOINUS habebatur, vir ſagax, cujus aſtutiæ & ingenio neminem noſtri temporis æquandum puto. Hic ob meritum ſuæ fidelitatis, collatæ ſibi divinitus induſtriæ tantam familiaritatis gratiam ab eodem Patre ſanctiſſimo Hilduino eſt conſecutus, ut eum omnibus Monaſteriorum Præpoſitis, qui ſuæ ditioni ſubjacebant, præferret. Hinc fama vulgante, celebre nomen ejus in aula Regis habebatur. Itaque Deo amabilis Imperator compertâ viri iſtius induſtriâ, privatim publiceque eum honorare cœpit, liberam ei concedens facultatem, ut quidquid ſibi aut loco coi præerat utilitatis, aut commodi reperiſſet, abſque ullius conſultu ad ejus tribunalia deferens extemplo conſecuturus eſſet. Nec multo pòſt per divinam clementiam tantam ab eodem adeptus eſt gratiam, ut eum tam pro amore pii Patris Hilduini in cujus obſequio aulam regiam frequentabat, quam & pro ſagaci induſtria qua ſingulariter præminebat, ſi quando de Regni utilitatibus tractandum eſſet, eum inter eos qui à ſecretis erant libenter admitteret.

II. Romam mittitur.

Ea tempeſtate prædictus Pater Hilduinus apicem (ſicut jam diximus) in omni Auguſti monarchia ſuper omnes ſui habitus retinebat. quod quidem officium ſuæ excellentiæ dignitati congruum, acris ut erat ingenii, decenter ſatis exercitio adminiſtravit. Qui à piiſſimo Cæſare ad quorumdam improbitatem compeſcendam qua adverſus ſummum Antiſtitem EUGENIUM intumuerant, Romæ delegatus, ſic judicium omne prudenti examinatione exercuit, ut & Cæſaris juſſum expleret, & Pontifici ſatisfaceret, & eos qui contra hunc ſuperbè intumuerant, ſedatâ eorum contumaciâ pacatos redderet & quietos. His rite patratis clamor urbis in ſavorem tanti Patris attollitur, imperialia judicia approbantur, clementia per virum operata laudatur, Pontificis amor ac devotio erga venerabilem ubertim ſuccreſcit Patrem, & ut in hujus dignitatis honore longo vivat tempore ſenatus omnis Eccleſiæ ſumma implorat devotione. Junguntur precibus multigena munera, quæ tanta ac talia à quibuſdam percepiſſe narratur, ut pretium excedere viderentur. Benedictione itaque petita & obtenta, Apoſtolorum principem ſibi adfuturum orantes, conſecutâ repedandi licentiâ iter

AN. CHR. DCCCXXVI. DEC. IX. arripuere Deo favente ad propria. Interea hii qui eum familiariùs unico diligebant amore, ægrè ferebant ejus absentiam, videntes extra placitum quorum sperabant tardiùs regredi. Spe interea dubii repentè audiunt non sine magno gaudio partes eum jam Galliarum adisse. RODUINUS interea & sui, Patri ut erat fidissimus, quia res ei singulariter incumbebat, universa cum apparatu honorificentissimo inobviam sui desiderabilis proficiscitur patroni. tandemque reperto & reviso, mœrore quo afficiebantur abjecto, paternis ab eodem amplexibus excepti, ingenti admodum exsultatione recreati, diu optatis perfruuntur gaudiis.

III. Reversus de sua legatione sermonem habet. Post paternos amplexus & oscula prædulcia, de his quæ sibi accidissent avidè percunctantibus prolixum habuit narrationis sermonem, qualiter quove honore à Domno apostolico & à senatu sanctæ Romanæ Ecclesiæ fuerit exceptus; qua auctoritate & censura quorumdam garrulitate repressa, qui adversus sacram Antistitem contumaces exstiterant, & jus imperiale servaverit, & apostolicis sanctionibus paruerit, & utriusque partis censor æquissimus fuerit; quámque ab omnibus Romanorum primoribus bene usus sit, & amicabiliter obligatus. denique & hoc quod & sibi præcipuum, & suis erat gratissimum, quæ cum gratia ejusdem domni Pontificis etiam speciali contubernio ejus amicitiæ copulam habere meruit. Denique quidquid illud est, quod aut prosperè cessit, aut eventu fortuitu molestè accidit, Dei ineffabilia in omnibus sibi adseverevit adfuisse præsidia. Sufficienter itaque Hilduino itineris ac legationis suæ carissimis filiis referente discrimina, Roduinus ait: Gratias quidem omnipotenti Domino, Pater inclite, habemus & agimus, quòd universis ab eo satis prosperè concessis, salvum te & incolumem videre meruimus. Nempe & hoc noctu dieque si nos exaudire dignatus sit, sine interpolatione expostulavimus, etsi non nostro merito, quod nullum esse decernimus, tuæ tamen fidei bono tuisque sacris meritis, Deo amabilis Pater, hoc nobis concessum cælitus jocundemur. Etenim quo in remoratione tua longævior fuit molestia, eo quia prosper fuit successus, in rei exhibitione hilarior exstat lætitia. qua utinam te valente patrono nos contingat perfrui, quousque vitalis flatus hos rexerit artus. His pius Pater Hilduinus alloquiis illectus ac plurimum jocundatus, cœpit serere sermonem de dignitate apostolica ac religione ecclesiastica, & de cultu Sanctorum, quorum infinita multitudine urbs Romana pollebat, recensens quorumdam ipsorum agones, merita quoque & nomina. His ergo jocundis recordationibus sibi blandiens venerabilis Abba, in longum duxit sermonem.

IV. à Rodoino monitus de petendis reliquiis. Interea Rodoinus, sagacis quia erat animi, ut reor cælitus animatus, oculata cupidine loco cui præerat in futurum prospiciens, ait: Paullo antè, mi Pater & domine, sermocinante te dixisse percipui, quidquid tibi conducibile aliquoties esset aut placitum, à summo Papa Sedis Apostolicæ inviolabili adstipulatione perpetim esse concessum. Experiendum nobis est utrumnam habeat effectivam ejus pollicitatio clausulam. Certè, ut reor, evenire poterit, ut aliquem eximii meriti ex his de quibus modò sermo habitus est, cælicolam vobis conferre non abnuat. Quod si contigerit, quale vobis salubrius munus impertire valebit, quàm opportunum etiam exsisteret, ut vestro in omnibus protectori sancto Medardo collega vestra procuratione daretur? Ipso enim uno dumtaxat patrono fruimur. Erit autem hoc vestræ saluti idoneum ac memoriale sine fine mansurum, totiusque patriæ perenniter profectivum. Summæ reverentiæ Hilduinus Abba gratulabundus Rodoino ait: Tuæ religionis locum, quantum datur intelligi, nos subrigere & extollere plurimum persuadere conaris. nec improbo votum tuum, neque tuæ petitioni dissentio, immo totum ingenium, quantum Deus annuerit, spondeo, teque hujus negotii exsecutorem esse decerno. Judicium tamen nobis ex hoc imperiale experendum est: cui si fuerit laudabile, tunc consequenter erit immutabile. Cui Rodoinus; Optimum, inquit, Pater, tuæ sanctitatis decretum.

Aquisgrani convenit Imperatorem. Directis denuo procul à Cæsare gloriosissimo ad deducendum venerabilem Abbatem comitibus iter accelerari suadent, adseverantes magno Imperatorem visendi eum desiderio effici. Hinc gratanter iter carpentes ad Aquas usque Grani [a] pervenere palatii. Tunc catervatim hinc inde universi eum constipantes atque supra modum exsultantes, ad penetralia induxere Augustorum. Quo ac solitò gratiosè susceptus, omnem perfunctæ legationis seriem pandit. Quâ absolutâ gratulatur admodum pro bene gestis Augustus, refert gratias, largitur & munera. Deposito Imperii supercilio Augusta JUDITH, celebris & famosa, procedit ex triclinio, solitoque affectuosiùs venerabilem excipiens Abbatem, de ejus plurimum exhilarata prospero jocundatur reditu: cohors quoque omnis in ejus quasi in patris proprii lætatur regressu.

[a] Sic passim veteres Aquasgrani vocant villam regiam in pago Ripuariorum, quam Aquisgranam appellant recentiores.

AN. CHR. DCCC XXVI. DEC. IX.

V

Rodoinus Romam destinatur pro corpore S. Silvestri.

Postquam affatim gaudio sunt exhilarati, non immemor bonæ memoriæ Hilduinus (hoc enim ei epitheton inerat) quod à suo fideli Rodoino ei suggestum fuerat, captata opportunitate hoc ipsum Augusti auribus intimare curavit. Cui benignissimus ut erat Imperator: Non tibi improbabile esse debet, quòd à tuo nostroque fideli prompta devotione suggeritur. erit enim hoc, si res effectum habuerit, non nobis solùm, sed totius Regni gubernaculis profuturum. Quem ergo delegisti nobis congruentiùs expetendum? Evocatur Rodoinus Regisque exhibitus præsentiæ, de hoc ipso ab eodem conventus Imperatore, ratam ciramque reddidit sen- tentiam dicens Silvestrum quondam sacrosanctum Antistitem, si vestræ sublimissimæ libet Majestati, arbitror expetendum. Accepto fert Augustus ejus diffinitum sermonem, itane omnibus complaceat adsistentibus sciscitatur. Fit unus omnium in hac re consensus, & ut felicem obtineat exitum votis imprecantur unanimes. Annuit Imperator libens, & ad hoc exsequendum, quantum divina faverit gratia; plenum spondet obsequium. dehinc dilectum sibi Abbatem cum Rodoino de expeditione tanti itineris hortatur ac commonet Rodoino arripiendi itineris certa præfigit spatia, quibus excursis, ut ad ejus redeat præsentiam imperat. Ille patriam locumque repetit alumnum, non segniter intercessæ dilationis tempore utens. Denique in procurandis tanto itineri necessariis, quidquid illud est quid Galliarum fertilis humus proferre amabiliùs consuevit, satis abundeque apparatum suum instinere satagens, maximam pecuniæ summam aggregare studuit. Post hæc diebus indultæ dilationis expletis, ad Augusti præsentiam redit. Quo mox benignissimè recepto epistolas nomine & anuli sui impressione signatas, de adipiscendis Sanctorum jam dictis pigneribus omnifaria prece refertas, quibus beatissimum Papam Eugenium rogabat Rodoino cum suis Romæ deferendas contradidit, & ut pro virium capacitate laboris & ingenii studium ad hoc exsequendum impenderent, attentiùs commendavit.

VI.

apud Lingones cælitus monetur, ut petat S. Sebastiani reliquias;

A Cæsare his ita eleganter informati, & ultra quàm de tanta dignitate æstimare poteras, prædulcibus osculis & sacris amplexibus vicitim amplexati brachiis, gratiosè dimissi, iter frustra arripiunt inscii. Lingonensem usque ad urbem denique pertendunt: in qua aliquantisper recreandi vires, aptissimum locavere tentorium. Hic ante fores matris ecclesiæ quidam prævalida ægritudine graviter præreptus decubabat invalidus. Eadem ipsa nocte qua ibidem applicuerunt, post longa diurni doloris suspiria, cùm fessa membra inepto nimis sopore resolvisset, se coram inenarrabilis splendoris atque fulgoris nimii personam adstare conspicit; adspectumque ejus non ferens, caput circumagens, nec mortali lumine reverberata oculorum acie præsentem intendere valens, ab eadem blandis nimiùm affatibus quidnam ibi ageret, quo eventu molestiam ipsam incurrisset percunctatur. Causam reddit incommodi, tempus exprimit. Ille rursum, an pristinæ sanitati vellet restitui perquirit. Qui & sibi super hoc ingens esse desiderium, si aliquo modo id sperare posset, respondit. Cui ille virgâ quam manu gestabat anteà plagam locumque hospitii designans, Vade inquit, in suburbium istud, & hujusmodi quæsitos reperies viros Romam pergere disponentes: causam quam moliuntur divinæ non esse prædestinationis, mea ex parte innotesces. Ad quem ille tremebundus & anxius: Domine, quo te jubes nomine monstrari? Et ille; Ego sum, inquit, Sebastianus martyr, qui Romæ pro Christi Dei confessione fustibus cæsus occubui, qua & corpore hactenus sepultus jacui. Mea illis humana à Domino esse concessa, non ejus pro quo vadunt, noverint. Ad hæc ille; Præceptioni, inquit, tuæ serenitudinis parere non renuens, quàm libenter ad eos quæ à te mihi jussa sunt perferre satagam. Illi forsitan me eos velle deludere, suspicata fraude calumniabuntur. Experimentum hujus rei, si à me exigere cœperint, quale jubes dare responsum? neque enim, ut reor, aliter eis persuaderi poterit. Tunc beatissimus Martyr exserto contra eum brachio, manu potenti statim ut eum attigit, sanitati reparavit. Atque ita prosecutus; Sanus esto, inquit. Hocque tibi sit signum à me collatum, quòd nulla prorsus ambiguitate erit rejectibile. Somno lætitiâ metuque fugato sospitate integerrima, verissima esse omnia quæ audierat approbavit. Ita namque apparebat sanissimus, ac si nullius aliquando infirmitatis æstu fuisset infectus. Tunc ille ovanter universam perlustrans urbem & suburbana, jussos cœpit quærere viros, atque in sese deifica per sacratissimum Martyrem operata publicare remedia. Hi qui eum ab heri & nudiustertius ad limina prædictæ basilicæ semineccm jacere viderant, hinc inde famâ facti concurrentes stupore ignotæ restaurationis attoniti; Deo latè vulgaribus concentibus gratias personabant. Tandem ipse diligenter perquisitos reperit viros; quos statim designatis recognoscit indiciis, & quæ sibi imperata fuerant intrepi-

An. Chr. DCCC XXVI. Dec. IX.

dus enarrat, seque in adstipulationem dictorum antesignanum palàm præbet. At hi cum summa reverentia susceptis quæ à beatissimo Martyre dabantur mandatis in inmensum exhilarati, vota gratiarum omnipotenti Deo persolvere, & Sanctum pro beneficio sibi præstito conferiâ laude magnificare non cessant. Exinde retrogradis passibus itinera convertentes, paullatim reflectere conantur ad propria; auctoremque hujus negotii venerabilem Patrem Hilduinum expetentes, rem divinitus gestam per ordinem pandunt, & ut per seipsum ad Augusti notitiam ad ipsum perferre dignaretur, anxiè precantur. Diplomata quoque quæ magni Silvestri Præsulis rogabant pignera, demutari in expetitionem incliti Martyris Sebastiani obnixè deposcunt, & ne quid cœpti itineris infortunium incurrant, maturari causam quantocius qua audent importunitate insistunt. Perfert vir spectabilis Hilduinus ad notitiam pii Principis divinæ legationis arcanum, pandit salubrem de adipiscendis tanti Martyris pigneribus revelationem. Jubet Augustus literarum schemata sub obtentu emeriti militis multiplici referta prece instaurare. Dehinc ut priùs nomine & anuli sui impressione signatas, Rodoino cum suis reconsignat epistolas. Illi per divinam revelationem salubriùs aura spirante gratanter viam relegentes, nihilque de expletione negotii ulterius hæsitantes, auream certatim expetunt Romam.

VII. anno 826 Romæ ea de re agit apud Pontificem.

Anno incarnati Verbi DCCC XXVI, imperii verò HLudowici Cæsaris XIII, Rodoinus cum ingenti frequentia & copioso apparatu Romam intrat, impositæ sibi legationis sacramentum artifici industria informatum prudenter exsolvit, Martyris Sebastiani magnarum virtutum & sanitatum vivificos cineres implorat & impetrat. Sed antequam majestatem apostolicam adeat, quosdam Episcoporum & Abbatum seu reipublicæ primores, quos illic venerabilis pater Hilduinus fidissimos se habere monstraverat, exquirit & reperit. Erant præ omnibus ex his promptiores & dignitati apostolicæ sedulò adsistentes, QUIRINUS super ista, THEOPHYLACTUS Numenculator, & INGOALDUS Abba reverentissimus, qui tum fortuitu aberat. siquidem ex præcepto Imperatoris iter ad Beneventanos arripuerat Episcopium Albocuriæ descripturus. Sed concito insecutus veredario, amica evocatione interceptus reflexit ad urbem. Legatos hilari adspectu excepit, humanè egit & si secundis valeret successibus, jam dictus Pater Hilduinus ante omnia sciscitatur. Prospera denique valetudine hunc haberi percipiens, Deo pro hoc gratias egit, & ut provectioribus per multa tempora incrementis sibi hoc vel qui videre nequibat audiri daretur inprecatur ex animo. dehinc quid tam inpræcognitè & insuspectè devenissent percunctatur. Illi ad aurem familiariùs admoti, secretum universæ rei fiducialiter pandunt. Quod æquanimiter accepit, & eos in agendum desperatione ablata benignissimè confortatus est. denique quod pollicitus est ore indefessa explevit intentione. Nam per illum via atque omnis ante Domnum apostolicum illis patuit aditus. Tum demum viros honestissimos Quirinum & Teophylactum expetentes, missas tradunt epistolas, atque pro his quæ habebantur inserta geminabant preces & munera. Itaque illi nomine Martyria præcepto perculsi animo vultuque pallore suffuso, Apostolorum Petri & Pauli tertius si daretur patronus, quomodo expelli sine tumultuali præjudicio posset, humani hoc ingenii protestabantur non esse: cùm & Imperatoris jussum & amici petitionem quàm libentissimè vellent stabilire. Econtra Rodoinus & sui nequaquam hoc obstaculo repulsi, importuniùs insistebant, Imperatoris inevitabile votum, & Patris à quo destinati fuerant fiduciam, quam in eorum celsitudine collocaverat, replicantes. Talibus illecti, si permissio voluntatis Dei ac Martyris foret, favere se ex animo indicant, & qualiter congruentiùs ordiretur prudenter insinuant.

VIII. Denique in Patriarchium ante Domnum apostolicum deducti veniunt, solotenus genua curvati prona sacris hærent vestigiis oscula. Inde proferuntur diplomata, dantur & transmissa. Verborum copiis pium Patris demulcent animum, quatinus sic sibi fortè inclinarent ad votum. Augusti pandunt auctoritatem, nominati & conscripti Patris explicant fidelitatem. Si quid minus litteralia schemata protendissent, pro captu ingenii elaborabant. Hac collocutione nemo privatorum intererat præter Quirinum & Theophylactum. Graviter enim tunc infirmabatur, ita ut semivivus appareret: nec aliter quàm lecto accumbens eorum legationem audire poterat. Cùm ergo legerentur epistolæ, & ille vocabulum Martyris audisset,

Obstupuit, vocis confudit & organa tristis
Mens, Sancti non ferre valens discrimina tanti.

Quippe quem post Apostolos, quasi tertium, magnificis Romana plebs frequentabat muneribus ac laudibus. Quid animus volveret, pallentis facies præcudebat.

An. Chr. DCCCXXVI. Dec. IX.

Eo diu ſilente ſuſpenſis animis ſtabant: & cùm tandem reſumpto ſpiritu reſponſionem dediſſet, in ea ſpem omnem ademit, & ſupra ſe negotium eſſe adſeruit. Verùm illi quanta audebant ſupplicatione importunè inſiſtebant, genuaque ejus ac plantas profuſis lacrymis exoſculabantur. Unde ſpatium quo hæc meditaretur, & conſilium cum prudenti Romano Senatu exquireret, ſine cujus conſultu talia moliri non eſſe bonum aiebat, præſtolari juſſit. Rem ſollicitiùs Roduinus conſiderans, præ ſuis quem cura inſtigabat ampliùs, non illico abſceſſit; ſed angulo domatis memoratos viros Quirinum & Theophylactum ſegregavit, & eos in ſententia manere obnixè precabatur dicens: Noſtri miſereri dignamini, qui ſpem totam veſtræ commiſimus celſitudini; & amicitiæ illius veſtri recordamini, qua & in præſenti optimarum deliciarum quæſtus adipiſci, & gratiæ Dei in cæleſtibus cum Sancto valeatis participari. Si enim verum eſt quod vultus indicat, mentem patentet nobis cognoſcere datum eſt, quia domnus Papa æquanimiter noſtra non fert miſſatica. Quapropter quidquid illud eſt, quod certè inveſtigare poteſtis, precamur ut veſtris fidelibus abſque diſſimulatione priuſquam abſcedamus manifeſtetis & inſuſpectos reddatis. At illi ut priùs fidem dant in ope, ſi tamen Dei & Martyris eſſe poſſet voluntas, patriarchio educti hoſpitio ſeſe recolligunt.

Sed quia biceps cura ſacrum excruciabat Antiſtitem, Sancti quidem abſentia, & IX.
præcellentiſſimi Abbatis amicitia, cui aliquando quæque ſui juris eſſent conceſſa fuerant; indicto conventu privato Sacerdotum & eorum qui à ſecretis erant, legationem expoſuit, cujus abſolutionem ut ſano pectore diffinirent præcepit. Tunc illi pariter turbati & ultrà quàm credi poteſt mirati, talem petitionem aut furentis, aut Sancti meritum neſcientis eſſe reddiderunt, atque res in proſperum non cederet, feliciorem imprecabantur fortunam. Nec verebantur propter Papæ præſentiam, ſi illis ſanctum corpus daretur, dicere eum præcedentium Patrum actibus qui ſacramentis eccleſiaſticis Romanam auxerunt dignitatem, longiùs diſtare imparem. quid ampliùs? nec hoc fieri debere, neque juſtè fieri poſſe præſtabantur. Econtra illuſtres viri Quirinus & Theophylactus fieri debere & poſſe dicebant. Et cùm illi propter indiſcretam & tædioſam ſonitus confuſionem, quæ factum videbatur fatigare Antiſtitem, ſecederent, & qui à ſecretioribus erant remanerent; congruam cum illis ſermocinationem de eadem re cœpit ſerere, & melioris ſententiæ conſiliis Deo (ut credimus) inſpirante ſuperintendere, & voluntatem ſuam promtiorem manifeſtè demonſtrare. Illi autem qui ob garrulitatis ſuæ nauſeam foras ſeceſſerant, invida ſollicitudine explorare non verecundabantur, quid Domnus apoſtolicus cum Quirino & Theophylacto de hoc ipſo retractaret, & quia eos in gratiam ſui domini ſe ſupergredi ſæpiſſimâ experientiâ didicerant, quoniam quidem erant arbitri diffinitionis univerſæ, ne ob hoc ſine ſuo conſilio illorum conſultu res in proſperum cederet, ipſique quaſi deſpicabiles haberentur, non vocati curiam reperunt. de his quibus interrogati fuerant aditum repoſcentes, rem gratam pronnotiant. Reminiſcimur, inquiunt, optime paſtor & domine venerabilis, filii veſtri Hilduini erga majeſtatem Sedis apoſtolicæ uberrimam affectionem; ſed nec ſumus ignari ſupplicationis Auguſtæ in hoc ipſo nobis manifeſtato negotio. Utrumque enim per divinam providentiam prudentiæ veſtræ incomparabilis beatitudo ita diſponet, ut nec ille voſmet inhumanum, nec nos vos crudelem cauſemur. Summus olim Pontifex domnus ADRIANUS quo neſcimus intentu hujus Martyris aggreſſus tumulum, aut illum intra orbis mœnia transferre, aut quibuſque ex ejus corpore reliquias expetentibus volens tribuere, in primo conamine terribili horrore correptus atque repulſus, imperfectum reliquit. denique quòd ſanus evaſit, clementiæ ſibi parcentis Sancti reſignavit. Præſidente quoque beatæ memoriæ Papa LEONE hoc ipſum ex ejus præceptióne attentatum fuiſſe audivimus. ubi cum repentina coruſcatione tempeſtas exorta, templum omne fundotenus ſubmovit, ita ut ſuperficiem ſuper ſe cadere Clerus pavens melodiarum oblitus acclamaret, unde nemo ſe vivum abſcedere poſſe putavit. Narratur & ſub domno PASCHALI idem jam pridem initiatum, ſed ſimili perturbatione diremptum. Conſtat ergo totiea demonſtrato ſacramento, nullatenus illum hinc migrare voluiſſe. Hinc & nos fiduciam captamus tribuendi nec amittendi. Quod ſi ita annuente Deo evenerit, à neutro veſtra celſitudo jacturam videbit: illis plena ſatisfactio, nobis ablata querelosa derogatio. Hi quam erga veſtram celſitudinem ſe habere dicunt, ſervabunt devotionem, nos pactæ fidei tenorem. Eſt & aliud quod novimus certiſſimum, nullum inveniri Romanum, qui in ejus tumulum, quantumvis coactus, audeat mittere manum. Utrumque erit, & dari poterit & haberi. Hæc Domnus apoſtolicus audiens tranquillo pectore favit, & acceſſiri JOHANNEM venerabilem Epiſco-

Cardinales diſſuadent.

tum æstu eorum de lapidum ignitorum circumdatus parere videret, & pavitans quid ageret ignoraret; à persona confortatus ipsos subitò & absque læsione transiliisse est miratus. Itemque interjectam furentium prunarum congeriem vidit, à qua gressum retinere coactus subsistit. Sed ipsius personæ nutu fretus inantea se trajectum esse prospexit. Hinc cœptam ambulare viam voluit: & ecce pertransversum itineris flamma vorax immanissimos globos sparserat, quam sacer Antistes vehementer metuebat, propter hoc maximè, quia declinandi locus non erat. denique eadem ipsa persona sibi dante dexteram, illæsus abducitur ultrà. Tunc ad accersiendum eum Frater nomine WILHARIUS est directus: quem cùm adhuc horrore visionis terribilis pavitantem blando adtactu evigilasset, intimavit ex parte suorum tempus operandi mysterii, nec ullomodo procrastinandum, eosque jam dudum paratos demorari ad Martyris tumulum. Qui statim surrexit atque sacerdotalibus redimitus infulis summa cum reverentia ad locum festinus perrexit. Moras patefacta revelatione excusavit, & ut secura spe percipiendi sacramenti, cui tantoties suspiraverant exsisterent, dubietate pòst habita exhortatus est. Oblationario itaque vocato, cujus erat fortis ex Romana consuetudine aperire sepulcrum, cùm ille diu multumque renitteretur, & hoc iniquissimum esse causaretur, nec viro Romano irremissibile facinus præsumendum, quo per posteras successiones sacrilegii noxa denotaretur; iisdem Johannes monitis firmatus divinis ferramentum arripiens, prout vitium fuit, sarcophagum frequenti ictu usquequo lassesceret contudit, ac contundendo perterebravit. Quem cùm citatu fatigio * nostri deficere viderent, ipso innuente acrioribus animis atque valentioribus lacertis immergentes, licèt cum magno labore monumento interrupto, quippe quod molis erat ingentis & bituminis indissolubilis, tandem sacratissimum corpus repererunt Martyris. — *An. Chr. dccc xxvi. Dec. ix.* — Sepulcrum aperitur. — * id est fatigatione

XIII. Inde suavis odor exspirat.

Inter hæc universi qui adstabant, aromaticum à præterito mortalibus insuetum & incognitum hauserint odorem. quem tantæ suavitatis & delectationis fuisse retulerunt, ut nullus eo, cùm abundanter frueretur, satiari valeret. Ex quo liquidò approbamus, non humanæ eum fuisse compositionis, sed cælestis gratiæ, quæ semper in beatissimo fragraverat, gratissimam diffusionem. Hoc ergo de sancto diutiùs loco spirante vapore tota oblectabiliter illa respersa est domus, quæ in introitu sui cujusdam cadaver prope inhumatum ante decem dies servabat, ex cujus scaturiente sanie fœtor exsecrabilis ebulliens, introeuntes inficiebat. Sed illo superabundante noxius in nihilum vacuatus, donec omnia de Sancto festiva celebritate consummarentur, subsidit. Apparuerat jampridem beatissimus Martyr in revelationis arcano cuidam Archipresbytero, manifestans se ab illo velle migrare templo, ut reor, illius corruptibilis se cadaveris putorem ferre non valens. Videbatur enim ei ab absida vultu averso procedere, & foras velut indignans abire: illoque abeunte vestigia ejus puerulus prosequebatur, scopam manibus gerens, sordesque post terga verrens, quousque inde discessum est. Æstimabatur autem ipsa basilica quantitate sui basilicæ sancti Dionysii æqualis: in qua olim beatissimi Apostoli Petrus & Paulus tumulati fuerant, ubi & penes eorum vestigia idem Martyr venerandus se sepeliri jusserat. Unde constat dignissimis meritis Sancti eam fuisse indignam & requietioni ipsius incongruam. Igitur ministri & officionarii ejus, quibus exempli gratiâ ista reddidimus, agite ut nitidis obsequiis ei jugiter famulemini. Quanta per eum in tempore consecuti estis perpendite, quanta sine fine temporis sperare possitis recolite. Certè qui hìc suis nos exsequiis licèt indignos sic admittere censuit, ipse si dignè contendimus, audeo dicere, quia quos hìc famulos, illic suæ interventionis adjutorio perpetuos habiturus est socios. Neminem nostrûm pigeat laboriosæ servitutis in modico finitivi temporis, quem nulla dubietas frangere debet de præmio æternæ retributionis. — Visum favet.

XIV. Æger sanatur.

Immenso itaque gaudio & honore cùm inventum corpus divini odoris plenum, bysso primum ac deinum operosis palliis componerent, Clericum quemdam æstu febrium letaliter decubantem mira velocitate curavit. Invento itaque sacratissimi Martyris corpore cælesti odore affatim, ut diximus, fragranti, ilico ad Quirinum & Theophylactum missum est, quatinus peropportunè hoc Domno apostolico condicerent. Quod & factum cùm propter incommoditatem sui illuc venire non posset, venerabili Episcopo Johanni mandavit, ut ipse eis illud contradere. Quod tota alacritate & veneratione excipientes, cum ipso Johanne Episcopo & Ingoldo Archimandrita aliisque plurimis Romanæ ecclesiæ Clericis atque plebeiis abibant. Psallens verenter chorus dulcium melodiarum sonitum longiùs præeundo respergebat. Hi lætitiæ cantus, alii profunda suspiria & amaras querimonias dabant. Taliter ad præsentiam usque Domni apostolici illud deportavere, cujus ut annlo con- — Reliquiæ traducuntur.

An. Chr. DCCCXXVI. Dec. 12. signaretur ex more. Quod diligenter postquam ab illo perfectum est, in ecclesiam beati Petri perlatum, atque ibidem die eodem depositum est. Unde plurimi Romanorum malitiâ & invidiâ concitati Domnum apostolicum impetebant, crudeliorem eum omnibus prædecessoribus inclamare non veriti, qui talem ac tantum patronum suis è finibus expelli permitterat, quod numquam alius concessit. Unde suadebant, ut solum brachium eis daretur & reliquum decenter inibi loco reconderetur condigno. Hæc fraus Ingoaldum Archimandritem latere non potuit: qui statim nostris idipsum detexit: cautiùsque simul rem exercentes, consilio habito die illa siluerunt.

XV. atque etiam S. Gregorii. Præterea Rodoinus, quem vir amoris & desiderium inpatiens pro adipiscendis Sanctorum pigneribus affectu piæ devotionis animarat, obæratis affatim æditnis, quorum tunc erat officii sancti Petri servare basilicam, sub nocte eadem beatissimi Gregorii Papæ sacratissimum tumulum, qui ante secretarium erat, audacter aggressus, corpus ejus cum summa reverentia sublatum ac decenter compositum super altare beati Petri perlatum juxta jam dicti Martyris venerabile corpus depositum est. Dehinc fidei pactum Rodoinus cum suis rogatus gratanter tulit, superque eosdem martyris atque pontificis sacratissimos artus jurisjurandi sacramentum libenter exsolvit, scilicet ut nulli umquam mortalium quod gestum erat proderent aut publicarent: sed perenni silentio sepultum haberent. Hinc nostrates pia fraude laudabiles, duplicato gaudio tacito sub pectore magnanimes, sanctis inde sublatis corporibus nullo præpediti obstaculo ad Monasterium a Ingoaldi transtulerunt.

XVI. Novum impedimentum solvitur. In crastinum verò Domnus apostolicus jussit eos sibi reexhiberi. neque enim adhuc licentiam redeundi consecuti fuerant, sed tantùm in sua Sanctum jam receperant. Quos mox interrogat, quonam Sanctum haberent. Illi se nescire profitentur, nisi tantùm quòd jam eum suas in partes direxissent. Quidquid illud est, inquit, utrum nesciatis an non, præsentialiter eum huc referre curate: neque hæc immutari sententia poterit, ut hinc vobis facultas redeundi aliter tribuatur. Illi plurimum timidi ac mæsti jurejurando firmant, quòd ita se res haberet ut dixerant, & impossibile omnino esse hoc quod juberet. Quod vix ei persuaderi potuit, sed annuente Dei clementia, sicut cœperat ita permansit. Ab illis namque qui priùs his faverant, taliter immutatum est. Cùm ejus perturbatum sensissent animum, proximiùs ad aurem accedentes dixerunt, oportere eos quæ flecti & converti nequiverant, melius culè tractari, nec tam succensè objurgari, ne ut ingrati fortè abscederent, & munus maximum inlaudabile referrent. Hoc modo tametsi difficillimè absoluti & benedictione donati, suis haud procul ab urbe juncti, magnis de magno thesauro excrescentibus gaudiis, gratia comitante divina per prospera itinera revertuntur ad propria.

XVII. Miracula in itinere facta. Dehinc ad urbem usque Placentiam perveniunt: in qua cùm beatissimi Martyris corpus inferretur, ad ingressum ejus dæmoniacus fortiter loris vinctus adducitur. Turbatus ilico atque perterritus infelicissimus spiritus, miserum quem miserabiliter pervaserat, quia deserere cogeretur indignans, eum sævissimè vexare cœpit: & cùm multorum teneri manibus vix posset, prosiliens ac vincla quibus ligatus fuerat disrumpens, motibus incompositis inter medias turbas nunc sese sursum efferens, nunc præceps solo ruens, quosque in fugam cogebat. Sed ante Sanctum ut venit, subitò tremens corruit, & veluti exanimis prostratus diu jacuit. Tunc valido brachio iniquissimus superatus diabolus, Martyris non sustinens præsentiam, deseruit hominem, & potenter ejectus, terram quam metebatur fugit victus in umbram. Sensum captivus quem amiserat penitus recepit, & sua domo rore supernæ virtutis emundata, ad Sancti exsequias multos excitavit, & in laudem omnipotentis Dei, cujus erat doni quod per Martyrem factum fuerat, quaquaversum accendit. In eodem itinere quod ab urbe interjacet, multi febricitantes, multi lunatici variisque languoribus afflicti Sancto obvii per ejus venerabilia merita, ab incentivis passionibus eruti, plenariæ sanitatis sunt vigore donati.

XVIII. b Ad montem Jovis[b] celebria fama virtutibus præclara pervenerat Martyris. Hic Clericus nomine Benedictus, ipsius loci ædituus, per triginta continuatim dies letali tabescens incommodo, dicto audit eum illuc quæ recta ducebat semita, declinari. Et cùm dissipata gressuum compage ei obviàm ire, ut desiderabat, nullo modo valeret, aliorum se manibus gestari fecit. In pervio publico non longè ab ipso loco sic emortuus ad Sanctum deportatus, atque ante illum est depositus, quibus poterat visibus se eum ferre velle dicebat, & ut fineretur humiliter precabatur. Quem fide non temeritate hinc inde sustentatus ulnis propriis excipiens, pristinæ sanitatis

a Quodnam fuerit istud Monasterium non facile est divinare. an Monasterium S. Pauli extra urbem?

b Qui aliàs mons S. Bernardi, in Alpibus Penninis, haud procul ab Augusta Prætoria.

mox augmentum meruit, & ita eum usque Octodorum a sospes & lætus invexit. An. Chr. dccc xxvi. Dec. ix. Ibi gratuitas laudum hostias pro sui restaurati1une Salvatori omnium persolvens, & Martyris capulam osculans, ad sua cum suis regreditur incolumis. Deo Sanctum suum per talia opera clarificante, undecumque turba non modica confluebat.

XIX. Denique in locum, cui *Granant* vocabulum est, placido calle perventum est, ubi puerulus parvulus oculis captus à parentibus delatus, atque ante aram ecclesiæ est depositus, quo fuerat beatissimus Martyr jam locatus. Noctem illam ibidem sicut ante Sanctum fuerat ejectus, duxit insomnem. Mane verò inlucescente post Missarum consummationem cùm Sacerdotum manu & officio ageretur in viam, ille egredientium tumultum audiens, cognovit Sanctum inde levari. Ilico in incertum protendens brachium feretro injecit, tactu ipso lumen recepit, & inluminatorem suum quomodo transferebatur perspicuis luminibus adspexit, & ejusdem palmæ suæ formam primùm agnovit. Sancti nomen inclamitans gratiarum debita reddebat, & in sese unde alii in hoc ipsum provocarentur, ostentabat. Lumen quod numquam expertus fuerat, gratulabundus contueri se aiebat, benedictum in æternum ab omni homine eum pronuntians, qui videndi effectum, quem ipsa sibi natura negaverat, ineffabili infusione in momento sibi reddidisset. Hoc tua, Domine Deus, secretissima dispensatione operatus est iste tuus Athleta emeritus, quòd in te sempiterno fulgore splendeat, quòd te æterno & inaccessabile lumine perfruatur, quòd teipso qui omnem rationalem creaturam illuminas, magis magisque inflammetur atque inflammando beatificetur, tuis scire Fidelibus facit. Per quem tibi nos modici servuli, ut de nostrorum tenebris peccatorum erui, & luce tuæ claritatis mereamur perfundi, fide firma & virtute tota nostræ devotionis vota & castæ laudis sacrificia mittere gestimus, quæ eo mediante tibi grata nobisque salubria fiant oramus.

XX. Perlatus cum honorifico agmine egregius Martyr Domini in cellam b sancti Sereni, mulier quædam clinica terram semper prospiciens, nec aliquando se sursum erigere valens, in occursum illius ad ecclesiam se pertrahi fecit. Quæ statim ut advenit, in directum sese extulit, & quasi nil umquam gibbi perpessa fuisset, omnibus qui aderant suffragio Martyris erecta apparuit sana. Fit admiratio & stupor, his potissimùm qui eam noverant ante hesternum. Quæ ita mira virtute absoluta Deo Sanctuque gratias agens recessit in propria.

XXI. Inter frequentes ad Sanctum concurrentes cuncos quidam plebeïus surdus, mutus, mancus & claudus Martyri inibi est exhibitus, qui tres ante vivificum ipsius corpus ita explevit dies. Quarto succedente die dum in precibus votivis perseveraret, repropitiari sibi experitur per Sancti obtentum. Nam & surdus auditum meruit, & mutus promtam loquelam edidit, ariditatem etiam mancus in viriditatem demutavit, & lubricum claudus gressum in solidum extendit. Hic in testimonium suæ reformationis integram adsecutus valitudinem, suis humeris Dei Martyrem beatissimum ad Calnomum deportavit vicum. In quo dum introiret, duobus cæcis ablatum lumen videndi inclitus Martyr reddidit, & ejusdem numeri claudis contorta vestigia redintegravit, & invisa celeritate in ambulandum ut sui statim itineris comites essent, in omnium oculis miseratus effecit. Præibant itaque cæci nullo indigentes ductore, & densa caligine proscissa, mirantibus universis nova cælitus infusa lumina demonstrabant. Aridis divino medicamine emollitis nervis, consulidatisque basibus & plantis, claudi resumtis viribus, salutaria se ferre onera gratulabantur. Hæc opinio signorum, quibus superna majestas Sanctum suum mirificabat, undique religiosam catervam cum ambitione donariorum ad eum perduxerat. Nam de tota ipsa provincia quique viri nobiles & potentes, matronæ quoque illustres cum promiscuis plebibus exsilientes accurrebant, opera Domini magnifica qualia numquam viderant, utque amplius dicam, nec protsus alicubi audierant, quotidie jocundanter contuebantur, & contuendo salutariter pascebantur. Sic gratanter viam legentes, ad diu præoptatæ ruris fines perveniunt: sexto ab urbe miliario stationem collocantes, donec inobviam cælestis militis legio se præpararet omnis, gloriosissimo victori obsecutura, per quem & ipsa virtutum loricis obtecta disceret contra hostem sævissimum inexpugnabilia sumere certamina, & ejus sancta dignè excolendo vulnera adquireret lauream & tropæa perennia.

XXII. Antistes venerabilis ROTHADUS antiquior tunc Suessorum regebat ecclesiasti-

a Octodorum, vulgò *Martinach*, in pago Sedunensi prope Agaunum.

b Vulgò *la Celle*, modò Prioratus prope Cantumerulam Abbatiam Canonicorum regularium Ordinis Augustiniani in Briegio tractu. Ejus rei fit mentio in S. Sereni Vita ms. Erat & Abbatia S. Sereni apud Cadurcos, de qua in Probationibus ad Historiam Torinensem, apud Justellum pag 1.

An. Chr. DCCC XXVI. Dec. 12. Suessiones sollemniter acceptæ reliquiæ,

ca commotione promotam totius ordinis Clericorum ac vulgi manum, explorato repausationis loco, obviàm fit Sancto, omnigenis sacrorum officiorum cantibus & obsequiis virtutiferum ambiens corpus, totis amplectitur viribus, percolit, veneratur, indeque sollemniter effert, & ingenti frequentia ac festivo tripudio in urbem ovanter transfert. Omnis sexus & ætas admirabili spectaculo extra mœnia occurrens, turmis Sanctum stipantibus læta semet interserit, votiva munuscula mittit, agmen splendens in immensum conficit. Profanum quisque deputavit, qui huic tam glorioso receptui interesse non potuit. Psallentibus placido modulamine choris, plaudentibus popolorum concursibus, in basilicam majorem beatorum Martyrum Gervasii & Protasii pompatico triumpho invehitur. Hic claudus facie & debilitate universis notus medias inter catervas constitit, qui multis in eadem civitate annis incola hospitabatur, & Sancti opinione edita, tunc fortè subintraverat, nescius quòd prima virtutum suarum insignia Martyr Domini in eo inibi manifestare voluisset. Cùm ergo inter medias irrumpentium catervas consisteret, subitò concussus virtute invisibili totus intremuit, ciuium informitatem mutavit, tardam & præmortuam imbecillitatem rejecit, celerique relaxatione inertes genuculorum flexus protendit. Nulla intercedente mora meandi vigor invaluit, coram omnibus impiger surrexit, ante Sanctum ambulavit, incolumis & gaudens abscessit. Exhinc ad sanctæ Virginis Mariæ [a] Monasterium deportatur, magnificè excipitur. Quo tanta multitudo popularis excrevit, ut vix se in partem aliquis declinare aut etiam movere posset. Inde levatus ad flumen usque Axonam evectus est.

XXIII. in Medardensi basilica locatæ

Occuparat jam gloriosior apparatus citeriores ripas fluminis, ut vis amoris & devotio desiderii ineffabilis exigebat. Religiosa Monachorum concio ecclesiasticis infulis redimita stabat prospectans, unanimi devotione universalibus officiis animata, ut protectori ac patrono perenniter habituro congrua suscipiendi ferret obsequia. Quem protinus ut in pulsu remigum se versus appropriare videt, tellure ruit, laudibus demum canoris adsurgens excepit. Ambiunt eum undique chori psallentium, in hymnis organisque dulcisonis cum jugibus thymiamatum diversorumque aromatum vaporibus quibusdam vexilla micantia gestantibus, aliis crucis stigmata auro fulvo radiantia, gemmarumque diverso colore perlucida ferentibus; his thymiamateria ac thurifera, illis ceroferalia deportantibus, atque corusco lumine diem augentibus. Tali tropæo perproperè devectus in locum divina sibi provisione divinisque muneribus præparatum, deponitur juxta gloriosi Confessoris Christi Medardi tumulum exsultantibus animis, parique concentu ista cunctis canore modulantibus:
„ Insignes præconiis, alme, tuæ nobilitari consonaut voces consudantes, verbo sup-
„ plici prosequamur. Ave, inclite Martyr, Angelorum consors, Apostolorum socius,
„ Prophetarum concivis & Martyrum coheres, sancte Sebastiane, intercede pro nostra
„ omnium salute. Ea tum dominica dies [b] fuit, congruoque modulamine antiphona ad Introitum prætitulatur, *Populus Sion, ecce Dominus veniet ad salvandas gentes.*

anno 826.

Cujus congrua modulatione salus ille singularis Incarnationis dominicæ, quæ cunctis ventura gentibus hoc capitulo prænuntiata est, salutem ac lætitiam cunctis Galliarum populis ex adventu hujus præclari Martyris refudit, & si cum fide petitur, ejus obtentu temporalia dona & præmia largitur æterna. O diem teutis uberem laudibus, tantis gravidam gaudiis! in qua Athleta imperialis Suessionensium urbem invectus est, qua nec orbi jocundior, nec mundo efflavit hilarior.

XXIV. Miracula varia secuta.

Gloriosè & condignâ reverentiâ eo deposito, puella quædam ab ipsis crepundiis utroque pede claudula, omnibus pæne notissima, suis illuc usque à parentibus est pertracta & Sancto oblata. Hæc tanta velocitate reparationem est consecuta, ut nil vacillante gressu, solida se super exmlerit vestigia, & in conspectu omnium ante Sanctum abierit, atque ad suos hilaris & sana redierit. Permodico exacto intervallo dum sacrarum Missarum sollemniis Episcopus cum Clero insisteret, quidam debilis emarcidis poplitibus per densas phalangas ante Sanctum adductus, tibiarum depressis supersedebat suris: hoc familiare sibi sedile erat. Sed & hunc Martyr clementissimus solita pietate miseratus, arentium nervorum rigore resoluto miserabiliter refecit, & perfecta sospitate populis qui hæc cernebant magnificentibus donavit. Qui tot suæ longævæ debilitatis testes habuit, quot ex eadem urbe cives ad illud potuere spectaculum irrumpere. Nec mora cùm ecce misera nimiumque miserabilis femina mente capta, linguæ officio destituta, funibus adtrahitur colligata. Quæ ferino pectore tota interiùs deserta, nil quid ageret extrà curare sciebat, va-

[a] Hactenus insigne Cœnobium virginum Benedictinarum, de quo infra in Elogio Paschasii Radberti.

[b] Nempe Dominica secunda Adventus, quo ejusmodi versus initio Missæ concini solet.

gabundis se huc illucque agens excursibus lascivos in turbas dabat saltus: nec catena ab intentione arceri, nec minis poterat cohiberi. Talem suorum labor inpatientissimus Sancti præsentavit obtutibus. Quam non dedignatus vir Domini pissimus, sibi adductam respexit, respiciendo ejulantium propinquorum lacrymosis precibus favit, loquendi ablatum penitus usum palato refudit, sensum non solùm reformavit, verùm etiam largiter auxit. Fit lætitia timori commixta, omnium promtissimus erga ejus cultum multiplicatur affectus. denique præsentem inibi Dei majestatem summissè honorant & excolunt, benedicunt & laudant, dehinc alacres ad propria remeant. Post sacrorum expletionem densa quæ adsistebat collecta undecumque multitudo intrantem vidit quemdam usque talum claudicantem. Sed hunc sancti Martyris absolutione protinus regredi sana planta obstupuit. An. Chr. DCCCXXVI. Dec. IX.

Sanctis qui pro amore sui conditoris propria corpora immanissimis passionum tradiderunt suppliciis, nulla infirmitatum curatio difficilis est, quia quo acerbitas tormentorum adversum eos acriùs insanivit, eo in eis spiritualium donorum gratia major emicuit, ut secundùm Domini Christi veridicam pollicitationem centuplum unusquisque quid dederat reciperet, & stella ab stella pro lucis suæ qualitate distaret. Quod ita in superiùs habitaculis mira Dei dispensatione agi hinc liquidò animadvertitur, quia his quoque mediis sedibus quibus eorum mortalia servantur, discreta meritorum retributione signorum illustratione glorificantur. Inter quos hic belliger victoriosissimus ac contubernio Martyrum certaminis sui nobilissimis tropæis præstantior, post sui quoque delibationem virtutum ubertate magnificentior, tantam per divinam gratiam adeptus est perfectionem, ut cunctarum eum meruisse clareat genera sanitatum. Quæ cùm omnia mirifica sint, illa præcipuè sunt admiratione dignissima, quæ & inusitata magis & non concessa multis. Itaque de ejusmodi unum è pluribus referam. Matrona quædam fluxu sanguinis laborans ipso die susceptionis ejus veniens, stetit in limine basilicæ, conscia indeficienti sordidatione, indignam se introgressione præjudicans, incessabili profluvio sanguine vacuata. Octo jam annorum orbita excesserat in infirmitate sine interpolatione, sine resumtione, sine requie. denique quid ageret, ad quem se verteret ignorabat. Crebris anhela suspiriis, humore sanguinis superexhausta, anxietates validas defessis vix tolerabat membris. Mirum valde & plurimum mirabile per tot temporum spatia mulierem sauciam sub articulo unius horæ per sanctum Martyrem divino medicamine curatam. Nam ilico ut spe tota, sicut ante fores constiterat, ad eum sese contulit, corrupti cruoris unda jugiter fluens substitit, fœda ventris vomica in antiquæ naturæ statum concessit. Nulla fuit mora salutis, ubi manum imponere dignatus est medicus cælestis. Cicatricis nec demum ex infirmitate signum patuit, horrendum dolens seu noxium quidquid fuit evanuit. Roseus subitò color refusus cæruleas genas præoccupavit, plenariæ sanitatis indita gaudia innotuit. Esto quid hæc mulier ab aliquo sacramentorum inperito audierat observandum esse, ut ab ingressu templi Eucharistiæque perceptione tamdiu abstineret, quamdiu in hujus infirmitatis immunditia mansisset. Sed sciendum corruptæ naturæ passionem culpam non esse, nec uno verbera censuræ ecclesiasticæ plecti voluntariam pollutionem, & tædiosam inevitabilemque naturalis incommodi necessitatem. Illam enim spontaneo consensu animus illectus patitur: hanc depravatæ naturæ pœna multavit. Sed quoniam quid de hac re Canonum decreta sentiant ignoratur à multis, non ab re censui huic loco decretum de eadem re venerabilis Papæ Gregorii innectendum. Ait enim: Numquam mulier dum consuetudinem menstruam patitur, prohiberi debet ecclesiam intrare, quæ ei naturæ superfluitas in culpam non valet reputari. & per hoc quod invita patitur, justum non est, ut ecclesiæ ingressu privetur. Novimus namque quòd mulier quæ fluxum patiebatur sanguinis, post tergum Domini humiliter veniens vestimenti ejus fimbriam tetigit, atque ab ea statim sua infirmitas recessit. Si ergo in fluxu sanguinis posita laudabiliter potuit Domini vestimenta tangere, cur quæ menstruum sanguinem patitur, non liceat Domini ecclesiam intrare? Sed dicis: Illam infirmitas compulit medicamentum quidem contra ægritudinem explorare; feminæ itaque & menstruus sui sanguinis fluxus ægritudo est. Si illi sanguinariæ conceditur sanitas, cur non concedatur cunctis mulieribus quæ naturæ suæ vitio infirmantur? sanctæ communionis mysterium, in eisdem diebus percipere non debet prohiberi. Postquam plenariam valentiam consecuta est, abjecto verecundiæ typho, ecclesiæ primò patefecit custodibus, deinde Fratribus hoc idem profiteri non erubuit omnibus. Forte enim didicerat illud divini dogmatis, quia opera Dei revelare & confiteri honorificum est. Fit plausus populorum unanimi devotione eademque mente gratiarum munia Deo offerentium, qui in Sancto suo mirabiliter triumphans tam ma-

XXV. Nota. Gregor. M. in respons. ad August. Tob. 12, 7.

An. Chr. DCCCXXVI. Dec. II. gna & miranda per eum dignabatur exercere virtutum insignalia. Sic matrona de rediviva quam adsecuta fuerat tripudians sospitate, tristem quam reliquerat repetens domum gaudio replet, lætitiam suis, admirationem tribuens universis.

XXVI. Berta Imperatoris soror his interest. Salubri jocunditate & sincerâ lætitiâ hanc diem ea restauratione plurimorum opulentissimè refertam omnibus festivo triumpho ducentibus non defuere quoque regiæ auctoritatis nusquam rejicienda testimonia. Præcellentissima namque Chludowici Augusti soror BARTA [a] huic interfuit spectaculo spectabilis, & ipsa mirari & magnificare non desinens universa. quæ jubente Antistite comminus ad aram processit, & ante Sanctum diu stetit, certosque apud se fingens numeros salvatorum, discernebat causas singulorum, ut ea fratri Augusto, suique palatii Optimatibus congruo tempore referre valeret.

XXVII. Altera die stationis persplendidæ dum inter sacra officia ambonem domnus Episcopus conscendens divini verbi prædicamenta in populos qui convenerant, funderet, & lumen verum Sanctorum amare & appetere perdoceret; ecce mulier quædam cæca his intenta erat: quæ tam illuminationem cordis per ministerium Sacerdotis, quàm etiam clementiâ Martyris lumen perditum statim promeruit corporis. Videt, lætatur, Sanctum invocat, adorat, beatificati ductore postmodum non indiga, ad ejus præclara properat pignora, ut videns corpore, videre compelleret si qui adessent cæcati mente: simulque præmeditati in se faceret, quàm possibile ei subesset spiritualia interiùs accendere lumina, qui ea exteriùs tam facilè recrearet, & invisibiliter invisibilia medicamenta, in quibus vellet, operando demonstraret.

XXVIII. * Chievres Quinto ab ipso Cœnobio lapide est fundus, cui vetusta antiquitas Caprea * vocabulum indidit, in quo erat Colonus Gislenteus nomine, qui gravi sarcina gibbi pressus cernuo aclinis gressu semper incedens, cælum minimè contueri poterat. Hic humanæ necessitudinis stipem agriculturæ mercabatur instantiâ. Itaque jam dicto die stationis indictæ, celebrem festivis gaudiis omnibus circumquaque ducentibus diem, iste solus solita cupiens explere exercitia, junctis bobus properat ad agrum, exsequi cupiens dietarium. Cui vicinus quidam obvians, indictum ab Episcopo feriandum replicat diem, hortaturque ac commonet domum redire, & festivo cultu cum reliquis diem agere, Sanctumque supplici interventu ut sibi esset in adjutorium, exorare. Ille nihili pendens à sodali salubria sibi data monita, renuit, taliaque hebes ac stolidus responsa reddit: Hactenus talia exercendo stipem qua utcumque sustentarer, pœnaliter adquisivi. istum pro cujus obsequiis me sollicitè commones, nec audivi commemorare Sanctum, nec ejus quidquam debitor sum referre beneficiis, quæ ab eo bona malave minimè recepi. Ideo te mihi super hoc suadente non audiam, nec ab opere cœpto desistam. Recedente die noctis quies oboritur: cùm ecce miser ille miserabiliter arentibus nervorum compaginibus merito suæ procacitatis totus in modum sphæræ contrahitur, ita ut crura femoribus adhærerent. Nocte quoque insequenti os quo contumaciter locutus fuerat, in effigiem X litteræ maxillis hinc inde alterinsecus aversis distortum efficitur. Hoc miserabile monstrum die secunda illucescente plurimis spectaculum fuit. Nocte jam tertia cùm intolerabili cruciatu pernicitet afficeretur, & qua poterat voce ejularet, se coram videt splendidissimi vultus atque præclari habitus personam adsistere: à qua percunctatus quid pateretur, reddit causam tanti discriminis, & quæ patiebatur supplicia pro contemtu Sancti se recepisse profitetur. Sciscitatur utrumnam se deinceps corrigere vellet. Tunc ille sacramento se obligat, adseverans nequaquam se abhinc incorrigibilem fore, nec ullum in omni vitæ suæ tempore opus in festivitatem præfati Martyris exercere. Dicto citiùs qui erat (ut dixi) in modum glomuli contractus & quasi contusus, porrectis in directum cruribus vigorem meandi resumit. die illa aliquantulum valentior noctis quartæ vigilus à persona qua & antè si meliusculè se haberet suggestus ait, hoc fas esse cuilibet cernere. Cui ille: Resume, inquit, sanitatem, & surgens propera ad locum quo Sebastiani Martyris festivis gaudiis celebratur sollemnitas; & qua pro contemtu ipsius censurâ & severitate multatus sis, quave miserantis clementiâ mirabiliter absolutus, omnibus innotesce, ut exemplo tui noverint hanc diem succedentibus annorum recursibus sollemni ritu perenniter feriare. Protinus dicentis imperio pedissequa est sanitas prosecuta, & os quod distortum habuit, in proprium concessit statum: tamen usque vitæ finem gibbo non caruit. Nec mora obsecundat imperanti, festinè properat ad locum quo promiscua populorum caterva tripudians ante sancti Martyris excubabat tumulum; & quæ sibi contigerint ob ignaviam, coram Fratribus replicat om-

[a] Berta hæc uxor fuerat S. Angilberti, cujus Vitam superius exhibuimus. Hinc patet eam anno DCCCXXVI superfuisse.

nibus. dehinc post gratiarum & laudis hostias Deo pro sui restauratione per sacratissimum agonithetam præcordialiter delibatas, verbere jam erudıtus divino, gaudium secum circumferens, familiare tugurium repetiit, evangelizans omnibus quaquaversum ad Sancti exsequias ebullientibus, nemini impune cedendum, qui ejus sollemnem neglexerit feriare natalem. An. Chr. dccc xxvi. Dac. ix.

Tabellarius quidam Rotberti Comitis, cujus quidem nomen memoriâ excessit, utroque pede claudicans gradiendi amiserat libertatem; unius quoque manus ariditate multatus scribendi perdiderat facultatem. Taliter invalidus propinquorum manibus ante Sanctum est noctu expositus. Nulla interveniente mora revirescente manu fraudati sensus usum recepit, solidatisque basibus in statu suo protinus erectus constitit, ac gradiendi virtute convaluit. O quàm ineffabilis ac admiranda est divinæ operationis efficacia! Nulla fuit dilatio sanitatis, ubi experita sunt suffragia Martyris. Unum enim idemque illi fuit & venisse, & salutem præripuisse. Itaque totius corporis potitus valitudine, laudibus Deum glorificat, athletam Domini magnificat, propriisque remeat pedibus qui aliorum evectus fuerat manibus. XXIX.

Necdum ipse atrio excesserat, ecce muliercula quædam succedit, manum aridam omnique humore exhaustam, cute tantùm ossibus superducta cunctis ostentans, pedem quoque simili macie ac siccitate squalentem habens. Quæ ut advenit, extimplo convaluit, citam Martyris experta virtutem. Nam & manus tendi recuperavit officium, & pes gradiendi usum. XXX.

Illa pro adepta valentia ovanter egrediente, vir quidam claudicans intromissus est. hic triduo solotenus ante Sanctum excubans, sanari meruit accepto Martyris suffragio. XXXI.

Gislebertus[a] Suessorum Comes inter virtutum insignia, quibus probis pollebat moribus, eleemosynarum quoque compendia Christo sedulè committens, cælorum gazis tutiùs servanda locabat. Erat namque ei inter prandendum familiare inopum debiliumque quos mensæ suæ dietarius delegerat, curam agere, eosque ex his quæ sibi ex industria subtrahebat, piè refovere. denique unus ex his per tria lustra debilis pedibus Walcherus nomine, cùm ante vivificum Martyris corpus stratus procumberet, in ipso orationis conamine ilico sanus in pedes constitit, repropitiante sibi divina clementia per incliti Martyris suffragia. Pluresque fuere ex ejus admirabili recuperatione Dei laudatores quàm fuerant ejus debilitatis antea cognitores. XXXII.

Tunc è vestigio prosecutus homo quispiam Eurulfus nomine, damnatis quinquennio luminibus, ilico ut ante sancta sanctorum manipula regente pervenit, amissum lustro jam lumen divinitus illustratus perfectè resumit, & varios mundialium rerum colores intenta oculorum acie contuetur. XXXIII.

Sequenti nocte opportunum tempus synaxis matutinalis advenerat, cùm ecce inter legendum residentibus nobis adducitur vir quispiam Baldegerus nomine. qui novennali circulo fraudatis lumine pupilis cæca tenebatur nocte. Hunc more solito Martyr inclitus Domini miseratus nulla interveniente morula, antiquum videndi usum fugatis tenebris reseratisque refudit luminibus, & jubar solis quod diutina negaverat cæcitas, inteverberatis præstitit contueri luminibus. XXXIV.

Interea dum his intenti miraculi stupore tenerentur qui aderant populi, puerulus quidam Tedelgisus vocabulo, à primis vagitibus claudulus, quem jam dictus venerabilis Rothadus Antistes inter prandendum refovere consueverat, ante tumulum Sancti à parentibus allatus est & expositus. Hic universis urbicis atque in suburbio positis tam facie notus erat quàm debilitate, Qui dum secus Sancti memoriam procumberet, extimplo in directum subrigitur, & quam numquam expertus fuerat integerrimam adeptus est valitudinem: quodque ei non est concessum per naturam, adipisci meruit suffragantibus egregii Martyris meritorum prærogativis per divinitatis potentiam. XXXV.

Longum valde ac cuiquam spermologo difficillimum est viritim ac personaliter ea prosequi, quæ per ejus venerabilia merita vis divina exercere dignabatur in universalium passionum morborumque generibus, quæ humanæ conditioni aut originaliter naturali passibilitate accidunt, aut fortuitu proveniunt. Cùm enim ex diversa orbis latitudine fama virtutum ejus excita innumerabilis hominum concurreret multitudo, ex omnibus tamen Galliarum Germaniæque finibus transmarinis quoque provinciis tanta populorum immensitas confluebat, ut omnem loci ipsius si- XXXVI.

[a] Gislebertum hunc non noverat Andreas Chesnius, qui in historiæ Castillioneæ lib. 4 c. 3 ait primum Suessorum Comitem, cujus exstet memoria, fuisse Guidonem temporibus Lotharii & Hugonis Capeti.

An. Chr. DCCCXXVI. Dae. 12. tum qui ampla satis latitudine dilatatur locustarum instar præoccuparet. Inter quos, tanta erat numerositas cæcorum, claudorum, aridorum, leprosorumque, & energuminorum, lunaticorum quoque omnigenarumque debilitatum incommoditatibus præpeditâ frequentiâ, ut numeri summam videretur excedere. In his omnibus tam freqoens erat nutu divinitatis per beatissimom Martyrem sanitatum exhibitio, quanto & eorum qui medelâ indigebant numerosior erat concursio. Sanabantur deoique non tantùm viritim aut personaliter, verùm etiam deni vigenique, & (ut ita dicam) gregatim, adeo ut in die vigiliarum sancti ac venerabilis Confessoris Christi Benedicti Abbatis, LXX & II promiscui sexus & ætatis, promiscuæ qooque & debilitatis, ipso virtutifero Martyre suffragante redderentur incolumes. Lumen cæci qood numquam caperti fuerant percipiebant, claudi gressum quem nun noverant, consequebantur. Erat in his qui devotionis obtentu ad ejus experienda confluebant beneficia timor inmodicus cultui reverentiæ mixtus. Plerique enim crimina sua palam profitebantur, plurimi quoque igne invisibili visibiliter urebantur. Sed quibus erat mens sanior circumspectiùs satagebant non ante templi aditum introire, quàm

Nota & mentes intro confessionis ac pœnitentiæ, corpora quoqoe aquis diluerent. Erat denique in diversis speciebus quæ votivis donariis ad confessionem hujus præcellentissimi ex diversis provinciis & regionibus pia fidelium offerebantur devotione, tam ingens copia, ut ponderis nomerique summam pæne viderentur excedere, adeo ut octuginta quinque modiorum diversorum oomismatom argenti cumulus cacresceret, præter monilia virorum ac mulierum, missoria quoque diversi ponderis aliaque vasa; auri quoque nongentarom librarum summa fieret.

XXXVII. Ostroldus Lauduni Episcopus punitus. Sed quia omne bonum semper è vicino invidia comitatur, cœperunt plurimi Sacerdotum aeli rubigine uri, prohibeotes plebes sibi commissas ad ejus toto orbe crebriùs caperta patrocinia properare, suaque ad ejus præclara pignera vota perferre. Aiebaot namque rectiùs fore, ut Ecclesiæ in quibus baptismi Fideique munus perceperant, ea his ditarentur stipendiis, & earum alerentur viduæ ac pupilli: oec esse bonum se egere, & alios ditescere; se exspoliare, & alios induere. Hujus livoris rubigo adeo excrevit, ut etiam quorumdam Episcoporum corda inficeret. ex quibus Ostrolous. qoi ea tempestate Lugduni a præsidebat, dum sermonem de hac re habituros ad populum pulpitum conscendisset, postquam diotino tractatu ad populum concionatus est, infit: Quid, ioquiens, Suessionis pervagando quæritis, quasi Sebastianom Martyrem illic repertuti? Noveritis sanè quia Romæ dudum post sui delibationem sepultus, hactenus ibi jacet à nemine motus. Habetis hîc venerabile Dei Genitricis templum. hoc frequentate, in eo vota vestra vovete & reddite. Non opus est vobis aliorsum vagari, & externa auxilia expetere. Pec eam quæ fideliter poscitis, omnia donabuntur à Dumino. Postquam affatim populum allocutus est, redierunt quique in sua: ipse diei ducens gaudia, vicinâ mæstitiâ præpropeiè deturbanda, diem illam finetenus nox soperveniens clausit: Episcopus pransus cubitum pergit. Membra sopore resoluta cùm jam conticinii tempus incumberet, ecce vir quidam ephebus eurythmiam b domni Sebastiani prætendens, ante stratom ejus constitit doobus secum dextrâ lævaque adsistentibus, similique fulgore rutilantibus, infulis tameo pontificalibus redimitis. Ipse verò militari chlamyde amiciebatur, virgam auream manu ferens. Qua pulsato Episcopo vocatoque ea nomine, his eum verbis increpando affatur: Ego, inquit, sum Sebastianus defensor Ecclesiæ, qui Româ olim pro amore Christi oppetii, qua & corpore hactenus sepultus jacui. nunc verò Dei prædestinatione ob amorem Medardi Noviomagensis Episcopi, quem ad lævam stare vides, ego & hic dexterior Grenorius Romanæ urbis Papa, Suessionis missi sumus, uti locum illum & ejus incolas oostro patrocinio custodiamus, & custodiendo foveamus. Tu verò livore ductus procaciter egisti hesterno adversum me, avertens plebem tibi commissam, ne ad confessionem nominis mei euntes vota sua in obsequium mei deferreot. Insuper falsò perhibuisti mea humana illic penitus non haberi. Ut autem omnis scrupulositas ex hoc ab animo tuo pellatur, his verberibus disce me illic, sicut nunc cernis, absque ulla corporis diminutione olim depositom juxta Confessoris Christi Medardi quiescere tumulum. Hæc fatus virgâ quam manu gestabat, recidit eum verberibus plurimis, præcipiens ita: Vade Suessionis pedibus oudis incedens, & stigmata verberum quæ tibi irrogavi, palam cunctis osteora, ut norint omnes me illic fore præsentia corporali, virtute quoque spiritali præesse, & prodesse non solùm loci illius incolis, sed & omnibus Galliarum populis Regi meo & Domino meo fideliter

a Clavati scilicet, qua urbs aliis Laudunum dicitur, vulgò *Laon*.

b Nomen Græcum [illegible] elegantem formam hoc loco significans.

liter adhærentibus, mihi quoque meisque consortibus, illius videlicet loci patronis dignis obsequiis famulatum impendentibus. His dictis cælestia reposcit cum suis consortibus gaudia. Episcopus dolore verberum & confusione insomnis, ut festinato cursu lux diurna redeat, anhelus exspectat. Qua mortalibus reddita, adscitis consecretalibus & necessariis amicis visionem pandit, ictus verberum tumentes ac lividos detegit. Illi verò anxii plurimumque turbati, operis exsecutione, quod imperatum divinitus fuerat, maturandum quantocius commonent. denique instruitur iter, parantur & munera inclito Martyri deferenda. Pedestrem ducem hymnis canora turma lentè subsequitur quousque ventum est ad locum, in quo ingens frequentia populorum excubabat ante Martyris tumulum. Omni deposito supercilio, dejectisque in terram profundo pudore luminibus, ruit prostratus in faciem tanta humilitate, quanta & divina correptus fuerat severitate. Oratio in longum protenditur: gemitus & suspiria ex profundo pectoris proferuntur. Explicita oratione, capitulo competenti à loci ipsius primatibus ejus commendatur supplicatio. dehinc placabilia vota proferuntur, exinde nobilis Fratrum concio advocatur. Fit delicti confessio, ostenditur divinæ censuræ subsecuta correptio, spondetur per omne vitæ suæ tempus ferventior erga beatissimum Martyrem permansura devotio. Itaque vir Dei verbere divino jam eruditior factus, mente sincerior, corpore vegetior, Lugdunensis Cathedræ sublimia gratanter repetit fastigia. Hujus rei exitus tanto nunc notior omnibus exstitit, quanto & personæ dignitas famosior fuit, & situ loci in edito posito, res in sole gesta occuli sub modio minimè potuit. Venerabilis ergo vir jam dictus Ostroldus Episcopus ab optimo didascalo doctè docilis factus, cœpit liberè privatim publiceque docere, nequaquam fore quempiam à divinis verberibus immunem, neque cuiquam inpune cedere, qui Sebastiani Martyris contemtui duxerit memoriam excolere. Sic cessit plurimorum invidia Martyris virtutibus victa: & per unius corporis cutem à multorum cordibus invidiæ virus tali est extinsum malignitate.

In provincia Aquitaniæ, in pago Alvernico, vico Tudurninse, est Cœnobium meritis hujus præcellentissimi Martyris ac nomine consecratum: cujus primariæ constructionis ratio hujuscemodi veridica fertur relatione fuisse. Fuit in eadem regione Sacerdos quispiam morum probitate notabilis, actu ac nomine MAGNUS: qui & ex eventu quod ei non fortuitu, sed nutu deifico provenit, loco illi nomen indidit, ut ab ipso Magnus-locus diceretur & esset. siquidem inter cuncta ejusdem provinciæ Monasteria famosissimum hodietenus habetur ac nobile. Hic itaque dum Fidei ardore ferveret, virtutumque pio amore mentisque alacritate succresceret, divinæ dispensationis moderamine, quo flagellatur quisquis à Deo diligitur, valida febre corripitur. cujus diutino incommodo ingravescente, viribus fractis, omnique salutis spe destitutus, monetur per visum celerem gressum prætendere Romam ire, Martyris Sebastiani pretiosissimum mausoleum fidenter expetere, illo se liberaliter salvandum visu discit veridico. Ilico aliquantisper vegetior redditus, nil de visionis effectu cunctatus, facultatulam suam disponit ob longioris viæ difficultatem: quæ erant necessaria opportunè sumit, arduum tanti itineris laborem anhelantibus pia devotione præcordiis humilis ac summissus arripit. Hodœporico a licèt difficulter expleto, mundi dominam optato tandem voto ingreditur Romam: scandensque templum toto orbe sanctius atque famosius, excessus suos plurima precum confessione Deo per summos cælestis curiæ consules præcordialiter committit. dehinc lustratis Christi Martyrum sepulcris, quorum numerositate atque victoriis urbs Romana singulari tripudiat privilegio, pervenit ad catacumbas tertio ab urbe miliario. ingressusque ecclesiam, in qua quondam beati Petrus & Paulus Apostoli conditi fuerant, ad quorum vestigia belliger iste victoriosissimus, de quo sermo texitur, se delegaverat sepeliri, votiva prece diu incubuit. Hinc ab oratione se subrigens perfectissimam affert incolumitatem, tam robustæ redditus valitudini, ac si nulla umquam febrium accensione, aut alicujus incommodi vexatione fuisset infectus. dehinc, ut reor, instinctu illustratus divino, pulverem qui circa sepulcrum ejus erat, detergens, cum summa fidei devotione collegit, eumque pro magno in patriam perferendum secum reposuit thesauro: resalutatisque beatis Apostolis, Sanctisque omnibus Romanam urbem suis meritis ac præsentiâ illustrantibus, genuinum Aquitaniæ plenus gaudio repetit solum. quam ingressus, antequam familiarem viseret domum, devenit in locum quemdam aquarum decursu, nemorum quoque amœnitate jocundissimum. Cumque & locus oculis blandiretur, & hora tardior succrescens pigra itinere con-

An. Chr. DCCCXXVI. Dac. IX.

XXXVIII. Magnilocensis Cœnobii origo.

a In nonnullis codicibus mendose legitur *Opodorico*, seu *Opporico*, pro Hodœporico, id est itinerario, quod significat *Itinerarii*.

An. Chr. DCCCXXVI. D ac. IX. pora suaderet recreanda, depositis sarcinulis prandio indulgent. Inter hæc sole ruente noctis quies blandi soporis amica subintrat. Presbyter sacrum quem secum detulerat pulverem collo subducens, ramusculo arboris, sub cujus umbraculo discubuerat, appendit. dehinc temperiùs cubitum se collocat, quasi die crastina maturiùs profecturus. Subsequentis diei primo diluculo instructis sarcinulis viæ se reddere cupiens, apponit manus ad arboris ramum, quo virtutifer dependebat pulvis. proteolisque toto adnisu ulnis minimè hunc non solùm capere, sed nec contingere valuit. Iterum iteratò se ad solvendum eum extendens, pedibusque quidquid manibus occurrere potuit subiciens, frustrato conamine substitit. Vicibus succedentibus comitea ejus arbusculo inhærentes casso sudant labore. Volans fama ad tam grande spectaculum villanos contiguus advocat. Hinc inde vulgus promiscuum confluit, & hoc ipsum mutuatis vicibus attemtantes, quod rumore didicerant, experiendo probant. Depositis sarcinulis die illo inter valle ac nolle pausam capiunt. recentiores qui advenerant alternatim se ingerentes, lacertis stupentibus vanè desipiunt. Undecumque variis possessi languoribus concurrunt. Operatur vis deifica per meritum sui Martyris omnigena miraculorum signa, cæcis visum, claudis gressum tribuens; alios truculento possessos dæmone purgans, quibusdam audiendi loquendique naturalem effectum, noxio evacuato largiens. Interea dominus fundi quo hæc gerebantur, cernens tam mira ac stupenda in sua actitari ditione deifica sacramenta, adscito de officio reipublicæ tabellario, facta legaliter traditione, delegavit eam Sancto jure perpetuo possidendam. Sic per incrementa dierum, & cultus religionis, & loci situs, quorumcumque dapsilitate Fidelium capiebat augmentum. Primoque in eodem loco, oratoria cella construitur. postremò crescente devotione Fidelium Monasterium [a] inibi constituitur, & honore ac nomine pretiosissimi Martyris Christi Sebastiani episcopali benedictione consecratur; monasticæ quoque religionis ordo sub Abbatis regimine substituitur.

XXXIX. Improbum factum duorum pseudo-Monachorum.

Provectiore jam tempore cùm rigore monasticæ disciplinæ locus idem succresceret, fuere duo sub ovino vellere in eodem Cœnobio pseudo-Monachi, qui caulis gregis dominici quibus inoleverant, obscœna qualitate dissidentes, sæpenumero ab Abbate seu Præposito redarguti, commoniti atque correpti, cùm procaci inquietudine cordis aurem subducerent, & salutaribus monitis nullatenus cederent, juxta sacræ legis instituta, ne omnem gregem contaminarent oves morbidæ, discidium eis severa invectione à sacræ legionis comminatur corpore. Quo illi comperto, noctis intempesto quæque rapere potuere clanculum è Monasterio auferentes, fugâ elapsi, utriusque propositi, sui scilicet & per hoc animarum exitii immemores, qua propria illiciebat voluntas vagabant incerti. denique Italiam talium receptricem congruam, sibi latebram prospicientes, abjecto ne à quolibet recognoscerentur habitu, adire contendunt. Qua cùm morigerum peregrinationis suæ locum reperissent, postquam suæ vesaniæ satisfecere, votivæ tranquillitatis ac intimæ in Monasterio securitatis reminiscentes, tædio & labore prædiri exsulatus dissoluti, spes si receptus sui sperari posset, reversionem quàm maximè moliebant, & hoc sibi lucri fieri invicem sermocinabantur. Ad hæc rubor confusionis pro sui qualitate piaculi progressum omnimodis inhibebat. Inter spem metumque suspensis visus est eis sermo conducibilis: quo subpresso crimine, cum honoris augmento loco restituerentur proprio, scilicet ut viæ sese laboribus adhuc extenderent, Romam irent & Sanctorum aliquem emerent, cujus evectione indulgentiam apud suos mererentur & gratiam. Hoc animati commento cælitus (ut rebantur) sibi immisso, nefandâ frustrandi fiduciâ vagi Aquitanici cum callidis fabulatoribus Romulidis perveniunt. Reverendum Antistitem & togatos divertunt sanatores, juxtaque Salomoniacam sententiam, sui sollicitè perquirunt similes. Agglutinantur ociùs mali cum pejoribus, deteriores cum deterioribus; & inter alterna insulsaque colloquia, genus patriamque interrogati produnt. Sciscitantur iterum quid causæ exstitarit, pro qua à remotis procul finibus inibi devenire placuerit, & talia ac tanta discrimina subierint, & veluti eis compaterentur argumentosè cuncta perquirunt. Illi votum pandunt, in agendum dari sibi dexteram suppliciter exorant. Monasterium in sua regione construxisse adserunt, quod Sanctorum indigere per omnia pigneribus profitentur. Versuti Romulidæ per plura sub sua observatione, ab ipso Pontificum summo commissa inesse, & quibuscumque vellent, pro libitu præcipua conferre posse jactitant. Hi pecuniâ apud eos se impetrare velle, si res haberet effectum, adserunt. Tunc illi securitatem obtinendi quæ cuperent, si tamen dictis fidem adhiberent, promittentes, vo-

[a] Monasterium hoc subsistit hactenus apud Arvernos, descriptum in Actis sancti Boniti, in Seculi tertii parte I.

cabulum Sancti quem potissimùm vellent exquirunt. Sebastianum Martyrem pronuntiant; sua pro eo omnia quæ in præsens habere poterant, multoque postmodum pluriora atque pretiosiora jure jurando spondent advectura sine mora de patria. His Romulidæ sponsionum illecti blanditiis, temporis opportunitatem, ne denotarentur, explorare debere necessariò confingunt. quo reperto & indito in eodem se re exhibituros loco caligosæ noctis articulo pollicentur, ubi & ipsos adesse oportere statuunt. Interea dum quid eis in hoc interstitio subdoli placiti faciendum sit versuta mente machinantur, comminiscuntur proximo foro cujusdam Cæsaris sarcophagum, multa aromatum delibutione refertum. denique ad condictam venitur horam. Ante maturum illi, quos voti ardor inpatiens exæstuabat, accurrentes, Romulidæ lucrum inhiantes obvios habuere. Silentium ceu tremuli innuunt, ad illius homuncionis Christianæ regenerationis expertis tumbam pedetentim perveniunt. Si Martyrem expetitum videre & consequi vellent, promissam expromere & appendere pecuniam jubent. Revulsoque sarcophagi operculo mirificæ virtutis ambare * suaviter redolentis viri faciem demonstrant. Quod isti contuentes, genua celerrimè procurvant, ac suimet in adjutorium flebiliter invocant. Omni suspicionis controversia cordetenus eliminata, illis omnino torpore sacrorum custodibus ex toto creduli, quidquid in suppellectili sua habuere, promtissima deliberatione, tali techna delusi condonavere. Tum denique quanta norunt vel sufficiunt officiositate, non hunc quem cælesti munere optimum defensorem & inexpugnabilem protectorem Francia promeruisse gloriatur, quin immo eum qui nec solo dignos vocabulo Martyris omnino fuerit proprio merito excipientes tyrannum, inani spe totis præcordiorum fibris exsultantes pernici gressu futuræ ruinæ inprovidi patriam repetiere: dumque sibi fingunt optima præmia, pessimè cæcati nequeunt intueri supplicia illicet adfutura. Fines ægrè diuque desiderati ruris priusquam adtingerent, gravi usi consilio præ se nuntios mittunt, qui amabilis & jugiter honorabilis sancti Sebastiani Martyris adventum detegerent, & sublimes quosque in susceptionis ejus officia animarent. Locum tanti spectaculi delegunt, & diem quo sibi properè occurrere debeant liberaliter innotescunt. Abba prædicti venerabilis loci & Fratrum pallida concio eorumdem quondam Fratrum suorum oblita scelerum, congratulantur per eos ab illo supremo bono tantum potuisse perfici bonum, eosque post casum beatiores prædicant, eminentiores suo in collegio unanimi favore præjudicant. Vexilla velificant crucis, tropæa & splendida expromunt philacteria, heu prô dolor! pessima pro his commercia protinus recepturi. Populosa usquequaque turba hoc dulcisono rumore evocata, plebeii cum nobilibus & pæne totius nationis potentes religionis fervore succensi, obviàm vota secum parta ferventes vadunt alacres. Quid plura? excipiunt tandem non Christi Martyrem gloriosum, sed antichristi satellitem truculentum; non illum famosissimum Romuleæ quondam primæ legionis signiferum, sed satanæ dulcissimum glateis Cocyti ministrum, atque cum magna hymnorum gloria ad sacrosancta usque (prô nefas!) invehunt altaria. Festiva celebrant gaudia luctuosis mox questibus deturpanda, eaque quotannis sollemniter recensenda consignant, finetenus ilicet defitura. Post multiplicia Missarum hymnorumque officia, epulis lautioribus fessa Fratrum caterva refectorii penetralibus convivatura succedit. Inter prandendum humanitas omnis exhibita lætitiam ubertim multiplicat, quam nimis vicina & valde impia confusio deturbat. Nam dum licentiùs edulio & mero indulgent, & ex præcepto Abbatis sui illi duo qui reliquium illud sacrilegum Româ exportaverant, ad custodiendum templum ne vel ad modicum lucernæ deciderent, cum aliis residerent; nuto divino cujus dilectissimi militis cultum miser inmeritus usurpaverat, fragore horribili & turbine perturbatus divino sancto altari detrusus pavimento elapsus iterumque relapsus corruit, concidit, nunc hac, nunc illac parietibus sese collidens, iterumque se modò josum [a], nunc sursum efferens contunditur, conteritur & in frusta dispergitur, Martyris nomen & officia quæ inaniter præsumserat cum ludibrio & dedecore pollinctorum spurcissimorum qui cum illinc advexerant, his mortalium auris perditus amittens. Flagitii auctores, unus truculento spiritu, alter sensu inanis efficitur, ambo tamen quid egerant gestu corporum ostentabant. Reliqui omnes qui aderant, & Martyris suffragia virtutumque pragmata expetebant insperato & numquam expetto terrore perculsi femineces fugam maturavere raptim. Prandentium aulam pervolant, sibi subveniri & auxiliari insanis vocibus proclamant. heu! domini Patres, inquiunt, surgite, properate, succurrite, à sæculo nusquam consimile piaculum videte. Prô pudor! improperium perpes & rubor con-

[a] Sic antiquis *josum* seu *jusum* pro *deorsum*. quod ex Augustino probat Bollandus, & Vossius in lib. 2 de vitiis sermonis.

An. Chr. DCCCXXVI. Dec. IX.

* vulgò *ambre*

An. Chr. DCCCXXVI Dec. IX. fusionis numquam abolendus! ipse diabolus hodie hic est in tyranno allatus. Quidquid præ manibus erat prandentium abjecto, cum valido strepitu mensis exsilientes, signaculo & virtute sanctæ crucis certatim communiti templum penetrant; finitimi quoque qui caritatis affectione retenti fuerant, undecumque decurrentes conveniunt. Quid memorem? tam repentinum & insperatum gaudium subitaneus & numquam suspectus præoccupat luctus. Contuentur comminus pavimento prolapsum illius nefandissimi & miserrimi hominis particulatim cadaver divulsum, dolentque se in articulo modici temporis amisisse gaudium, quod gratulabantur sine fine mansurum. Fit clamor confusus, omnium stupor attonitus. Adversum flagitii auctores plurima vulgi concurrens manus infremescit. Alii lapidandos sacrilegos, alii patibulo appendendos, quidam igni comburendos, aut leto quocumque atrociore puniri debere maledicis eloquiis lacessientes acclamabant. Verùm quibus erat cor docileac mens sincerior, nequaquam eos humano posse damnari præjudicio adstruunt, quos divinæ severitatis censura jam plexos fore liquidò contuebantur. Interea collecta particulatim putredine dirempti illius infelicis cadaveris in sterquilinium vulgi stercus spurcissimum projicitur, obruitur & proculcatur, ultimumque ei vale anathema perpetuum imprecatur. Rastris pavimenta eraduntur, aquis diluuntur, & sacræ respersionis undâ purificantur.

XL. Juvat conferri huic facto antiquum illius rei gestæ eventum, quod contigit in populo Acharonitarum, quorum Deus erat Astaroth, ut Regum promit historia. qui templi sui aditibus Arcam Dei repositam secum habitare domo una non sustinens, præpotenti quodam numine concussus in terram ruit, ejusque calvaria in ipsius idoli limine manusque præcisæ truncus iners suo ut erat transfixus loco remanens, obprobrium suis cultoribus perenne reliquit. Verùm longè aliter his quibus sincera in Deo fides & promtissimus erat, tametsi minùs doctus, & ideo malè illusus famulatus, quàm allophylis rite contigisse perpenditur. Illis enim in ultionem & pœnam; istis autem & hujusce religionis ad fidei robur & constantiam, ne perfacilè incertis adsensum tribuant, neve antequam approbent, Sanctum dicere aliquem mortalium audeant, juxtaque dominicæ eruditionis instituta, cùm dixerint, Ecce Deus hic, aut ecce illic, credere refugiant, ne per hoc fortè diabolicæ fraudis occasione admissa posthabita latria sui conditoris quodam modo offendant in idololatria.

XLI. Sebastiani reliquiæ Magnilocensibus concessæ. Igitur necdum longævo permenso spatio, beatissimo & omnifaria laude dignissimo Martyre Sebastiano penes Suessorum urbem honorificè inlato, ac cum magno tripudio excepto, cùm ejus (ut præmisimus) prodigiorum atque signorum fama crebresceret, de ipsis quoque ultimæ Tilæ finibus ad ejus fragrantia pignera confluerent; Abba prædicti Monasterii, de quo sermo habitus est, audiens hoc, gaudio repletus commonet suos hortaturque, celerrimum illuc protendere gressum, se ducem & prævium itineris exhibens, ut quod non poterant in toto, partem saltem vel modicam mererentur ex toto. Quo cùm pervenissent, & à Rodoino Præposito Fratribusque ex more suscepti humaniùs agerentur, causam sui itineris pro qua tantum onus subierint, lacrymabiliter fundunt. inmeritos quidem se muneris quod expetebant adipiscendi profitentes: sed quia ejusdem erant Ordinis [a], fraternæ erga sese caritatis, qua singulariter beatificabantur, reminisci, & spei cujus devenerant suæque devotioni consulendum precabantur attenti. Olim, inquiunt, Patres conscripti, duo ex nobis quidam exeuntes Romam pergere, pro hoc quo Deo favente præsenti fruimini patrono. Quid multa? furtivum dantes pretium, quemdam cujus ignoramus vocabulum, mercati sunt tyrannum. Hunc ad nos miserum & in ipso pariter deduxere diabolum. Qui susceptus à nobis quidem est sollemniter, sed Deo (si dicere fas sit) indignante detrusus mirabiliter. Nam cùm nescii sacræ Virginis MARIÆ illum super aram imposuissemus, ac festivè composuissemus, pransurique cum pluribus qui convenerant, resedissemus; de subito ab altari in aëre levatus, in terram elisus cum ingenti stridore decidit, & sibi obsequentibus qui in basilica remanserant, horripilationem nimiam injecit, exterritosque ab ecclesia perturbavit. Qui cùm ad nos usque pallentes & pæne exanimes intrassent, quæ sibi accidissent in conspectu conventus universalis teterrimis vocibus insanientibus similes publicare cœperunt. Silentium utpote rei gestæ ignari innuentes nullatenus cesserunt imperantibus, quin, sicut cœ-

[a] Monastici scilicet. Nondum enim Monachi variorum monasticorum Ordinum singularia vocabula noverant, qui omnes tum his in partibus sub Regula S. Benedicti militabant. Eodem modo loquuntur Patres Concilii Suessionensis anno DCCCLIII in Medardensi Cœnobio celebrati, cùm cap. 5 præcipiunt, ut Monachi duo qui Pippino fugæ adjutores fuerant, *in Monasteria sui Ordinis relegentur*, ut scilicet his verbis excluderent Monasteria Clericorum seu Canonicorum.

perant, inreverenter publicum ignominiæ malum clamosis exsequerentur vocibus. Nos concito gressu ecclesiam ingressi, in frusta quassatum membra disjectumque illum, qualis quantusve erat, nostris congruentem actibus Sanctum inspeximus. Hoc rumore passim denotamur, & inportabili improperio jaculamur atque confundimur. Ut hoc ergo pudore tandem aliquando carere queamus, ad vestram venerabilem paternitatem confugium facimus. Superest ut destitutioni nostræ compati & subvenire beatitudo vestra non dedignetur. Credimus etenim tædii nostri nos onus exposituros, si à caritate vestra quantulumcumque reliquiarum ejus consecuti fuerimus. His acceptis Rodoinus fraterno affectu compassus condoluit, & cum voluntate Patris Hilduini & Fratrum consensu auxilium in agendum spopondit: relataque priùs coram Fratribus causâ, non abnuere votum, insuper ut Sancti crescerer cultus & memoriale, hoc se plurimùm dixerunt amare. Illud denuo domno Abbati cùm innotuisset, & ille Fratrum super hac postulationem ab eo quoque percepisset; linteum eis per collationem venerabilis Rothadi Antistitis, quo vivifica membra Martyris involuta fuerant, conferri præcepit. Qui dum ad opus adsisterent & linteum de theca petentibus tribuendum proferrent; illi iracundiâ succensi, reliquias Sancti, non linteos, quibus in sua regione abundarent, se expetisse dixerunt. Quibus cùm à circumstantibus Fratribus non aliter, sed is esse firmaretur, quo à Roma illuc usque ejus sanctissimum corpus ad os intrinsecùs fuisset obductum; nulla ratione eis satisfactum est ut illud reciperent. Audistis, inquiunt, domni Patres, jam toto orbi notissimam confusionem nostram, quam vestro beneficio æstimavimus diluendam. Cur inhonesta nostra innovare conamini? liceat nos vestra cum gratia patriam non ingeminato ludibrio, ita ut venimus, expeditos redire. Rodoinus concitatos illorum contra se animos videns, nec satisfactionem agere satis curans, linteum diligentiùs replicans cistulâ recolligit, non ita se domini sui vilipendere tegmina dicens, simulque adjiciens, quoniam aliis quibus in pectore robustior fides valeret, satiùs his communicari deberent. Illi verò eo ibidem die commorati, cernentes nil se in hoc facto profecisse, pœnitudine acti senioribus accitis supplices obsecravere, quatenus pro eis paterna pietate apud virum intercessores existerent, ne tam tristes & vacui in sua à sancto illo loco regredi paterentur. At Rodoinus suorum precibus flexus, non totum ut priùs, sed partem Sacerdotum manibus sectam largiri jussit. Quam illi multo gratiosiùs quàm antè devotis fidei mysteriis excipientes, & honorificè præparato sacello reponentes, Missarum sollemniis nomine Martyris rite celebratis, religiosa secum cum hymnorum melodiis Fratrum comitante caterva sic feruntur ad propria. Quò cùm pervenissent, multarum virtutum & sanitatum gratiâ clarificata pignera ipsius meritis & nomine præeminentis fastigii contradiderunt in aula. Ubi usque in hodiernum ejus merita vigent gloriosa, palmaque virtutum ejus multipliciter floret frequentiùs atque magnificentiùs, quàm eo loco quo virtutiferum ejus corpus debita Fidelium populorum frequentatur devotione. Sint ergo & nobis & illis optamus ejus proficua patrocinia, qui nostrorum dapsilitate Patrum illius tanti pigneris meruimus esse participes. An. Chr. DCCCXXVI. Dec. IX.

Vidimus quosdam nec spernendæ probitatis viros, qui Suessæ civitatis venturam XLII. Suessionum eversio prædicta.
quam formidamus ruinam ab his qui audiere se protestantur percepisse. Turricula erat in eadem urbe, Orientis occiduas spectans plagas, super quam spiritus ambiguus, cùm jam noctis tetras aurora cœpisset umbras spargere, terribilis sententiæ ter ingeminatam profudit vocem dicens: Væ, væ, væ tibi, Suessio, Sodoma ut olim & Gomorra, validis ignium flammis concremanda, & in vacuos favillarum cineres redigenda. Invisa nec à quoquam cognita persona, sui officii mysterio functa, gestu celebri tenuis sese perabdidit auris. Hanc letiferam vocem qui tunc antequam diesceret (sicut præmisimus) vigilare poterant, horribiliter intonantem, non solùm in ipsa urbe civiles, verum suburbani quaquaversum degentes audiere. cujus fama de regione in regionem pervolans omnibus celeberrima facta est. Quam rem à multis qui nostris superfuere temporibus sine suspicione falsi consono relatu audivi, eamque huic operi adnectendam ratum duxi ad correctionem omnium eamdem urbem inhabitantium, maximè illorum qui se turpissimo & naturæ improbo crimine fœdare non verentur: & hoc idem ipsi Patres & prædecessores nostri qui nobis ista narrabant, meritis & interventu hujus nostri piissimi protectoris deputabant, quod nequaquam hoc sua tempestate impletum [a] videbant. Adjiciebant præterea priusquam

[a] Et tamen in Chronico Turonensi de gestis Normannorum apud Chesnium legitur, Danos seu Normannos anno DCCCLVI *sanctum Quintinum & urbem Suessionis & Parisius cum adjacenti terra destruxisse & combussisse.* An portentum hoc postea factum?

An. Chr. DCCCXXVI. Dec. IX — ille Româ deveheretur, horrendas ſæpius ibi reproborum ſpirituum per plateas perque ædes illuſiones importunè civibus machinatas. Sed eo veniente vapor veluti fumi evanuere, univerſa quieta ſeveritudine beneficio ejus vulgo diſpoſita, & humanis commodis placido famulatu præſtita.

XLIII. Ludovici Augusti peregrinatio ad tumulum Sancti. — Præterea memorandi Cæſaris Chludowici qualis quantave circa Sanctum devotio fuerit, largiſſima operis patefecit exſecutio. Comperto namque divini numinis præſentiâ per Martyrem Christi incircumſcripta inibi patrari miracula, regali exutus purpura calciamentiſque tertio ferme lapide rejectis, cum conjuge nudis ad Monaſterium quo jam locatus fuerat, proceſſit plantis: & quia aliquos flagitioſos audierat Imperatrix Judith vi quadam inpræfocabili in conventu publico crimina ſua detexiſſe, & odii livore interiùs perustos palàm exteriùs metuendo nimis examine ignis atrocibus concremari, pro eo quòd priuſquam loco devenirent, ſuorum criminum apertius dignis confeſſionum ac pœnitentiæ remediis coercere neglexiſſent; (Nota) anxietatis nimiæ procellis eliſa, cùm præcognoviſſet illuc Cæſarem iter diſponere, nec ſe ab eo abſque ſui rubore dirimi poſſe; totam ſe ad propitiam Redemtoris contulit omnipotentiam, agenſque cum venerabilibus a Sacerdotibus culparum ſuarum ſecreti myſterii munus, cum Pſalmiſta orabat, ut ab occultis ſuis mundari, & ab alienis mereretur abſolvi. Eleemoſynarum interea impendiis ceterorumque bonorum operum exhibitionibus per ſpatium interjecti temporis quod præſciebat, incunctanter operam dedit: ſicque demum religioſæ majeſtati votiva comes effecta, ad ſancti Martyris limina præclaris meritis præcipua properavit. Cumque Abba reverentiſſimus Hilduinus & Fratrum ornata cohors tantæ Celſitudini adſurgens, feſtivo apparatu utriuſque eorum pro foribus ſervans adventum veniret, & tandem ſuſceptus ad tumbam Martyris canoris vocibus concrepando deduceret; in humili quo erant habitu ſolotenus cum multa nobilium phalange ſubſtratis comminus ſibi palliis, antequam margines attingerent altaris, extimplo in faciem ruentes, gemebundas ac lacrymarum rore madidas preces militis ipſius merita recolentes, piumque interceſſorem invocantes, univerſali Domino protractis ſuſpiriis effudere. Inde ab oratione ſurgentes, verſu congruo omnium adſiſtentium voto eorum commendatur oratio. Igitur aulam tantæ ſublimitati proviſam introgreſſi, imperialia & ea quæ tunc cultiora fuere ornamenta reinduti, & diademate comti, Miſſarum ſollemnia Cæſar conſiſtorium ſcandens in honore Martyris fecit decantari. (b) Qui cùm ad Evangelium ventum eſt, calicem aureum cum patena, patris ſui magni Karoli monogrammate b inſignita, manibus propriis inter legendum ponderis ingentis tenuit, & cum oblatione ſacranda eidem dicavit. Poſt expletionem quoque celebrem ad veſtigia ejus cum conjuge acceſſit. ubi cùm ſeſe prolixa oratione Deo per Sanctum commendaviſſent; complexiva & omni ævo reminiſcenda devotione ſigillatim à ſtemmate uſque ſubuculam cultu regali exuti, uterque Martyri inibi (c) poſuere. Textum deinceps ſacrorum Evangeliorum c aureis characteribus exaratum, laminiſque metalli ejuſdem abſque admixtione cujuſque materiei incluſum, thymiamateriumque XL & VIII ſyclorum ejuſdem ſpeciei, & vaſtam olei ampullam ad (d) luminaria concinnanda, mente promtiſſima obtulit: monetam etiam publicam cum (e) incudibus d & trapezetam perpetuo famulatu ſacris ipſius deſervituram ſubdidit. Abbatiam quoque protomartyris Stephani Cauciacum e, quæ ſeptingentarum familiarum eſſe perhibetur, ad templi fabricam ſpatiandam dedit, & præcepto regiæ auctoritatis ne à quolibet temerario abriperetur, cum obteſtatione & anathematis innodatione anuli ſui impreſſione ſignato roboravit. Quod cùm ſæpius Monaſterium inviſeret, tanta devotioni priſtinæ. poſtmodum incrementa adjecit, ut cùm quadam

a Pluribus Sacerdotibus non rarò tum fiebat. ſecreta peccatorum confeſſio, ut probatum in Præfatione Sæculi III.

b Monogramma, ſignum ſeu nomen cujuſvis proprium continuo litterarum ductu ſcriptum. quo ſcribendi genere primus è Regibus noſtris uſus videtur Carolus magnus.

c Hactenus in eo Monaſterio adſervatur iſte liber, ſed laminis tantum argenteis coopertus, quas Ingrannus Abbas fieri curavit, appoſita hac inſcriptione: *Hæc tabula facta eſt à D. Ingranno Abbate hujus loci anno* MCLXVIII, *Alexandri tertii* X, *regni Ludovici Junioris* XXXIII. *Librum autem ipſum obtulit Ludovicus Imperator B. Sebaſtiano in receptione ejuſdem Martyris inclyti & Papa Gregorii urbis Romæ.*

d Adeoque jus condendæ monetæ, quod etiam pluribus Ordinis noſtri Cœnobiis conceſſum. Hujus monetæ ſpecimina quædam exhibet Claudius Dormarus initio ſecundæ partis hiſtoriæ Sueſſionenſis.

e Cauciacenſe Monaſterium, vulgò *Choiſy*, paullo ſupra Compendium, fere ad confluentes Axonæ in OEſiam, Childeberti tertii ſepulturâ inſignitum, nunc Prioratus Abbatiæ Medardenſi ſubjectus. Iſtius Monaſterii & Bettolenī ejus Abbatis fit mentio in Vita S. Drauſionis Epiſcopi Sueſſionenſis.

die ad sanctæ Sophiæ [a] capellam, quæ palatio [b] inhærebat, oraturus procederet, ad limen substiterit, eamque aforis intuitus optativum ilico David, quo in construendo Domini tabernaculo anhelabat, baculo flaventis auri innixus decantaverit dicens: *Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo quoniam elegi eam*. Mirum dictu veluti adsistentis Martyris hæc essent auribus data, ipsius ejusdem solis vesperi prodire magnifica triumphatoris egregii signorum tropæa. Nam X & VIII sexus utriusque sanitatum curationes præsens sub eadem nocte, priusquam cubitum pergere disposuerit, cernere promeruit. Continebantur istorum glaucomina fugatis tenebris jubare rutilantis luminis splendentia; aliorum uncas manus & arentia brachia laxa; suras enerves & vestigia retorta vigore magis dato quàm reddito directiùs protensat; quorumdam aures sanguine fluentes, quas surditas diutina damnaverat, nunc lenis & tenuis sonus approbabat valde perspicuas; pessimum in quodam, sed devictum & exclusum potenter sinistrum spiritum, lepræ maculas abolitas furentium insipientes ritè demutatas mentes. His ad votum fruitus Cæsar nullo incredulitatis errore ejus pectore movente, amoris supremi & incomparabilis affectum erga Martyrem sanctum sollicitè in posterum se devovet conservaturum. Inenarrabiles gemitus & suspiria fletuum nimbis respersa multiplicans, eum veluti carne præsentem cerneret excolebat, venerabatur, & deprecabatur: & quia sine hæsitatione quod expostulabat donari ab eo sibi posse credidit, voti compos effectus idipsum adeptus est salubriter. Quid autem fuerit quod ita eum rogasse præmisimus, series subsequens, immo idem in serie secretissimum suum enarret sacramentum.

An. Chr. DCCCXXVI. Dec. IX.

a

b

Psal. 131. 14.

XLIV. Ludovici Pii conquestio de sua dejectione.

Fractus robusti olim brachii vires ego CHLUDOWICUS Cæsar Imperator Augustus, Dei dispensante gratia orbi Romano imperans, cùm latè in populos juris habenas immoderatiùs relaxavissem, indulgentiâ nostrâ quidam dissoluti impugnando pietatem, infidelitatis prorupere crudelitatem. Quod malum eo usque incanduit, ut ipsos quoque prædulces natos meos in me sævire compulerint, & secum de nece sui genitoris tractare fecerint. Ad locum sic fortè venitur, qui ex eventu ruptæ fidei pacis & sacramentorum Mentitus-campus [c] extunc appellatur. Hic me omnis pæne meorum militum manus deserens, eo, ut retuli, perduellio filios meos horrendum facinus involvit, & præfices sceleris esse delegit, insonti mihi multa morti obnoxia imputantes: à numquam læsis multipliciter læsus & delusus, nefandorum actuum meorum non immemor, æquissimo Dei judicio hæc me dignè perpeti comminiscens, casus æquanimiter ferebam. Suessionis civitatem deinde inimica cohorte vallatus, ad sanctorum dominorum meorum Cœnobium perductus sum: & quia sciebant me illum locum diligere plurimùm, consiliabantur inibi me fortuitu post desperationem sponte arma positurum. Quo cùm me publicâ custodiâ artavissent, quatinus quod callidè tractaverant, opere consummarent, quosdam submiserunt, qui uxorem [d] meam in Monasterio virginum Sanctimonialem factam vel (quod verius audissent) mortuam mihi nuntiarent. Filium quoque meum parvulum & innocentem KAROLUM bonæ indolis puerulum, quem noverant præ omnibus mihi amantissimum attonsum & Monachorum firmarent cœtui adnixum. Quod ego audiens, & me continere non valens, quippe qui Regni decore spoliatus, conjuge privatus, filioque essem orbatus; diebus non paucis ejulans nullo consolatore fruitus, languoris violentissimi paullatim me persentiebam ex tristitiæ magnitudine æstibus aduri: & quia præter Deum consolatorem neminem habere poteram, quoniam quidem aditus & colloquium negabatur omnibus, ad ecclesiam tantùm & ad Fratres tarò via, & ipsa cum summa prospectione custodum patebat; insedit animo illac ire. Quo cùm devenissem omnium vestigiis provolutus, morbi quo afficiebar plagam medicis sapientibus retuli. quibus

c

d

[a] Hactenus istius capellæ parietinæ quædam supersunt, & collegium Canonicorum S. Sophiæ, cujus in oratorio Walteri Ivetotensis cædem, quam à Clothario primo factam primus asseruit Guaguinus, patratam fuisse aiunt. In brevi Chronico Monasterii ecclesia sanctæ Sophiæ apud S. Medardum ab Arnulfo Episcopo anno MCLII dedicata fuisse dicitur.

[b] Hinc patet Regis palatium Monasterio adjunctum fuisse. Nomen hactenus retinet locus prope oratorium sanctæ Sophiæ, quod ex imitatione Constantinopolitanæ ejusdem nominis basilicæ Imperatoriæ ita dictum est. Eo in palatio Leo Papa IV aliquot dies moratus est anno DCCCLV, ex Annalibus Mettensibus: Carolus Calvus anno DCCCLXIII Legatos Nicolai Papæ ipso Monasterio honorificè recepit, ibidemque Ludovicus Rex, Natale Domini celebravit anno DCCCLXXVIII ex Annalibus Bertinianis.

[c] Theganus in cap. 42 vocat *campum magnum, qui est inter Argentariam & Basileam, qui usque hodie vocatur Campus-mendacii, eo quod ibi plurimorum fidelitas extincta sit*. Lege hac de re Anonymum in libro de vita Ludovici Augusti ad annum DCCCXXXIII, & librum 2 de gestis Walæ Abbatis infrà.

[d] Judith scilicet, cujus occasione tot excitatæ procellæ sunt. quæ anno DCCCXXX primùm in Laudunense Monasterium S. Mariæ retrusa, dein Pictavis in Cœnobium S. Radegundis; tertio pòst anno Dertonam relegata est. Carolus verò Prumiæ commendatus est, nec tamen attonsus, ut legitur in Vita Ludovici Augusti.

AN. CHR. DCCCXXVI. DEC. IX.

ut quanti levaminis apud propitios dominos obtinuerent supplicavi, & ut pro requie conjugis quam exemptam vitâ arbitrabar, Missas celebrarent, & attentiùs orarent, venerabilem religiositatem eorum obnixè efflagitavi. Qui afflictionibus & miseriis meis prudenter compassi, per merita & interventum Sanctorum quibus deserviebant, veluti futurorum præscii proximam polliciti sunt ab Omnipotente adfuturam medelam, si tamen Fidei sacramentis animum accommodarem. Sic ab eis bene confortatus post orationem ab illis deductus notis ergastuli antris, ita demum sum restitutus. Sequente noctis umbra cogitatu sedulo lucicomum desiderabam cernere sidus; ingressusque sanctæ Trinitatis [a] vicinum carceris Oratorium, post matutinalem expletionem solus inibi pernoctans, cùm per fenestram extra intuitum dirigerem, quemdam custodum ultra vires, immeritò tamen mihi infestum, sub imbrice comminus video jacentem, & ne vel permodico maceriei foramine elaberer ipso statu servare cupientem. Quem somno & mero sopitum deprehendens, inter alta cordis suspiria ridiculum mihi omen melius adspectans oboritur. Enimverò cùm ita diffusum solo tenus & ejus ensem frequenti cervicalis, quo superfuerat expositus, repulsu viderem penes fundamina basilicæ inpexum, scalam concitè quæ ad accendendas faros angulo fuerat reposita subiens, funiculum otio torpentem super à laquearibus solvi: comminusque hastas quibus vexilla tempore letaniarum ferenda aptantur conspiciens, uni earum funiculum cum laqueo subnexui, perque eamdem fenestram jeci. Hac comprehensum arte mucronem sustuli, inque altas & squalentes feci jactari latrinas. vocatoque ejus nomine aio ad eum: O custos pervigil, tuorum spes fidissima, vigilasne? Ad hæc ille: Vigilo, & bene vigilo. Cui iterum ego: Et quid struis? Et ille: Quid de his, inquit, tibi? Rursus ego: Si tibi fortè repentina necessitas cogeret, forsitan gladius manu abesset. Illo ad caput brachia convertente & eum huc illucque quæritante; Si me, dixi, sic custodisses, hodie me nequaquam hîc habuisses. Quidquid, inquit, illud est quod de mucrone actum est, satis superque te ut jussus sum servavi, & servare curabo & ego. Vade ergo, & in munere fidelitatis hujus & vigiliarum tuarum illo in loco competenti armamentorio quem turpiter amisisti recollige mucronem. Eadem ipsa die quidam Fratrum explorantes, totius causæ meæ veritatis tenorem per HARDUINUM, qui quotidiano ministerio ante me Missas psallere consueverat, scripto miserunt. Cumque de more ei oblationes [b] Deo mactandas, maximè pro conjugis meæ absolutione, quam humanis exemtam rebus credebam, offerrem; ille meam cautiùs stringens manum, secus altare esse [c] dixit. Post consummatam hostiam, omnes cùm foras egressi fuissent, substiti solus: & fascello projectam colligens rotulam, vivere uxorem, & nil in filium meum sinistri operatum cognovi, & perplures jamque pœnitere, quòd taliter fidem ruperint, & à me discesserint, ferocibusque animis certatim restitutionem regni moliri. quod Deo favente resque in melius per ostentum Sanctorum suorum transfundente, ad perfectum deduxere. Verùm quamquam augustiùs Regni recuperato fastigio pristinæ dignitatis perfruerer gloriâ; meorum attamen non immemor votorum ac precationum, quibus excellentissimum Martyrem Sebastianum rogaveram, & me incunctanter accepturum credebam. Insurgente rursus perduellio cùm passim Regni quietudo propugnaretur, & pacis tranquillitas confunderetur; pro his Sanctum supplicaturus, ad prædictum accessi locum. Et quia sæpenumero in hujuscemodi privatis seu publicis ejus præpotens auxilium fueram expertus, super his quoque solitum quo impertiri dignaretur precabar enixiùs. Proxima ruente nocte illud quod ante dies rogaveram, nocturno visu accipio evidentissimis indiciis ab eo cælitus, ut reor, mihi condonatum: & cùm ingruentium cladium ruina nulla pateretur ratione optatas inibi duplicare moras, hinc digressus discrimini me pro commissis à Deo populis tentabam impendere, & certamini, si res exegisset, viriliter exhibere. Hinc me proficiscentem Præpositus hujus almi collegii TEUTHERUS nomine prosecutus, nostri comes efficiebatur itineris. Cumque penes me equitaret, & procul à sancto loco divelleremus; caput retorquens, & in eumdem (prô dolor) ultimum adspectum conver-

[a] *Hincmarus anno sui episcopatus septimo Synodum habuit comprovincialem apud Suessionicam urbem in Monasterio S. Medardi, in ecclesia sanctæ Trinitatis honore sacrata*, teste Frodoardo in historiæ lib. 3 cap. II. quæ ecclesia alia erat à principali, quæ B Mariæ sacrata erat, ut constat ex litteris exauctorationis Ludovici Augusti.

[b] Hostiam vocamus. Hinc intelligitur viguisse etiam tum morem penes laïcos offerendi hostias in Missa consecrandas, seu (ut loquebantur) mactandas & immolandas. Ordo Romanus: *Apportante Archidiacono oblatas in patena, à aulo immolatur*, &c. Quamquam etiam consecrandi verbo non rarò utebantur. Usus ille offerendi hostias diutiùs perseveravit penes Monachos, ut constat ex Consuetudinum Cluniacensium lib. 2 cap 30.

[c] Nempe rotulam seu rotulum, id est schedulam, qua de conjugis & filii salute certior redderetur.

tens

AN. CH. DCCCXXVI. Dec. 12.

tens, intimi cordis mœrore turbatus, superexcrescentes profundæ mæstitiæ fluctus inhibere ultrà non valui. Tristis & mœrens amaras fundebam lacrymas, letaliter conclusus, quid agendum mihi potiùs foret valde suspensus. Votum Sancto devoveram, cujus operandi diem præfixum videbam. Vitæ ab eo finem perceperam, cujus me transgredi non licere metas sciebam. Denique commissum mihi regendi Christianum à Deo Imperium haud ignorabam, cujus usque adeo cùm omnem labefactam orbem considerarem, & vicinam desolationem quam præscieram, formidarem; reum me super hoc inveniri, proque hoc æternis suppliciis damnari ab illo metuebam, qui universorum auctor exstaret & dominus, judexque venturus unicuique secundùm opera esset redditurus. Ille taliter me tristari conspiciens, diutius quidem consultum tenuit, erat enim vir in omnibus fidelissimus. Et cùm jam uberrimum meorum fletuum imbrem ferre nequiret, ipse quoque ex hoc permotus in lacrymas ruit. Quid, inquit, optime Cæsar, tibi & tuis graviter destitutis hæc prodesse poterunt? per te consolabuntur universi. Hilaritas tua si mæstis parebat, dolorem omnem evacuabat. Noli, domine & gloriosissime Imperator, noli hoc servis tuis letalis tristitiæ vulnus in te, cui summa semper jocunditas, vultus serenissimi obnubilatione palam ostentare. Hoc morum multùm corda brachiaque dissolventur, hostium vires robora concipient. Singulare id dumtaxat tuis esse debet secretum, quod ita tui pectoris turbare potuit lætissimum semperque quietissimum statum. His fortasse, si fideliter tui compassi fuerint, dabitur ut consolationis remedia valeant reperire: & si secus fieri nequibit, leviùs deinceps, cùm hujus rei plures cœperint effici participes, feres. Tum ego quæ fideli noveram persuasione edita consolatoris mei verba suscipiens, ei causam reddidi, & quid lateret corde, detexi protinus ore. Sanctum illum locum me amavisse plurimùm dixi, quem non ultrà me videre, sancti Martyris agnoveram revelatione. Votum insuper vovisse, cujus effectum prohibuisset fluctuatio conlati Imperii: & nisi formidini ab hostibus imputaretur, aut ejus (quod supra modum pertimescendum erat) ab omnipotente ruina exigeretur; arma, purpuram & stemmata quàm libentissimè ibidem me deponere [a] voluisse. Inde ab eo cùm salubrius consilium dari expetii, tale percepi. Bonum, inquit, votum tuum, gloriosissime Cæsar. sed sicut beatus docet Gregorius, nihil Deo bona voluntate ditius. Magnum quidem est quod optas renunciare sæculo, & omnibus quæ possides, siquidem per hoc Christi imitator esse posses. Verum multorum salus à quibus perficitur, multiplicia in singulis præmia pollicetur. Illud tibi, istud omnibus consulit. Magnum illud, sed maximum est istud. Hoc si non potest operari voluntas, in isto poterit remunerari. Denique in Deo id fuit mirabile magis, quòd dignatus est mori pro servis. Caritatis augmentum majus idem ipse commendavit esse, si quis pro fratre non dubitasset animam ponere: fecit quod docuit: pro nobis animam posuit. Pertulit Dominus mortem, ut servus reciperet dignitatem, non necessitati succumbens, sed plasmati suo ineffabiliter subveniens. Quod sequamur exemplum, in sese ostendit, & dantri operam palmam victoriæ promisit, & permanens præmium reposuit. Quia ergo gregem suum regimini vestro commisit; pro eo, si necesse sit, usque ad mortem decertandum vobis insigne erit atque laudabile. His luculenter à prædicto viro instructus & fortiter in agendum animatus, me iterum iterumque sanctitati illius & Fratrum attentiùs commendans, tametsi non ut antè tristis, non tamen adeo discedere hinc prævalui lætus: quippe qui quos dilexeram unicè, supremum me sciebam transmittere vale.

XLV. Ludovici obitus.

Igitur cùm hæc Fratribus ætatis & religionis merito primoribus relata fuissent, Martyrem sanctum unanimiter exorandum constituerunt, quatinus ejus oracula, si quoquo modo fieri posset, eorum in salutem verterentur in alia. Quod cùm sollicitè peractum sit, digni attamen nullatenus super hoc auditi fuere, quoniam quidem hoc prædestinationis numquam immutandæ constiterit Dei. Nam eodem itinere cuncta filium legitimum & omonymum ducens exercitum, in quadam insula Rheni [b] vita corporali functus, perennem (ut remur) cum Sancto quem incomparabili fuerat amore complexus, ejus meritorum obtentu est adeptus. Cujus exuviæ Mettis in basilica sancti Arnulfi, à quo genus [c] duxerat, celebratæ, tam opum pretiosarum, quam-

[a] Huc referenda sunt Anonymi verba in ejus Vita ad annum 811, ubi ait Ludovicum avi Carlomanni imitari gestiisse memorabile exemplum, nisi refragatio patris, vel potiùs divinæ voluntatis nutus obicem præbuisset. Quamquam Lothario cum factionis suæ hominibus jubente eum *ire in Monasterium, & ibi esse omnibus diebus vitæ suæ; renuit ille, nec consensit voluntati eorum*, nolens scilicet tum inimicorum cedere perfidiæ, ex Thegani cap. 43.

[b] Prope Ingilenheim infra Magontiam, ex Annalibus Fuldensibus & Bertinianis.

[c] Id cuivis notum, nempe ex Angisilo S. Arnulfi filio processit Pippinus Haristallensis dictus, ex Pippino Carolus Princeps cognomento Tudes, ex Carolo Pippinus Rex Caroli Magni pater, Ludovici avus.

An. Chr. DCCCXXVI. Dec. IX. que fiscorum regalium ditatione sunt insigniter commendatæ. Et quoniam, ut eo manifestante cognovimus, votum explere nequiit, nec totiens peroptatum sepulturæ locum in fundo Martyris habere promeruit.

XLVI. Totius orbis Romani principe vitâ exempto epilogus tandem thematis hujus stili verecundia impellente ponendus est. siquidem quantum ad meritum tanti Martyris & ad materiæ spectat dignitatem, mutum est omne quod de eo quantumvis humana facundia fari potest: quoniam quidem omnis sermo humanus inferior est laude cælesti. Pauca quidem suor quæ de eo oratione inculta prosecutus sum, pluriora & pæne innumerabilia fastidiosis lectoribus ignoscens omisi. Enimvero superest hodietenus in chartophylacio nostro schedula Rodoini ad memorabilem Hilduinum Abbatem transmissa, in qua numerosa plurimùm capitulatione virtutum ejus insignia breviata personaliter habentur inserta. quorum summa in conum redacta, surgit in milibus quatuor centum septuaginta. Itaque tam ingenti materia victus, manum ori opponens, eruditioribus quibusque atque doctioribus, & qui needum in hanc lucem prodiere, succedentibus usque in finem sæculi temporibus hæc omnia tractanda relinquo. Quisque sanè fastidiosus lautiori edulio appetis satiari, hunc nostrum furfurem postponens, sanctissimi Patris Ambrosii opus, quod de hujus triumpho cælibis edidit, inquirens, in eo reperies ferculum ditissimè refertum, cujus delicioso admodum siligine palato mentis degustato delectabiliter poteris saginari.

Explicuit epitomen miraculorum Sebastiani agonistæ insignissimi: cujus nomen ex Argivo in Latinum vir Imperialis sive Imperatorius sonans, aureo illius immaculati Agni volumine characteribus speciosissimis habetur insertum. Et ideo laudis ejus plena est terra, & memoriale ejus non derelinquetur in sæcula: quoniam regnat cum Christo feliciter in æterna gloria. Amen.

Ex codice Ioliano.

GONDACRI *Monachi, Martyr memorande, memento,*
Codice qui parvo virtutum stemmata scripsi
Laude tua, possim quò regnum scandere cæli
Adjutus sanctis precibus, quarum juvamine multi
Corporis ac animæ capturunt munera læta.

APPENDIX

De miraculis sancti Gregorii, deque nonnullis aliis Cœnobii sancti Medardi reliquiis.

1. EXSTAT *in Appendice ad tomum 2 Martii Bollandiani libellus de miraculis sancti Gregorii scriptus ab anonymo Medardensi Cœnobii Monacho circiter annum* MCL. *in quibus* CONSTANTIA *Regina, Roberti Francorum Regis conjux, de ornando sancti Gregorii loculo admonita dicitur;* FULCOSIUS *seu* FULCO *Suessionensis Episcopus ob dereptas Monasterii facultates ab eodem Sancto increpitus anno* MXXV, *quo* RICHARDUS Abbas *loco præerat; anno* MCXXVI JOSLENO *Episcopo, Abbate* GAUFRIDO, qui postea Episcopus Catalaunensis claruit, *reliquiis S. Gregorii per urbem sollemni pompa delatis pestis repressa. qua de peste habemus librum de miraculis ope beatæ Mariæ tum patratis, quem Hugo Farsitus composuit. Demum ex Actis sancti Gosvvini Abbatis Aquicinctini subditur ejus curatio facta eo in loco, ubi tum Prior erat, meritis Gregorii Magni. quæ hic indicasse sufficiat.*

2. *Præterea in sancti Medardi Cœnobium ex urbe Roma translatæ sunt reliquiæ sanctorum Tiburtii & aliorum: cujus rei historiam ab Odilone Monacho jam laudato descriptam hoc loco subjiciam. Legi etiam Anonymi cujusdam narrationem de illatione corporis sancti Gildardi, & capitis sancti Romani Rotomagensium Pontificum, eo facta regnante Carolo Calvo: quibus fusiùs referendis supersedeo.*

An. Chr. DCCC XXVIII. Jul. XIV.

INCIPIT EPISTOLA ODILONIS AD INGRANNUM, de adventu & susceptione corporum sanctorum Martyrum TIBURTII, MARCELLINI & PETRI, MARCELLIANI & MARCI, PROTI & HYACINTHI, MARII & MARTHÆ, AUDIFAX & ABACUC, ABDONIS & SENNIS, quæ est pridie Idus Julii.

1. OMNIA quæ dicuntur, nequaquam certæ rationis auctoritate discutiuntur: quæ verò visa dicuntur, audita referuntur, habita demonstrantur, veridicis sanctionibus approbata creduntur. Proinde quia multi multa loquuntur de beatorum MARCELLINI & PETRI, MARCELLIANI, MARCI, PROTI & HYACINTHI, MARII & MARTHÆ, AUDIFAX & ABACUC, ABDONIS & SENNIS Martyrum translatione ab urbe Roma in Gallias, & repausationis eorum locum vel se nescire dissimulant, & negligenter dissimulandu invidiosè abnegant: operæ pretium fuit, ut de tantorum corpurali præsentia Christi militum, & veritas rei ambiguæ satisfaceret, & dubitantium Fides ad amorem Martyrum credendo in melius proficeret. Nihilominus & beati Tiburtii Martyris adventus, & exceptio corporis ejus rationando describitur, & gloriosa sanctarum reliquiarum depositio Hermetis & Juliani, non minori devotione cum præfatis sanctis Martyribus describendo suscipitur. Vehementer enim condecet, ut quorum una fuit voluntas transferendi se in Gallias, & unius locelli devexit quantitas, fiat adventus & depositionis eorum in Monasterio sanctorum Medardi & Sebastiani, atque Papæ Gregorii una eademque principalis lætitiæ sollemnitas.

INCIPIT NARRATIONIS EPILOGUS.

2. DOMINUS & Augustus noster videlicet totius orbis Romani Princeps, Francorumque regni pater pissimus, felix & providus Imperator totius monarchiæ, CLUDOVICUS scilicet, illius augustæ & venerandæ memoriæ Karoli Magni filius, qui ad liberandum orbem tyrannicis moderationibus, & ad comprimenda domestica mala divinæ dispositionis sublimatus est gratiâ, postquam paterni suscepit imperii gubernacula, totius sanctæ Ecclesiæ fideles & filios per quatuor mundi climata pio moderamine provexit ad supernæ felicitatis emolumenta. Hic inter sibi collatæ virtutis & gratiæ munera, honestæ fidei pariter & documenta dedit, & ornamenta religionis ecclesiasticæ multipliciter condecoravit. Multa quoque corpora Sanctorum de pluribus Italiæ partibus in regna Francorum detulit, ubi maximè populus nobilitate superbus, armorum strenuitate decorus, non minima laude sapientiæ simul industriæ & prudentiæ, pollet & prævalet utique. Cujus ingenii sollertia beatissimi & omnifaria laude dignissimi Sebastiani martyris corporalis gleba, simul & beatæ memoriæ Gregorii Papæ sanctissima membra penes Suessorum mœnia in basilica summi Confessoris Christi Medardi deportata pariter & conlata videntur & habita.

3. Cùm ergo innumerabilis miraculorum frequentia tunc temporis assiduè fieret in Sanctorum præsentia, per longa mundi spatia tanti odoris fragrantia non minima redolet virtutum notitiâ. Unde contigit, ut quadam die, dum præfatus Imperator hiemaret Aquisgrani palatii, sub tempore inter prandium plura cum Optimatibus suis loquendo exorsus est regio more. Inter quæ plurima verborum colloquia, subitò in beati Sebastiani Martyris impegit translationis gaudia, & virtutum ipsius magnalia. De neglectis quoque Martyrum sepulcris, quorum Romæ ingens esset copia, prolixitas sermonis subsequitur non minima. Factum est autem dum hæc agerentur, ut quidam Diaconus sanctæ Romanæ Ecclesiæ nomine DEUS-DONA pro suis necessitatibus Regis adiret imploraturus clementiam. Dum verò diutius in palatio moraretur, cum EINARDO Abbate, palatii regalis scilicet domestico, familiaritatem illius præ ceteris palatinis promeruit, & omnem humanitatis exhibitionem ab eodem Abbate sine ulla improperatione suscepit. Inter hæc dum aperto propter quod venerat negotio Romam redire disponeret, ab eodem Abbate multa donaria recepit in sua & maximè multorum præsentia ad perficiendam suæ reversionis diligentiam.

Aquisgrani Deus-dona Diaconus ab Eginhardo honoratus,

An. Chr. DCCCXXVIII. Jul. XIV. Suessione ab Hilduino, 4. Igitur de Aquisgrani palatio profecti, prædictus scilicet Abbas Einardus, & præfatus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus, ad augustam usque urbem Suessorum perveniunt. Ea tempestate domnus Imperator ob amorem incliti martyris Sebastiani cum omni apparatu & suorum procerum comitatu in Monasterio devenerat sancti Medardi, sanctum Pascha prout competebat devotissimè celebraturus. Huic spectaculo vir venerandæ memoriæ HILDUINUS Abba aderat in omnibus, qui & prædictum Abbatem Einardum, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconum altiùs & honorificè suscepit, & familiariùs tractavit, suorumque secretorum conscios adhibuit. Inter hæc familiaritatis obsequia supra modum jocundati, & in immensum læti, paschales dies prosecuti sunt gaudentes. Denique accepta benedictione repedationis

reliquias promittit. suæ jam dictus Diaconus, diversæ promissionis admodum largus, beati Tiburtii martyris Hilduino Abbati promittit venerabile corpus. Einardo quoque Abbati fideliter spondet, ut fidelem legationem secum dirigeret, multas Sanctorum reliquias in propria reciperet. Quibus promissionum dictis vehementer exhilarati, domnus videlicet Hilduinus Abba & Einardus, ambo legatos diligenter eligunt exquisitos, prudentiâ videlicet industrios & astutiâ conspicuos. Sic cum præfato Diacono iter aggressi, Romam quanta possunt celeritate præproperè tendunt.

5. Contigit autem ut quidam illorum medio itinere perfecto tertianæ febris corriperetur incommodo. Cùm autem diutiùs intempestæ noctis silentio graviter suo vexaretur incommodo, apparuit sibi febricitanti præclari vultus juvenis, causam ab eo commissi negotii & laborem tanti perquirens itineris. Cui cùm ille promissa Diaconi de reliquiis Sanctorum Einardo Abbati mittendis, & de his quæ beatæ memoriæ Hilduino Abbati pollicita fuerant per ordinem intimaret; respondit pulcherrimus juvenis, & dixit: Satis manifestum est, & patenter tui socii tibi sunt conscii, quia quamplures dies tertiana febre laborasti. surge velociter, festina iter, securus accelera negotium, tibi à Domino promissum consequeris votum. volo ut pro signo tuæ fidei sive credulitatis, effectum integræ percipias sanitatis. His dictis expergefactus, ab omni dolore & æstu febrium liberatus, omnia quæcumque viderat & audierat divinitus suis diligenter referre curavit comitibus. sicque factum est ut unanimiter & visioni crederent, & fidem divinis dictis pariter & promissis adhiberent.

Legatis dat reliquias S. Tiburtii, 6. Igitur Romam venientes, juxta basilicam beati Petri Apostoli, quæ dicitur ad vincula, in domo ipsius Diaconi cum quo venerat, hospitium acceperunt. per aliquot dies cum eo manserunt, promissorum ejus adimpletionem incessanter inquirendo persitterunt. In hoc morarum suarum articulo consultum fuit, ut ad cimiteria Sanctorum simul cum Diacono pergerent, ut si quid dignum in eis inveniri posset, suis desideriis satisfieret. Itaque invento duce videlicet locorum monstratore, primò ad basilicam beati Tiburtii martyris in via Lavicana, tribus ab urbe passuum distante millibus, præproperis perveniunt gradibus. Denique Martyris tumbam quantâ possunt diligentiâ contemplantur, & utrum aperiri posset aliis nescientibus cauta circumspectione consideratur. Deinde in basilicam eidem cryptæ contiguam, in qua beatorum martyrum Marcellini & Petri corpora decenter erant tumulata, summa cum honoris descendunt reverentia. Nihilominus explorata etiam ipsius monumenti qualitate non minima secum habitando ad nota recedunt diversoria.

7. Sed quanto secretiùs secum pertractant, & hospitem suum posse latere hoc factum determinant; tanto citiùs eorum prævenit notitiam. Denique veritus præfatus Diaconus, ne præfati legati Hilduini Abbatis voluntati suæ satisfacerent sine suo adsensu, consilium eorum festinando maluit prævenire diligentiùs. Et quia idem ipse Diaconus locorum sanctorum plenariam & perfectam notitiam habebat, blandè illos vehementer alloquitur, scilicet ut communi consilio fieret quidquid agendum dispositio supernæ virtutis innotesceret. Adsentiunt pariter consilio senis, utpote primi Archidiaconi sanctæ Romanæ sedis. Tempus quoque operis festinanter aggrediendi sapienter indicitur, & pari voto summisque desideriis præstolatur. Tunc peracto triduano jejunio, noctu ad loca Sanctorum pervenitur, nullo sentiente Romanorum civium: ingressique basilicam sancti Tiburtii martyris, solotenus prosternuntur. altare illud aperiri tentatur, sub quo sacratissimum corpus Martyris positum esse credebatur. Sed mox in primo conamine virtus quærentium deficitur, quia nimia mentis & corporis horripilatione concutitur. Monumentum quoque durissimo marmore politum duriori ferro durius resistit, & conantium manus aperire facilè repellit. In hac ergo cordis anxietate positis divina ilico gratia clementer succurrit. Enimvero quidam Monachus, quasi bonus Dei Angelus, mox illis advenit nomine BASILIUS. Hic in monte Palæstinæ cum suis discipulis jam diebus multis habitaverat,

sub norma probatissimæ religionis. cujus salutaribus consiliis animati, sacris orationibus adjuti, qnamvis cum periculo capitis tandem sacratissimum corpus jam dicti Martyris reperiunt. Sublato itaque cum omni veneratione sacratissimo corpore operosis composito palliis, honorificè in cryptam beatorum martyrum Marcellini & Petri desertur cum omni jubilationis exsultatione.

An. Chr. DCCCXXVIII. Jul. XIV.

8. Mox festinanter ad tumbam sanctorum Martyrum genibus flexis descenditur. Pietas Domini nostri Jesu Christi cum interno rugitu cordis invocatur, Martyrum deprecationibus Sanctorum quidquid agendum est supplicibus votis quærentium committitur. Confestim in ipso noctis crepusculo lapis, quo summitas sepulcri tegitur, de loco suo removetur. Tandem invenitur sacratissimum sancti Marcellini corpus in superioribus ejusdem sepulcri semotim positum & involutum diligentiùs. Ad ejus quoque caput tabulam marmoream positam considerant descriptam expressiùs, quoniam pretiosi Martyris ibi sepultum quondam à fidelibus venerabile jacebat corpus. Ilico cum summa veneratione sanctissimam levantes glebam munda sindone involutam, juxta corporalem beati Tiburtii martyris deponunt præsentiam.

dein S. Marcellini,

9. His ita peractis, per diversa mutatur eorum cogitatio mentis, & non minima exoritur anxietas, quia beati Petri exorcistæ & martyris sacra non potest haberi societatis præsentia. Talibus infortuniis mente turbati, tanta animi virtute laborant, ut nec cibum sumerent, nec somno adquiescerent, nisi Martyrum corpora sicut in passione socii, sic etiam in peregrinationis itinere deferrentur inseparabiliter adjuncti. Talibus desideriis incessanter accensi, ad supradictam iterum sanctorum Martyrum cryptam trepidi accedunt, apertoque sine ulla difficultate sepulcro sacra beati Petri exorcistæ & martyris membra nullo prohibente gaudentes & alacres detulerunt ad propria. Igitur levioribus ut prævalent sarcinis aptantur corporibus Sanctorum loculi juxta qualitatem temporis & difficultatem arripiendi itineris.

postea S. Petri exorcistæ,

10. Inter tanta divinæ dispensationis officia, & religiosi cultus obsequia, contigit ut dum sanctorum martyrum Marii, Marthæ, Audifax & Abacuc noctu causâ orationis cum præfato Archidiacono circuirent cimiteria, divinæ commonitionis perciperent oracula, quorum consolationibus & indiciis evidenter instructi, eorum pariter quatuor tollerentur corpora, & præfatorum celeriùs admiscerentur loculis Sanctorum. Quod mox sine ulla difficultatis mora cum summa perpetratum est reverentia.

& aliorum.

11. Sic illa tota sanctorum Martyrum massa illustris Archidiaconi deliberatur industriâ, & à legatariis domini Hilduini Abbatis geminato gaudio defertur suscepta, ceterorumque Martyrum reliquiis admista, Papiam usque deferendo exsultantibus animis pariter devenerunt eundo. Ibi ergo propter jumentorum refectionem & propter longioris viæ reparationem statuerunt sibi per aliquot dies in eadem Ticinensium videlicet Papia civitate gratissimam indulgere repausationem. In hoc morarum suarum articulo, contigit Legatos sanctæ Romanæ Ecclesiæ à Romano directos Pontifice Ticinum advenisse. Itaque veriti de adventu illorum sibi aliquid incommodi vel etiam impedimenti accedere posse, sapienti consilio sapienter præsentiam illorum maluerunt anticipare. Confestim ad invicem secretorum suorum detegunt notitiam, & per ordinem exponunt interiorem cordis scientiam. Illa Romani Pontificis legatio se quantociùs manifestat in Gallias ad Imperatorem iter vella arripere, quia cogebat illos non minima festinare necessitas Sedis apostolicæ. Qua de re facti nostrates solliciti, fidelitatem proponunt simul & amicitias Abbatis Hilduini. auctoritatem quoque insuper piissimi Imperatoris Cludovici certis innotescunt indiciis, & translationem sanctorum præfatorum Martyrum in Gallias luculenta ratione manifestant.

Papiam adveniunt legati,


12. Sicque factum est, ut quos priùs querulos habuere derogatores, postmodum per omnem viam fidissimos reperiunt suffragatores. Ita totum factum est, & sic per conjecturas mansionum, per pericula & anfractus Alpium, tandem ad sanctum pervenerunt Mauricium. Ibi causâ repausationis suæ diem cum nocte peragunt ad integrum. Enimvero mox illa Sanctorum corpora vilibus loculis inclusa, holosericis linteis pretiosiùs & digniùs involuta, feretri vehiculo decenter imponuntur, aureis peplis desuper obtecta. Inde cum laudibus & promoti, comitante Dei gratia thesaurum desiderabilem palam & apertè cum adjutorio populi occurrentis undique usque ad diu præoptati ruris confinia deportavere.

13. Jam tunc temporis adventus Sanctorum fama non minima longè latèque sese respersetat: & ideo velut ex umbilico terræ innumerabilis erumpebat populus cir-

exin Suessionas

AN. CHR. DCCC XXVIII. JUL. XIV. cumquaque. Ipsa denique Augusta Suessorum à duobus ferè millibus tota pæne civitas eis obviàm ruit, & sacras exuvias usque ad transitum fluminis Axonæ laudantes in jubilo vocis cum laudibus deduxere. Ex alia parte fluminis religiosa Monachorum concio ecclesiasticis redimita infulis cum pluribus aderat Fidelium turmis, quæ geminatis gaudiis tantis se gaudet frui patronis, & adesse præsentium Martyrum spectaculis. Inde pariter incedentes, & diem variis luminibus augentes, cum thymiamateriis procedunt, & crucibus auro gemmisque pretiosis affabrè distinctis ordinibus sollemniter exsultantes, in hymnis & canticis spiritualibus invehunt in secretis basilicæ sancti Medardi penetralibus.

anno 828. 14. Anno Incarnationis Dominicæ DCCCXXVIII, II Idus Julii, venerabilis Abbas Hilduinus suscepit corpora sanctorum Martyrum Tiburtii, Marcellini, & Petri, Marii, Marthæ, Audifax & Abacuc, & apud sanctum Medardum in loco celebri honorificè collocata penes venerabile corpus incliti martyris Sebastiani deposita, cujus adventus & exceptionis corporis ille tertius annus tunc exstitit temporis. Ibi specialiter usque in hodiernum diem ab omni populo cum omni veneratione coluntur, & debito religionis honore corporaliter habita servantur. & sicut gloriosiores faciunt milites vulnera pro Imperatore suscepta, ita & ipse Deus Rex Martyrum Dominus noster JESUS CHRISTUS, suorum militum Imperator gloriosus, pro confessione sui nominis prætextâ martyrii purpureos in omnibus miraculorum signis & virtutibus efficit gloriosos. Sed quia per idem tempus pæne ab ipsa ultima Tyle fiebat ad ipsum locum innumerabilis omnium concursus propter frequentiam sanitatum atque signorum, quæ indiscretè fiebant in præsentia ejusdem Martyris Christi Sebastiani, singulariter ac propriè cuncta miraculorum insignia diebus in illis habita ad præfatos sanctos Martyres quamvis nequeant cuncta referri, communia tamen credi salva fide possunt esse & dici. Verè & absque ambiguitate ulla propter hoc præcipuè fuere communia; quoniam sicut apud Deum æquales creduntur meritis, ita non absurdè putantur in patiandis miraculis communiter operari.



AN. CHR. DCCC XXVII.

DE TRANSLATIONE SS. MARCELLINI ET PETRI MARTYRUM,

IN MONASTERIUM SELIGENSTADIENSE:

Ubi EGINHARDI Vita compendio præmissa.

Translationis historia omissa. 1. PROPOSUERAM *animo hic exhibere sanctorum Martyrum* MARCELLINI *&* PETRI *translationis historiam, qualis ab* EGINHARDO *quatuor libris condita est; eamque ob id jam paraveram. Verùm quia prolixior est hæc historia, eaque in promtu habetur apud Surium; satius duxi quædam ex illa delibare, quæ in rem nostram videbuntur, quàm integram recudere.*

Eginhardi compendium Vitæ. 2. EGINHARDUS *seu* Einhardus, *quem alii etiam* Ainardum *vocant, istius translationis auctor & scriptor, in aula Caroli Magni educatus, (unde & Carolum* nutritorem *suum vocat in Præfatione ad ipsius Vitam) ejusdem postea notarius fuit. Regiis ædificiis præfectus est; & Ansegisum Abbatem, vice sua* regalium operum Exactorem *in Aquisgrani palatio habuit, ut postea videbimus in Ansegisi Vita. Unde ipsum Beseleelem vocat Walafridus Strabus in carmine* de Einharto Magno:

Fabre primùm qui percipit omne
Artificum præcautus opus.

Uxorem duxit IMMAM, *(sic eam ipse appellat in epistola 32) quam Caroli Magni filiam fuisse legitur in Chronico Laureshamensi. Hoc in fabulis habent plerique eruditi. Sed tamen Eginhardus ipse Lotharium* nepotem *suum appellare videtur in epistola 34 his verbis:* Quapropter admonendum censui neptitatem vestram, ut per prudentiam à Deo vobis concessam caveatis periculum vestrum. *Qui locus diligenter notandus*

est ad fidem Chronico Laureshamensi conciliandam. Certè Lupus Eginhardi conjugem nobilissimam *dicit in epistola 4. Eginhardus ex Imma filium suscepisse videtur* WUSSINUM, *quem ad litterarum & virtutis studium hortatur epistola 30.* WERDRICUM *Fuldensem Monachum* propinquum *suum nominat in epistola 4, itidemque* EBURONEM *in epistola 29. Ludovicus Augustus* Einhardo fideli *(ut ait) suo &* conjugi suæ Immæ *concedit* locum in partibus Germaniæ, qui vocatur Michlinstat, in silva *Odenevvald*, *in cujus medio erat* basilica lignea; necnon & villam quæ dicitur Mulinheim, in pago Moinecgowe super ripam fluminis Mœni, *ut legitur in regio diplomate dato* anno primo imperii *Ludovici. Anno ejusdem imperii sexto Eginhardus Laureshamensi Monasterio attribuit* Cellam, *inquit*, nostri juris vocabulo *Michlenstat*, sitam in pago Plumgowa, super fluvium Mimilingum, *ea conditione, ut si filios ipsum habere contigisset*, unus ex eis in eadem possessione jure precario succederet. *Ex quo intelligitur, Vussinum (si quidem ejus filius fuit) nondum tunc natum fuisse. In alia villa* Mulinheim *dicta, quæ in Francia orientali ad Mœnum sita, ædificatum est Monasterium Selingestadiense, occasione translationis reliquiarum sanctorum Marcellini & Petri, quas in Michelenstadensi Monasterio collocare statuerat. Sed ipsius consilium aliò vertit Deus, ut postea dicetur. Translatio hæc anno* DCCCXXVII *facta est, vivente adhuc uxore, quæ circiter annum* DCCCXL *supremum diem obiit, certè ante annum* DCCCXLII, *ut constat ex Lupi epistola 5, in qua Eginhardum de uxoris obitu consolatus, meminit HRabani* Abbatis, *qui regimen Fuldensis Monasterii abdicavit anno* DCCCXLII. *Aliquot antè annis Eginhardus cum uxore cælebs vixerat, unde & eam* sororem *dicit in epistola 32. tumque multa beneficia (sic eorum temporum ferebat religio) à Ludovico Augusto obtinuit, nempe Abbatias Blandiniensem, Bavonianam, (de quibus in epistola sua 12) Fontanellensem, ac Ticinensem sancti Iohannis Baptistæ ecclesiam. Vixit Abbas in Seligenstadiensi Monasterio primus, ad annum ferè* DCCCXLV, *successorem sortitus* RATLEGIUM *seu* Ratlaicum, *antea Notarium suum: cujus utriusque epitaphium HRabanus composuit. In vetusto Breviario Fontanellensi notatur* XV Kal. Junii Einardi Abbatis Fontanellæ commemoratio. *quod de Eginhardo isto intelligendum puto, quem Fontanellenses nostri Sanctum habuerint, eumdemque hactenus colunt, sed alio die, nempe 20 Februarii. Scripsit Eginhardus librum de Caroli Magni vita, Annales, librum de Cruce, epistolas, capitula duodecim, suggerente Gabriele Archangelo proposita Ludovico Augusto, & quatuor libros de translatione cum Vita rythmica sanctorum Martyrum Marcellini & Petri, de quorum translatione reliquiarum hîc agimus.*

3. *Has reliquias cooperante* DEUSDONA *Diacono ex basilica sancti Tiburtii furtim effossas* RATLAICUS *Eginhardi Notarius Româ sustulit. tum in reditu Ticinum*, apud basilicam beati Johannis Baptistæ, quæ vulgò Domnanæ vocatur, ac tunc ex beneficio Regum ad meam *(inquit Eginhardus)* pertinuit potestatem, *aliquot hospitatus dies, Agaunum*, Caput laci, Solodorum Burgundionum, & Argentoratum urbem, quæ nunc Stratburgus appellatur, *prætergressus est.* Inde per Rhenum secundâ aquâ *ipse & socii* navigantes, cùm ad locum qui Portus vocatur, venissent; orientalem fluminis ripam egressi, quinta mansione ad locum Michilunstat nuncupatum perveniunt. Is locus est in eo saltu Germaniæ, qui tempore moderno *Odenevvald* appellatur, & distat a Mœno flumine circiter leucas sex: in quo cùm basilicam noviter à me *(Eginhardi verba)* constructam, sed nondum dedicatam invenissent, in hanc illos sacros cineres intulerunt, & velut ibi perpetuò permansuros deposuerunt. *Variis tamen signis cælitus mandatum est, ut aliò transferrentur. Post longas inducias Eginhardus cælestibus paruit edictis: & primò ex loco progressi*, divertimus, *inquit*, ad villam Ostheim, & in basilicam sancti Martini, quæ in eadem villa est, sancta illa corpora intulimus: *ubi* Sanctimonialis quædam paralytica, nomine Ruodlang, de Monasterio Macbesbach, quod ab eadem ecclesia unius leucæ spatio disparatum erat, recepit omnium membrorum sanitatem. *Crastino die Eginhardus qui viam præverterat, Sanctis occurrit* in eo loco, ubi Gaspentia fluviolus Mœno *miscetur. Inde* sacras illas Martyrum exuvias ad Mulinheim superiorem (sic enim moderno tempore locus ille vocatur) detulerunt. Postridie sacra corpora novo loculo recondita, in absida basilicæ locaverunt: & sicut in Francia mos est, superposito ligneo culmine, linteis ac sericis pallia ornandi gratiâ contexerunt, apponentes altare; ac duo vexilla dominicæ Passionis, quæ in via feretrum præcedere solebant, hinc atque inde erigentes, locum illum divinis officiis celebrandis idoneum atque aptum facere curaverunt, ordinatis Clericis, qui inibi assiduè & excubias ducerent, ac divinis laudibus dicendis curam sollerter impenderent. *Hæc in libro primo Eginhardus, qui* Clericorum *nomine Monachos intelligit. aut certè dicendum est, Clericos primùm, postea Monachos fuisse institutos eo in loco, qui demum* Saligstad Monasterium *Germanicè appellatus, teste Lupo*

An. Chr. DCCCXXVII.

Translatio.

An. Cha. DCCC XXVIII. in epistola 60, & Chronographo Laureshamensi, ubi de villa Muleinheim, quæ nunc, inquit, appellatur Seliginstad. Sanè Monachos eo loci exstitisse vivente Eginhardo, colligo ex ejus epistola 4, ubi Werdricus de congregatione sancti Bonifacii, id est, Monachus Fuldensis Cœnobii à S. Bonifacio instituti, apud Eginhardum, nempe in Monasterio (ni fallor) Seliginstadensi, per licentiam Abbatis sui conversatus perhibetur, pro eo quòd Eginhardi propinquus erat: ad Clericos haud dubiè (si quidem ibi tum fuissent) non facilè sic transferendus. Porro tempus translationis, de qua mox dicebam, designat Eginhardus in Annalibus, & Annales Fuldenses annum DCCCXXVII.

4. Eginhardus in aulam vocatus, ab Hilduino Medardensis Cœnobii Abbate recuperavit partem sancti Marcellini reliquiarum, quam unus Presbyter ab eo Romam directus cum Ratleico, furtim rapuerat. Missi eam ob rem ad Suessionicum sancti Medardi Monasterium Clerici duo Eginhardi, Hiltfridus Presbyter & Filimarus Subdiaconus, qui reliquias sacras Eginhardo Aquis-grani tunc moranti restituerunt. Miraculis quibusdam patratis, Ludovicus Augustus obtulit Martyribus quoddam prædiolum situm juxta fluvium Aram, vocabulo Ludovestropf, habens mansos quindecim, & vinearum aripennes novem. Obtulit & Regina, id est, Imperatrix, (sic enim passim Ludovicum Regem Eginhardus eo in opere appellat) cingulum suum ex auro & gemmis factum, pensans libras tres. Delata postea pars illa sancti Marcellini reliquiarum in Mulinheimum vicum per Wimiolum fluviolum, duobus ferè passuum millibus ab Aquensi palatio distantem. Reliquiæ super altare deposita, postea cum alia ejusdem sancti Marcellini parte reliquiarum uno loculo conclusa sunt. Ita in libro 2 Eginhardus.

5. In libro 3 varia refert sanctorum Martyrum miracula: in his gibbo exoneratus ALARICUS quidam cæcus, qui capitula quædam suggerentibus sanctis Martyribus describi, atque Imperatori legenda offerri per Eginhardum curavit. Suscepit libellum Eginhardus à Ratleico scriptum, emendatumque Imperatori obtulit. Sed de his, inquit, quæ per hunc libellum facere jussus vel admonitus fuerat, perpauca adimplere curavit. Hæc sunt capitula duodecim, de quibus in consequentibus agit Eginhardus, ab Archangelo Gabriele revelata, de quibus legendi Annales Fuldenses ad annum DCCCXXIV.

6. In libro 4 commemorantur miracula in palatio facta, in DROGONEM seu Drogonem, Regis, id est, Imperatoris, Cubicularium, natione Græcum; in GERLACUM de urbe Remorum, qui propter ædificia palatii Aquas-grani venerat; in GERWARDUM palatii Bibliothecarium, cui Eginhardus scripsit epistolam 14, & in alios: tum refert varia miracula variis in locis, quibus reliquias sacras concesserat, patrata. Ex his reliquiis primus omnium GEORGIUS Presbyter & Rector Monasterii sancti Salvii Martyris, quod
* de Famars in pago Fanomartensi * in vico Valentianas appellato, in ripa Scaldis * fluvii situm
* l'Escau est, partem accepit, per THEODARDUM Diaconum suum. Hic est Georgius Veneticus, qui de patria sua ad Imperatorem venit, & in Aquensi palatio organum, quod Græcè hydraulica vocatur, mirifica arte composuit. Id factum memorat Eginhardus in Annalibus ad annum DCCCXXVI. Deinde subdit miracula facta in Monasterio sancti Bavonis, quod situm est juxta Scaldim, in loco Ganda vocato, ubi idem amnis Legiæ flumini conjungitur: cujus loci Fratribus reliquiæ memoratorum Martyrum missæ sunt anno DCCCXXVIII, V Nonas Julii, feria VI, Indictione VI. Denique alia recitat facta Trajecti ad Mosam, in basilica sancti Servatii, in servum regium, nomine Berohadum, de villa Cresciaco; in Folc'ardam, de Monasterio quod Meldradium; in Dothinum, de Monasterio Scottorum, quod Fossæ vocatur; & in virginem Deo sacratam, nomine SALIGAM, ex Monasterio Sanctimonialium Eike vocabulo super Mosam fluvium, quod nunc est collegium Canonicarum, uti dictum est in Actis sanctarum Harlindis & Reinuidis ejusdem loci Abbatissarum, in Sæculi 3 parte 1. Postremo his addit Eginhardus quædam miracula facta meritis & ope sanctorum Hermetis, Proti & Hiacinthi Martyrum, quorum cineres à Deodona Diacono transmissos Româ acceperat. Hæc ferè sunt, quæ Eginhardus fusiùs complexus est quatuor libris, quos apud Surium integros legere licet. Non est dubium, quin liber rhythmicus de vita sanctorum Petri & Marcellini, apud Surium itidem editus, verè sit Eginhardi, cujus nomen præfert in ms. codice Floriacensi in hunc modum: Incipit rythmus Einhardi viri eruditissimi de passione Christi Martyrum Marcellini & Petri.

Reliquiæ sanctorum Martyrum 7. Præter reliquias jam dictis locis concessas Eginhardus etiam quamdam particulam donavit Hetti Trevirensi Archiepiscopo, ut constat ex ipsius epistola 10. Quod reliquum est, an supersit in Selingenstadiensi Monasterio mihi incompertum. Hasnonienses in nostro Belgio reliquias sanctorum Marcellini & Petri modò se habere gloriantur, easque thecâ ex aurichalco deaurato inclusas ostendunt.

VITA

VITA SANCTI ANTONINI

ABBATIS SURRENTINI,

Auctore Anonymo Surrentino.

Ex Tomo 2 Februarii Bollandiani.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. ANTONINUM *in varias temporum ætates distraxere recentiores, Antonius de Ebulo Minorita, David Romæus Philocasius, Paulus Regius, sæculi superioris auctores, & Michael Lacchæus; qui omnes de S. Antonini rebus gestis scripsere. Ex his alius Antoninum sæculo* VI, *alius* VII, *alius* VIII *alligant: rectius Antonius Caracciolus nono, qui S. Antonini vitam ex vetustis membranis eruit, eruditisque commentariis illustravit. Eumdem secutus est Johannes Bollandus in tomo 2 Februarii, ex quo eamdem vitam huc adduximus.* Antonini ætas.

2. *Quo tempore vixerit istius Vitæ scriptor, non facilè definierim. Si constaret quo tempore acciderit Saracenorum in Neapolitanos & Surrentinos impressio, facilè etiam constare posset de ipsius auctoris ætate, qui eo tempore in vivis erat, ut patet ex num. 24. atqui hæc impressio contigisse videtur sæculo nono, uti notabo ad eum locum. Certè characteres Langobardici, quibus Vita S. Antonini scripta est, teste Caracciolo, multis abhinc sæculis obsoleverunt. Accedit quòd peregrinatio ad sanctum Michaelem Archangelum, de qua num. 5, & oratorium ubi sepultus Antoninus num. 11, jam ante omnium hominum memoriam desierint.* Vitæ scriptor antiquus.

3. *S. Antonini nomen in aliquot Martyrologiis Langobardica manu exaratis Caracciolus testatur se legisse Idib. Februarii. tametsi in Romano & Benedictino relatum est in diem sequentem. At præstat adhærere antiquis Martyrologiis, quibus Vitæ scriptor subscribit. Unus è præcipuis Patronis Antoninus colitur apud Surrentum, quæ urbs est regni Neapolitani, Romano Pontifici subjecta quondam, & à Johanne XIII Archiepiscopali dignitate aucta post annum, ut fertur,* DCCCCLXVIII. Antonini memoria

4. *Quo in loco vir sanctus monasticum habitum induerit, incertum. Caracciolus verisimile arbitratur eum ex incerto Campaniæ Monasterio Ordinis S. Benedicti profugisse Stabias. rectiùs quàm Romæus, qui designat Casinense, cujus etiam Abbatem falsò constituit Antoninum, & post eum Ferrarius.* Vita monastica.

PRÆFATIO AUCTORIS.

1. COMMENDAT nobis modernorum traditio, ut ad salutis nostræ augmentum, ad fidei quoque confirmationem, necnon ad beatæ spei certitudinem, sanctorum operum insignia seu virtutum miracula in lucem prolata propagemus: quatenus visa & audita, in segete Domini, videlicet Ecclesia, Fructificent, &c. Hujus rei gratiâ, scripturæ istius ANTONINI merita stylo prosequi aggredimur, quia ejus insignia silentio deprimi, aut litterarum invidia aboleri, indignum, inutile, immo perniciosum & nefas judicamus, &c.

2. Age ergo in commune consulamus, & ad Dei laudem, & auditorum ædificationem de sancti Patris hujus meritis sit mihi fas audita loqui. Ac primùm de ejus patria aut parentela tractare, sicut incognitum habemus, ita non necessarium existimamus. Nam omne hominum ge-

Circ. an. DCCC XXX. Febr. XIIII.

nus in terris simili surgit ab ortu. Unus enim rerum pater est, unus cuncta ministrat, apud quem servus & liber, nobilis & ignobilis, dives & pauper, omnes unum sumus: cùm non sit personarum acceptor, sed operum indeceptus sequestrator. Frustra etiam inquiris generis qualitatem, cùm opera sancta veram testantur nobilitatem. Nec quicquam disponis indagare conditionem, cùm felicem vitæ mitaris conversationem. Supervacuè exploras ejus nativitatis ortum, quo decedente utilitatis opimæ possides fructum. Prætermissis igitur iis, quæ cùm incerta habeamus, non necessaria existimamus, ad expedienda in rem pertinentia succingamus, id est, quando in has partes venisset, quibus, aut ubi, aut quomodo vixisset; finem etiam vitæ, & locum sepulturæ adsignabimus. Deinde virtutes per ipsum hominibus demonstratas, quantum ad nostras aures pervenit, subnectentes, ad calcem operis perveniemus.

VITA INCIPIT.

Antoninus adit Catellum Episcopum.

3. Quo tempore Longobardorum ferina immanitas Campaniæ provinciam hostili gladio & incendio vastavit, sanctus iste noster Patronus ANTONINUS ad has partes advenisse, & Episcopo [a] Stabiensis ecclesiæ dicitur adhæsisse. Cujus cùm idem Episcopus & vitæ puritatem & honestam morum conversationem actuúmque didicisset, suo eum consortio familiariùs adsociavit, quo sine jam deinceps nihil ageret. Omnibus denique consiliis consors adstitit, cuncta curarum pondera particeps adæquavit, fidelis amici & strenui ministri officium observavit. Denique morum & sensuum conveniente parilitate, tam tenaciter brevi coaluerunt, ut cot unum & animam unam in duobus veluti gemellis esse dixisses: quippe in quibus nec velle, nec nolle invenisses.

Episcopatus curam suscipit.

4. De hujus talis hospitis, immo proprii jam filii seu unici amici, prudentia & fide securus CATELLUS, pastoralis curæ regimen ex toto illi commisit. Ipse verò sæcularis pelagi fluctus declinans, vastas silvarum solitudines inter nubigera montium cacumina Eremitis convenientia petiit. Mons ipse, cui Michaël Archangelus propter causam paullò pòst demonstrandam nomen dedit, per transversum extensus, utraque extremitate marinis fluctibus alluitur. Laterali verò longitudine terram Surrentinorum, quasi linguam terræ in mare porrectam, à mundo patente distinet, & per præcipites scopulos augustas viantibus semitas præbens, ab omni hostili tumultu securam reddit. In summitate autem, dorso ipsius jam finito, continuatim caput mare versus audaciùs erigit: ita ut lateta sæpius nubilosis cinctus involucris, nubésque imbrésque serenus despiciat. Quo de loco totus Campaniæ situs, civitates, opida, castella item, & marina planities, quantùm oculus penetrare potest, videri & demonstrari solet. Illum tunc verticem prædictus Dei famulus Catellus assumto certamini aptum judicans, occupavit, ibique Dominum pura mente contemplando, divinis officiis vacavit.

Catello socius in eremo adjungitur.

5. Nec socii unanimis disparationem diutiùs ferens Antoninus, concito gressu ad eum properavit: & sicut in mundana occupatione, ita in divina servitute sibi inseparabiliter adhæsit, quorum unanimitatem & parem conversationem taliter demonstrata visio angelica probavit. Nocte

[a] Nimirum Catello, viro sancto, qui Stabiensem ecclesiam rexit pontificatu Eugenii secundi & Valentini. Stabiæ urbs antiqua Campaniæ Felicis in finibus Picentinorum ad ostium Sarni, jam pridem excisa est, ex cujus ruinis ortum est Castrum maris, vulgò *Castel à mare*, juxta eumdem locum; nunc sedes episcopalis sub Archiepiscopo Surrentino. Stabiis Plinius senior discessit paullo antè quàm flammis Vesuvii correptus est, testante Plinio Juniore in lib 6 epist. 16.

enim intempesta unus & idem utrique apparens, Volo, inquit, ut in quo loco vos orationibus insistere soletis, & ubi cereum ardentem nuper vidistis, Oratorium sub meo nomine construatis. Qui cùm de nomine interrogatus, Archangelus Michaël respondisset, disparuit. Qui confestim expergefacti, cùm alter alterius eamdem visionem audisset & retulisset, mutui testimonii auctoritate confirmati, angelico præcepto assentire parant. Accinguntur deinde strenui divinæ fabricæ opifices, & ligneis compaginibus parvum quidem, sed Archangelo monitori gratum habitaculum prospero successu ædificarunt. O mira justorum potentia! ô saluberrima sanctorum fortitudo! ô ineffabilis mundarum precum virtus! ô inæstimabilis puræ mentis efficacia! ecce meritis Sanctorum istorum operantibus, & orationibus eorum quodammodo fundamenta ponentibus, in lustris ferarum construitur oratorium, in cubilibus bestiarum ædificatur angelicum habitaculum, in terra vacua, vasta & inculta fabricatur domus sancta, celebris & humanæ saluti apta. Ibidem enim bonorum omnium auctori Domino, & beato Michaeli Archangelo habitatori laus quotidie offertur: cujus beneficiis præstantibus, nullus non impetrat, quod dignè postulat. De vicinis & longinquis partibus concurrunt & vota pro quibuslibet tribulationibus promissa solventes, accepta consolatione alacres in propria redeunt. [a]

Circ. an. DCCCXXX. Febr. XIII.

Ubi oratorium S. Michaëli factum.

6. Hujusmodi beneficia hominibus ægris illic concedenda & fidelium gaudia multiplicanda jam tunc prævidens humanæ salutis inimicus, juxta solitam invidiam frustra gratiam Dei subvertere nitebatur, quod ad laudem Dei & ad provectum hominum condebatur. Concitabat ergo suos familiares detractores, qui querimoniâ supervacuâ murmurarent, Catellum Episcopum sedem & plebem suam deseruisse, & quod pejus est, contra ritum Christianorum, Missarum sollemnia per horrida ferarum cubilia & invia montium cacumina celebrare; hæresim denique periculosissimam seminate. Quid plura? Catellus comprehenditur, Sedis Apostolicæ Rectori [b] statuitur. Quo volente districtè rem examinare, Catellus in carcerem retruditur, & divino, ut dignum est credere, nutu, (ut sequens rei eventus comprobavit) quidam ex Clericis Papæ custos sibi adhibetur. Cui paullò pòst Catellus prophetiæ afflatus spiritu, Memento, inquit, mei, dum bene tibi fuerit, ut educas me de isto carcere, quia violenter sublatus sum, & hic innocens in lacum missus sum: citò enim Papâ defuncto in Sedem Apostolicam succedes.

Catellus apud Papam accusatus.

7. Juxta verbum vaticinantis in summum Pontificem elevatus, & prosperitatis abundantiâ circumfluus suæ dignitatis significatorem tunc oblivioni transmisit: quem tamen paullò pòst eductum tanto honoris cumulo donavit, ut quidquid peteret, se procul dubio daturum promisisset. Quem cùm omnes aliquid magni rogaturum putarent, ille tantùm Christo & monitori suo Michaeli Archangelo deditus, Rogo, inquit, ut quantum plumbi petam, mihi concedas. Quo ille accepto, prospero navigio in sua reversus, Oratorium ligneâ materiâ constructum, petris à fundamento reædificavit, & plumbo quod apportavit, cooperuit.

8. Antoninus autem sub exsulantis amici tempore, haud segniùs solito in loco eodem Domino serviebat, non jam sibi soli, sed utrique orabat: in commune precum libamina Domino offerebat. Sed quia civitas supra montem posita non potest abscondi, nec lucerna accensa sub modio ponitur, sed supra candelabrum, ut lumen in domo manentibus

Antoninus Surrentum invitatus.

a Desiisse magnum illum peregrinorum concursum testatur Caracciolus. Vocatur nunc ædicula illa sancti Angeli ad Faitum seu ad fagos.

b Nempe Eugenio secundo, cui Valentinus successit, Antonini approbator.

Circ. an. DCCCXXX. Issu. XIII.

præbeat; talem tantumque virum ſuæ Eccleſiæ Chriſtus quaſi columnam ſupponere voluit. Et ecce cives Surrentini celeberrimâ ejus famâ perculſi, ſuæ Reipublicæ conſultiſſimè proſpicientes, intra ſuæ civitatis mœnia honorificè invitatum accuratiſſimè ſuſceperunt. At ille ſuſceptæ profeſſioni, in ſæculari licèt turbine, tenaciter inhærens, beatæ memoriæ viro Abbati Bonifacio [a] apud Oratorium ſancti Agrippini titulo adſcriptum ſeſe aſſociavit. Ibi ille mira admodum converſatione & illuſtriſſimo operum certamine agonizans, cunctis beatæ vitæ prætendebat exemplum.

Bonifacio Abbati adſociatur.

Fit Abbas.

9. Nec multò pòſt Abbas ſuprà nominatus, ad hujus vitæ metam perductus, Fratribus perſuaſit, ut Antoninum probatæ vitæ ſibi ſucceſſorem ſubrogarent. Illo igitur defuncto, Fratres conſilio Patris aequieſcentes, uno ore, pari conſenſu, unanimi judicio, dignum acclamarunt Antoninum, qui prolapſum magiſterii culmen ſuſciperet gubernandum. Quibus ille primò quidem pro humilitate, temperata contradictione reclamans, tandem conſenſit, & pro voluntate eorum Abbatiam ſuſcepit. In hujus dignitatis gradum promotus, vivebat quod dicebatur: qui Pater appellabatur vocabulo, verè pater erat miſericordiæ & pietatis officio, cunctis benivolus, cunctis compatiens, omnibus mitis aderat. Ipſe magiſter omnium virtutum prærogativâ inſignis, diſcipulis doctrinæ felicis regulam ſermone & opere commendavit, admonens, caſtigans, inſtans, opportunè, importunè arguendo, increpando, obſecrando, deſipientium vulneribus oleum & vinum infudit. Fratribus, aut neceſſaria communiter præbendo, aut, ſi non erat unde, patientiæ virtutem piis verbis & exemplis proponendo, murmurationis periculo occaſionem abſtulit. Detractionis autem & invidiæ morſus, item alias vitiorum peſtes, ſicut ipſe declinabat, ita alios declinare commonebat.

S. Martini ædem conſtruit.

10. Inter cætera etiam ſuorum operum monumenta, conſtruxit in honorem ſancti Martini Oratorium, cujus introitus valvas haud ignobili opere ſculptas ipſe manibus ſuis compoſuiſſe dicitur, nam in arte architectonica laudabilis magiſter perhibebatur. Nullum igitur tempus umquam ſibi ad inimicam animæ otioſitatem eſt elapſum, de quo ſervitutis Chriſto non redderet penſum. Aut enim aliquid in rem pertinens faciendo utilis artifex, aut in orationibus pura mente Chriſtum contemplando ſpiritualis cælicola, aut communi neceſſitati providens, terram colendo frugi reperiebatur agricola: ita demum ſeſe beatum & bene ſibi eſſe judicans, ſi ſuis alimentis ſpiritu primitus cibato, ipſe etiam labores manuum ſuarum manducaret. Plantavit igitur in terra inculta vineam, quæ capite ad atrium ſuæ baſilicæ juncto, extremitatem in ipſo marinæ ripæ præcipitio terminat. Hæc vinum virtute & ſapore mirabile emittit, quod ſuo inventori Antonino etiamnum in proprio nomine monumentum ſervat, vinum omni condito melius, ut puta quod natura, non ars, quod ſanctis manibus plantatæ vites, non peregrinæ ſpecies temperarunt. Ex hoc quia celeberrimè prædicatur, principibus & Magnatibus pro munere dato miſceri ſolet. Dicas ipſum Antoninum, ineffabili benignitate largum, hoc ſuis civibus in laudem & utilitatem contuliſſe, & in jugem ſui memoriam quaſi pignus reliquiſſe.

Vineam plantat.

Moritur, & juxta urbem ſepelitur.

11. His aliiſque talibus virtutum operibus infatigabiliter inſiſtens, dies huic vitæ conceſſos exegit [b]. Emenſo tandem vitæ corruptibilis ſpatio, Fratres & populos, ubi ſibi ſepulturæ locus placeret, quærentes, rogabat, ut nec intra, nec extra urbem eum ſepelirent; & hoc dicto,

[a] De hoc Bonifacio abbate altum ſilentium apud auctores.

[b] Nempe circiter annum DCCCXXX, tertæ paullo ante obſeſſum a Sicardo Surrentum, infra num 15.

exſpiravit in Domino ſexto-decimo Kal. Martii, Conſule PROBIANO. At illi de dubio quaſi oraculo incerti, & quod loci ſpatiolum nec intra, nec extra urbem fuiſſet reliquum, hæſitando volventes, tandem, prudentia monſtrante, in ipſo muri civitatem circumdantis latere, à terra, quantum humana ſtatura poteſt eſſe, contra Orientem dolaverunt; & ibi corpus ſanctum poſuerunt. [a] Ecce autem ipſius parentes curioſa indagatione circumquaque eum quærentes, fama tandem duce Surrentum applicuerunt, ſupplici voce à civibus rogantes, ut vel exanime corpus in patriam reducere daretur, à quibus ſalvâ nimirum veritate audientes, quod nec intra, nec extra ſuam urbem eum ſepeliſſent, nec nocua, immo proficua fraude, nec falſa aſſertione decepti abierunt. Hanc igitur ſuorum parentum inquiſitionem vir Dei in ſuis extremis Spiritu ſancto indicante prævidens, paterna deliberatione proſpexit, ut qui vivum eum civem & patrem foverunt, nec triſtitiâ afficerentur corpore amiſſo, nec mendacii aut perjurii reatum incurrerent eodem retento, cùm in diſterminio interiorum & exteriorum, non autem intra, nec extra corpus ejus poſitum fuiſſet. In ipſo igitur muro, ut diximus adjuncto nunc Oratorio decoro, corpus beati Antonini fovetur: cujus meritis præſtantibus dignè quæſita indigenis & advenis beneficia præbentur, & inſignia virtutum miracula frequenter demonſtrantur. Quæ quia multa & præclara eſſe conſtat, nec ad plenum dicere, nec ex toto reticere poſſumus.

Circ. an. DCCC XXX. Febr. XIII.

Parentes ejus corpus fruſtra repetunt.

INCIPIUNT MIRACULA.

12. Poſt deceſſum beati Antonini non multo tempore evoluto, Princeps Beneventanus SICARDUS [b], ceteris finibus ſuæ ditioni ſubjugatis, terram etiam Surrentinorum eadem intentione invaſit. Cunctis ergo in circuitu terminis hoſtili manu vaſtatis, prædictam civitatem acie in gyrum ordinata, expugnare aggreditur. Bellica mox eriguntur inſtrumenta: vineæ [c] in altum prominentes proximè murum allabuntur: de quarum propugnaculis armati urbem deſpicientes, ædificia petris, miſeros cives cuſpide præfixis, aut igne duratis deſuper impugnant. Interius autem murum creber aries tundit: phalanx inimica teſtudine facta impellit: jacula crebra volant, nec ullum telorum genus ceſſat. Interea per totam civitatem trepidatur: uterque ſexus, omnis ætas, omnis ordo pavore percellitur. Planctus mulierum cum vagitu infantium ſidera ferit, & quod extremæ ſpei reſiduum fuerit, ad eccleſias curritur, divina clementia & Sanctorum ſuffragia implorantur: cùm interim lapis murali tormento emiſſus, vaſto impetu ſtridens ferebatur, & ad muri locum, ubi corpus ſanctum fovetur, advolavit, ſed non violavit: aſſiluit, ſed non comminuit. Clamor furentium attollitur: plauſus interea diſſultat, credentium ſe hiatu per lapidem facto pro porta mox uſuros. Sed cum ingenti crepitu repercuſſa mole ne ſignum quidem colliſionis dediſſet, mirantibus quidem cunctis, ſed cæco furore ad repetendum ictum machinam reficientibus, nox ſoporifera perveniens prælium diremit.

Sicardus bello appetit Surrentinos.

S. Antonini oratorium quatit.

13. Ducem dehinc in ſomnum artus feſſos reſolutum ſanctus Chriſti Confeſſor Antoninus ſuper aſſiſtens: Tu ne, inquit, etiam oſſa in Chriſto quieſcentium diſſipare veniſti: & viſo auditoque Dei miraculo, ne ſic quidem ab incœpto noxio deſiſtere voluiſti? te ne jus & fas contumaciter

à Sancto in ſomnis objurgatur.

a Eo in loco nunc cernitur ſancti Antonini eccleſia decora & ampla, quam hodie incolunt Teatini; ubi energumeni ad columnam alligati paſſim liberantur.

b Sicardus Siconis filius ducatum Beneventanum rexit ab anno DCCCXXXII ad DCCCXL. Corpus S. Deodati Nolani tranſtulit Beneventum tempore Urſi Archiepiſcopi, in Italiæ ſacræ tomo 8.

c De Vineis, quod genus eſt machinæ militaris, frequens mentio in Commentariis Cæſaris, & apud Vegetium.

Circ. an. DCCCXXX. Febr. XIII. confundente, & violenter disturbante, nobis in cubilibus nostris lætari non datur? Disce nunc qui levem admonitionem sprevisti, severa saltem correptione castigatus resipiscere, & accepta tuo nondum rigore digna animadversione, disce errata corrigere, disce Christo satisfaciendo jam deinceps disciplinatè agere. Hæc dicens, virgâ quam manu gestabat, itus & reditus per dorsum emetiens salubris magisterii, graviter ad viam cum errabundum retraxit.

Filia ejus dæmoni tradita. 14. Mane igitur facto visa per ordinem referens, & minùs credentibus lividos ictuum tractus in cute demonstrans, quid opus esset facto, sciscitatus est. Illis in diversum consilia distrahentibus, & de statu discessuque, bello & pace dissentientibus, ecce nuntii propero cursu vix respirantes adstiterunt, qui filiam herilem à dæmonio vehementissimè correptam, humanos tactus & affatus fugere, artus proprios mordicùs laniare, & horrenda quæque facere & pati assererent. A quibus cùm didicisset eamdem horam filiæ primùm desipientis, quam petræ tumulum sanctum pridie ferienris, omni jam erroris perpetrati & Confessoris exacerbati ambiguitate remota, castra ilico deserens, propria repetit, & filiam confestim malè sanam, salubri consilio reperto, gemmis auroque fulgentes vestes indutam, & pretiosissimo metallici operis apparatu exornatam, sui monitoris arbitrio transmisit regendam. Rogabat ab eo veniam, cui nuper intulit injuriam. Tumulato pro sanitate recuperanda commendavit filiam, cujus pridem tumulo petra illa fecit violentiam. (ad tumulum Sancti mittitur cum donariis.)

Liberatur. 15. Nec preces supplicis, solitus subvenire miseris, aspernatus Antoninus, inimicum expulit, animum reddidit, hostem fugavit, hominem redintegravit: & quæ veniebat rationis & sui nescia, redibat tranquillissima mente composita; juxta præceptum patris, totum ex integro quo parata venit, ornatum, suæ salutis mediatori Antonino tradens. Dedit etiam sibi crucem unam gemmis & auro compactam: in cujus medio particula de ligno dominico, lucidissimo crystallo cooperta, quasi nuda resplendet, quam collo appensam quasi pectoris & totius corporis custodem apportàvit. Ipsa sibi ad restituendam sanitatem satis efficax fuisset, nisi Christus sui Confessoris gloriæ adscribere maluisset. His omnibus ibidem dimissis, sana & hilaris remeavit, sua relinquens, & sese recipiens.

Dona qui accepta Sanctis. 16. Quid ergo? Sanctus ne Dei Confessor, cunctis in commune largus, & ultrà quàm credi potest, benevolus, beneficium sanitatis vendidit? Numquid ipse juxta Apostolum justificatis gratis per gratiam Dei, gratiam divinam sub commercii mutuatione redimendam exposuit? Absit à cordibus Fidelium ista dictu horrenda cogitatio: eradicetur ista nefanda opinio: simoniaca avaritia, per Petri Apostoli sententiam semel damnata, amodo jam radicitus exstirpata emarcescat. Cùm ergo talem audis compensationem, ô Fidelis, Christum principaliter accipere crede devotionem: ipsum mundam complecti fidem, qui cunctis divitum muneribus duo parvissima viduæ pauperculæ, sed devotæ, minuta præposuit. Non ergo datum, sed datoris animum respicit: te, non tua, aut te cum tuis, non autem sine te tua recipit, ut ipse testatur. *Si*, inquit, *offers munus tuum ante altare, & recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum.* (Matth. 5, 23.) Ac si dixisset: Si vis ut tua recipiam, te priùs mihi præparato, & præparatum offerto; quia sine te tua non admittam; te autem accepto, tunc demum tua recipiam. Hac autem receptione, ut ex vocatis prædestinati, & ex prædestinatis justificati digni efficiantur, diverso modo, alii spontanei, alii etiam inviti, ad veritatis nutum diriguntur. Multa enim & occulta esse Dei judicia non dubitamus, qui per innumeras misericordiæ semitas, nec

hominibus cognitas, errabundos ad se trahit, ut ipsa Veritas ait: *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit illum.* Propterea igitur omnem filium quem recipit, flagellat, castigat & mortificat, mortificat item & vivificat: vivificat in spiritualibus, mortificat in carnalibus, ut Apostolus: *Mortificate*, inquit, *membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, invidiam, avaritiam*, &c. Ita & nunc iste Dei famulus Antoninus documento & assensu Christi, sine quo sui nihil possunt facere, ipsius, inquam, exemplo & auxilio priùs castigavit, deinde blandivit, ducem errantem correxit, corrigendo exacerbavit, exacerbatum mitigavit, desipienti filiam abstulit, resipiscenti reddidit, pro erroris abrenuntiatione, non pro auratarum vestium oblatione; pro culparum emendatione, non pro gemmarum rutilanti splendore; pro fidei devotione, non pro terrenæ dignitatis possessione.

Circ. an. DCCCXXX. Febr. XIII.

Ioh. 6. 44.

Colos. 3. 5.

17. Neque solos nobiles aut divites curat Antoninus: curare solet & pauperes. Ecce enim qui nuper sanavit filiam ditissimi Principis, modò suscepit curam rustici pauperis: qui paullo antè gloriosi Ducis sanavit prolem, nunc despecti ruricolæ similem curavit furorem. Quemadmodum enim per quinquennium totum ab hoste maligno vexatum contribules sui, tantâ fiduciâ sui Patroni Antonini animati, ad ecclesiam ipsius traxerunt, & nocte superveniente, ne quid aut sibi nocui, aut intra Sancta Sanctorum illiciti committeret, ad columnam manus & pedes miserum artiùs ligarunt, & foribus obseratis solum intus benigni & salutiferi hospitis contubernio usurum reliquerunt. Dato autem ad vigilias nocturnales signo, ostio quod ipsi horâ vespertinâ occluserunt, ab ipsis item reserato, introierunt, & ad columnam depositi consciam properantes, cùm sola ligamina dissoluta, & induvias ibidem, sed scorsum convolutas invenissent, obstupefacti per diversas conjecturas animos versarunt. Cùm interim eminus cum super nudam petram nudum conspexerunt sedentem, brachiis strictim complicatis, & corpore angustum in modum coartato: cui appropiare dubitantes, eo quòd pristina rabie dissimulata intractabilem adhuc crederent, per diversos sermones cum circuitu mentem ejus à longè explorabant. Quem cùm sanum sapere, sanum loqui lætarentur; placidissimis ejus responsis animati, ad tactum usque processerunt. Deinde cùm omnia circa eum tuta, tranquilla, & ad plenum composita perspexissent, gratias Deo datori, & beato Antonino sanitatis conciliatori devotione intima retulerunt: cum gaudio reducentes sui compotem, quem attraxerant mentis & rationis inanem.

Alius energumenus curatur.

18. Audi nunc non minori admiratione stupendum beneficii ordinem, & salutiferam Antonini medicinam gratanter excipe. Erat quidam Stephanus Sacerdos Religiosus, idemque sancti loci Præpositus, & venerandi corporis custos sollicitus, vir rigidæ abstinentiæ, in tantum ut toto anno per tres legitimas hebdomadæ ferias, pane & aquâ contentus, semel in die se reficeret. Quòd si fortè festivitas celebrior remissionem indixisset, leguminum aut oleum deliciis admissis, & aquâ vino modico conditâ convivabat. Ille Surrentinis, item & aliis, pro qualibet infirmitatis molestia opem implorantibus, propter vitæ probatæ merita nuntius ad benevolum Patronum missus, tali ordine solatii mandatum referre solebat. Feci ecrotum sive unguentum, cujus compositionem diligentiùs inquisitam subscribere non gravaret, si aut ejus medicamini, & non potiùs Antonino medicanti virtutem curationis operatricem adscriptam cognovissem, aut ipse compositor in hoc solummodo curandi fiduciam habuisse videretur. Confectum enim medicamentum, in pyxide eburnea diligenter sigillatum, in ipsa altaris arca reposuit: triduoque

Stephanus Præpositus rigidæ abstinentiæ,

quo ritu sacrum unguentum ægris parat.

Circ. an. DCCCXXX. Febr. XIII. cum jejuniis & orationibus peracto, depositum repetit: & si resignatum signo crucis per vestigium pollicis evidenter impresso exaratum reperit, efficacis medicinæ securus, languentibus membris induxit, totumque dolorem consequenter effugavit: si autem absque crucis signaculo planam superficiem invenit, nullam prorsus curandi fiduciam habuit.

Afflictos ut solatur. 19. Hoc igitur modo, sicut dictum est, salubris signi & sancti pollicis impressione facta, unguento virtutem cælitus illapsam, & pia curatoris Antonini arte medicamen intellexit conditum, ac sanitatem quærentibus promittebat. Sin autem, patientiam laborantibus persuadebat, ut quos superno judicio obstante curare non potuit, monitis salutaribus instrueret: & Deus, inquit, omnipotens pius animarum medicus omnes homines vult salvos fieri, non ut convalescant ad complenda desideria illicitæ voluptatis, sed ut veniant ad agnitionem veritatis, fide videlicet & opere, quia fides sine operibus mortua est. Hoc ut fieri possit, diverso ordine diversos hominum appetitus, multiplices singulorum voluntates divinæ dispensationis clementia ad unum salutis iter temperat. Hunc humiliat & hunc exaltat: illum flagellatum sanat, alium sanum flagellat: & ipsum flagellare, sanare est, ut est illud:

Vulnera dum sanas, dolor est medicina doloris.

Idcirco cùm divinum imploramus auxilium, & misericorditer audimur, & misericorditer non audimur.

Noxia si petimus, si jure neganda precamur;

misericordiam non auditi consequimur. Si proficua rogamus, misericordiam auditi impetramus. nam prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & salvos faciet eos. Si ergo non in veritate invocamus, quomodo Deum timemus? Si non timemus, quomodo exaudiemur? Si non exaudiemur, quomodo sanabimur? quocirca ut ista consequantur, antecedat necesse est veræ invocationis affectus. Vera autem invocatione utimur, si non ut nostra, sed ut sola Dei voluntas in nobis fiat, precamur. Vera igitur invocatione veri & pii judicis arbitrio, vos Fratres, ex toto commendate; & omnem adversus Deum aut B. Antoninum murmurationem procul à cordibus vestris relegate. Quin potiùs juxta Apostolum, spe gaudentes, in tribulatione, patientiæ virtutem servate, & clementiam divinam æquo animo expectate, sicut scriptum est: *Bonum est cum silentio præstolari Dominum.* Hæc & his similia repetens B. Antonini interpres Stephanus Presbyter, tam non curatos quàm sanatos alacres reddidit; quos pro medicamenti virtute salubri admonitione perunxit, & quibus pro corporali sanitate spiritualem curam exhortando adhibuit.

Rom. 12. 12.
Thren. 3. 26.

Saraceni Ænariam aggressi, 20. Tempore autem procedente Sarracenorum infinita multitudo contra Christianæ pacis tranquillitatem conjurata, omnia quæ attigit loca more nimbosissimæ grandinis proterens, erasa reliquit. Emenso tandem infesti illi prædones pelagi spatio, applicuerunt ad insulam Neapolitanæ potestati subjectam, quæ Ænaria [a], usitatiori verò nomine Insula-major nuncupatur. Navibus in alto relictis, terram Liburnicis petierunt, & castris sitis consederunt, terrarum culta flammâ prædâque vastantes, cultores sine humanitate, sine pietate mirabiliter necantes, aut

a Modò Ischia. Id circa annum DCCCXLIX contigisse Caracciolus suspicatur: quo anno Baronius ex Anastasio commemorat, Saracenos urbi Romæ inhiasse, Neapolitanos cum aliis Leoni Papæ IV auxilio dato hostes profligasse. Aliam Saracenorum in Siciliam vicinasque insulas incursionem observat Bollandus anno DCCCXXXVIII, aut insequenti, cùm S. Bartholomæi corpus ex Lipara insula Beneventum advectum est. Alias in Beneventum, Campaniam, vicinasque regiones Saracenorum infestationes apud Baronium lego annis 876, 879 & 884.

in

in captivitatem & exsilium traducendos ad naves vinctos trahentes. Illorum immanissimam crudelitatem, adhuc autem & securam stationem, vicinarum urbium habitatores, scilicet Surrentini, Neapolitani, & Cajetani non ferentes, felici fœdere & omine prospero conspirarunt, Christianos captos & capiendos liberare, patriam defendere, gentem nefandam propellere. Circ. an. DCCCXXX. [illegible]

21. Hic Antonino, ut paullò pòst apparebit, duce, & ceteris, quorum corpora Surrentum fovet, Sanctis comitantibus, gloria Surrentinorum emicuit: quibus non immeritò victoria adscribitur, dum ipsorum patronis signiferis rabies hostilis vincitur. Triduo namque ante futurum prælium, quinque, quorum nomina posteriùs liquebunt, in navi gentilium ductrice deambulantes apparuerunt: in quos hostes, aut vinculorum nexibus extricatos fugam tentare, aut occultè inlapsos navim amoliri suspicantes, cæco furore irruerunt. Sed Sanctis subitò ab adspectu substractis, ab incœpto haud sine admiratione desierunt. Rursus cum armis in abditis latentibus sese occultiùs locantes & custodiam vigilantiùs adhibentes, ecce iterum priore habitu & incessu, eodem in loco spatiantes Sanctos Dei viderunt, quos subitaneo terrore & clamore assilientes, alius conto, alius gladio, alius saxo furibundi petierunt. Sed Sanctis item disparentibus, cùm ictus non nisi in navim cecidissent, se se miro modo frustratos obstupuerunt. Cælitus fugati.

22. Sed cùm iterum atque iterum mente cæcati, eodem impetu tentato, eadem illusione deciperentur, ductor idemque augur eorum à longè rei ordinem considerans, Isti, inquit, Dii sunt Christianorum, ad quorum, ut opinor, defensionem aut ultionem convenerunt. Deinde cùm sors gentilis superstitionis more consuleretur, & paganis adversa, Christianis prospera portenderet; Acceleremus, clamat, fugam, & navibus festinanter armatis avolemus. Juxta verbum præcipientis, sociis circumquaque dispersis, cum rapinarum congerie congregatis, & ceteris omnibus ordinatis, cùm festinanter Diis jejunaturi retulissent; ecce prædictæ conspirationis socii subitò irruentes, cunctis quos consequi potuerunt occisis, decem navigia cum armamentis, cum præda, cum captivis arripuerunt, iis quæ superfuerunt, sine remigiis, sine gubernaculis, sine sustentaculis, vix & inutiliter elapsis.

23. In ipsius autem noctis bellum antecedentis extremitate, id est, matutino tempore, in ipso, inquam, imminentis pugnæ articulo, quinque viri superiùs in navi demonstrati, cuidam civi Neapolitano seni, cui Sergius Pipinus nomen, tali ordine, sicut ipse postea retulit, apparuerunt. Præcedebat habitu Monachi venerandus & sancta canitie reverendus, qui sese, de nomine interrogatus, Antoninum dicebat, quem velut ordine, &, ut mox patebit, affatu priorem comitabantur reliqui quatuor: quorum unus calvus, barbâ prolixâ, canus, maturus, venerabilis, sese RENATUM: duo verò comitantes ambo senes, ambo barbam rasi, sed alter calvus, ATHANASIUM sese; alter cæsatie crispus, sese BACHULUM, quartus verò juventutis gratiâ floridus, VALERIUM sese nominavit. Illis ita ordinatis Antoninus, sicut prior venit & stetit, ita excellentioris personæ etiam in loquendo prosequebatur officium, & semivigilem senem ita affatur, severa increpatione & amica cohortatione admonens: Vos, inquit, nunc istius urbis habitatores, per stratus vestros mollissimè compositos securi laborum quiesciris, & civibus vestris pro Reipublicæ salute in ipso extremi periculi discrimine laborantibus subvenire nec cogitatis. Ignavi, pigri, inertes, qui nec precibus, nec viribus vestros adjuveris: qui nec divinam, nec humanam opem eis conferre curetis: qui tot defensores vobis à Deo concessos, & pro vobis, quam.

Circ. an. dcccxxx. Febr. xiii. vis ingratis sollicitos, implorare negligatis. Nam egomet ipse modò Dominum Januarium vestrum Patronum conveniebam, & sicut nos nostros in periculo non reliquimus, ira eum ad vestrum auxilium invitans. Cùm imminente vestrorum periculo citius eum subvenire urgerem, & nisi ocius succurreret, aliquot de suis casuros affirmarem, Sustine, inquit ille, paullulum. Nam istius, quam offero, immolationis consummato mysterio, absque mora veniam. His dictis beatus Antoninus cum sociis comitantibus abscessit: & senex somno solutus, visa per ordinem retulit. Cujus visionis approbatio mox consecura est. Nam confecto prælio venerunt, qui dicerent, hostibus fusis, fugatis, aut captis, victoriam feliciter patratam, & ex Neapolitanis septem tantùm in primo congressu cecidisse, ex Surrentinis verò nec unum quidem vel leviter plagatum esse. In qua assertione probantur verba Antonini. Nam ipse & superiùs nominati Sancti suis Surrentinis continuatim assistentes, omnes pariter ad portum salutis evexerunt. Tardante verò in oblatione sacrificii beato Januario, septem, ut diximus, ex tota multitudine Parthenopensium * corruerunt. Ipso verò adveniente, reliqui qui reperti sunt, omne periculum sani evaserunt.

* id est Neapolitanorum

24. Factum est autem post hæc, ut unus ex nobilioribus Neapolitanorum, Gregorius Prancacius, civili decreto in exsilium Surrentum relegaretur, qui unum ex Sarracenis in prælio captum, & jam baptizatum secum deduxit: quo referente, seseque unum ex persequentibus esse affirmante, quinque jam nominatos Sanctos tali habitu & forma in navi regia apparuisse didicimus, qualem habitus aut formæ proprietatem unicuique eorum in visione senis assignatam suprà docuimus.

Admonitio ad Surrentinos.

25. O felix Surrentum! ô felices Surrentini habitatores! ô secura Surrentinorum tranquillitas, quibus Deus quinque patronos, quasi quinque legis Doctores, eos denique defensores præfecit! Defensores, inquam, si audiuntur, si amantur, si venerando coluntur; accusatores, si negliguntur, si contemnuntur, si refutantur. Verè beati convincuntur Surrentini, tali tamen dumtaxat conditione, si quinque, quos habent, Patres audiendo, custodiunt judicium, & faciunt justitiam omni tempore. Si corpora ipsorum venerando colunt & diligunt; altaria & oratoria eorum accuratissimè reficiendo & ornando; servitia eorum in Sacerdotibus & Clericis promovendo; luminaria nocturnalibus horis procurando; donaria juxta facultatem quisque propriam sedulè offerendo; præsidia Dei in suam suæque diviniratis protectionem per ipsorum suffragia implorando & dicendo: *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilant qui custodiunt eam.* Hæc illi facientes, & ista de corde dicentes, Dominum continuò audient promittentem: *Non vocaberis ultrà derelicta, & terra tua non vocabitur ampliùs desolata: sed vocaberis civitas sancta, quia voluntas mea in ea & terra tua inhabitabitur, quia complacuit Domino in te.* Quòd si studiis in contrarium versis, ecclesias eorum dirutas negligunt, reliquias sanctas negata veneratione, aut debita servitute, contemnunt; proprio se judicio damnant, dum beneficiorum per ipsos sibi sæpius collatorum, & quotidie supervenientium immemores, bonis mala rependunt. Suo se gladio confodiunt, si parribus impii, si tutoribus inofficiosi, si largis parci, si benefactoribus ingrati exsistunt. Surrentum Hierosolymæ propter repudiatos Sanctos damnatæ addicunt, si Salvatorem, item per Sanctos suos custodire ipsos volentem, rejiciunt, justa de causa dictorum: *Quotiens volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Duritiam sibi salvare venienti reclamantium redarguit, & sic judicavit: culpam præmisit, sententiam subintulit: priùs accusavit, deinde damnavit. *Ecce*, inquit, *relinquetur vobis domus vestra deserta.* Constat igitur & per ra-

Matth. 23. 37.

itionem, & per sacræ Scripturæ auctoritatem, Surrentinos, immo omnes Christianos, felici prosperitate promoveri per Sanctorum venerationem & dilectionem: & econtra per ipsorum contemtum deprimi adversitate: quia pars est, ut unde per observantiam adscendas, inde per negligentiam cadas; & ubi obedientia levat, ibi superbia demergat. Quidquid ergo in servitia Sanctorum promovenda expendimus, non solùm non perdimus, sed multiplici lucro rediturum credendo deponimus, dum ipsis pro nostra devotione gratum & acceptum per multa indicia cognoscimus. Circa an. DCCCXXX. Febr. XIII.

26. Hoc etiam mihi probare datur, quòd non solùm majora suæ domus ornamenta, sed etiam minima quæque, ut ita dicam, utensilia, Sanctos inspicere & custodire videmus, ut subjectæ rei eventus probat. Pessulum, quod vulgò catenacium vocatur, cum quo valvæ majores casæ sancti Antonini claudebantur, longo usu attritum, ad exitum facilè ferebatur, & non tam affixum, quàm appensum videbatur. Hoc adolescens quidam percipiens, sicut est levis adolescentia, prona ad malum, januæ approximavit, & callida dissimulatione, quasi acclinandi gratiâ assistens, pessulum agitare tentavit: quod cùm facilè sequeretur, audaci manu extraxit, & nocuo gaudio repletus, in sinu quasi ignem in paleis reposuit. Mox enim dementiæ fervore succensus, hominem animo exuit, & perimmanissimum furorem tamdiu bestialiter vixit, quousque benevolus Antoninus nulli malum pro malo reddens, magistrum ejus, eumdemque Presbyterum dormientem visitavit, & pessulum quod discipulus ejus à domo sua rapuisset, reddi commonuit. Ille autem excitatus, raptorem cum rapina B. Antonino præsentavit: eumdemque sanitate mox recepta lætum & hilarem reduxit. Fur detectus.

27. Adverte & aliud signum, quod item Sanctis res suas curæ esse indicat. Quidam ostio, quod est ex latere ecclesiæ, latenter reserato noctu introïvit, & rebus quas invenit, rapaci tractu & avaris manibus corrasis, exire, unde ingressus est, trepida festinatione paravit. At contra suum conatum mora tardante, lucem ibidem exspectare coactus est. Nam caligine oculis mentis ab Antonino immissa, neque ostium ingressus sui conscium, neque exitum alicubi potuit invenire. Errore igitur probabili, immo confessè bono, per totam noctem sanctam domum gyrando, & parietes palpando, cùm nonnisi in murum solidum ubique offenderet, tempore matutino deprehensus est. Qui cùm ingressus sui locum monstrare urgeretur, ostium quod eum introduxit, visitando ostendit, patulo quidem ictu, & eodem quo ipse reseravit modo apertum. Tunc digna castigatione recepta, & B. Antonino satisfactione peracta, viâ tandem apertâ abscessit. Item alius.

28. Nec prætermittendum existimo, quòd & ipsi Antonino, inter cetera signa specialem quamdam non tam miraculorum, quàm justitiæ prærogativam adscribit, & cunctis audientibus utilis observantiæ cautelam indicit. Ferunt enim, quòd & ipsa Veritas, ut mox audies, testatur, nullum umquam per suas reliquias impune perjurare; quin & aliquo severæ animadversionis flagello punitus, aut ad præsens, aut cito vindictæ succumbat, & mendacii procaciam Christo & Antonino faciendo luat. Nuper duæ pauperculæ, quarum altera creditum acceptum negabat alteri, conflictu diuturnæ altercationis collisæ, ad sacramenti testimonium coram Antonino judice prorupêre: illa se credisse, ista se non accepisse juraturæ. Videns hanc contendentium protervìam Petrus Archipresbyter Ecclesiæ custos, rigidam Antonini censuram cognoscens, pro humanitatis condescensione, periculo utriuslibet perterritus, rogabat quærentem, ut ex credito aliquantulum resecaret. Et juxta consi- Per reliquias perjurantes puniuntur.

Circ. an. dccc xxx. Febr. xiii. lium suadentis cùm tertiam partem remisisset, illa nec sic quidem à rigore noxio emollita, audaci incessu, procaci vultu ad altare accessit, & obstinato animo linguâque perniciosâ creditum abjuravit: non autem impune. Nam recedere parans, quasi debiti exactione jam soluta, subitò in terram elisa corruit, ejulans, spumans, palpitans, & bestiali more frendens. Deinde cùm tota jam præmortua extremum palpitaret, cùm raros singultus traheret, cùm spiritus in suprema lingua hæreret, prædictus Archipresbyter aquam benedictam in calicem sanctum missam guttatim in os reclusum stillabat, & inter hæc simul cum astantibus pro ea incessanter orabat. Hac illi refectione injecta, anima in sedem propriam reversa, vitam reddidit, & calor paullatim in ossa diffusus sensum restituit. Per hanc sententiam castigata perjura, omnibus exemplum sanxit, ne quis in præsentia Antonini mendacium jurejurando confirmare præsumat. Præsens enim omni tempore in aula sua regnat Antoninus justis præsidium, injustis excidium, perfugium miseris, offendiculum elatis, subversio, ut audisti, malè pertinacibus, spes & solatium, ut mox audies, bene supplicibus.

Leprosus curatus. 29. Idem ille, de quo nuper nobis sermo fuit, Archipresbyter Petrus, cujus ipsius relatione quæ sequuntur didicimus, horridissimam elephantiæ lepram contraxit, adeo ut in totius corporis superficie ne unum quidem naturalis coloris signum notare potuisses. Tota cutis asperitate sulcosa, in modum quercini corticis exarata, horrorem tangere volentibus, horrorem videntibus ingerebat. Omnes eum fugiebant, cuncti pro contagii timore vitabant, eundo, stando, reficiendo, dormiendo, per omnia omnibus immunis manebat. Huic tam intolerabili molestiæ cùm medicina peritissimorum ne levamen quidem adhibuisset; quod solum extremæ spei residuum erat, ad Antoninum suum cucurrit, immo ægre prorepsit, & manibus in cælum expansis, (manibus, nam oculos pro gravitate doloris palpebras prementis aperire non potuit) palmis, inquam, & corde sursum intentus ante altare adstitit, &, O, inquit, clementissime Pater Antonine, respice me miserum, respice moribundum, miserere tui famuli, recordare tui quondam ministri. Ecce vindicta peccatis meis ingruente, omnes me quasi profanum fugiunt, omnibus sum horribilis, & mihi meisque cùm per omnia sim inutilis, nec cælo vivendo frui, nec terram moriendo datur ingredi.

Antonine Pater, famuli miserare labores,
Tolle, precor, miseram tali de carcere vitam,

aut me redde mihi mortuo. Exaudivit Antoninus, & nocte proxima semivigilem super assistens, totum eum, ut sibi videbatur, denudavit: deinde unguento, quod induxit, à summo vertice incipiens, cum ambabus manibus extensis, totum corpus non tam perunxit, quàm perfudit. Expergefactus ille ulceribus potenti medicamine arefactis, tunicam illam horribilem exuit, & novus exiit, non aliter ac si novellæ arbori librum detrahas, & renitentem albicantis ligni gratiam adspectibus occurrere videas. Nocte iterum sequenti prima somni illabentis parte sopito, Antoninus affuit, &, Ecce, inquit, sanus factus es; jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Cohibe vagam mentem, adstringe lubricam juventutem, abige voluptatem prævaricatricem, & averte oculos tuos, ne videant vanitatem, illud Evangelii semper in corde ferens: *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam machatus eam in corde suo.* Hoc dicens commonefecit eum de quodam humanæ fragilitatis errore, quem ille quidem patrare destinarat: sed pia sui magisterii vigilantia per supradictam plagam prævenientem non perpetravit. Hac ille disciplina correctus, jam deinde temperatâ omni lubricæ temerita-

Matth. 5. 28.

tis offensâ, studiosus in mansione sua paterfamilias Antonino, continentia comitante serviebat, ubi ipse semper, ut dictum est, præsens inhabitat, quod adhuc etiam de subjecta probatione affirmatur. CIRC. AN. DCCC XXX. FEBR. XIII.

30. In latere muri, ubi sanctæ ejus reliquiæ continentur, in imagine ipsius designata, cùm pictor coronam inauratam capiti circumponere pararet, parietem, prout necesse fuit, cavabat. Et ecce per rimas factas lux inæstimabilis & inenarrabilis subitò emicans, vultum dolantis feriebat: quam per intolerabiles radios oculorum acie reverberata non sustinens, ruinam dare in terram minabatur: sed tamen pro devotionis intentione confirmatus, opus festinanter consummavit. Confessè igitur pronunciamus quòd B. Antoninus in suo tabernaculo nunquam non invenitur; ubi sicut raptores damnat, ita offerentium vota suscipit & remunerat: sicut elatos repudiat, ita oppressos relevat. Ibi beneficia petentibus per ipsum quotidie præstantur: ibi per ipsum Christus suarum virtutum miracula fidelibus ad spei certitudinem & ad fidei confirmationem incessanter ostendit. Pictori lux affulget.

31. Sed quid ego ista? quid nocens? quid pollutus? quid aggregatus peccatoribus, innocentis, impolluti, segregati à peccatoribus potentiam polluto ore violo? Perversæ vitæ conscientiâ, & veri judicis sententiâ perterritus, timeo ne unde quærere destinavi remedium, inde horrendum incurram judicium; unde Deum affectavi mihi facere propitium, inde justa de causa audiam iratum, & dicentem: *Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, & projecisti sermones meos retrorsum.* Utique, Domine fateor, assentior, nec cordis ac renum scrutatorem mendosè pertinax inficiari ausim. *Et si quis diligit me, sermones meos servabit*, dum te dicente audio, mea conscientia accusante, jam damnatum cognosco, qui dum sermones tuos retrorsum projeci, non dilexi: dum non dilexi, erravi: dum erravi, perii, sicut ovis quæ perierat. Quid ergo prodest peccatori te solis laudare verbis, dum nullius meriti mihi conscius, à te tremebundus audio: *Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum; sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.* Et iterum: *Populus hic labiis me honorat, cor autem ipsorum longè est à me.* Fateor planè peccata mea majora esse, quàm ut veniam mercar: quia omni genere impietatis pollutus, tuæ pietatis opera per famulum tuum hominibus demonstrata, lingua scelerata attingere præsumserim, qui tuæ potentiæ miracula modis absonis obscurando, fumum ex fulgore dare non perhorruerim. Auctoris modestia & excusatio. Psal. 49. 16. & 17. Matth. 7. 21. Marc. 7. 6.

32. Sed inter cetera tuæ misericordiæ documenta, peccatoris Sacerdotis ab Eremita repudiati exemplo animatus, eo audaciæ prorupi, ut tuas virtutes posteritati quoquomodo traderc, quàm omnino abscondere maluerim. Majus certè est misericordiæ judicium, peccatorem corpus tuum manibus tractantem non puniri, quàm de te loquentem non damnari; & plus est te tangere, quam de te dicere. Legitur enim Eremitam quemdam Sacerdotem Missarum sollemnia sibi celebrare solitum, pro fama sese sanctum, illum verò mundanis contagiis involutum prædicantem, quasi immundum, nec Deo jam servire dignum repudiasse. At illum in visione Angelus Domini per invia silvarum deducens, sitis ardore ad extrema usque redactum, tandem super puteum statuit, cujus os auro circumdatum, cujus aqua purior electro, aurea hydria, aurea catena, sed leproso hauriente trahebatur: qui cùm admonitus bibere, solam haurientis immunditiam sibi cupienti obsistere docuisset, ab Angelo audivit: Sicut, inquit, omnia ista quæ ad usum bibendi pertinent per se jucundissima, ministrantis non maculantur leprâ; ita Sacramenta divina per se saluberrima, Sacerdotis nequaquam violantur culpâ. Expergefactus ille,

Circ. an. DCCCXXX. Febr. XIII.

didicit divini mysterii efficaciam per ministri nequaquam labefactari culpam: credidit supremæ majestatis virtutem per lubricam nullo modo infirmari posse fragilitatem. Tali modo Christum prædicans, & auditores utiliter instruens, oratio oratoris nequaquam contaminatur vitio: nec scribentis peccata ad ædificationis efficaciam impediunt scripta, sicut & mundæ materiæ naturam nullo modo videmus corrumpi per artificis culpam.

33. Credo etiam te, Pater Antonine, scriptoris tui non pravam actionem, sed officiosam devotionem respicere: & sicut per te mediatorem facta sunt quæ scripsi, ita per te intercessorem non puniri, si qua scribendo peccavi. Quin etiam pro tua ineffabili benivolentia præmio me donari non diffido, quod potiùs in futurum judicium mihi reservari cupio, ubi sola veritate nocentem vitam accusante periclitari, & sola misericordia adjuvante liberari me posse non dubito. Recordare, quæso, tui exsulis scriptoris: nam & tu quondam in hoc mundo exsul factus qualis ærumnarum tumultus cor exsulantis circumvallet non nescis: expertusque malum, miseris succurrere nosti. Communi nunc supplicatione, & unanimi deprecatione te, Pater sancte, te Patrone benevole Antonine, rogamus, ut civitatem istam tuæ intercessionis adjutorio protegas, populumque ipsius Christo tibique devotum facias, quatenus Deo serviendo, & te amando & venerando, officium complens, hic & in futuro mercedem accipiat ab eo, qui est retributor omnium bonorum, Christo Jesu Domino nostro, qui cum Deo Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat Deus per infinita sæcula sæculorum, Amen.

An. Chr. DCCCXXX. Nov. VI.

HISTORIA TRANSLATIONIS RELIQUIARUM SANCTI JUNIANI ABBATIS E MARIACENSI MONASTERIO IN NOBILIACENSE APUD PICTONES,

à Wlfino Boetio Episcopo scripta sæculo IX.

Ex Bibliotheca Labbeana, & codicibus mss.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. TRANSLATIONEM *hanc brevi oratione descripsit auctor Chronici Maxentiani seu Malleacensis in hac verba:* Anno ab Incarnatione Domini DCCCXXX basilica sancti Hilarii Nobiliaco dedicatur, & corpus sancti Juniani illuc transfertur à Mariaco villa: quam translationem fecerunt Abbas GODOLENUS, SIGIBRANNO Episcopo, & Fulcone Abbate sancti Hilarii. Huic Sigibranno Episcopo succedit EBROINUS Episcopus. *Fusiorem ejus rei narrationem, uti & sancti Juniani Vitam, in litteras retulit* WLFINUS BOETIUS *Episcopus, ex Gothis originem ducens, qui forsan Sigibranni Chorepiscopus fuit. Florebat enim Vulfinus Poeta apud Aurelianos, de quo Theodulfus ejus urbis Antistes in carminum lib. 2 cap.*

An. Chr. DCCC XXX Nov. VI.

*13, & incerti Auctoris metrica epistola à Morelio edita. An is postea factus Episcopus, & Vita S. Juniani scriptor? Quisquis sit hic Auctor, Junianum sepultum fuisse dicis in Cœnobio Mariacensi * apud Pictones: quod cùm ad angustias rei familiaris redactum esset, Nobiliacensi unitum est sub initium saculi noni; dein Prioratus, ac demum ecclesia paræcialis revasit.*

* Mairé l'Evescaut

Nobiliaci primordia.

2. Quadruplex Monasterium lego Nobiliacum *nomine, nempe Monasterium sancti Vedasti apud Atrabates Ordinis Benedictini sancti Leonardi apud Lemovicas Canonicorum regularium sancti Augustini; sancti Gundulfi apud Bituricenses; & sancti Juniani apud Pictones, utrumque Ordinis sancti Benedicti. Postremum hoc, ante saculum nonum exigua cella Pittavensi Abbatia sancti Hilarii subjecta, regnante Carolo Magno in Abbatiam evasit, procurante* Atone *ecclesia sancti Hilarii Abbate & Episcopo Santonensi. Prafectus loco* Hermenbertus *Abbas primus, cui suffectus est* Nsmaldus, *tum* Godolenus *extremus Abbas Mariacensis post Dadenum, hujus Translationis auctor. Situs est locus quinto milliari, seu duabus leucis ab Augustorito Pictonum ad australem plagam, in valle amœna, quam Mileio * fluviolus irrigat, ambiunt undique colles molliter editi, nemoribus tecti. Exstant in chartario Nobiliacensi littera conditionis Monasterii, in quibus hac leguntur:* Ego Ato humilis & servus servorum Dei ultimus, Pontifex urbis Saoronicæ sancti Petri senioris ecclesiæ canonicæ, necnon & Rector Monasterii sancti Hilarii situm prope Pictavis, ubi ipse sanctissimus humatus esse videtur, monente summum * Catholicum Regem Carolum gloriosum, ut unusquisque Pastor curam gerer super gregem sibi commissum vigilanti animo; notumque est magnifico nobile domino Lodoici Rege, necnon & suis Optimatis & viris catholicis, quòd aliquod Monasterium, cujus vocabulum est Nobiliacus *, ubi à nobis Pater ibidem præesse videtur Hermenbertus Sacerdos, de ratione sancti Hilarii & in suo sancto nomine editum, situmque in loco quieto, & valde congruum ad habitandos Monachos, ipsum renovavimus, & Monachos ibidem instituimus ad mercedem cumulandam dominorum Regum & nostram. Locella quæ à longo tempore ab ipso fuerant ablata, propter necessitates Monachorum & pauperum supplendas, necnon & nostra facinora abluenda reddendo conjunximus & adhærere fecimus: quarum sunt vocabula, una quæ dicitur Joaurenna, & est inter Alona & alveum Cludra; & alia Colnago, qui est in Briosense pago, &c. Et ego Hermenbertus, ac si indignus Sacerdos & Monachus, unà cum meis Fratribus pariter libentissimo animo promisimus ad præfato Pontifice domno Atone nobile Pastorique nostro piissimo, ut dum modò advivimus, per singulos dies propria Missa per eum celebrare debeamus, & ad omnes Cursos psalmum unum decantare facimus. *Subscribunt* Ato, Bodosindus Presbyter, custos sepulcri sancti Hilarii, *& alii Presbyteri & Clerici.* Data in anno XXXI regnante domno Carolo Rege in mense Martio. *Has litteras & Monasterii conditionem diplomate suo confirmavit Ludovicus tum Aquitania Rex, qui Atonem parentem suum vocat in hac verba:* Denique ostensum est in conspectu nostro per magnifico viro & parente nostro Atone Diacono atque Abbate statuta, quam ipse ex ore gloriosissimi & genitoris mei Regis Caroli summumque Catholicum sumpsit, qualiter cellola, cujus vocabulum est Novaliacus, de ratione sancti Hilarii, sita in loco quieto, & valde congrua ad habitationem servorum Dei & pauperum, juxta possibilitatem loci illius Monachos qui secundùm Regulam sancti Benedicti degere deberent, instituit, & venerabilis vir jam memoratus domnus Ato Abba Parens noster, fidelissimus domino & genitore nostro nobis subtiliter suggessit, ut ipsa cella vel reiculas quas ipse ibidem detulit, necnon & hoc quod Hermenbertus Sacerdos & Rector ipsius cellolæ ibidem confirmavit, & illas conjunctiones, quas anteriori Pontifici Pictaviensi, quem nos recognovimus, Ansaldus, Ebarcius, & Gaosbertus ad ipsam cellam detulerunt, vel Deum timentes & viri catholici inantea conferre voluerint, per nostram munificentiam semper sit conjunctum, *&c. Nulla temporis nota diplomati adscribitur in Chartario. Subscribunt cum Ludovico* Regimpertus vocatus Episcopus, Capellanus Lodoico Regis Aquitanorum. *Videtur tamen præcessisse hoc diploma litteras Atonis, qui in diplomate dicitur* Diaconus, *in litteris suis* Episcopus.

* Miozon

* summo, &c.

* Nasilli

Missa pro conditore.

anno 899.

Hermenbertus Abbas Monachus.

3. In superioribus Atonis litteris observandum est, Hermenbertum qui ante instructum Nobiliacense Monasterium Presbyter sæcularis erat, postea Monachum factum fuisse, ut esset Abbas. siquidem prædictis Litteris subscribit Hermenbertus Sacerdos & Monachus. *Quod exemplum in pluribus aliis; qui ex Clericis Abbates creabantur, contigisse indubium est.*

4. Ex præmissis colligo, Alcuini epigramma 145 interpretandum esse de Monasterio Nobiliacensi: cum ecclesia primitus beata Maria dedicata erat, ut lego in duabus chartis apud Johannem Beslium editis in Historia Comitum Pictavensium pag. 222 & 223, ubi Monasterium sanctæ Mariæ & sancti Juniani *appellatur. Alcuinum audi.*

An. Chr. DCCCXX. Nov. VI.

Hæc loca quæ cernis, Lector, venerabilis aulæ
Partibus ecclesiæ fuerant, ecclesia quondam.
Sed Pater & Pastor supplex Ato sustulit ista.
Et terris * quoniam nimio dilexit amore,
Virgo Maria, Dei genitrix tu intacta Tonantis,
Tu Regina poli, vitæ spes maxima nostræ,
Ut tibi cultus honor fieret memorabilis istic,
Tu quoque respiceres solita pietate precantes
Hic famulas famulosque Dei, mitissima Virgo.
Tu precibus nostris semper clementer adesto,
Atque dies nostros precibus rege semper ubique,
Ut nos conservet Jesu pia gratia Christi.

Si Nobiliacensi Monasterio conveniant hi versus, ut ego quidem existimo; etiam tria sequentia epigrammata de Fratrum refectorio, dormitorio & hospitio, eidem tribuenda sunt. Viget etiam nunc istud Monasterium sub institutis Congregationis sancti Mauri, quæ in sancti Augustini Monasterio Lemovicensi, tum in isto Nobiliacensi primas radices egit.

Delatio corporis S. Juniani Karrofum. * Charoux * la Charente

5. *Historia translationis subjicitur alia* Letaldi *Monachi Miciacensis, qui delationem corporis sancti Juniani in Synodum Karrofensem litteris mandavit, & Constantino Abbati Nobiliacensi ejusque Monachis nuncupavit. Plures Synodos in Karrofensi * Monasterio quod in pago Pictavensi ad Carentonam * fluvium situm est, factas invenio, nempe circiter annum* DCCCLXXXVIII, *annis* MXXVIII, MLXXXII, *&* MCLXXXVII. *Ad priorem hæc delatio referenda: quam in Synodo* Gumbaldus secundæ Aquitaniæ, *id est Burdigalæ civitatis,* Archiepiscopus *cum Suffraganeis suis tria capitula edidit quæ exstant in tomo 2 Bibliothecæ novæ Labbeanæ, & in nova editione Conciliorum. Sanè & Constantinus Abbas eo tempore vivebat, ut qui anno* MXIII *decessisse fertur; & Letaldus Monachus (siquidem is est, cujus librum de miraculis sancti Maximini Abbatis Miciacensis in Sæculo primo retuli) sub finem sæculi decimi scribebat. Nunc quo in loco sint sancti Juniani reliquiæ, quæ in Calvinistarum direptione anno* MDLXIX *occultatæ sunt, ignoratur.*

Mariacensis Cœnobii desolatio.

1. IGitur cùm per innumera annorum curricula crebrescentibus malis, & bellorum maximè immanitate, totius Aquitaniæ Provincia redigeretur in solitudinem, videlicet propter insolentiam tyrannorum inter se decertantium, principatus culmen ambientium, & Francorum Regum jugo colla submittere nolentium; tanta clade & incendiorum flagrantiâ consumta est, ut his concertationibus non solùm Respublica deperiret, verùm etiam Monachorum Ordo penitus adnullaretur. Unde accidit ut Cœnobium illud, quo sanctum corpus magno religionis cultu venerabatur, deserti solitudo fieret, & omnis exinde monastici Ordinis cultus aboleretur. Sed post diuturni temporis excursum, divina miserante clementiâ, tyrannorum superbia debellata est, & sub piissimo Imperatore Carolo pax reddita est, & unitas Ecclesiæ restituta; & loca incendiis conflagrata & clade bellorum consumta, iterum restaurata, & ad sui decoris statum ornatusque perducta.

Nobiliacensis ædificatur.

2. Verùm tamen locus ille nequaquam postea ad pristinum monastici Ordinis vigorem pervenit, ea videlicet de causa, qualiter inventus est locus utilior Monachis ad incolendum, nomine Nobiliacus, constructus in agro ecclesiæ beatissimi Pontificis Hilarii Confessoris Christi, ad quam basilicam etiam illud Cœnobium, ubi idem venerabilis Junianus corpore requievit, cum omnibus ad se pertinentibus adspicit; distans jam dictus locus Nobiliacus ab urbe Pictavi ferme millibus quinque; quo in loco Monachorum religiosissima Congregatio sub beatissimi Benedicti Regula constituta devotissimè cœpit Deo militare: in qua

Nobiliaci celebritas.

clarissimi viri, & monastici Ordinis adprime eruditi claruerunt, in tantum, ut etiam plurimis locis de jam supradicta Congregatione Abbates constituerentur, & hujus Præpositi Ordinis, sicuti ibidem inreprehensibiliter

hensibiliter custoditur ad exemplum eorum per amplissimam totius Imperii Francorum dominationem docerent.

An Chr. DCCCXXX. Nov. VI.


S. Juniani istuc translatio.

Interea post obitum gloriosissimi Cæsaris, qui Imperium Francorum amplissimè sublimavit, & feliciter per annos circiter quadraginta octo rexit, atque ab omni barbararum nationum incursu fortiter protexit; ejus nobilissima proles excellentissimus Imperator HLUDOVICUS sceptra Imperii regenda suscepit. Eo videlicet feliciter imperante, & filio ejus gloriosissimo PIPPINO Aquitaniæ regnante, beatissimo Antistite SIGIBRANDO Pictavis sacerdotio fungente, & venerabili viro FULCONE * Abbate basilicæ sanctissimi Pontificis Hilarii congregationem regente; eodem tempore GODOLENUS sub monastici Ordinis proposito præerat Abbas in jam dicto Nobiliaco Monasterio. Visum est illi ut corpus illud sanctissimi Juniani de loco quo situm erat, transferret ad locum, ubi cœtus Monachorum Deo militabat: idcirco quia ubi conditum priùs fuerat, non digno videbatur honore coli, nec officii dignitate, nec lampadum inlustratione perornati. Denique anno septimo-decimo [a] imperii jam supradicti Cæsaris, faventibus & consultum ferentibus Pontifice Sigibrando & Fulcone Archicapellano, translatum est corpus sanctissimi viri à Godoleno Abbate & Monachis jam supradicti loci, summo cum honore & veneratione dignissima, regionis cultu per omnia exornata, concurrentibus undique Sacerdotibus, & populorum catervis & venerabilibus Episcopis obviàm venientibus, inlatum est corpus ejus in basilicam beati Hilarii [b], quam idem venerabilis Abbas mira operis pulcritudine construxit. Situm est ad Orientis parietem juxta altaris crepidinem: cujus diei sollemnitas duplici præfulget privilegio, scilicet quia eodem die & corpus sanctissimum cum magno apparatu & triumpho, sicut præmissum est, illic reconditum est: & domus ipsa dedicata & cælestis Regis habitaculo consecrata. ubi divina præstante clementia, miraculorum frequentet insignia coruscant ubi & digna petentibus præstantur beneficia, tribuuntur postulata, & peccatorum remissio conceditur exoptata, præstante Domino nostro JESU-CHRISTO, cui est regnum & imperium, gloria & virtus cum Patre in unitate Spiritus-sancti per infinita sæcula sæculorum. Amen.

* al. desest Abbate

a Anno proinde Christi DCCCXXX, & quidem VIII Idus Novembris, quo die festum Translationis in ecclesia Nobiliacensi hactenus recolitur.

b Id est in basilicam Abbatiæ sancti Hilarii subjectam nam ecclesia Nobiliacensis beatæ Mariæ sacrata erat, saltem ab instauratione per Atonem facta, ex vetustis chartis & ex versibus Alcuini, suprà.



AN. CHR. DCCCXXX. Nov. VI.

DELATIO CORPORIS S. JUNIANI
IN SYNODUM KARROFENSEM
circiter annum DCCCCLXXXVIII.
A LETALDO Monacho Miciacensi descripta.

Ex ms. cod. Pictavensis Monasterii S. Cypriani.

1. DOMINO *Patri* CONSTANTINO *& ceteris Fratribus Nobiliaci Cœnobii*, *Frater* LETALDUS *in Domino salutem*. Ad sublevandos Tobiæ labores Angelus Raphaël missus à Domino, postquam eum non solùm ab ærumnis eruit, verùm etiam beneficiis divinæ pietatis adjuvit, reversurus ad eum à quo missus fuerat, à quo exiens non discesserat, eos quos beneficii superni munere erexerat, alloquitur dicens: *Consilium Regis abscondere bonum est, opera autem Dei revelare & confiteri honorificum est.* Quapropter nos opera Christi quæ per gloriosissimum confessorem suum Junianum nostris temporibus operari dignatus est, revelare & confiteri convenit, ad laudem & gloriam nominis ejus, ad ædificationem audientium, ut cognoscant omnes, quia opera quæ operatus est in diebus patrum nostrorum, operatur & nobiscum, non nostris quidem meritis, sed quæ beneficio pietatis & eorum interventu Patrum, quos nobis largitus est intercessores, & ad corrigendam vitæ nostræ gravitatem proponit imitabiles.

Tob. 12. 7. — Auctoris ætas.

2. Aggrediamur igitur promissi operis munus, nostris quidem de viribus diffisi, sed divinæ largitatis auxilio fulti, illius videlicet qui ait: *Aperi os tuum, & ego implebo illud.* Vos autem reverendi Patres & Fratres juvate precibus, quod caritativo injunxistis imperio: nec admodum vobis nostra displiceat rusticitas, dummodo sola & integra, ut à vobis tradita est, rerum gestarum complaceat veritas. Cùm exorti essent peccatores sicut fenum, & veluti vepres & spinæ terrenam suffocantes messem, ita maligni quique dominicam devastarent vineam; placuit Episcopis & Abbatibus & quibusque religiosis viris Concilium debere fieri, in quo & prædæ [a] prohiberentur, & res Sanctorum injustè sublatæ restituerentur; & cetera mala, quæ speciosam sanctæ Dei Ecclesiæ faciem fœdabant, sub anathematis mucrone ferirentur. Hoc igitur Concilium in Cœnobio Karrofensi cogi fuit destinatum, factusque est ibi grandis ex pago Pictavo & Lemovicino & adjacentibus regionibus multorum concursus populorum. Nam & multa corpora Sanctorum [b] ibi allata sunt, quorum præsentia & religiositas roboraretur, & malignorum procacitas retunderetur. Sanè illud Concilium divina (ut creditur) voluntate coactum per Sanctorum præsentiam frequentia illustravere miracula. At verò inter cetera Deo digna Sanctorum pignora, etiam gloriosi Patris Juniani exuviæ cum decenti honore delatæ sunt.

Psal. 81. 11. — Concilium Karrofense. — eo delatum S. Juniani corpus.

3. Sed interhæc agenda cùm à Cœnobio sancti Patris elatæ essent reli-

[a] In Synodo facta circiter annum DCCCCLXXXVIII, cui interfuit Hugo Ecolismensis Episcopus, mortuus anno DCCCCXC, secundum capitulum decernitur adversus prædones ut dubium non sit, ad eam referri oportere hanc delationem.

[b] De more illius temporis. sic feretrum sancti Berchari Abbatis Dervensis in Synodum Arresensem delatum est regnante Rotberto Rege. & sancta Fides inter multa Sanctorum corpora, *quæ secundùm morem provinciæ feruntur ad Concilia*, principatum tenuisse dicitur.

quiæ, non multùm longè à Monasterio hi qui Sancti vehebant sarcinam, confederunt, & sacrum onus deposuerunt. In eo igitur loco post sanctissimarum reliquiarum evectionem devotio Fidelium crucis erexit vexillum ob memoriam & recordationem, quòd ibi sancti Patris reliquiæ quievissent: & ab eo tempore usque nunc, quicumque febricitans accesserit, invocato Christi nomine per interventionem ejusdem Patris pristinam consequitur sanitatem. Inde ergo cùm ad villulam cui Ruffiacus nomen est, accessissent, mansionem inibi acceperunt, noctemque illam in Dei laudibus & hymnis pervigilem ducentes, facto mane iter arripuerunt: sed nihilominus in eodem loco quo quieverant reliquiæ, fideles Christiani ex lento vimine quasi quoddam fecere peribolum, ut locus ipse quo sacra membra locata fuerant, ab accessu hominum & animalium tutus remaneret. Post multos dies taurus ferox accessit & cornibus atque costis eamdem sæpem ludibundus concussit: sed mox ut à sæpe recessit, corruit & exspiravit. In eodem quoque loco ex ingenti imbre lacuna succreverat, quæ susceptam aliquamdiu retinens aquam, pro reverentia sanctorum pignorum, ad abluendum plurimos invitabat, inter quos accessit quædam mulier elephantino laborans morbo, quæ cùm ex eadem se lavisset aqua, pristinæ sanitati restituta incolumis remeavit ad propria. An. Chr. DCCCXXX. Nov. VI.

HISTORIA TRANSLATIONIS S. GLODESINDIS ABBATISSÆ METTENSIS,

An. Chr. DCCCXXX.

Auctore JOHANNE Abbate sæculi x.

Ex ms. cod. & Tomo I Bibliothecæ novæ Labbeanæ.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *LIBELLOS duos, unum de vita, alterum de translationibus & miraculis sanctæ Glodesindis Mettensis Abbatissæ scripsit Iohannes Abbas: at cujus loci is Abbas fuerit, haud penitus compertum est. Iohannem Gorziæ Abbatem piissimum esse utriusque opusculi auctorem, conjectavi in Sæculo secundo, in quo prior libellus de vita sanctæ Glodesindis editus est. Convenit siquidem ætas istius Iohannis huic scriptori, quem sæculo x, Adalberone Mettensi Pontifice, vixisse constat ex num. 45 & seqq. Accedit quòd Iohannes Abbas Gorziensis primos juventutis annos exegit juxta* Monasterium sancti Petri seu sanctæ Glodesindis, ubi & domum vicinam habebat sub occasione ecclesiæ quam tenebat, quæ cum villa propria eidem Monasterio subjacebat; *&* Hebdomadarius sacri altaris adscitus *est à Sanctimonialibus ejusdem Cœnobii, quibus maximè familiaris fuit, uti legitur in ipsius Vita. Hinc fortè hujus opusculi occasio & causa. Quamquam Iohannes Abbas Mettensis Monasterii S. Arnulfi vitam sanctæ* Glossindis, *itemque Iohannis Abbatis decessoris sui, ejus qui postea Gorziæ Abbas fuit, scripsisse memoratur in fusiori Gallia Christiana: cujus rei necdum certum habeo argumentum. Rem in medio relinquit membraneus codex, qui penes nos est, de rebus gestis S. Glodesindis, ab annis sexcentis exaratus, cujus hic titulus:* Prologus Domni Johannis Abbatis in Vitam sanctæ Glodesindis Virginis à se editam. Historiæ hujus quis auctor?

2. *Tres leguntur in subjecto libello sanctæ Glodesindis corporis translationes: prima sæculo* VIII *facta, anno incerto: altera anno* DCCCXXX *per Drogonem Episcopum, in cu-* Glodesindis translatio triplex.

An. Chr. DCCCXXX. *jus epitaphio istius rei memoriam consignatam lego his versibus:*

Iste Glodesindis sollemniter ossa levavit,
Condigneque loco condidit eximio.

Ad hanc quæ sollemnior fuit, alias duas revocare visum est, nempe eam quam sæculo VIII *factam dixi; & tertiam, quæ anno* DCCCXL *ab Adalberone Episcopo curata est. Omnes sequens libellus commemorat.*

PROLOGUS AUCTORIS.

Scriptionis occasio. 1. Partibus primis gestorum sacræ Virginis, ut dicendi siccitas patiebatur, ex veterum illarum litterarum situ in nova quadam facie Deo miserante reductis, priusquam reliquis expediendis succedam, Lectorem, si quis fortè hæc in manus post illa sumere non fastidiet, bona venia paucis oratum volo, ne me quasi temerarium & omnibus forsitan seriis vacuum mentis quadam mobilitate ad hæc denotet prorupisse, causasque æquo animo non aspernetur addiscere. In primis quam exordio professus sum, quæque ceteris præponderat, flagitatio sanctarum nimium inportuna, eademque diutina subegit Sororum, quibus quippiam denegare offensæ pæne videbatur in Deum. Deinde materia tam perspicabilis, quàm merito sui præstantissimis quibusque (liberè pronunciaverim) coæquanda, in sui commendationem per seipsa sufficiens, animum in se tota cupiditate convertit. Nec scriptura illa, quamvis silenti feratur auctore, viribus rerum aliquid detrahit, cum semine utique ac si raro aspersa, non sterilem usibus nostris in immensum extendendam messem produxerit. Neque enim refert quovis indicio ex quacumque cavernula gemma pulcherrima extrahatur, dummodo avaritiam mortalium usu expleat & decore. Et quoniam tanti pretii margaritam, pluribus pretiosis merito præferendam, inter vitæ hujus ærumnas multiplices infirmitati nostræ solatium tam efficax divina præstitit pietas; indignum omnimodis judicabam, si ad tantam gratiam linguæ improba & ingrata torperent silentia, ut si non quanto dignum esset eloquii nitore, oratio posset vestiri, nudus saltem sermo præstaret: ne salus, quæ erat in commune, videretur mortalibus intercludi.

2. Non autem certiùs nos aliquid allaturos hac scripti novitate fatemur, neque enim intactam ordimur rem, cùm alienis tantùm vestigiis innitamur. Sed quoniam historia illa beatæ virginis simplici, ut fortè antiquitas de repente mandavit memoriæ, stilo compacta vulgo solùm erat accommoda: considerantes jam Christo propitio plures disciplinarum studiis eminentes, lectionem insulsioris scripturæ non sine quadam nausea fastidire; eorum deliciis nostram operam non incongruum æstimavimus deservire. Fidem ergo gestorum & in priori parte, ut scripta præfata monstrabant, interpretatione fida, ut puto, usque ad obitum beatæ virginis transposuimus, & nunc sequentibus deinceps pari nihilominus puritate, Christo Domino nostro prævio, meritisque ipsius sponsæ divinæ faventibus, narrandi ordine eadem vestigia persequemur.

Temporis nota in Actis S. Glodesindis obscura. 3. Gratum præterea admodum habemus, quòd hæc posteriora certiori jam aliquantulum ducunt itinere, temporis maximè notitia, quæ superiores partes non nihil infuscat, lucidiùs insignita. Nam excepto prima fronte nomine CHILDERICI [a] Regis, & hoc sub opinione apposito per totam exinde narrationem; quid, sub quo Rege vel Principe gestum sit, ita siletur, ut etiam ipse Childericus, qui in nece sponsæ beatæ virginis sententiam ferens reperitur, non satis certus temporis reddat. Hunc siquidem Childericum, si tamen ipse est, fama tantùm fert Caroli Senioris non multùm superiùs tempora contigisse, eique adhuc superstite genitorem ipsius Caroli Pipinum priùs Ducem & Majorem-domus, ut tunc dicebatur, in regio culmine superductum, nimia illo socordia & inerti demerso ignavia, rebus regendis non solùm minùs idoneo, sed per omnia prorsus inutili reddito. Hoc utrum sic se habeat, necne, non equidem in magno ponam discrimine. Ceterum annales seu Historici, quos inspicere potui, præter solam Caroli vitam, Raganfredum quemdam continent, de cujus manu Carolus principatum sustulit; Childericum onus tantùm ille annalis quàm brevissimè annotat, & famam supradictam sequitur eo deposito de regno & tonsorato, Pipinum ei superductum. Si tamen is de quo fama jactat, ea ætate fuisse credendus est; quo-

[a] Legendum Chilperici, ut in Sæculo II admonui, eo nomine primi Childericum Chlodovei II filium ignorasse videtur Auctor.

modo id, quod in præsenti libello reperitur, quòd locus cimiterii Sanctimonialium ad sanctos Apostolos necdum temporis corpore beati Arnulfi haberetur insignis, possit probari, non satis elucet: cùm constet beatum Arnulfum longiùs multò antequam is Childericus fuisse dicatur, è mundo receptum, & ut sacra gestorum ejus scripta declarant, vixdum anno dormitionis suæ exacto à loco sepulturæ Metris relatum. Ea utcumque sint quibusque pro arbitratu in medium relinquentes, non multum utique sententiarum pondus hac adimente ambage; quæ restant omnino, Domino conatum juvante, jam persequi contendamus, & translationibus geminis beatæ virginis, quæ successerint virtutum miracula, quæque ad sacratissimam tumuli ejus reverentiam diversorum langorum sint ostensa remedia, officio non minùs devoto quàm debito explicemus.

An. Chr. dccxxx.

Incipit Narratio translationis primæ S. Glodesindis.

4. UT superior narrationis series comprehendit, postquam sacratissimæ virginis corpus intemeratum in basilica sanctorum Apostolorum extra muros urbis per annos xxv quieverat, quædam fortè religiosarum suprà memorati Sanctimonialium Cœnobii revelatione divina se testata est fuisse commonitam, uti majori ecclesiæ, quæ erat loco subteriori, alia adjacens extrinsecus in honore sanctæ Dei Genitricis Mariæ construeretur basilica, modumque ipsius revelationis hoc ordine referebat. Videbatur, inquiens, mihi quiescenti beata virgo Domini Glodesindis super murum civitatis stans, lapidem eminus veluti loco designando manu dejicere, meque verbis insuper compellare. Ibi, inquit, ecclesia fabricetur, & quem in locum lapis casu devenit, in eo beatissimæ semper virginis Mariæ erigatur altare. Monstrato denique aliam quamdam in partem latere seorsum: Hic, ait, ostium fiat, quo ex ecclesia majori, hoc est, Monasterio, in eamdem pervius novam Sororibus aperiatur ingressus. Hoc somno discusso, cùm ceteris retulisset, ancipiti diu hæsere consilio, eò quod tunc temporis regiæ tutelæ locus subesset, nec nisi ad eum rogatione perlata tale quid aggrediendi eis suggerebatur fiducia. Itaque re celerrimè Principi insinuata, eoque auctore in negotio exsequendo, ut visio docuerat, summa facilitate adducto, opus strenuè curatur atque perficitur. Edictum insuper regiæ liberalitatis eisdem Sanctimonialibus est adjectum, ut eadem nova, quæ condenda esset, basilica cimiterium Sororum denuo sollemniter haberet, ac mox in eamdem basilicam corpus sacræ virginis ex loco prioris tumuli venerabiliter referretur humandum. Sic & longitudini itineris, quod funeribus ancillarum Dei urbe a exportandis laboriosum cernebatur temperatum, & patrocinium multitudini Fidelium est copiosissimè divinitus provisum. Nec ex eo tempore jam, ut priùs moris erat, vel ad memoratam Apostolorum, nunc beati Arnulfi nomine celebrem, vel ceteras circa urbem basilicas cujuslibet earum est funus elatum: sed veluti matri filias ut viventes devotis obsequiis, ita sæculo functas sub tempus glorificationis suæ debita corporis videas adhærere quiete.

Visum de nova basilica condenda,

Rege probante ad effectum perducitur,

cœmeterio adjuncto.

Fabrica igitur nova ecclesiæ ad summam manum perducta, ad locum sepulcri plebe tota certatim undique accurrente, mira alacritate contenditur, effossaque humo circumjecta, ac lapide monumento subducto: reperiunt Sanctam toto adhuc corpore integram, nulla illius tam diutini sepulcralis situs signa in carne monstrantem, sed ac si die eodem esset deposita, gratiam totius corporis referebat. Quæ ibi lætitia, quæ intimi calore gaudii lacrymæ prorumpentes beatam illam de tanta visione tenuerint frequentiam, melius verbis succumbere, quàm parum dignè dicere, quod utique dicendo minùs reddiderim. Nam & si quid fortè sermo possit explicare, id multo uberiùs ea fidelis populi tunc evicerunt obsequia. Tandem incomparabilem thesaurum pia aviditate exceptum cum sollemni cælestis pompa triumphi laudes Deo sacris ordinibus concentu religioso in cælum tollentibus ad præparatum sibi novæ basilicæ deferunt habitaculum. Ibi Sanctimoniales inæstimabili in eam devotione ferventes, corpus beatissimum, tamquam tunc primò vitâ excessisset, de more ecclesiastico lavant atque exornant. Inter lavandum quædam Sanctimonialium diutino languore obsessa, vitamque ipsam in ancipiti trahens, spe salutis non frustra præsumta, ad locum lavacri fiducialiter venit, & faciem Sanctæ digito levi tactu compressit. Ilico digitum redeuntem sanguis ex facie virginea prodigio mirabili est subsequutus. Omnibus ibi pariter consistentibus, & in exemplum dominici lateris miraculo stupentibus, cruor is-

Glodesindis corpus integrum inventum,

in novam basilicam infertur.

a Cœmeteri olim extra urbes locata erant, etiam Sanctimonialium extra Cœnobia, ut multis exemplis probari potest.

An. Chr. DCCCXXX. dem palam apparuit. Cumque eadem vix, ut dixi, religiosa femina supremum halitum retineret, repente vires jam morbo exhaustas paulatim sibi redire persensit, & mensibus sex tantæ rei testis postmodum supervixit. Expleto omni pii amoris circa sanctam virginem ministerio, deposuerunt eam item in sarcophago novo, ad dexteram partem altaris sanctæ Dei Genitricis, humoque desuper aggesta, diligenter componunt.

humo tectum 6. Aliquantum postea fluxerat tempus, & ecce nocte quadam cuidam vitæ continentioris feminæ in visu à quodam dicebatur, quòd corpus ipsius beatæ Virginis mus infra sepulcrum corrumperet, atque in ipso sopore monumentum sibi videbatur aperiri, & murem, qui jam pollicis pedis dextri partem corroserat, ipsa quæ hæc videbat, expelleret. Expergefacta diluculo, rem Matri Congregationis, ceterisque Sororibus narrat. Ad id explorandum ministros sacrorum acciri continuò placuit. Qui de more Christianæ Religionis Litaniis & orationibus pro re prosperanda peractis tumulum reverenter aperiunt, & ad certa indicia visionis pollice pedis dextro cruentato reperto, soricem depellentes, & viâ in reliquum penetrandi obstructâ, sepulcrum, ut priùs, obcludunt & muniunt.

quamdiu illic. 7. Quievit in eodem loco corpus sacratissimum usque ad tempora Imperatoris piissimi Ludovici, Carolo famosissimo ac maximo Imperatore progeniti, ubi pluribus se frequenter virgo beata publicavit virtutibus, multaque infirmantium curatio sanctitatis ejus & meriti apud Dominum præstantissimi testimonio fuit. Ea quamvis incuriâ antiquitatis scripto minùs sint tradita, memoria tamen ex narratione præcedentium subinde in succedentes transfusa, quæ res omnes vetustate & senio fugientes durabili reparat novitate, semper eam ostensione signorum floruisse non tacet. Quæ autem posteriori ætate, otio jam segniori submoto, litteræ signaverunt, facilè insinuant, quanta fides præteritis possit haberi, nec minùs claris in illo tanti temporis spatio miraculis eam celebrem exstitisse. *Glodesindis ab incorruptione corporis commendatur.* Frustra autem hæc in commendationem ejus requiri videntur, cùm certè id unum tanta præsentia deitatis concessum corpus scilicet per tot annos sine corruptione servatum cuncta exsuperet admiranda, quocumque casu extrà potuerant provenire. Ubi simul datur intelligi in quanta gloria beatæ immortalitatis ejus spiritus illic, ubi verè est, totius mutabilitatis expers triumphat, cùm hic & illud, quod corruptibile fuerat datum, ingentis meriti viribus ipsa conditioni mortalium jura imposita tam potenti gratia superaverit.

8. Quod utique Dominus ad commendandam gloriam purissimæ castitatis ejus oculis humanis ostendere voluit, ut palam clariesceret, quo præmio apud eum soleat compensari carne præ ejus amore contemta solis ipsius hærere complexibus, quodque virginitas, quæ supra quàm jussum est, facit, plusquàm promissum est, meretur. Posse sanè ex divino dumtaxat munere ante illam generalem corporum resurrectionem carnem hominis cujusquam integram per tempora durare aliquanta, licèt pluribus idoneis scriptoribus multa lectio testis defendat, unum tamen in hanc partem sanctum [a] Bedam Presbyterum adduxisse sufficiat; qui in historia gentis suæ, quæ jam ecclesiasticis auctoritatibus merito rectæ fidei & sanæ doctrinæ admiscetur, de beato Pontifice Cutberto refert, quod postquam XI esset annis sepultus, integro corpore sit repertus. Idque pleniùs in libro de vita ipsius exsequitur. Simile etiam de quadam miræ sanctitatis Regina Edeltrude commemorat. Sanctum quoque Patrem Hilarionem Hieronymus non solùm carne, sed etiam vestibus intaminatis post aliquantum temporis sepulturæ, à discipulo ejus scribit inventum & sublatum. Ceterùm non hæc in obfuscationem illius supereminendi & Domini gloriæ singularis de præconio sanctorum attollimus. Christus siquidem naturæ nostræ particeps factus, non culpæ, sicut præ filiis hominum gratia ampliori plenus, verè & naturaliter Dei filius exstitit Deus: ita caro ejus juxta Prophetam paululum in sepulcro requievit in spem resurrectionis quantocius secuturæ; & animâ, quæ inferno nullatenus potuit detineri, citius corpus repetente, Sanctus ipse Sanctorum, nec in ipsa carne, quam mortalem assumserat, ullam est corruptionem expertus. Est maxima utique servorum ac Domini distantia. Ille, ut qui animam, quando vellet, ponendi, & cùm vellet, iterum sumendi, solus habuit potestatem, morte sibi sponte admissa, infra breve tempus claustris sepulcri contentus virtute mox propriæ majestatis mortis legibus fractis victor per se ipse surrexit: Sancti verò corpore hoc mortali natura ipsi toti mortales egressi, spiritu ad eum qui illum miserat, revolante, caro lege primi hominis ad terram reducitur. Sed quia mirabili commercio natura utraque carnis ac spiritus concreta, dum in præsenti ad divina se

[a] Sic lego, non *secundum*, ut apud Labbeum S. Cuthberti Vitam à V. Beda scriptam habes in Sæculo II.

exercet, mutua inter se expendunt operandi officia, ut spiritus per carnem, caro per spiritus bona quælibet operentur, & hæc simul dum vivunt, Christi templum, & An. Chr. dcccxxx. quasi quædam arca testamenti divinam servans scientiam habentur; mox ut spiritus ab auctore reposcitur, corpus in quo tot sacrata diu servabantur, vice templi Dei, & arcæ illius Sacramentis plenissimæ dignè à fidelibus reverendum excipitur & servatur, donec in fine temporalium æterna utraque substantia reddita in unam, ut priùs, compaginem, gloria tamen præstantiori, amicis postea nullóque inter se diffidentibus nexibus reparentur. Si ergo bonitas potentiæ Dei, quæ suam sanctam ex Virgine carnem nulli corruptioni subdi permisit, Sanctorum quorumdam per aliquot tempora gratuito munere servari voluit corpora incorrupta; hæc laus inferiorum nihil illam summè singularem Dei Christi omnium superioris comminuit: quin potiùs hæc, quæ per se obscurarentur, luce illius immensitatis ornantur. Jam de secunda transpositione seu translatione sacratissimæ virginis ordinem prosequamur, & quantis signorum splendoribus ad consolationem mortalium sponsam suam Rex illustravit angelorum, meritis ipsius juvandi cœpti operis termino intendamus.

NARRATIO de secunda Translatione ejusdem B. Virginis Glodesindis.

9. LUDOVICUS Imperator, dequo præmisimus, filius Caroli Magni, cognomento Pius, post patris gloriosissimè exactum imperium, in nullo inferiori fastigio rerum potiebatur, anno ab obitu patris decimo-septimo, cùm Incarnationis Dominicæ octingentesimus tricesimus ageretur annus, & Sedem Apostolicam Romæ GREGORIUS quidam occuparet, qui duobus Eugenio & Valentino festina tunc recèns sese morte consequentibus, quorum prior tantùm triennium, sequens vix mensem superfuit, successerat, tuncque tertium Apostolatus sui annum agebat. Hanc autem sanctam sedem Mettensem DROGO ejusdem Imperatoris Ludovici frater jam per annum tuebatur octavum [a], qui etiam vices Apostolicas in cunctis Galliarum partibus privilegio ab ipsa Sede Romana cum pallii auctoritate & nomine summi [b] Archiepiscopatus acceperat, ut amplissimæ dignitatis vir sustinebat. Cùm igitur ad id usque temporis, corpus beatæ virginis in dexteriore, quam prædiximus, parte altaris basilicæ novæ sanctæ Dei Genitricis humo mansisset reconditum; dispositio illa superna, cui cùm omnium quæ condidit, tunc maximè suorum cura exstat præcipua, in ipso quoque corpore ad oculos hominum meritis ipsius sacræ virginis, quanti apud se semper exstiterent, patenter voluit demonstrare. Cœpit enim tunc temporis sepulcrum ipsum de terra se sponte subrigere, & mirum in modum, ita ut nec in terra eadem viciniora tumuli loca apparerent, nec in murali constructione desuper composita. Hujus rei novitas, dum ad notitiam suprà memorati Pontificis pervenisset, morarum impatiens mox in crastinum fidos ad hoc inspiciendum sacrorum ministros cum Archidiacono majore, quem Chorepiscopum dicunt, direxit. Qui venientes & cuncta visis, ut relatio pertulerat, approbantes, ad rem continuò certam renuntiant. Episcopus ad hanc relationem de eadem sacratissima virgine, quæ fuerit, quæve ei conversatio vel vita viventi fuerit, quæ utique nondum satis vulgata claruerant, sollicitiùs disquirit.

anno 830.

Corpus sacrum humo cælitus elatum.

10. Ubi cuncta ea ordine ab ipsis qui vivam ipsam in corpore videre potuerant, quorum pars multa adhuc supererat, didicit, gaudio mixto admirationi non minimùm perculsus, ac divino nescio quo nutu impulsus, ad hoc hortatu addito plurimorum, de ea sublevanda ocius capit consilium. Ne cui autem incredibile videatur ejus temporis aliquos tunc esse potuisse superstites, chronica à tempore Childerici Regis ex Pipino per Carolum in Ludovicum deducta, facili id probat indicio, quæ utique non multùm super octogesimum reperitur annum: idque tempus ætate unius hominis non difficile durare convincitur. Antistes igitur reverentissimus cum sacra Clericorum ac populorum frequentia, ad locum per semetipsum accedens, religiosis votorum supplicationibus ritu sollemni præmissis, patefacto sepulcro, ipse propriis ulnis miro, & suprà quàm credi possit, religioso in eam fervens officio, sancta virginalia membra, quæ utique tota adhuc compage integrè tenebantur, è tumulo sublevat, & feretro impo-

A Drogone Episcopo levatur.

[a] Rectè. nam Drogonem Mettensi ecclesiæ anno DCCC XXIII impositum fuisse testantur Eginhardi Annales. Adso Abbas in libro de gestis S. Waldeberti Luxoviensis Abbatis refert mortis genus Drogonis, quem Lignone fluvio inter piscandum absorptum fuisse tradit. Obitum ejus v. Id. Decemb. notat Necrologium S. Galli.

[b] Eodem privilegio affecti sunt Chrodegangus, Angilramnus, & Walo, ejusdem Sedis Episcopi.

An. Chr. DCCCXXX. sitam, laudes Deo, gloriam Christo, totis certatim turbarum & populorum agminibus personantibus, ad majorem ingenti triumpho basilicam perferunt. Est ipsa basilica major, quæ adhuc cernitur, paullo à muro civitatis disjuncta: in cujus fronte orientali foris murum urbis, illa nova, de qua suprà exposuimus, sanctæ Dei Genitricis exstiterat ad cœmeterium puellarum exstructa. Ipsa autem major basilica antiquo ab initio a nomine & honore sancti Sulpicii Biturici Episcopi & Confessoris sacrata habebatur. Ipsa est, quam beata virgo, dum viveret, à parentibus suis ad usus divinos prædio concesso jactis fundamentis Monasterium instituerat. Edicta quoque publica de possessionibus ejusdem Monasterii in cunctis scriptis, vel polypticis, vetusto stilo & calamo editis, nomen ipsius beati Sulpicii continent, & tota ratio juris hereditarii ipsius loci rerumque supputatio, quam Abbatiam dicunt, ejus nomine appellatur. Dicitur tamen & nomine sanctæ Dei Genitricis, addito etiam beati Petri Apostoli, aram ipsam majorem simul cum ipso Confessore esse dicatam. In hac ergo basilica, sarcophago novo post sacrum altare venerabiliter præparato, sanctum & pretiosissimum pignus honore & cultu, quo ampliori valuerunt, diligentissimè collocarunt.

10. Mirabilia mox per virtutem Christi tam jucunda & salutaria illic cœperunt clarescere, ut quanti virginei meriti gloria apud Deum constare crederetur, ad hæc ipsa nostra, id est humana judicia, certioribus ipso Dominus comprobare dignaretur præconiis. In quibus corporaliter quoque non desinit adimplere, quod per virum Dei in libro
1. Reg. 2. 36. Regum loquentem ad Heli porrectaiut: *Quicumque*, inquiens, *honorificaverit me, honorabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Quia enim hæc sancta & sæpe dicenda sancta puella, Dominum in suo corpore juxta Apostolum glorificavit, & reverenter amore virginitatis portavit; ideo gratia copiosior, ut jam de illa immensi ponderis cælesti taceamus mercede, etiam in hac mortalitate eam & manentem in corpore est comitata, & exstincta nunc ipsa illius membra ingenti honore prosequitur. Contemtoribus autem Dei & conculcantibus ea, quæ sancta sunt, & qui juxta Sapientiam videntes justos, & non intelligentes, nec ponentes in præcordiis talia, illa quæ in
Sap. 4. 16. eodem libro contexuntur jure conveniunt. *Condemnat autem justus mortuus vivos impios.* Et paulò pòst: *Post hæc erunt decidentes sine honore & in contumelia inter mortuos in perpetuum.*

Miracula secuta sub Drogone & Adventio Episcopis.

11. Verùm de ipsis signorum virtutibus jam pleniùs disseramus. Feretro, ut superiora retulerunt, ex sepulcro priore imposita, priusquam altero secondederetur sepulcro, quidam ex multo jam tempore cæcus, nec ultrà in reliquum videndi sperans subsidia, ad feretrum subitò spe meliori animatus accessit. Nec mora, ope sacratissimæ Virginis desperatum diu lumen perfectè recepit. Item mulier quædam multorum similiter annorum cæcitate tabescens, sub ipsa ferè hora ibidem per gratiam Christi illuminata est.

12. Postquam verò tumulo sacra sunt membra secondita, quædam simili modo longa luminis amissione multata, ut signa, quæ Dominus per merita beatæ virginis operabatur, quæque fama veloci jam totam commoverant urbem, audivit, quanta potuit celeritate ad sanctum sepulcrum contendit: ubi divinum per famulam ipsius humo porrecta implorans auxilium, dum aliquot ibidem excubat noctes, quæsitum tandem integrè lumen adepta est.

13. Sub idem tempus feminæ tres febribus nimiis ex diutissimè tracto languore omnibus pæne membris exhaustæ, quæ in vana medicorum cura multoties sibi frustra adhibita, censu pauperum perdito, & onus geminaverant paupertatis, & remedii nihil omnino attulerant; audita relatione ingentium mirabilium, ad virginis sanctæ sepulcrum se fide non cassa propere contulerunt. Hæ mox ut limina ædis sanctæ contigerunt, virgine in sui auxilium precibus credulis invocata, integerrimam membris omnibus recuperaverunt salutem. Et in quo avaritia semper, curationum carnalium comes, illa suæ, qua in miserorum corpora vel opes desævit, artis expensa potentia, tota defecessat; fides sola, quæ gratis cuncta ferre consuevit, quod suum est, solita velocitate restituit.

14. Alia item femina morbo adeo gravissimo longissimæ ægritudinis lecto decubans tenebatur, ut solo spiritu tantùm superesset, cui quicquid humana adhibuerat manus, frustra totum id fuerat: quin etiam ipsa spe salutem sibi ultrà posse restitui jam penitus desperabatur. Hæc, quo nescitur instinctu, nisi fortè ut pòst satis claruit, Deo cui suorum omnium cura est, inspirante, qui eam ex hujusmodi fovea desperationis gratuita

a An S. Sulpicii nomine primitus insignita fuerit ea basilica, non immeritò dubitari potest, cum S. Sulpicius Bituricensis Episcopus, eo nomine primus, Glodesindis æqualis fuerit, secundùm epocham de Glodesindis ætate à me præstitutam. Certè potiùs S. Petri nomen ab initio tulisse videtur ista ecclesia, cui postea patronus accessit S. Sulpicius, Bituricensis Episcopus, primus an secundus.

boni-

bonitate sua eximere voluit, & fomentum boni operis, quamvis tenuiter in ea accensum, non prorsus pariebatur extingui, ad limina sacri Monasterii inter manus se ferri fecit. quæ ubi jam septum seu atrium, quo Monasterium ambiebatur, ingressa est, gratia omnipotenti Deo voce, qua valuit, agere cœpit: quia quod numquam sperare potuerat, sed nec aliquando fieri posse credebat, illuc se divina misericordia venire concesserit. Cùm verò portas sanctæ basilicæ primis attingere cœpisset vestigiis, paullatim languore mitigato se convalescere; quantoque propior sacrosancto corpori accedebat, tantò longius ægritudinem à se removeri, & melius subinde sibi vires & sospitatem sentiebat succrescere. Deinde cùm ipsa sui ipsius quodam miraculo stupens, huc illucque quasi spatiabunda basilicam obambulare cœpisset, & gratias vocibus apertis non modicas resonaret; post modicum ad sacri tumuli pavimenta supplicatura prosternitur. Ibi enixiùs oratione profusa, & aliquamdiu inter altare, & sepulcrum pernoctans, paucis post diebus integrè sanitati est restituta, ut illius diutini & desperati languoris nulla in se indicia senserit resedisse. AN. CHR. DCCCXXX.

14 Die quadam Sanctimonialibus rem divinam in ecclesia agentibus, mulier ignota, oculis capta, alia quadam sibi manuductum præbente, in conspectu earumdem puellarum Dei psallentium, ad gradus usque, quibus ad altare conscenditur, pervenit. quos ubi prætergressa, propè altare sola tunc ipsa consedit, palpebris, quæ longo & tenaci situ diu hærebant obclusæ, in altum quantulum lumen percipiendum repentè divisis, ignotam quamdam se ducere mirata conspexit; subitoque clamore emisso, suam quæ solitò sibi dabat manum, cœpit inquirere. qua divinitus fortè subducta nusquam accurrente, ab ipsa ignota, quam sub dubia adhuc luce vix cernere poterat, usque ad sepulcrum Virginis, parte quæ caput respicit, est perducta. Ibi orationi prostrata, ubi surgens tremebunda & stupida e regione tumuli constitit, pro sepulcro ipso nubem quamdam sibi apparere putabat: & mirabatur, quòd nubes, quæ altiùs in aëre ferri consueverunt, tam vicinæ tunc terram tangere videbantur. Sensim deinde ei lux clariùs magis ac magis cœpit infundi, donec caligine tota oculis summota certo & vero intuitu, quia sepulcrum esset, quod præ oculis situm habebat, planè cognosceret. Tunc ubi esset, vel qualiter illuc advenisset, attonita, nihilque circa se, quod recognosceret, videns, anxia hærebat & stupens: & quod adhuc pavorem augeret, jam nec ipsam ignotam personam, quam se paullo antè præcedere, & illuc adduxisse mirabatur, ultrà videre prævaluit. Dum ergo in hoc mœrore diu contabesceret, tamdem ad se reversa, beatam Glodesindim sibi apparuisse, & se illuc perduxisse. ac suis meritis lumen sibi recuperasse, certissimè cognovit, atque in gratiarum actionem prorumpens, jamque clarè omnia cernens, Dominum & sanctam Virginem publicis vocibus collaudabat, nec jam ulteriùs duce indigens, viam liberè quaquaversum exultans ingreditur.

15. Non multis hinc exactis diebus rursus alia multi item temporis cæca ad tumbam sanctam deducitur, illucque cum cæteris languentium turbis illic excubantium per totam noctem divinum cum precibus præstolans subsidium, matutinali Officio de more ab ancillis Dei peracto, vidit sibi beatam Virginem propiùs accessisse, & digitis propriis oculorum palpebras, quasi violenter ab invicem separare. Nec mora, puro lumine reddita, meritis Virginis sacræ plurimis postea annis testis superfuit.

16 Quidam præterea mirabili narium horrore graviter spirans, ita ut ne eminus quidem ei à quoquam facilis esset accessio, in quo cura à diversis mederi cupientibus ei sæpe adhibita, vanè per omnia cesserat, ut rumorem longè lateque currentium gaudiorum, quæ in Mettensi civitate ad memoratum Monasterium per gloriosi meriti virginem Glodesindem fiebant, audivit, illuc festinus accurrere studuit. quò postquam pervenit, & ecclesiam ingredi visus est, omnes nimio ex naribus procedente offensi fœtore, fugere ab eo in diversa cœpere. Ille quem anxii doloris causa præsens monebat, & pœnam suam secum circumferens se fugere ipse non poterat, pudorem hominum necessitate devincens, & de eo, qui leprosorum & cruore fluentium contactum non sprevit, & morbos atque infirmitates miserorum curare descendit, nullatenus diffisus, ad sepulcrum omnibus salutare cum ceteris infirmis processit: ibique lucernam, votum Sanctorum manu prætendens, & pro salutis suæ recuperatione enixiùs supplicans, misericordiæ cælestis exspectabat adventum. Nec priùs à fidei suæ instantia destitit, quàm ope ingentis meriti Virginis, illa omni obscœni odoris fœditate careret, & communi deinceps hominum frequentia, & solitis salutationum & confabulationum occursibus sine cujusquam molestia frueretur.

17. Item mulier jam decennio cæca, nec spem in reliquum visus retinens potiendi, divinitus ut æstimatur, commonita Monasterium petiit. quæ ecclesiam ingressa,

An. Chr. DCCCXXX. ut tumultum infirmantium, qui plurimi sedentes sepulcrum circumsæpserant, audivit, vocibus altiùs emissis in auxilium sui Glodesindem, itemque nomine ingeminato invocabat, Deumque sibi peccatrici propitium fieri precabatur. Mox virtutis supernæ largitate luce recepta læta discessit.

18. Et ne singulis quibusque personis diutius immorati tædiosi, & ob hoc meritò refugiendi scriptoris culpam incurrisse videamur, si quid memorabilius dumtaxat extiterit, quàm succinctè notato, turbam curatorum in numerum quemdam redegisse sufficerit. Ordinem sanè, ut sibi subinde operatio virtutum successit, nequaquam cavemus invertere; sed sicut scriptura ipsa veterior retulit, quæ utique unamquamcumque narrationem juxta ordinem temporis ita antecedenti subtexuit, ut quod priùs factum sit, priùs scriberet, & quod deinde mox est subsecutum, è vestigio redderet: sicque usque ad certum tempus series totius catalogi texeretur, licet fidi interpretis vitio denotandi, per omnia sequimur.

19 Quinque ibi feminæ diutina olim cæcitate multatæ, Christo Domino illuminante ad gloriam & commendationem sacratissimæ virginis diu desiderati luminis gratiam receperunt. Exinde mulier quædam per tres ferme annos pedem utrumque & manum unam gerens distortam, auditis tot mirabilibus, illò ocius se ferri rogavit, allataque pavimento sepulcri prostrata, fletuque multo & precibus se ob peccata propria hæc pertulisse testata, tamdem in commendationem piæ & rectè actæ virginitatis, in conspectu multorum circumstantium directa in integrum perfectæ sanitatis officium, discessit incolumis.

20 Septem post hanc, mares tres, feminæ quatuor, tenebris oculorum jamdudum damnati, ad laudem clarissimæ virginis, & semper lumine æternitatis splendentis, luci videndæ sunt restituti.

21. Parum est circa præsentiam ejus sacratissimi corporis crebras factas esse virtutes, absentes quoque nomine ejus invocato per gratiam Christi, qui in omni parte mundi cum Sanctis suis & manet & operatur, plurima sibi affuisse sensere subsidia, quod vel ex his, quæ licèt exigua subjicimus, colliquebit.

22. Clericus Monasterii ipsius vicem officii ecclesiastici in ordine proprio administrans, cui nomen Fulgubertus erat, fluvium civitati à parte orientali contiguum, qui Sallia * dicitur, causa aliqua perurgente trajicere gestiebat, qui ubi ripæ accurrens navigium nusquam videt adesse, diu si quis fortè quacunque ex parte fluminis adveniret, operiebatur. Hac exspectatione, ut fit, tandem defatigatus, humoque paullulum reclinatus, somno corripitur; expergefactus, nec quid etiam tum ad trajiciendum spectans consilii, dum jam semetipsum moratum, quas sibi tamdiu frustra insumsisset, accusans, deliberaret recedere, repentè ori subrepsit sanctam virginem nomine inclamare. Postquam vocem aliquot intra se momenta sustinuit, & ecce respiciens navim sibi in loco littoris, quo stabat, ex improviso videt adsistere, quæ quo ordine absque humano ministerio adducta sit, cùm omnino non posset conjicere, divinum tantummodo opus, cui omnia famulantur, & merita sacræ virginis, quam invocasset, sibi id certum tenuit præstitisse. Stupensque hoc tanto miraculo, & gratias, ut par erat, immensas omnipotenti Deo sanctæque virgini reddens, fluvium, ut desideraverat, transit. Hucusque tam ingentis facti ipse pòst fidelis relator sanctè juratus asseruit nihil se confinxisse, sed, ut sibi verè contigerat, fideliter enarrare.

* Seille

23. Pauper quidam longè ab urbe commanens, qui vitam arte tantùm piscatoria tuebatur, die quadam ut Monasterium prædictæ virginis adiret, mente concepit. qui simplicitate rustica, non tamen improbanda, vacuus illuc procedere nolens, quia aliud fortè sibi non suberat, flumen petere, piscemque, si quis forsitan occurreret, ferre disponit. Mox navicula conscensa, jacto rete piscem præter spem involvit non modicum: dumque hunc tenere deproperat, ocius piscis ex rete violenter eluctatus in flumen elabitur. Hic rusticus vehementer animo consternatus, voce lacrymabili: Sancta, inquit, Glodesindis, redde quod tibi ferre disposui. Hoc dicto, rursus rete flumini merso, idem qui priùs piscis præda fugitiva concluditur, votumque, ut mente decreverat, Monasterio delatum & redditum.

24. In curatione vexatorum non minori gratia Sanctam hanc meritis potentibus prævalere plurima prodidere frequentiùs documenta, quibus hæc fidem facere vel sola sufficiant.

25. Rustico, de quo prædiximus, piscem votum ferente & abeunte, sub ipso ferè articulo temporis in loco eodem faber quidam Imperatorius de villa Judicio a adve-

a Locum hunc notavit Jacobus Sirmondus in notis ad capitulare a Caroli Calvi, ubi Judicium, vulgo *Iudiz* vocari scribit, situm haud procul à Theodonis-villa.

An. Chr. DCCC XXX.

nit. Hic jam per annos undecim graviter dæmone agitatus, multa sanctorum Martyrum loca etiam in longinquiora Franciæ ad sanctum Sebastianum Suessionis, cujus non multò ante idem temporis reliquiæ ab urbe Roma illuc dicebantur delatæ & apud sanctum Medardum reconditæ; seu ad sanctum Quintinum Viromandis, adque sanctum Dionysium Parisius [a], multorumque præterea Sanctorum memorias spe recuperandæ salutis circuierat; sed ejus curatio divino quodam arcano, non per impotentiam Sanctorum differebatur, sed huic sanctæ virgini, cum qua manus Domini tam efficaciter operabatur, certissimè est reservata. Huic quoque carnalis medicinæ industria, si qua posset atte succurrere, multa vanè remedia adhibere conata est, nihilque opis prorsus adtulerat. Tandem Dominus volens apertiùs demonstrare, frustra eum tot in longinqua toties expetisse subsidia, cùm de proximo velocior ei salus posset occurrere, ut de miraculorum tanta, quæ ad sepulcrum reverentissimæ virginis Glodesindis fiebant, audivit frequentia, Metis quàm celerrimè potuit, pervenit, atque basilicam beatæ virginis ingressus, penes tumbam ipsius se collocavit ubi cùm aliquamdiu jacuisset, impurus ille ac teterrimus spiritus præsentiam tantæ sanctitatis non ferens, nihil deinde viris in homine possidens, violenter pulsus abscessit.

26. Post hunc mutus quidam ab infantia illuc accedens repentè ante corpus sacratissimum absolutissimam oris libertatem est consecutus. Eodem modo & mulier itidem, ex quo nata est, muta, virtute virginis loquelam ibidem recepit. Item femina quædam dæmone diu atrociter captivata illuc deveniens adversario depulso, sui compos atque integra mente regressa est. Claudus quidam ex villa Lauriaco in loco eodem potenti virtute virginis pedes, quos valida tabes distorserat, in usum liberè gradiendi directos recepit. Mulier ab annis plurimis cæca, de villa Arcuntiaco, aliquo tempore ad sanctum sepulcrum cum infirmis cetaris excubans non post multum temporis luce donata est. Similiter & aliæ duæ cæcitate damnatæ gratiam diu amissi luminis per beatam virginem receperunt.

27. Multa præter hæc & pæne innumerabilia apud ejus perpetua virginitate beatissimum corpus ex tempore memorati Drogonis Archiepiscopi per annos circiter LX sub præsulatu Adventii eidem succedentis Episcopi, imperantibus Lothario seniore, & post eum Lothario juniore, sunt ostensa miracula, usque ad tempora Walonis, qui præfato Adventio successit, quæ ex incuria scripto non sunt commendata. Quæ verò sub ipso Walone, vel successore ipsius Rotberto, sunt gesta, ordo subsequens declarabit. — Alia miracula sub Rotberto.

28 Antequam ad reliqua progrediamur, quando res ita monet, & se occasio præbuit de memoratis primis duobus sa subinde consequentibus Episcopis, sed & de statu temporum aliqua breviter adnotanda putavimus, eâ præcipuè causâ, quòd alterius eorum, id est, Adventii, temporibus, Monasterio hujus sanctæ virginis plurima regali munificentia sunt collata beneficia, Regisque Lotharii junioris edicta testamentalia penes ipsas ancillas Dei usque hodie manent, quæ suasu conjugis suæ Teutbergæ Reginæ, interveniente eodem Adventio Episcopo, eis & de noviter datis; & de antiquioribus restitutis, sive etiam de immunitatibus ejusdem Monasterii regia auctoritate constant liberalissimè attributa. Nam & ipsa Teutberga Regina loci ipsius regimen tunc tenebat, quæ etiam ibi quiescit: sed & quis iste Lotharius fuerit, & ex occasione ejus aliqua suprà repetere non ingratum esse lectori arbitramur, ut ex notitia temporum validiores narrationi vires accrescant. Hic est Lotharius junior filius illius Lotharii senioris ex Ludovico Pio geniti, qui post mortem ipsius piæ memoriæ patris sui diutina dissentione cum fratribus suis Ludovico Germanorum Rege & Carolo, qui pòst Imperator factus est, cupiditate imperii habita, tandem gravibus & intestinis odiis funesto ritu inter se longè prius protractis, in pago Autissiodorensi loco, qui dicitur Fontanetum, prœlio atrocissimo, & absque exemplo cruentissimo, cæde miserabili conflixerunt, adjuncto eis Pipino Aquitanorum Rege. Pace tamen pòst inter eos facta, divisóque regno, hæc pars Franciæ, quæ Rheno & Mosellâ limitatur, additis pro consensu & firmitate pacis quibusdam civitatibus & regalibus Abbatiis ultra citraque, eidem Lothario cessit, ejusque exinde in id usque temporis nomine Regnum Lotharis, appellatur. Ipse non multo pòst cunctis sæculi rebus sponte abjectis, Monachum in Prumia Monasterio professus, ibidem quievit, ubi & sepulcrum ejus celebre huc us-

Historica. — Teutberga Regina Abbatissa. — Lotharii divortium. — Lotharii Imp. sepulcrum Prumiæ celebre.

a Id est, in agro Parisiensi. Sic veteres nonnumquam loquebantur, ut notavit eruditus vir Hadrianus Valesius in Disceptatione de Basilicis, capp. 8 & 9, & in Defensionis parte posteriori capp. 5 & 6. Idem legitur in Vita Adalberonis Mettensis Episcopi, qui donaria multa S. Dionysio Parisius, id est, Monasterio S. Dionysii, quod quinto ab urbe Parisiorum lapide distat, transmisisse perhibetur.

An. Chr. DCCCXXX.

que habetur. Successit eidem filius & æquivocus hic junior LOTHARIUS, de quo fama satis dolenda vulgatur, odio Teutbergæ hujus, quam diximus, Reginæ, & illicita superductione WALDRADÆ. quæ miserabilis species facti cùm faciem rerum luctuoso fœdasset exemplo, totum pæne orbem in sui commovit invidiam. Nam & quod multò amplius expavescendum, primarum sedium Antistites TIETGAUDUS Treverensis & GONTERUS Coloniensis hujus exsecrandi connubii assentatores, cùm viderentur sapientes esse ingenio, & litteris diviné humanéque eruditi, insipientiæ deterrimi sunt facti fautores. Unde à Papa NICOLAO Romam evocati & ante sacratissimum corpus beatri Petri Synodo, tam Italiæ pæne totius, quàm & pluribus Galliarum Episcopis congregata auditi, & culpam prætentu conjugii ornare diu conati, tandem fraude captiosa, qua capere se alios arbitrabantur, ipsi capti, Papa Nicolao cunctis assentientibus damnati, & gradibus sunt ecclesiasticis multati: Rex quoque cum Waldrada & cunctis ejus scandalis participantibus pariter anathematizati. Et, ut multa ad alia tendens prætercam, qualiter ipse Gonterus factum suum tuens, in Papam ipsum publicè multis invectus, injusto se judicio alligatum testatus sit, & ut parvi pendens apostolicam censuram, domum nec venia petita, nec impetrata reversus, Missas, & in die sacrosanctæ Cœnæ absolutionem & chrismatis actionem victus peregerit. Hoc tantùm in terrorem eorum, si qui fortè talium umquam erunt participes, dixisse sufficiat, quòd socius ejus Tietgaudus Treverensis peregrè Romæ excommunicatus interiit. Lotharius Rex, licèt correctionem promiserit, & Reginam Teutbergam in honore suo, ut videbatur, receperit; pòst tamen Romam veniens à Papa super fide conjugis requisitus, & metu culpam inficiatus, ea conditione, si vera fateretur, Missas à domno Papa in sancto Anastasio audivit, & corpus dominicum de manu ejus infelix præsumsit. Inde patriam repetens, repentè misertima clade suorum pæne in ipsis Romæ portis exorta, nec mora, nec requies morientium erat, donec tandem dum ocius festinat, jam fere omnibus suis assumtis, Placentiam usque cum paucis pervenit: ubi circa horam nonam cùm incolumis resideret, repentè percussus obmutuit, & mane morte miserabili defunctus ibi in quadam villissimi operis basilica est obrutus. Ejus morte Adventius Episcopus cognita, nuncium ocius Carolo Regi Franciæ occidentalis dirigit, eumque Mettim deductum, associato sibi HINCMARO Remorum Archiepiscopo, corona secunda, præter eam, quam habuerat, in ecclesia beati Stephani, quæ dicitur Domus Episcopii, capiti iteratò imposita, Regem super duo regna constituit. Hæc, ut Episcopi cujus mentio facta fuerat, tempus magis clarescerer, paucis inserta sunt.

Gonteri Episcopi contumacia.

Tietgaudi mors

& Lotharii.

Caroli Calvi coronatio duplex.

Huic Adventio successit, ut diximus, WALO Episcopus, quo tempore BARTHULFUS Treveris præerat Archiepiscopus, ipso adhuc Carolo superstite, & JOHANNE quodam universale nomen Papæ tenente, à quo & ipse Walo pallium promeruit. qui Walo, dum via septem annis ecclesiam rexisset, excursione Nortmannorum, postquam plures Galliarum partes pervagata fuerat, usque Treviros accedente, dum eis incautè manúque impari congredi parat, usque ad locum, qui dicitur Remicha, in litore Mosellæ, obviàm venit Nortmannis impetum minaciter facientibus: dum his nullæ ad resistendum suppetunt vires, non prœlium jam illud, sed strages miserorum fuit, ibi Episcopus cum ceteris obtruncatur. Corpus post cladem Mettim relatum, & in basilica sancti Salvatoris, quam ipse in sepulcrum sibi pridem à fundamentis castruxerat, sepultum. Hujus igitur temporibus jamjamque obitu ipsius imminente luctiferum quid monstro ipso præsagante, à parte sepulcri sacræ virginis, quæ pedes respicit, oleum non phantasticum, sed verum, dictu mirabile! visum est emanasse. Hoc non modò ipsis Sanctimonialibus vel æditui, qui noctu atque interdiu sacri sepulcri adhærebant excubiis, verùm toti urbi perclaruit. Viderit quisque in quam partem hoc interpretari velit. Illud certè multorum & visus probavit & tactus; diuque ita emanans ille liquor effluxit, ut specie & usu oleum palpabile repræsentaret, & à parte pedum ad capitis usque confinia sepulcrum madefaceret, & (quod magis stupeas) vase exceptum diutius postea est servatum, multique pro diversis incommodis eo tacti & uncti vera retulerunt remedia. Opinio vulgi erat, & quibusdam revelationibus sibi plures ostensum esse dicebant, lacrymas eas sanctæ virginis esse, quibus imminente urbis interitu iram Domini avertere laborabat. Non usquequaque error damnandus, qui licèt & ex simplici mente descendens, nonnihil tamen intelligentiæ perspicitur continere: siquidem oleum figuram misericordiæ, lacrymæ motum exprimunt indulgentiæ. Etsi enim in illa summæ lætitiæ civitate dolor nullus, nullæ omnino sint lacrymæ, ubi absterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum; non incongruè tamen Dominus oculis humanis hujusmodi speciem ostendere voluit, per quam prudens quisque colligeret, qua suavitate, quove lumine in conspectu claritatis Dei anima illa sancta gauderet, cujus hic exstinctus cinis tam jucundu cordibus & pulcherrimo oculis mysterio

Vvalonis Episcopi interitus.

Oleum ex tumulo S. Glodesindis.

resplenderet. Exitus tamen rerum edocuit, quid beata virgo in occulto pro civitate obtinuerit, cùm eam ita periculo proximam à barbarorum infestatione, & si non lacrymis, certè precibus virginis inenarrabilibus Christus inenarrabiliter flexus immunem reddiderit. An. Chr. DCCCXXX.

30. Sub eo etiam, qui huic post annum subrogatus est, Episcopo Ruotparto gentis Allamannorum viro clarissimo, olei similiter emanatio ex ipso sacro sepulcro frequentiùs visa est profluxisse, ut à latere monumenti longiùs in rivum per pavimentum decurreret. Hoc ab ancillis Dei spongia collectum, & vase vitreo dum impleretur destrictum, super sanctum sepulcrum est reverenter appensum; de quo, ut prædictum est, plures sibi remedia præsumserunt.

31. Et ut non vani quid simile hoc æstimari datetur, illud palam cunctis & tunc temporis factum est, & per multorum ora, qui viderant, exinde ad nos usque cucurrit, quod ibi ea ipso oleo contigit. Erat sanctæ ædis illius custos, nomine Doda, quam una Sororum, cujus curæ erat Oratorium quoddam sanctæ Crucis infra septa ipsius Monasterii, importunè rogavit, ut vas vitreum, quod oleum illud divinum continebat, sibi ad idem curæ suæ Oratorium, quasi majori reverentia à se ibi servandum tribueret. quæ dum levitate admodum temeraria manum super sepulcrum, quo vas appensum meminerat, porrexisset, ut poscenti daret, nusquam invenit. Mirata & tremens, dum item itemque palpando sollicitiùs exploraret, nec sentire ullo modo posset, cùm tamen ibidem vas idem ut positum fuerat dependeret, ridiculo satis diludebatur errore: cùm ceteras advocasset, ipsæque similiter cum ea diutius errabundæ præ oculis semper haberent, nec viderint; lucerna adhibita circa sepulcrum huc illucque vana indagine perquirebant: tandem postquam satis jam ludibrio hujuscemodi sunt fatigatæ, via aliquando contingere potuerunt depositum. Partem ipsius liquoris eadem custos sibi præsumens, fratri suo viro religioso Presbytero Angelerio ad ecclesiam sancti Salvatoris in eadem urbe pro reliquiis munere misit, vas ipsum cum reliqua parte petenti sociæ tribuit, & Oratorio suprà dicto ab ipsa est deportatum. Mox ipsa custos temeraria pro tam improbo ausu amentia se satis digna pœna corripitur; nec priùs medelam consequi potuit, quàm ex utrisque, quibus largitio illa inepta fuerat facta, quod illicitè datum erat, reciperetur, & loco suo super sepulcrum, ut priùs, integrè reponeretur: nam mox ut id factum est, vix spatio duarum horarum intercedente sanæ mentis & plenissimi sensus effecta est. Ex eodem postea, ut dictum est, oleo plures caput, oculos vel cetera loca corporis dolentes dum contingerent, meritis sanctæ virginis sæpissime se recreatos & perfectè senserunt curatos.

32. Multa præterea temporibus ejusdem Rotbarti Episcopi, nec minora, superioribus ad idem sacrosanctum sepulcrum Dominus Jesus Christus est operari dignatus miracula, ex quibus subsequens stilus expedire aliqua tentabit eo securiùs, quo multos, qui his interfuerunt, nostra ætate superfuisse certiò comperimus, quos in idoneum testimonium advocatos nemo est qui possit refellere. Ex ipsa quoque curatorum turba nonnulli hæc ipsa nostra tempora attigerunt.

33. Mulier, cui Hildigardi nomen erat, annis octo oculorum luce privata spe non cassa salutiferum sepulcrum expetiit. Ibi nocte in excubiis permanens, antequam dilucesceret, miseratione divina virgine intercedente nihil noctis obstantibus tenebris, lumine puro donata est. Item adolescens cæcus, dum aliquamdiu infra basilicam visitationem supernam exspectaret, meritis virginis visum perfectè recepit. Femina, nomine Osa, quinquennio clauda, illuc se rogans deferri, mensibus sex ibidem languida jacens, divinum indeficientibus animis præstolabatur auxilium: nec priùs à fidei suæ instantia destitit, quàm mercedem fidelis perseverantiæ, soliditatem omnium membrorum, perciperet, pedibusque propriis gaudens rediret, quæ manibus alienis illuc allata fuit.

34. Quidam similiter claudus vespertino aliquanto tempore grabato deportatus, & pro foribus basilicæ positus, dum copiam sibi ea nocte intra ædem sanctam quiescendi deprecaretur, nec obtinere valuisset, ibi ante januam fide non vacua usque in lucem pernoctat. Ecce autem mane subitò viribus validioribus accedentibus, miro celerique quodam saltu lecto excussus, relicto in loco eodem grabato, gradu directo ad tumulum sanctum processit clarè & palam virginem sanctam Glodesindem divino auxilio auctorem suæ sospitatis proclamans, & gratias quantò prævalebat referens ampliores, vocibus magnis Dei sanctæque Virginis glorificabat clementiam.

35. Alius item infirmus & omni virtute corporis destitutus, cùm aliquamdiu in ipso sancto loco opem sui præstolaretur, quadam die sopore correptus obdormisset, videt sibi in somnis beatam virginem assistentem & cum quodam imperio jubere ut surgeret, & his qui tunc fortè pavimento instabant, operator ipse conjungeretur, opusque

An. Chr. dccc xxx.

ipsum perfici adjuvaret. Statim experrectus, & nihil pristinæ debilitatis in se recognoscens, lætus exsilit, & ut jussus fuerat, mirantibus universis ad opus accessit, nulloque segnior in operando apparuit, sciens profectò beatissimam virginem desideratam sibi præstitisse salutem.

36. Adelburga mulier dicebatur, ore & naribus plurimo sanguine diutius fluens, jam in ipso vitæ agens discrimine, cùm nihil undecumque ei remedii posset occurrere. Fortè dies natalitius sanctissimæ virginis in crastinum imminebat; spem illico salutis ex divino præsumens solatio, candelam, quæ nocte vigiliarum ipsius sollemnitatis ante aram sanctam lumen præberet, voto propriæ sanitatis direxit. Mox ea perlata optatam Christo per sanctam virginem operante salutem promeruit. Simili modo vir quidam ex villa Fadiliaco, nomine Hilleicus, habens filium debilem & membris omnibus inutilem, votum Sanctæ candelas altari, ipsius intulit, ac pro eo ibi precem profundens domum reversus invenit filium sanum. Quid femina illa, quæ diu contracta, dum vota illò candelam misisset, priusquam ecclesiæ candela ipsa intromitteretur, perfectam emeruit sospitatem. Hæc ex villa Columbaria fuit, & per totum æstivum tempus ita languida membris omnibus pæne emarcuerat, ut nec gressum figere, nec nisi alienis manibus valeret efferri. Alia non dispari modo diu debilis & clauda decumbens, ad ecclesiam perducta, integrè ibi est sanata.

Voti prævaricatrix punita.

37. Audiant aliud divinæ animadversionis documentum hi, qui ea quæ semel Domino voverant, illicita præsumtione non timent effringere; & vel pœnis manifestioribus discant, quanti sit periculi promissa non reddere, quæ scripturæ testimoniis noluerunt agnoscere. Vir Mettis inter suos non obscurus, cui Adelmanno nomen erat, filiam in ipsis primis annis Dei & hujus sanctæ Glodesindis famulatui in habitu sanctitatis voto delegavit. Hæc ubi adulta est, patre, ut dicunt, ignaro & invito, quemdam extra urbem clandestino secuta est matrimonio. Cumque in tali conjugio tempus aliquod effluxisset, fortè aliquando fuit, ut parentes & propinquos in urbe vellet revisere: ubi dum dies aliquot moraretur, ita repentina, membrorum omnium dissolutione contracta est, ut nec lecto exsurgere, nec nisi alieno ministerio loco posset moveri. Tum pater voti reminiscens ad Monasterium eam fecit deferri: quæ ibi dimissa, postquam multum temporis in languore rabida jacuerat, ab ancillis Dei ei suasum est, ut sacrum velamen sibi imponens se Deo servituram promitteret. Factum est, & die tertio sana & incolumis reddita est, ut pristini doloris ne vestigium quidem aliquod in se persentiret; & de reliquo in eodem Monasterio sub habitu Religionis permansit.

38. Item femina quædam, duodecim jam annorum pedes languidos trahens, nomine Alda, ad Monasterium adducta per sex annos ibidem debilis mansit. Cumque crebris coram altare supplicationibus divinum sibi adesse sæpius precaretur auxilium, die quadam inopinatò ita perfectè sanata est, ut libero gressu ubique gaudens incederet.

39. Dæmoniacus quidam ex villa Marlei, Wolferus dictus, ita atrocissimo & vesano spiritu fuerat pervasus, ut omnium se notitiam habere linguarum & situs cunctarum jactaret nosse terrarum. Hic ad sacrum perductus Monasterium, ac per dies octo ibi detentus, gratiâ Christi ac meritis virginis hoste fugato, mentis libertati integrè restitutus abscessit. Item adolescens quidam ex villa Lauriaco, & feminæ quatuor fœdis spiritibus obsessæ, ibi similiter ope sacratissimæ Virginis curari meruerunt.

40. His illa non incongruè inserenda censentur, in quibus fidei, cui omnia Salvator perhibet possibilia, ingens ostenditur documentum, ut quod natura negare convincitur, sancta & innocens virginitas merito sui efficere posse probetur.

Vinum à laïcis oblatum in Missa.

41. Ex his quæ habitu inter laïcas religioso oblationes altario deferre consueverunt, quædam fuit, nomine Raginaidis, quæ ad basilicam virginis veniens, vasculum, quo vinum ad sacra a secum hujusmodi circumferri solet, plenum detulerat: ex quo dum ipsa obtulisset, & ceteris, quæ plures oblaturæ convenerant, dum quod superfuit, totum divisisset; repentè vasculum ipsum quod jam omnino exhaustum putabat, attentans, vino ut priùs, repletum maximo cum stupore invenit.

Flasco vini ad Missam.

42. Custos quædam ejusdem sacræ ædis, dum die quadam Missis celebrandis vinum quæsitum nequaquam in promtu posset inveniri, ad arcam illam qua nescio de causa accessit, ubi jam retro à mensibus fere tribus vasculum, quod in modum flasconis parvuli (butticulam appellant) vacuum & siccum dependebat. Arca aperta vasculum ipsum vino ad summum usque impletum vidit: ex quo & sacrificiis tunc mi-

a Locus notatu dignus, ex quo discimus, vini oblationem à laïcis factam in Missa etiam sæculo x.

nistratum est; & quædam ipsius loci femina dudum graviter languida, dum ea eodem vino potum quid sibi absorbendum poposcisset, mox gustato salutem integram recuperavit.

An. Chr. DCCCCXXX.

44. Paschali quadam sollemnitate puella cæca, cujusdam Johannis civis Mettensis filia, ad sanctum sepulcrum perducta, dum per tres dies ibidem mansisset, ipsa quarta sacræ hebdomadis feria per gratiam cælestem visum pleniter est consecuta.

45. Hæc, ut valuimus, ex prioribus, quas invenimus, transfudimus literis, non quod eamdem scripturam nullam æstimaremus, quæ utique plena fidei & ad rerum gestarum notitiam vires maximas subministrat; sed quia, uti præfatus sum, literatorum, quibus jam Domino miserante tempora florent, hoc expetere voluptas videbatur. Quamquam ne ad hanc quidem partem mihi aliquam scientiæ prærogaverim facultatem, qui, ut verè fatear, frequentiùs tamen in dictis quàm scriptis nimio rubore suffundor; & nisi aliquorum, qui fortè in me amore labuntur improvido, stimuli incitarent, penitus conticerem, ob hoc vel maximè, quia etsi scientia, qualiter præsentes, & qui ea ipsa inter nos consuetudine quidquid ore ceciderit probant, accipiant; secuturos certè aut omnino ingratos, aut non multùm hæc curaturos satis perspicio. Quibus tamen quod acerrimo dente in æmulos Hieronymus procœmio Hebraicarum quæstionum fiat, objiciendum: Peregrina merces tantum volentibus navi defertur. » Balsamum, piper, & poma palmarum rustici non emant. Ita & illi si despexerint, » ne quidem legant, moneo & oro, dum tamdem voti mei apud Deum & sanctam ejus virginem, cujus me amor traxit immodicus, spem fideliter præsumtam mihi non penitus invideant, vel intercludant.

Auctor ab hinc res sui temporis scribit.

46. Jam quia ad nostram ætatem res perducta est, liberioribus spatiis decurrentes, breviter, quæ Dominus nobis videre concessit, annotamus. Post ROTPARTUM qui XI. præfuit annis, WIGIRICO X annis pontificio exacto vitâ decedente dum BENNO quidam, in eremitica conversatione dudum famosus, bona intentione HEINRICI tunc Regis, patris gloriosi postea Cæsaris domni OTTONIS, eidem esset subrogatus, vixque biennium in sacro ordine exegisset; infanda & nimis lacrymabili servulorum quorumdam factione excæcatus, & inutilis redditus, quo fungi non poterat officio sese ipse abdicavit: inde à Principe electione petita & impetrata, virum magni pòst futurum præconii, dominum ADALBERONEM, hæc sancta Sedes adepta est. Hic Monasteria quæcumque per amplitudinem suæ erant providentiæ, retro à multis jam annis interiùs & exteriùs spiritalibus & corporalibus opibus nimiùm lapsa studio præter cetera egregiè animum recuperare induxit. Et primum quidem ejus operum spiritualium Gorzia Monasterium fuit, ubi magnarum virtutum viro domno EGINOLDO [a] promoto, & brevi copiosa Religiosorum turba eo confluente, & in beatitudinem pauperum spiritu sub Regula beati BENEDICTI conspirante, ad ejus exemplar reliqua extra vel infra virorum ac feminarum, si qua etiam sub nomine Canonicorum erant, composuit Monasteria. Unde & hoc idem beatæ virginis collegium præfecta ibi domna HIMMILTRUDA, sanguine, & (quod majus est) spiritu sibi propinqua, ad monasticam institutionem [b] coëgit. De cujus sancti Pontificis dignis Deo operibus proprium est merito quod desideretur opus [c], nec hujus articuli brevitate tantam concludi fas fuerit majestatem. quod ad præsens attinere videtur, brevì subjicimus.

Benno Episcopus excæcatus.

quo superstite electus Adalbero, Monasteria reformat.

etiam Parthenonta S. Glodesindis,

47. Anno Pontificatus sui XXIII, cùm nongentesimus quinquagesimus primus Dominicæ Incarnationis agereiur, matrem prædictam loci ipsius reparandi, quia vetustas & brevitas monere videbatur, cupido cœpit immodica. Id per se, quoniam non nisi sacro corpore interim submoto fieri poterat, non præsumens, quid animo conceperat, Episcopo intimat. Ille de fabrica ut fieret gratum omnino habens, suamque benignè pollicitus operam, de sublevatione sacri corporis diu cunctabundus tamdem Domini super hoc voluntatem ut exquirerent, impetravit: communicato deinde negotio Patribus tunc venerandis EINOLDO, de quo præmisimus, & ANSTEO [d] æquè viro religioso è proximo sancti Arnulfi collegio, ipsisque animos eidem sancto Pontifici vel Abbatissæ magis addentibus, in communi decretum est, ut fieret. Insta-

anno 951 instauratum.

Sanctæ corpus loco motum.

[a] Hæc fusiùs descripta sunt in Actis S. Johannis Abbatis Gorziensis.

[b] Ergo jam eo tempore à monastica ad laxiorem Canonicarum vitam defecerant Sanctimoniales istæ, quibus Adalbero Hasteriam villam pagi Leodicensis adsignavit, ubi quædam Monachæ sub regimine Decanæ aliquamdiu vixere, ut legitur in Chronico Valciodorensi tomo 7 Spicilegii pag. 529 & 531.

[c] Exstat in tomo 1 Bibliothecæ Labbeanæ libellus de vita istius Adalberonis.

[d] De Einoldo Gorziensi & Ansteo S. Arnulfi Abbatibus egregia mentio est in Actis S. Johannis Abbatis Gorziensis Sæculo sequenti referendis.

An. Chr. dccc xxx. bat tunc dies Adscensionis dominicæ, in quem populus universus Missarum sollemnis condicto jussus adesse. Præsul reverendissimus post verbum sacræ diei populo redditum, de hac ipsa re palam aperiens, Domini misericordiam cunctos monuit exorare, ut prosperum conatibus fidelium suorum largiri dignaretur effectum. Quod cùm in crastinum sextæ feriæ multa cum devotione sacris ædibus circumquaque lustratis alacriter peregissent, in sequenti mox Dominica omnes ad sacrum confluunt locum. Ibi ab ipso sancto Pontifice Missis dictis, itemque plurima exhortatione plebe in Deum animata, cunctis acclamantibus, & ministris sacrorum solitis supplicationibus preces in cælum tollentibus, ad arcam virginis aperiendam Pontifex venerandus, cumque eo Patres Monasteriorum simul & ceteri ex Clero religiosi dignè Deo sanctæque virgini submissi reverenter accedunt: moxque sacrosanctos artus loculo tunc pro tempore præparato exceptos in proximam quamdam domum interim conservandos transponunt. Eadem die à parentibus quidam illuc dæmoniacus adductus, cùm penes loculum in domo eadem populo abscedente esset relictus, post modicum intervallum Domino & meritis virginis suffragantibus à vesano spiritu est liberatus.

Miracula. 48. Sub ipsa fere hora Sanctimonialibus à loco, in quo sacrum corpus extulerant, ad eo pora curanda residentibus, puerulum naturali membrorum compage damnatum penitusque ab ipsa nativitate contractum bajulos, ut brachio ferebat, ecclesiæ introiit. Inde à quadam ex Sanctimonialibus intra domunculam, qua corpus sanctissimæ virginis servabatur, sub ipso loculo solus relictus, parva mora intercedente nimio repentè clamore puer emisso, ad vocem ceteris accurrentibus, membris officio naturæ directis sanus divino auxilio est inventus. Hunc multo postmodum tempore eadem incolumitate gaudentem prospero ubique gradu conspeximus ingredi. Alter itidem puerulus oculis captus, sed & quorumdam membrorum inæqualitate confectus, alio ferente illò deportatus, & ante loculum projectus, visu & ceterorum membrorum integritate virtute Christi & obtentu sacratissimæ virginis repentè cunctis stupentibus & gratias Deo clamantibus est muneratus.

Plura deinde & usque in præsens tempus pæne quotidie cum fide petentium ibidem Domino Christo operante exhibentur solatia, tum corporum, tum (quod præstantissimum est) animarum: ubi conscientia uniuscujusque supplicantis satis persentit, quantam inde efficaciam precum suarum reportet; & nisi diffidentia sola retundat, verè Christi certus, fatebor, nullius illic suspiria, nullius gemitus, vel lacrymas pleno corde profusas, quæcumque illa fuerit necessitas vel angustia, inde aliquando vacuo fructu reversas.

An. Chr. dccc xxxiii. Martii xvii.

HISTORIA TRANSLATIONIS S. BALTHILDIS REGINÆ, DEIN MONACHÆ KALENSIS,

ab Auctore anonymo fere æquali scripta.

Ex duobus codd. mss. Corbeiensibus & Bollando.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. Itam *sanctæ* Balthildis *seu* Baltechildis *exhibuimus in Sæculo nostro secundo ad annum* dclxxx, *rejectâ hoc in tempus historiâ translationis seu elevationis, quando ejus corpus tumulo elatum est. Historiam hanc cum aliquot lacunis edidit Iohannes Bollandus in tomo 2 Ianuarii; eamdem hic integram recudo, exactam ad duos codices mss. Corbeiensis Monasterii, quorum unus annos septingentos superare videtur. Hinc colligo Auctorem anonymum, qui rei gesta narrationem litteris mandavit, eodem fere tempore vixisse, quo facta translatio est.*

a. An

2. *An primùm à tempore facta elevationis cœperit frequentari sanctæ Balthildis cultus, meritò dubitari potest. Bertilana seu Bertila, prima Kalensis Parthenonis Abbatissa, mortua Balthilde*, commendavit sanctis Sacerdotibus, & per plures ecclesias, ut esset *ejus* memoria sancta in sacris oblationibus facienda. quod nunc usque, *ait scriptor Vitæ feré æqualis*, per loca multa merito ejus assiduè celebratur. *Ex quo discimus, oblationes & precationes pro felici ejus anima statim in re sacra factas tunc temporis fuisse. Adalhardus, Corbeiensis Abbas sanctus, septimo anno ante factam sanctæ Balthildis corporis elevationem mortuus, in capite 2 Statutorum numerat* dies tredecim. *in quibus*, propter amorem Dei & horum sanctorum dierum. *Monachis liberaliorem annonam concedit. quos inter dies*, Missa, *id est festum*, Domnæ Balthildæ *censetur quod argumento est, sanctæ Balthildis festum diem ante præsentem elevationem in honore apud Corbeienses fuisse. Certè ejus tumulum à Fidelibus frequentatum, & multis miraculis illustratum statim à tempore ejus obitus fuisse docet nos Vita Scriptor gravis & perantiquus, qui famulum quemdam Leudegangi Episcopi, à domino suo ex partibus Provinciæ istuc deductum, dæmonis infestatione liberatum fuisse commemorat. Idem accidit nuper, videlicet anno* M DC XXXI *die 13 mensis Iulii, in sex ejusdem Cœnobii Sanctimoniales, quæ per annos tres à malo genio atrociter exagitatæ, dein sacrarum beatæ Balthildis reliquiarum contactu repentè in meliorem statum restitutæ sunt. Cujus rei commemoratio ab illustrissimo Iohanne Francisco Gondio, tum Parisiensi Archiepiscopo, indicta est, quotannis in ecclesiastico ejus Monasterii officio celebranda, prout hactenus agitur. In Litaniis, quas Caroli Calvi Libellus precum editus exhibet, sancta Balthildis memoratur: & in ms. Corbeiensi Chronico, quod Iacobus Baro ejus loci Monachus superiori sæculo composuit, legitur*, historiam beatæ Bathildis Reginæ, cum prosa ipsius ad majorem Missam, cantari *cœptam esse sub finem sæculi* XII *cum antea commune de eadem sancta Regina officium in Corbeiensi ecclesia usurpatum, fuisset.*

3. *Qualis fuerit Kalensis Monasterii status sub Bertila prima loci Abbatissa, discimus tum ex Vita sanctæ Balthildis jam laudata, tum ex Actis sanctæ Bertilæ editis in Sæculi tertii parte 1. ubi etiam actum est de sancta Mildreda virgine Anglicana, quæ Kalæ primæ vitæ monasticæ rudimenta hausit, & quidem sub* WILCOMA *Abbatissa, si Vuillelmo Thorno credimus. tametsi in vulgatis indicibus Abbatissarum Kalensium nulla hoc nomine reperitur. Carolus Magnus Tassilonis Bajoariæ Ducis, quem à dignitate ob læsæ majestatis crimen removerat, filias duas in Monasteria retrusit, unam in Laudunense, aliam in Kalense, ut in Annalibus Petavianis legimus apud Chesnium in Historia Francorum tomo 2. quod anno* DCC LXXXVIII *contigit. Idem Carolus jam Imperator anno* DCCC IV, *dimisso apud Suessiones Leone Papa*, ad colloquium germanæ suæ GISLÆ, quæ in his diebus ægrotabat, ad Calam Monasterium pervenit, *ex Annalibus Mettensibus. Ex quo intelligimus, Gislam Caroli Magni sororem, Kalensis Monasterii Sanctimonialem fuisse, nec aliam procul dubio, quàm quæ in vulgatis Abbatissarum indicibus* ÆGIDIA *corruptè vocatur. Conjecturam meam firmat id, quod in sequenti historia legitur de* GISLA *Abbatissa, quæ basilicam beatæ Mariæ condidisse memoratur. Et tamen Gisla, Caroli Magni soror, Suessionici sanctæ Mariæ Parthenonis Abbatissa fuisse dicitur. An alteri post alterum Cœnobio præfuit? an verò utrique simul? sanè posterius vix crediderim. Distinguenda est Gisla hæc à Caroli Magni filia æquivoca, quam unà cum Rictrude sorore sua Sanctimonialem vixisse in Monasterio Parisiaca urbi vicino, constat ex communi utriusque epistola, qua Alcuinum ad scribendos in Iohannem commentarios hortantur. Kalensis, an Argentoilensis Cœnobii Sanctimoniales fuerint, mihi non liquet. Ludovicus Caroli Calvi filius, cognomento Balbus*, sanctimonialem quamdam (sicuti à majoribus accepimus, *inquit Aimoinus in lib. 1 de miraculis sancti Benedicti cap. 1*. Kalæ Monasterio puellarum abstractam conjugio *sibi* copulavit. *Hujus Sanctimonialis instinctu Monasterii diplomata & instrumenta in ignem conjecta tradunt. Carolus, cognomento Simplex, Ludovici prædicti filius, eamdem Abbatiam, quæ Rothildi amitæ suæ concessa fuerat, Haganoni Comiti donavit, teste Frodoardo in Chronico ad annum* DCCCC XII. *Anno* M VIII *pro Concilium restituenda Ordinis monastici regularis disciplina habitum est* in Kalæ palatio, *cujus palatii rudera exstant etiamnum. Sæculo* XII *in Kalensi Parthenone aliquamdiu vixit pia Sanctimonialis* ELIZABETH, *quæ solitariæ vitæ desiderio secessit in pagum Vuastinensem, ubi Monasterio ædificato sanctè vixit, obiitque, ut suo loco dicendum.*

An. Chr. DCCC XXXIII Martii XVII.

S. Balthildis cultus.

Kalensis Monasterii status.

4. *Iam exhibenda est translationis historia, quæ in mss. codicibus præfert hunc titulum*. INCIPIT TRANSLATIO CORPORIS BEATISSIMÆ BALTECHILDIS, QUÆ FUIT FACTA ANNO AB INCARNATIONE DOMINI DCCC XXXIII, ET CELEBRATUR XVI KAL. APRILIS.

An. Chr. DCCCXXXIII. Martii XVII.

PROLOGUS AUCTORIS.

1. Um morem inolevisse cernimus per omnem Ecclesiam catholicam, tam de pristinis, quàm etiam de modernis, describere plures actibus * bonorum virorum ac sanctarum Sanctimonialium; censuimus & nos quod ad laudem Dei ac Sanctorum pertinet, Fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ, quibus habile scire est, pandere, qualiter venerabile corpus sanctissimæ Baltechildis à loco, ubi priùs humatum fuerat, ubi nunc decentissimè recolitur, & frequenti inspectione veneratur, cum summa veneratione delatum est.

*l. actus

Caput I. Anno vigesimo imperante cum magna felicitate Hludovico serenissimo Augusto in Regno Francorum, venit Kala Monasterium, ubi venerabilis Abbatissa Hegilwich genitrix [a] Judith Imperatricis magno gregi Sanctimonialium præerat, actusque & conditionem beatissimæ Baltechildis, quia vera erat Dei cultrix & Sanctorum amatrix, magno desiderio inquirere cœpit, sibique reperta recitari jussit. Cujus admirabilem conditionem sanctamque vitæ conversationem miratus, tactus ilico Dei ac sanctæ Baltechildis amore, prædictæ Hegilwich Abbatissæ, quæ tunc octavo anno ipsum sanctum locum sub regimine sancto gubernabat, suadendo præcepit, ut sanctum & venerabile corpus beatissimæ Baltechildis, à loco ubi jacebat, in sanctam Ecclesiam Dei genitricis Mariæ, quo multitudo sacrarum virginum die noctuque laudes Deo personabant, transferret: quatenus ejusdem intemeratæ semper Virginis partem laudis haberet, quam dum vixerat, summo devotionis studio & omni admiratione dilexerat. His ergo freta jussis sacratissima Abbatissa, prout citius opportunitas temporis accessit, quod ipsa jam mente conceperat, desideriis operam dedit.

II. Igitur quarto Kalendas Martii, quæ tunc æquè in quarta feria evenerat, jam dicta venerabilis Hegilwich Abbatissa perfusa gratiâ Dei ejúsque adjutorio, accersivit Cleri Dei Sacerdotes sanctasque virgines & pudicas viduas; & quod votis conceperat, quódque ei à domno Imperatore jussum fuerat, omne enarravit. Illi itaque alacres unanimiter effecti, Deo gratias egerunt, sanctamque Matrem exhortati sunt, ut nullam moram ageret: sed freta Dei clementiâ, ac sanctæ Baltechildis auxilio, citius perficere satageret quod facere desiderabat. Venientes autem in hac devotione simul in ecclesiam [b] sanctæ Crucis, quam ipsa sancta Baltechildis, sicut & omnem locum, à fundamento construxerat, & ubi sanctum ejus corpus humatum jacebat; Missarum sollemnia cum supplicatione salutari celebraverunt. in quibus supplicationibus ipsa sacratissima Hegilwich Abbatissa omnem Clerum tam virorum, quàm & feminarum admonuit, ut totis viribus Dei pietatem & clementiam exorarent, quatinus eis largiri dignaretur sanctum corpus suæ fidelissimæ effodere, & manibus propriis contingere, & de ipso loco ad alium honorabiliter transferre.

III. Transacta autem Missarum sanctarum sollemnitate, cum psalmis & le-

a Fuerat ergo conjux Vvelfi Bajoariæ Ducis, qui Judithæ Imperatricis pater erat, forsan mortuus ante annum DCCCXXV, quo Hegilvvich Kalensi Monasterio præesse cœpit. siquidem octavo anno ejus regiminis, ut inferiùs legitur, hæc translatio facta est. Hæc mihi videtur esse Helvidis Abbatissa, cujus mentio fit in fastis Corbeiensibus, his verbis: XIII Kal. Martii commemoratio Helvidis Abbatissæ Calensis Cœnobii.

b Ecclesia hæc subsistit hactenus, duo habens altaria uno pariete separata, prius um pro Monachis Sanctimonialium Confessariis, alterum parœciale pro Monasterii Officiariis & domesticis. Sanctæ Balthildis lapideus loculus, in quo primùm sepulta est, visitur in crypta, quæ est in medio ecclesiæ, de qua legendus Interpolator in fine Vitæ sanctæ Balthildis.

taniis ingentibus ad tumulum sanctæ adproperant Matris: ibique iterum in orationem se cum omnibus prostravit, Deumque qui exauditor est omnium justa petentium, deprecata est, ut ipse dignam ad opus desideratum peragendum eam faceret, & ad movendum sanctum corpus gratiam suæ visitationis præberet. Et fulta Dei clementia, qui præstò est omnibus in se credentibus in veritate & in nullo hæsitantibus, sanctos Sacerdotes evocat, ac tumulum ubi sancta Dei electa Baltechildis jacebat, effodere jubet. At illi, ut dignum erat, cum ingenti pavore ad tumulum accesserunt, & cum contritione magna cordis fodere cœperunt. Cúmque rastris humum à fossa ejicerent, sarcophagum, ubi beata Baltechildis jacebat, repererunt: & circumcirca fodientes, ipsum super solum terræ posuerunt. Cum ingenti autem reverentia & pavore, psallentes Deo, sarcophagum aperientes, ipsum sanctum corpus ita post multa annorum curricula sanum & incolume repererunt, quasi ipsa die sepulturæ traditum fuisset. Et gratias agens sacratissima Abbatissa Deo, cum omnibus sanctis Sacerdotibus ac Sanctimonialibus permisit, omnes, quotquot voluerunt, desiderabilem thesaurum intueri, & cum summa reverentia adorare. Adorato ergo sancto corpore, extensis manibus ad cælum, & præ nimio gaudio pectora percutientes, redibant ad propria, laudantes & glorificantes Deum, qui præmia quæ justis in cælestibus præbet, quantum meriti sunt, mortalibus in ostentatione signorum manifestare dignatur in terris. AN. CHR. DCCC XXXIII. MARTII XVII.

In laudibus igitur vigiliarum & psalmodiis persistentibus in ecclesia diu noctúque ante sanctum corpus viris ac Sanctimonialibus, visum est venerabili Hegilwich Abbatissæ hæc Episcopo [a] Parisiacæ urbis enuntiare, quatinus ipse veniens præsentiam suam his lætus intermisceret, & cum exsultationibus gaudiorum corpus venerandum per semetipsum in aliam ecclesiam transmutaret. Dum autem Episcopi adventus tardaretur, & sanctum corpus, ut effossum fuerat, super terram condignè frequentaretur; dignata est divina clementia omnibus qui aderant, patefacere, quantum habeat meritum beata Baltechildis inter agmina Sanctorum, quam custodivit ipsa Divinitas inter mundi ærumnas & turbines ac flagitia vitiorum, & collocavit inter cives cælestes in sede spirituum supernorum. IV.

Erat siquidem Sanctimonialis quædam in eodem Cœnobio ab infantia Deo militans, quæ & antiquata erat corpore, & ægritudine nimia prægravata, ita ut officio privata membrorum, aliorum sustentaculis & manibus portaretur famulorum. Hæc ergo allata supplemento Sororum ad ecclesiam, ubi sancta jacebat Baltechildis, in orationem se projecit, diu multumque ibi lacrymabiliter oravit. Expleta verò oratione, ilico a terra incolumis surrexit: & quæ antea alienis manibus vehebatur, reparata sanitate suis jam gressibus revertebatur. V.

Debilis etiam quidam Baldramnus, qui ita erat contractione membrorum curvatus, ut calcanea natibus jungerentur; jussit se ante corpus sanctæ Baltechildis deferri, si quo modo divina pietas per intercessionem sanctæ suæ famulæ, sanitatem gressuum quam numquam habuerat, ei largiri dignaretur. Et quia audierat dictum, quæ petieris puro corde, & non hæsitaveris, continuò consequêris; deprecatus est puriter, & consecutus est celeriter. Extendebantur autem rigores inveterati nervorum, recipiebant venæ cursum denegatum sanguinis, & dabantur officia extenuatis membris. Mirum erat, genua quibus pro pedibus antea VI.

[a] Erkanrado scilicet, ejus nominis primo, de quo infrà, sub quo habitum est anno DCCC XXIX Parisiense Concilium.

An. Chr. DCCCXXXIII. Martii XVII utebatur, intueri, & adminiculo baculi illo stante vacillari. Reddito ergo & firmato gressuum officio, lætus glorificans Deum ac sanctam Baltechildem rediit ad præstitum domunculum. Ecce meritum tuum, beata Mater, quæ in terris posita pauperes sustentasti & aluisti; nunc in cælo cum Christo regnans sanitatem infirmis restituis. tunc cibis alebas, nunc membra reconsolidas. Lætabantur ergo in sanctis omnes qui aderant miraculis, & per contigua loca absentibus hæc promulgabant. In talibus ergo jocundationibus decem & septem dies cursum expleverunt.

VII. Nuntiantur autem hæc sacra miracula Ludovico serenissimo Augusto, & in palatio tam Principibus, quàm & omnibus Imperatori militantibus divulgabantur. Exsultat Cæsar, jocundantur Principes, lætantur omnes, & in honore tantæ Matris laudes attollunt. Cupiens verò sanctæ ac beatissimæ Baltechildis gratiam promereri, atque ejus auxiliis adjuvari; villam *Colon* cum omni integritate, sitam in pago Meldico, eidem in translatione sanctissimi ejus corporis contulit: quatinus de collatione ejus terrena famulantes in eodem Cœnobio subsiduum haberent, & pro statu Imperii ejus ac pace, & conjugis ac filiorum ejus sanitate Regem cælestem exorarent. Octavo-decimo autem die, postquam corpus venerandum à terra effossum fuerat, secundùm postulationem sacratissimæ Abbatissæ Hegilvvich, evocatus sacer Episcopus Erkanradus, qui tunc sedem Parisiacæ urbis regebat, cum caterva Clericorum venit. Non enim antea locus veniendi fuit. Et ab eadem sacrata Deo Abbatissa honorificè susceptus, causam accersionis licèt piam audisset, amicabiliter requisivit. Vidensque sanctissimum corpus ut positum fuerat integrum, & cernens in duorum sanitate restituta divinum miraculum; exhilaratur corde, exhilaratur & animo: gratias egit omnipotenti Domino, qui præstat intueri humanis visibus, quantum meritum habeant in cælestibus, qui eum puro & mundo corde dilexerunt semper, ejusque vestigiis inhærentes fideliter amaverunt.

VIII. Cum omni igitur Clericorum ordine & sacrarum virginum condenso munimine, post celebrationem Missarum sanctarum veniens prædictus Pontifex ante sanctum corpus, in orationem se cum omnibus dedit, cunctisque suggessit, ut qui hominem ad imaginem suam protoplasmaverat, Deum exorarent, quatinus auxiliator eis adesset, sanctumque corpus suæ fidelissimæ exinde transferre concederet. Peracta itaque oratione, mox venerabile corpus contingunt, & cum divinis laudibus in ecclesiam genitricis Dei ac Domini nostri Jesu-Christi, semperque virginis sanctæ Mariæ, quam domina Gisla [a] à fundamentis struxerat, detulerunt, ac retro altare medianum condignè posuerunt, fiuntque ibi meritis beatæ Baltechildis divina quotidie miracula, & declarantur continuò beata ejus merita. Ibi cæci recipiunt visum, surdi auditum, claudi gressum; infirmitatibus & variis febribus laborantes, sanitatem. Ibi dæmoniaci curantur, & (ut ita dicam) per intercessionem beatissimæ Baltechildis, omnes quotquot devotè pro necessitate qualibet eam deprecati fuerint, celerem consequuntur effectum.


IX. Pontifice præterea urbis Parisiacæ ad propria remeante cum lætitia & exsultatione, contulit secum venerabilis Abbatissa, ne vacuus relinqueretur locus, ubi sanctum Baltechildis positum fuerat corpus. Divina verò gratia admoinistrante consilium duxit dignum, ut quia mater exiode sublata fuerat, filia ejus, quæ septimo ætatis suæ anno, nomine Ra-

[a] De hac Gisla dictum est superiùs in prævia observatione 3

DEGUNDIS[a], ab hoc sæculo migraverat, collocari deberet. Pro hac siquidem, sicut in ejus Vita sancta repetimus, ante horam obitus sui Deum postulavit, ut eam in morte præcederet. Prævidebat enim in spiritu mala mundi: & ideo orabat, ne retibus ejus illaquearetur, sed sicut animam in tantillo corpusculo donaverat mundam, ita absque labe peccati reciperet putam, ac inter agmina sanctarum virginum collocaret sine fine mansuram. Meritò autem laudanda in his venerabilis Abbatissa Hegilvvich, & digno honore ab omnibus hæc legentibus habenda est, cui divina clementia in eorde administravit, ne diutiùs margaritam in terra absconsam opertam relinqueret; sed erutam à solo omnibus ostenderet, talique in loco, sicut cernitur, collocaret, ubi laus ejus in sæculum sæculi permaneret. Celebratur autem translationis sanctæ ac venerabilis Baltechildis dies sexto[b] die Kalendarum Aprilium, quæ despecto diabolo & pompis ejus: vinxit se Christo & Sanctis ejus: & ideò regnat cum Deo Patre & Filio ac Spiritu-sancto in Trinitate perfecta & unitate in cælis, quem tota devotione dilexit in terris. Amen. AN. CHR. DCCC XXXIII. MARTII XVII.

[a] De hac infantula tacito nomine agitur in Vita sancta Balthildis. Pusiolæ istius reliquias adservant Kalenses Sanctimoniales, quæ mutato nomine eam minorem Balthildem vocant, hac fortasse ratione, quòd cùm sanctæ Balthildis filiola fuerit, ipsi idem nomen imposuere, aut imposituam credidere.

[b] Lege *sexto-decimo*, uti legitur in titulo Historiæ præfixo. Quo die etiam nunc in Monasteriis Corbeïensi & Kalensi sanctæ Balthildis Translatio celebratur.



EPITAPHIUM ARSENII,

SEU

VITA VENERABILIS VVALÆ

ABBATIS CORBEIENSIS IN GALLIA,

A PASCHASIO RADBERTO duobus libris scripta dialogico modo.

AN. CHR. DCCC XXXV. AUG. XXXI.

Ex pervetusto codice mſ. Monasterii S. Martini de Campis.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1.  UREUM *hoc opus de gestis* WALÆ *Abbatis, quem alii* Walonem, *Walachumve appellant, feliciter inveni in mſ. codice Parisiacensis Monasterii sancti Martini de Campis, qui codex antea fuit Bibliotheca sancti Arnulfi apud Crispiacum. Scriptura forma facilè persuadet codicem membraneum exaratum esse ætate Paschasii Radberti: cujus fuisse autographum, aut certè primarium exemplum manu ipsius recognitum correctumque, inde conjectabar, quòd initio corrector apposuit,* Legi, *nec aliud exemplum superest in Bibliotheca Corbeïensi. Inscribitur hoc opus* EPITAPHIUM ARSENII. *quo viso titulo, & decurso avidè codice mſ. existimabam in eo agi de Adalhardo Abbate, quem* ARSENIUM *dictum aliquando fuisse viri docti colligebant ex libro Paschasii Radberti de corpore & sanguine Domini. Verùm toto hoc epitaphio diligentiùs perlecto, animadverti Arsenium esse Vualam, Adalhardi fratrem, atque in Corbeïensi regimine successorem; & Adalhardum hic* ANTONIUM *appellari, uti appellatum fuisse tradit Paschasius in ipsius Vita. Et tamen Arsenii nomen Adalhardo aptatum vetori errore fuisse intelligo ex Corbeïensi libro mſ Paschasii de corpore & sanguine Domini, in quo post ea verba quæ initio editorum ita jacent,* Novit igitur, nec ambigo, tua experimento disciplinarum sollertia, quòd ARSENIUS noster, quem nostra nunc no sæcula HIEREMIAM alterum tulerunt ab illo, in fidei te mihi commiserit ratione. Propter quod à primævo indefessus curavi te rapere de in- Opus ubi repertum. quis Arsenius.

AN. CHR. DCCC XXXV. AUG. XXXI.

ter undas. Sed fateor . . . . non in vanum cucurrisse. *Post eu, inquam, verba hæc sequuntur in mſ. codice Corbeiensi*: Præfatus autem Pater, scilicet ADELARDUS, uti justitiæ faventibus moris est, exsilium fert pro fide, illo ut utar Comici, quia plenus rimarum veritatem sciens silere noluit. Unde adhuc suspecti sumus, quid Dei dispensatio ex eo ulteriùs velit, quem jam inspicimus promissionibus meritorum hinc inde divinitus agitari. Tu tamen non es secutus juvenilia, *& cetera ut in editis. quod additamentum ut Paschasii sit, certè illa verba*, scilicet Adelardus, *inserta sunt à quopiam interpolatore, qui hîc de exsilio Adalhardi agi opinatus est: cùm sermo sit de exsilio Vvala Abbatis, quem Paschasius his in libris perpetuò* Arsenium & Hieremiam *vocat.*

Historia hæc cur ænigmatica.

2. Constat ergo hoc opus esse de gestis Vvala Abbatis, cujus historiam cùm scriberet Paschasius eo tempore, quo Vvala æmuli & adversarii in vivis supererant, homines potentes; visum est illi totam historiam fictitiis nominibus adumbrare, ne res æmulorum invidiam provocaret. Et certè cùm Vita hæc duobus libris constet, & in primo quidem de Vvala rebus gestis ante Ludovici Pii exauctorationem, in secundo verò de ipsa exauctoratione agatur; lubrica res erat id argumenti pertractare sive Ludovico Pio vivente, cujus principatu scriptus est primus liber; seu regnante Carolo Calvo ipsius Ludovici filio, quo regnante conditus est secundus. Hinc est quod Paschasius fictitiis nominibus ubique utitur, ut imperitis ænigma potius, quàm historiam exhibere videatur.

Clavis historiæ.

3. Quapropter in gratiam eorum, qui in historicis rebus minus versati sunt, hic appono clavim historia, explicando propria nomina, quibus totius rei arcana reteguntur. Vvala nomen ARSENIUS. *Adalhardo* ANTONIUS. *Ludovico Pio* JUSTINIANUS. *Iudithæ Augustæ Ludovici uxori* JUSTINA. *Lothario Augusto ipsius Ludovici filio* HONORIUS; *Ludovico alteri filio, Bajoariæ Regi* GRATIANUS. *Peppino itidem filio & Aquitaniæ Regi* MELANIUS. *Bernardo Septimaniæ Duci & Camerario palatii* NASO *&* AMISARIUS. *Est & alius* PHASUR *dictus in lib. 2 cap. 18 sed quis sit iste, divinare non potui. an fortè Ruadbernus seu Rodbernus, qui Iuditham ex Italia reduxit, ob id carmine laudatus à Vvalafrido Strabo, is qui postea Caroli Calvi* Cubicularius *fuit, ex Andradi revelatione.*

Historia hæc quando scripta.

4. Hujus historiæ liber primus à Paschasio editus est statim à morte Vvala Abbatis ante annum DCCC XL, *id est, superstite Ludovico Augusto: secundus verò post abdicatum à Paschasio regimen Corbeiensis Monasterii, quod anno* DCCC LI *contigisse inferius in ipsius Elogio demonstrabo. Quia enim liber posterior totus est in exponendis turbis, quæ in duplici Ludovici Augusti vexatione acciderunt; his scribendis supersedere visum est Paschasio, ne lubrica & invidiosa res alterutrius partis fautores exasperaret.*

Paschasius auctor.

5. Hujus porro lucubrationis auctorem esse Paschasium Radbertum, qui unus ex interlocutoribus est, diffitebitur nemo, qui eam legerit; leget autem nemo, qui non multum profecerit sive eximiis virtutum exemplis, sive res historica singularibus factis, quæ plurima hîc referuntur. adeo ut vix ulla, meo quidem judicio, historia sit de gestis Sanctorum, in qua plura scitu digna referantur. Nescio an hoc opus viderat Iacobus Buro Chronographus ac Monachus Corbeiensis, qui superiori sæculo scribere desiit. Nam de Vvallone agens ait, cujus Vitam composuit beatus Ratbertus Paschasius cum vita beati Adalardi Abbatis. *Multa peccat iste Chronographus in rebus antiquis, in recentioribus probabilior. Hæc de Vvala historia fusius præfari necesse fuit, tum ad illustrandam lucubrationem hactenus ignotam, tum ad commendandam gratiam R. P. Prioris Monasterii sancti Martini de Campis, qui codicem optimæ notæ mihi utendum humanissimè concessit.*

Vvala vindicatus à calumniis.

6 Paschasius in secundo libro totus est in vindicando Vvala Abbate à calumniis adversariorum, qui eum violatæ fidei in Ludovicum Augustum accusabant. Tria fere erant accusationum capita. Primum, quòd Monachus se civilibus reipublicæ negotiis implicarit. alterum, quòd Ludovico Augusto fuisset auctor repudiandæ Iudithæ Augustæ. tertium, quòd exauctorationis ipsius Ludovici particeps fuisset. Prima objecti ons respondet Paschasius in lib. 2 cap. 15. Vvalam nempe ejus fuisse dignitatis & auctoritatis in palatio, ut cùm ante Monachatum inter primores palatii fuisset; postea Monachus & Abbas factus, Consiliarius totius Imperii *constitutus sit ab Imperatore, qui antea ipsum Lotharii filii sui pedagogum esse jusserat ex lib. 1 cap. 25. Sanè quanta auctoritatis fuerit, docent nos illius temporis monumenta, in primis Agobardi Lugdunensis Episcopi consultatio & supplicatio ad Proceres palatii de baptismo Iudæorum mancipiorum*, beatissimis Dominis & dominis, & Patribus sanctis Adalardo, WALÆ, & Helisacharo *inscriptus; ejusdemque epistola contra præceptum impium de baptismo Iudaicorum mancipiorum*, Dominis sanctissimis, beatissimis viris illustribus, Hilduino sacri palatii Antistiti, & WALÆ Abbati *directa, quos* præcipuos & pæne solos in via Dei adjutores Christianissimi Imperatoris *esse dicit*: & propterea in palatio esse unum semper, *scilicet Hilduinum*; & alterum frequenter, *nempe Vvalam*: ut in operibus pietatis prudentissimis *suis* sugge-

stionibus *Imperatori* exhortatores & adjutores *essent. Ut verò ejusmodi negotiis adhiberetur Vvala, faciebat in primis voluntas Ludovici Augusti, cujus ipse consanguineus erat. Secunda accusationi facit satis in lib. 2 cap. 8 & sequentibus. Tertiæ c. p. 18 & aliis, ubi probat Vvalam ex utilitatione Ludovici semper restitisse; ac denique, ubi nihil se proficere intellexit, à factis se secessisse in Italiam. Sed quia difficile est in ejusmodi turbis ita modum tenere, ut ne aliquid peccetur, aut saltem adversæ partis non provocare animos; anno* DCCC XXXV *nobilium Francorum conventus Aquisgrani ab Imperatore Ludovico indictus est, ut in ipsius Vita legitur,* quatenus reconciliationis mutuæ inter se & illum ratio investigaretur. Causâ autem prædictâ ventilatâ, atque ad calcem perductâ, Imperator cum conjuge reconciliari voluit primùm ipsi Walæ, dimissis quæcumque in eos commiserat delictis multa alacritate & benignitate cordis; mandavitque per eum & ceteros filio (Lothario) Missos, ut quantocius veniret. quod si faceret, consultissimè sibi futurum sciret. Qui redierunt, & filio rem retulerunt. Sed ne mandatum Imperatoris ad effectum perduceretur, morbus febrisque intercessit. Et Walam quidem rebus humanis abduxit: Lotharium verò lectulo dejiciens, maximo tempore languere fecit. *Hujus concordiæ cum Vvala factæ per Imperatorem Paschasius non meminit, qui tamen plerisque Vvalæ gestis præsens interfuit.* An. Chr. DCCC XXXV. Aug. XXXI.

7. *De morte Vvalæ iterum agit idem Auctor Vitæ Ludovici ad prædictum annum.* Ea tempestate quanta lues mortalis populum, qui Lotharium secutus est, invaserit, miserabile est dictu. In brevi enim, id est à Kalendis Septembris usque ad Missam S. Martini, hi primores ejus vitâ excesserunt: Jesse olim Ambianensis Episcopus, Helias Trecassinæ urbis Episcopus, Wala Corbeïensis Monasterii Abbas, &c. *Hinc constat Vvalam humanis rebus excessisse anno* DCCC XXXV. *at quo die, non memorat Paschasius. In vetustissimo indice Abbatum Monasterii Corbeïensis ab annis fere septingentis ordinato,* Wala Abbas II Id. Septembris *obiisse dicitur, & apud Chronographum Corbeiensem superiùs laudatum*, duodecima die Septembris. *quod in idem recidit. Et tamen in indice Pastuum ejusdem Monasterii, qui sæculo nono itidem scriptus est, de Vvala hæc habentur:* Prid. Kal. Septemb. obiit Wala Abbas: de Busco debet fieri ejus memoria. *Et ne quis putet mendum irrepsisse in hunc locum, subjicitur obitus Isaaci Abbatis* v Idus ejusdem mensis. *Obiit ergo Vvala ante hunc diem: ac proinde corrigendus videtur catalogus Abbatum, qui in eodem codice ms. reperitur; corrigendus etiam Chronographus, qui prædicto catalogo deceptus est. Nec refert quòd in Vita Ludovici Pii Vvala dicitur cum aliis obiisse* à Kalendis Septembris. *nam id de pronuntiatione Kalendarum, quæ fit à die 14 Augusti, rectè explicari potest. quo modo Kalendas Octobris usurpavit sanctus Benedictus in Regula cap. 48, ex notatione Menardi nostri in Concordia cap. 58. De Vvalæ sanctitate cælitus approbata quædam indicia refert Paschasius in fine libri secundi, quæ non ejusmodi sunt, ut ex his eum absolutè* Sanctum *aut* Beatum *dixerint Veteres, nequidem Paschasius ipse, aut Bobienses Monachi, apud quos sepultus est. Quapropter Venerabilem appellare satius duxi. In præcitato libro Pastuum præcipitur, ut in die obitus Vvalæ procuratio Fratribus fiat de Busco, Bus, quæ Præpositura est Exemtionis Corbeiensis prope Montem-Desiderii.* Vvalæ annus & dies obitus.

8. *In fine hîc moneo, librum hujus Vitæ secundum longè præcellere primo, in quo Paschasius dialogos aliquando inutiles interserere videtur.*

LIBER PRIMUS.

Interlocutores PASCASIUS, ADEODATUS, SEVERUS, CHREMES, ALLABIGUS, Monachi Corbeïenses.

PASCASIUS.

SÆPE mecum, Frater Severe, tacitus multumque admiror, liminio tanti luctus expleto, quid novi acciderit Adeodati * nostri, quòd rursus juxta illud Maronis, re hortante, ut reor, infandos jubet renovare dolores: & rogat ARSENII nostri morum liniamentis imaginem sæculis in memoriam more Zeuxi pingere. Nec satis igitur cogitat, quòd confundor fœdus pictor iconiam tanti viri, suis virtutum floribus gloriosam, litterarum in speculo posteris, ne fœdior appaream, exhibere. Tamen solatii est, licèt pro multis confundat, quòd ejus inlustrior virtutum meritis: etsi harum rerum ini- INTRODUCTIO. * l. Adeodato

An. Chr. DCCCXXXV. Ano. XXXI tium ullum nequeam invenire idoneum. Unde exordiar narrare partim quæ perspexi his oculis, partim quæ accepi auribus, & mente pleniùs intellexi.

Auctor visa & audita hic narrat. SEVERUS. Mirabile quidem quod miraris homo .·.·, si ejus imaginem morum probitate venustam erubescis prodere, cujus imitator esse, & paternos (ut aiunt) vultus refundere debueras: quamvis & ego eisdem discipulatûs gratiâ adstringar votis. præsertim cùm nihil timidius sit, nihilque ignavius, quod doleas non sentire; vel quibus opprimaris miseriis, plangere non audere.

PASCASIUS. Nitar, faciam, experiar quod hortaris, Severe, cùm nemo quod doluerit, qui nesciat deplorare: nemo intet tormenta, qui non audeat ingemiscere. Unde potiùs animam hinc à corpore relinquam, quàm illum amare; & cui expedierit, commendare votis prætermittam.

ADEODATUS. Optimum est de aliquo, corpore cùm abscesserit, quæ virtutis sunt ejus, in animo replicare: ut revirescat in nobis, quod in illo deperisse videbatur. Floridæ enim semper virtutes sunt ad præmium, & virides: nec moriuntur in aliquo, nisi vitio perimantur, etsi perimi qoeant umquam, vel infirmari. Fiducia quippe fidei est & spei solatium, de aliquo quem bene nosti, in Deum obisse præsumere, & debitum caritatis votis prosequi & diligere. Alioquin numquid velut lanugo fumus, quæ à vento tollitur, deputandi? absit. Sed cùm tales

Joh. 11. 26. præcesserint, credere oportet, quòd in illo meliùs adsint, qui ait: *Omnis qui credit in me, non morietur in æternum.* Propter quod non sunt quasi mortui deplorandi, sed quasi patroni precibus commendandi.

PASCASIUS. Omittamus ista, mi frater & fili. Erit enim ut his digni * fit efficiamur donis Spiritus-sancti munus *, qui eum ita vernantibus decoravit virtutum floribus. Sed timeo, ne dum vobis placere procuro, multis offendam. An ignoras, Severe, quod nostræ hunc infelicissimæ vitæ sæcula HIEREMIAM alterum tulerunt ab illo? Audisti namque & ipse quàm sæpe, ut recolo, hunc ARSENIUM fusis lacrimis proclamare: Væ mihi, mater mea, quare genuisti me virum rixæ, virum discordiæ in universa terra? Jubesque super tumulum, quod tempus adduxit, condere luctum, epitaphium scilicet more priorum lacrimis inrorare, & nunc sopitis discordiarum jurgiis excitari vis ex cinere vastitatem incendii. Necne vides, Severe, adhuc in tota terra, quod omnia flammis cupiditatum conflagrantur, & cuncta vorax invidia vastat?

Apoc. 8. SEVERUS. Video planè, quoniam juxta illud Apocalypsis, *Mons magnus* coram oculis *ardens missus est in mare* hujus maligni sæculi nostris crescentibus culpis; & *stella de cælo magna ardens, tamquam facula*, discurrit, & redigit mentes singulorum in favillam. Contra quos Arsenius iste pacem Christi ferens, maluit flammas ejus exstinguere: sed vicit peccatis exigentibus amaritudo absinthii dulcedinem tanti viri hinc inde, ne contra improbas plebium voluntates prævaleret.

PASCASIUS. Nihil, ut sentio, hercule de hujus ambigis conscientia: sed tuis ad me reductus verbis referam, quid priùs quàm hæc agerentur, per visum vidi. Videbam enim eminus quasi montem de materie lignorum congestum pæne usque ad nubes ignibus succensum: ante quem nescio quis staturâ procerus, si quo modo magis magisque cremarentur, omnia jam exusta virgâ decutere moliebatur. cujus incendii finem dinoscere nequivi. Hæc æstimo, talia præsignabant.

SEVERUS. Ut video, threnos edere noster Adeodatus petiit: è contra tu risum excitare velis. Alioquin nisi dormisses, ea quæ dixi & cernis

An. Chr. DCCC XXXV. Aug. XXXI.

nis ipse minimè dubiis & somniorum fantasiis approbasses. Nunc autem velim expergiscaris, & quæ petimus insistas.

ADEODATUS. Uteris frequenter, Severe, Crisippi acumine, & jocosè * etiam eximios eloquii tui refellis mucrone. Quæso ne juxta tui præsagium nominis severiùs agas. quin immo nobiscum age, ut imaginem patris stilo formemus modesto.

* f. jocos

Vvala Sanctis comparatus.

SEVERUS. Placet quod mones. Sed hujus non unius ex vultu plenè formabitur, reor, morum imago, qui gessit suis in actibus multorum inlustrium probitatem. Videbatur namque mihi quàm sæpe conspersionem morum habere prioris ARSENII; nunc verò personam gerere Patris BENEDICTI; interdum autem, ut prælibatum est, officio HIEREMIÆ fronte adamantino * acriùs insistens fungebatur, cùm esset mansuetus spiritu & virorum mitissimus.

* fr

PASCASIUS. Satis utique ostendis In animo tibi, dum superesset, illum pietatis calamo depinxisse, quæ ad omnia utilis est, juxta Apostolum. Verùm tamen si velim ista prosequere *, nullus vix aut rarus qui credat.

* l. prosequi

ADEODATUS. Quis umquam ab historico juratores exegit? tamen si necesse fuerit, sunt plures quàm probi viri, qui tuis assertionibus juramenti dextras dabunt: quo satis indignum est subterfugere veritatis amico, & de veritate aliquid petentibus timidè reticere.

PASCASIUS. Nonne legisti quòd inefficacem * petat studium res quæ caret effectu? quotiens ergo veritas sit calcata, istisque de sedibus pulsa, pleniùs nosti. Ideo si probavero nullum amplius nostro in tempore Patris BENEDICTI formam gessisse, etsi sol iste qui cuncta respicit fuerit adtestatus, rarus est, qui audiat, licèt veritas tuta maneat.

* l. inefficax

ADEODATUS Non credo quòd careat res effectu, si dilectionis pietatisque fert affectum. Unde absurdum non est, etiam invidi si surdi fiant, paulisper relaxare amoris affectum, qui lacrimis bene pascitur, fletibus delinitur, obtutu In eum quem diligis, revirescens defigitur, & tanti Patris tumulum saltim lamenti floribus inrorari.

PASCASIUS. Verum inquis, & religiosè satis hortaris, sanctam Dei hostiam Deoque placentem cum lacrimis ad cæli palatium prosequi: non quia talem eum habuimus, sed quia talem amisimus, & cum illo delictis prægravati necdum comitari quivimus? Sed si proverbium illud antiquius verum esset, quòd sola miseria invidiâ caret; tum eum liberè votis prosequeremur. Nunc autem novi in nostris lacrimarum miseriis multam quorumdam invidiam non defore, exsertisque brachiis objurgare, maximè si adverterint, fabula de quo texitur.

SEVERUS. Hoc est quod suprà notavi. videris mihi quasi litargo * pati. Nonne dixisti morum imaginem te picturum, & quasi rei gestam * historiam texere. nunc autem nobis fabulam adportas.

* l. lethargum

* l. gestæ

ADEODATUS. Mirum, Severe, quòd tam assuetis uteris semper verborum acrimoniis. Nam mihi videtur fabulam dixisse, non tibi, sed illis quibus totum fabula est & ludus, quod veritate fulcitur. Historiam autem hujus tua in conscientia legis. unde non fabula tibi, sed veritas declaratur.

PASCASIUS. Jure, Adeodate, agis, quem precibus fatigas, tuis si faveas votis. Sed quid ignoti facient, cùm à conscio criminamur? aut non legisti, quid nuper attulit gentilium thema [a], quòd quidam DRUSILLAM in cælum euntem viderit? Fortassis idem vidisse Arsenium habentem iter in cælum narrabit. Quapropter eum interrogate, si vo-

[a] In ms. codice *tems.* quæ sit illa Drusilla, an fictum nomen, ignorare me fateor.

An. Chr. DCCC XXXV. Ang. XXXI.

bismet non creditis, velit nolitve, quæ in cælo aguntur, quia divinis non credimus, forsitan se vidisse monstrabit. quem si interroges, vel soli narrabit; coram pluribus, ut æstimo, numquam verbum facturus. Nam idem ex quo in Senatu juravit eamdem se vidisse cælum adscendere, eique pro tam bono nuntio nemo credidit; quidquid viderit, verbis conceptis firmavit se nulli dicturum, etiamsi in foro hominem vidisset occisum.

ADEODATUS. Sentio quid prætendis paulò timidiùs quàm expediat. Putasne narrare quippiam, quod omnibus æquè placeat, cunctique credant? Quid igitur illo nuntio clarius, quidve felicius, & (quod majus est) quid verius, quòd Christus victor ab inferis cum carne cælos perivit, omnibusque illuc volentibus ire viam præbuit, januas reseravit, peccata remisit, gratiam indulsit, & posse per fidem dedit? Sed quid est quòd quidam non credunt, plures operibus contradicunt, & pauci veniunt? ubi tot coruscant miracula, tot Patriarcharum concurrunt exempla, & Prophetarum quasi digito quod factum est, præconia demonstrant, elementa sentiunt, Angeli obsequuntur & prædicant. De quibus nimirum promissis & gestorum eloquiis testes sunt omnes Apostoli, testes etiam Martyres Christi, testes innumeri Confessores & Virgines, quorum fidei meritis protestantur. Etenim quando tot præconia & testes de tam bono nuntio contemnuntur, non habes quid queraris, cùm plures suæ salutis præconiis non crediderint, & sint qui de illo satis bona sentiant.

Prov. 27. 17. PASCASIUS. Vetum illud Salomonis, quod ferrum ferro acuitur. Sic & tu, mi Frater, sæpius amicos quos diligis exacuis, ut diligendo proficiant. Hinc sequor devotus quocumque duxeris. tamen cave, ut ubi emolumentum deest, salutis causa cesset inquiri.

CAPUT I. ADEODATUS. Quæso conspectionem morum ex quibus interior integer conficitur homo, pandas, quia facie pæne cunctis ac genere notissimus erat; vel quibus sit, sicut Severus meminit, comparandus.

Vvala genere & virtutibus clarus. PASCASIUS. Verum quòd prioris Arsenii à puero ex militia & dignitate gloriam ampliavit. Fuit enim consobrinus maximi Augustorum, eique præ cunctis acceptior, in sermone verax, (ut de illo [a] dicitur, „ cujus apud nos nuper delati cineres, tantis coruscarunt miraculis) in „ judicio justus, providus in consilio, & in commisso fidelissimus. In Se„ natu quidem præ cunctis pollebat ingenio; ut si interrogaretur de quibuslibet rerum negotiis, quidquid melius dici aut inveniri poterat, mox in eodem momento sine ulla dilatione quasi de fonte manabat consilii. Eratque jam in illo tunc temporis virtus summa, multis ex rebus amplificata auctoritas, quem & bonitas ac nobilitas morum generisque commendabat. Inlustrabatur autem sapientiâ, adeo ut & in divinis proficeret, cùm in humanis ceteris præcelleret. Eloquentiam quoque utrarumque linguarum, qua sapientia plerumque juvatur, & copiam dicendi ad persuadendum quæ vellet, modestam nimis habebat. Unde dum hujuscemodi reniteret bonis, ab omnibus amabatur.

Cur virum se rixæ dicebat. ADEODATUS. Velim talis cùm esset, mihi replices, quid sit quòd virum rixæ, virumque discordiæ se progenitum frequenter ingemuerit, præsertim, ut ais, dum ab omnibus amabatur.

PASCASIUS. Fateor quia de religione zelus ei accrevit, & de gra-

[a] Nempe de sancto Sebastiano, de quo hæc verba leguntur in ipsius Actis: *Erat enim vir totius prudentiæ, in sermone verax, in judicio justus, in consilio providus, in commisso fidelis.* Unde quod subdit Paschasius, *cujus apud nos nuper delati cineres,* &c. intelligendum est de ejus translatione in Galliam, id est in Suessionense sancti Medardi Monasterium; qua in urbe Pascasius eductus à puero fuerat.

ria uberior virtus. Necdum enim præsentiarum Reipublicæ detrimenta noverat, quam augmentari gaudebat. Et ideo plus firmissimas nobilium societates, sanctissimasque plebium amicitias studebat, quàm, secundùm Hieremiam, peccata & detrimenta rerum, quæ needum adeo excreverant, deplorare. An ignoras, Adeodate, quòd vir bonus non plus sibi quàm patriæ consulit & civibus? Scipionem quoque nosti, & reliquos ejusdem sæculi viros, qui pro maximis patriæ ac plurimis virtutum beneficiis odia tulerunt, & varia mortis discrimina. An. Chr. DCCC XXXV. Aut. XXXVI.

Adeodatus. Prò dolor! quod innumerosior pars ima petat. utinam inter religiosos nostræ ætatis viros ista non nossem! Nunc is qualiter ad monasticam venerit disciplinam requiro. II. qua occasione Monachus.

Paschasius. Verùm sæculi gloria numquam sine invidia est, nec prosperitas sine discrimine alicujus adversitatis: sed vir probus utrisque partibus uritur ad salutem. Unde Arsenius eùm pulsaretur quorumdam insidiis, videns violentorum impudentiam sedes occupare indebitas; quod priùs in mente Deo voverat, opratum sibi tempus invenit: & quod callidi dissertorum loca tenerent, & infimi notissimos populo atque amicissimos marsa * manu prostrarent. Ergo cùm tales cerneret adversos sapientes potestate potiùs agere, esseque superiores, & vulgi æstimatione dignissimos; præmonuit multa incommoda, multaque naufragia populo provenire. Tum verò, multis contradicentibus, sæculum & mundi inlecebras sine dolore deposuit, quantum ea sine amore tenuerat. qui eùm esset divino amore succensus, relictis omnibus, Cœnobium [a] petiit monasticæ disciplinæ, ne suis, sed Christi legibus, & spiritu ageretur divino. Legerat enim, quòd qui spiritu Dei aguntur, filii Dei sunt. Et ideo certatim non se sibi, sed Christum præferebat in omnibus. Ubi qualiter sit conversatus, Severum interroga: quoniam mihi hactenus dum vestra curavi audire, leviùs tuli quæ tolero. Nunc autem mox ut eum adtigi quem videram, qualemque habueram, novos inveni dolores recentesque, quos abisse putabam. Idcirco paulisper sileam, donec oculi mei fontem inveniant lacrimarum, & deducant aquam: quia longè factus est à me consolator meus, convertens animam meam. Longè igitur factus, quia recessit hinc ad Deum multo miseriarum fatigio pro populo & religione Christi confectus. qui quantorum laceraretur morsibus, cùm esset mori paratus, nostrorum nullus est qui nesciat. Agebant enim quasi dicerent illud Hieremiæ in eum: *Venite, percutiamus eum linguâ, & non adtendamus ad universos sermones ejus.* Quorum tali tantoque affectus tædio; petiit interdum commorandi locum [b] in adjutorio Altissimi & protectione Dei cæli, quò nullus inimicorum violenter posset adire. Sed nos, dum sibi consuluit, ad horam desolatos & mærore plenos reliquit. Unde turbata sunt satis viscera mea, effusum est in terra jecur meum super absentiam tanti Patris, & nequeo morum imaginem respicere præ lacrimis. Sed plorans plorabo, donec tabescant oculi, ut vel sic meis consoler miseriis, qui subitò consolatorem animi talem amisi.

* sic

a

Rom. 8. 14.

Hierem. 8. 18.

b invidiæ cedit.

Severus. Precor paulisper quiescas à ploratu, ne rursus commoveantur recentiùs viscera fletibus, & non possimus expungere quæ novimus. Sed antequam obducantur oculi caligine, morum imago suis venustio-

a Nempe Corbeïæ Galliæ Monasterium, ut constat ex Paschasio ipso in sancti Adalhardi Vita supra. Id factum post annum DCCC XIV, quo Ludovicus Augustus Vvalam cum Vvarnario, Lamberto & Ingoberto misit Aquisgrani, ut regiæ familiæ scandalum emendaret, ex Vita Ludovici Pii. Hujus secessus auctorem fuisse Ludovicum Augustum inde colligo, quòd is in Synodo Attiniacensi anni DCCC XXII, pœnitentiam egerit eorum, quæ *circa Adelhardum Abbatem & fratrem ejus Vvalachum gesta sunt*, teste Eginhardo.

b Existimo id per anticipationem dictum de Cœnobio Bobiensi, in quo Vvalam obiisse testatur Auctor in fine libri 2.

An. Chr. DCCCXXXV. Aug. XXXI. ribus pingatur coloribus: rum demum plena clari recordatio vultus calentes lacrimarum aperiet fontes, & sic in jubilo illo inspectante desuper dabimus fletus, hinc quidem gaudentes, hinc tristes, hinc mæsti, hinc læti, hinc quoque destituti, hinc subvecti. quoniam etsi doloris est quòd amisimus; gaudii esse debet, quòd talem cum ad cæli palatium intercessorem præmisimus. An nescitis Hieremiam illum, cujus iste fert typum, licèt in lacum satis cœnosum à populo dimersus, quòd demum levatus ad astra multùm orat? Quòd si ille pro his ad Deum preces indesinenter fudit, pro quibus ei interdictum est, dum superesset, ne adsumat orationem & laudem; quid putas iste pro his faciet, quos filios utique sibi caros tam subitò desolatos reliquit? Dictum namque de illo legimus: *Hic est fratrum amator*, Hieremias Propheta Dei, *hic est qui multùm orat pro populo, & universa civitate sancta Hierusalem.* Quòd si ille pro civitate & populo laudem & orationem etiam prohibitus adsumit, quem olim vivens sic deflevit, cui threnos composuit, lamenta instituit; quid facturus iste pro suis, quos dilexit? Fateor quòd non tantùm pro nobis, verùm etiam & pro his, uti & ille, quos inimicos pertulit, intercessor erit. quia utrorumque invectio illorum tam severa contra populum, non de odio, sed de amore fuit. Ista licèt minùs credant, tamen nos qui cum agnovimus, dubitare nequimus, quòd is qui pro veritate tantos pertulit agones, Christi promissis minimè privatur. Et si pretio fides emi posset, daremus quatinus cessarent odiis insequi, quem caritas enutrivit, justitia provexit, & pietas decoravit. Unde moneo quiescant, & desinant maledicere, malefacta ne prodant sua: quoniam hujus (ut criminantur) versutiam & infidelitatem æmulari oportet plus quàm eorum perversam fidem.

suorum in cælo patronus.

accusatus

Pascasius. Acriter invehis, Frater Severe. Vellem caveas illud Terentii: Ne quid nimis. quoniam omnes quibus minùs est conscientia rugа, plus sunt nescio quo modo suspiciosi, atque ad contumeliam omnia accipiunt, & propter sua quæque se semper culpari credunt.

III. quòd Augusto non servaverit fidem.

Adeodatus. Æstimo quòd si ostenderis quid sit fides vera proximi, & qualis sit, dominis quæ promittitur, servanda; poterit unusquisque nostrûm lucidiùs intueri, & singuli de propria conscientia judicare: quoniam huic hæc inpingitur nota, quasi Augusto debitam non servaverit fidem.

Pascasius. Optimè hortaris, ut eluceat, quàm multi adulterant fidem veram, & corrumpunt, nescii quid sit quod promittunt. Est igitur Christianorum fides, juxta Apostolum, quæ per dilectionem operatur. Alioquin tolle dilectionem, & fides abolitur *, quoniam dilectio jura fidei omnia circumscribit. Porro dilectio Christi & proximi nihil peccati, saltim ex consensu, admittit. Unde constat quòd omnis qui diligit aut consentit quod injustum est, iniquè odit animam suam, & eum quem ad iniquitatem favendo consentit. Ex quo liquidò colligitur, fidem, non quod velit quisque, intendere debere, ut ad voluntatem etiam domini terreni contra Dei præcepta adsurgat, ne fortè malè consentiendo, fidem quæ per dilectionem in proximo operatur, infidelis amittat: sed quæ dilectionis sunt impendere; & per fidem quæ salutis proximi sunt, constantiùs & circumspectiùs adimplere. Alioquin Herodes ille, ejusque complices, quia juramento erat adstrictus, alienі à crimine, si fides præscriberet quodcumque velle, & quod promiseris adimplendum. Unde priùs cavendum, ne quid fide pollicearis iocaturus: deinde si voveris, ne ad pejora provenias declina. Nihil enim debeamus, ait Apostolus, nisi ut invicem diligamus. Idcirco quisque quod debet solvendo adimpleat, & implendo debeat, fidem vide-

* aboletur

Rom. 13. 8.

licet, quæ per dilectionem operatur. Aliàs autem fides non est fides : quia non est ex dilectione Dei & proximi, sed terrena objuratiu animalis, & diabolica devinctio. Nemo igitur bene servat fidem, ubi contemnitur Deus, & neglegitur futuræ vitæ proximi salus. AN. CHR. DCCC XXXV. ABG. XXXI.

ADEODATUS. Heu quàm misera ætatis nostræ sæcula, in quibus semper omnium præcedit velle: deinde quidquid sapit quisque & potest, ad hoc configere, ut compleatur, licèt prava effectu præsertim cùm sapere priùs esset necessarium quod velle deberes; deinde velle quod saperes; sicque demum agere bonæ voluntatis quod posses. Nunc autem monstra omnium pariunt mentes, cùm quod sequi debuerat, præcedit; & caput quod præcedere, passim sequitur; mediaque potestas ludibunda hinc inde tumet, ac per hoc omnibus fit illud quod Comicus ait: Volo, nolo; noloque, volo. & est singulis infelix nimiùm ac puerilis vertigo.

PASCASIUS. Hinc sanè eorum aliquis ex Senatoribus prior, cùm contra eum ut se corrigeret ferme ante biennium depromerem, ratione superatus & sententiis divinis; Audisne? inquit. profectò ista quæ narras, licèt divina, in eo sæculo, quo nati & quando nati sumus, locum agendæ vitæ habuere & vim dictorum: nunc autem in isto quo nunc sumus, scias nihil utilitatis & rationis inesse. His itaque dictis discessimus; ille post suum velle desudans, ego à meo posse quiescens.

ADEODATUS. Ista quippe res non tantùm * cæcitas esse videtur, mi Pascasi, quàm mira mentis amentia. Hic enim sentire quo sit; quidve agat aliquis; recordari verò quo fuerit, qualisve nutabundus eat; nec tamen redire posse aut velle in id quod fuit, sed agendo insensibiliter ire post suum velle, ne ad se redeat qui fuit. * l. tam

SEVERUS. Quis, inquam, plus sensu deficisci * potest, quàm qui nec se sentit, vel quid dicat ipse non audit? Sed fortè, ut reor, putatis vos clariùs derogantes nec ipsa furibunda silentia possint audire. Idcirco loqui liberè talia minimè formidatis. * deficere

PASCASIUS. Loquimur de fide qualis esse debeat circa proximos, qualisve servari. Et ideo minimè silendum putavi; quia, ut nosti, hanc Arsenius noster renuit verè, hanc exhibuit, hanc servavit, quæ cum dilectione operatur, in cunctis veritate fulcitur, justitiâ roboratur; non quæ assentationibus malè decipit, & quæ cuique libuerit vitiorum extollit: sed in omni negotio. & verbo, in omni re & consensu, amicam sibi scrutabatur inesse veritatem, & quasi ab ungue singulas rerum disquirebat negotiorumque causas, ne fortè rimam in aliquo falsitas præcidisset. Deinde ut singulæ fidei partes justitiæ harmoniam uno concentu præcinerent, sibi coram oculis omnia adsignabat, atque ut omnia intrinsecùs caritas ageret, cottidie precibus Domino commendabat.

ADEODATUS. Miror quomodo inter varias & innumeras, ut audio, causarum occupationes tam intentè Deo vacabat, atque ubicumque sibi præstò aderat. præsertim cùm nos quantoties dum vacare Deo volumus, abducimur; & cum quærimus nosmet, vix invenire possumus. IV. Deo semper intentus & sibi.

PASCASIUS. Fateor, Adeodate mi carissime, quia ubique secum semper cum Deo erat. Non enim se, ut dicitur, rebus tradebat, sed commendabat: suasque cogitationes inter frequentias hominum tractans, aliquid sibi salutare semper in animo gerebat. Et ut infidi fidem recipiant, testor numquam me vidisse aliquem, qui sibi ubique tam præstò esset, tamque sollicitè passim incederet: ita ut vix, vel numquam se abduceret, licèt rebus occuparetur innumeris & maximis. Inter epulas au- in cibo parcus.

An. Chr. DCCCXXXV. Aug. XXXI. rem, cùm aut ipse hospites, aut eum magnorum aliquis vocasset; numquam tam sobriè potui continuis temporibus dinoscere sumentem, ita ut refectio prandii à plurimis summa putaretur abstinentia & parsimonia victus, si ad tantam, saltim Quadragesimæ temporibus, possent contingere abstinentiam. O infelicem me, qui nunc ejus privor adspectibus, nec erubesco agere coram pluribus, quod tunc verebar coram eo. Sciebàm enim quod non parceret, si quippiam inmoderatè admitterem. De quibus Severum velim interroges: quoniam & ipse quàm sæpe mecum istam pertulit disciplinam.

qualis in corripiendo.

* advertor SEVERUS. Satis utique advertor * quæ intendis, ut pateat aliquando, forsitan quòd manum avidiùs ori porrexeram: onde quid invexerit inter nos frequenter habuimus, & adhuc hodie pro quàm plurima sua invectione saltim conscientiâ verberamur. Tamen de quibus dicis, testes sunt Patres ac Fratres & condiscipuli, qui norunt quòd in modum agriculæ sarientis, verbum & correptionis sententiam mox in initio peccati pro sarculo ferebat, quatinus Christi messis uberior pullularet. Namque non ut quidam, usque ad excrescentia delicta deliberans agebat: sed mox in singulis peccati originem verbi gladio perimebat. Quomodo igitur suis ignaviter parceret, qui nusquam & numquam sublimioribus, nisi moneret, cessit? Fecerat enim sententiam Salomonis suam, quod verba Sapientis sint quasi stimuli & clavi in altum defixi: quia defigebat cuspide verbi vitiorum cementa, & virtutum exordia in altum firmiùs solidabat. Felix nimiùm beatusque, qui tantis rerum alternisque decursibus occupatus, sibi unus idemque continuus erat censor eximius, qui se tam in alto secessu studiis, Deo, caritatique vacabat. Hoc igitur negotium ejus & causa negotii, hoc otium & labor, hæc jejunia & vigiliæ, hæc cura & perpetua mentis sollicitudo, ut numquam desineret, quod semel cœperat in militia Christi. Unde plurimum aliis enituit, quòd sibi & Deo ac proximis tantus idemque semper fuit; nec ulli plus quàm sibi severus, nec alium magis quàm semet judicavit.

V. Cur sibi severus. PASCASIUS. Perpendo, Frater, & recolo quæ sentis: sed necdum est locus, [a] licèt invitus quæ proponis. Tamen de his fateor aliquando me illum interrogasse, cur sibi tam severus, &, dum solus esset, tam tristis incederet. Ad quod ille: Noveris quia mecum sum, & quod in me est, decerno. Idcirco nullis adhuc, nisi de sola spe, hilaresco gaudiis. Perpendant igitur nostri qui eum rodere conantur, & alienis criminantur culpis, qui se ita percensuit. Putantne contra Apostolum, quòd à Domino ulteriùs justorum extorris à consilio judicetur? immo Christo cui

Psal. 90. 3. adhæsit in vita conplantatus in corpore, gratulabundus canit: *Liberasti me de laqueo venantium & à verbo aspero.* Sed ipse dum talibus & tantis evacuatur malis, nos miseros reliquit: quò velim ignoscant, si prolabimur ad lacrimas secretiùs in secessu, qui priùs repressimus, ne videremur

suis desideratus. deflere, quem gratis oderant iniqui. Nunc autem tandem illis quiescentibus lamenta relaxabimus: quoniam fletus & lacrimæ fomenta sunt desiderii, desiderium autem jucunda recordatio amissi: quoniam etsi mors aspera deterret, blandi nominis memoria delectat. Unde quidam ait, quòd amicorum mors quamdam habeat voluptatem, eorumque memoria sit jocunda, quomodo poma quæ videntur suaviter aspera. Cùm ergo intervenit spatium, pura ad nos spei jucunditas redit, quia sic quos habuimus, diligimus, tamquam & nos hinc subitò ituros, sicque amisimus tamquam habeamus. Gloriosa quidem spes beata & suavis. Idcirco, mi Pater Arseni, gratulamur tui, solamur nostri: quia & te ad spei bea-

[a] Videtur hic deesse, *& ideo prætermitto*, vel quid simile.

titudinem præsumimus pervenisse, nosque tuis illuc meritis credimus AN. CHR.
adjuvari, licèthinc ad horam mæsti, tamen gaudentes, quia tibi felicior DCCC
successus, quàm nobis maneat exitus; nisi prior tuus interveniat reces- XXXV.
sus. Fortè expedierat ut ires, quatinus paraclitus Christi veniat, ut festi- AUG. XXXI.
ni relictis omnibus tecum simus mente, & indefessis precibus facultas
capessendi sit veniam, & perveniendi fiduciam accipiat animus. Non igi-
tur, mi Pater, miseri de te, sed beati, quibus nec præsentia in spiritu
deficit, nec cura minuitur pastoris, sed augetur gratia. Quid enim est
mors, nisi somnus? sicut ex multarum scripturarum locis possumus ap-
probare. Quòd si in noctis quiete corporeis adhuc vinculis inhærentes,
& quasi membrorum in carcere religatæ animæ possunt altiora & quæque
suis discreta imaginibus perspicere: quanto magis exuti omni corru-
ptionis labe spectant, ut quidam Sanctorum ait, jam puro ætherioque
sensu? Unde plus præstò te nobis Patrem confidimus, quàm in istius vi-
tæ usu habere nostri prospiciendi ad invicem copiam potuimus. Est
enim nobis, ut credimus, ubique præstò dulcisque absentia præsens, quòd
tunc illius omnia esse non poterant. sicuti est nunc, insuavis ejus valde
præsentia absens: quoniam in eo esse creditur, cui patent & præstò sunt
omnia. Magna igitur potestas & virtus ineffabilis, ita ut nec mors, nec
tempus avellere possit, quos ipsa eademque majestas Dei beaverit. Un-
de, mi Pater, potiùs crederis nunc vivere nobis, qui tibi meliùs vivis?
Fiunt jam lacrimæ dulces, jucundior fletus: quoniam etsi mors odii est,
vita nobis tua dilectio. Namque mors ebibita absorbta est in vita, &
ideo vivis, Pater, beateque vivis. Quæsumus adsis nobis, apud
quem meliùs vivis, in quo vivunt omnia, nosque movemur in illo
& sumus: cujus nimirum spei promissis refrigeratur ardor animi, rela-
xatus quoque paulisper evaporatur affectus. Quo rogo ut advolet as-
siduè tui animi imago, dulcesque perfundat veri (si fas sit dicere) somni
visiones, ut totus adsis, qui solis corporeis adspectibus defraudaris. Nam
cottidianus tuus usus jugem recordationem excitat, affectus imaginem
repræsentat: quibus allatis dolorem renovant. Et ideo, mi Pater, inter-
dum ades, & mente atque animo amplecteris. Osculamur enim te quan-
toties, alloquimur, comprehendimus. Infelix nimiùm ego, qui ultima
verborum tuorum monita tam longè absens hausi. Ais namque, ut noster Extrema
mihi Chremes attulit, aisque: Ita, fili, fac, si quo modo, quæcumque scis ejus verba
boni, opere agas, ne tui minor inveniaris. Hæc tua, mi Pater, mihi no- ad Paschasium.
vissima verba, hæc tuæ æstimationis mandata. Non quòd scierim quod
perfectum sit; sed ut sciendo proficerem, sollicitè procurabas. Cui ne-
scius mox futurum quod non præterire licet, longiùs differri posset, ve-
riùs quàm jocosè remiseram, quòd æquè tria in homine continuis tem-
poribus non incessent; videlicet scire, velle, ac posse. Quoniam multa
quæ boni scimus peccatis exigentibus, quandoque nolumus. quòd si jam
velle adjacuerit, posse interdum non habemus. Deus est autem solus,
cujus nec major scientia quàm voluntas, nec voluntas amplior quàm po-
testas: sed quidquid scit, vult & potest. ideo in sapientia sua omnia
operatur. Porro hominibus nihil horum sine gratia Christi. Et ideo quæ-
so precibus instaures, votis adjuves, quoniam tunc doctoris perfecta
est monitio, si precum quos monuerit, adjuvet sumtibus. Hoc enim
laudis tuæ officium est, quia sine offensione in nullo subter fuisti, tuis
ut minùs adnuntiares voluntatem Dei, modò si commendes oratione ac
meritis: ut quibus per te scire licuit quod expediat, velle ac posse tri-
buatur à Deo quod placeat. VI.

ADEODATUS. Vellem altiùs à pueto tanti viri tirocinia repeteres, Vvalæ pue-
quoniam merita tantæ perfectionis cum eo crevisse credimus. Non enim ritia exacta in aula.

An. Chr. DCCCXXXV. Aug. XXXI.

veræ virtutes sine innocentia proficiscuntur: innocentia verò virtutum efficacià solidatur. Porro soliditas longa boni operis consuetudine crescentibus meritis firmatur. Alterna quidem proportione perfecti viri ut prudentiæ simplicitas respondeat, & simplicitatem prudentia instauret: quatinus quod est in flore, fructus exhibeat, & fructum bonæ spei priùs flores promittant. Potest ut flos nonnumquam sine fructu decidat: fructus tamen non sine flore pullulat. Idcirco pandas velim priùs flores; quatinus fructus dulcior exuberet: quoniam etsi utilis fructus, teneræ vitæ pulcrior flos redolet. Unde huic quod etsi antè floruit, uberior virtus florendi, Christi gratia fuit.

Is primò abjectus à Carolo.

PASCASIUS. Quæris, Adeodate, quæris de his forsitan, quando non eram; tamen relatione verorum, quia ab utero notissimus fuisset, plura memoriæ dignissima percepi. Fuit enim à puero inter tirocinia palatii liberalibus mancipatus studiis, pollens morum nobilitate ac probitate sensus. cujus Augustus efficaciam auspicatus ingenii, licèt consobrinus ipsius esset, patrui ejus filius, decrevit humiliari cujuslibet instinctu, & redigi inter infimos, non quidem fortuitu, sed divino dispensante judicio, ut tenera ætas fornace tentationis tamquam aurum probaretur, quatinus edisceret adhuc juvenis, non minùs adversa fortiter, quàm & prospera æquanimiter tolerare. Scriptum quippe est, quod sicut fornax aurum, ita tentatio probat justos. *Sap. 3. 6.* Et ideo jam justitiæ ejus testimonium renitebat, ut amplior gratia præstaretur. Ubi diu multumque camino humilitatis detritus, valde claruit mitissimus: & nescio cui Optimatum commissus libera sub custodia probus atque idoneus, plurima ejus cotidie crescebat fama, vitæ & laudis præconia cumulabantur. Quis igitur non agnosceret, quod jam divino probaretur tirocinio, qui nullis existentibus delictorum culpis à proximo sic premebatur innocens & justus, quasi esset reus, Augustique naturæ alienus? Ferunt quidam, quòd idem tunc temporis cùm esset in via mæstus, bovesque cum plaustro minaret, quemdam ruricolam obviasse, accinctus * balteo & armis. Ad quem ipse: Vifne, inquit, ô homo, arma quæ geris pauper deponere; istaque quibus adstringor assumere? His ita dictis tandem vix credulus viator sine damno, suis se viduavit armis, & munera insperata revexit. Tum noster Arsenius: Melius mihi, inquit, vilia decent cum plaustro, quoniam non militiæ nunc sæculi, sed communis vitæ negotiis vaco. *1. Reg. 6. 22.* Quid igitur iste, fratres, nisi David usus exemplo aiebat: Adhuc vilior fiam, & ero in oculis meis humilis. præsertim quia cùm sibi quisque prò Deo indignior apparet, Deo acceptior fit; & cùm sibi magnus sufficiensque, utique, sicut legitur, parvulus æstimatur. Quid plura? his ita expletis paulò pòst divina virtus multis eum provexit honoribus, fitque acceptior cunctis, quantò probior. Restituitur palatio, gratià sublimatur. siquidem cottidie proficiens atque succrescens, constituitur ab Augusto œconomus totius domus, & venerabatur passim secundus à Cæsare, quasi putares alium Joseph sceptra [a] regni movere. Erat enim in ore omnium, & ad omnia quæque præcipuus, maximè justitiarum exactor: cujus sollertià jus civile bonis sine tergiversatione dabatur, & præsentia non minùs terrebat reos, quàm mulcebat pios. Senator, ut ita dicam, senatorum, à secretis jam tunc efficacior cunctis, eo quòd nihil vellet, nisi quidquid præstantius scire potuisset. ubique providus, ubique prom-

** accinctum*

Tum œconomus factus, [a]

Justitiæ tenax.

a. Hinc est quòd misso in Italiam Bernhardo Pippini filio, nepote suo, Carolus Vuallonem filium Bernhardi patrui sui secum esse jussit, quousque rerum eventus securitatem nostris afferret, inquit Eginhardus ad annum DCCCXII. & Auctor Vitæ Ludovici Pii ad annum DCCCXIV, *Timebatur*, inquit, *quàm maximè à Vuala summi apud Carolum Imperatorem habitus loci, ne forte aliquid sinistri contra Imperatorem moliretur. qui tamen citissimè ad eum venit, & humillima subjectione se ejus nutui secundum consuetudinem Francorum commendans subdidit.*

tus

tus; ac devotus, ubique strenuus: ita ut nullus de se eotam illo aliud, quàm justum velle significate audetet. Ante quem jus civium venale numquam venit: sed liberaliter in omnibus agens, ultroneus petentibus appatebat. Nonnumquam igitur ad ea quæ Augusto proptiè agenda fuetant, specialiùs mittebatur. Unde jam idem Ducatum gerens, exercitum vice Cæsaris in hostes[a] duxisse satis fertur egregiè. quem feritas gentium barbararum suis edomita beneficiis, nimiùm, ut nostis, diligebat, & ad eum demum jam cum Monachus foret, quantotiens devoti confluebant.

AN. CHR. DCCC XXXV. AUG. XXXI.

& Dux exercitus.

VII. Barbaros amans, eisque venerabilis.

SEVERUS. Fateor nos sæpe retractasse quid esset, quòd easdem gentes diligeret, etiam ut sæpe omissis primoribus nostri Ordinis ad eos alacriùs se conferret, & totum se illis infatigabiliter præstaret. Sed facilè patet sensus, quòd pietatis affectu hæc fecerit, ut eos suis provocaret exemplis, & ad morum instrueret honestatem, qui nuper ad Fidem Christi venerant

PASCASIUS. Ita est, mi Severe. Idcirco apud eos præ cunctis acceptior erat, quod ipse sæpe probavi, & præ omnibus carior. Fortè recolis, quando illuc causâ Cœnobii novi[b] cum ANTONIO nostro simul fuimus, ubi qualis quantusve habeteтur, probavi, quasi, ut ita dicam, si advenisset cælitus, magis quàm olim ex palatio, profectò cùm esset Monachus, venerabatur. Unde cùm ad quosdam devenissemus, qui eum mutato habitu non agnoscerent, vastarentque iidem hostiliter suorum agros, & depopularentur finitima; voluit eos Antonius noster, ut erat benignus, corripere lenitate sua; nec tamen est auditus. Tum quidem proposuit eis Arsenium, & fecit alloqui, ut se à talibus compescerent. Quo audito illi cœperunt prospicere attentiùs, si is esset quem fatebamur. qui etsi multis persuasi, minimè crediderе, quòd tam eximius & præpotens ad tantam venerit humilitatem & dejectionis formam. Quorum unus ad eum: Tu es, inquit, ille quem noster tam inclitum celebrat orbis? Tum ille: Ego, inquit. Deinde, Fateor, alter ait, quòd saltem nec minimi extrema digiti ejus vales, quanto magis ut talis tantusque dicatis. His ita dictis, nos omnes subtiximus ac discessimus.

ADEODATUS. Velim seriùs agas: quia talia in quibus fastus commendatur sæculi, non intueor quid prosint, penitus cùm mors etiam nostra aboleverit, si qua fuerant jucunda. An ignoras quòd qui mundum colit, pretiosa perdit? Pompam namque sæculi repetere, quid aliud est, quàm fidem abnegare Christi?

PASCASIUS. Ita planè sentio. sed probi viri, licèt videantur agere quæ mundi sunt, intentum gerunt animum, nec se ad externa omnia sinunt evocari, licet foris universa resonent, & magnis fulciantur tumultibus. Quid igitur putas fortius purpura uti, & vasis auro argentoque confectis, quasi testaceis, vel cilicio; nec moveri? An hisdem licet vilibus sic uti, quasi pretiosissimis, nec paupertate affici?

ADEODATUS. Utrumque magnæ virtutis dixerim virum: sed talis vix aut rarus invenitur, quem non dejiciat altitudo, quem vilitas non moveat, quem non extollat divitiarum atque honoris sublimitas, quem non paupertas afficiat, & variarûm rerum negotia non extenuent.

PASCASIUS. Ita, Adeodate, ita est, sed vera virtus in utrisque est,

[a] Nempe in *Abotritos*, infrà cap. 11. quo nomine Abotritos significatos existimo. Pace facta inter Carolum Magnum & Hemmingum Danorum Regem anno DCCC XI. concordiæ subscripserunt sex de primoribus Francorum, in quibus primus nominatus *Vvalach filius Bernhardi*. dein alii, *omnes Comites*, uti scribit Eginhardus in Annalibus. quo tempore Ducum, Comitumque vocabula fere promiscua erant. His adde Vvalam fuisse conjugatum ex sequentis lib. 2 cap. 8.

[b] Id est Corbeiæ novæ. quod Monasterium Antonius seu Adalhardus Abbas adiit anno DCCC XXII, ut operi jam cœpto supremam imponeret manum.

An. Chr. DCCCXXXV. Aug. XXXI. quam bona mens explicat & devota: ubi nec cupiditas, vel avaritia fomentant animum; sed liberalitas honestat morum, & probitas commendat vitæ. Non virtutes dissident, non vitia premunt, non altera affectionum passio alteram vexat, non ea quæ sunt exteriùs devastant. Alioquin etiam in eremo quid prodest universæ regionis asperitas & silentium, si affectus improbi fremunt intus, & vitia permutant animum? Ergo placida quies & vera illa est, quam ratio ubique componit, & serenitas religionis commendat. Idcirco quidam, ut comperimus, è sæculo recedentes, adhuc versantur in fluctibus: quia non satis mente exisse probantur. At verò nonnulli, quos tirocinia virtutum enutrierunt in militaribus rebus, postmodum ad Christi militiam puriores ac perspicaciores veniunt, quàm si essent inexperti.

Adeodatus. Tamen esse debet in his virtutum experientia, pro quibus egregii censcantur. quoniam & pagani dumtaxat inter suos idonei probique videbantur, vulgique æstimatione nonnulli inter deos allati dicuntur.

Pascasius. Videris mihi ad omnia quæ conferimus, nutabundus, & quasi plebeio infectus colore, nullum alium deinceps posse recipere mentis effectum: præsertim cum varius rumor varias rerum conspersionibus inficiat mentes. Fortassis ergo & tu ita infectus plurium infamiis, ut non queas de hoc aliam jam recipere fidem, quem plures ita laniant, & vulgi imperitia contodit.

Adeodatus. Nonne recolis illud Catonis, quòd multi multa loquuntur, & ideo rara est fides? verùm tamen de isto, fateor, optimam habeo fidem, cui adhæsi in novissimis, quem cognovi, licèt serò; & dilexi nimiùm virtutibus decoratum. Sed non omnibus rebus facilè fides adhibenda. Unde & Apostoli tardiùs credidisse leguntur, ne fortè fides eorum temeraria videretur. Ita & nos nihil præcipitanter, nihilque inconsultè agere oportet: neque vulgi aut alicujus impressione ita infici, ne meliora recipere valeamus; neque, ut ita dicam, molliri acsi cera, ut omnium sigillorum signa super sculpturam recipiamus. Probanda est igitur imago cujusque, probanda & fides: ut quod semel ad liquidum probaveris, iterum de illo non judices.

Pascasius. Rectè fateris: sed velim perpendas, quàm probi viri inter summos sæculi honores vixerint, quàm idonei mox de militia ad Christi gratiam pervenerint. Taceo igitur & David, quem nec regalis dignitas multis rerum copiis inlexit, nec occupatio negotiorum à dono gratiæ retorsit. Taceo de ceteris omnibus, qui in culmine celsitudinis virtutum floribus exornati, Deo placuisse leguntur, & multis mysteriorum sacramentis refulsere. Veniam ad nostros, quos de mundi militia Christi Ecclesia gloriosos suscepit Præsules. Ambrosium loquor, qui de præfectura mox cathedram Episcopatus est adeptus; & Hilarium, quem Doctorem eximium Gallia concelebrat. Tales ergo & hujusmodi viros sæpe sæculum, immo de sæculo Christi gratia provexit. Et ideo nulli dubium, quòd & istum inter senatoriæ dignitatis infulas virtutum gemmis insignitum providentia instituit divina, & clementia decoxit, ut fieret vas honoris de tanto culmine ad monasticam transmutatus.

VIII. Qualis in sæculo. Severus. Diu est quod exspecto, quid de illo dubia proponere velitis, quem plusquam nosmet (ut ita fatear) cognovimus, cui conscii fuimus, quem sectatorem justitiæ ac veritatis non dubitamus, cui quàm nobismet ampliùs credidimus. Fortassis ergo ùt quidam Philosophorum omnia dubia tenemus, nihilque certum posse comprehendi philosophamur. Alioquin interrogate Chremem nostrum, aut istum Allabigum, cujus clangor buccinæ fortè surdis etiam fidem præstabit, quod adhuc

in sæculo morum honestate ac virtutum ceteris clarior vixit.

CHREMES. Nullus qui hoc nesciat, pæne quia nulli fuit ignotus: sed livor abnegat, pluribus quod conscientia probat. Hinc profectò liquet, quamvis offenderit, quòd etiam ab æmulis præstantior omnibus nostri sæculi primoribus fuit: & si eisdem non placeat, bonus tamen ab omnibus prædicatur. Fuit enim in sæculo eleemosynarum largitor, & decimatum ita liberalissimus dispensator, ut probares jam non sua, sed ad hoc sibi commissa distribuere. Qui post annualem decimationem, cottidianam indesinenter tam ex omni redditu ac dispensatione victûs, quàm & de variis donorum sumtibus Christi pauperibus inpendebat, hanc sibi hereditatis computans partem, hanc lucri pretium, hanc justitiæ suæ mercimonium. Sed, ut video, Allabigus noster, quasi conviciatus, irascitur. ideo fortè nudam manu interdum confricat calvariam, nec bene sentit de his quæ proponitis. AN. CHR. DCCC XXXV. AUG. XXXI.

Tum ille: Quid igitur ludicra jocosè seritis? & si calvus vobis videor, Helisæum quid contemnitis? An nescis, Chremes, quia multi me venti flaverunt? fortassis ergo jurando per hoc caput ista contraxi. Nunc autem quia non credunt, hoc novum repperi juxta Terentium, ut consecter eos, qui se primos omnium esse volunt, nec sunt: & cùm riserint, adrideo, eorumque ingenia admiror; vel quidquid dicunt, laudo; & si negant, laudo; quid quisque negaverit, nego; aiunt, aio. Deinde imperavi mihi omnia adsentari, quia is quæstus nunc est valde uberrimus. Tamen saltim parvam adhibeam fidem, qui mihi de illo quàm bene sum conscius, nihilque falsi fingam: quoniam meo cordi nullum cariorem invenio. Fuit enim suo in tempore acceptior cunctis, licèt prodigiosa hujus sæculi ætas ultima eum insipienter & malignè oderit, atque mendaciis sit insecuta. Verùm tamen quæso me non adeo ignavum puteris, non ingratum, neque inhumanum aut vecordem, ut me non consuetudo tanti viri, non inremota vitæ conversatio, non amor, non pudor oblivionis commoveat, ac moneat, illi ut servem fidem, cùm quo multa pertuli, à quo plura didici, & ex quo quæque optima virtutum etiam in sæculo cognovi, pro cujus amore primùm post Deum sæculum reliqui. Unde si quis vestrûm mihi de cornu quippiam opposuit, tubam audiat veritatis. quia quamvis obsurdescant invidi, Arsenius iste verus Christi athleta fuit. & si plura enumerare nequeam sermone imperitus, lugere tamen etsi coràm non erubesco, quotiens ad mentem ea reduco, ut vel sic refrigeter plenus miseriarum nostrarum doloribus. Quia etsi gaudendum censeo, quòd talem eum habuimus; satis quoque deflendum, qui cum eo semper viximus, quòd absentes in extremis fuimus. Fortassis ergo si cum eo essemus, de spiritu ejus ampliùs participaremur. An non legistis, Helias Helisæo suo petenti, ut spiritus ejus in eo duplex fieret, quid dixerit? *Si videris*, inquit, *quando tollar, eris quod optas.* ita & nos, Fratres, si essemus cum eo, hinc ad cælos quando abiit, pignus nobis fortè refunderet sui spiritus. Nunc autem quàm miseri, quibus nec horam scire licuit sui exitus, quem vivere putabamus! 4. Reg. 2. 11.

PASCASIUS. Ut audio, glaber iste qui videbatur idiota, factus est in subito querimoniarum Philosophus, nec dubium quin spiritu ejus quem plangimus afflatus. Alioquin nisi eo esset attactus, quomodo talia præoccupavisset, antequam stilus eò veniret, quo circumfusis visceribus lamentandi erit tempus? Non enim adsentator est falsi, ut se finxerat, sed invector, ut sentio, præcoque veritatis. Parvipendet enim aliquis quid audiat: præsertim cùm nemo amicorum meorum est hodie, apud quem omnia mea occulta exponere audeam, quamvis hic nostra etiam inimicis detegat. quia nonnumquam apud alium prohibet dignitas, apud

An. Chr. DCCCXXXV. Aug. XXXI. alium ipsius facti piget ineptia, ne infidelis, ne protervus videar. Ideirco nostrum est intelligere, utcumque atque ubicumque opus sit adsentari vel obsequi, de isto si quomodo vel tacere. Ergo quia nec præmeditari potuimus tanti viri obitum, nec præscire; nunc præmeditandum, quid vel cui quandoque loquamur. Noster enim satis pavebat animus de illo priùs tale aliquid cogitare, qualia demum contigisse doluimus. non quod conditionem ignoraremus: sed quidam votorum usus sensum nostrum communis fragilitatis obduxerat, ut de illo nisi secunda cogitare nescíremus. Unde cùm olim ab Augusto directus causâ negotii

Nota quod nostis, antequam in remeando Agripinam venissem, comperi quem nunc deflemus, exsilium tulisse pro munere, ubi quamplures Monachorum simul reficiebamur; eratque lectio in medio Esaiæ vatis,

Esa. 19. 2. ubi legitur: *Concurrent Ægyptii adversus Ægyptios, & disrumpetur Ægyptus in visceribus suis.* Tunc quidem infremui, tunc quasi inundans omni lacrimarum imbre perfusus, atque dolore disruptus emarcui, ita ut omnes mirarentur, alii quidem quid contigerit dicentes, alii quasi reatui illius conscius essem, opinabantur: nemo támen mihi eorum hodie quod heri, licèt consolatores optimi viderentur. Fateor tamen eadem hora omnia mihi in animo venisse, quæ postea contigerunt. Unde non dubitandum quòd divinus spiritus ubique omnia repleat, etiam & ea quæ non possidet.

Severus. Dicam de his quæ mihi in mente sunt, vos decernite. Dum ille fuit solus, dum nulla alia spes, dum posse viguit; favebant

* inversa plurimi, sibique dabant palmam: nunc postquam res inventa * est, in-

* inversi venti * sunt & ipsi de quibus quereris. Sed non adeo dixerim fortuitu talia contigisse, ut & lectio simul ac lacrimæ prodiderint, quòd nostra in visceribus suis disrumpenda esset Ægyptus. fortè jam tunc venter præcordiorum contra nefanda futurorum, quasi cythara threnabat.

IX. Qualis ad Monasterium venerit. Adeodatus. Dum varia rerum incidunt negotia, in conloquio confunditur stilus, nec ordo dicendi servatur, nec flendi copia pectoris de fonte uberior hauritur. Ex quo velim fontem aperias nobis calentem, & qualis quantusve venerit ad monasticа, insinues; quia etsi pul-

* f. chlamidis cræ sunt virtutes sub absconso chlamide *, easque inter mundi inlecebras vernare; pulcriores tamen in schola virtutum fiunt, ubi resecatis vitiis fragrat ager aliorum odoramentis commilitonum, & sola quæ Dei & sancta sunt, ab omnibus meditantur.

Pascasius. Si quæris, Adeodate, qualis venerit: fateor talis, qualem Virgilius ille tuus Maro describit, totus teres atque rotundus. Qui nimirum versus, licèt in Virgilio vestro magnis extollatur laudibus, longè antiquior legitur in Horatio, qui dum de viro sapiente loqueretur, ait, quòd sit fortis, & in seipso totus teres atque rotundus. Unde profectò liquet, sicut & in quampluribus locis, quia Maro vester callidus ingenio de ceterorum sententiis laudem tulit, & de multis, aesi mendicus, Philosophorum fragmentis convivium vanitatis, saltim pueris, fecit. Sed laudabilior hic noster illo fulsit mox de sæculo Christi gratiâ inlustratus, qui fortis in Deo atque teres seu rotundus, ut aiunt, venit. quia

* f. si nihil ex omni parte rotundius a puncto, quàm sibi * virtutes rationi Deoque consentiunt. Nonne virtus jure tibi videtur quædam æqualitas vitæ, rationique consentiensundique? Quòd si aliud ab alio in vita discrepat; magis, ni fallor, offendit, ut ille egregius ait, quàm si aliqua pars circuli majore minoreve intervallo, quàm aliæ partes, distet. Igitur illa est virtus & ratio vera, quæ vitam perfectam faciunt: vita verò perfecta undique, si veritati congruat, & virtutibus æquetur. Unde profectò

idoneus in vita & probus jure is censetur, qui tam beoe & honestè vivit, ut secuodùm Deum virtutibus vivere videatur. Sed de isto vix talia creduntur, quoniam odiis & invidiâ ubique jugulatur. Qua de causa parciùs laudandum censeo, ubi veritas conviciis suffocatur, & invidiâ justitia perimitur. An. Chr. DCCC XXXV. Aue. XXXI.

SEVERUS. Forsitan persecutorum tempore si esses, de Christo aut nescire quidquam te assereres, utique aut mutus esses. Nunc autem quæso pone metum: nihil hic iterum jurabis poscenti. Alioquin dic illud, quia si ooceo quod amo, fine fine oocebo. Satis enim mihi est amoris, quod semel de illo ebibi, quod aliud recipere non possum. Idcirco si non proficiunt visa, veniamus & ipsi virtutum ad arma: quia pro talibus taotisque Deum si digoè laudare non cessem, beatior ero, licèt monitis ejus & moribus sim ipse minor.

PASCASIUS. Magna molimur, frater Adeodate, sed oulla, nisi ardua virtus. Unde narremus, ut fertur, fabulam toto notissimam muodo. Quooiam, ut ais, exigua virtus est præstare silentia rebus. sicut è contrario gravis culpa, quæ tacenda sunt loqui: quamvis utile multis dissimulasse prodenda fuerit, tacendaque prodidisse. Venit eoim hic oofter Arseoius, sicut meliùs nosti, ad monasterium * vitam jam paoe perfectus, licèt demum major meliorque crevisse credatur, quia nemo qui virtutibus hac in vita proficere nequeat. Venit, inquam, sicuti præfatus Poëta tuus ait jam, * l. monasticam

Vir bonus & sapiens, qualem vix repperit unum
Milibus è cunctis hominum consultus Apollo:
Iudex ipse sui totum se explorabat ad unguem.

Fateor me neminem sui exploratorem vidisse similem huic, qui ooo dico cottidie, verùm jugiter sua tantum rimabat gestorum iotima, quantum nemo sollertissimus judicum discutit aliena.

ADEODATUS. Quæro abs te, quomodo si jam teres atque rotundus venit, sui major meliorque demum fuit? Nomquid rotundo aliquid rotundius esse potest? quòd si omoioo potest, restat rotundum non fuisse, ut ab immobili puncto, scilicet divinitatis opere, circulus formaretur virtutum.

PASCASIUS. Quantum ad formam geometricæ exspectat disciplinæ, videtur fore quod ais: sed si ad virtutum; quia semper ex omni parte Christo introrsus modificaotc in sphæra æquissimè circumaguntur; hinc inchoatio ad formam incipitur; illinc ubi civitas virtutum est, coosummatur. Unde in comparatione Dei, sicut nemo boous, ita nemo perfectus; & sicut nemo perfectus, ita nemo teres seu rotundus. tameo dicitur & bonus, & perfectus homo: & si perfectus, utique teres: quia in Christo cooformatur, in cujus nimirum circuitu iris esse legitur, ex quo omnis perfectio virtutum designatur. Ceterum oemo proficit ad ista, qui se cottidie major meliorque noo invenitur. Hinc quoqoe Propheta; *Beatus vir*, ioquit, *cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit.* Quid sit autem, ascensiones disponere, subjungit de singulis: *Et ibunt*, inquit, *de virtute in virtutem.* Ita ut omnium virtutum forma, propria cujusque caritas efficiat animæ quantitatem aut qualitatem. Coostat igitur animam virtutibus crescere; decrescere autem vitiis, & ad non esse tendere. Iste verò noster cottidie sic de virtute ad virtutes, ita de esse ad majus esse tendebat. & sicut ad majus & melius; ita licèt jam virtutibus teres, ut formatior atque rotuodior esset, jugiter Christi manu formabatur. Sed qualis quantusve jam esset, quando sæculi deposuit militiam, testes sunt præsens Pater & Fratres, qui satis intenti ac solliciti, multis eum, dum pulsaret novitius ad ostium Apoc. 4. 3 Psal. 83. 6.

An. Chr. DCCC XXXV. Aug. XXXI.

monasticæ disciplinæ, perscrutati sunt probationum argumentis & sollertiæ disciplinis. Testes quidem, quòd velut aurum in fornace fuit probatus, inter omnia increpationum dura & aspera, in tantum qui necdum tiro, ut perfectus jam Christi miles haberetur. Erat in illo spiritus Dei: & ideo, ut fertur, in nullis frangebatur molestiarum spiculis; Rom. 8. 28 sed seipso cottidie probatior tenitebat. Quàm vera igitur Apostoli sententia, quòd omnia cooperantur illis in bonum, qui secundùm propositum vocati sunt sancti. Nam ei & quæ pro malo inferebantur, profectò lucrifiebant. Psallebat enim cum Propheta Domino: *Propter verba* Psal. 16. 4. *labiorum tuorum ego custodivi vias duras.* Fateor, quæ multis dura videntur, illi levia erant. erat enim Monachus.

X. Qualis jam Monachus.

ADEODATUS. Quid laudis est, quòd Monachum eum prædicas? Nonne & nos ac quamplurimi Monachi censemur nomine?

PASCASIUS. Verè censemur tantùm nomine, sed falsi invenimur opere. Unde quidam de Patribus bene se intuens: Væ, inquit, mihi, qui nomen Monachi falsum porto. Unde si diligenter consideres, rari inveniuntur. Sed hic noster unus erat è milibus, qui solus digito monstrabatur. Annon recolitis oculos ad nos omnium venientium? nam mox inter omnes eum intuebantur, & quasi ad lumen erant defixi, cumque requirentes, soli loqui desiderabant; etiam & cùm ultimus esset à primordio, à cunctis præ omnibus venerabatur. Nemo igitur, ut adsolet, etiam apud Patrem levitatis causâ quispiam apud eum reprehensibilis voluit inveniri. Gravitas enim ejus & morum probitas inlustrabat omnes: & ideo pudica mente vultum singuli coram eo submittebant. Licentius enim coram sole, quàm coram eo aliquid admitteres reprehensibile. Nunc verò quàm miseri sine illo vivimus, multis adlecti inlecebrarum usibus! Omnes enim licentiâ deteriores sumus, quæ cùm alicui in mente inciderit, frequenter frena gravitatis amittit. Unde Severum interroga, si quid de illo nosse desideras.

SEVERUS. Fratres, fratres, quid dicam, quove inveniam dicendi copiam, cùm in me nihil remanserit de illo, nisi flendi ac gemendi facultas? Bonum namque mihi erat, cum eo, dum portabam jugum adulescentiæ meæ, coram illo quasi solitarius ac tacebam, magis quàm nunc, cùm loquendi licentia relaxatur; & æstimo impunius licere, tunc quæ verebar ne admitterem. Patior usu, qui pæne jam omnium hominum est, ut meliùs aliena videam & judicem quàm mea. Idcirco inhonesta quàm sæpe committo: præsertim quia cum illis frequenter ago, qui neque jus, neque bonum, aut æquum sciunt. Melius, pejus, profit, obsit, non curant, neque vident. nihil enim nisi quòd libuerit, placet; nihil nisi quæ voluerint, scientiâ defendunt, etsi eos esse res non sinit ut volunt. Porrò nos illi palmam damus, eumque magnificè efferimus, qui vim tantam habeat & potestatem atque efficaciam fallendi, ut falsa pro veris valeat adstruere, & improbos optimos judicare. Idcirco non est nunc temporis de isto quippiam laudabile prædicare. tamen quia omnes norunt, licèt oderint & invideant, non multâ facundiâ opus est ad laudem, dum religiosior omnibus nostri temporis à singulis prædicatur & perfectior. Fuit enim in omnibus discipulus monasticæ disciplinæ, militans diutius sub Regula vel Abbate. Discipulus, inquam, quia in cunctis subditum se & humilem exhibuit, magisque subesse gaudens, quàm præesse; prodesse tamen tam sub jugo Magistri, quàm Prælatus postea curavit. Et ideo demum perfectus invenitur Pater & magister, quia discipulus perfectior ceteris approbatur & filius. quod genus rarissimum invenies, dum singuli magis præesse gaudeant, quàm subesse & prodesse. Alioquin non tanta Prælatorum penu-

ria perfectorum esset, neque proficiendi magna difficultas. quia plurimi, etsi præsunt, prodesse vix paucis appetunt, obesse multis. Hic autem quantus sub disciplina fuerit obedientiæ, multorum ore laudatur. Et inde est illud, cùm novitius adhuc esset, tumescente alveo fluminis, jussum est more solito, ut Fratres irent turgentia resecare herbarum, ne ampliùs inundaret. Tum ille cœpit reliquos exhortari, ut tunicis tantùm induti intus introirent, quatinus meliùs proficerent. Quo dicto, plures unà cum eo introiere. Ubi multo perpessi frigore, relatum est Patri ad Monasterium. quo jubente mox extracti sunt, atque coërciti, ne ulteriùs talia auderent. Unde constat, quòd sæpe de fervore boni amoris, si dici fas est, contingit excessus culpæ, dum mens minùs deliberat compellente amore caritatis, etsi Paulus Apostolus dicat: *Caritas numquam excidit.* Hinc quoque quàm sæpe talia Petro legimus accidisse, minùs considerans, ore quid exprimeret. Porro excessus iste (ut ita fatear) non est amoris, sed inscientiæ nota: unde ipsius flammâ leviùs purgatur. Nonne vidistis eum jam cùm hospitalitati nostræ præesset, qualis quantusve erat? quàm humilis, quàm devotus! Quem enim aliquando nobilium vidistis tam vilia semper appetere, tam aspera tolerare, tam horrida & fœtida diligenter attrectare? non dico vilia calciamentorum hospitum, verùm vulnera pauperum, eorumque fœtida vestimentorum, nonnumquam sic quasi aromata bajolans abluebat. omnia quippe eorum sic non lassessens infatigabiliter sustinebat. O Domine bone JESU, quàm infatigabilem eum fecisti ad omnia dilectionis officia! quàm strenuum, quàm efficacem, quàmque devotum! Satagebat enim circa frequens ministerium ita sollicitus, ut pauperum curam & hospitum atque infirmorum ante omnia & super omnia gereret in die; nocte verò somno expleto parvissimi temporis, non minùs ante vigilias Fratrum, quàm post vigilias unà cum Maria indefessus ad pedes Domini JESU coram sanctis altaribus prostratus humo jacebat. Tu nosti, Domine Christe, quo lacrimarum imbre solum rigabat, te rogans, teque suspirans, te quærens, ad te pulsans, ut aperires ei januam pietatis tuæ: aperires quoque, ubi ei hactenus clauseras; & susciperes, ubi clementer illi aperueras. Quibus januis apertis, ut credimus, tunc penetrando pulsabat fide, nunc fruendo amplectitur caritatis amore. Poterat enim dicere cum Propheta: *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes, quando consolaberis me?* Fateor ergo sæpe me vidisse loca suis mane madentia lacrimarum imbribus, & conspexisse oculos pæne consumtos à fletibus. Vidistis & vos eum, ut reor, frequentiùs squalentem vigiliarum angoribus, vidistis madentem fletibus, vidistis affectum gemitibus, vidistis utique macie tenuatum & pellem ossibus hærentem victus parsimonia, & tabentem faciem laboris vitæ suæ sudoribus. Utrasque namque vitas suis gerebat temporibus, practicam scilicet in die, theoriam verò in nocte: hinc inde earum respersus floribus noverat cum Maria, etsi frequens esset cum Martha, quòd unum esset necessarium: & ideo singula ad hoc unum jugiter solidabat; illuc suspiriis anhelans, hac dilectionis officio ad ea propulsans, satagebat in die agrum corporis sui refundere sudoribus, in nocte verò fletibus. Vidisses enim mane illum quasi rore purpureo perfusum, lacrimarumque imbribus inroratum. Unde si velis pleniùs cognoscere veritatem, Severum interroga, qui semper plus quàm ego vigilare studuit ac potuit: & ideo de his omnibus potiora cognovit.

SEVERUS. Etsi ficte de me ista dicis; tamen, licèt qualitercumque, multa de illo percepi, quæ jure debeant prædicari. Annon recolis cum quanto frigore Domino psallebat, qui pæne à sanctis altaribus vix se-

[Margin notes: AN. CHR. DCCCXXXV. — Ann. XXXI. — in obedientia fervens. — 1. Cor. 13. 8. — Hospitum & infirmorum curam gerens. — Vigiliis & lacrimis deditus. — Psal. 118. 82.]

AN. CHR. DCCC XXXV. AUG. XXXI. mel in noctibus recedebat, ut ad lectum veniret? quem si interrogasses, an pervigil canendo, petendo, quærendo, pulsando, noctemque gemitibus & fletibus vincere vellet; responderet illud Catonis: Si velim, aut nolim; & si possim, aut non possim; me tamen vigilare juvat propter illud: Prov. 8. 34. Beati qui vigilant ad fores meas, quoniam si mane me quæsierunt, invenient me. Alioquin, nisi ob beatitudinem perfecti laboris, numquam talia & tanta sustinuisset vigiliarum officia. Præsertim nullus mane qui non posset videre roscida humi pavimenta, quibus in nocte Domino militabat. O quale tunc tempus! vidisses enim quasi ad unius galli cantum continuis noctibus reliquos omnes excitari, & passim hinc inde altis crepitare gemitibus. Nunc verò quanto plus soporamur, tanto plus mortui vivimus: quoniam dum somno servimus, etsi vivimus, mortui sumus.

XI. PASCASIUS. Tu tantùm de vigiliis narras: cæterum quantus qualisque vixerit, aut non recolis; aut certè quod in me reprehendis, pandere non audes.

SEVERUS. Audeo planè, sed de nullo temere loquendum.

PASCASIUS. Cave, frater, ne Comicorum notam incurras: quia, ut aiunt, neminem liberum, neminem obsequentem, neque qui rectè tractare verum possit, neque nosse aliquem, neque ab aliquo ubi non rectè vivitur, cognosci. Et ideo forsan nec tu illum ostendere vis quanti penderes, nec ille tibi credere est ausus quod æquum est patri. Quæ si essent, forsitan numquam illum silere etiam volens posses.

SEVERUS. Planè cupio de illo quæ virtutis sunt ostendere, quem plus me credidi: quia de se sibi nec ipse quidquam retinuit quod non nossem. Transfudit se ad liquidum, ut paternos in me formaret vultus. Non enim sibi remisit tempus, nec respexit: sed totum se Deo commisit, & transposuit ad ea quæ non videntur. Hinc ergo claruit, si quando vice sua hiemalem Fratrum calefiebat * domum, quantis augustiùs virtutibus renitebat, quantisque acrimoniarum fumi nitoribus pice pressiùs denigratus æstuabat. In tantum igitur illo cremabatur igne & fornacis incendio, ut videres eum jam non carne vestiri, sed effigiem quamdam fuliginis spiritu vegetari.

* l. calefaciebat

PASCASIUS. Recolo satis & recordor, quoniam tamquam aurum in fornace probabat eum Dominus, ut eum demum quasi in holocaustum acciperet: ipseque se sua sponte laboribus defecabat, plus appetens mala mundi, quàm quæ suavia sunt, pro Deo in omnibus tolerare. Macerabat se jejuniis, & victûs parsimonia temperabat. Gerebat quoque curam de omnibus, & multa Fratrum sollicitudine sancta premebatur. Hospitibus verò & Fratribus infirmis sedulo serviebat obsequio: cujus cùm plures venerationis affectu refugissent obsequium, frequenter aiebat dicens: „Heus tu! cur evacuare vis officium meum, & obedientiam mihi commissam tollere? Ad cujus nimirum vocem mox quicumque ejus se manibus præbebat tractabilem. unde cottidie magis ac magis eum fama ferebat ubique per antes, & prædicabilem commendabat. Quid plura? defuncto ANTONIO [a] paulò pòst substituitur Pater eximius ejus in loco. Ob cujus nimirum electionem à Fratribus egomet directus, mox obtinui apud Augustum quod olim plures optabant. Perrexerat enim priùs dilitescendi gratiâ Fratres invisere nostros, & il-

Adalhardo Abbati succedit.

[a] Adalhardo suffectus est Vvala anno DCCCXXVI, ut superiùs ad Vitam sancti Adalhardi dictum est. qui Vvala Ludovico Augusto fuit auctor mittendi Anscharium ad populos Septemtrionales, infrà in Vita S. Anscharii.

lam secundam [a] excolere, quæ de nomine matris ipsa est, quæ & mater ipsa, sed altera; altera, sed ipsa. Unde revocatus, mox occupavit eum nostra electio. De cujus nimirum vitæ abstinentia & rigore castigationis tunc mihi à quibusdam Oprimatum, ut persensi, Augusto jubente suasum est, quòd non eum ferre possemus, neque vitæ vestigia imitari. Ad quod ego quasi arridens: An nescis, heus tu, nos qui sumus? numquid caudam pro capite, ut quidam adsolent, monstruosè volumus eligere? quid putas si tantus esset, quantus excellentior aliquis Sanctorum? numquid quia commeare nequimus, cum præferre oporret, qui post tergum eat, & non potiùs eum qui præcedat? Tum ille paulisper subridens: Augusto hæc, ut credo, retulit. quibus ita dictis, cuncta quæ volui, & ut volui, penitus impetravi; atque cogente illo, nostris, licèt invitus, paruit votis, qui dudum subterfugerat quantisper prælatus. AN. CHR. DCCCXXXV. Auo. XXXI.

ADEODATUS. Timeo ne fortè qui talem eum oblatrant, sentiant, de quo proposueras ænigmaticè loqui, clariùs prædicari.

PASCASIUS. Non invisa dicimus, neque incognita. Idcirco etsi adumbratur titulus, liniamenta tamen gestorum produnt: uti pictorum mos est, qui benè pingere norunt, qui sæpe ita vultus exprimunt, ut sine litteris & voce loquantur. Sed talibus quia needum apposui labra, & condita sub silentio servo, erit, ut credo, illa dies, mihi cùm liceat ejus apertè dicere facta, & quæ potiora sunt de illo, manifestiùs explicare. Interdum * verò, sicut mones, ne quid nimis fiat, cautiùs loqui juvat, & uberiùs deplorare, qui sine illo vivimus, cum quo meliùs mori duxerim: quia mors ejus transposita est in vitam, fortè ante tempus nobis optatum, ne malitia mutaret cor ejus. quòd si non est ita, mente pertracta. * Interim

ADEODATUS. Verè credo & pertracto, quia veridica vox est, *Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet.* Iste verò non perfunctoriè, sed ex toto cum dilectione credidit: quoniam ea sola est fides qua vivitur, quæ per dilectionem operatur. Et ideo quia sic vixit, & credidit in eo qui vivificat mortuos, non morietur in æternum. Ioh. 11. 44.

PASCASIUS. Etiam & tibi, quia sic credis, suppeditat fides. quanto magis qui tantis virtutum redolet operibus, credendum, quòd jam exinde immarcessibiles capiat fructus? Nam à die professionis suæ mortificationem Christi tulit in corpore suo: & deinceps cùm jam Pater esset electus, quasi ejus signifer ad aciem contra immanissimos hostes primus ubique processit ad campum. Mutatâ siquidem militiâ mutatus est & miles: & qui primùm arma tulerat contra Abitrices [b] gentem indomabilem; demum contra vitiorum portenta virtutum vexilla tulisse gloriosiùs prædicatur. Unde nunc palmam gestat pro munere, qui olim honores contempsit sæculi pro religione.

ADEONATUS. Novimus hæc omnia: sed quomodo conversatus sit sub Antonio nostro, velim edicas, maximè pro Fratribus nostris Saxoniâ degentibus, quorum fuit ex genere [c], ut sciant ad plenum quales habuerint fidei suæ fundatores. XII. Comparatio cum Adalhardo Abbate.

PASCASIUS. Si hoc profectò narrare cœpero, non invenio quo incipiam, quo me primùm vertam, vel quo progrediar: quia eorum vita

[a] Id est Corbeïam Saxonicam, cujus inter Monachos sub Adalhardo Abbate ibi degentes Vvahala numeratur in Chronico Corbeïensi apud Meibomium.

[b] An Abotritos Septemtrionales populos, trans Albim prope Rugiam insulam incolentes, quos Carolus Magnus sibi subjecisse dicitur in Vita Ludovici Pii ad annum DCCCXV.

[c] Idem ait Paschasius infrà cap. 13. Lege Observationes prævias in Vitam sancti Adalhardi suprà.

An. Chr. dccc xxxv. Ann. xxxi. eorumque actus sic indissociabilis fuit, ut non invenias, postquam eos agnovi, quid unus eorum sine altero gesserit. Quia etsi opus quodlibet proprium, aut quasi pro viribus, pro tempore, pro officio in aliquo dispar fuit; commune tamen votum & voluntas una fuit: ita ut videres eos quasi sub uno jugo æquanimiter in hac agricultura Domini aratrum trahere, atque invicem onera subportare. Et si quando contigisset eis pro loco, pro tempore quantispet abesse, videres unum eorum, alterum, acsi bos bovem, cum gemitu & desiderio requirere: quia nemo eorum se totum putabat adesse, cùm alter deesset. Quin immo ibi magis affectu quàm secum quisque eorum erat, ubi alter esset. Et sicut bos frequenti mugitu quàm sæpe pium alterius testatur affectum, si fortè defuerit cum quo trahere aratrum à latere consueverat: ita sibi ad invicem solliciti congemiscebant præ desiderio, cogitantes quid alter ageret, donec se sibi ad invicem redderent. Licèt enim unus eorum esset ætate senior, & alter admodum juvenis, par tamen in eis desiderium. quia etsi iste robustior corpore, ille ardore caritatis sublimior; una tamen in eis intentio, unum propositum, unaque voluntas. siquidem iste acutior sensu: sed senex noster in consilio & caritate latior. iste quasi pro justitia ferventior: sed ille maturior circumspectione, & providentiâ profundior: ita ut iste in subito acutiùs responderet ad singula, sed ille longiùs & simul ad præsens considerabat profutura, & quæcumque evenire possent è contra. Quamvis ergo carne essent fratres, & germanissimi fide & voluntate; moribus tamen in hoc dispares videbantur, quòd ille egregium in se omnibus repræsentabat patrem; iste autem discipulum monasticæ disciplinæ, & carissimum in omni subjectione filium.

Severus. De his ergo nemo ambigit, quoniam ipsi, ut omnes fatentur, ex omni regali prosapie singulares essent in sanctitate ac religione, atque in bonitate studiosissimi. Idcirco nec mirum, si se mutuis fovebant virtutibus, qui se etiam aliis imitabiles præbebant exemplis. Sed quoniam Antonius noster jam senectute fessus laboribus & curis videbatur inferior; erat tamen in caritate amplior. cujus semper latus sollicitior iste affectu piæ devotionis suo fovebat studio, & curas regiminis suis humiliter complebat officiis. ita ut videres eum omnia procurare ut filium, cui exhibebat reverentiam ut junior, famulatum ut servus, diligentiam ut frater carissimus, teneritudinis amorem aliquando ut pater; imperiosum quoque consilium cum omni humilitate ut senior: cui erat tanta in cunctis patientia, ut nullis moveretur molestiarum injuriis.

Pascasius. Bene recolis, Frater, ita ut unius necessitudinis gratiâ complurium nobis necessitudinum officia connumerare videaris: quatinus in uno eodemque, non unum nos amisisse doleamus, sed plures. præsertim cùm & in isto, & jam in Antonio quid amisimus, necessitas tanti doloris recordari compellat, quorum fraterna claritas * & amœnitas vitæ, non tantùm nobis, verùm in omni imperio regni sic emicuit & resplenduit, quasi videres duo cæli luminaria ubique clarescere. quamvis iste minus, ut ita fatear, & ille majus: quia ille pater erat, & iste filius: ille senex senior, & iste fortè agilitate morum acrior, sicut & ætate junior. In quibus nulla adulatio fuit, sed hinc inde expressa pietas, nulla ad invicem dissensio: ita ut non invenires ad eorum propositi simulationem * quid adderes. quoniam unus spiritus erat in eis & una fides, unaque concordia pacis, & vera in omnibus religio sanctitatis. Et ideo inter eos nihil aliud quàm totum quæ caritatis sunt & pietatis, deprehenderes, ut nec vices mutarent, nec ad invicem aliud velle cognosceres:

* f. caritas

* id est similitudinem.

quorum erat pulcra morum proprietas, ut si qua alter alterum virtute excelleret, unam in eis ad invicem intelligeres harmoniam honestatis, unumque virtutis temperamentum. Erat enim sic proprium in eis quod erat uni, ut commune probares esse ambobus: ita tenus, ut verè iste dimidius alterius diceretur, sicut & ille integritas istius putabatur. Hinc est, carissimi, quòd in Saxonia tam unanimes, tamque devoti novæ plantationis germina plantaverunt; & utriusque sexus[a] à fundamento Cœnobia favente Domino construxerunt.

XIII. Monasterii in Saxonia construendi quid uterque contulerit.

Adeodatus. Miror cur velis eos coæquare, cùm non iste, sed Antonius, quia loci hujus pastor erat, cui facultas suppetebat ædificandi, ea ædificaverit: hic autem acsi unus erat ex plurimis: licèt acceptior in gratia, quia frater, profundior in consilio, prior in voluntate, major in adjutorio, sollicitior in voto. Et ideo quamvis semper plurimùm se diligerent, laboremque suum alter eorum alterius esse vellet præmium, tamen illi meritò deputatur merces operis, in cujus quæ gesta sunt, dedicantur labore: quia etsi numquam alteri eorum sine altero fuit voluntas agendi quod pium & sanctum est; illius interea jure deputatur meriti, cujus fuit potestas agendi, quamvis commune fuerit opus laboris.

Pascasius. Quantum exteriùs exspectat in humano judicio, ita fama quàm sæpe concelebrat laudes in vulgo. Sed divinus Arbiter intus discernit gratiam unicuique quam dedit, & laborem deinceps post gratiam quisque quem impendit. At verò istorum voluntas quia una erat, & utraque eorum ex alterius pendebat voluntate, sermo cùm ab ore prodiisset, manifestum est omnibus, quod huic primùm divinitus inspiratum est, occasione accepta pro quibusdam sui generis[b], qui ad nos conversionis gratiâ venerunt, & de rebus suis nobis tradiderunt, quo locus ædificaretur Cœnobii. Unde ut erat iste amore fervens circa Deum & circa Religionem sanctam, circa propinquos sui generis & patriam; cœpit instantiùs persuadere, ac crebris Abbatem egregium æquivocum[c] senis, hujus operis ut laborem impenderet, & sumtus præberet: quia ipse jam tunc erat, in quo domestica Monasterii nostri sollicitudo & cura residens publica requiescebat. Quibus Pater ille auditis, Arsenii nostri votum & voluntatem suam esse fecit. Sicque cœptum est opus virtutis, & prosperatum tantisper, donec senex Antonius ab exsilio regressus, in gratia est restitutus. Quo regresso istius voluntas mox facta est senis: ita ut videres filium in hac gratia patrem eximium genuisse, cujus crebrior adhortatio in hac parte unam duorum intentionem fecit, unumque vestigium voluntatis, quibus Deus unum velle, unumque nolle dedit. quoniam & ipsi anteà in reliquis indivisi erant, quando alter nemo sine altero vivere cupiebat, quorum unus erat affectus mentis, unumque desiderium, & una sollicitudo sanctæ religionis. Quapropter videat prudentia filiorum, maximè quos pariter eorum fides genuit, & caritas in hac gratia Domino dedicavit; utrumne ulli amplior merces esse debeat, quàm ei qui & alios hoc post Deum primum velle fecit crebriori exhortatione; deinde ut perficerent coëgit. qui suo fortissimo adjutorio plus quàm propriis humeris subvexit, & consilio sollicitiùs roboravit, & in omnibus apud Cæsarem, apud eximios totius regni, & apud omnes quoscumque potuit, hoc egit omni ingenio, omni arte, omnique studio, ut compleretur opus laboris, ipso exhortante quod cœptum erat.

[a] Virorum quidem Corbeïam novam: Virginum autem Herefordiense. De utroque in historia de translatione S. Viti, infrà.

[b] Id est Saxonici, suprà cap. 12.

[c] Adalhardum scilicet juniorem, qui Adalhardi senioris exsulantis vices egit in regimine Cœnobii Corbeïensis.

An. Chr. DCCC XXXV. Aug. XXXI.

XIV. Vvala munificus, Adalhardi adjutor.

Severus. Hoc nos non latet, quia valde persensimus his universa, & conspeximus oculis quæ egit: ita ut plures clamarent, quòd bona Monasterii nostri cuncta diriperet, tantùm ut loca illa nostris ditaret sumtibus. Sed hoc laudis ejus portio est, quòd sine offensione bonorum, illa ex omnibus ditavit bonis, & locupletavit copiis; nec tamen nostra multùm minuit. Gubernabat autem fratris domum, & commendabat jam in se officium Abbatis, quod futurum erat, quando intus præstabat solatium & formam sanctæ religionis, foris verò scutum defensionis & munimen præstabat ac decus totius honestatis. Porro, ut dixi, jam tunc cum Patre curam Monasterii gerens, quasi arbiter in consilio erat, atque ordinator rerum, curam habens de omnibus. Provisor quoque sollicitus animarum, ne displiceret sanctus senex noster in aliquo Deo, sicque ut placeret in omnibus, laborabat. Depulsor enim mæroris erat, & baculus senectutis sanctissimi senis, necnon & omnium nostrorum incitamentum virtutum: in quo sibi sanctus senex pro vigore gratiæ gaudebat plurimùm & congratulabatur, quem ipse suis sanctis inlustrabat monitis & virtutibus: ita ut hinc inde videres eos recreari ab invicem, & proficere in cunctis. Quæ omnia meliùs fortasse Pascasius novit, intus forisve quæ & qualiter egerunt, qui eis comes fuit in omnibus specialis, & quasi tertius inter eos in omni negotio.

Paschasius utriusque comes individuus.

XV. Pascasius. Non abnuo quæ adstruis, maximè qualiter in gente illa præfata coædificaverint Cœnobia utriusque sexus; cum quanta devotione & fervore caritatis, cum quanta humilitate & sublimitate virtutum, ita ut in se monstrarent formam sanctæ religionis & exempla perfectionis, ut haberent diebus sæculi sequaces discipuli sub monastica disciplina in eis quæ imitari deberent. quoniam sicut Dominus ait magister veritatis, *Perfectus erit omnis discipulus, si sit sicut magister ejus.* Et ideo isti verè imitatores facti sunt Christi, ut securiùs in fundamento positi futurus grex construeretur in Domino, ne aut culmen erigeretur sine quadratura virtutum & firmitate fidei, aut fundamenta locarentur sine culmine summæ perfectionis. Quapropter quia imitabiles se præbuerunt, verè præ omnibus sequendi sunt, & eorum monita & exempla servanda: ne malè vacillet in culmine, quod bene constabilitum est in fundamento; & pejus pullulet in germine, quod optimè jactatum est in semine. Deinde communis fit noster gemitus pro amissis patribus: quia commune nostrum fuit lucrum, quia cum eis sub tanta disciplina viximus. Nam in repetendis eorum officiis, recensendisque virtutibus non potest non affici animus: sed tamen in ipsa affectione animi & mærore recreamur, & renovatur affectus, maximè qui eos vidimus. Præterea mihi, qui cum eis fui, quando eadem inchoarent, quasi reflexa cervice absentiam eorum semper præsentem intueor, cùm irent in via, cùm essent in loco, cùm disponerent singula, cùm essent in consilio, & fabularentur ad invicem: cùm haurirem oculis eorum gratiam, & auribus perciperem sermones quos proponebant, & exciperem verba quæ dicebant. Quòd si mihi nunc jucunditas est mentis ea respicere; quid putatis, carissimi, quanta erat tunc gratia, quanta lætitia, quàm beata tempora, cùm eos viderem tanta & talia meditantes? Fateor quia non possum retexere, quantùm virtutes eorum ipse mecum tacitus admirabar, quantumque mihi adplaudebam, quòd tales mihi Dominus dederit patronos, quorum in consortio, etsi indignus, tertius eram. Non meritis quidem, non gratiâ, non ullius dignitatis honore, sed eorum dignatione tantùm visu & auditu intereram pro numero: tamen eis pudicè satis adhærens, simplicitatis & innocentiæ saltem efficaciam mihi non desperabam. Quorum cùm prudentiam cernerem, simplicitatem columbæ in eis valde mirabar: & si

Luc. 6. 40.

ad simplicitatem respicerem, admirandi prudentiæ * spiritus in me pæne nullus erat. quam semper simplicitatem miris jungebant virtutibus: & quæ dicebant verbis, prudenter coæquabant exemplis; & ea quæ ambo vix poterant priùs, tunc unus eorum complebat solus: & si aliquando alter agebat aliquid sine altero, jam pro consuetudine simul agendi quasi cerneres ambos. Qui licèt interdum unus inrectum latus exhiberet, alterius tamen affectum in moribus & in officio præmonstrabat: ita ut mirareris in eis unam sollicitudinem mentis, unam sanctam & irrefragabilem gratiam; & si non corporis, unum vigorem mentis, unumque propositum & unam modestiam meditationis. Qui cùm lineas manu tenderent ad opus, & arundine metirent, ac disponerent utraque loca, quibus in locis singula fierent; videbatur quòd ædificium metirent structuræ, juxta Hiezechielem, vergentis ad austrum, ut fundamenta & culmen in cælo locarent. Qui cùm attollerent pariter gressus, illuc vultum oculosque levabant: ut probares illis committere Deo in cælis, quodcumque fieri disponebant in terris; & illuc locare tabula fundamenti, quo vix aliorum culmina surgunt.

ANN. CHR. DCCC XXX VI. AUG. XXXI.

*f. prudentiam

Ezech. 40. 2.

ADEODATUS. Ut video, more Thomæ Apostoli, isti locorum fundamenta & domorum structuram ponebant, quæ numquam veterescerent: ædificabant officinas, & culmina erigebant, quæ numquam corruerent. alioquin non credo, quòd in tam longinqua regione hæc illi tentarent, nisi, quia nova lux Christi in eadem gente nuper refulserat per Spiritum-sanctum, visum est eis, ut cælestia inter eos ædificia constabilirent in terris, quatinus & ipsi possent dicere in spiritu cum Johanne: Vidimus Hierusalem feliciter nostris in locis novam descendentem de cælis, in utroque sexu ornatam monilibus suis. Sic namque ab universis de eisdem locis prædicatur, ut nemini cunctari liceat; quòd in eadem gente hæc divina sint castra eum suis gemellis fœtibus Domino dedicata.

SEVERUS. Quamvis hæc omnia ita sint, ut asseritis, vellem tamen scire, quid Arsenius noster eo in facto plus fecerit, quàm unus eorum, qui cooperatores fuimus sancto seni, præsertim cùm tunc temporis nulla erat ei potestas, nullaque facultas amplius agendi quàm ceteris suis commilitonibus. Propterea cavendum, ne aliquid ei plus tribuamus quàm oportet, & ipsa veritas se habet. Fortassis ergo, ut præmissum est, in eo divinitus adspirata est talis tantaque voluntas; deinceps verò commune habuit velle cum ceteris Fratribus suis, commune posse, vel non posse; aliquid commune agere, & obedire in singulis.

XVI. Vualæ opera in construendis Monasteriis Saxonicis.

PASCASIUS. Primùm prærogativam meritorum, ut asseris, hanc habuit in hoc opere gratiam, ut prior omnibus ipse hæc mente conciperet: deinde, ut res claruit, in hoc plus fecit, quia præ omnibus plus voluit; & sua permaximè prior voluntas omnium voluntates in hoc negotio genuit, excitavit, suisque precibus atque assiduis persuasionibus unà cum prudenti consilio enutrivit. Ac per hoc, licèt in Antonio fuerit potestas, & eximia sapientia peragendi, & virtus magna perficiendi; in isto tamen quodammodo videtur excellentior gratia, quamvis communis fuerit: quia quidquid ille egit, aut voluit; totum ab isto exorsum est unà cum Dei gratia & enutritum. Et non solùm quod ille voluit & fecit, verùm etiam quidquid alii suis præstiterunt suffragiis, utputa situs loci amœnissimus & locuples valde ac fertilis, quo dedicatum monstratur Cœnobium, & omnia quæque sunt, quibus in gyro vallatur ille locus. Igitur nemo nostrûm ignorat, cujus [a] fuerit hereditas, quam nulli

[a] Gerardus in Vita sancti Adalhardi scribit, locum illum concessum fuisse a parentibus Theo- dradi Saxonici, qui Corbeiæ in Gallia Monachus factus est.

An. Chr. DCCCXXXV. Aug. XXXI alteri omnino cessisset in vita, etiam (ut ita fatear) nec Regi; nisi divinis ab isto fuisset compulsus persuasionibus, cui nihil contradicere poterat: quia ab ineunte ætate ejus carissimus atque familiarissimus fuerat præ omnibus. Cujus * itaque precibus & consilio appulsus, pro ejus hortatu libenter tradidit Deo, quidquid in terra carius possidebat. Unde jure illi hæc gratia deputatur, qui & locum talem à Domino electum olim huic operi aptum elegit & impetrare potuit: quia nescio si ullus alter mortalium potuisset. Erat enim in eadem gente idem valde dilectus, & nimiùm famosissimus. Quod claruit, cùm ad quoddam Placitum non multùm longè ab eodem loco Antonius venisset, ubi multitudo eorum propter eos confluxerat. à quibus cùm suscepti essemus venerabiliter, cœperunt omnes post Arsenium nostrum vultus intendere, eumque pro nimio amore & admiratione pressiùs circumvallare; ita ut præ gaudio & desiderio abducerent illum à nobis: quia nullus eorum Antonium, cujus erat potestas, respiciebat, quem omnes fulciebamus hinc inde, & venerabamur pro viribus constipati ut dominum: sed nemo eorum nos, nec illum, quinam esset, considerabat. Tum ille gavisus pro sua humilitate, quia nos omnes excluserant; & exsultans pro fratris susceptione, conversus ad me subridens ait: Bene possumus nos hinc, Frater, abire, quia nemo nostrûm * hic curat, neque aliquid esse attendit. sicque acceptis duobus, aliis relictis omnibus, acsi soli, gaudentes & jucundantes regressi sumus ad jam præsignatum locum. Hæc idcirco dixerim, ut sciat nobilitas filiorum, quales habuerint fundatores: quia & humilia de se sentiebant in omnibus, & nullis, ut alii adsolent, movebantur mundi favoribus. Et ideo nec ille pudore confusus est, nec iste honore insolens effectus: quia istius acceptio & fama in populo, illius erat gaudium & exsultatio; non tantùm quia gratus erat, & amabatur ab omnibus, sed quia dignus erat amore atque acceptione, ut bene secundùm Deum prosperaretur in cunctis. Aliàs autem in humilitate nescio quis esset sublimior, nisi aliquis in factis eorum hoc voluerit deprehendere. Nam cùm esset uterque secundùm sæculi dignitatem eximius, vicissim tamen decertabant, ut inveniretur quilibet eorum humilior. Inde igitur est, quòd Antonius, quamvis pater esset & dominus, tantam reverentiam modestè satis inpendebat filio & fratri juniori, quantam nescio si ullus inpendere velit aut possit coæquali. At verò è contra quantam iste diligentiam adhibuerit, ne ab ullo præveniretur in obsequio, in reverentia debiti honoris, in cura & sollicitudine, atque in omni famulatu debitæ servitutis, in sermone & habitu, necnon & in incessu; nescio si aliquis dicere sufficiat, cùm nemo imitari queat. Ceterum ad exemplum aliorum quantam de se præbuerint abjectionem, vel unam de pluribus pandam. Iste cùm in cibo vilissimo esset patcior cunctis, voluit & usibus patriæ esse contentus: dicens quòd non esset dignum, ut Monachus qui vilioribus juxta usum provinciæ in qua degunt *, cultioribus vestiretur indumentis, vel lautioribus uteretur cibis, quàm comprovinciales inter quos degunt *. Unde & calciamenta sibi parare jussit juxta ritum patriæ, quos Ruhilingos dicunt, & portare voluit; nisi à Patre discretionis causâ prohibitum esset. Sed miror cur ille in hoc facto tam discretus esse voluit, qui in suo (si dici fas est) superstitiosus potest judicari. Nam eo in tempore in itinere positus, nullum in noctibus apparatum sibi sinebat fieri, sicut solent viantes facere, quo tegeremur imbribus; neque tentorium aliquod sibi permittebat exigere die & nocte: sed fusi super terram quiescebamus, & juxta illud quod quidam canit, salubres nobis herba dabat somnos: nisi quòd beatus Pater sibi ac mihi providebat egregiè satis profundos atque amplissimos (ut adsoleut fieri illa in terra) agri sulcos, ubi jubebat mi-

Marginal notes:
* l. Hujus ejusdem gratia apud Saxones.
* f. nos
Vvala communibus studet.
* l. degit, contentus esse debet;
* l. degit.
in itinere durè cubat.

hi nostrum sternere lectum, quorum latera hinc inde pulcris nos ambiendo fovebant fulcris, dum equi sella in medio posita, quæ unam mihi alpem ad caput præbebat, alteram illi. Nec aliud quid habentes in eo, nisi quod in die supra & deorsum babuimus. Hæc tota mollities lecti erat, & ambitio satis honesta. AN. CHR. DCCC XXXV. AUG. XXXI.

SEVERUS. Nec hoc superstitiosum videtur, ut æstimas. præsertim cùm Jacob dum iret multo labore conjugem emere, in via nihil aliud ad caput quàm lapidem habuisse legitur; nec ullas secum delicias vexisse prærer baculum. Quid igitur mirum, iste dum vadit uni viro virginem despondere Christo Domino, & castam exhibere uxorem; si nullis fulciatur honoribus, nulloque ornetur apparatu; dum torum in se præmonstrare debuit & in nobis, quidquid sponsam servare voluit, quam ducebat Christo? ut sanctissimam paupertatem magis semper sectaretur, quàm delicias mundi; & amplecteretur dura & aspera, per quæ omnino itur ad Christum. Novimus enim, quòd non solummodo in hoc facto se imitabilem præbuit tam sanctus Pater; verùm etiam in omnibus, in quibuscumque Christi religio commendatur. Sed fortè quia rari sunt qui de se tale aliquid exhibeant, quoniam omnes pompas sæculi sectantur, tu ideo ista dicis. Sed iste de se ampliora ostendebat filiis virtutum exempla, licèt ex occasione itineris ista dixeris.

PASCASIUS. Quid si omnino in repetendis eorum officiis, recensendisque virtutibus animum adpulero? Ipsa recordatio, ut sentio, renovabit dolores nostros, quorum memoria voluptas est animi & incitamentum virtutum. Et ideo eorum meminisse gratia est suavitatis: quoniam jucundior in mente est atque alacrior eorum sancta recordatio, quàm ulla in præsentiarum oblectatio deliciarum: profectò quia instanti tempore jure nulla lætitia est sine mærore, nulla dulcedo sine amaritudine, nulla honestas sine confusione, nulla jucunditas mentis sine tristitia. Nam ubique luctus, ubique dolor & gemitus: quoniam, non dico cottidie, verùm omni hora ubique mala audiuntur, neque aliud quàm confusio nuntiatur. Porro duo isti, quamvis jam mala crebrescerent, quia viri virtutis erant, non poterant nos admodum mæstos relinquere, qui nos suis consolabantur verbis, instruebant exemplis, roborabant consiliis, & piis nutriebant disciplinis. Et ideo hodie adhuc manent nobiscum, & semper manebunt, si veri eorum imitatores fuerimus & amatores virtutum: quas si verè amamus, jam hîc non esse cœpimus, sed peregrinamur, saltem ex desiderio, quo melior nostra portio est. Numquam enim in nobis toti sumus, si eos verè dileximus; sed in illis, quia caput erant, in quibus nostri pars major fuit. Et quia uterque eorum in Christo vivit: propterea meliùs illic nos devotè peregrinari oportet, in quo summa universitatis est & portio singulorum. Hinc eorum recordatio jucundior cunctis opibus, & gratior in præsentiarum quibuslibet bonis, in quo nostrorum universus est fructus. Illuc namque & ipsi antequam irent, sua omnia transplantarunt, ut nos sursum adtollerent, quos parvulos in Christo nutriebant. Quanto magis eos illuc conversari oportet filios, quos ad hoc genuerunt, ut in cælestibus quasi lilia florerent, & quasi cedri Libani in altissimis crescerent? XVII.

SEVERUS. Ut audio, aliter ædificata est Roma à duobus fratribus, & aliter nova nostro de nomine. Illa siquidem carnaliter in terris, ista spiritaliter, ut dilataretur in cælis: illa ut edomaret gentes sub suo imperio, ista ut extraheret suos de mundo: illa ut cresceret rebus, & ditaretur rerum copiis; ista verò ut beata paupertate locuples, fundamentum haberet in cælis. Illa itaque à sanguine cœpit ædificari, & cum sanguine rebus bellicis crevit: ista ut paupertatem amaret præsentis vitæ in spiritu, & ditaretur in cælestibus. XVIII. Corbeja nova sub paupertatis dote condita.

An. Chr. DCCC XXXV. Aug. XXXI. PASCASIUS. Quantum video, tuo more agis, qui severè alios antequam corrigas, culpas. Fortè percenses eos, quos isti unanimiter duo plantarunt fratres, ut crescerent & dilatarentur in cælis. Jam tibi contra eorum præcepta & institúta, contra eorum provida satis monita videntur ire, & rebus crescere, deliciis affluere, & honoribus ac pompis sæculi dilatari. Aliàs autem superfluum esse puto mentionem duorum ædificiorum fecisse, nisi quia illa in sanguinibus terrena ædificata est; istud verò qood ab istis Domino dedicatum est, construitur juxta illud Hiezechielis, quasi ædificium vergentis ad austrum. Eisdem itaque mensuris super eadem fundamenta, eadem latitudine & longitudine, totidem habens portas, easdemque fenestras, & nullam crescendi aliam rerum magnitudinem. Ad hoc quippe duo isti eximii fundamenta in gentibus ad boream civitatis cùm ponerent unà cum turribus & propugnaculis suis, tria ista omnino monebant; ne rebus multùm ditescere gauderent, neque divitias sæculi appeterent, ita ut in eis cor apponerent; sed omnino delicias & voluptates, acsi venena fugerent. Ad ultimum ne ullis, acsi pro religione, honoribus & fastu delectarentur superbiæ, ne fortè ex toto fatescerent, & in vacuum deperirent: sicut in Galliis multas deperisse à religione ecclesias bene olim fundatas cernimus. Quapropter isti multis jam edocti exemplis, suos præmonebant filios, ne rebus affluerentur * humanis, pro quibus sæculo deservirent: sed ut essent pauperes spiritu, humiles & mansueti, mites ac misericordes, & justitiam semper in omnibus esurientes. quatinus de illis omnes bene vellent propter munditiam cordis eorum; bene optarent, ne propter invidiam rerum & felicitatem eis inviderent, & opprimerent eos sæculi servitute. De quibus adhuc favente Deo omnes bona nuntiant, bene existimant; & sunt adhuc virtutibus inlustres & mirabiles probitate vitæ: quoniam adhuc in eis eorum odor respergitur, & virtutes vigent; efferuntur laudes, magnificatur religio, & prædicatur excellens nobilitas: quorum adhuc benedictio in eis floret; & amplissima vitæ dignitas commendatur; crescit quoque ubertimus meritorum fructus, ac præclara pullulat & extollitur gratia.

Nota

* affluerent

XIX. Corbeiæ veteris bona cur novæ contulerint, abdicato dominio.

SEVERUS. Esset laudabile, Fratres, quidquid de eis amplissima virtutum fama ubique concelebrat, nisi priùs res sollemniter Monasterio nostro delegatas, & omnia illis in partibus quæ nobis collata sunt, de jure proprietatis Cœnobii hujus (quod valde mirabile est) alienaverint, & in sua eos proprietate per sese esse voluerint. Præsertim cùm rarus qui locum cui præest, ditescere rebus magis magisque non velit, ut valeat ampliùs dominari & dilatari, quasi pro religione, fastu potentiæ. Isti autem è contrario non solum locum, cui præerant, ditescere rebus, cùm possent, noluerunt; verùm collatas distraxerunt, & redegerunt in libertate usibus Fratrum, ne ad nos pertinerent.

PASCASIUS. Hoc igitur quod docebant verbis, faciebant ut confirmarent exemplis. Monebant enim, ne aut nos, aut illi res non necessarias susciperemus, neque facultatem habere amplam ambiremus [a], quasi pro Dei religione: sed rebus & possessioni ecclesiæ modum imponeremus, ne digitum illi ultrà extenderent, monente Propheta, aut agrum agro usque ad terminum loci absque concupiscentiæ fine copularent. Sed ne injusta vobis videatur hujusce libertas facti, noveritis, quia fructuosius atque honestius est, eo quòd justius & utilius esset, eas per se in usibus Cœnobii Domino sub libertate deservire, quàm nostro eas inopportunè satis atque superfluè dominari hereditatis jure. quia ubi vel ubi Domino seu

[a] Eadem Adalhardi monita pro Corbeia nova memorat Paschasius in Vita ipsius Adalhardi, suprà.

Ecclesiæ suæ hereditas deservire comprobatur, cùm in usibus servorum suorum religiosè satis cum caritate expenditur. Unde valde locupletatur donum gratiæ, cùm ex una radice perfectæ dilectionis duo Cœnobia monasticæ disciplinæ geminantur. An. Chr. DCCCXXXV. Aug. XXXI.

XX. Corbeiæ novæ tenuitatem & sæculi contemtum optabat Vvala.

ADEODATUS. Satis sit quod hactenus æquè ambos replicas, quorum una fuit virtus operis, una mentis intencio. Sed quia Arsenium in hoc opere lamentis prosequi decrevimus, qui in istis etiam ampliùs laboravit, solus fletibus commendandus est: quoniam nisi tam citò hinc abisset, fortè Fratres de quibus loquimur, cæli cives effecisset, qui contemtum sæculi eis in omnibus exhibebat. Fecisset sanè etiam eos semetipsos contemnere pro fide, sicut & ipse priùs semetipsum contemserat. Redegisset ergo omnium corda in unum gratiâ caritatis, ne ullus ultra normam & mensuram monasticæ disciplinæ ad ea quæ foris sunt, se extenderet. quod satis ostendit in Prælato [a], quem ibi præesse maluerant, cùm redisset, si non tam citò rursus propulsus Italiam petisset. Pro certo namque comperimus, quia ultrà nequaquam ibi præesset, priusquam de se humilia sentire didicisset; & non inflari pro genere, non delicias amplecti, non lascivire nugis sæculi & vanitatibus, neque quæ mundi sunt, sectati. Vidisses profectò hinc inde quasi ædificia cælestis patriæ consurgere ad normam illius civitatis, quam suprà commemoravi: quæ semper vergit ad austrum, & mensuris cælestibus metitur, & non humanis in sæculo dilatatur. Vidisses hodie turres ibidem & propugnacula fidei usque ad cælos humiliter exaltari, omniaque virtutum genera consurgere; & non pro fastu superbiæ locum rebus dilatari. Verùm tamen quamvis ita fatear, ejus odor adhuc hodie ibi fragrat, virtutes vigent, doctrina morum pollet, nobilitas conversationis manet, gravitas admiratur, conlaudatur caritas, & prædicatur in omnibus disciplinæ honestas, itatenus ut de fœcunditate filiæ, matris ubique fama adnuntietur valde gloriosa, & ubertas hinc inde dilatata per omnes adcrescat prolis. Hæc igitur, Fratres, Arsenii nostri sunt præconia, hæc ejus operis beneficia & virtutum insignia: cujus dum sæcula manent, & religio Ecclesiarum erit; ejus laudes famaque bonæ vitæ ab ore hominum numquam deficiet. Nec immeritò igitur, quia fructus redundabit in semine multiplici, dum laus satoris crescit rursus in messe, & messis per annos multiplicatur in plures. Unde veri Dei sententia confirmatur, qua ait: *Quicumque reliquerit omnia quæ possidet, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Reliquit ergo iste plura, sed majora in sæculo adquisivit: qui omnes facultates Ecclesiæ, ipsam amando Ecclesiam, suas fecit. Reliquit innumera, qui semetipsum & omnem concupiscentiam præsentis vitæ ad liquidum calcavit. Reliquit cuncta, quando semetipsum sic dejecit, ut eum vidimus cottidie laboribus fatigari, innumeris vigiliis excruciari, jejuniis & abstinentia indesinenter corpus macerari: ita ut videres cum Propheta David ejus pelles ossibus hærere, & virtutem carnis præ nimia inedia jugiter tabefieri. Sic denique paupertate Christi vestitus, felix & beatus jure emicuit, qui habitos honores contemsit sæculi pro religione: sed quàm strenuus fuerit operum ad virtutes, testis est Severus, qui cum eo multa egit, ut eorum Fratres exemplo proficerent. Matth. 19. 29.

XXI.

SEVERUS. Hac lege vobis meam adstringo fidem, ut quæ novi de illo plura reticeam, & memoriam optimè instituam: ut cùm tempus venerit, sopitis jam inimiciriatum facibus, palam volentibus audite edisse-

[a] Vvarinum, ut puto, intelligit, Adalhardi in novæ Corbeiæ regimine successorem in annos XXX, cui superbiam & tumorem Auctor hic videtur imputare. tametsi Vvarinum egregiè commendat libellus de translatione sancti Viti, infrà.

AN. CHR. DCCC XXXV. AUG XXXI. ram. quia si falsum aut vanum vel fictum nunc ex eo aliquis palam enarrat, magis utique placet. Et ideo, uti Allabigus iste fatetur, ego adeo hanc primus inveni viam: quoniam est genus hominum, qui se primos esse omnium rerum volunt, cùm nec sint. hos consector, his ego me comparo: ut rideant, hisque ultro adrideo. quoniam nullus de bonis nunc locus dicendi est: quia tales se detrahi putant, cùm alios laudari audiunt.

PASCASIUS. Bone JESU! homini homo quid præstat, quòd iste sibi virtutem cum re amisit, neque audeat fari quæ novit. Fortassis ergo hunc omnes noti omnesque amici & commilitones ita deserunt, ut nullus de eo audeat loqui.

ADEODATUS. Formidolosa res est, Pascasi, quod audio, ob favorem malorum bonos consectari non audere. Idcirco velim convalescas, fac ut audeas: &, si fieri potest, Severum revoca, ne multùm timeat, & ne bona quæ didicit, simul abligurriet * spe vana deceptus.

*l. abliguriat

Abbas optimus ut se gessit.

SEVERUS. Ergone istum laudare prætermittam, quem die noctuque desidero, quem cogito, quem admiror, cujus etiam mihi phantasma visu videre, refrigerari est? quem cùm recolo, amore acriùs inardesco; cùm commendo, veritati participor. Huncne apud probos laudare desistam, qui etiam apud eos, quorum inficitur odiis, laudandus convincitur? Gestat enim palmam laudis, etsi contradicitur ab his, ut Hieremias sanctus, qui de corde sibi falsa loquuntur: quoniam jam Prælatus, sicut restis est non solùm totius, cui præfuit, Cœnobii congregatio, verùm plurium familiaris notitia Monachorum, absque ulla exceptione Domnus delinquentium, & Abbas omnium nostrûm fuit. Abbas quidem, quia cunctorum Pater, circa singulos viscera caritatis rore Christi repleta gerens, affectu pietatis exhibuit: Domnus verò, quia nulli lascivire, ut adsolent qui curam pastoralem parvipendunt, ignaviter indulsit: sed inspector omnium moribus & vitâ singulos præcessit. ita tamen ut extremos quosque suis traheret hortatibus, & fœtantes cum Christo suis virtutum levaret ac portaret humeris. Nullum igitur, quem non suis calefieret * fomentis, tepentem reliquit; nullum, quem non sapientiæ sale condierit; nullum quoque, quem acrimoniarum non curarit doctrinis, si facultas morbi, Christi cooperante gratia, permisit. Verùm tamen appositè ad curandum peccati vulnera medici diligenter officia peregit, & ad persuadendum virtutes non minùs vitæ præbuit exempla, quàm & documenti importunè, oportuneve diligentiam. In omnibus unam tenuit caritatem unamque disciplinam; nihil neglegens, nihilque parvipendens, quæ ad salutem animarum sibi commissarum videbantur proficere. At nunc velim cetera Pascasius prosequatur, qui magis eum semper assensu consilii, quàm exemplis operum consectatus est; licèt me nunc assentatorem dicat: quoniam comes inremotus ubique cum eo fuit.

*l. calefaceret

PASCASIUS. Ego hominem callidiorem te vidi neminem. Numquid non tu ita fassus modò ea refugis, quæ consultum iri tibi plaudebas? tamen ne reticeam quæ plures norunt, ad regimen huic similem vidi neminem, qui tantâ virtutum polleret industriâ, & sanctæ sollicitudinis curâ tam indefessus ubique vigeret. qui gregem sibi commissum absens præsensve ita intenderet: qui pæne nihil aliud cogitabat, qualiter de singulis ante tribunal Christi rationem redditurus esset. Unde quàm sæpe cunctos generaliter non minùs, quàm plurimos specialiter de voluntate liberi arbitrii, & potestate proprii corporis juxta professionem monasticæ disciplinæ satis argumentosè monebat, ne nostrûm aliquis voluntatem propriam sequeretur. Alioquin, aiebat, quomodo rationem pro aliquo redditurus ero, nisi & potestatem sui corporis, & voluntatem

proprii arbitrii mihi relinquat; quod si ipse sibi in sua se retinuerit potestate vel voluntate, noverit rationem se redditurum, non solùm pro suis verborum aut cogitationum vel gestorum factis; verùm etiam quia contra professionem monasticæ legis in sua se retinuit potestate vel voluntate cordis. Tanto profecto, inquiens, liber ero, quanto non mihi debita potestas concessa minor, neque voluntas sui relaxatur arbitrii. Attamen quæcumque potero, caritative superimpendam, ut de potestate & voluntate liber inveniar, ne aut perfunctoria fallar potestate, aut voluntate meæ confectationis decipiar. Bone JESU, quanta ovium cura & sollicitudine animarum indesinenter afficiebatur, nunc generaliter erudiens omnes, nunc specialiter monens singulos; hunc minis, hunc doctrinarum deliniens blandimentis istum, juxta quod Propheta dicit, *Infrenabo te laude mea*; quasi adulatoriè laudibus revocabat, illum reprimebat conviciis: omnes tamen suis semper provocabat exemplis. Erant autem verba ejus, ut dixi, quasi clavi defixi in altum: & dum omnibus proponeret in conventu, videbatur unicuique quasi specialiùs affari. Nihil enim ex omni contextu Regulæ relinquens intactum, nihil indiscussum; etsi quid omnes quod minùs agerent, invenisset, illud coram multis apponens suasionibus, divinis, quamvis parum videretur, non neglegere commendabat mandatis. Quòd si quispiam ex omnibus sanctæ Regulæ verbis aliquid excedens non satisfaceret; hunc coràm, hunc secretiùs arguebat, & sale condiebat doctrinæ. Nihil enim parvipendebat: sed salutem animarum ante omnia & super omnia gerens, etiam minima quæque summa ac præcipua judicabat. Omnis ergo sermo ejus sale conditus erat: idcirco aut curabat vulnera, ne morbidis actibus grex periret; aut sanitatem custodiens animarum, virtutem animis inserebat: ut semper oves sibi commissæ in herbis virentibus accumberent juxtà aquarum fontes, & inde uberiùs pinguescerent; quosque corporeis provocabat etiam beneficiis, ut custodirent legem Regulæ, & mandata Christi exquirerent.

[a] SEVERUS. Quidam ait, quòd numquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit, cui non res, ætas, usus semper adportet novi aliquid, & moneat ut illa quæ te scire credas, nescias, & quæ tibi putaras prima, in experiendo repudies: quod nobis satis nunc dolendum evenit. Nam nos vitam duram olim qua viximus cum eo, prope jam excurso spatio amisimus. quamobrem rem ipsam jam censemus facilitate: & nihil esse homini melius, juxta Proverbia Salomonis, quàm deliciis afflui *; & suis unicuique frui laboribus. quod nunc nosse perfacile est, quando aliquis suam semper agit vitam in otio, in conviviis, clemens sibi & placidus est luxu voluptatis, nulli lædere reo ausus pro veritate, nulli contradicere consuetus, adridere omnibus, nullumque redarguere; sibi quidem vivere, sibi sumtus facere: & ecce hunc omnes benedicunt, amant & glorificant. Nos autem denotare quàm simus agrestes consuerunt, quàm sævi, quàm tristes, quàm truculenti, quàm tenaces, quàm ceterorum infamatores. Ergo talibus dum studemus satisfacere, conterimus in quærendo vitam, ætatem; & capimus ab his odium interdum pro fructu laboris, dum suis potiuntur commodis: eosque amant ceteri ac diligunt, nos quoque fugitant, talosque ut vivant, optant. Illis quidem sua credunt consilia, apud eos sua commendant vota: nostram autem exspectant mortem, & liberos se promittunt futuros, si desierimus ista culpare, ac nullis eos redar-

AN. CHR. DCCCXXXV. AUG. XXXI.

Esa. 48. 9.

Terent. in Adelph. Act. 4, Sc. 4.

Eccl. 2. 25.

* affluere

a Ex his aliisque verbis conjector Severum fuisse Abbatem, ut Heddonem, qui Corbeiam rexit post Walam.

An. Chr. DCCC XXXV. Aug. XXXI. guere posse officiis. Unde si velimus istum laudare, se quoque reprehendi putant.

XXII. Paschasius. Age, age, nunc experiamur è contra quippiam blandè si possimus dicere, aut benignè facere. sin autem, quæramus nos à nostris reamaris & quæ digna sunt laude, commendare posteris, etiam & ista dando, obsequendo, suadendo, diligendo tentemus emollire. ut & bona diligant, quamvis nequeant imitari, aut nolint; & quæ proponimus veritatis, non spernant. An non recolis tu, quid Arsenius noster egerit, quando quidam è nostris alterius prælationem invidens tumebat, dum se vilissima obsitum cuculla biemali conspiceret, eumque antepositum?

Monachi superbiam ut curat.

Severus. Recolo planè, & satis reminiscor, quoniam mox de sua vilitate invenit antidotum. Induens ergo se cucullâ optimi subtegminis præcipuâ, post triduum jam illo vanescente tumore, Fratri Pater obvius venit, inruensque super collum ejus deosculabatur; accipiensque exutus induit eum cucullâ suâ, illiusque vestivit. Tuncque Frater blandiciis delinitus alacris, sanusque recessit. Tum porrò Pater gloriabatur sui, jucundabatur illius; eo quòd talem * reperisset vulneris medicamentum, quo & sibi meritum, illi quoque sanitas augeretur. Multis itaque diebus illa indutus veste, nostram conveniebat superbiam, qui de habitu preciosiori nonnumquam, unde nos humiliari congrueret, extollimur. Imitatus est ergo summum Patremfamilias, qui redeunti filio prior occurrit, eumque stolâ primâ vestiri fecit; ut caritas invitaret ad amorem, quem luxus expulerat ad exsilium. Ecce in uno eodemque facto tria conspeximus, medicinam Fratris, Patris augmentum, & omnium nostrûm religionis exemplum. Sed quia tales non sumus, valde nobis ingemiscendum, quia de cultioribus dum delectamur rebus, etiam à sæcularibus despicimur, profectò quia sciunt quid esse debuimus.

* tale

XXIII. Adeodatus. Miror, cùm tantæ caritatis fuerit tantæque sanctitatis, cur etiam aliquando quasi sommitatem lacinii præcidentes de ora chlamydis, austerum eum fuisse seu durum inculcant: præsertim cùm in reliquis vitæ virtutibus multis attollant laudibus?

Durus cur nonnullis visus.

Paschasius. Ne mireris quæso quod ex Evangelio recognoscis. Nam piger servus dominum durum vocat, non quia durus sit; sed piger servus, quia torpet culpis exigentibus suis, dominum infamare laborat. Hinc redeant tales ad conscientiam, ne fortè dum durum istum prædicant, atrociora sibi augeant flagra, & vindictam cumulent. Nam etsi Dominus colligere dicitur, quo non sparsit; exigit cum usuris, ubi non seminavit. Quid putas austerum eum fuisse, cùm pius ac mitis probatur, nisi quia torpentium ignavia id facit severum? Probant igitur se pigros, qui sequi nolunt: eumque durum vocant, qui vitia leniter vix compressit, & ad virtutes suo provocavit exemplo. Alioquin si durus videtur, duriora erunt tormenta deceptoris: quoniam nihil nisi vitia culpavit, & virtutes coluit, ne talentum sibi conlatum vacuus reportaret. Quòd si Hieremias talibus præesset, nec dubium quin durior culparetur. quoniam frontem ejus Dominus eorum frontibus duriorem posuerat. Luxus quippe virtutum viros duros judicat semper & agrestes. Verùm tamen iste benignus ac pius fuit, qui plus aliis umquam quàm sibi indulsit? sed vitia aut repressit, aut funditus ex initio resecavit. Unde si durus fuit, illis utique, qui nec suppliciis à suis reflectebantur conatibus, nec præmiis molliebantur. quorum profectò cor obtorpuerat, ut nec ejus, nec Christi pia monita sentirent: quia quibusque interdum plus proficit timor, quàm amor. Hinc quoque scriptum est: *Initium sa-*

Psal. 110.

pientiæ timor Domini. Et ideo Arsenius nunc minis, nunc plagis, nunc rerum beneficiis, nunc blandis persuasionibus agebat, ut filios nos adoptionis Christi faceret. Omni namque industria & sagacitate curabat circa singulos, ne deceptus diaboli astutiâ aliquis periret. An non vidistis circa fratrem illum quid egerit, qui vecors recedere gestiebat nolens pati, culpis exigentibus suis quod commiserat?

An. Chr. DCCCXXXV. Aug. XXXI.

SEVERUS. Vidimus planè, & cum eo egimus, is ne sic efferatus hinc abiret, ponentes ad portam milites, qui eum deterrerent. Unde ille timore compulsus introrsus rediit, atque prostratus ad pedes cecidit suffusus lacrimis.

XXIV. Monachum discedentem ut retinuit.

PASCASIUS. Gaudeo verè quòd recolis, & jucundor nimiùm: quia de quo loquimur, perfectioris vitæ modestiam tenens, plurimùm, ut reor, proficit ad virtutes. Bone JESU, quanta tunc lætitia fuit! Etenim quasi vidisses prodigum filium revertentem, exsultantemque patrem. Flebat ergo ille præ gaudio, flebat & filius jam mansuefactus. Nam & ego cùm vidissem eos plurimùm flentes, infremui, simulque multas permiscui lacrimas, Deo gratias agentes, acsi de mortuis eum reciperemus. Talis quippe Patris erat austeritas, talia viscera rigoris, talis voluntas, talisque affectus. Sed nunc quàm miseri sumus, quibus peccandi libertas datur! alioquin si tunc nemo impunè peccabat, & tamen recidivi surgebant casus; quanto magis cùm nunc malis blandimur nostris.

ADEODATUS. Ut video, iste perfectæ caritatis fuit, qui ad quod Christus dilexit, diligebat suos; & quod in divinis invenitur disciplinis, operibus exigebat. Sed aiunt, quòd non satis conformis erat: idcirco minùs redamabatur, minusque frequentabatur à multis.

XXV. Aliis satis conformis.

PASCASIUS. Fateor quòd ei sæpe ista intuli verba, licèt scissem, quòd pæne omnibus omnia factus esset. Sed ipse, non ut adsolent quidam, excusatoriè, immo humiliter respondebat, non tantam se latitudinem cordis habere, quanta est arena maris, ut omnia posset. Ac deinde, Quibus me conformari, inquiens, optas? numquid ignavis aut vitiosis? numquid vaniloquis & jocosis? Annon legisti quid Apostolus clamet? *Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri.* Talibus ergo & hujuscemodi exemplis altiùs se jugi conatu erigebat ad virtutes, ne levitas dissolveret mentis, quæ gravitas Domino caritatis offerebat introrsus. Miror, frater & fili, quid velint lasciviis & voluptatibus dediti, perfectiores quosque sibi conformes fieri, cùm ipsi potiùs transire deberent ad formam virtutis. alioquin adoptionis filii non erunt, nisi præsciti & prædestinati fiant conformes imaginis filii Dei. Ad hanc igitur formam præscitus & prædestinatus Arsenius iste, idcirco puerilibus non se multùm coaptabat ludicris: licèt interdum celsa in petra stans, rarinantes [a] quosque pueros suis ad litus hortabatur facetiis comminus venire. quibus licèt risum moventia parum diceret; gravitate tamen agebat, ne dissolveretur virtus argumentosa: sed ut lactans infantia, suis exuta crepundiis, paternis lactata visceribus, perfectiora appeteret. Nullus tamen eorum vultui credebat risibili coram eo, nisi gravitate se reciperet. quia juxta quod Job ait: *Etsi ridebat ad eos, non credebant ei.* Quoniam etsi resolvebat gravitatem eloquii, lux vultus ejus non cadebat in terram, agens argutè, ut sibi conloquentes ad virtutum studia provocaret. Porro eum cùm audirent, exspectabant sententiam ejus, & intenti tacebant ad consilium. Licèt Job virtutibus longè inferior esset, auris tamen audiens beatificabat eum, &

Rom. 12. 2.

ut gravitatem cum junioribus temperabat.

Job 29. 24.

Ibid. 11.

[a] Sic in ms. codice legitur. Auctor alludere videtur ad illud Virgilianum, facto ex duobus uno vocabulo: *Apparent rari nantes in gurgite vasto.*

[An. Chr. DCCCXXXV. Aug. XXXI.] oculus videns testimonium reddebat ei; quòd liberasset pauperem vociferantem, & pupillum cui non erat adjutor. Benedictio namque perituri super eum veniebat, quia profectò à puero justitiâ sicut vestimento est indutus. Unde & causam quam nesciebat, diligentissimè investigabat. [Lotharii pædagogus] Quapropter cùm pædagogus esset Augusti Cæsaris ^a ultra Penninos * Alpes, quid egerit in judiciis, quidve in dispositione rerum & justitiæ disciplina, Chremem interrogemus. [* sic]

[XXVI. Judicis iniquitatem ut detexit.] CHREMES. Vereor laudare virum, ne id assentandi magis quàm quod habeam ex illo, & gratum facere existimer. Tamen ex toto ne reticeam, qualis quantusve investigator veritatis fuerit, quàm strenuus in sententia, quàm fortis contra summos judices iniquitatis, quàm efficax ingenio contra eos qui corrumpuntur muneribus, unum è pluribus pandam, quo facto nihil iniquius hoc in tempore didici. Nam cuidam judiciario viro vidua quædam nobilis, quasi defensori, sua seque commisit, cui & per testamentum traditionis, etiam parte dimidium rerum suarum adsignavit; ut cetera sibi tuta manerent. Ille verò mox callidè ad integrum omnia in eodem testamento adprehendit, & testes adhibuit. Unde præfata mulier ad sua reverti volens, suisque rebus uti; adsunt prohibentes ne ad sua ingrederetur, quasi defensori suo omnia tradidisset: & bene (ut aiunt jocosè) omnia defendit, qui possessori nihil relinquit. Tum illa infelix vidua suis viduata rebus, Imperatorem adiit: illeque suis eam cuidam Episcoporum unà cum reliquis judicibus terræ sacris commendavit scriptis, ut causam ipsius diligenter quærerent, judiciumque rectum agerent. Sed quia declinaverat unusquisque post avaritiam suam, causa viduarum non ingrediebatur ad eos. Hinc sibi fabricantes mendacium, adplauserunt unà cum testibus, ut populus non intelligeret talia, & universi usque ad Sacerdotes Christi facerent dolum. Quibus ita patratis, suis illa rebus jam explosa, defensor ille à senioribus populi relatum accepit, ne ulteriùs de his ulla rerum controversia fieret. Verùm tamen illa multis vexata malis, & molestiarum doloribus, tandem per Alpium aspera juga montium longo confecta itinere, repedavit ad Gallias, Regemque suis pulsare fletibus cœpit. Tum Rex tantis miseriarum gemitibus permotus, Arsenio nostro eam commisit, qui tunc unà cum Augusto filio ejus ob institutionem & dispositionem regni à patre quasi fidissimus mittebatur & propinquus. Quam ille præmittens, ad sua ut rediret jussit, donec veniret idem in patria, ut tunc coràm cum suis se præsentaret testibus. Quibus auditis, Italia omnis contremuit, & ad sua callida se convertit fraudis argumenta; cœpitque moliri insidias in mortem feminæ: quia cernebat venire, quem muneribus posse corrumpi non putabat. His igitur armis omnium consuevit infringere mentes, & ad suos inlicere concupiscentiarum amplexus: quo * pæne omnes sequuntur retributiones, & diligunt munera. [* l. quoniam] Sed cùm in isto nihil ad impietatem proficere posset, vertit se ad fraudes facto iniquitatis. Cui cùm jussisset saltim partem aliquam reddere de rebus, quas injustè per dolum subripuerat; sciens se circumclusum, mox immisit clanculo quadam in via tres de suis qui eam occultè perimerent. Sed quia tres erant in negotio, videbatur non satis tutum ad silentium. Junxit scelus sceleri, ne fortè interrogati facinus detegerent. Sepositis longè ab invicem, uni eorum duos interfi-

^a Nempe Lotharii, filii Ludovici Imperatoris, de quo Eginhardi Annales ad annum DCCCXXII. *Lotharium verò filium suum in Italiam misit, cum quo* VVALACHAM *Monachum propinquum suum, fratrem videlicet Adalhardi Abbatis, & Gerungum Ostiariorum magistrum unà misit, quorum consilio & in re familiari, & in negotiis ad regni commoda pertinentibus uteretur.* Huc spectat illud quod Amalarius in præfatione Antiphonarii memorat de legatione VValæ Abbatis Romam, qui exinde Antiphonarii Romani libros in *Franciam*, hoc est in Monasterium suum, *secum abduxit*.

cere jussit, ut jam nullus esset in superficie terræ, qui sanguinem innocentem dolo perfusum referaret. parvipendens miser, quid divinus arbiter sentiret, tantùm ut humanum judicium evaderet. Sed Arsenius noster Dei succensus zelo, multis usus est argumentis, ne lateret occultum, quod manifestum constabat: quamquam nec judicio, nec testibus comprehendi posset, à quo esset factum. Repperitur interdum tamen unus eorum in cujusdam specu subterraneo defossus, & fit inde conjectura dissimilis. Tenetur is quidem reus, in cujus invenitur specu: sed criminatur alter, cujus gestum suspicatur instinctu; nullus tamen eorum convinci potest ab aliquo. Qui, putas, dolor tunc erat in mente Arsenii, quive gemitus? Vidisti, Domine Jesu, quantas coram te profuderit preces, quantasque lacrimas, qui sanguinem Abel justi de terra clamantem olim audieras, etiam ut horum à quo fusus esset, aperires. Contra quem tota Auxonia unà cum suis senatoribus corrupta muneribus decertans agebat, ne inveniretur reus ab uno, qui omnibus notissimus erat raptor & homicida. Tu autem scrutans corda & renes, Deus, omnia noveras, & tamen athletam tuum multo afficiebaris * zelo, nec illi demonstrabas quod patebat plurimis, sed suorum complicibus. Moliebantur omnes pæne usque ad unum, ne inveniretur reus: quia in uno jam coram te, Deus, erant plures rei facti. Quantis tunc militem tuum iniqui lacerabant infamiis, quantisve derodebant calumniis, quasi solus præ omnibus esset incredulus, solus innocentium contra legem afflictor! Legem igitur proponebant, qui justitiam non metuebant infringere: sed sanguis innoxius de terra clamabat: etiam & peremti, quòd eum injustè fudissent, jam apud inferos recepti publicabant. Quid plura? etiam omnes proceres palatii nunc legibus, nunc testibus, nunc verò multis argumentorum ingeniis agebant, ut eumdem reum quasi innocentem dimitteret: interdum autem precibus eum fatigabant. Ipse verò nullis infatuabatur fallaciis, nullis frangebatur opprobriis: sed invictus agebat quodcumque poterat, si quo modo tandem aliquando veritas manifestaretur. Tunc ad ultimum videntes ejus constantiam, decrevere, quòd nisi judicium de eo acciperet, nihil ampliùs, licèt lex pro parte manifesta esset, in hac controversia facerent. Applaudebat autem populus, quasi miles Christi nec judicium vellet recipere. Quibus ille auditis, solita repetit arma, sibique jejunium indixit & nobis qui cum eo eramus, ne fortè, ut adsolet, in eodem judicio aliqua fraus inimici prævaleret. Totam igitur noctem pervigilem duximus in oratione precantes, ut pius Dominus tanti sceleris reum detegeret. Mane autem facto confisi de Dei pietate processimus quasi ad spectaculum, ubi omnis populus jam convenerat. Erat quippe tunc magnorum multa insultatio, ita ut plures Episcopi ducerentur in hac infestatione: quia profectò causa tanti discriminis non ingrediebatur ad eos. Tunc verus athleta Christi cœpit impellere, ut jam judicium pararent. quorum positus in medio, expansis manibus preces ad Deum fundebat cum lacrimis, ne tanta fatuitas judicii etiam probos quosque maculis afficeret. Quibus ita profusis mox de maxilla, cælum penetrant: & quia tribunal humani judicii munus subverterat, thronum gratiæ Christi adsistunt lacrimæ, cum quibus pariter de terra sanguis innoxius clamabat Siquidem internus arbiter, quasi Cain rursus vetustam increpans conscientiam, coëgit confiteri, quod malè tegebatur occultum; & corruit mox ad pedes Arsenii tremens ac gemens: quia judex divinus miseram conscientiam intrinsecùs puniebat. Unde novo timore perculsus, cœpit etiam omnes denotare, quorum præsidio est usus, ista ut auderet: nihilque sibi ex omnibus quæ habere poterat, nisi ut adstabat, solummodo remansisse, præsertim quòd circumstantibus om-

AN. CHR. DCCCXXXV. AUG. XXXI.

* l. afficiebas

An. Chr. DCCCXXXV. Aug. XXXI. nia contulisset. Unde profectò illi excæcati pervertebant judicium, in tantum ut Arsenium suis afficerent odiis, & tædiarent insidiis: sed jam divino convicti judicio, confusi omnes discessere; ac miser clementer redditus est pœnitentiæ.

PASCASIUS. Infelix nimiùm tempus, quando aliquis, si quid bene velit aut judicat, nemo obtemperare disponit; sed unusquisque suum velle, & non Dei intendit. Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones; æquè cunctis studium, similis pertinacia. Uno eodemque videntur ludo ad malitiam prospicere, & si hujusmodi ullus est lusus. Hinc sanè forsitan parvam adhibeant fidem, quia ex suis studiis nostrum judicant Arsenium, quasi nihil aliud possit esse aliquis, nisi quod ipsi sunt. præsertim cùm apud eos nulla sit veritas, quia corruit in plateis, & æquitas non potuit ingredi. Unde sanguis viduæ non ingrediebatur ad eos: sed quia innocens erat, prædæ patuit.

XXVII. Alia justitiæ edit exempla. SEVERUS. Quid se de his rerum negotiis Chremes tantum permovet? cùm & apud nos degens pæne cottidie de abditis cordium receptaculis secreta judiciorum conjiciendo protrahebat ad publicum, ut jam vix esset, qui ei sua celare auderet occulta: sed perscrutatis delictorum admissis, lenissimam Christi medicinam mox superponebat ægrotis.

CHREMES. Verè ita est, ut recolis: sed hic plures erant, qui cum eo talia perquirerent ad salutem: illuc verò nullus aut rarus inventus est, non modò qui veritatem vel justitiam non corrumperet, verùm etiam exsertis brachiis contra eum qui scelera iniquitatis non defenderet. Hinc quoque quidam cùm testamenta hereditatis alterius fraude detulisset, testes adhibuit, & in quadam gladii theca ea occultè posuit; sicque caussatori suo dolosè reddidit. Ille verò nesciens quid acciperet, mox ibidem casu prætermittens, repetebat paginam hereditatis suæ ut redderet. At verò è contrario cum testibus alter agebat, quòd ei omnia sui juris instrumenta reddidisset. Sed quia omnis controversiæ finis sacramentum est; jurantibus illis miser non habuit quid repeteret: tamen veniens ante præsentiam, querelosis aiebat quid gestum esset vocibus. Tunc noster subridens Arsenius, jussit venire reum, ac si conscius esset ordinem tanti criminis: Infelix, inquit, nimiùm, quomodo hujuscemodi calliditatis stropham tantam taliterve excogitasti? At ille videns se quasi deprehensum, corruit ad pedes, & quod latebat aperuit.

ADEODATUS. Ut video, sapientia Salomonis in isto fuit. & ideo ad investiganda secreti negotia tam sagax erat.

XXVIII. Fratrum errata detegit. PASCASIUS. Sæpe contigit, quod PARMENO ait *, ut homo quilibet imprudens plus boni interdum nesciens, quàm priùs sciens umquam agat. Sed hic noster nihil imprudenter egit à professione sua, qui sæpe latentia suis comprehendit conjecturarum retibus. quod & ipsi quàm sæpe vidimus in quorumdam Fratrum delinquentiis. Ab initio enim semper peccantes umbras adeunt, & gestiunt subterfugere, ne appareat culpantibus, quod divinis patet adspectibus. Sed quia longè diu Italiam ingressi, cis Penninas Alpes exsulati sumus, ubi aurea vidimus Saturnia regna artesque malignas, seu in quibuscumque mundus regnat & meretricatur Auxonia cæspis; Gallias tandem, pæne omnibus correctis rebus, & EUGENIO sanctissimo Apostolicæ sedis ordinato Antistite, in cujus nimirum ordinatione plurimùm laborasse dicitur, si quo modo per eum deinceps corrigerentur, quæ diu neglegentiùs à plurimis fuerant depravata, regrediamur.

* apud Terent. in fine Hecyra.

in Eugenii electione laborat.

XXIX. Munera quatenus accepit. ADEODATUS. Fortassis ergo, Pascasi, non minùs occultè, quàm callidè seu ingeniosè, quem laudare decreveras, acriter culpas: quasi videris quæ detulit Fratribus oblata munuscula, universa pæne in quibus divi-

divitiarum genera vel ornamentorum mundus regnat; talia namque vel tanta, qualia nullus nostrûm se vidisse simul testamur. AN. CHR. DCCC XXXV. AUG. XXXI.

PASCASIUS. Numquam itaque crediderim, quòd tam suspiciosus esses tamque nemorosus *, in tantum ut ea quæ sinceritet dicta sunt, mei ad calumniam vertas. Nam de his tu fortè moveris more quorumdam, ex quibus alium notas. Tamen illa omnia benedictiones * fuisse castæ dilectionis, aut obsequia magnatorum, quia procurator regni & magister Imperatoris erat, debitæ venerationis, nemo qui dubitet, dum rectè de proximi conscientia censeat. Qua profectò conscientia tutus coram omnibus nobis, Ista, inquit, omnia quæ cernitis, tam securè sine alicujus discrimine potestis accipere, quàm ego sine concupiscentiarum elogio, vel sine ullius rerum dispendio gratis Deo & vobis in me suscepi oblata causa honestæ acceptionis, & honore Augusti, vestræque utilitatis. Alioquin pro his nullus injustè aliquid aut adquisivit, aut perdidit; neque accepta vel data doluit: immo, ut verum est, à plurimis cùm nollem accipere, vobis deferri quasi in eleemosynam precati sunt. Quapropter his ita susceptis, patet, non, ut opinaris, à me dictum fuisse, sed usus patriæ & regni delicias prænotasse. quia omnino hunc tam liberalem & mundi contemtorem in omnibus noveram, ut semetipsum juxta Domini vocem reliquerit. Ergo qui semetipsum tam perfectè, ut omnes scire licuit, dereliquit; quid sibi, non dico iniquè aut cupidè, verùm etiam licitè sibi adquirere potuit? Immo, ut fassus sum, & res patuit nobis, ea magis suscepit, ne fortè aut illi (ut adsolet) qui dare volebant, læderentur offensi, aut nos, nostris expensis vacuus si rediret, his auditis, quòd sprevisset quæ nobis mittebantur, calumniaremur.

* l. morosus

* id est munera

ADEODATUS. Placet quòd objecerim eum te culpasse, quia auditum erat de his quæ adtulerat: ut omnes intellegant, quàm liberalis fuerit, quàm alienus à sæculo, quàmque mundo mortuus, qui nec pro his omnibus à nobis, neque pro aliis quibuslibet beneficiis, ab extraneis inhonestè saltem gratiam requisivit, sed conscius sibi semper in omnibus Deo placere studuit.

PASCASIUS. Ita est, mi Frater, ut adseris, in tantum ut quidam ex nostris non intellexerint tunc temporis ea illi pro munere data, sed nobis à quamplurimis magnorum, aut à summo Pontifice sedis Apostolicæ, qui ei quamplurima largitus est, transmissa. Unde contigit quadam ex die, cùm quidam è Fratribus eum pro talibus & hujuscemodi factis laudaret, alius respondisse fertur: Quid de illo talia in laude fertis? nonne nobis ea quæ detulit, fuere directa? ad quod, cùm dixisset, risimus omnes. Tunc alius; Te fortè decet, inquit, tibi talia tantaque mittantur. Misera, inquam, planè humana conditio, quæ tam est hebes, invida, vel ingrata. aliàs autem eorum is nisi in aliquo laborasset, nequaquam ita fassus esset. Verùm tamen constat nostrum Arsenium tantum tunc temporis dilectum fuisse atque famosum, quantum nullus eo in regno. Idcirco talibus tantisque oblectabatur muneribus, in tantum ut nolens cogeretur accipere gratis, ne læderetur amor dilectionis. Agant alii quod possunt; insidientur & terreant quantum possunt; vendant justitiam pro muneribus; sæviant fraude vel dolis, & omnia cunctis venalia præstent: nulli tamen eorum tam multiplicia, tamque præcipua, quàm isti solummodo pro amore ac veneratione gratis offerebantur. Quibus ita dictis, quia tandem ad Gallias rursus stilum vertimus, finem libri ponamus: quoniam ea quæ deinceps cum gemitu prosequenda sunt, tam dira sunt, tamque immania, ut vix aut nullus qui mente valeat comprehendere, quia formidolosa sunt nimiùm & confusa. Quæ cùm attigerit calamus, quamvis lapideum cor gerat scriptor illarum rerum, nescio si litteræ præ la-

AN. CHR. DCCCXXXV. AUG. XXXI.

* pro interim

crimis possint formari, ne abluantur fletibus. quanto magis ut formetur narrationis ordo & status? Hinc consolemur interdum * nos gaudio conscientiæ, quòd talem eum tantumque cognovimus & habuimus, de quo gaudere in Domino non veremur. Et ne ullis frangamur infamiis prævidendum: quia nunc in tempore plurimi etiam honestiores obloquuntur bonos, ita ut nullus exire intactus possit.

EXPLICIT LIBER EPITAPHII ARSENII PRIMUS.

INCIPIT SECUNDUS.

Interlocutores PASCHASIUS, ADEODATUS, THEOPHRASTUS.

ADEODATUS.

INTRODUCTIO.

Intermissum opus resumitur.

POST innumeras intus officii curas, post immensas exteriùs occupationum causas, post varios rerum negotiorumque eventus & vitæ dispendia, post longa huc illueque diversi itineris fatigia & concursus ubique, post indefessas omnium pressuras; tandem divino dispensante judicio, relictis omnibus, quia tibi, Pascasi, reddita est quies & libertas animi, recordari oportet quod omisimus olim, quatinus deinceps aliquando epitaphii Patris formam expleamus, quam commendare litteris cœpimus pridem. alioquin esset honestius non inchoasse, quàm inchoata non explere.

PASCASIUS. Confiteor ita esse, mi Frater. Sed vereor post surda vitæ silentia, post omissa litterarum studia, repetere, quod aut oblivio abduxit, aut levitas morum jam audire fastidit. Insuper etsi esset de talibus tempus loquendi; præsertim jam nulla est mihi, etsi quandoque fuerit litterarum facundia scribendi. Tamen ne quod cœpimus, infectum veniat in opprobrium, inimicis in gaudium, & desidiosis in exemplum; experiar quod hortaris, & incipiam, licèt inexplebilia sint gestarum rerum lamenta quæ restant. Sed quia interdum Severus ingressus est felix viam universæ terræ, & Chremes inter discrimina [a] nostra jam discessit; necesse est unum eligamus de his more sanctorum Patrum, qui nobiscum eum eo versati sunt: quatinus per eum & veritas, quasi sub tribus testibus, meliùs commendetur; & noster planctus non diversus vel numero inveniatur. Idcirco, Frater, quia tuum fuit quæ cœpimus reincipere, tuum sit consortem in hac parte eligere.

ADEODATUS. Quamvis ergo minùs idoneus sim præjudicio discernendi; quia devotus tuis exsisto jussis, non abnuo quod exigis. Non enim philosophum ad lamentum rite quærimus, sed eorum aliquem, cujus aut memoria piæ recordationis, aut affectu ad lacrimas incitemur. Unde si tibi videtur, liçet glaber sit, ex omnibus eligamus Teofrastum.

TEOFRASTUS. Nequaquam igitur cogitaverim, quòd jocos ludo velitis serere, aut puerilia sectari.

PASCASIUS. Noli mirari, Frater, si te glabrum ad hoc Adeodatus elegit, cùm me decrepitum longè diu talibus oblitteratum studiis non omiserit: quoniam threnos & veritatem audientibus maximè probi & bene conscii amantes commendare debent. Ideo nos duo in multis possumus jam diu vexati quàm bene filiis & amicis nostros pandere fletus.

CAPUT I. ADEODATUS. Sed antequam veniamus ad lamentum, rogo, indices

[a] Id est inter turbas, quæ Paschasio Abbate contigerunt in Monasterio Corbeïensi, de quibus in ipsius Paschasii Elogio dicendum infrà

nobis initium tanti discriminis: quia nullus est sani capitis, qui credat hæc sine offensa Dei in populo contigisse. *An. Chr. DCCCXXXV.*

PASCASIUS. Verum hercule quod ais: sed necdum omnia licet omnibus reserare, maximè quibus veritas odio est, & scelera placent. Tamen etsi minùs bona eisdem placeant, verum non semper occulendum est: quia hic de quo loquimur, etiam exprobrantibus sibi verbum veritatis liberè loquebatur. Ex quo fit, antequam hæc mala totius imperii apparerent, crebrescentibus jam jamque cottidie Dei justo judicio in populo diversis calamitatibus & flagellis, ut Imperator unà cum suis Senatoribus & Proceribus terræ requireret, quid esset quod divina majestas offensa tot taliaque longo in tempore isto præmonstraret in populo: quia jam, Scriptura teste, sola vexatio intellectum dabat auditui. Tumque præcipitur, ut singuli de hoc diligentiùs quærerent usque ad alium * Placitum [a], quid esset in quo Deus offensus esset, vel quibus placari posset operibus. His ita quidem jussis, statuit mox Arsenius noster coram oculis miserum orbem, & divinas leges, simulque Patrum decreta: in quibus conspexit ilico, quantis Ecclesiæ Christi depravatæ forent modis, qualibusque populus universus carnalium rerum operibus corruptus. Qua de causa parvam edidit schedulam quidem sibi ad memoriam, in qua litteris depinxit universa regni hujus efficaciter vitia, sicque circumspectè, ut nullus adversariorum omnia ita non esse negare posset. Inde ad comitatum rediens, omnia coram Augusto & coram cunctis ecclesiarum Præsulibus & Senatoribus proposuit singillatim diversorum ordinum officia, excrescentibus malis, & ostendit cuncta esse corrupta vel depravata.

Aũo XXXI. Imperii causæ ruinæ quæ fuerint, aperit Vvala.

Esai. 28. 19.

** aliud*

TEOFRASTUS. Obstupesco valde, cùm ejus tantis provocamur exemplis, quòd nemo nostrûm qui ad plenum veritatem de illo audeat posteris narrare, licèt audeat detegere peccata populi longè diu accumulata, clades, pestilentias, fames, inæqualitates aërum, terroresque etiam visionum. Quibus profectò malis præcessit prior pulverum fallax adinventio, sub qua tanta fuit vexatio & prodigium mendacii, ut prudentibus daretur intelligi, quod universus orbis ad tentandum esset expositus in manibus inimici. Ex quo liquet, pro talibus & hujuscemodi causis peccata regni, quæ necdum completa sunt, quòd cottidie in pejus cumulentur. sicque restat, quod in multis factum comperimus, ut destruatur. Unde timendum ne fiat in nobis, quod in multis jam gentibus actum legimus. Nequaquam igitur dixerim sine causa miracula Sanctorum longè diu in Christo quiescentium nuper coruscasse, quanta & qualia numquam sunt audita à sæculo facta uno in tempore ad reliquias Sanctorum: quia omnino, quasi in gallicinio, Sancti hoc in regno huc illucque delati, se invicem excitarunt quasi ad concentum cantus. ut daretur intellegi, quòd nostra infidelitas, juxta Apostolum, id exigeret, quia signa non fidelibus, sed infidelibus, ipso teste, verissimè dantur: si quo modo post tenebras cæcitatis nostræ ad veram lucem, quæ Christus est, tandem expergefacti resurgamus. NOTA

ADEODATUS. Fortassis ergo iste priùs si vocatus esset ad conloquii lamentum, quasi proditor nos detegeret, non valens cohibere spiritum in loquendo. Idcirco etsi vera sint quæ tangit, suo in loco dicere non exspectat.

TEOFRASTUS. Nequaquam igitur quæ proposui, alio in loco rectiùs proferuntur: quoniam mala quæ per partes creverant, primùm isto in

[a] Placitum hoc anno DCCCXXIX habitum fuisse lego in epistola Ludovici Augusti, quæ Concilio Parisiensi sexto præfixa est.

AN. CHR. DCCCXXXV. AUG. XXXI. tempore feriuntur. Crevit enim hoc Imperium prosperis successibus usque ad præsens, quasi in perfectam ætatem plenitudinis: sed vitia quæ perpartes, ut adsolet, in prosperitate commissa sunt, coacervata inoleverant; justo Dei judicio; non minùs flagellis, quàm & novis virtutum miraculis arguuntur. Propterea igitur, ni fallor, isto denotanda & plangenda sunt loco: ut si non nobis, saltem posteris veniant correctionis ad exemplum.

II. PASCASIUS. Ita esse negare non possumus: tamen quæ noster Arsenius coram omnibus & summis Proceribus tum proposuit, omittere non debemus. quoniam ista & hujuscemodi alia eum ad hoc impulerant, ut cunctis ex divina auctoritate, acsi Hieremias alter, ostenderet, in quibus Deum omnes offenderant: & monuit constanter caritatis officio, ut mala quæ admiserant, destruerent, dissiparent & evellerent; bona verò

Causa I. „ prætermissa deinceps ædificarent, ac plantarent in reliquo. Interea nostis, „ inquit, quibus ordinibus Christi constat Ecclesia. Certum quippe quod „ secundùm singulorum officia requirendus est ordo disciplinæ, & status „ Reipublicæ. Unde primùm considerari oportet intus divina, tum exte- „ riùs humana: quia proculdubio his duobus totius Ecclesiæ status admi- „ nistratur ordinibus. Ut sit Imperator & Rex suo mancipatus officio: nec „ aliena gerat, sed ea quæ sui juris competunt propria; neque prætermit- „ tat ea, quia pro his omnibus adducet eum Dominus in judicio. Epi- „ scopus verò & ministri Ecclesiarum, specialiùs quæ Dei sunt, agant. „ Deinde Rex rectores in regno tales constituat, quales eos Dominus di- „ ligenter in lege perquirere jubet, & in quibus Rex & pro quibus secu- „ rus maneat, quos utique probos ad regendum populum sanctum Dei „ & idoneos cognoscat, non secundùm proprios libitus qui ei faveant, sed „ qui avaritiam oderint, & Deum ac justitiam diligant: cujus profectò „ officium est, semper quæ recta & justa sunt disponere, & quæ depravata cor- „ rigere. Alioquin tu, Rex, nisi servaveris quod præceptum est, fortior ti- „ bi cruciatus instat, & omnibus in te, si avertatur Deus, unus interitus.

Sap. 6.16. „ Ideo providendum nihil negligas: quia in te uno, secundùm Salomo- „ nem, totius stabilimentum est regni; in divinis autem ne ultra te inge- „ ras quàm expediat.

ADEODATUS. Ut sentio, non immeritò tu alterum eum Hieremiam dicebas, ob constantiam fidei & frontis duritiam, qui tam audenter Augusto invexit, tanta quæ vidimus, ob luxus desidiam, necnon & pessimas Regum consuetudines, officii sui negotia, cùm esset præoccupatus vanis rebus, prætermisisse.

PASCASIUS. Acriora sunt, Frater, quæ tunc prolata sunt, de quibus „ pauca pandam. Ait namque Cæsari: Velim, reverentissime Imperator „ Auguste, dicas nobis, tuis quid est quòd tantùm propriis interdum relictis „ officiis, ad divina te transmittis? vel quid est quod das, quando honores ec- „ clesiarum, immo, ut sentio, onera quæ largiris? Quòd si res Domino jure „ eleemosynarum legitimè consecratæ sunt, ecclesiarum ejus sunt: quia suis „ pauperibus & specialiter sibi servientibus legaliter datæ sunt. Si autem be- „ nedictiones & Spiritum-sanctum, quem dignè Deo electi deinceps à Do- „ mino & à sacris consecratis Præsulibus percepturi sunt, auctoritate divina „ dare te existimas; noveris, quòd extra officii tui est quod præsumis. Cete- „ rum auctoritate sanctorum Patrum si circumspectius est agere secundùm „ Deum quod agis, & fructuosius quod largiris; ita temperandus est modus „ unà cum Clero, & plebe Dei, & sanctis Pontificibus: ne aut tu tibi tua „ eligas, tibique divina usurpes; aut vulgus tantam gratiam, seu quilibet „ personarum in aliquo confundat: quoniam in his non nisi divina consi- „ deranda sunt, & salutis nostræ documenta. Ideo identitas est pæne & in

rebus ecclesiarum: quia facultas earum nihil aliud est, quàm pretia peccatorum, vota fidelium, patrmonia pauperum. Ideirco quod semel legitimè consecratum est Deo, in suis militibus & pauperibus ad usus militiæ suæ liberè concedatur. Habeat igitur Rex Rempublicam liberè in usibus militiæ suæ ad dispensandum: habeat & Christus res ecclesiarum, quasi alteram rempublicam, omnium indigentium & sibi servientium usibus, suis commissam ministris fidelibus: & hoc sit Regis officium, ut talibus committatur, qui & fideliter dispensent, & sapienter provideant: quatinus omnes glorificent Deum, & gaudeant in Christo, non minùs ex futurorum promissis, quàm & ex præsentiarum consolationibus. Sin aliàs, ut Apostolus ait, qui aliena diripiunt, regnum non possidebunt æternum: quanto magis qui ea quæ Dei sunt & ecclesiarum, defraudantur *, in quibus sacrilegia * copulantur?

An Chr. DCCC. XXXV. Aug. XXXI.

* defraudant

* f. Sacrilegio

TEOFRASTUS. Quod si ita est, ut asseruit, & de his ulla providentia apud Deum; nescio Principum nostrorum quis salvus esse possit, quibus nihil tam dulcia * sunt, quàm prædia ecclesiarum, nihilque tam suavia, sicut scriptum est: *Panis absconditus suavior est, & aqua furtiva dulciores.*

* sic

Prov. 9. 17.

PASCASIUS. Verùm, mi frater. & ideo ira Dei effusa est super Principes nostros, qui errare facit eos in invio, & non in via: dum & sæculares ad divina diripienda indebitè se ingerunt. Sacerdotes verò Christi & ministri altaris unà cum divinis ad exteriora de intimis se ejiciunt, jam quod pejus est sine pudore & transfundunt: quamvis scriptum legant, quòd nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus. Hinc pessima præsumtio nascitur & confusio, hinc vorax concupiscentiarum flamma, hinc virtutum evacuatio & peccati fomes, dum aut ministri Christi facultatibus rerum, ne amittant, inlecti, ad ea quæ sibi non expediunt, expelluntur *; aut sæculares concupiscentiarum succensi æstibus, quæ Dei sunt, quasi auctoritate regia defensi, temerario jure contra Deum erecti diripiunt. Quibus ita coram Rege, & coram Christi Præsulibus & Principibus terræ ad liquidum explicitis, nullus eorum abnegavit.

2. Tim. 2. 4.

* f. impelluntur

ADEODATUS. Miror quid negari posset, quod omnibus in propatulo est, & pæne nullus qui contradicat: immo ad invicem provocati deteriorantur omnia hinc inde, & ad usus convertuntur pessimos.

III. Causa 2.

PASCASIUS. Prô dolor! quòd talis cottidie crescit insania in præsentiarum, ita ut omnes pro talibus gestis & dictis convertantur ad pejus magis, quàm ad correptionis augmentum. Hinc igitur tunc omnes cœperunt, maximè ecclesiastici viri, quærere & contradicere, quomodo aliter dignitas & honor ecclesiarum stare potuisset, acsi decreta sanctorum Patrum non legissent. Quibus Arsenius noster: Considerate, inquit, quæ contra auctoritatem divinam veniunt, quatinus ea ipsius auctoritate Dei corrigantur. Vestris enim in manibus sunt jura non minùs humana, quàm & divina. Tum sæculares viri: Licèt ita sint omnia, inquiunt, quia respublica multis attenuata de causis per se sufficere non valet; nobis cum rebus ecclesiasticis & militibus agendum est, nosque suffragio facultatum earum juvandi. quapropter pande, aiunt, quod moliris. At ille, Miror, inquit, quid requiritis. Ecce Rex noster, ut sæpe ostensum est, de facultatibus ecclesiarum multa in suis suorumque præsumit usibus: sanctorum autem Patrum anathemata multa sunt nimis divina auctoritate prolata, ut ipsi præ manibus quàm sæpe relecta scitis, quæ penitus condemnant, si res ecclesiarum vi aut potestate fuerint usurpatæ ullius Judicis. Propterea rogo cogitate, si aliquis Fidelium sua vota super altare Deo detulerit, parum multumve sit,

An. Chr. DCCCXXXV. Aug. XXXI.

„ veniens autem quilibet temere vi aut furto ea quæ delata vel consecra-
„ ta sunt, rapuerit; super hoc quæso, vitium hujus facti quale sit, censea-
„ tis? Qui simul, acsi novo incustacti oraculo, sacrilegium esse sanxerunt.
„ Tum ille: Nemo te, inquit, Augustorum clarissime, fallat: quia valde
„ periculosissimum est, res semel Deo fideliter dicatas, ad usus pauperum
„ & servorum Dei, violenter postmodum diripere, & ad sæculares usus
„ contra auctoritatem divinam retorquere. Quòd si secundùm senten-
„ tiam veritatis, quæcumque ligaverint isti sancti Pontifices super terram,
„ ligata erunt & in cælis; timendi sunt tot anathematismi sanctorum Pa-
„ trum qui leguntur pro talibus prolati in sacris canonibus: quoniam
„ non minùs eorum viget auctoritas, quantum æstimo, qui jam cum Deo
„ regnant. Idcirco, ut dicitis, si respublica sine suffragio rerum ecclesia-
„ rum subsistere non valet; quærendus est modus & ordo cum summa
„ reverentia & religione Christianitatis: si quid vos, vestrique ab eccle-
„ siis ob defensionem magis, quàm ad rapinam accipere debeatis: ne cum
„ maledictionibus & exsecratione sanctorum Patrum itatenus præsuma-
„ tur. Porro isti sancti Pontifices, si quid ad usus militiæ exhibendum est,
„ sic exhibeant: & sic fiat rationabiliter in quibuslibet rebus, ne ipsi co-
„ gantur ad sæcularia transvolare, & pompis sæculi quibus abrenuncia-
„ verunt, irreligiosiùs deservire: quia juxta Apostolum, ut dixi, nemo
„ militans Deo implicat se negotiis sæcularibus. Sin aliàs eorum aliquis,
„ nec verus est Christianus, quia adhuc pompis & operibus deservit dia-
„ boli. Quo dicto, quærere cœperunt quid essent pompæ. Ille autem; Ve-
„ strum est, inquit, hoc decernere, & virum magis evangelicum exhibe-
„ re, quàm in quibus sæculum regnat & gloriatur, inhiare.

IV. THEOPHRASTUS. Hoc quippe est, ut audio adhuc hodie, quod de eo nonnulli calumniantur; quia voluerit res ecclesiarum dividerentur, tantumque remaneret ecclesiis, quantum admodum sufficeret; cetera verò militiæ sæculi deservirent.

PASCASIUS. Nequaquam igitur ita est, ut malè sentis, sicuti & tunc temporis plurimi sensere: quia ille super hac re nihil temere præfinivit, vel significavit: sed hortatus est solummodo, quodcumque fiendum esset, sic omnino fieret, ne utri eorum pro rebus terrenis in Deum peccarent. Unde eùm à quibuslibet tentaretur Episcoporum, quid exinde vellet; nihil aliquis aliud rescire potuit, quàm quod omnibus coram Augusto simul dixit. Monasteriorum interea, dum hæc tractarentur, ostendit & enumeravit pericula, cùm jam tunc temporis nonnulla jam à laïcis tenebantur. etsi hodie multo minùs inveniuntur, quæ de proprio tegantur ordine, sed sunt pro pœna peccati omnia pæne mundi usibus & studiis occupata vel depravata: quia cùm bene cœpisset Rex de his, in fine crebrescentibus malis à sæcularibus sunt pervasa. Identidem autem & tunc plurimum detestatus est, quòd Episcopatus secundùm canonicam auctoritatem non rite darentur, neque electio servaretur. Quibus itaque omnibus ita hinc inde ostensis, cùm nullus eorum negare posset, quòd ordo ecclesiasticus in omnibus corruptus non esset; excogitaverunt ut tribus in locis [a] Synodi fierent, in quibus de hoc diligentiùs quærerent. non quòd (quantum exitus probavit) emendare talia vellent; sed ut Regi interdum faverent: quoniam jam tunc ea, quæ postea monstrata sunt, moliebantur humana; idcirco minùs procurata sunt divina.

Causa 3. Causa 4. Synodi tres indictæ.

V. ADEODATUS. Miror absentem, cùm ejus commemorantur dicta,

[a] Immo quatuor in locis, nimirum in Moguntiacensi urbe, in Parisiorum urbe, apud Lugdunum & apud Tolosam, ut legitur in Ludovici epistola mox citata.

quem non mirabamur præsentem. Nam cùm esset tam humilis, quo nullus humilior, nullusque magis mortuus mundo videretur; quid est quòd tam inter summos ecclesiarum, Præsulum videlicet & Senatorum, Consules, in Senatu coram Augusto consultè, constanterque loquebatur. An. Chr. DCCCXXXV. Aug. XXXI.

Pascasius. Non ignoras, Frater, quòd is erat iste, quem nec terror minarum, nec vis rerum; nec spes præsentium, nec metus futurorum; nec promissa facultatum, aut interminata suppliciorum genera, aut ulla auctoritas poterat revocare à caritate Christi, à dilectione patriæ & populi, ab amore ecclesiarum & fide Imperatoris. Propterea igitur talia & quampluta, veluti alter Hieremias, constanter loquebatur. Præsertim & militiam Clericorum in palatio, quos Capellanos vulgo vocant, quia nullus est ordo ecclesiasticus, denotabat plurimùm. Causa 5. qui non ob aliud serviunt, nisi ob honores ecclesiarum & quæstus [a] sæculi, ac lucri gratiam sine probatione magisterii, atque ambitiones mundi. quorum itaque vita neque sub Regula est Monachorum, neque sub Episcopo militat canonicè: præsertim cùm nulla alia tirocinia sint ecclesiarum, quàm sub his duobus Ordinibus. Aiebat namque idem, quòd aut Canonicus quisque esse deberet, aut laicus, aut Monachus. quòd si neutrum; jam sub nullo monstratur ordine, quia videntur esse sine capite. Quæ profectò hæresis, quamvis aliunde sibi hoc nomen vindicaverit; tamen ut fassus idem est, nulla alia isto in tempore pejor invenitur ecclesiarum scabies: quæ omnia ejusdem jura, ex quo cœpit, corrupit, in tantum, quia multi eorum vitiosi erant, ut à laicis pæne omnia Monachorum & Canonicorum, necnon & feminarum Monasteria occupentur, & sint omnia depravata. Propter quæ numquam, quia futura præviderat, dubitavit sententiam pro statu regni, pro salute populi, pro stabilitate ecclesiarum, & religione pacis dignam dicere, etsi quibuslibet displicuisset.

Adeodatus. Quantum datur intellegi, tales qui tunc fuere, non Consules, non provisores patriæ fuerunt, sed latrones: quorum mentes angustas præsentiarum caligo cæcavit, humilitas prava tenebris opplevit, concupiscentia sordibus maculavit, in tantum, ut ipsum Consulatus nomen, seu splendorem illius honoris, & magnitudinem tanti Imperii, nec intellegere aut intueri, nec capere aut sustinere potuissent. Unde non Consules, sed mercatores ac venditores tantæ dignitatis, & perturbatores ecclesiarum sunt dicendi, qui non modò isto monente non consuluerunt, verùm subterfugerunt, everterunt & prodiderunt in invicem, ne aut talia corrigerentur, aut etiam deteriora quæ imminebant, obstarent cùm potuissent. Et ideo, sicuti Pascasius paulo superiùs doluit, non immeritò talia contigerunt, immo quia noluerunt recipere spiritum veritatis ad correptionem, receperunt spiritum erroris ad vertiginem. Inde est quòd adhuc hodie nemo Principum explicare potest reipublicæ vias ad justitiam. VI. Cur nihil remedii allatum.

Pascasius. Nec immeritò, quia pro Deo stare noluerunt, neque quæ Dei sunt, primùm quærere, ut corrigerent quæ jam depravata erant; si Deus ab eis recedens, consilium patriæ deperierit, fides evanuerit, pax aufugerit, & prosperitas ullarum rerum. hodie desperata jaceat. Jam rarus qui Regibus fidem exhibeat, nullus patriæ aut civibus qui rectè consulat, nullus qui sociis & amicis debitam caritatem im-

[a] In ejusmodi Clericos aulicos invehitur Vualafridus Strabus in carmine de somnio Vvetini, suprà ad annum 824. Hinc Lupus Abbas Ferrariensis in epistola 25. *Ceterum fama versatur inter nos, Clericos palatii diversorum Cœnobiorum sibi dominium optare atque poscere: quibus nulla sit alia cura, nisi ut sua avaritia oppressione servorum Dei satisfaciant.* Confer Vitam Benedicti Anianæ Abbatis num. 54 suprà.

An. Chr. DCCCXXXV. Aug. XXXI.

pendat. Judices non nisi venale aliquid agunt, populus imperialibus non suffragatur officiis, auctoritas non viget Prælatorum, quoniam imperialis & Regum deperiit: res publica & ecclesiarum pauperrima est, quia prædones ea diripiunt: eloquentissimi omnes muti facti sunt, quoniam evacuata est virtus agendi & loquendi. Nam à sæculo has in partes nihil majus scitum est, neque argumentosius ad excogitandum: sed posse ac scire post uniuscujusque velle desudat. Idcirco, quantum credo, quia tunc vocem hujus, immo Dei non audierunt, versa est omnis prosperitas eorum in contrarium, & confractæ sunt vires; consilium aufugit, & omnis sapientia, juxta Prophetam, devorata est. Quod sanè ipse, jam futura prævidens, in eodem Placito his expliciris præmonuit. Ubi mox eum vehemens infirmitas, quam lienteriam medici vocant, apprehendit, quatinus virtutem in infirmitate perficeret. Hinc quoque deinceps conticuit, donec Dei judicium nos apprehenderet, & peccata quæ jamjam consummata erant, clarescerent in facto, in tantum ut quæ agimus, solummodo jam non peccata sint, sed pœna peccati.

VII. Deteriora consecuta.

TEOFRASTUS. Cur talia acciderint, jam luce clarius manifesta sunt: sed quod habuerint initium, non ab re quæritur. quoniam jure actum credimus, ut eorum corda obdurarentur, ne audirent culpis exigentibus; divina ultio postmodum ut ampliùs in nobis peccatoribus justè desæviret.

PASCASIUS. O dies illa, quæ pæne æternas huic orbi tenebras attulit & discrimina, quæ pacatum Imperium & unitum conscidit particulatim ac divisit, germanitates violavit, consanguineos dirempsit [a], inimicitias ubique procreavit, & concives dispersit, fidem exterminavit, caritatem delevit, ecclesias quoque violavit, & omnia corrupit! Unde cottidie civilia surgunt bella, ut ita loquar, & plusquam civilia. Exercitus totius patriæ pæne huc illucque petimitur; provinciæ, pagi, & urbes passim depopulantur. Si qui residui sunt, sine viribus ubique aut fugiunt, aut cæduntur gladiis. Hinc undique paganorum & hostium incursiones, hinc quod omne vulgus conciditur, villæ, civitates innumeræ cremantur. Heu misera dies, quam infelicior nox sequitur; sed nulla infelicior illâ, quando sceleratus NASO [b] vocatus est ab Spaniis, AMISARIUS ille, qui cuncta reliquit honesta, in quibus erat ordinatus [c]; & immersit se fatuus ad omnia cœni volutabra. siquidem ut advenit, acsi ferus aper evertit palatium, destruxit consilium, dissipavit omnia rationis jura; Consules omnes, divinos, humanosque expulit, & attrivit; thorum occupavit, atque factiosè, ita ut insidiæ viderentur, manifestiùs omnia pervasit. sicque cæcus, ut nihil aliud esse posset, quàm quod ipse invenerat; postposuit divina, ad humana se immersit per fas nefasque, cuncta in subito convulsit ac commaculavit, & omnem dignitatem regiam evacuavit; fœdera disrupit, confudit ordinem; ut nullus esset status, singula immutavit; diem convertit in noctem, rursus noctem commutavit in diem. Patri abdicavit filios, & patrem filiis. sicque tyrannidis * ejus profecit, ut excederet ultra omnes, & nihil integrum reliquerit. Honores debitos qui habuerant, amittebant; qui necdum indebitè qualescumque assequebantur optimi quique virorum, amplissimi &

maximè per Bernardum.

* l. tyrannis

a Sic legitur in codice mss pro *diremit*, eum ad modum quo Alcuinus in epigrammate 16; scribit *empserat* pro *emerat*.

b Bernardus hic est Marcæ Hispanicæ præfectus, Septimaniæ & Tolosæ Comes, Vvilelmi Comitis seu Ducis filius, ejus, cujus Vitam superiùs retuli. Theganus in libro de gestis Ludovici cap. 18 auctor est, Ducem Bernhardum *purificasse se de objecto stupro, postquam nullus inventus est, qui ausus fuisset eum armis jam dictam rem et imponere*. Et tamen Bernardum inconsultè Republica abusum, penitus eam evertisse testatur Nithardus, quantumvis Carolo addictus, in lib. 1 & 2.

c Id est educatus & institutus ab optimo patre Guillelmo.

nobiles

nobiles atque dignissimi, jam auctoritatem agendi omiserant * : quia profectò nullus aliam tunc temporis habuit viam expeditiorem ad honores retinendos & adquirendos, seu ad ea quæ vellet vel concupierat, quàm illa sequi, quæ tunc tyrannus Naso mallet. Interea confregerat omnia ossa virtutum vis feminea. Ideo stultus, sine oculis & sensu, ad omnia se immerserat. Movebatur enim jam vestigio totius Imperii, ne ullus adquireret potentiam, ne ullus honorem, ne ullus facultates, sine scelere, aut sine aliorum damnationis dispendio. Iste quippe fructus est infidelitatis & discordiæ. Ideo consultissimum est semper serere prudentiæ, justitiæ, fortitudinis ac temperantiæ semina, ut metere possis centuplicatum fructum laboris; quàm concupiscentiarum & vitiorum molimina, ex quo remetiatur judicium, & crescat ultio perditionis. O dies illa, dies tenebrarum & caliginis! ô dies exsecranda, quando tale cœptum est consilium! Et hæc est hora furoris Dei, hora nostræ ad vindictam retributionis, in qua aperti sunt oculi omnium cum Balaam ariolo; ubi cecidimus omnes, & evigilavit virga furoris Dei; ubi violata sunt omnia jura legum.

An. Chr. DCCC XXXV. Aua. XXXI.

* l. amiserant

VIII. Vvala cur his se rursus immiscuit.

ADEODATUS. Prô nefas! quòd in subito tam immania, tam horribilia crevere in regno detrimenta, licèt per partes peccata roancta id exegerint. Unde petimus quid fuerit, quòd rursus Arsenius ad tam acerrima, tamque perniciosa periculorum genera se injecerit: nec potuit fortassis providere quem finem haberent, quibus obviàm venire voluit, quæsumus ut aperias.

PASCASIUS. Verum, Frater, quia videbat mala, quæ cottidie surgebant innumera & immensa; sed prænoscere non valuit quæ futura erant. quibus, quantum ex se fuit, obviare voluit, & resistere pro fide Regni & Regis, pro amore patriæ ac populi, pro religione ecclesiarum & salute civium: quæ omnia cariora illi erant, quàm sua vita. Sed quia in initio hæc non fuerant repulsa & refutata, culpis exigentibus impune ad omnium perniciem prævaluere, ita ut nullus jam esset fortis ac sapiens qui obviaret. Nam idem cùm jam de sua infirmitate convaluisset, cœpit audire undique flagitiosa & obscenissima, turpia & inhonesta; non qualiacumque, sed qualia numquam in isto nostro audita sunt sæculo. Pro quibus profectò mox commota sunt omnia viscera ejus pietatis affectu, eo quòd esset theatrum, honestatis olim, palatium factum, in quo tanta sortilegarum præstigia recidiva scatuticrunt, quanta in omni mundo jam non crederentur esse. Nec enim poterat se continere præ dolore & amore à fletibus, cùm hæc illi à bonis, & summis, ac veracissimis die noctuque nuntiarentur viris. quia quanto plus Ecclesiam Christi & Augustum unà cum populo & prole dilexerat, tanto magis afficiebatur doloribus. Veniebant autem & primi palatii ex utroque ordine, qui omnia ita esse asserebant, immo pejus quàm vulgo dicebatur. Tum ipse per se delegit illuc qualitercumque venire, si fortè quivisset suis argumentosè persuasionibus aut consiliis subvenire: furia illa ut rediret, antequam perturbaret omnia, & subverteret. Qui veniens egit quodcumque potuit; & cum Augusto, & cum Proceribus locutus est quod intellexerat; & præmonuit, in his quæ fiebant, quod senserat. Nam & belluæ factiosissimæ, quia priùs ei pater ejus & ipse amicissimi fuerant, affatus est fideliter cum omni amicitiarum obsequio. Nec immeritò igitur, eo quòd olim uxorem a sibi so-

a Hinc duo colligimus: unum, Vvalam ante initam vitam monasticam matrimonio ligatum fuisse. alterum, uxorem ejus sororem fuisse Bernardi, Vvillelmi Comitis filiam, Helinbrugam, an Gerbergam: quæ Gerberga postea Sanctimonialis facta, Cabilone dolio inclusa, in profluentem Ararim jussu Lotharii, tamquam venefica, projecta est, teste Thegano.

An. Chr. DCCC XXXV. Ano. XXXI. rorem ipsius, filiam nobilissimi viri & magnificentissimi duxerat. Unde ab incunabulis quasi pater circa eum in omnibus pium gerebat affectum, curam, ac sollicitudinem, plus etiam quàm si pater esset. Sed cùm vidisset, quòd cæcus jam mente alienatus esset, & per præceps rueret; dixit quodcumque potuit: licèt jam moribus efferatus, quia felle concupiscentiarum inebriatus erat, audire noluisset. sicque cùm in nullo proficere se vidisset, prospectis omnibus dolens ac gemens ad Monasterium sine effectu remeavit. Quem mox, dato parvissimo temporis intervallo, secuti sunt jam expulsi & dejecti rectores & primi palatii, flentes & lugentes, quòd ab uno impudico violarentur omnia jura totius Imperii, pellerentur optimi quique, & opprimerentur ubique fortes & clarissimi viri, non illius virtute constupratoris, sed dolo & frande pessimæ deceptionis. Nunciant autem singuli pejora pessimis, & omnes confluunt hinc inde ad Arsenium, & requirunt quasi de fonte consilium. Ille autem mærens ac lugens, totus animo pendebat ad Deum suspectus, si forte Deus in talibus suis subveniret periculis. Hortatur omnes singillatim, ut sustineant & exspectent Dei judicium. Deinde singuli ut redeant ad palatium, & videant, & intellegant, persuadeant quoque meliora salutis; conentur nisu quo possunt, obviare talibus tantisque perturbationibus. Quo facto, repelluntur summi, dejiciuntur eximii; colliguntur improbi, honorantur vanissimi, & introducuntur scelesti. Tunc itaque, his ita compertis, renuntiant Arsenio mala in sæculo, quæ umquam vix sunt audita, ut in tam glorioso Imperio subitò sic omnia fuerint permutata. sit palatium prostibulum, ubi mœchia dominatur, & adulter regnat: coacervantur crimina, requiruntur nefanda & sortilega maleficiorum omnium genera, quanta nnmquam credidi in sæculo remansisse: nihil de universis prætermissum malis, nuntiatur ubique omnibus. Verùm tamen vir gravis & cautus, nec sic interdum movebatur, nisi ad lacrimas, donec eorum proderetur factio, & firmaretur ab ipsis, qui erant de tam pravissimis consiliis planè conscii, quòd vellet idem tyrannus Augustum perimere clam quolibet pacto, quasi sua infirmitate subitò mortuus videretur: deinde filios ejus, unà cum optimis Regni Principibus, quoscumque dolo priùs præoccupare potuisset. Cùm autem hæc nunciantur à gravissimis & veracissimis viris ita absque dubio esse; nimio mærore perculsus, misit iterum rursus atque iterum idoneas & sanctæ religionis personas, & probatissimas, occultè qui venirent, & essent tantisper infra palatium apud quosdam, qui erant qualitercumque in eisdem consiliis: quousque quid verum esset, diligentiùs perscrutarentur. qui mox omnia ut dicta erant, à secreto verè pertractata compererunt, qualiter tyrannus, quando vel quomodo decrevisset fieri quod moliebatur: & quòd pro certo jam qui conscii erant hujus consilii, talia mandassent, retulerunt. Tunc unà cum summis Consulibus & sanctis quibusdam Episcopis, necnon & cum summis officialibus palatii cœpit quærere in fide Christi, ne talia perficerentur ad subversionem totius Imperii, quid agere debuisset. Tunc omnes una voce, flentes & ejulantes, magni & summi, cum omnibus qui aderant servis Dei, constanter*, quòd non esset Deo fidelis & sanctæ ipsius Ecclesiæ, qui in talibus subvenire posset periculis, nec fecisset. Ita siquidem multis exhortantibus, accepto consilio, unà cùm electissimis & clarissimis viris misit se pro Fide Christi, pro statu Imperii, pro pace ecclesiarum, pro amore Regis & Regni, pro salute filiorum ejus, zelo Dei succensus, ne fraus prævaleret adversarii, ut dignitas servaretur patriæ, salus maneret civibus, in magnum discrimen; & salutem suam pro justitia & fide devotus ob omnium libertatem obtulit. alioquin si

Bernardi dira facinora & molimina.

* supple dixerunt,

vellet favere illis in partibus, acceptior esset omnibus, & honorabilior haberetur universis. Sed is cùm esset fortis animo, sanctitate præclarus, justitiâ vestitus, fide solidatus, caritate fundatus, virtutum armis indutus, magis elegit mori, quàm tale facinus & tam crudelissimum sustinere scelus, quod omnibus esset ad ruinam, ad perditionem, & ad exitium, si consentirent, æternæ damnationis. Idcirco nihil jam de se timere cœpit, tantùm ut prævenire potuisset Christianissimis Principibus, Præsulibus ecclesiarum & omni populo, ac liberare omnes de tam atrocissimo mortis periculo: quoniam omnibus bonis unus imminebat interitus. AN. CHR. DCCC XXXV. AUG. XXXI.

ADEODATUS. Unum debuimus deplorare: sed valde diriora nos cogunt quæ contigerunt. quia nimiùm amariora & crudelissima sunt, quàm quæ proposuimus lamentari. Unde oportet ea retexere plangentis affectu. Neque enim ille tam plangendus est, quàm jugiter ista deploranda, ut avertatur ira Dei à nobis. Verum tamen sic quæ dolemus, fletibus commendanda sunt, ne hic noster ullis involvatur adversariorum criminibus: etsi singulis, quamvis facultas esset perorandi, respondere nequimus quæ dicuntur ad singula. Idcirco petamus potiùs pietatis gratiam, quàm ingeramus interdum reprehensionum querelas: offeramus præcordiorum nostrorum dolores, quàm ingenii nostri ad defensionem ejus suscipere partes. Deinde si acriùs aliquid constanter egerimus, aut liberiùs quàm debemus, & ipsi velint; obsecramus tantùm imperitiæ vel intemperantiæ ignoscant, quantum pio dolori vel justitiæ concedendum putant. Namque nullus major esse potest dolor, quàm hic noster, in quo tantus Pater in subito sublatus deploratur, tantisque à malis dilaceratur infamiis, & odiis, qui multo dignus fuerat amore, cottidie & insequitur. In quo & cum quo excidium patriæ, ecclesiarum eversiones, calamitates pauperum, divitum oppressiones, barbarorum incursiones, cædes vulgi, bella superbientium, insidias universorum, & (quod atrocissimum) perditiones animarum simul immaniter deploramus: quia illo spreto, eùm non est auditus, hæc omnia contigerunt. Quapropter rogo, ne deficias, etiam minis insectatus, & blasphemiis lacessitus. Et ne dicat aliquis, in threnis quòd talia non sint coacervanda neque replicanda: sciat quòd nullo in loco amplius, maximè quando talia crebrescunt mala, quando veritas insectatur odiis, quando justitia debellatur. Sic itaque Hieremias Propheta post increpationes, post persecutiones & impulsiones, ad lamenta se convertit, & omnia quæ acciderunt pro delictis, amarissimè deflevit.

IX. PASCASIUS. Bene nos hortaris, Frater, nisi tanta essent, quanta rememorare non sufficimus, nec intueri: non dico quæ olim acciderant, sed de his tantùm, ex quo iste impurus atque impius hostis omnium religionum confudit, conturbavit & pervertit, honesta omnia obscenis permiscuit, & religiosa vanis: in tantum, nec mens, nec lingua, nec vox, quæ narrare queat istius vecordissimi molimina quæ cœpit, ex omnium scelerum conluvione vallatus. Arbitrabatur enim diabolicis omnia præoccupare maleficiis; superare, non consilio, sed auspiciis; præripere & auguriis: eo quòd sacratissimum Augustum sic haberet suis delusum præstigiis, ut omnes repelleret, quos aut ipse, aut magnus pater ejus Imperator nutrierat à secreto, à colloquio, à familiaritate & consilio, à fidei fide, ab honoribus, & ab omni consortio prioris vitæ. Qui furia & auctor sceleris, cùm esset munitus potestate regia, prænituit quòd esset ultio præteritorum scelerum, & incrementum mali. Unde factum est, ut in regno nullus aliud posset, nisi quod ipse vellet, aut mandaret. Ita omnes siquidem oppressi sunt, quasi ex indicio

AN. CHR. DCCCXXXV. AUG. XXXI furoris Dei, ne ullus auderet resistere vel contrà ire: quia potestas & voluntas pii Imperatoris, acsi innocenter, cum spurcissimo erat. Quod factum ad memoriam sempiternæ turpitudinis factum est, quàndoquidem cùm jam inchoarentur quæ dudum cœpta erant, quæ fuerant consilia, cùm iter arriperet Rex & Regina, illius sævissimæ bestiæ ducatu; ibat Augustus quasi innocens agnus ad victimam; ibat Imperator magnus & clemens, deceptus à qua eum Salomon cavere monuerat, immo lenonis ejusdem insidiis, ad mortem: qui non ob aliud servabatur, nisi ejus potestate jus diriperetur Imperii, & fraus inimici redundaret in omnes. Nemo igitur est qui credat, nemo qui recogitet quæ gesta sunt, quæ acta, qualiter aut quanta: idcirco nemo est qui intellegat, cur aut quomodo acciderint, quive auctores fuerint mali, vel qui boni. Propterea omnes insccii, mali & pessimi, Arsenium culpant, quasi incentorem malorum. Interea cùm hæc ita aguntur, Imperator, acsi agnus innocens ad victimam, cùm à loco promovisset, & iret nesciens ad mortem, facta est manus Domini super omnem populum: qui simul omnes, acsi divinitus coacti, venerunt in unum pro fide Regis & Regni, pro salute populi & patriæ, pro stabilitate Imperii, & filiorum successione: quoniam audierant omnes, & compererant singuli de locis suis unum esse interitum omnibus præparatum. Ubi acsi divinitus evocati cùm simul essent, retulerunt singuli mala quæ audierant, nonnulli quæ viderant & cognoverant, aut interfuerant: quibus undique ita explosis ad liquidum claruit, quòd Augusto & filiis unà cum universis Principibus unum imminetet exitium atque interitus vitæ. Nam & MELANIUS filius piissimi Cæsaris cum his confluxerat, & periclitabatur Rex, cùm esset unà cum suis omnibus: quia contra eum iter arreptum erat inscio patre, ut ipse prior post patrem perimeretur. Deinde cùm pro his universi quid agerent, nutarentur mærore perfusi, advolavit extimis à custodiis, & sacramentis diu detentus, quæ cum patre eo in tempore pertulerat GRATIANUS, & retulit voce propria quæ dicta, quæ gesta, quæve futura cognoverat: quia in his longè diu commoratus, nihil aliud jam quàm mortem imminere sibi videbat. ad quos cùm fugisset, narravit omnia, quæ intus detentus resciverat. Ubi de adulterio nulla universis remansit dubitatio, de præstigiis sortilogorum & divinationibus: tuncque per eum audita sunt, quanta & qualia nusquam jam remansisse credebantur, quæ tunc ex omni parte orbis ad palatium coierat *, acsi Antichristus cum suis maleficiis apparuisset. Ad ultimum verò de nece patris & de totius Imperii edixit subversione, qualiter auspiciis, auguriis, consiliis, atque insidiis, necnon & omnibus malignis artibus esset præfixum. Tunc omnes hi Proceres & filii duo, Melanius & Gratianus, qui aderant, decernunt potiùs mori debere eos, quàm ultra hæc quoque consentire, ut unus eis scelestus, flagitiosus & auctor totius malitiæ omnibus esset in contumeliam, in ruinam, & in opprobrium sempiternum. Quod sanè consilium & definitionem tunc Arsenius cum divino timore mærens ac dolens consensit: quia nullum jam alium evadendi ingenium invenire potuit: non ut Augustus imperio privaretur, aut inhonestè (quantum rei eventus sinebat) in aliquo aut ab aliquo tractaretur; sed ut hostis pelleretur unà cum suis complicibus; & mœchia quæ jam publica erat, in confusionem omnium ne diutiùs celaretur. Sortilegæ ibidem adgregatæ, divini, conjectores & muti, necnon somniatores, & hi qui exta consulebant; vel alii quamplures malignis instituti artibus, à sacro pellerentur palatio: quorum tanta & talia erant nefandissimæ artis præsagia, etiam ut plurimos traherent in errorem: quia videbantur omnia diabolicæ artis figmenta

Imperator neci ereptus.

Pippinus,

& Ludovicus Rex Germaniæ

* f. coierant

in mundo repullulasse, in tantùm, cùm hæc omnia ita fraude seu dolo circa Augustum agerentur, ut in nullo penitus sentire posset cottidie quæ fiebant. Alioquin maliriosis nisi esset præventus artibus, nequaquam fieri posset, ut fidelissimos quosque Consules & sanctissimos Præsules non audiret, vel crederet sibi talia narrantibus, quos olim semper in consilio habuerat. Non enim alium in fide recipiebat, nisi quem Justina vellet: neque alium aut audire, aut diligere valebat, aut assentire, quo usque ista viguerunt, nisi quem illa ei in fide commendabat: &, quod prodigiosius est, ut aiunt, nec aliud velle, præter quæ ipsa vellet. Unde quidam Episcoporum, cùm coram eo adstarent omnes Præsules Christi & Senatus totius Imperii, necnon & omnis populus, eumque jam arguerent constanti fide pro talibus: Scio, inquit, quamvis talia & tanta quæ dicuntur, malè deceptus his artibus hactenus assensisses, cùm his exutus fueris quibus vestiris, quia te recipies, & eris optimus Imperator, quod semper antè fuisti.
AN. CHR. DCCC XXXV. AUG. XXXI.
Imperator Judith nimiùm obsequiosus.

ADEODATUS. A sæculo hujusmodi res gesta, quantum video, non legitur, ut populus pro Principe contra Principem sic ageret. Fuit enim, æstimo, aut nimia dilectio Senatorum & Præsulum circa Augustum & ejus prolem, clarescentibus causis, quòd eum tam reverenter rursus erigunt in regnum; aut cæca temeritas, quòd talia præsumsere nullis exstantibus, nisi vulgi æstimatione, causis, mœchiæ sortilogorumque, & aliis quibuslibet quorumdam offensis. Unde non mihi videtur, quòd pro talibus deberet omnis religio ecclesiastica & ordo totius populi iterenus insurgere & commoveri adversus Cæsarem, nisi fortè aliud lateat, quod gravius videatur. Et hoc petimus, quia in eadem concione & negotio fuisti, paulo clariùs aperias, ut Arsenius noster magis excusabilis videatur.
Paschasius rei gestæ præsens.

X.

PASCASIUS. Verum, ut ais, in eadem concione me fuisse, quando universi Principes simul pacificè, quantum intellegere tunc potuimus, aggregati, de his altercati sunt contra Augustum, non abnuo: sed omnia retinere quæ dicta, quæve responsa sint, omnino nequeo. Nec itaque mirum, cùm & vos ea non recoliris, quæ in brevi paulo superiùs connumeravi. Alioquin nisi immemor esses, certè aut calumniator, numquam parva quæ dolenda retuli, existimasses: quoniam nihil scelestius esse posset, si Proceres regni, & creati jam Reges filii, fieri permisissent quæ connumeravi. Unde Rex in illa concione, cùm populo gratias pro his referret, quamvis in corde aliud occuletet: Vos enim, inquit, fecistis, qualia numquam populus unquam fecisse cernitur: quia & ego prior admisi & feci, qualia nullus ante me Rex fecisse invenitur. Et ideo, inquit, gratias omnipotenti Deo, qui tam imminens malum ad tam pacificum deduxit exitum. Porro deinceps nihil tale, nihil sine vestro consilio me acturum ulteriùs profiteor. Imperium namque à me, ut olim ordinatum est unà vobiscum, & constitutum, ita manere decerno & volo. Feminæ quoque huic, quam adjudicastis, quia mea est in illa ultio, juxta communes leges, sicut depoposciris, vitam concedo: ita tamen ut sub sacro velamine[a] deinceps degeat *, & pænitentiam gerat. Quibus ita pacificè in eadem concione dispositis, relevatur in throno gloriosus Imperator, & erigitur cum laudibus, & subditur ei omnis populus in fide ampliùs
Priorum turbarum quis exitus.
* *sic*

[a] Vita Ludovici Pii ad annum DCCCXXX, quo hæc contigerunt: *At vero Imperator ut eorum conspirationem contra se & uxorem Bernardumque obstinatissimè comperit feraliter armatam; Bernardum quidem fuga præsidio se committere permisit, uxorem autem Lauduni esse, & in Monasterio sanctæ Mariæ consistere voluit, ipse autem Compendium petiit.* Addit Auctor, Judith postea per Vvarinum & Lantbertum compulsam fuisse, ut velum ipsa sumeret, persuaderetque Imperatori, ut comam recideret. Hæc verò cum Imperatore secretò collocuta, *permittente illo, ut mortem evadere posset, ipsa velum sibi capiti superposuit: de attonsione porro sua Imperator tempus deliberandi poposcit.* Confer Annales Bertinianos, in quibus Judttha ad Monasterium sanctæ Radegundis Pictavos missa fuisse, & Bernardus Barcinonam refugisse dicuntur.

AN. CHR. DCCC XXXV. AUG. XXXI

fidelis, si posset fieri, quam priùs. Talis quippe est infidelitas Arsenii, falsò ut opinantur, quibus non est præcognitum, quòd suo sapienti consilio tyrannum prævenerit, ne perficeret quæ moliebatur, ut perimeret Augustum, prolemque ejus omnem exstingueret, & uxorem quam infideliter coinquinaverat, acciperet. Cum qua, si cederetur, Imperium pervaderet, & omnes Seniores terræ aut interficeret, aut malè subjugaret oppressos. sin aliàs, ad Hispaniam cum ipsa se transponeret. Propterea ergo dedit se periculo Arsenius, & liberavit omnes à tanti sceleris malo. Nihil itaque idem contra Cæsarem, quamvis aliter inscii malignantes sentiant; sed pro Cæsare fecit & Imperio, pro patria & pro omnibus majoribus natu, pro fide & zelo Dei, pro religione Christianitatis & salute civium. Rescinduntur ergo eo in facto paulo pòst jura legum omnia, divina scilicet & humana. Occultabatur autem nimia fraus, quasi sub fidei schemate & voluntate regia. Hinc hercule est, quod adhuc hodie plures in eo errant, & dicunt bonum malum, & malum quod omnes tunc detrectabant, bonum. Ex quo sanè malo innumera creverunt, & cotridie atrociora crescunt mala. Tunc tamen eum quasi liberatorem omnium omnes magnificabant, & extollebant ubique laudibus; maximè cùm Cæsar Augustus HONORIUS ab Italis evocatus[a] venisset, eo quòd consortem imperii JUSTINIANUS sibi olim & successorem totius monarchiæ cum voluntate & consensu omnium eum fecerat, quem unà cum patre præfatus exterminare & subvertere conabatur, cum reliquis fratribus suis Regibus: in cujus nimirum adventu detecti sunt plurimi, & quæ dicebantur reserata. Pro quo consilio illius furiæ frater [b], quia convictus & confessus est consensisse, in eodem placito cæcatus est judicio publico, vitâ sibi clementer concessâ. Sed quia cuncta quæ fiebant, non erant ex corde Justiniani, neque ex animo, quoniam ab æmulis veræ fidei & justitiæ instigabatur & adulabatur; femineo rursùs devictus instinctu, quasi multa contra enm inhonesta, non pro fide facta fuissent, qui nisi se de his vindicaret, bene deinceps regnare non posse, rursusque si ablatam sibi uxorem non reciperet post velamen. Tegitur interdum vulnus in corde valde defixum, augentur complices iterum, ut rescindatur imperium. Honorius qui erat longè diu consors à patre, & ab omnibus procreatus Imperator, removetur à potestate, repellitur à consurtio; sacramenta universorum, quæ illi facta fuerant, auctoritate paterna violantur; boni quoque atque incliti viri, qui dudum pro fide certaverant, tyrannum fugarant, mœchiam, & universa turpia à conspectu palatii pepulerant, qui patriam & populum salvarant; qui etiam Augustum, ut diximus, & filios liberarant; qui seipsos cum multo discrimine, post talia, quibus eum restituerant in throno Imperii, unà cum filii consortio in fide, qui pro fide egerant, subdiderunt; ita ut in eis nihil nisi fides & veritas appareret. Sed insidiantibus malis quæritur opportunitas temporis, & locus electus; disperguntur universi, qui ei priùs fidem servarant: Senatus exsiliatur, & magnati omnes, atque olim carissimi & primi damnantur palarii: inter quos etiam Arsenius noster rapitur, Pontificum tamen officio, jubente Augusto, acsi cum honore ingenti, exsiliatur. Retruditur autem & elevatur in quadam longissimo terrarum spatio altissima & artissima specu [c], quo nullus esset accessus, divino agente judicio, nisi ange-

Lotharius venit in Franciam.

Nova turbæ Judithæ restituta.

Vvala exsilio addicitur.

Paschasius ad eum missus.

[a] Nempe circa mensem Maium, ex Vita Ludovici jam citata, quam tu consule & confer cum hac historia.

[b] Heribertus scilicet, de quo Vita Ludovici Pii ad annum jam dictum: *Heribertus Bernardi frater luminum amissione multatus est contra votum Imperatoris. Odo consobrinus illius armis ablatis exsilio deportatus, tamquam eorum quæ Bernardo & Reginæ adclamabantur, conscii & fautores.* Lege Nithardi librum, & Annales Bertinianos.

[c] Et quidem ad lacum Lemanum, infrà cap. 12. Vvalæ exsilii mentio est in libro de translatione sancti Viti infrà, & apud Nithardum in historiæ lib. 1. In Vita Ludovici Augusti tantùm dicitur *Vvalach Abbas jussus ad Monasterium redire Corbeiam, ibique regulariter obversari.*

licus. ubi cùm non post diu ab Augusto directus ob ecclesiasticarum rerum & monasticarum negotia devenissem; quamquam non sine periculo, ob suum solamen ad eum visitandum adscendi. Ubi simul inter salsissimas abundantissimè gaudii & mœroris lacrimas, lætum, etsi tristes, duximus diem. læti quidem de mutua visione & conscientia pura, quia in eo nulla erat reatus culpa: tristes verò, quòd pro tantæ virtutis beneficio exsilium tulit & odium. & custodiam carceris, & injuriam diræ calamitatis. Cum quo cùm essem, inter dulcia amaraque verba, volui ei persuadere, ut in aliquo se excessisse fateretur, & deinceps quæ Augustus vellet, in omnibus assentire: si quo modo unà cum quibusdam amicis agere quivissem, ut in gratiam rediret. quod & Cæsar satis optabat, si ei solummodo consensisset. Ad quod idem: Miror te, inquit, si de mea in aliquo dubitas conscientia, qui nihil mihi de his negotiis, pro quibus culpor, magis quàm tibi sum conscius. Idcirco te oportuerat ampliùs me pro justitia persuadere certare debere, quàm vel in modico tepescere; vel contra verum quippiam, vel contra quod honestum est, assentire vel confiteri. Tum ego: Nequaquam, inquam, dubito: neque amplius vellem in hac parte, quàm excessus verbum, & adsensus de vobis habere: quia in his duobus credo amicos & me obtinere posse, non solùm veniam pro offensis, verùm & ampliorem gratiam, honores quoque proprios & majores; insuper quidquid de eo & ab eo vobis placuerit. Tunc ita ille subsannando paululum subridens: Tu fortè, inquit, eum & omnes eos qui eum favent, in tua æstimas potestate? Numquid Dei judicia non pertimescis? Quid si ego falsò contra me protulero sententiam confessionis & reatus mendacium, relictâ justitiâ veræ fidei & puritate cordis? Potest igitur contingere, ut in contrarium vertatur sententia, divino exigente judicio, quàm tu existimas: & si ego pro ullius gratia, aut pro honoribus, vel timore, vel favoribus, veritate relicta falsum contra me dixero aliquod; & in his deprehensus Dei justo agente judicio, proprio condemnatus ore, mortis sententiam excepero; dum leviora vitare me rogas pericula, & honores quærere vel gratiam; cavendum, ne crudeliora excipiam: & dum temporales injurias fugere, vel honores quærere me rogas; ineffabili dispensante judicio, sempiternæ mortis damnationem adquiram. Quapropter, Frater, stemus in via veritatis ingressi: & spem habeamus, quia hæc nos ad vitam sempiternam, quæ Christus est, admittunt. Unde his dictis confusus silui. Et constat quòd in eo nulla conscientia erat, nisi secundùm Deum & propter Deum, circa Augustum & filios, circa patriam & ecclesias, circa proceres & magnatos, circa religionem & salutem populi: quia non sua in ullo, sed quæ Christi erant, quærebat. Idcirco errat, qui arbitratur Arsenium in periculum exsilii vel capitis vocari, quòd deliquerit in his negotiis aliquid sciens vel volens: quòd patriam læserit, quòd majestatem Imperii violaverit, quòd Augustum & filios exhonoraverit, quòd fidem corruperit, quòd pacem perturbaverit. A bonis enim & prudentibus non accusatur, quòd ecclesiastica jura non dilexerit, Regis gloriam & Imperii amplitudinem non amaverit: sed quia nimiùm ea diligendo in aliquo deliquerit. Propterea meritò non reus citatur * malivolentiæ in his omnibus, sed reus virtutis: quoniam beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Vocatur autem jure novus virtutum homo, qui perniciosum fraudis & doli restinxit insaniem & furorem; Cæsarem liberavit à morte, filios à perditione, Regnum & Imperium ab invasione tyranni. A palatio namque sacri Imperii pepulit omnes abominationes, mœchiam fugavit, sortilegas damnavit personas, honestatem restituit; patrem filiis, & filios patri reddidit, monarchiam tunc ire in partes non permisit, sacramenta filio

AN. CHR. DCCC XXXV. AUG. XXXI.

Vvala recusat se se excessus reum dicere.

* accusatur

Pascasius. Animadvertis, frater, vorax incendii flamma quò veniat: An. Chr.
quia niſi eſſet quibuſlibet præſtigiis mens malè deluſa, & inflammata po- DCCC
teſtas, conſervata voluntas invicta, fidelium fides cum omni reverentia XXXV.
humilis & devota; nequaquam agere potuiſſet tam pernicioſè contra ſuam Aug. XXXI.
& omnium ſalutem, partim perſuaſionibus, partim poteſtate & ingeniis. XI.
Sed quia fides eorum fuit intemerata & incontaminata; qui boni erant, nimia decepti reverentia, noluerunt injurioſè contraire ad primum: ideo incurrerunt damnationis diſcrimen, & facta eſt ruina pæne omnium una. Unde identidem, cùm eſſet in eadem ſpecu, plurimum de ſe lætabatur, quòd pro juſtitia injuriam pateretur: ſed dolebat pro periculis, quæ imminere jamjamque videbat. dolebat quòd boni & optimi obpugnabantur; viri innocentiſſimi, & fideles quique premebantur & exhonorabantur, tradebanturque exſiliis, carceribus, & diverſis injuriarum fatigiis. Qui cum pæne inter nubes iſte elevatus vitam ageret (quantum mortalibus fas eſt) angelicam; non ſatis tuta viſa eſt Auguſto & ſuis, fautoribuſque Juſtinæ, quæ redierat in conjugium, ejus cuſtodia, propter Honorium, qui illis in partibus & ipſe rejectus Rex à conſortio imperii morabatur. Verebantur enim, ne conſilium ſaluris daret eidem vel primoribus, per quod iniquitas frangeretur, & ceſſaret cœpta virtutibus ſuperata crudelitas. Propterea quàm citò deponitur de ſpecu præcelſa, &
tranſportatur ad Herum [a] infra Oceanum inſulam, omnium terrarum ul- ad Herum
timam: ſi quomodo cum beato Johanne ſolummodo quæ divina ſunt inſulam
cernat, nec valeat humana contingere ſenſu, vel recuperationis ulli por- tranſponi-
rigere verba. tur.

Teofrastus. Quantum mente concipio, calamitas inlata viro & exſilium ſine lege, ſine judicio, ſine culpa; immo pro fide, pro defenſione, pro juſtitia; non pœna peccati eſt, ſed præconium laudis: quia non imminuit clariſſimi nominis gloriam, verùm etiam illuſtravit, & honeſtam ubique adſpergit famam. Nam ſi quis hodie illuc venerit ubi fuit, ſentiet odoramenta virtutum quæ reliquit: quoniam omnis vita ejus plena gravitatis, plena operibus bonis, plena religionis fuit: ideo ei laudem ubique ad ſempiternam memoriam temporis preſſura vel tribulatio propagavit. Quia etſi optabilius eſt curſum vitæ conficere ſine dolore & ſine injuria; tamen ad immortalitatis gloriam & fructum æternæ retributionis plus affert præmii labor pii certaminis, quibus nullus eſt finis, quàm delicata quies. Propterea idem ſemper fortis & conſtans in omni optima ratione & labore pio fuit, ſemper manſuetus & patiens; paratus ex-
cipere cum omni devotione quidquid virtus divina decreviſſet. Non nuſquam
enim exſilium ſibi, ubi vel ubi cùm eſſet, quia cum Deo erat, ſed pa- exſul.
triam deputabat. Erat igitur in omni loco cum Apoſtolo bonus odor Deo: & ideo ad famam & gloriam ſancti nominis huc illucque deportabatur.

Pascasius. Ita eſt ut aſſeris: & ideo non exſulem eum appellare licet, ſed eos qui eum exſulare cogebant. quoniam ipſi in quocunque loco eſſent, exſulabantur à ſe, à ſenſu, à conſilio, cum omnem patriam ci-
vibus & optimis curis * ſimillimam exſilio ſuis ſceleribus reddebant. Quid * l. viris va-
eſt enim exſul ipſum per ſe nomen? calamitatis utique pœna & turpitu- cuam.
dinis. Quando igitur eſt turpe? Re vera, cùm eſt pœna peccati. Opinio eſt etiam hominum, ſicuti huic, cùm eſt pœna injuſtè damnati. Aliàs autem hic non in peccato ſuo nomen tulit exſilii; ſed decreto injuſto juſtè Deo agente. Quia nemo tam inſanus mente, qui peccatum dicat agere ſancto conſilio, pro fide, pro vita Cæſaris, pro filiis & imperio, pro ſalute po-

[a] De hac inſula dictum eſt in Vita ſancti Adalhardi, qui ibidem relegatus vixit annos ſeptem; & inferiùs dicetur, ubi de tranſlatione corporis ſancti Filiberti.

AN. CHR. DCCCXXXV. ÆG. XXXI. puli, & salvatione patriæ, pro justitia & legibus Augustorum, pro stabilitate & unitate Regni, pacisque concordia, pro depulsione vitiorum & abominationum, pro adulterio, quod ultimum est, & pro conrumelia totius Imperii. Adeo igitur nemo furiosus, nemo insanus, nemoque tam imperitus, qui felices eos censeat vel sensatos, qui talia contra conscientiam, contra salutem omnium facta laudant, & hunc vituperant. quasi non felices fuerint hi omnes, qui pro justitia agonizantes tales sustinuerunt injuriarum triumphos: de quorum omnium collegio electus est suo in tempore iste, qui pro eximiis beneficiis & innumeris, contumeliarum honores perciperet. Hinc etiam novo genere ad Herum magnificentissimè honoratus ad exsulandum deducitur, teste conscientia eorum, qui talia ministrabant consilia: quoniam innocens & optimus non ob aliud sic vexabatur, nisi ne contraiter bonis consiliis pessimos conatus. Agebant ergo, quod omnes olim perfidi contra Sanctos exercuere: unde & iste similia pertulit, compassus, ut conregnaret.

ADEODATUS. O prodigiosa inventio & nefanda! Quis umquam audivit, ut aliquis eos odiret, quorum consilio & providentia reservatus esset ad vitam, suique ac sua eorum salvata fide & auxilio? vel quis ita sapuit, ut illos diligeret ad consensum, qui hostes sui erant suorumque, quorum contumeliæ spurcitiarum honestatem ejus omnem suo scelere fœdarant? heu quàm novæ obscenitatis dementia; ubi omnia vitiorum ostia aperiuntur! quando Justina, etsi polluta, recipitur: quòd non corrigitur, neque datur locus timori, ut corrigatur. Unde huic parantur insidiæ, & removetur de loco ad locum: quoniam vitiis ubique virtutes displicent; nec satis turè creduntur à vitiosis, dum alicubi esse creduntur. Idcirco virtutis vir, castitatis amator, justitiæ defensor ejicitur huc illucque sine testibus: quia publica erat ejus virtus, sine judicio, sine crimine, sine audientia & sine scelere. Quapropter velim ad Herum deportatus, ultimam terrarum insulam, quid egerit pandas.

XII. Quid utrobique egerit. PASCASIUS. Fateor plane, quod aromata solent, quod in prædicta specu: nisi quòd ibi cælum & Penninas Alpes, nec non Limanium lacum cernebat: hic verò solummodo mare cælumque; hic autem & illuc Deum meditabatur in mente, secum semetipsum semper sibi præsentem ferebat. Cernebat autem, juxta David, mirabiles elationes maris, cernebat mente in altis Dominum. Ergo considerabat rotas & volubilitates, quibus vertitur sæculum; se autem gaudebat in solido constabilitum, & congratulabatur plurimùm, quasi in paradiso deliciarum præ amœnitate nimia constitutus: eo quòd evasisset de profundo iniquitatis, ubi indesinenter elevant flumina sibi compugnantium fluctus usque ad cælum, ab impulsione dæmonum, nec tamen operiunt terras: quorum fluctus & elationes, sicut nemo qui denumerare possit, ita potentià divinæ dispensationis nemo qui apprehendere queat. Unde fidelis quisque audiat vocem Domini cum Arsenio dicentis mari & sæculo: Usque huc venies, & hic confringes tumentes fluctus tuos. Aliàs autem, nisi his solidatus esset promissionibus, & fundatus super firmam petram; inter tot volumina injuriarum, coulisiones & fragores tentationum, tam immobilis & inconcussus non permaneret. Ubi non diu, prô nefas! cum beato Johanne, etsi inferior, cum exsultatione & alacritate cordis divina cernere licuit mysteria; tamen quantisper jucunditate refectus æternæ contemplationis, reliquit bonum exemplum Fratribus, & posteris famam sanctæ religionis. Et quia nullo in loco satis creditur, quod timidius formidatur: idcirco nec hic extra solum, ac si extra mundum, retrusus permanere patitur. nam & Johannes in carcere religatus pertimescitur. Unde & Justina jam enixa, cùm ad conjugium redisset velamine conculcato, requisivit

quo idem esset, quem nullo in loco vivere, quantum arbitror, voluisset. Sed & invidus omnium bonorum diabolus, invidit diutius eum frui tantis virtutum oblectamentis: quia nullo in loco esse poterat in hac vita mortali, quo magis delectaretur. ideo removetur à tam amœnissimo deliciarum loco. AN. CHR. DCCC XXXV. AUG. XXXI.

ADEODATUS. Quæso pandas nobis quid fuerit, quia jam nullus tutior invenitur locus, neque remotior, quòd inde expellitur, ubi nullus accessus hominum videtur, neque recessus, nisi longo maris navigio. Nam & ibidem olim ANTONIUM [a] positum fuisse ob firmissimam constat custodiam. Unde & iste ab omnibus plurimùm amabatur, licèt suis satis jamdudum bonis & beneficiis amaretur. Qui profectò Antonius multa virtutum deposita ibi reliquit, apud Deum merita commendavit, & secum ubique aromata virtutum portavit. XIII. Aliò deportatur in Germaniam.

PASCASIUS. Quod interrogas, qualis occasio fuerit, priùs ostendi, qualem & Johannes habuit in carcere, ut feriretur gladio. Tamen MELANIUS Rex illis erat adfinis in partibus, super quem manus mittere decreverant. Ne consilio juvaretur, provisum est, quia idem multis cæcabatur peccati actibus. Hac quippe occasione, quamvis cum honore, quia venerabatur meritis, & timebatur consiliis; relevatur cum injuria exsilio, & deportatur officiosissimè, quasi incensum odoriferum, per medias Gallias ad Germaniam. Ipse verò semper ubique secum patriam ferebat: quia ubique notus, ubique dilectus, ubique ab omnibus quanto innocentior, tanto cariùs amabatur. Equidem jam perfunctus tentationibus, nullam vim, nullum metuebat imperium: etsi necdum expleverat animos adversariorum, neque placaverat odia improborum; saturaverat tamen tantisper perfidiam & scelus proditorum; quamvis non ad plenum, quia reluctabat * animo quod volebant. Et ideo timore afficiebantur, ne bonis subveniret consiliis, & fraus detecta deperiret. Non enim ei hostes erant jam expulso, sed virtutibus, quas ubique amittere non valebat, Dei protegente auxilio. Quid plura? reliquit Monachorum alvearium virtutibus mellificatum; & ecce cum gaudio rursus, ubi perducitur ad Germaniam, Monachorum chorus [b] eum suscipit, rursus Episcoporum ducatu ad eumdem locum & Abbatum, quamvis inhonestè, quodammodo honestatur. * reluctabatur

TEOFRASTUS. O misera nostra tempora! ô stultæ discordiarum nostrarum insidiæ, quæ ad tantam civilium debacchationem perduxere pacatissimum regnum! sed felix de quo ubique tanta virtutum respergitur fama. Puto quòd nulla sit regio, nullum terrarum nostrarum solum, etiam ultimarum; non pontus, non insulæ, non litora; non locus, non domus, non civitas, in qua non exstent hujus viri laudis præconia, & ubi non maneant impressa casti consilii vestigia, quæ cunctis præstitit cum incredibili gravitate, virtute, atque constantia, & puritate cordis. Erat enim in eo integritas mentis, religio sancta, diligentia rerum, moderatio virtutum, quibus auctoritas in eo plurimùm commendabatur. Idcirco, ubi vel ubi, quasi eximius venerabatur patronus, & ducebatur: quia in eorum etiam conscientia venerabilis erat pro vitæ merito & virtute, à quibus, quantum in ipsis fuit, exsilio damnabatur. Sed omnino illi non erat exsilium, immò augmentum meritorum: quia, sicut in psalmo canitur, eundo ibat de loco ad locum, mittendo semina sua. Ubique confessores Christi intercessores habuit; ubique eorum exempla exhortationis gratiâ sibi à Deo præstita invenit; ubique & ipse confessor sua reliquit, & Monachorum catervam, inter quos fuit, secum habuit, quorum com- Psal. 125. 6.

a Id est Adalhardum Vvalæ Fratrem, uti superiùs dictum in ejus Vita.

b An Fuldensis Monasterii? nulla ejus rei apud veteres, quod sciam, memoria.

An. Chr. DCCC XXXV. Aug. XXXI.

mendaretur precibus, foveretur solatiis, & sollemnibus mulceretur officiis; quos & ipse suis instruebat exemplis, exhortabatur oraculis, præstruebat consiliis. Unde adhuc hodie in eisdem locis, quocumque fuit, plurimùm diligitur, & amatur; prædicatur quoque & commendatur incessanter, etiam ab his, qui eum non viderunt, quatinus ejus semper fama vigeat & præconia.

XIV. Corbeïam reducitur privatus.

PASCASIUS. Verùm tamen in eodem, ad quod pervenerat Monasterium, non diu rursus licuit permanere, ne fortè Gratiano illis in partibus misceretur consilio vel colloquio: quoniam ipse ubique idem erat, & secundum Deum quæ semel velle debere deliberaverat, infatigabiliter tenebat, ne virtus animi ullis frangeretur molestiarum injuriis. Quid plura? reducitur ad proprium eisdem privatus honoribus Cœnobium, quia venerabatur ubique, ne locum haberet contra voluntatem semel inlapsam agendi. Qua de causa, cùm tedisset, non minùs mærore, quàm gaudio suffusi sumus: quia hinc mæsti, quòd suo privabatur officio; hinc verò læti, quòd eum saltim videre meruissemus, nobiscumque habere licuisset. Ubi cum quanta humilitate & subjectione interdum * fuerit, quàm devotus & paratus ad omnia; credo quod à memoria non delebitur. Etenim paulo pòst, quamvis multis fatigatus injuriarum molestiis, advenerunt Missi apostolici[a], Regumque filiorum & Seniorum, quòd omnes simul cum eodem Sanctissimo advenissent, pro pace & unitate, pro indulgentia & satisfactione patris: ut veniam impetrarent auctoritate Pontificis, & salvaretur Imperium. qui detulerunt epistolas ex omni auctoritate divina valde gravidas, & præcipiunt cum omni adjuratione, quamvis pro his multis jam perpessus, ut in adjutorium summi Antestitis obviam veniret. Quòd si nollet, jusserunt Augusti vi eum abducere, cum omni tamen honore & reverentia. Quod cùm audissemus omnes, pertimuimus valde, maximè quia totum à militibus nostrum occupabatur Cœnobium. Nos tamen primùm nesciebamus quid sibi vellent. Unde plurimùm expavimus, & quæsivimus quid esset. Tum illi rei veritatem pandentes; sed idem ire cum eis recusavit. At illi in nos irruentes dicebant, quòd si aliter non possent, vi eum auferre deberent. Quibus profectò dictis, hinc inde valde mærore ac terrore afficiebamur, quoniam multum nobis & illi pariter imminebat periculum, facere, aut non facere quod rogabant. siquidem pro multis ejus jam periculis nimiùm tristabamur: & quia in nullo priùs profecerat*, ne rursus repeteret, deterrebamur. Ostendebatur coram auctoritas, & legebatur, summi Pontificis, pro pace, pro reconciliatione patris & filiorum, Principum & Seniorum, pro statu ecclesiarum, pro adunatione populi & salvatione totius Imperii. Erant autem & alii ex parte filiorum pro eis rogantes eum, ut illis suis succurreret consiliis, qui jam pro eis multa pertulisset, ne eos in fine desereret discriminis. Nuntiabatur & virtus divina, quæ præruptam viam Alpium Penninarum obviam coram sacrosancto complanasset Apostolico, quæ obstrusa multis fuerat argumentis, ne ultra de illis in partibus ullus amplius hue transiret exercitus: quæ ultro, ut fertur, aperta est eis. Quibus ita prolatis, & aliis innumeris dictis, cœpimus exhortari eum, ut obœdiret pro pace summo Dei Pontifici, etiamsi eum mori cum eo contingeret: quoniam multa est, inquimus, auctoritas, qua vocaris; multa etiam necessitas & justitia, pro qua vocaris. Nec minor itaque obœdientia, sub qua devotus Deo bonis & sanctis obœdire congruit tanti Pon-

* interim

ad Papam perducitur invitus.

[a] Id factum anno DCCCXXXIII, quo Gregorius Papa IV in Galliam venit pacis reformandæ causa. Hinc colligitur, Vvalam exsilium passum esse ab anno DCCCXXX in id ferè tempus, quo jam revocatus erat. Certè Nithardus in lib. I. ipso anno revocatum Vvalanam scribit, Elizacharem etiam Abbatem Centulensem, Matfridum, cæterosque, qui in exsilium retrusi fuerant.

tificis, unà cum ceteris sanctis Dei fidelibus, jussis.

An. Chr. DCCCXXXV. Aug. XXXI. XV.

Adeodatus. Hoc est quòd multi calumniantur, quasi non oportuerit de his eum ultrà curare, neque talibus se admiscere negotiis. cùm omnino Spiritus-sancti gratiæ nulla præscribit auctoritas cujuslibet Regulæ; immo cuncta Christi dispensat providentia, singuli quantum in singulis, vel quomodo proficiant officiis. Siquidem considerandum quid quisque agat, vel quomodo, & ubi. Quia, sicut in eadem legitur Regula, claustra sunt Monasterii virtutum instrumenta & bonorum operum, quò diligentiùs omnia regulariter compleantur. Qua decausa, cui non licet sine jussione Abbatis quippiam agere, providendum, si licuit ad tam grandia & incerta sine transgressione insilire: quia periculosissimum est quempiam suum relinquere propositum, & ad ea quæ non expediunt, neque suo congruunt officio, inconsideratè se admittere.

Ob id culpatus immeritò.

Reg. S. Bened. cap 4.

Pascasius. Multorum vox ista est: sed eorum qui non adtendunt, cujus dignitatis esset iste, vel ordinis. Nam postquam electus ab omnibus est Pastor, & Rectoris officium vocatus à Deo suscepit, ut credimus; Consiliarius totius Imperii unà cum ceteris prælectis constitutus, etiam in fide ac consilio reliquis antepositus. quod & antea jam erat etiam quàm idem esset electus: quia pro genere, pro vitæ merito, pro institutione, quam perceperat pæne ab ineunte ætate infra Senatum & Sapientes regni; pro mentis efficacia & nobilitate sensus plurimùm ab omnibus audiebatur, & venerabatur à singulis. Idcirco qui jam cùm esset Prælatus unà cum ceteris ecclesiarum Pastoribus, est ordinatus Senator cum eisdem ipsis, & cum aliis quibuslibet palatii vel regni Senatoribus, ut consilium daret de singulis; non mihi videtur, quòd sine periculo sui prætermittere posset, priùs ne consilium de his inveniret quæ annumeravimus, in quibus unus omnium profectò imminebat interitus. Alioquin nullus Monachorum major vel sanctior Johanne, qui ideo decollatus est: nullus acceptior Helia, nullus religiosior Heliseo, seu ceteris Sanctis & Prophetis, qui viriliter Regibus restiterunt, & pro justitia decertarunt usque ad mortem. Nam Zacharias ideo peremtus, Isaïas secatus, Hieremias in lacum dimersus: sed iste longè inferior in specu altissima est levatus. Errat igitur quicumque dicit, quòd pro justitia non debuerit stare, pro fide non decertare contra tot mala taliaque quæ acciderunt, non debuerit, quia armis non licebat, saltim consilio, exhortatione, persuasionibus non resistere. Quæ profectò mala omnibus tunc & deinceps in manifesto venerunt majora & atrociora, quàm quæ noster stilus flendo prosequi velit aut possit. Ideo quicumque ea dissimulat se scire, qualia quantaque fuerint, vel quàm pessima quæ de his orta sunt & permanent, omnino aut desipit, aut insanit. Propterea nemo sani capitis qui hunc infamare vult, quòd talia sapienti suo consilio voluerit contraire.

Teofrastus. Mirabar nimiùm, & mirantur plurimi quid esset, quòd pro tanto imperio, pro tanta dignitate regni & ecclesiarum, nequaquam satis multi Præsules vel Senatores forti & magno animo invenirentur, qui auderent se & salutem suam in discrimen offerre pro statu totius Imperii, pro communi salute. Hoc tempore miretur potius quilibet nostrûm, si quem bonum & fortem virum viderit, quàm si quem aut timidum, aut sibi potiùs, quàm reipublicæ, quia aut nulla aut parvissima est, consulentem; itaque neque ecclesiis, neque populo, quia omnino non est qui audeat, vel qui corrigere quæ depravata vel perversa sunt, possit. Nam ut omittamus de uniuscujusque casu recordati; uno adspectu intueri possumus eos, qui cum consilio, vel cum bonis omnibus tunc temporis dignitatem regiam, & ecclesiarum, afflictam &

An. Chr. DCCCXXXV. Aug. XXXI. dejectam, vel constupratam retrexerint, & à latrocinio domestico liberaverint; deinceps eos mæstos, exhonoratos, infideles adjudicatos, & reos capite, fama, carceribus, & exilio: eos autem qui omnia divina & humana violarunt, vexarunt, perturbarunt, everterunt suis rapinis; non solùm exsultantes & lætos, fortissimos atque optimos, * honoratos honoribus & gloriosos; verùm inclytis, & sapientibus, atque honestè zelantibus insidias moliri & pericula; sicque de se nihil timere. In quo nimirum negotio cùm multa sint indigna & detestabilia; nihil minùs tamen perhorrescenda, quòd jam non per latrones & rapaces tantùm, atque egestate confectos, facinorosissimos quosque, seu suo perditos scelere; verùm & per optimos qui fuerant olim viros, per eximios auctoritate religionis, per sublimes nobilitate carnis, pericula mortis & degradationis calamitates inferuntur, à quibus etiam rapinæ & oppressiones inferuntur. quia jam pæne nullus, qui suis justisque stipendiis ducat post se milites, sed de rapinis & violentiis: quod Naso ille spurcissimus omnium primus docuit, & ad finem a usque semper publicus prædo vixit. Nunc verò & isti, quanto sunt ampliùs latronibus constipati, tanto potentiores, ne ullus ad rapinas eis contradicat. Sed quamvis militia augeatur pro talibus; nemo tamen eorum, nisi ad civile malum, vires habere videtur. Idcirco nec mirum, si iste vocatus à summo Antistite talibus contradixerit, qui primùm optabat deleri de libro vitæ cum Moysi pro populo Dei, pro Augusto & filiis; necnon & cum Paulo pro fratribus & ecclesiis anathema fieri.

* l. optimos,

Adeodatus. Nec mirum itaque, tantis fatigatus exsiliis, tantisque sordidatus infamiis si restitit ad primum: quia, sicut vidimus & cognovimus, nisi ab omnibus nobis violenter cogeretur, & tanta auctoritas summi Pontificis eum non premeret, jam ulteriùs nihil tale assentiisset. Nunc verò à Fratribus inpulsus, à summo Pontifice cum adjutationibus vocatus, à filiis Augusti Regibus imploratus; à populo & Præsulibus, cum quibus olim fuerat in causa hujus exordii, deprecatus, pro concordia & pace tandem censuit aliquando coactus illuc venire, summoque Antistiti obœdire, seque illi conjungere, qui tantum pro omni populo Dei assumserat laborem; si fortè eum eo pacem in regno restituere posset, & discordias removere. Quapropter detrahendi nullus est locus, immo major esset reprehensio, si desereret tantæ auctoritatis jussionem pro ullius discriminis præsentis vitæ periculo: quoniam laudabilius est bene moti, vel periclitari cum bonis & optimis, quàm malè vivere, aut consentire cum pessimis. Aliud quippe pœna judicii est, aliud verò augmentum peccati. Et ideo non inconsultè, ut aiunt, neque contra propositum veræ religionis rursus idem tradidit se discrimini: sed valde officiosissimum, & laudabiliter, se obtulit, & medium pro utriusque partibus, si reciperetur æque ab omnibus; neque suis deterreri poterat periculis, qui se multoties ingesserat pro alienis. Unde deinceps Pascasium prosequamur, qui cum eo comes fuit inremotus, quem nullus deterrere potuit præsentis vitæ casus, ne sequeretur quem amaverat in Christo, quem imitari proposuerat; cum quo etiam, bene conscius de eo mori optarat pro fide Christi, si tempus immineret discriminis.

Paschasius ejus comes.

XVI. Profectio ad Papam.

Pascasius. Fateor planè, quocumque affectu id dicas quod dicis, quia ita est ut dicis. Quod satis probat iter, quod suscepimus inter medias concursiones insidiantium, inter legiones huc illucque qui nobis adversabantur discurrentium: inter quos, donec ad Augustos Reges &

a Bernardi finem cædemque ad annum DCCCXLIV referunt Annales Bertiniani. Hinc patet, longè post id tempus scriptum esse hunc secundum librum.

ad ipsum sacrum Pontificem venimus, satis periculosissimè semper cum metu ac tremore incessimus, timentes, ne non venire ad destinatum licuisset: quia omnino, si compertum esset, artior nos susciperet custodia, quàm olim ei esset inlata: quia erat cum Augusto Justina tunc temporis, quæ movebat totius monarchiæ rursus sceptra, concitabat fluctus & maria, impellebat ventos, & corda virorum ad omnia quæ vellet convertebat: à qua quia unum ejecerant, de quo diximus, flagitiosissimum [a], alii serviebant facinorosissimi. Nos autem, quia declinare, nisi inter medias eorum cohortes iremus, non potuimus, per medium protegente Deo prospere pervenimus: ubi cùm venissemus, cum nimio suscepti sumus gaudio à Regibus, à Principibus, & ab omni populo. Deinde oblati sanctissimo Pontifici, satis venerabiliter cum magna alacritate nos excepit: quia cruciabatur & ipse animo pro talibus quæ repererat, qualia numquam priùs credere potuisset. Terrebatur autem (quod valde dolendum est) ab Augusto, & ab omnibus suis, etiam ab Episcopis, qui sibi pridie quàm venissemus dextras dederant, quòd unanimes essent ad resistendum his, qui ex adverso erant, Regibus filiis, Principibus, & populo: insuper consiliabantur firmantes, prô dolor! quòd eumdem Apostolicum, quia non vocatus venerat, deponere [b] deberent. Erat enim ibi Phasur, & reliqui eadem cum Justina sentientes. Quibus auditis, Pontifex plurimùm mirabatur, ac verebatur. Unde & ei dedimus nonnulla Sanctorum Patrum auctoritate firmata, prædecessorumque suorum conscripta, quibus nullus contradicere possit, quòd ejus esset potestas, immo Dei & beati Petri Apostoli, suaque auctoritas, ire, mittere ad omnes gentes pro Fide Christi & pace Ecclesiarum, pro prædicatione Evangelii & assertione veritatis: & in eo esset omnis auctoritas beati Petri excellens & potestas viva, à quo oporteret universos judicari, ita ut ipse à nemine judicandus esset. Quibus profectò scriptis, gratanter accepit, & valde confortatus est.

AN. CHR. DCCC XXXV. AUG. XXXI.

Minæ in Papam.

Consilium ipsi datum.

TEOFRASTUS. Qualem putamus Augustum tunc fuisse, qualemve Justinam, quæ suo tunc cuncta vertebat nutu; qualesque Principes, quando tales inventi sunt Præsules Christi, ut sicut illi in humana, ita & ipsi consurgerent in divina! Ventilabant enim suis cornibus, ut olim pseudoprophetæ, in omnem ventum populum, & insurgebant contra caput totius Christi Ecclesiæ, ne pacem ferret inter patrem & filios, inter Augustum & Principes, ne reconciliarentur, qui dispersi, & exsiliati, atque dehonorati injustè erant; ne pax redderetur ecclesiis, ne statuta priorum temporum, & divisa inter filios regna manerent inconcussa & indiscussa. Hæc erant, quia Justina sic inflammabat studia eorum, neque Principi consilia ex corde aut ex animo dabant: sed assentando & adulando pro favoribus, veritatem, justitiam, pacem ac concordiam conculcantes, contra eos qui pro his decertare videbantur, pro viribus repugnabant. Verùm tamen quam justitiam habuerint filii & populus, quia hinc inde sibi invicem adversantes pater moliebatur in filios, & filii consurrexisse videntur contra Patrem; atque ideo inimici omnes: quia interfuisti, rogamus aperias nobis.

a Nasonem scilicet seu Bernardum, qui in Septimaniam se recepit, teste Nithardo in lib. I. tametsi anno DCCCXXXIV in pristinum gradum redire conatus est, ejiciendo Guntbaldo Monacho, qui cùm multum in restitutione Ludovici Augusti laborasset, *secundus in Imperio esse volebat*. Is Cœnobii S. Medardi Monachus fuit, ut ex Nithardo intelligitur.

b Alibi hujus comminationis mentio nulla, si non fallor. Auctor quidem Vitæ Ludovici Pii testatur, Episcopos, quibus Pontifex interminabatur excommunicationem, *si qui inobedientes essent sua filiorumque Imperatoris voluntati*, respondisse, *si excommunicaturus adveniret, excommunicatus abiret*. & Gregorius ipse in epistola ad prædictos Episcopos, quæ inter Agobardinas edita est, conqueritur, eos dixisse, Pontificem, nisi secundùm voluntatem ipsorum venisset, non habiturum ecclesias suas consentaneas, sed in tantum contrarias, *ut nihil mihi*, inquit, *in vestris parochiis agere vel disponere liceat, nec quempiam excommunicare vobis obsistentibus*. At de interminatione depositionis nulla querela.

An. Chr. DCCCXXXV. Aug. XXXI. XVII. Pascasius. Justitiæ partes constat quia plurimæ sunt. Alia siquidem est justitia regni Dei, alia regni terreni: alia inter parentes & propinquos, alia inter externos & alienos: in tantum, quot sunt leges & consuetudines gentium, tot dicantur ex usu justitiæ partes. Propterea ex lege Dei, non minùs quàm ex lege patriæ, de istis colligendus est modus justitiæ, etiam & ex lege naturæ: quia, sicut scriptum est, filii obœdite vel deferte parentibus, ita & patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros. Quod si utrumque servatum providenter esset, tantum malum non adcrevisset. Tamen ut elucescant quæ proposui, commemoranda sunt Capitula [a], quæ Augustus pater quasi pro querela filiis direxit, ut enunciaret quid contrà requireret.

Querela-rum capitula Ludovici in filios: & responsa.

Capit. I. " Primùm rememorati eos monet, quòd filii ejus sint, & ipse eos Deo auctore genuerit.

" Ad quod ipsi: Gratias omnipotenti Deo, inquiunt, qui quod verum est de nobis, talia recogitare vobis concessit: & quia non solùm recogitare, verùm etiam mandare dignati estis. Nos enim, præcellentissime Augustorum, in vita nihil post Deum carius, quàm vos sacratissimum genitorem; nihil gloriosius possidemus, quàm quia vestri filii censemur & sumus; nihil locupletius, nihil ditius, nihilque nobis magnificentius ad honores, ad excellentiam & dignitatem, ad laudem nominis & splendorem gloriæ. Idcirco, gloriosissime, venimus humiles & devoti, subditi, ut decet, & subjecti: tantùm dignetur pietas vestra & mansuetudo recogitare de nobis, ne condemnemur injustè, ne abdicemur sine crimine, ne exheredemur sine culpa. Non enim insurgimus contra vos, sicut loquuntur & accusant nos, qui nos perdere inimici moliuntur: sed supplices veniam, indulgentiam & misericordiam postulamus.

Capit. 2. " Deinde in alio capitulo: Mementote, inquit, etiam quod mei vasalli estis, mihique cum juramento fidem firmastis.

" Ad quod rursus iidem: Bene, inquiunt, recolimus ita esse uti mandastis: quoniam & à natura, & à promissis, & ab omni veræ fidei sacramento profectò fideles sumus. Unde sicut numquam deseruimus militiæ vestræ servitutem; ita donec spiritus in nobis superest, numquam desertores erimus: quia nobis gloria vestra, honor & prosperitas carior est, quàm vita nostra. Et ideo non contra vos venimus, sed pro vobis in omnibus parati sumus: tantùm ut gratiam pristinam & misericordiam impetremus. Neque contra vos, hos qui nobiscum sunt, conduximus: sed quia, ut decuerat, simpliciter venire non audemus, pro his qui nobis insidiantur, volentes nos perdere, & imperium gloriæ vestræ pervertere, etiam animum vestrum serenissimum pium & mansuetum, à natura summæ generositatis bonis omnibus repletum, & Christi gratia illustratum, conantur conturbare & corrumpere contra nos, & contra fideles quosque, ac permutare in amaritudinem naturæ alienæ: quia nihil aliud olim egerunt, nisi etiam ut vos perimerent. Contra quæ sic venimus ad vestram clementiam, ut & ipsi detegantur, & thronus Imperii vestri & majestas, eorum clarescentibus culpis, admodum gloriosiùs confirmetur: nosque reconciliemur ad veniam, qui in nullo, quantum in nobis est, umquam volendo contraximus culpam.

Capit. 3. " Addidit quoque: Scire vos, inquit, oportet, quia longè diu defensionem sedis Apostolicæ devotissimè suscepi, quamvis nunc indebitè usurpetis contra me illud, ut excludatis me ab hujuscemodi officio, quod quamdiu advixero, prætermittere non queo.

" Unde Honorius unà cum fratribus: Perpendat, ait, sublimitas ve-

[a] Hæc Capitula nemo, ni fallor, hactenus retulit.

stra;

An. Chr. DCCCXXXV. Aug. XXXI.

stra, & recordari dignetur, quòd æquè me præstantissima in Christo providentia vestra suscipere fecit hanc curam & defensionem ipsius permaximè, ceterarumque ecclesiarum, quando me consortem totius Imperii celsitudo vestra unà cum voluntate populi constituit in omni potestate & honore, in omni conscriptione [a] & nomismate, in omni dispositione, vestro conservato honore & providentia. Equidem & ad eamdem sedem clementer me vestra imperialis eximietas misit, ad confirmandum in me quicquid pia dignatio vestra decreverat, ut essem socius & consors non minùs sanctificatione, quàm potestate & nomine. Unde quia coram sancto altare, & coram sancto corpore beati Petri Principis Apostolorum, à summo Pontifice, vestro ex consensu & voluntate, benedictionem, honorem & nomen suscepi imperialis officii, insuper diademata capitis & gladium ad defensionem ipsius Ecclesiæ & Imperii vestri; nemo vobiscum magis . qui eam, quàm ego defendere velit aut debeat. Et quia audivi, quòd plurimi insidiantur huic; manifestum esse omnibus volo, quòd ei sine me nemo nocebit, quem pro pace & concordia conduxi Vicarium beati Petri, ad vestri reconciliandam serenissimam animi pietatem.

Capit. 4. Mandavit namque gloriosus Cæsar rursus, non justum esse, quòd eumdem Apostolicum ad se venire minimè permitterent, eique vias veniendi prohiberent.

Ad quod Honorius: Nequaquam igitur, Serenissime, vias ei prohibuimus veniendi, sed auxiliante Deo reseravimus, cùm essent jussu vestro obstrusæ inter angustias Alpium & præruptæ, ita ut nemo mortalium liberè transire posset, donec virtute Dei nostroque labore complanatæ sunt: ita ut queam dicere cum Propheta, quòd factæ sint pravæ in directas, & asperæ in vias planas. ad hoc quippe ut ad vos tam ille, quàm & nos devotissimi veniremus, quem profectò hunc ideo laborem assumere coegimus, ut ipse vobis summus intercessor vice beati Petri occurreret, cujus potestas in eo vivit & auctoritas excellit. Propterea non prohibemus, ut culpamur, sed officiosissimè exhibemus, quem audiri suppliciter in causa Dei & nostra humiliter deprecamur.

Capit. 5. Iterum Augustus inquit: Injustè agis, quòd filios nostros, fratres tuos, tecum retines, & eos contra me insurgere facis.

Absit, absit, Honorius inquit, mi Domine, si quidem quia fugati erant & abjecti, longéque persecutionibus expulsi, ad vestram eos clementiam reducere decrevi, rogans suppliciter dignetur sancta paternitas vestra recogitare, quia vestri sumus filii, ne nos sine culpa abdicare, vel perdere dignetur majestas vestra: immo moveat viscera pietatis vestræ affectus carnis, & justitia non minùs legis naturæ, quàm & legis Dei; nostrique misereri dignemini.

Capit. 6. Tunc ad ultimum: Vassallos quoque, inquit, nostros indebitè recepisti, & eos tecum retines.

Honorius: Non itaque, sciat beatitudo vestra, ita est: sed cùm essent & ipsi dispersi, fugati, aut in custodiis & exsiliis detenti, fecerunt ad nos, & ad istum beatum Antistitem confugium, quatinus pro illis apud vestram serenissimam clementiam intercedat, ne injustè damnentur, qui pro fide vestra & justitia extiterunt, ne fraus prævaleret & dolus scelestissimorum. Hoc semper audivi in vestro sacro concilio, & in clarissimorum senatu virorum, hoc semper in vestris recognovi factis, hoc à vobis audivi, hoc legimus in gestis antiquorum, fortes viros &

[a] Agobardus Lugdunensis Episcopus in flebili epistola ad Ludovicum Augustum: *In processu quoque temporis, quotiescumque aut quocumque Imperiales litteræ mitterentur, amborum Imperatorum nomina continebant: postea verò mutata voluntate, convulsa sunt statuta, & de litteris nomen omissum est.*

An. Chr. DCCC. XXXV. Aug. XXXI.

clarissimos, ac bene meritos honorari magis debere, & gloria inlustrari, quàm depelli; qui pravorum hominum impetus & conatus providè represserunt; qui auctoritate, qui fide, qni constantia, qui magnitudine animi & consiliis insidiantium audaciæ restiterunt: eorum scilicet hominum, qui levitate sua & pernicie vestrum cum omni improbitate fœdaverunt imperium. quos quia isti detexerunt & fugarunt, honorandi essent & glorificandi potiùs, quàm à pestilentissimis viris criminandi: quia & ipsi primùm vestris sunr enutriti disciplinis, vestrisque edocti consiliis, vestra sublimari dignitate, & inlustrati honoribus, semper habiti sunt primi & eximii palatii. Unde censuimus eos reducere ad vestram misericordissimam pietatem, vestrisque repræsentare adspectibus: & ideo non debemus offensam contrahere, si quos fraus factiosorum perdidit, vestris restituimus & reconciliamus profectibus.

Papa ab Imperatore malè exceptus.

Hæc siquidem est alterna altercatio, hæ querelæ ad invicem: hæc propositio paterna, & responsio filiorum. Cùm nec sic ullum adsensum obtinere quivissent veniæ, mittitur sanctus & summus Pontifex intercessor, Vicarius beati Petri: qui cùm venisset, nullo susceptus est honore [a] condigno: tamen more suo data benedictione, proposuit pro quibus venerat. Cui Imperator inquit: Nos ideo te more antiqnorum Regum, sancte Pontifex, non suscipimus cum hymnis & laudibus, alioque dignitatis tuæ & religionis honore, quia tu non sic venisti, sicut tui prædecessores ad nostros vocati venire consuerant. Cui ille: Nos, inquit, bene venisse scias, qnia pro pace venimus & concordia, quam auctor salutis nostræ nobis reliquit; & mihi prædicanda universis commissa est, & proferenda omnibus. Idcirco, Imperator, si nos & pacem Christi dignè susceperis, requiescet in vobis ipsa, necnon in regno vestro: sin autem, pax Christi ad nos revertetur, uti legistis in Evangelio, & nobiscum erit.

Luc. 10. 6.

TEOFRASTUS. Prô dolor! quid contigerit, quòd tam religiosissimus & devotissimus Imperator præ omnibus qui ante se fuerunt, sic insipienter & inconsultè egit, nec honorem Deo dedit, nec beato Petro Apostolo. Mala, inquam, & pessima mentis obstinatio ac duritia cordis mala; & persuasio feminea, quæ primum decepit parentem, hæc & hunc malè decepisse cognoscitur, quod dolemus. Et ideo tantæ auctoritatis & sanctitatis virum plangimus multa caligine pressum, non recordatum quod Veritas ait: *Qui vos recipit, me recipit; & qui vos audit, me audit.* Heu quæ & qualis tunc fuit fascinatio & mentis obcæcatio, quæ talem & tantum virum, inter tot tentationes & pericula, inter tot scandala sic decepit, ut numquam revocari potuerit, neque ullis mederi scripturarum sanctarum consiliis. Qui cottidie visus est meditari in lege Dei, & tam longè à lege veræ dilectionis indurato corde recessit. Alioquin filios numquam tam pertinaciter contra mandatum ad iracundiam provocasset, numquam eos gladio hostili abdicatos tam frequenter & crudeliter insecutus esset: cùm ipsi nihil contra eum mali vellent, nisi ea ut inconcussa manerent, quæ ipse primùm & populus universus ordinarant, & juramento firmarant. Quòd si aut populum, aut Ecclesiam Christi sibi à Deo commissam, certè aut rempublicam diligeret, aut procuraret; numquam pro nnins feminæ voluntate vel persuasionibus tanta admisisset mala in regno quæ acciderunt, quæ numquam fortassis

Matth. 10. 40.

[a] Hincmarus Remorum Episcopus in epistola 41 ad Hadrianum II. *Et quomodo Gregorius subreptus cum Lothario, patre suo repugnante, in Franciam venit, & pax postea in Francia, ut antea, non fuit, & ipse Papa cum tali honore, sicut decuerat, & sui antecessores fecerunt, Romam non rediit.* Et tamen munera ultro citroque data fuisse testatur Theganus in cap. 42. Lege epistolam Agobardi de comparatione utriusque regiminis. Locus ubi Ludovicus cum filiis convenit, dictus est *Campus mendacii, inter Argentariam & Basileam*, ex Thegano.

in perpetuum non ingenio, non virtute hominum, non consilio, non potentia alicujus cessabunt. Interea quia multùm dolemus, rogamus quid summus Pontifex eum eo egerit, vel quid obtinuerit, pandas. An. Chr. DCCCXXXV. Ludov. xxii.

PASCASIUS. Quod sæpe legistis, Legati non impetrata pace, unde venerant, rediere: ita & iste sine effectu, sine honore, & sine fructu tanti laboris regressus est. Verùm tamen post diem qua rediit, insequenti nocte facta est manus Domini super omnem populum justo Deì judicio, & immutatæ sunt mentes singulorum, terrore Dei concussi ac tremefacti omnes. Unde in eadem nocte reliquerunt Augustum sine ullius (quantùm rescire potui) persuasione [a] aut exhortatione; adiciuntque omnes, à minimo usque ad maximum, Honorium, suisque castris se junxerunt, & apparuerunt in mane omnium eorum circa eum fixa tentoria: ita ut singuli dicerent à parte filiorum & Pontificis: Manu [b]; quod interpretatur, quid est hoc? Quia omnino nescientibus cunctis valde mirabile fuit, qui pridie tam fortes erant & constantes, confisi in multitudine, in promissis omnium, in consilio Pontificum & Senatorum, in auctoritate paterna, in promissionibus multiplicibus; quòd tam permutabiles inventi sunt & infirmi, ut sine consultu & sine æstimatione alicujus, Cæsarem solum relinquerent cum Justina sua: & ad filium, contra quem venerant, & firmarant; circumcirca, quasi pulli sub alas, tota in nocte convolarent; & mane castra metati, unus populus appareret. Unde valde diluculo ad eumdem Pontificem venimus pro miraculo, quod acciderat: & ecce in medio unus Romanorum exclamans, ait voce canentis: *Dextera Domini fecit virtutem*, & cetera quæ sequuntur. Tunc ab eodem sancto viro, & ab omnibus qui convenerant, adjudicatum est, quia Imperium tam præclarum & gloriosum de manu patris ceciderat, ut Augustus Honorius qui heres erat, etiam consors factus & procreatus à patre & ab omnibus, eum relevaret, & acciperet. Alioquin nisi fecisset, dixerunt omnes quòd sibi eligerent unanimiter, qui eis auxilium & defensionem ferret. Quibus dictis consensit Honorius, & suscepit, nescio quo judicio, patrem ducens secum, totius monarchiam Imperii. Quæ cùm vidissem, interpellavi pro his Arsenium, ac dixi, quòd malum mihi videretur tam fortuita res sine majori consilio & ordinatione diligentiori, tantum Imperium in subito permutari, qui erat consors factus in fide, ut mox omnem Monarchiam ex casu patris sibi evindicaret. Ad quod idem: Nostrum fuit, inquit, huc venire, pro omnibus bona voluntate laborare, pacisque consilium dare, intestinum bellum, quod imminebat, sedare. nunc autem, sicut nemo nos audit, ita nemo quæ dicimus qui attendat: quia omnes, ut legisti, aut metuunt, aut cupiunt, aut gaudent, aut dolent. Metuunt pridem quod accidit; ne rursus quod factum est, vindicetur. Cupiunt autem omnes, & unusquisque eorum, dum tempus est, ad ea quæ habuit, ociùs pertingere; vel quæ nondum habuit adquirere. Gaudent verò pro eis de honoribus avidiùs, & exsultant: quia sua omnes quærunt, pauci quæ Dei sunt, & utilia. Ergo dolent reliqui, qui timent perdere: quorum audaciâ vel consiliis talia Cæsar Augustus contra filios gessit.

Omnes ad Lotharium se adjungunt.

Monarchia Lothario defertur.

Paschasius & Vuala id improbant.

XVIII.

ADEODATUS. Quantum intellego, & isti potiùs milvi fuerunt, quàm Consules, qui nihil aliud quàm de honoribus propriis arbitrati sunt statuere, unusquisque sibi quanto ampliùs rapere potuisset: cùm deberent jam, quia ceciderat Imperium de manu patris, cogitare atque perquirere cum eodem Pontifice, unà cum Honorio & fratribus, cur ce- XIX.

[a] Theganus tamen ait id communi consilio factum fuisse, & Auctor Vitæ Ludovici Pii partim donis, partim promissis & minis populum defluxisse ad filios Ludovici.

[b] Lege *Manhu*, quæ fuit vox filiorum Israël viso primùm manna, Exodi cap. 16 versu 15.

An. Chr. DCCCXXXV. Aug. XXXI. ciderit: deinde simul ea corrigere, ac firmare, & constabilire, quomodo deinceps unitum & inconcussum maneret. Multa siquidem providentia primos & summos, multoque consilio invigilare oportuerat, ne Respublica & status totius Imperii conlapsus, rursus per discordiam deperiret: quoniam nullus discordiarum alius solet esse exitus inter claros & potentes viros, nisi aut universus interitus, aut victoris dominatus, & regni rursus unitas, pacisque, ac concordiæ reparatio. Sed quia nec iste consultè constabilitur in solio, nec victor dominatum, quia ex Dei judicio pater cecidit, eum Deo tenuit; neque pax, dum singuli sua quærunt, ad plenum restituitur; & ideo regnum iterum deperiit in manu filii, & relabitur. sicque alternatim dum neuter eorum sinceritet coram Deo incedit, labefactatum adhuc hodie jacet & divisum. Manet quoque obscurum odium inter fratres, atque in pectoribus insitum vulnus penitus, & inustum animis hominum amplissimorum: pro quibus indesinenter ad pejus tendit Respublica, & conlabitur. Quæruntur occasiones, singuli & exspectant tempus: quia cecidit auctoritas Regum, quæ deceat, & expediat ad regimen, & consensus omnium divulsus habetur & disruptus. Perierunt judicia, rectaque consilia. Suffragia namque virorum coacervantur: sed effeminati viribus non proficiunt, in tantum ut vix inveniatur vir, qui se pro patriæ salute opponat, aut pro civibus offerat se periculis. Idcirco juxta Veritatis sententiam, divisum regnum cottidie desolatur, & corrumpitur: quoniam ubi non est gubernator, populus corruit. Gubernatorem autem Deum hinc inde amiserunt singuli, quando ficto inter discrimina requisierunt corde. Unde cùm quadam die primi & Consules palatii secretiùs insisterent, ac vigilarent, cum Augusto filio, totum sibi diviserunt Imperium, non attendentes prærogativa * parentum, nec coæqualitates magnorum, non innumerositatem nobilium, non bene meritorum retro fidelium, non ecclesiarum (quod majus est) dignitatem, non Dei ex corde reverentiam. Quod cùm subito factum esset, supervenit Arsenius. At illi confusi, quia conscii, obtulerunt ei distributionis sortes, si quippiam esset quod displicere „ potuisset. Tum ille, ut erat sagax in responsis: Totum, inquit, bene „ dispositum est, nisi quod Deo sui juris nihil reliquistis, neque quod „ bonis placeat ordinastis. Quibus ita inlatis, magis magisque contristari cœpit: quoniam pæne in nullo jam audiebatur, cæcorum cupiditate superatus. Unde factum est, momentis singulis regia potestas labefactata potiùs deperiret, quàm cresceret. Augmentantur scelera, inflammatur rursus discordia, concitantur jurgia, nutriuntur insidiæ; reanimatur Augustus pater plurimis exhortantibus, recreari debere ad thronum Imperii. Concitantur hinc inde seditiones, & augentur discrimina, in tantum ut nulla sit domus, nulla civitas, nullumque municipium, nullus pagos, & nulla provincia, in qua non regnet hactenus discordia. Sed tunc vicissim majora augebantur pericula, quousque Augustus pater resuscitaretur in sede regni, & filius pelleretur.

Mala inde consecuta.

Imperium divisum.

* *fs*

Vvala improbante.

XX. Lotharius excusatur. PASCASIUS. Non itaque pulsus est, ut asseris, neque tam insipienter egit, ut tu plangis: quoniam Regnum & Imperium, quod ceciderat, comitante secum Augusto patre sustinuit, & servavit: neque in eo quippiam admisit, nisi quòd universus Senatus coëgit & populus, in potestatis privatione & judicio Præsulum, qui eum sub pænitentia redegerunt. Hæc omnia quidem Arsenius noster unà cum Dei gratia temperabat, ne utra eorum pars in altero crudelius, quàm natura sinit, aut scelestius pro tanto discrimine ageret. Sed cùm vorax flamma discordiarum ampliùs sæviret, nec pater Augustus in aliquo adquiescens sponte emollesceret; ne forte parricidium proveniret, fecit suo sancto con-

filio, Augustus filius relicto patre rursus in solio Imperii, petita venia, cum suis omnibus qui cum eo consenserant, libet ut abiret: quia hinc inde super omnem populum furor Dei effusus efferbuerat. Nam secundum Job, tabernacula abundabant prædonum ex utrisque partibus, qui satis audacter provocabant suis pravis operibus Deum. Et ideo jam minus Arsenius suis proficiebat consiliis. Erant enim ostia concupiscentiarum ubique aperta, & conflagrata cupiditas. Idcirco suspendium elegit, de medio eorum ut recederet: quia cum Deus omnia dedisset in manibus eorum, nemo tamen Deum ex corde quærebat, apud quem est sapientia & fortitudo: ipse quidem habet consilium & intellegentiam. Unde liquido constat, quod quem ipse omnipotens destruxerit, nemo est qui ædificet; quem concluserit, nemo est qui aperiat. Et ideo, quia hos alternatim destruebat, quos erexerat; & rerigebat quos concluserat; maluit abscedere liber, quam inter eos manere servus peccati. Considerabat enim jam stupefactus, quod fortitudo hominis & ingenia nulla essent. quod sapientia magis stultitia recte videretur. nam teste Scriptura, decipientem, & eum qui decipitur, ipse novit. Propterea cum vidisset diversos dolos & fraudes hinc inde compugnare, fecit ut filius patri deferret, & cum suo exercitu inlæsus abiret; ac pater eum his qui eum eo vellent, in Imperio remaneret. ita ut daretur omnibus intellegi, quod ipse sit Rex solus omnipotens, qui adducit consiliarios in stultum finem, & judices in stuporem: balteum quoque Regum dissolvit, & præcingit funerenes eorum. quod huic sane contigisse vidimus. Sed quia neutra pars eorum ex toto digna Deum requisierat, vicissim alternis successibus commutantur, & flagellatur populus: ut intellegant omnes, quod ipse sit Deus, qui adducit sacerdotes inglorios, & optimates supplantat. Alioquin numquam, nisi eorum ex culpis, tanta esset vexatio & confusio omnium. Commutatum namque erat labium veracium, & ablata doctrina senum. Propterea solus iste non poterat jam contra omnes, nisi tantum quod egit: ne tunc rerum eventus in pejus deveniret, quod hinc inde plurimi hortabantur: quoniam effusa erat contentio ac despectio super Principes. Sed quod tunc obstitit, pro dolor! postea factum vidimus, ne civile bellum inter eos surgeret. Verumtamen hic noster potius mori, quam tale aliquid assentire, aut interesse vellet. Hine persuasit, filius ut abscederet una cum suis omnibus; & pater olim male tractato potiretur Imperio. quandoquidem Deus, quia induraverat cor ejus, qui commutat corda Principum terræ, & decipit eos, ut frustra incedant per invium; ejus totum commisit judicio, ne aliquid quod scelestius esset, proveniret inter eos. Erat enim triste tunc videre, culpis exigentibus, quod Job ait: ***Palpabunt quasi in tenebris, & non in luce; & errare eos faciet quasi ebrios: quoniam ipse solus est, cujus nemo avertere potest cogitationem; sed faciet quæcumque voluerit, suo justo judicio.*** Quæ nimirum judicia considerans hic noster, quæ accidebant, quæ cottidie fiebant pejora, & augebantur; ideirco, licet sero, prævidit futura, quæ hinc inde ad præsens jam completa cernuntur. Unde elegit magis aufugere, quam cum aliquo eorum remanere. Nam pater voluit eum, me teste, multum instanter secum tunc cum omni honestate & reverentia summi honoris retinere, etiam si vellet juramentum a suis fidemque facere: deinde Augustus filius secum abducere. Verumtamen ille neutrum eorum audiens, immo fortiter resistens, ab utrisque discessit, pennigeroque gressu Italiam ingressus, infra Cœnobium [a] sancti Columbani

An. Chr. DCCCXXXV. Aug. XXXI.

Job 2. 6.

Vvala a seditiosis discedit.

Job. 12. 16.

Ludovicum servat.

Bellum civile impedit.

Job 12. 25.

Vale dicto Augustis, recipit se in Bobiense Monasterium.

[a] Bobiense scilicet, cujus Monasterii catalogus Abbatum exstat imperfectus apud Ughellum in Italiæ sacræ tomo 5, omisso Vvala, qui non solido anno loco præfuit; & Ebone Remorum Archiepiscopo, cui hæc Abbatia commissa est, testante Frodoardo in historiæ Remensis lib. 2 cap. 20.

AN. CHR. DCCCXXXV. AUG. XXXI.

se recepit: quod sanè Cœnobium ne invaderetur à raptoribus, ut cetera omnia sunt pervasa, ipsis petentibus Fratribus suscepit ad regendum; & quamdiu advixit, nobiliter ac pacificè eum * texit.

* id cui prætitur.

XXI. Probatur hæc transmigratio.

TEOFRASTUS. Hinc est quòd multi eum reprehendere conantur, quia suum in quo professus & electus est, reliquit; & aliud, quasi cupiditate ductus, quolibet pacto præripuit. Fortassis ergo religiosius esset, aut in suo permanere, paulo antè quod fassus es pacificè facere potuisse: aut in eodem sine regiminis onere subsistere. Esset quippe in uno eorum voti adimpletio; in altero verò humilitatis cum laude exsecutio.

PASCASIUS. Fortè non legisti Vitam & actus ejusdem beati Columbani, qui expulsus zelo cujusdam feminæ [a] à Luxovio, hunc rursus * coædificavit locum, & præfuit ibi multis Fratribus laudabiliter usque ad finem vitæ. Non enim talentum sibi creditum abscondere in terram debuit [b], sed erogare fratribus. quod beatum BENEDICTUM, & alios quamplurimos fecisse legimus. Nequaquam igitur minùs videtur eum defendisse ab hostibus, & religiosissimè rexisse sub SANCTA REGULA, & augmentasse studiosissimè; in ipsa eademque professione quàm primùm illud inchoasse. Namque in suo quia non satis se credidit quietè vivere posse, neque in officio regminis proficere; credo quòd nullus sanæ mentis eum reprehendere velit, si ad quietem & ad utilia valde Fratribus sub eadem religione se contulit, plurimis profuturus: qui nescio si se salvare posset nobiscum inter tot discrimina, ubi jam nulla fides, vel vix rara invenitur, maximè inter eos, qui summi esse cupiunt, vel videntur: inter quos, honores contemnere sæculi pro religione, ignavia putatur.

* pro iterum

XXII. Vvalæ obitus.

ADEODATUS. Novimus hæc omnia, quomodo conversatus sit inter eos, etsi honores contemnere criminis est: paupertatem Christi amare, imprudentia judicatur. Sed quoniam retro quæ gesta sunt, quæ contigerunt, Pascasi, doluimus, rerum discrimina & varios eventus deflevimus, tentationes quoque recensuimus, & varia causarum negotia plangentes enumeravimus; nunc restat ad finem intendere, ejusque obitum, quia præsentes non fuimus, nec ad excubias ejus, & circa tumulum lacrimas pro floribus sparsimus; saltem longè pòst absentes precibus Domino commendemus: nosque quia dies * sepulturæ ejus nescivimus, vel diem anniversarium, dum vita nobis manet, commemoremur. Quæ profectò dies, futuræ quietis est nostra in mente repræsentatio, in qua vivit qui mortuus putatur; ejusque memoriæ commendatio declarat, quòd melior est dies mortis, quando perpetuam ingressus est vitam, quàm dies nativitatis ejus, quando ut vivere cœpit, mox morti obnoxius fuit.

* l. diem

PASCASIUS. Bene nos hortaris, frater, qui ejus obitum sic adoriri jubes & retexere, ut nostrum doceas non lugendum: quoniam sicut per unius peccatum mors in omnes homines pertransiit; ita & per unum resurrectio præstatur, apud quem omnes qui piè moriuntur, beatè vivunt. Et ideo quia auctorem non refugimus generis, auctorem non valemus effugere mortis: & si eum non effugimus, nec vitare possumus quod commune omnibus est; indecens est ut despetemus de vita, quæ in Christo est, quoniam ipse unus auctor vitæ & resurrectionis est. Ac per hoc sicut per unum mors, ita credendum verissimè, quòd & per unum Jesum-Chri-

Piorum mors non lugenda.

[a] Brunechildis scilicet Francorum Reginæ, ut patet ex Actis S. Columbani relatis in Sæculo secundo.

[b] Totus hic locus valdè intricatus & obscurus est, qui prima fronte Columbano tribuendus videtur: tametsi attentiùs rem expendenti perspicuum sit, ab hoc loco, aut certe à sequente periodo, sermonem esse de Vvala, non de Columbano.

stum vita; & non qualiscumque vita, sed beata & sempiterna vita. Idcirco, dilectissimi, dies obitus Patris nostri potiùs dies vitæ est quàm mortis, quando sempiternam hanc per mortem intravit vitam. Hinc nos magis consolari decet quàm plangere, quia mors ista usus omnium est: nec debemus durum putare, quicquid universorum est. Unde nec lugenda est, primùm quia communis est, & cunctis debetur. deinde quia nos ab omnibus sæculi ærumnis absolvit. postremò quia species somni est, dum ab istius mundi laboribus seu curis nos liberat, & quietem post miserias & dolores præsentis vitæ præstat. Et ideo nobis annua hæc dies jure vigorem tribuit fidei, spem dat perveniendi, & caritatem refundit amoris. Quem enim non soletur resurrectionis gratia? quem non sustollat spes, & non corroboret perveniendi fiducia? quem non accendat caritas, & quem non vivificet tantus amor interiùs, qui non nisi de Spiritu-sancto nascitur? Propter quod etsi varios accidentium casus, & miseriarum labores hactenus deflevimus; restat nunc mentem illuc dirigere, diemque illam conspicere, in qua Deus vivit; intentionem nostram post eum refundere: quia melior est dies illa, quamvis una & singularis, in atriis Domini, super milia; ita ut non totis sensibus defigamur in Patrem, ne obrepat mæstitia rursus pro absentia. Sed ne exsules simus tantæ pietatis & gratiæ ab eo quem diligimus; mente cum eo commorari oportet, ubi tanta prædicantur gaudia, ad quæ nimirum invitatus venit, & ipse ad ea cum gaudio introivit.

Theofrastus. Quid igitur est quod invitatum eum dicis? Numquid non omnes invitati sunt, qui regenerationem per fidem susceperunt baptismi? Omnes quidem ad eamdem immortalitatem sunt vocati: & ideo absurdum est hunc quasi mortuum deplorare. quamvis etiam stultum sit id specialiùs deflere, quod scias omnibus præscriptum esse: quia hoc est animum super conditionem extollere, legem mortis communem non recipere, naturæ consortium recusare, mensuram carnis nescire. Si autem iste, ut ais, ad hanc invitatus venit, ut volens eam susciperet; caussam exponis justi debitoris, qui quod debet, sponte occurrit, paratus reddere quod debet.

Pascasius. Nequaquam igitur sine causa invitatum eum venisse dixi: quia quondam sancto narrante audivi Episcopo, antequam dies obitus ejus adpropinquasset, non solùm semel, verùm & secundò per visum vocatum fuisse & invitatum, quasi legationem suam expleturus ante conspectum æterni Regis, & pro laboribus gratiam accepturus: ita ut Arsenius noster ei diceret, etiam antequam febrem [a] incurreret mortis, quòd paulò pòst hinc iturus per mortem esset. Et, ut ipse præfatus intelligere potuit Episcopus, alacrior in spe deinceps vixit, & securior in febre non diu laboravit: qua correptus sollicitior pro Augusto Imperatore, apud quem tunc agebat, quàm pro se erat: ne fortè quod nuper patri promiserat, obmitteret occasione accepta: quia ipse febribus vexabatur. In quo patet, quia invictus permansit in fide, & in caritate devotus, spe consolatus suæ vocationis. quo profectò triplici funiculo religatus ad Christum, securus animam cælo reddidit [b]; cujus corpusculum in basilica, qua beatus Columbanus requiescit, ad latus terra suscepit. Nec igitur ab re factum crediderim, ut pariter una domus ambiret, unaque vicinitas sepulturæ commendaret, quos una religio tenuit, æqua pæne ten-

An. Chr. DCCC XXXV. Aug. XXXI.

XXIII. Vvala cælitus invitatus ad exitum.

Sollicitus pro Lothario.

Sepultus juxta sanctum Columbanum.

[a] Luem vocat Auctor Vitæ Ludovici Pii, ut significaret eam in plurimos sævitisse. Sanè febrem appellat agens de Vvala & Lothario, quem febris ista *lecto dejiciens, multo tempore languere fecit*. De Lothario Paschasius idipsum attestatur paullo infrà.

[b] Vvalam anno DCCCXXXV obiisse tradit sæpe laudatus Auctor Vitæ Ludovici Pii, cujus Auctoris verba retuli superiùs in Observationibus præviis, ubi de die obitus ejusdem Vvalæ actum est.

An. Chr. DCCCXXXV. Aug. XXXI. tatio à suis quasi peregrinos expulit sedibus, & Italiam fugavit. Fuerunt enim Reginæ non dispari nequitia, quæ hoc fecerunt, duæ, non uno in tempore, sed sub uno impietatis scelere conjunctæ & consociatæ : quæ pro consimili zelo non ferentes sanctos viros earum consimilem reprehendere nequitiam nefandam satis, neque in aliquo contraire ; idcirco coëgerunt dolo & fraudibus eos insidiando, ut relictis in quibus præerant propriis Cœnobiis, Auxoniam peterent. Quâ [a] demum quorum una fuit conversatio, etsi parùm dispar causa ; una religio, unaque fuga insidiarum duarum mulierum ; una esset quies laboris, & sepultura funeris. Ille siquidem ut sanctus Confessor Christi virtutibus approbatus ; iste ut ejus pedisequus meritis fulciretur, commendaretur præconiis, & auxiliaretur precibus. Nec igitur absque providentia Dei factum credo, qui pro fide, pro zelo Dei, pro religione, pro æquitate judicii atque intentione virtutum se discrimini obvios obtulerunt, quòd uno in loco finem perceperunt laboris. Et ideo dubitare non licet, quòd Pater egregius cum sancto Confessore Dei togatus tequiescat in æterna requie, qui pari exemplo exsul pulsus est de Cœnobio suo, dejectus à patria & ab officio tegiminis : ut quorum fuit una tentatio, una eos refoveat consolatio quietis in æterna pro qualitate meritorum, & exornet alterna proportio justitiæ in cælo.

Mors ejus non deflenda. Unde oportet pro tanta spe nos ad invicem consolari potiùs, quàm dolere : quia mæstitiam tanti luctus non solùm fiducia beatitudinis ejus lenivit ; verùm tempus oblitteravit, & ratio devicit, necnon & prudentia jam olim mitigavit. Etsi planximus jure, dum varias ejus deflevimus inpulsiones, & tentationes multiplices dinumeravimus, casus quoque exposuimus ; decet nos deinceps jam congratulari illi, & gaudio refoveri pro luctu, lætitia bonæ spei recreari pro mærore, & exsultatione intus indui pro tristitia ; eo quòd pro certo scimus, quia Pater egregius corpori supervivit. qui licèt absens fuerit à nobis, quando obiit ; præsens tamen est : quia in eo qui ubique est, beatè vivit. Nam depositis proprii sensus anima ejus repagulis expedita, jam libero cernit obtutu, quæ antè sita in corpore videre non poterat. Si enim dormiendo anima ad altiora se subrigit, velut sepulta in corpore, & renuntiat nonnumquam corpori rerum absentium vel etiam cælestium visiones ; quanto magis cùm absoluta est ærumnis sæculi, & tota vivit in Domino, qui ubique vivit, & ubique omnia complet & regit ? Non enim alicubi longè peregrinatus est Pater noster, nisi
1. Cor. 13. 9 ad eum, cui & in quo vixit, qui ubique in se est, & ubique vivit. Ad hoc quippe cottidie monebatur cum Apostolo, ut perfectiùs viveret Deo : quia, ut Philosophi dicunt, sapientis viri vita, meditatio mortis est. Meditabatur autem pervenire ad id quod perfectum est, quando revelata facie, non ex parte, neque in ænigmate vel in umbra ; sed in veritate, prout est, speculanti appareret æterna visio manifesta. quod in præsentiarum esse non poterat : quia juxta Apostolum in præsentiarum ex parte scimus, & ex parte prophetamus. Cùm autem pervenerit in nobis quod in ea vita perfectum est, evacuabitur quod ex parte ; & erit tunc perfectum, quod nunc ex parte est. Nam nemo festinaret ad finem fide confisus in Domino, nisi vitæ istius fugeret incommoditates, pro quibus David plan-
Psal. 38. 6. git dicens ad Deum : *Ecce dies meos veteres posuisti coram te, & substantiam meam tamquam nihilum ante te : verumtamen universa vanitas, omnis homo vivens.* Et ideo iste, Fratres, postquam cognovit, postquam didicit, numquam moratus est fugere voluntatem suam, neque voluit in sæculo vanè conturbari, neque sperare in incerto divitiarum :

[a] Id est in Auxonia, seu in Italia, ubi uno in loco ambo conversati sunt, etsi pro dispari causa.

sed

ſed ſperavit in Deo vivo, ad quem pervenit. & ideo dum mortem guſtavit corporis, vitam invenit, quia non primam animæ incurrit mortem. Triplici namque modo mors dicitur. uno cùm morimur peccato, & vivimus Deo. alio cùm peccamus ad mortem, de qua dicitur: *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur.* tertio eſt vitæ hujus exceſſus, qua mortuus eſt etiam Chriſtus; & omnis quicumque viram guſtaverit iſtam, morietur, ne ultrà peccare poſſit. Unde una ſpiritalis vocatur, altera naturalis, tertia quoque pœnalis. Sed quæ naturalis jam vocatur, quamvis quibuſdam pœnalis videatur, non eam pro pœna Dominus dedit, ut ipſi volunt, qui de bono mortis ſcripſerunt libros; ſed pro remedio datam dicunt. quoniam Adæ aliud præſcriptum eſt ad pœnam, & aliud ad remedium. Nam pro pœna cùm dicitur: *Quia audiſti vocem uxoris tuæ pluſquam me, & manducaſti de quo præceperam ne manducares; maledicta terra in opere tuo*, ſeu cetera, *donec reverteris in terram, de qua ſumptus es.* Ecce pœnarum genera, cùm maledicitur, & in operibus ejus ſpinæ & tribuli germinantur. quæ ſpinæ & tribuli verbum ſuffocant vitæ; curas quoque ac ſollicitudines generant, quibus necatur & excluditur cibus, qui de cælo venit; quo vivit omnis homo, qui Deo vivit; & includitur mors, qua anima pœnaliter vivat. Unde à pio Domino mors iſta pro remedio data eſt, quaſi finis malorum. Hinc quoque Adæ non dicitur, Quia audiſti vocem uxoris tuæ, reverteris in terram. hæc enim ſi dixiſſet, eſſet pœnalis ſententia, quemadmodum eſt illa, Maledicta terra in opere tuo, & cetera. Habes igitur mortem animæ, peccatum: habes & pœnam, quæ vera mors jure vocatur: habes & mortem, quæ magis pœnarum noſtrarum finis eſt & remedium, qua curſus hujus vitæ ad horam præciditur. Hinc ergo mors iſta, qua mortuus eſt Abraham, mortuus eſt & Pater noſter, qua morimur omnes; non ſolùm malum non eſt, verùm etiam bonum eſt. Et ideo etiam beatus Ambroſius de bono mortis edidit librum ſatis perneceſſarium. Quapropter ſi planximus in obitu tanti Patris, varios rerum mærores & ejus labores plurimos; gaudeamus cum eo, quia ei vivere Chriſtus fuit, & mori lucrum. Commoriamur autem cum eo, ut vivamus in Chriſto cum eo: diſcamus cottidianis uſibus mori ſæculo, ut ſegregemur à carne, & tamquam in cælo meditatione vivamus. Suſcipiamus interdum imaginem mortis, ne pœna nos invadat mortis: ut per bonum mortis ad vitam poſſimus pertingere ſempiternam, in qua mors jam ultrà non erit, neque luctus. Moriamur autem morte juſtorum, ut cum illis vivamus: moriamur & morte tanti Patris, quia ipſe, ut credimus, jam beatè vivit, ut cum eo & nos vivere valeamus: quod ipſe ſemper oravit, & docuit. Offeramus in nobis vota ejuſdem Patris, quia ipſe nos Deo vovit & obtulit, aeſi hoſtiam, maximè Fratres noſtros, oblationem novam in ſacrificium, quos Domino dedicavit. At non ſolùm quos ipſe inſtituit, & collegit; ſed & eos quicumque futuri ſunt ibidem ad eamdem inſtitutionem, quam ipſe Domino dedicavit: qui non ſolùm ſibi vixit & Deo; verùm omnibus nobis vixit ad exemplum & doctrinam, ut nos doceret vivere Deo. Et ideo ejus vivere nobis profuit, cui cum Apoſtolo mori lucrum fuit. Hinc ſupplices exoremus, ut Chriſtus qui Deo Patri Sanctorum offert vota, ipſe in nobis pro ejus augmento meritorum ſua conferat dona, quæ largiùs ad cumulum mercedis ejus offerantur Deo Patri pro eo, ut ſimul noſtra atque ejus in nobis oblatio per Chriſtum accepta ſit in ſacrificium ſempiternum: quatinus quorum in ſacramento ſacræ confeſſionis una fuit profeſſio; una ſit & æternæ remunerationis participatio in gaudio.

Quod autem ad æternæ vitæ gaudia angelicis ſit ipſe deportatus manibus, venerabili referente ERMENGARDI Regina omnino cognovimus. Quæ quàm ſæpe piæ recordationis affectu aiebat[a], in exitu

[Margin notes: An. Chr. DCCCXXXV. Aug. XXXI. — Mors triplex. — Ezech. 18. 4. — Mors corporis non pœnalis. — Gen. 3. 17. — XXIV. Cælicis manibus Vvala ſublevatur.]

[a] His verbis ſatis innuit Auctor, hunc librum ſcriptum eſſe poſt mortem Ermengardis Reginæ ſeu Imperatricis, conjugis Lotharii Auguſti, quæ anno DCCCLI deceſſit.

AN. CHR. DCCCXXXV. AUG XXXI.

tanti viri, & in hora obitus ejus misisse se per diversa Italiæ loca, ut singuli beati viri animam precibus Domino commendarent. Inter quæ, quòd miserit etiam ad Monasterium suum valde egregium, quod est infra mœnia Brixæ[a] civitatis Domino dedicatum, distans à Ticino ferme XL milibus: in quo Sanctimonialium multitudo Domino famulatur. similiter eis præcipiens obnixiùs, & obsecrans, ut beatam animam viri Dei Christo Deo precibus commendarent. Ad quod municipium Missi cùm pervenissent directi, invenerunt easdem Christi famulas de obitu præfati viri jam pertractantes, atque horam & tempus exitus ejus præscias, loquentes ad invicem. Tuncque relectis sacris litteris, quas Regina miserat, invenerunt omnia de eo, ut illis ab Angelis declaratum fuerat. Nam exstiterant inter eas duæ sacratissimæ virgines, quæ hæc omnia, illis, ut prædixerant, testabantur, eo quòd audissent choros angelicos, in cælum, quasi per eumdem locum, animam beati viri deferentes. Ad cujus exsequias inter cetera hymnum *Te Deum laudamus, te Dominum confitemur*, alternis vocibus more ecclesiastico decantabant, & symphonizando beati viri exsequias pio Domino commendabant. Quas cùm duæ tantùm longè diu laudes intenderent, demum convocarunt reliquas omnes, ut & ipsæ easdem audirent: sed nemini earum admodum concessum est, ni illis duabus solummodo, ut testes exsisterent veritatis. quibus, ut dixi, ita loquentibus, relectis sacris litteris, quas præfati detulerant veredarii, invenerunt hora & die eadem eum obisse, in qua ipsum Angeli detulerant cum laudibus. Unde constat verum esse, quod Scriptura testatur:

Jac. I. 12. *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Et ut hæc ita esse manifesta fierent, verissimo relatu ab omnibus mandatum est Reginæ, quòd duæ tantummodo hæc talia & ineffabilia alia audissent.

Sed fortè ad hæc sycophanta quilibet incredulus dicturus est, virum tantis expositum tentationibus, & jactatum pressuris, talia non promeruisse. præsertim cùm ipse judex Christus, qui exposuit, & probavit: probatum autem (ut credimus) remuneravit, sicut promisit in Evangelio dicens:

Matth. 25. 21. *Euge serve bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Fac ergo falsa, esse quæ dico, cùm sint vera .·.·.·. quæ de eo retro narrantur. Idcirco propriis justisque .·.·. est à

Matth. 20. 13. Deo, æternæ vitæ præmia percepisse .·.·. pro eo ex Evangelio dicentem: Amice, non facio tibi injuriam .·. gratis dono. Nonne & tu convenisti mecum ex denario vitæ æternæ? Annon licet mihi facere quod volo? quoniam non nisi gratis alicui aliquid rependo mercedis, quia ego bonus sum. An oculus tuus nequam est, quod gratis inpendo .·. nulli nisi quia .·. ex opere Deo. Unde quæso gratias agamus Deo, Fratres, qui huic ista concessit, & nobis se promisit, talia ei præstitisse .·. [b]

[a] Sic veteres, ut Riculfus Suessionensis Episcopus in Constitutionis cap. 19, ex Gregorio Magno. Nos Brixiam dicimus. Brixiæ Monasterium sancti Salvatoris & sanctæ Juliæ celebre jam tum erat, ab Ansa Desiderii Langobardorum Regis uxore ædificatum: quod Hermingardæ uxori suæ, & post ipsius mortem Gislæ filiæ commendatum esse voluit Lotharius Augustus, dato diplomate, quod exstat in Bullarii Casinensis tomo 2 pag. 24. & pag. 33 habetur aliud Ludovici II Imperatoris pro Anniversario ejusdem Gislæ sororis suæ, ejusdem loci Abbatissæ. In eodem Monasterio Engilberga, ipsius Ludovici conjux, mortuo viro suo Sanctimonialis effecta est.

[b] Paucula hæc, quæ punctulis notata omisi, omnino corrosa exciderunt, nec sanè magni sunt momenti. In fine hîc unus tantùm versus deest, in quo desinit VVALA EPITAPHIUM. Sic enim Paschasius Radbertus superiores de Vvalæ gestis libros duos, ut initio præmonui, inscripsit, eum ad modum, quo Ursus S. R. E. Subdiaconus, ejus temporis auctor, Basilii Magni EPITAPHIUM appellat Orationem funebrem, quam de eo scripsit Gregorius Nazianzenus. Locus iste habetur in Ursi præfatione ad Vitam Basilii Amphilochio adscriptam, his verbis: *Sane notandum est, quia cùm quædam legimus in his actibus, quæ sanctus Amphilochius scripsit, discrepasse autumant ab his quæ sanctus Gregorius Nazianzenus in* EPITAPHIO *ejus magni viri commemorat.* Quem locum ita commentatur Rosvveidus: Basilii EPITAPHIUM, seu Oratio funebris, à Gregorio Nazianzeno conscriptu, habetur tomo I Operum Gregorii Nazianzeni, Oratione XX. Idem quoque EPITAPHIUM seu Carmen funebre de eodem composuit, &c. Sic Vvalæ EPITAPHIUM Radbertus vocat suum ipsius de Vvala laudatorium opus, quod statim ab ejus morte, orationis funebris vice, aggressus est. Hic opportunè subjicio historiam translationis S. Viti in Saxonicum Corbeiæ Monasterium, cujus primordia Vvalæ nostro plurimum debent, uti & fratri ejus sancto Adalhardo.

DE TRANSLATIONE S. VITI MARTYRIS IN SAXONIAM LIBELLUS,

An. Chr. DCCCXXXVI.

UBI DE ORIGINE CORBEIÆ NOVÆ.

Scriptus ab anonymo Corbeïæ novæ Monacho, qui translationi interfuit.

Ex Gladbacensi ms. Meibomio, & Chesnio.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

S. Viti translatio duplex.

1. Egi duplicem de S. Viti Lucani Martyris translatione historiam, unam in Italia sacra tomo 7, ubi de Episcopis Polymnianensibus, factam anno DCCCI, sexto Kalendas Maii, in locum vocabulo Marianum, diœcesis Cannsina in Benevento: quo in loco Monachi Regula nostra servantes constituti sunt: alteram ex Gallia in Saxoniam, qua de nunc agimus. Posteriorem hanc descripsit Anonymus novæ Corbeiæ Monachus, ex num. 26 & 29. Historiam ab ipso scriptam, tametsi in aliquibus à vero aberrat, ut notavit Gerardus in libro de Vita S. Adalhardi; bona tamen esse nota legenti constabit. Eam porro typis edidit primus Henricus Meibomius post Vuitichindi Annales, tum Andreas Chesnius recudit in Historia Francorum tomo 2; uterque quibusdam in locis vitiatam, contractam in multis, maximè circa finem. Integram ejus rei narrationem, quam ex ms. codice Gladbacensi accepi operâ eruditi ac religiosi viri Adolfi Overhami, Monachi Vverthinensis ad Ruram, amici mei, hic repræsento, omisso tamen prologo, in quo nihil ad historiam pertinens continetur.

Quis hujus scriptor.

Corbeïæ novæ primordia.

2. *Translatio S. Viti in Saxoniam magnam Galliæ* perniciem, *Saxoniæ* pacem perpetuam *attulisse dicitur apud Vuitichindum in lib. 1 de Gestis Saxonum. Ab eodem Sancto cognominatum est Corbeiense* Monasterium sancti Stephani & sancti Viti: *cujus Monasterii primordia hic satis accuratè memorantur. Legendum Chronicon Corbeiense à Meibomio editum, in quo hæc habentur.* Anno Incarnationis Domini DCCCXXII, Indictione XV, VIII Kalend. Septembr. 2 feria, Monachi qui in loco qui Hetha dicitur, per septem annos priùs demorabantur, inde egressi cum crucibus & reliquiis, in hunc locum pervenerunt; locoque ab Episcopo Baturado, qui tum præsens aderat, Corbeïæ nomen impositum est, &c. *tum* Lodowicus Imperator Augustus Monasterio locum Huxeri cum omnibus finibus suis; Eresburg & Meppiam Abbatiolas, & cetera prædia in Aquilone tradidisse, *Juditha Imperatrice obtinente, perhibetur.* Eresburg *castrum Saxoniæ cepit Carolus Magnus anno* DCCLXXII, *fanum* Irminsul *destruxit, Monasterium condidit, ubi nunc Præpositura Corbeiæ novæ subjecta. Nunc* Meisberg *loco nomen, quo significatur Mons Martis. In ms. Chronico Saxonico hæc leguntur:* Anno Dominicæ Incarnationis DCCCXXII inchoatum est Monasterium in nova Corbeïa per Adelhardum antiquæ Corbeïæ in Francia Abbatem. Lodowicus enim electis probatissimis Monachis de Gallia cum venerabili viro Adelhardo, datis reliquiis sancti Stephani, Corbeïense Cœnobium in Saxonia construi & dedicari fecit. Ipse Lodowicus Imperator ad idem Cœnobium tradidit donationes, Abbatias scilicet Eresburg, Meppiam, & multa prædia in Aquilone; villam quoque Huxeri cum terminis suis. Filius quoque ipsius junior Lodowicus tradidit Abbatiam Visbike, decimas quoque cum decimalibus ecclesiis in Episcopatu Asenbruggi, & piscationem in Wisara, quæ dicitur Hocwat. Insuper Reges & Principes & ceteri nobiles ipsum locum multis divitiis & prædiis ditaverunt, & Romani Pontifices magnis privilegiis & honoribus extulerunt. Hic requiescit inclitus Martyr Vitus septennis puer, translatus eò de Francia per Wa-

An. Chr. DCCCXXVI. rinum ejus loci primum Abbatem. In hoc Cœnobio primò monastica disciplina in Saxonia floruit, & postmodum pluribus in locis ejus patriæ; quorum omnium Corbeia non immeritò caput & mater, & quodammodo totius patriæ decus cum sancto Vito habetur. qui ex quo hanc venit patriam, ex eo Saxonia in Theutonico regno principatur: quia ejus precibus & meritis apud Deum, ut speramus, in omnibus adjuvatur. *Hactenus Chronicon. Ludovici Augusti diploma de conditione Corbeiæ novæ, quod mihi transmisit Overhamus jam proximè laudatus, hîc subjicere visum est.*

Ludovici Pii hac de re diploma. IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri JESU-CHRISTI. HLUDOWICUS divina ordinante providentia Imperator Augustus. Neminem fidelium nostrorum dubitare credimus, quàm magnum quondam domnus & genitor noster KAROLUS Christianissimus Imperator cum Saxonibus subiit laborem, ut eos ad agnitionem veræ fidei adduceret; quod & divina gratia cooperante, sicut optavit, effecit. Nos verò in ejus solio superni Numinis dono sublimati, cuidam venerabili viro Adalhardo seni Abbati ex Monasterio, cujus vocabulum est Corbeia, in eadem provincia Saxonia ob mercedis nostræ augmentum Monasterium construere jussimus, & ad idem Cœnobium dedicandum ex sacro palatio à capella nostra misimus venerabiles ac sacrosanctas reliquias beati Stephani protomartyris, super Wiseraa, in villa regia, in loco nuncupante dudum Huxori: ut quia auctore Deo prædictus divæ memoriæ domnus & genitor noster in eadem gente primùm Christianæ religionis Fidem confirmavit; ita & nos ad augmentandum solidandumque ejusdem Fidei vigorem, primùm monachicæ religionis ordinem illic servandum, tenendumque constituimus. quod ita opitulante Omnipotentis gratia ad effectum rei pervenit, & prædicto Monasterio ideo Corbeia nomen impositum est, eo quòd de antiquo quodam Monasterio Corbeïa prædicto Adalhardo Abbati seni, cui hanc curam commiseramus.... adsumto secum germano suo Walone cum ceteris quantis & quibus oportebat Monachis, infra eamdem provinciam locum aptum & congruum eligerent: atque ibi, prout oportuit, si esse potuisset, præfatum Monasterium stabilirent atque construerent. Idcirco placuit excellentiæ nostræ, ut prædictam villam, quæ dicitur Huxori, cum omnibus finibus vel terminis suis, & cum silvis, terris, aquis, aquarumque decursibus, cum omnibus adjacentiis & appendiciis suis ad idem Monasterium per hanc auctoritatem jure perpetuo conferre, & de nostro jure in jus & dominationem prædicti Monasterii præsentialiter tradere: necnon & res seu possessiones quæ à Deum timentibus, vel Deum diligentibus Saxonibus infra ipsam Saxoniam ad hoc opus inchoandum vel adjutorium præstandum conlatæ sunt, per hanc auctoritatem confirmare, etiam & res quæ ad antiquiorem Corbeïam traditæ fuerunt infra ipsos supradictæ Saxoniæ fines, in terris, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus propriis vel communibus, domibus ac ædificiis, vel priùs habitis, vel postea constructis; mancipiis quoque diversi generis vel conditionis, mobilibus vel immobilibus, datum vel traditum fuit, cum omni integritate ad prædictum Monasterium unà cum consensu præfati Abbatis vel Congregationis ejus celebri donatione contulimus, & perpetuò Monachis ibidem Deo militantibus, ad possidendum fruendumque concessimus, atque confirmavimus. Ideo autem ita fieri debere rationabile judicavimus: ut quia constabat prædictum locum ex Monasterii prioris Corbeïæ Monachis constructum esse, & quia in omni loco uni Domino servitur, uni Regi militatur; dignum erat, ut possessiones illæ eorumdem Monachorum obsequiis deputarentur, qui infra ipsam provinciam ejusdem Monasterii primi ædificatores & perpetuò habitatores in omnipotentis Dei servitio sub SANCTA REGULA deputati fuisse noscuntur. Nam si fortè talis esset causa, ut idem locus ex propriis in eadem provincia sibi conlatis nequivisset subsistere rebus; dignum erat, ut de prioris Monasterii rebus, benignitatis seu caritatis causa, prout ex utraque parte rationabiliter esse potuisset, larga manus porrigi debuisset: quanto magis de his quæ infra eamdem provinciam conlatæ, ut dictum est, priùs fuisse noscuntur, cum omni benignitate ardentissimo caritatis affectu largiri? Statuentes etiam decernimus, atque per hos imperiales apices sancimus, ut quandoquidem divina vocatione Abba prædicti Monasterii de hac luce migraverit; quamdiu ipsi Monachi inter se tales invenire potuerint, qui ipsam congregationem secundùm Regulam S. BENEDICTI regere valeant, per hanc nostram auctoritatem & consensum licentiam habeant eligendi Abbates: quatinus ipsos servos Dei qui ibidem Deo militant, pro nobis, conjuge, proleque nostra & stabilitate Imperii nostri jugiter Domini misericordiam exorare delectet. Sed & hoc placuit nobis huic inserere auctoritati, ut licentiam habeant rectores hujusce Monasterii cum quibuslibet hominibus liberis res & mancipia legaliter commutare: videlicet ut quidquid justè & rationabi-

An. Chr. DCCCXXXVI.

liter pars alteri contulerit parti, per hanc nostram auctoritatem jure firmissimo teneant atque possideant; & quidquid exinde facere voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi quidquid elegerint. Et ut hæc auctoritas largitionis atque confirmationis nostræ per futura tempora inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria subter firmavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus.

Signum HLudowici serenissimi Imperatoris.

Durandus Diaconus ad vicem Friduuisi recognovi & subscripsi. Data VI Kal. Augustas, anno Christo propitio X Imperii domni HLudowici piissimi Augusti, Indictione prima. Actum Ingelinheim palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

Ludovici Regis confirmatio.

3. *Ludovici præceptum litteris suis confirmavit Ludovicus Germaniæ Rex, ejus filius, postulantibus Corbeiæ novæ Monachis*, cum venerabili eorum Præposito Vualane, *qui à Vualone seu Vuala Abbate distinguendus est. His litteris Ludovicus ratam habet donationem villæ Huxori à patre suo factam, aliasque aliorum donationes, atque insuper confirmat liberam facultatem eligendi Abbatis* secundùm Regulam sancti Benedicti, primi instructoris illius normæ, *scilicet monasticæ. Ludovici diploma* Dominicus Notarius ad vicem Cnaldsici *recognovit*, datum IIII Id. Decemb. anno VII regni domni Ludovici Regis in orientali Francia, indictione IV apud Patherbrunnen. (anno 841.)

Variæ donationes.

4. *Quid bonorum à variis personis Corbeiæ novæ collatum sit, memorant membrana Corbeiensis, quarum exemplum mihi communicavit noster Overhamus, ex quibus hæc pauca delibo.* Domnus HLudewicus Imperator Augustus emit hanc marcam à quodam Bernhardo Comite, ita distinctam. Ab Oriente terminatur fluvio Wiseræ; ab Aquilone *Beringisson*, & *Albachtesson*; à Meridie *Gudelmon*, & *Meingotesson*; ab Occidente *Lintmaressen*. Item Ludowicus Imperator ecclesiam *Eresburg* & *Meppiam* cum ecclesiis subjectis. Ludovicus secundus Abbatiam in *Visbeke* cum singulis basilicis ad ipsam spectantibus, ac decimis. item *Vvestervvolt* & *Aschendorp* cum ecclesiis sibi subjectis. *Ad hæc* HLotarius Imperator Sclavos quos debellavit, S. Vito donavit. Hainricus Imperator Pius cum uxore Mathilde dedit impensas auri & gemmarum ad fabrefaciendum altare S. Viti. *Inter alios verò beneficos viros laudatur in primis* Geroldus Diaconus, Ludovici Pii Capellanus, vir omni scientia eruditus, qui tradidit S. Stephano & Vito omnibus quæ habebat, inter quæ obtulit Gudolmon, & argenteam crucem XII librarum, magnamque copiam librorum; jam Christi pauper seipsum abnegans, libertatem sæcularem servitute Dei & sanctorum ejus nobilitavit. *Geroldi epitaphium in saxo cryptæ Corbeiensis post summam aram ad parietem dextrum inscriptum est in hunc modum:*

Inclitus est istic positus Levita Geroldus,
Quondam regali clarus in obsequio.
Sed servire Deo malens, his quidquid habebat,
Secum præsenti contulit ecclesiæ.
Cujus doctrinis gaudet, donisque refulget,
Pro quo, Christe, jugem confer ei requiem.

Hoc epitaphium jam vulgavit Christophorus Brovverus in Scholiis ad Vitam sancti Meinvverci Episcopi Paterbornensis, in qua laudatur Geroldus Caroli Magni consanguineus & signifer. *Is est Geroldus Comes, Hildegardis Imperatricis frater, in Pannonia casus, quem Brovverus eumdem esse cum Geroldo Levita perperam existimavit.*

Corbeiæ novæ decora.

5. *De Corbeiæ Saxonicæ dignitate, prærogativis, viris sanctis & illustribus multa dicenda forent, quæ hoc loco opportunè explicari non possunt. Helmodus in Historia Slavica lib. 1 cap. 6 traditione acceptum refert, temporibus Ludovici secundi egressos de Corbeia Monachos sanctitate insignes, qui Slavis inspiraverint veri Dei cultum & sancti Viti: quem Rani seu Rugiani in superstitionem relapsi etiam nunc pro Deo habeant. Verùm id examinandum sæculo sequenti ad vitam S. Adalberti Magdeburgensis Archiepiscopi, sicut & id quod Trithemius in Chronico Hirsangiensi ad annum 961 scribit de Adalberto isto, quem Corbeiæ Monachum fuisse opinatus est. Ex eodem Asceterio prodiit S.* Rembertus, *cujus vitam referemus infrà: ibidemque floruere* Liudolfus *&* Drutmarus *Abbates; ille sæculo X, hic XI, de quibus suo loco. Uno verbo, ut Meibomii verbis utar, Monasterium Corbeiense non tantùm* Witichindum *historicum, verùm multos Archiepiscopos, Episcopos, Archimandritas, & viros insigniter doctos dedit: adeoque primaria utriusque Saxoniæ schola aliquot sæculis fuit. Hactenus persistit istud Monasterium sub Congregatione Bursfeldensi, cujus Abbas titulo Principis Imperii gaudet, situm ad Visurgim, prope urbem* Hoxter, *Monasterio sub ellam.*

Reliquiæ.

6 *Præter sancti Viti reliquias possedit etiam Monasterium istud reliquias, tum sancti Justini Martyris, tum sanctæ Lutrudis Virginis, utidem ex Gallia advectas. De Lutrude*

An. Chr. DCCC XXXVI.

mʃ. Chronicon Saxonicum hæc habet ad annum DCCC LXIV. Adventus ſanctæ Iuttudis eodem anno. *quod intelligendum puto de advectione reliquiarum ſanctæ Iutrudis virginis, cujus acta exhibet Surius ad diem 22 Septembris. Hinc factum reor, ut Iutrudis quæ ſæculo quinto vixit, Corbeiæ, adeoque Ordini noſtro adſcriberetur. De tranſlatione reliquiarum S. Iuſtini ſeu Iuſti pueri, qui Diocletiano & Maximiano Imperatoribus ſub Rictiovaro præſide martyrium in Gallia paſſus eſt, agendum eſſet ad annum* DCCCXCI; *quo ejus reliquiæ ex Francia Corbeïam novam à Bovone Abbate tranſlatæ ſunt* VI *Kal. Aprilis, ut legitur in hiſtoria hac de re ſcripta in fine Chronici Corbeiæ novæ apud Meibomium poſt Vuitichindum. Verùm quoniam ea in hiſtoria pauca memoratu digna reperiuntur, eam prudens hic prætermiſi, uti & tranſlationem capitis ejuſdem ſancti, quod Gerbernus Corbeienſium Abbas decimus ab Otone Imperatore obtinuit anno* DCCCC XLIX.

Aliud S. Viti Monaſterium.

7. *Fuit & aliud in Saxonia Monaſterium ſancti Viti, quod quidam Comes,* HED *nomine, in* HASLINGE *conſtruxit, & congregatione Sanctimonialium ibidem facta eamdem Abbatiam mundiburdio Athelldagi Bremenſis Archiepiſcopi ſubdidit, ut lego in mʃ. Chronico Saxonico ad annum 969.*

Herfordenſis Parthenonis origo.

8. *Præter Cœnobium Corbeia nova Adalhardus Abbas, adjuvante fratre ſuo Vvala, aliud etiam in Saxonia condidit illuſtrium Sanctimonialium, uti legimus ſuperiùs in lib. I de rebus geſtis Vvala Abbatis: quatenus utriuſque ſexus ſaluti provideretur. Dictum eſt Parthenium iſtud primùm quidem Heriford ſeu Herifordenſe, ut docent nos ſubjectæ litteræ Ludovici Germaniæ Regis, tum ſancta Puſinna, nimirum poſt eo illatas ex Gallia ſanctæ Puſinnæ Virginis reliquias: ſitum in Comitatu Ravenſbergico, ſub ditione Electoris Brandeburgici, ejuſdem nominis oppido nobilitatum. Hunc locum maximè illuſtrat inſigne diploma Ludovici Germaniæ Regis ab Adolfo Overkamo liberaliter mihi conceſſum, quod integrum hic appono ad illuſtrandam antiquitatem.*

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis HLUDOWICUS divina favente gratia Rex. Si petitiones ſervorum Dei juſtas & rationabiles ad effectum perduxerimus, & ad humanam vitam feliciter tranſigendam, & perpetuam feliciùs promerendam proculdubio nobis profuturum ſperamus. Quapropter notum eſſe volumus, quomodo Venerabilis Abbas WARINUS adiit excellentiam noſtram, ſuppliciter orans, ut noſtra munificentia proſpiceremus Monaſteriis illi commiſſis, quorum unum eſt Monachorum, Nova Corbeia nominatum, ubi & ille primùm regulari electione Abbas extitit; & alterum eſt Sanctimonialium, Herlford dictum, & propriæ Abbatiſſæ, cujus nomen ADDILA, ſubjectum. Sed juxta conſuetudinem, quod ancillarum Dei congregationibus procurari ſolent Præpoſiti ex eccleſiaſtico ordine; jam dicto Abbati commendavimus, ut tam in diſciplina Abbatiſſam juvare, quàm in cunctis negotiis quæ famulæ Chriſti pro ſexu & profeſſione ſua exſequi non poſſent, ipſarum proviſor & patronus exſiſteret. Is ergo petiit celſitudinem noſtram recordari, quòd piæ memoriæ genitor noſter HLUDOWICUS Imperator ambo hæc Monaſteria extrui juſſit, ad normam videlicet præcipuorum in Gallia Monaſteriorum, novam utique Corbeiam, ad ſimilitudinem antiquæ Corbeïæ; Heriſordenſe verò Cœnobium, ad exemplum Monaſterii Sanctimonialium in Sueſſionis civitate exſiſtentium. Et ut in eleemoſynam ſuam ac totius generis ſui inſtitutionem eorumdem perfectio expleretur; cellam juris ſui, quæ vocatur Meppia, cum decimis & poſſeſſionibus undique ad eam pertinentibus, & eccleſiam Ereſburg, quam avus noſter KAROLUS primò extruens in Saxonia decimis dotavit circumquaque habitantium per duas Saxonicas raſtas, præfatus noſter genitor ad novam Corbeïam tradidit. Ad Herifordenſis autem Monaſterii adjumentum dedit in Epiſcopatu quidem Aſnabruggenſi eccleſiam Bruginithi cum ſubjectis ſibi eccleſiis; in parochia verò Mimigernefordenſi eccleſiam Reni cum his quæ ad eam pertinent eccleſiis. ita ſanè ut decimarum aliorumque redituum proventiones præfatis cederent Monaſteriis, & ab ipſis viciſſim procurentur ſubjectæ plebes in baptiſmate, in Euchariſtia, in ſepulturis, in confeſſione peccatorum audienda; & Preſbyteri qui principales ex his eccleſias tenerent, Archipreſbyterorum officio fungerentur ad agenda omnia, quæ ſolent fieri ab Archipreſbyteris Epiſcoporum. Cùm autem ipſi Epiſcopi circationes ſuas ibi agere deberent, ad eorum manſionatica daretur, quod in Capitularibus anteceſſorum noſtrorum præſcriptum habetur. Nos igitur rata eſſe volentes cetera omnia, tantùm expenſas ad miniſterium Epiſcopi propter ægritudinem & ſenectutem ejus qui nunc eſt GOZBERTI augere debemus. Id juxta petitionem ſæpedicti Abbatis Warini ita moderari placuit, ut deſcripto quantum ſatis ſit ad ſervitium Epiſcopi, hoc nullo modo ſubtrahatur, & Epiſcopus viciſſim ampliora non requirat, nec cum pluribus veniat, quàm ut eis ſufficere poſſint. In quibus ſatis

esse consensit præfatus Episcopus coram nobis & Archiepiscopo nostro HRABANO, An. Chr. DCCC XXXVI.
cæterisque cum eo in Synodo agentibus, id est ut dentur ad singulas ecclesias porci quatuor, valentes denariis duodecim. & octo arietes, qui eadem pæne summa, qua quatuor porci, æstimarentur; tres porcelli, quatuor aucæ, octo pulli, viginti situlæ de medone, viginti de mellita cervisa, quadraginta de non mellita, centum viginti panes, centum modii de avena, manipuli sexcenti: sitque in potestate Episcopi, utrum hæc per singulas ad unam mansionaticam, an ad duas velit habere. Nos autem, ne summa debiti his plus aut minus complectatur, hoc auctoritatis nostræ præcepto cum consensu synodali decernimus atque jubemus. His etiam adjungere placuit liberam utrique loco concessionem eligendæ de propria congregatione in regimen sui per futura semper tempora congruæ personæ. Et ut omnis hinc dubietas tollatur, manu propria hæc roborantes, anuli nostri impressione ea signari jussimus.

Signum HLUDOWICI serenissimi Regis.

ADBERTUS Subdiaconus ad vicem BALDRICI Abbatis recognovi. Dat. XI Kal. anno 853.
Junii, anno XX regni gloriosissimi Regis HLUDOWICI in orientali Francia regnantis, Indictione prima. Actum in palatio regio Franconoford, in Dei nomine feliciter, Amen.

9. *Ex hoc diplomate quædam veniunt observanda. Primum est, morem antiquitus fuisse, ut Cœnobiis puellarum providerentur Præpositi* ex ordine ecclesiastico, *qui Abbatissam in regulari disciplina juvarent consiliis suis, & ancillarum Dei negotia tractarent. Alterum, Herifordensem Parthenona ab initio subjectum fuisse Corbeiæ novæ, cujus Abbas Herifordensium Virginum Præpositum agebat. Id Conradus Imperator anno* MCXLVII, *& Fredericus Ænobarbus anno* MCLV *confirmant, decernentes,* ut Wilboldus Abbas Corbeiensis Herivordensis ecclesiæ, ad similitudinem Suessionensis Monasterii constructæ; procurationem agat, juxta consuetudinem, qua ancillarum Dei congregationibus procurari solent Præpositi ex ordine ecclesiastico, tam in disciplina, quàm in cunctis negotiis, *&c. Verùm jus istud modo Corbeiæ novæ detractum est. Tertium. Herifordense Asceterium institutum fuisse* ad exemplum Monasterii Sanctimonialium in Suessionis civitate existentium, *id est Suessionici beatæ Mariæ Cœnobii, quod præcipuum in Gallia tum habebatur. Quartum, tam Corbeiensi, quàm Herifordensi Cœnobio subjectas fuisse regia auctoritate parœciales ecclesias hic designatas,* ita sanè, ut decimarum, aliorumque redituum proventiones præfatis cederent Monasteriis, & ab ipsis vicissim procurarentur subjectæ plebes in Baptismate, in Eucharistia, in sepulturis, in confessione peccatorum audienda: & Presbyteri qui principales ex his ecclesias tenerent, Archipresbyterorum officio fungerentur, ad agenda omnia, quæ solent fieri ab Archipresbyteris Episcoporum *Quo in loco non tantùm jus decimarum istis Monasteriis confertur, sed etiam plebium cura in ministrandis Ecclesiæ sacramentis. Quintum, annuum vectigal Episcopis prædictas ecclesias visitantibus (procurationem appellant) à Ludovico Rege adsignari & definiri, ne quid amplius ab iisdem Monasteriis Episcopi in posterum exigerent; augeri tamen ad tempus in gratiam Gozberti Osnabruggensis Episcopi, qui Ebonis Remorum Antistitis nepos, eas in partes prædicationis causâ adductus fuerat, eoque in munere consenuerat, uti in Actis S. Anscharii Episcopi inferiùs edendis fusius memoratur. Sextum denique est, Ludovicum Germaniæ Regem ab anno* DCCCXXXIV, *aut insequenti, in orientali Francia regnasse. Siquidem superius diploma datum est anno regni ejus vigesimo, Indictione I, HRabano Moguntiæ præsidente. qui characteres anno* DCCCLIII *conveniunt. Eodem tendit aliud ejusdem Regis diploma superiùs memoratum. Id propterea noto, quòd ea res à nullo Historicorum veterum, si bene memini, observata sit.*

10. *His observatis insuper notare convenit, Herifordense Monasterium principio Monacharum fuisse, quæ sancti Benedicti Regulæ, uti & Suessionenses, addictæ erant; postea ad Canonicarum mores & habitum transiisse sæculo* XII, *ut colligitur ex litteris Hadriani Papæ IV, scribentis* JUDITHÆ Abbatissæ Hervordensis Monasterii, ejusque sororibus canonicam vitam professis; *demumque à Catholica Fide ad Lutheranam defecisse quod factum anno* MDXXXIII, *quo Herifordensis civitas & collegium à Religione avita ad Lutheranam hæresim recesserunt, translatumque anno* MDXLVII *dominium temporale ab Herifordensi Abbatissa, Anna Limburgica, in Ducem Juliæ ac Ravensbergiæ Comitem Guillelmum. Hæc omnia didici ex litteris nostri Overhami, qui ex vetustis diplomatis quasdam eruit Herifordenses Abbatissas. scilicet in diplomate Ludovici Pii anno Christi* DCCCXXXVIII *invenit Antistitam nomine* TETTAM, *cui* ADDILA *in superioribus litteris laudata successisse videtur. item anno* DCCCLXIII *aliam invenit* HADWIC *dictam. modernam verò Abbatissam scribit vocari Elizabetham Palatinam, doctam Principem, Palatini Electoris Heidelbergensis sororem; sed quæ, prò dolor! Calviniana labe infecta est. Hadewic, seu Hadwic, Vvarini Abbatis*

An. Chr. DCCCXXXVI. *consobrina erat, ut lego in historia translationis S. Pusinnæ Herifordam in tomo 3 Aprilis Bollandiani: cujus translationis auctor fuit Hadevvic anno DCCCLX, in editis* Haduini *appellata, pro* Hadvvic. *Jam tandem libellum de translatione S. Viti hic subjiciamus.*

1. POST Salvatoris nostri JESU-CHRISTI passionem & resurrectionem, post triumphos Apostolorum ac memorias Martyrum, tandem ipse Rex regum & Dominus virtutum, superatis paene inimicis, pacem Ecclesiæ suæ restituit, adeo ut ipsi reges ad tumulos Martyrum prostrati adorent, & gloriosiùs in frontibus suis crucem Christi, quàm diadema regum portare se gaudeant, simulque pro fide atque statu Ecclesiæ decertare contendant: honore quoque maximo eorum, quos antecessores sui trucidabant, sepulcra ambiant. Quæ victoria Christi cùm primùm apud Romanos tripudiaret, Longobardorum gentem penetravit, atque in Francia gloriosiùs triumphare cœpit; Hispanos adiit, Britannos conclusit, Anglorum gentem subegit; & licèt compulsi, ipsi Saxones qui Anglorum socii fuerant, devota mente colla submittunt. Laus igitur soli Christo, & gloria inenarrabilis, qui nomen suum usque in terminos universæ terræ notum fieri voluit. Qualiter denique Saxones ad fidem atque ad agnitionem veritatis converti potuerint, breviter in sequenti adnectere huic opusculo curavi.

S. Viti corpus Româ per Fulradum translatum in Franciam. 2. Eo igitur tempore, quo gloriosus Rex PIPPINUS Francorum regebat imperium, fuit vir venerabilis FOLRADUS nomine, qui Monasterium beatissimi Martyris Dionysii ad regendum sanctorum cœtum Monachorum susceperat. Hic cùm magno desiderio æstuaret, qualiter beatissimis Martyribus honorem debitum impendere potuisset, non est contentus eorum corpora sola amplecti, quibus sedulum exhibebat officium; sed præfatum Principem adiit, petivitque, ut eum Romam ire permitteret, quatenus inde Sanctorum corpora ad præfatum Monasterium aliqua, sicut cupidus erat, transferre potuisset. Quod Princeps piissimus libenter accipiens, non solùm licentiam dedit, sed & gratias pro tali desiderio retulit. At verò venerabilis Abba strenuos ac devotos sibi adjutores & socios ad hoc opus peragendum quærebat. Erat interea vir laïcus, sed devotus, ejusdem Abbatis consanguineus, qui multam habens hereditatem ac familiam, filium non habebat. Unde cogitare cœpit, quomodo hereditatem suam Domino consecraret. Audiens verò jam dicti Abbatis desiderium, petivit ab eo, ut secum eum ire permitteret. qui votis ejus congaudens, secum ire præcepit. Cui cùm præfatus vir omne desiderium suum aperuisset, divina comitante gratia tale repererunt consilium, ut corpusculum beatissimi pueri ac sacratissimi Martyris VITI à loco quo positum erat, tolleret, atque in prædio suo diligentissimè poneret, ecclesiam quoque ejus nomini fabricaret. quæ donante sibi domino omnia complevit. quo in loco, divina largiente clementia, per beati Viti martyris merita multæ hactenus ostenduntur virtutes atque signa. Præfatus verò Abba transtulit corpora beatorum Martyrum Alexandri & Hippolyti.

3. Post hæc cùm viri devotissimi, qui in præfato Monasterio degebant, beati Viti reliquias apud præfatum virum esse didicissent, & qualiter pro Christi nomine sanguinem fudisset, in ejus passione perlegissent; totis viribus hoc agere decreverunt, ut cum reliquorum Martyrum reliquiis in basilica S. Dionysii poneretur. Sed ille qui eas transtulerat, omnem hereditatem suam, seque cum ipsis reliquiis sancto Dionysio tradi promittens, tandem obtinuit, ut in loco quo positæ erant, eas manere permitterent.
adservatum ad annum 836. Mansit autem in eodem loco corpus beatissimi Martyris usque ad annum XXIII piissimi Imperatoris Ludovici, & octingentesimum tricesimum sextum Incarnationis dominicæ.

4. Sed priusquam ad hoc, qualiter corpus sancti Martyris partibus Saxoniæ translatum sit, aut qualiter virtutes per eum Dominus in ipso itinere ostendere dignatus est, verba vertamus; dignum duximus, ut de ejus Monasterii constructione, ubi ad præsens quiescere videtur, aliquid breviter dicamus. Post obitum namque nobilissimi Regis
Saxonum conversio. PIPPINI, KAROLUS filius ejus regnum obtinuit Francorum universum: cui Dominus tantam contulit virtutem, atque potentiam, ut non solùm Francorum regnum strenuè gubernaret, sed etiam multas barbarorum gentes circumquaque subjugaret. Unde factum est, ut gentem Saxonicam, quæ olim contra Francos rebellabat, non solùm suo dominio subegisset, sed & mellifluo Christi nomini dicare meruisset. Nam & hunc ideo præ omnibus Christianis Regibus potentissimum in bellis fuisse credimus, quia quos suo dominio subjugabat, Christi nomini dedicabat. Cùm autem requiem præstitisset ei Dominus à compluribus inimicis suis, convocavit omnes, qui sub ditione sua erant, majores Sacerdotes & Principes; atque studiosissimè quæsivit, quomodo veram fidem,

veram-

veramque Religionem in universo regno suo firmaret. Quæsivit etiam nihilominus Sacerdotes bonæ spei, quos in Saxoniam dirigeret, qui ipsos secundùm ecclesiasticam fidem docerent, domos Episcoporum atque ecclesias constituerent. AN. CHR. DCCCXXXVI.

5. Sed cùm omnem ordinem ecclesiasticum in illa regione tradidisset, qualiter ibidem monasticam religionem instituere potuisset, invenire nequivit: nisi tantùm, quòd illius gentis homines, quos obsides & captivos tempore conflictionis adduxerat, per Monasteria Francorum distribuit, legem quoque sanctam atque monasticam disciplinam institui præcepit. Deinque quia in Corbeia monasterio laudabilis eo tempore Religio monachorum habebatur, multos inibi ejusmodi viros fore constituit. Erat igitur eodem tempore in præfato Monasterio Abba, vir vitæ venerabilis meritoque eximius, ADALHARDUS nomine, nobilis genere, sed nobilior fide; fervens disciplina, sed plenus caritate; sapiens in locutione, plenus dilectione; studiosus in lege divina, & plenus discretione. Hic cùm esset inter primores palatii, atque consiliarios Regis, scilicet quia erat consanguineus ejusdem, voluntas suprà-dicti Regis ei abscondi minimè potuit. Sed quia non erat inferior illo devotione, regressus ad Monasterium, ab eis qui ibidem erant à gente Saxonica, suscitari cœpit, si possit illa in patria inveniri locus, ubi Monachorum Monasterium construi rationabiliter posset. E quibus unus THEODRADUS * nomine ait: Scio, inquit, in patris mei possessione esse locum, ubi ex utraque parte fons vivus emanat, & multùm aptus ad hoc opus mihi esse videtur. Cujus responsione delectatus venerabilis Pater, eum statim illas in partes direxit, ut diligenter rem prolatam investigaret; & utrum pater & reliqui consanguinei hoc consentire vellent, inquireret. Qui cùm isset, & patris matrisque, avunculi atque patrui-lis voluntatem cognovisset; reversus ad Monasterium, ut hoc fieret, eos potiùs desiderare, quàm resistere velle nuntiavit. Corbeiæ novæ primordia. * al. Thiodradus

6. Sed jam dicto Abbati illo in tempore commissa erat cura maxima, videlicet ut regnum Longobardorum gubernare deberet, donec filius Pippini, BERNHARDUS nomine, cresceret. Nam ipse Pippinus, Karoli Regis filius, ante triennii tempus [a] obierat; & ideo prædictus Abba non potuit perficere quod cupierat, & per seaennii tempus tardatum est opus Factum est autem postquam præfatus puer crevit, accepit ei uxorem, & constituit secundùm jussionem Principis super omne Regnum. His ita gestis, perrexit Romam, non solùm orationis causâ, sed etiam, ut cum venerabili viro Leone Papa conferret de necessitate regia & plebis. Ubi cùm moraretur, atque simul de profectu adolescentis gauderent, subitò venit nuntius pennigero volatu, afferens epistolam luctuosam nimis de morte Karoli Imperatoris. qua perlecta, mæstus nimis venerabilis pater illo de loco abscessit, statimque ad Monasterium proprium perrexit. LUDOVICUS autem, qui usquequaque Vasconum regnum tenuit, super omne Francorum regnum est sublimatus. Tunc accesserunt ad eum viri pestilentes, & accusaverunt venerabilem Adalhardum, & ejecerunt eum de honore suo absque culpa, & exiliaverunt sine causa. Interea verò Ludwicus Imperator jussit, ut Corbeïenses Monachi alium de suis Abbatem sibi eligerent. Illi verò tandem post mæstitiam consolati, elegerunt sibi ejusdem nominis virum sanctissimum & æquè dignum. Hoc enim ita futurum neriasque quidam Eremita diu * prædixerat, quando hi duo viri [b] ejusdem nominis, ejusdemque propositi, anachoritæ fieri voluerunt; & sæculi gloriam & occupationes terrenarum rerum fugientes, Beneventum usque pervenerunt. * al. Dei

7. Hic itaque ADALHARDUS Monasterium ad gubernandum cùm suscepisset, satis egit, ut omnia, quæ prior Adalhardus secundùm voluntatem Dei facere proposuerat, instanter impleret: scilicet quia eorum semper in bonum una fuerat voluntas, & eosdem, quos prior habebat in consilio, adjutores adjungens, maximè venerabilem virum WALONEM, qui frater erat prioris Adalhardi, & in diebus Karoli Imperatoris magnæ fuerat potestatis, omnibus qui erant in palatio venerabilis, & omni provincia Saxonica prælatus. Sed ut præscivit, quòd eum quidam infestare vellent, ut accusarent; portum Monasterii petiit [c], ibique cum multo studio Deo servire decrevit. Hunc præfatus Abba familiarissimum habuit.

8. Interea recordatus ipse Abba, qualem prior Adalhardus habuit voluntatem de con-

[a] Id est anno DCCCX, testante Eginhardo in Annalibus. Corrigendus proinde auctor iste, qui putat à morte Pippini ad obitum Caroli Magni, qui ineunte anno DCCCXIV decessit, sexennium elapsum esse.

[b] In utraque Vita sancti Adalhardi, nulla socii cujusquam fit mentio. Etsi verò Adalhardus in eo secessu comitem aliquem habuerit, id dici non posse videtur de juniore Adalhardo: qui cùm Adalhardi senioris alumnus fuerit, & sub ejus disciplina educatus, teste Paschasio in Vitæ num. 65, non potuit secedere cum Adalhardo seniore eo tempore, quo Adalhardus senior juvenis ac privatus Monachus erat.

[c] Confer ea, quæ de Vvalæ secessu scribit Paschasius, tum in Vita S. Adalhardi num. 35, tum in lib. 1 de Epitaphio ipsius Vvalæ cap. 2.

An. Chr. DCCCXXXVI. structione Monasterii in Saxoniæ partibus, habuit consilium cum senioribus Fratribus, & cum his qui ab illis partibus venerant, ad extremum cum omni congregatione, qualiter hoc ad profectum adduceretur. Visumque est omnibus, justum esse, ut hanc rem indicaret Imperatori, ut cum ejus fieret imperio & voluntate. Factum est autem eodem tempore, ut serenissimus Imperator Ludwicus haberet placitum in Saxonia

Synodus Patterbrunnensis anno 815. in loco, qui dicitur Patherbrunna, in secundo anno regni sui, Incarnationis verò Domini octingentesimo decimo quinto. Tunc accessit præfatus Abba ad eum, & locutus est ei, cum consilio suadens, ut ad profectum Christianæ Religionis in eadem provincia Monasterium Monachorum construere juberet. Quod cùm pissimus Princeps benignè suscepisset, placuit accersere Episcopum nomine Hathumanum [a], ad cujus diœcesin pertinebat locus, ubi construendum erat Monasterium, ut cum ejus fieret imperio & voluntate. Sicque factum est, ut ab ea die & deinceps, Religio Mo-

Monasterii prima sedes. nachorum etiam in regione Saxonica succresceret atque proficeret. Eodem die tenuisset dominus Imperator eidem Abbati omne servitium, quod ad se pertinebat, ut liberiùs sanctum opus implere quivisset. Cœpit autem ædificare in loco qui dicitur Hethis: ubi cùm per sex & eo ampliùs annos laborassent; nihil proficere potuerunt, nisi quòd Religio sancta in loco deserto tradebatur. Nam locus ita aridus erat, ut nec victum, nec vestimentum ibidem invenire possent: nisi quantum præfatus Abba à Monasterio proprio deferri faciebat. Augebatur tamen quotidie numerus Monachorum ex nobilissimo Saxonum genere: pueri quoque bonæ indolis nutriebantur optimè; & licèt opibus essent pauperes, religione tamen sancta pollebant.

altera commodior, 9. Erat eo tempore Adalgenthus *, vir religiosus, præfato in loco præpositus. qui cùm æstuaret angustiâ, eo quòd non haberet ad opus Fratrum stipendia; cœpit

* al. Adalhardus de mutatione loci cogitare: sed ubi, vel qualiter, invenire nequibat. Sed cùm magna habitatoribus ingrueret necessitas, ad hoc ventum est, ut se in tres partes dividerent cum prioribus singulis. Interim necessitas vertitur * in voluntatem, omnes pariter de mutatione loci tractare cœperunt.

* al. impellens vol.

ab Adalhardo procurata. 10 Adfuit interea eis in tanta necessitate positis divina clementia. Adscendit enim in cor Regis, ut revocaret venerabilem virum Adalhardum senem, & restitueret ei omnem priorem honorem, & multo eum ampliùs, quàm umquam antea fuerat, sublimaret. Qui cùm jam dictos Monachos in tanta cognovisset penuria esse, cum omni festinatione misit dans pretium: jussitque, ut sicubi carræ onerisferæ invenirentur, & tam annonam, quàm boves compararent, & festinanter famelicis subvenirent. Post hæc accessit ad Imperatorem, & rogavit, ut daret licentiam quærere inter illa loca, quæ ad se pertinebant, si fortè posset alicubi in præfata regione locum invenire, ubi Monasterium rite fieri posset. quod à pio Principe statim concessum est. Tum venerabilis Abba acceptâ licentiâ pervenit in partes Saxoniæ unà cum Walona fratre suo. Quò cùm pervenissent, didicerunt à Fratribus, quia erat locus situs super fluvium Wisara, in pago Auguense, qui pertinebat ad villam, cui vocabulum est Hu-

* al. Huxeri sere *: quod & antea quidam audiverant, & idipsum Imperatori indicaverant. Ierunt ergo, & quidam ex Fratribus cum eis, & invenerunt locum huic negotio aptissimum, & quia erat optimus, habitationi Monachorum congruum. Tum inierunt consilium cum Episcopis & Comitibus, & cum nobilissimis viris ejusdem gentis, ut instanter eumdem locum excolerent, & Monasterium ibidem collocarent.

anno 822. designatio facta. 11 Venerunt ergo anno octingentesimo vicesimo secundo Dominicæ Incarnationis, sub die octavo Idus Augusti, regnante Ludvvico serenissimo Augusto undecimo anno, ad locum memoratum: circumspectoque ex omni parte, & undique circuientes, prostrati in orationem decantaverunt Psalmos ad hoc officium pertinentes. Et postquam compleverunt letaniam & orationem, jactaverunt lineam, & infixerunt paxillos & cœperunt mensurare, priùs quidem templum, inde habitationes Fratrum. Quod cùm peregissent, constituentes, qui quædam habitacula initiarent, ad propria sunt reversi. Sed primùm petierunt Episcopum, ut veniret ut sanctificaret locum, vexillumque sanctæ Crucis in loco altaris poneret, nomenque, ut Corbeïa vocaretur, ap-

dedicatio. taret. Quod factum esse octavo Kalendas Septembris constat. Et eadem die cœperunt, qui aderant, ædificia erigere. Erant tamen pauci numero usque ad diem sextam Ka-

* Gladb. septimo namque lendas Octobris. Septimo * Kalendas namque ejusdem mensis surrexerunt à loco, quo usquequaque habitaverant cum omni supellectili sua, senes & pueri, & alia die venerunt ad locum destinatum, & celebraverunt Missarum sollemnia cum omni gratiarum

apparatus. actione, laudantes Dominum, & benedicentes Domino. Sequenti autem anno venit

[a] Alii Baturadum vocant, Episcopum Patherbrunnensem, de quo etiam in Vita S. Adalhardi. In Chronico Saxonico ms. *Anno* DCCCLXI BADURADUS *Paderbrunnensis Episcopus obiit, cui* LIUTHARDUS *successit.*

iterum venerabilis Abba, & plures ex Fratribus cum eo: & convocans omnem congregationem, instruxit eos de omnibus, quæ ad cultum divinum & religionem sanctam pertinebant: quomodo, & qualiter qui scire voluerit, in libello, qui de vita ejus [a] editus est, plenius invenire potest. An. Chr. DCCCXXXVI.

12. Cùm autem appropinquare cerneret diem mortis suæ, misit venerabilem virum Walonem ad palatium, ut talem libertatem & tuitionem ex parte domni Imperatoris loci illius habitatoribus impetraret, qualem cetera quoque sublimia Monasteria per Franciam habebant. quod ille fideliter egit, & domnus Imperator benignè concessit. Quæ postquam gesta sunt, iterum cœpit cogitare, quem eidem loco Patris nomine Abbatem præferret, qui secundùm voluntatem Dei regere posset Monachorum gregem, qui cotidie augebatur atque crescebat. Erat eodem tempore in Corbeïensi Monasterio quidam adolescens Monachus, qui ex nobilissimo Francorum atque Saxonum genere fuerat ortus, nomine WARINUS. Hic à tanta perfectione cœpit; ut cùm esset juvenis, atque magna potestate præditus *, habereque sibi desponsatam virginem pulcram atque nobilissimam, & jam jamque inter primos palatii consisteret; elegit potiùs servire æterno Deo, quàm regi mortali: relictisque omnibus portum Monasterii petiit. Hunc juvenem venerabilis Pater in nova Corbeïa Abbatem facere cogitabat, confidens scilicet de Dei misericordia. ut qui à tanta perfectione cœpisset, perfectiùs consummaret. Fratres autem studiosiùs agebant, ut venerabilem WALONEM sibi in Patrem eligerent. Interim cùm jam jamque diem egressionis suæ adesse sentiret; misit, ut quem vellent eligerent, acceptâ licentiâ Imperatoris. Interim dum electio protelatur, religiosus Abba diem finivit extremum [b]. Quo nuntio omnes mærore concussi, WALO qui tunc ibi electionis gratiâ morabatur, jussus pergit ad palatium, inde ad proprium Monasterium: statimque ibi ab omnibus eligitur ad Abbatem. At verò hi qui in Saxonia habitabant Monachi, de electione Abbatis sui beatæ memoriæ meritis Adalhardi confisi, eligunt sibi Abbatem jam dictum virum venerabilem Warinum [c]: quique proficiebat quotidie, & acceptus erat tam Deo, quàm hominibus.

Privilegium

Abbatis Vvarini electio.

* G. prædives

His verò gestis, post aliquod temporis spatium, accidit quædam disceptatio inter Ludowicum Imperatorem, & Principes qui erant in Regno. Pro qua re in tantum indignatio Principis excrevit, ut & WALONAM quem olim ante omnes dilexerat, in exsilium mitteret; & HILDUWINUM [d], virum æquè devotissimum, in Saxoniæ partibus, scilicet in Monasterio Corbeïa, tamquam in exsilium collocaret. Interim venerabilis Abba Warinus majori honore apud Imperatorem habebatur.

Vvalonis & Hilduvvini exsilium.

13. At verò memor quod sibi commissum erat, scilicet ut inter barbarorum gentes Monasterium ædificaret; petiit ut de corporibus Sanctorum, quorum plurimi habebantur in Francia, sibi aliquot transferre in proprium licuisset Monasterium: statimque Imperator, ut fieret, jussit. Qui cùm multùm eodem anno laborasset, ut sanctum Victoricum de Ambianis civitate transferret; hoc implere nequivit, quia accolæ terræ illius hoc graviter ferebant. Tunc reversus est ad propria, multorum tamen Sanctorum reliquias secum adferens. Eodem verò tempore venerabilis Abba Hilduwinus in eodem

Reliquiæ quæsitæ.

[a] Nempe Adalhardi. nam Walæ Epitaphium seu Vita imperitè edita, needum à Radberto scripta fuerat, in qua de origine Corbeiæ novæ præclarè agit, ejusque religionem commendat præcipuè in lib. 1, capitibus 18 & 20.

[b] Nempe in Corbeïa Gallica, non (ut putavit Baronius) in Saxonica: & quidem anno DCCCXXVI, supra.

[c] In Chronico Saxonico ms. anno DCCCLVI Vvarinus novæ Corbeiæ secundus Abbas XII Kalend. Octobr. obiisse memoratur, cui Adalgarius successit. Consentit Chronicon Corbeiæ novæ, cui Vvarinus post Walam anno DCCCXXXVI mortuum, dicitur præfuisse annis XX, menses IV, dies XXV, & obiisse XII Kal. Octob. Is admirandæ sanctitatis fuisse memoratur apud Vvitichindum in Annalium lib. 2, tametsi eum suggillare videtur Radbertus in lib. 1 de Walæ gestis cap. 20. Patrem habuit ECBARTUM, *Comitem ac Ducem clarissimum* in Saxonia cis Visurgim; *matrem splendidissimam, nomine Idam; cujus fratres ad quos clarissimi viri*: ex quorum sorore nata est Hadewic, quæ *ad regimen Herifordensis Monasterii divino nutu promota est*. ut legitur in historia translationis S. Pusinnæ, de qua supra in Observationibus prævis, nam Hadwigis frater, Vvarini matris nepos, erat Cobbo, *qui in palatio Caroli Calvi quotidianis ejus adhærebat obsequiis*, ibidem. Hinc exploditur fabulosa Vvarini genealogia apud Johannem Letznerum in historia Ludovici Pii, à Merbomio relata in Notis ad Vvitichindi lib. 3.

[d] Hilduinus senior hic est, Abbas Monasterii Dionysiani in Francia, de quo alias non semel. De ejus exsilio paullo aliter scriptum legitur in libro de Vita Ludovici Augusti ad annum DCCCXXX, quo etiam Walæ exsilium contigit. *Noviomagum ventum est, omnisque Germania eo confluxit, Imperatori auxilio futura. Imperator autem volens adhuc vires adversariorum attenuare, Hilduinum Abbatem culpans interrogavit, cur cùm simpliciter venire jussus sit, hostiliter advenerit. Qui cùm negare nequiret, continuo ex palatio exire jussus est, & cum paucissimis hominibus juxta Patrisbrunnam in expeditionali tabernaculo hiemare.* WALACH *Abbas jussus est ad Monasterium redire Corbeiæ, ibique regulariter obversari.* Confer superiorem Walæ Vitam, ubi varia ejus exsilia accuratè distinguuntur.

An. Chr. DCCCXXXVI.

Monasterio jussu habitabat Imperatoris, eratque omnibus carus atque dilectissimus. Quis enim se continere posset ab amore ejus, qui Deum summo desiderio amabat, & in ejusdem cultu assiduus erat? Hic cùm cognovisset desiderium præfati Abbatis & Fratrum, quia volebant ob augmentum Christiani cultus aliquem Sanctorum in Monasterium suum transferre; promisit, quòd si se Dominus in honorem pristinum collocaret, absque retractatione aliquem eorum, qui sub ditione sua erant, eis daret. Statimque post aliquot dies honori pristino restitutus est. Post hoc Imperator etiam venerabilem Abbatem Warinum ampliavit honore, eique Monasterium Rasbacis [a], cognomento Hierusalem, ad gubernandum tradidit.

S. Viti corpus ab Hilduvino concessum.

14. Tunc accessit ad venerabilem virum Hildwinum, & rogavit eum, ut memor esset promissionis suæ, & daret ei corpus beatissimi pueri & martyris Viti. Qualiter autem, vel quo tempore hoc corpus S. Viti in Saxoniam translatum sit, & in Monasterio, quod Corbeia nova dicitur, collocatum, intimare curavimus. Anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi octingentesimo tricesimo sexto, Indictione quartadecima, anno autem imperii sacratissimi Imperatoris Ludovici vicesimo tertio *, Warinus Abba Monasterii Rasbacensis, cognomento Hierusalem, sed & Corbeiënsis novi, à cujus fundatione annus vertebatur decimus quartus; consulens salutem patriæ, salutem etiam gentis suæ, & exaltationem loci ipsius Monasterii, quod nova Corbeia dicitur; ob causam fidei & religionis expetivit à viro religioso & venerabili Abbate Hildwino Monasterii sancti Dionysii, ut de sanctis Martyribus venerabilibus, quorum corpora in loco præfato humata quiescebant, aliquem ei ad confirmandam Fidem gentis suæ tribueret, atque licentiam efferendi concederet. Quam petitionem Hildwinus Abba cum voluntate & licentia piissimi Imperatoris Luduwici, consensu etiam Episcopi Parisiacæ urbis, ceterorumque nobilium virorum in supradicta diœcesi commorantium, libenter annuens, dedit ei, ut suprà dictum est, corpus S. Viti pueri & martyris Lucani, qui sub Valeriani * & Diocletiani temporibus passus esse, & à quodam viro religioso, regnante Pippino, translatus ab Italia in Franciam, & in diœcesi Parisiaca locatus narratur. Cujus merito in loco, ubi positum fuerat corpus ipsius, ut suprà dictum est, multas Dominus virtutes operatus est. Fertur enim ab incolis loci illius, ubi beatissimus Martyr in corpore quievit, quòd à tempore, quo ipso in loco positum fuerat, numquam ibi tempestates, aut fulgura nocuissent. Hoc corpus sancti Viti magna cum veneratione, & testificatione religionis, ab Hildwino venerabili Abbate, Warino religioso Abbati, in ecclesia S. Dionysii coram innumerabili multitudine populorum, tam Monachorum, quàm Canonicorum, virorum ac mulierum, post peracta die Dominico Missarum sollemnia, decimo quarto Kalendarum Aprilium, commendatum ac traditum est.

* G secundo

* G Maximiani

Transfertur in Saxoniam.

15. Suscipiens autem corpus sancti Viti religiosus vir Warinus Abba, habens secum turbam copiosam, tam suorum Monachorum, quàm aliorum virorum, cum summa veneratione & ornatu, atque omni decore ecclesia exiit, tam ipse & sui, quàm Hildwinus Abba cum suis Monachis, & omnis populus, qui ad diem festum convenerat; à Monasterio sancti Dionysii iter tendens Monasterii Rasbacensis, cognomento Hierusalem. Ubi perveniens cum suis omnibus, & multa turba populi comitante, honorificè custodivit ipso in loco corpus sancti Viti martyris usque in diem duodecimum Kalendas Junii [b]. Virtutes denique & sanitates, quas Dominus meritis & precibus martyris Viti, antequam ad memoratum Monasterium pervenissent, operatus est, scire cupientibus intimare dignum duximus.

Miracula facta in Gallia.

16. Igitur factum est, cùm egrederentur ex Monasterio sancti Dionysii præfato die Dominico [c]; & illis iter agentibus, multisque ex vicinis locis turbis confluentibus, omnes qui audire poterant, obviàm sancto Martyri cum summa festinatione currere contendebant. Cúmque ex diversis locis plurimi convenirent, & obviàm sancto Martyri properarent; accidit, ut quædam mulier, nomine Irmingardis, quæ jam ab annis XII oculorum carens visu, obvia procederet. Præ multitudine autem turbæ non valens ad feretrum, in quo sanctæ reliquiæ portabantur, accedere; virtute qua poterat, post ipsum pedetentìm cœpit currere, & Dei misericordiam, ut novit, semper mente & ore non cessabat invocare: ut sibi divina clementia, per Martyris sui merita ablatum lumen dignaretur reddere. Cernentes autem hoc viri religiosi, tam præ-

[a] De Monasterio Rasbacensi seu Resbacensi, *Rebais*, pagi Meldicensis in Gallia, dictum est in Vita S. Agili Abbatis primi Sæculo 2.

[b] Chesnii editio habet *Julii*, uti & in subsequentibus num. 17 & 18 at legendum *Junii*, ut manifestè colligitur ex num. 26. ubi sancti Viti reliquiæ in Corbeïam novam appulisse dicuntur *Idibus Junii*.

[c] Rectè. nam littera Dominicalis post bissextum Kalendas Martii currens, anno prædicto DCCCXXXVI congruit XII Kal. Junii.

satus Abba, quàm alii, qui simul comitabantur, quòd mulier cæca tam anhelanter post ipsos curreret; in ipso loco cum reliquiis sancti Martyris paullulum substiterant. At ipsa veniens coram innumerabili multitudine populi, corruens adoravit. Quæ mox meritis intervenientibus beati Viti martyris, largiente Dei misericordia, lumen, quo XII annis, ut diximus, caruerat, recepit. Omnibus namque cernentibus, simulque gaudentibus, sine duce usque ad proximam mansionem, quæ fuit in villa, nomine Minitiacus, prosecuta est. Adfuit maritus ejus, ceterique vicini & cognati, qui cum ipsa totam noctem insomnem in vigiliis & orationibus, ac Dei laudibus duxerunt. In crastinum ergo dum iter agerent, divulgatum est hoc per itineris loca, & cœperunt undique alacri devotione dextrâ, lævâque occurrere. Inter quos occurrit quædam mulier, Framhildis nomine, nescientibus: à cujus manibus ablata fuerat spes propria, & facti erant digiti ejus curvi, ita ut medius palmis fixi viderentur. Ipsa tamen cùm appropinquasset ad feretrum, invocato sancti Martyris nomine, ad sanitatem pristinam manus ejus sunt reversæ. Sed misera hoc dum fuisset munus adepta sub silentio, nesciens Deo rependere grates, repedavit ad propria. Sed divina sibi reddente vindicta, eadem nocte, ut priùs, manus ejus arefactæ sunt. Tunc illa intempesta nocte surgens, marito, cogente necessitate, indicavit quæ fuerant gesta: quam vir suus in jumento vehens ad Monasterium sanctæ Crucis, ubi ipsa nocte pro corporum lassitudine quieverunt, cum reliquiis sancti Martyris post eos adduxit, manifestans omnia, quæ ei acciderant. His, ut diximus, ita se habentibus, redeamus ad iter. Cùm autem appropinquarent Meldis civitatem, obvium habent Episcopum cum Clero multoque populo. Abbas etiam cum suis Monachis omnibus de sanctæ Crucis [a] Monasterio, afferentes reliquias cum crucibus & cereis, omnique ornatu Ecclesiæ. Suscipientes autem reliquias sancti Martyris, psallentes, atque laudes Deo immensas agentes, in præfatum portaverunt Monasterium: ubi cùm in laudibus pernoctassent, mane facto, post Missarum officia peracta, prædicta mulier iterum sanitate adepta, veniens ante Episcopum, coram omni populo cecidit ad pedes ejus, jam gratias agens veniam postulabat de commisso facinore. Post hæc reversa est sana ad propria. An. Chr. DCCCXXXVI.

17. Inde recto tramite pergentes, cùm appropinquarent Rasbacis Monasterio, obviàm fuerunt Monachi cum reliquiis & crucibus, thuribulis accensis, flagrantibus luminaribus, omnique, ut dignum erat, decore ornati, canentes, atque laudantes Deum, illud sanctum corpus suscipiunt, & ad præfatum Monasterium cum laudibus inferunt, & ibi, ut dictum est, cum summa veneratione custodientes reliquias sancti Martyris, substiterunt usque in diem duodecimum Kalendarum Junii.

18. Igitur egressi duodecimo Kalendarum Junii de Monasterio Rasbacis, Warinus Abba cum suis omnibus recto tramite partibus Saxoniæ pergentes, fecerunt mansionem in villa, cujus vocabulum est Cella-Gislefridi; ibique corporis lassitudinem reficientes, in crastinum post Missarum celebrationem adfuit quædam mulier, nomine Harwildis, cæca jam ab annis quinque. quæ in adventu sancti Martyris sana effecta est, atque quoddam itineris spatium secuta, sana remansit deinceps.

19. Inde cœpto itinere pergentes, ad Cellam pervenerunt quamdam, nomine Augia [b]; ibique biduo subsistentes, non minimas per beatum Martyrem Dominus dignatus est ostendere virtutes. Nam ibi duæ mulieres accesserunt carentes lumine, nomen unius Balthrudis, quæ fuit cæca annis quinque; & nomen alterius Gerlindis, cæca mensibus tribus; atque in ipso loco sanitatem recipere meruerunt. Adfuit etiam in ipso loco puerulus nomine Warinus, ferè annorum octo, qui erat ex omni parte claudus: & mox ut accessit ad feretrum, ita consolidatæ sunt bases ejus, ut coram omnibus surgeret, & thuribulum cum thymiamate vespertinali officio circum altare, & per totam ecclesiam portare valeret.

20. Postera die iter agentibus, in via occurrit quædam mulier, ferens in humeris puerum parvulum, ut putabatur, annorum quinque, à mensibus verò quinque claudum; quæ cùm non valeret præ turba cum ipso accedere ad feretrum, propriis in terram dimisit ab humeris; & ingerens se in medio populi, tandem pervenit ad loculum, ubi corpus ferebatur beatissimi Martyris: expandensque super ipsum linteum, Domini cœpit pro sanitate pueri exorare clementiam, simulque sancti Martyris flagitare auxilium. Post hæc autem cùm reverteretur ad puerum, ipse puer sanus & lætus, qui antè portabatur maternis brachiis, propriis cœpit matri occurrere pedibus.

[a] Istud Monasterium sanctæ Crucis, nunc sancti Faronis à conditore suo vocatur, situm in suburbio Meldensi: à quo septem ferè leucis distat Rasbacensis seu Resbacensis Abbatia, cujus meminit Auctor inferiùs, uti & superiùs.

[b] Cella hæc, vulgo sancti Godonis dicta, S. Gon, à nomine primi conditoris, de quo dictum est in Sæculo 2, & in Appendice ad 3, hactenus est Prioratus in confinio Briegii tractus & Campaniæ existens, prope vicum Augiam, Oye

AN. CHR. DCCCXXXVI.

21. Tunc se de illo loco moventes, cœptumque iter tenentes, pervenerunt in villam, quæ vocatur Alnidus; ibique nocte illa manserunt. Cùm autem in crastinum sol illucesceret, rursumque iter pararent; moram illis facientibus, atque Missarum sollemnia, ut dignum erat, celebrantibus, adfuit quidam claudus utroque genu, plus autem dextro, qui pæne natibus cohærebat; irrumpens turbæ medium sese inseruit, virtute qua valuit, tandemque quo modo potuit ad cancellos altaris, ubi sanctum celebratur, pervenit. Cùm autem ferè per unam jacuisset horam, & orasset; cœperunt membra ejus contremiscere, & ipse cum magno strepitu suspirare; atque simul genua diu, scilicet viginti annis arida, in proprium vigorem redire. Cernentibus denique omnibus quod factum erat, & diu exspectantibus qualiter è terra surgeret; mox ipse, qui cum duobus venerat sustentatus baculis, propriis tentabat ambulare pedibus. qui cùm rogaretur à circumstantibus, ut pristinos sumeret baculos, ipsosque haberet in adjutorium; cœpit cum juramento spernere, & dicere, quòd jam nollet ad pristinos usus ipsos attingere; eo scilicet, quia jam pleniter noverat in se sancti Martyris virtutem perfundi, ac se firmo gressu, quò voluisset, pergere. Qua de re cùm aliqui, ut solet, in hac ætate diffidentiam signi haberent, & diligenter inquirerent, nomenque ipsius percunctarentur; affuerunt plurimi vicini & cognati, qui eum à multo tempore claudum, & in asello victum quæritantem noverant. nomen enim ejus erat Rautfredus. Urgente igitur ipso die itinere, cùm peragrarant à loco supradicto quasi milliaria decem, & in media via paullulum substitissent; occurrerunt duæ quædam mulieres lumine carentes, quæ statim illuminari meruerunt. A loco verò illo moventes, cùm pervenissent ad mansionem prædestinatam, ibique nocte illa quievissent; in crastinum transeuntes fluvium, cui vocabulum est Materna, obviam fuit puellæ parvula, ut putabatur, annorum quatuor, cæca: quæ, mox ut accurrit, oculari meruit.

22. Nec silendum volo, quantas ipso die Dominus virtutes meritis & precibus beati Martyris ostendere dignatus est. In villa enim, quæ vocatur Septem-salices [a], cùm pro sumendo cibo paullulum ipsa die ad jumentis pabula præbenda substitissent, ipsumque sanctum corpus in ecclesiam misissent; venit quædam mulier, nomine Waldemia, ante sanctum Martyrem, cæca annis multis, deprecans Dei clementiam, ibique illuminata est. Et homo quidam nomine Raucharius, ipso die similiter illuminatus est, illis euntibus per viam. Quo de loco proficiscentes, ventum est ad villam, quæ vocatur Summa-harna [b]. In initio verò noctis ejecta plebe foris ecclesiam, quia parva erat, & multitudo populi magna; remansit quædam mulier, nomine Geruntia, gibba atque curva ab annis XII, ante fores oratorii cum patre proprio & matre. Illis autem adstantibus, unaque cum ipsa misericordiam Dei implorantibus, ac sancti Martyris merita interpellantibus, mox ipsa corruens, jacuit pæne exanimis, ita ut pater ejus & mater, per unam prope horam exspectantes, eam mortuam affirmarent. At postquam reversa est in pristinum sensum, detulerunt eam intrò ante altare, ubi sanctum corpus fuerat collocatum. Ibi enim tota nocte illa gravem passa est dolorem. Diluculò verò post officium matutinale & Missarum celebrationem erecta atque sana inventa est, quæ venerat curva & gibba; & simul cum patre & matre laudes reddens, usque ad proximam mansionem prosecuta est. Sed nec hoc silentio prætermittendum est, quod ipso die Dominus per Martyrem suum ostendere dignatus est. Nam quædam anus de villa supradicta, cùm à tergo curreret, fessaque, prout erat corpore marcida, reverti ad propria voluisset; licentia quasi non accepta, mox figit pedem, ac immobilis ferè per horam unam stans, non quivit ad propria repedare. Enimvero tentavit post Sanctum ambulare virtute qua valuit, accurrensque à tergo cœpit vociferare. Ad cujus clamorem omnes paullatim steterunt; ipsaque quasi exanimis, cœpit denudare quod contigerat, & sic venia concessa, remeavit ad propria.

23. Inde iter prosequentes, venerunt super litus Axonæ, in villam, quæ dicitur ad sanctum Morulum [c], in vigilia sancti diei Pentecostes. Ibi denique in crastinum moram facientes, denique festum, simul etiam lassitudinem corporis recreantes, advenit quædam mulier, in ulnis ferens puellam parvulam, necdum unius anni ætatem habentem, quæ contracto debilitabat genu, & in ipso loco recuperari meruit. Alia etiam adfuit puella eadem die annorum quinque, quæ & ipsa erat debilis pedibus; & duæ mulieres quæ stare super pedes minimè valebant, sed aut portando, aut reptando ferebantur: unaque ex ipsis manum habebat aridam, ibique utrasque sanitatem re-

[a] Septem-salices, *Sept-saulx*, ad fluviolum Vidulam, quatuor leucis supra urbem Remorum.

[b] Nunc vicus S. Stephani in fonte Haræ amnis, vulgo *S. Estienne sur Arne*, in Campania, qui amnis in Sopiam influit, la Suippe.

[c] Vernaculè *S. Moret*, prope Vongisum opidum, *Vouzy*.

cepit, ut propriis redirent pedibus, quæ antea subibant alienis. An. Chr. DCCCXXXVI.

24. A loco denique præfato contigit iter habere per Aquis-Palatium, noctemque ibi manere: ubi multitudo magna populorum, virorum, mulierum, senum, & infantium accurrere cœperunt, omnique conatu, atque alacri vultu reliquias sancti Martyris in suis humeris gestare cupierunt: inter quos irrupit quædam mulier, nomine Edela, à tempore & dimidio cæca, quæ in ipsa nocte ita meruit sanari, ut manè clarè videret omnia. Grates itaque eximias Deo reddentes, cœptum iter intenderunt, cùmque inde moventes in via pergerent, fama virtutesque per plateas, opida, & castella divulgatæ & narratæ fuissent; cœperunt populi undique catervatim magis ac magis confluere, quorum impetum & strepitum audiens quidam cæcus bajulans pro luce tenebras, turbas nitebatur penetrare plurimas, ut ad sanctas mereretur pervenire reliquias. Iidem denique, qui, ut ferebatur, annorum duodecim cæcus fuerat, mox ut ad feretrum accessit, lucem videre meruit. Eodem quoque loco mulier quædam habens manum aridam, sanari meruit.

25. Igitur post dies aliquot regnum Saxonum introeuntes, se recto calle gradientes, veniunt in villam, quæ *Sosat* vocatur, ubi maximam multitudinem Saxonum habuerunt obviam, adeo ut incredibilis numerus videretur utriusque sexus. Quis enim ibi non fleret præ gaudio? Aut quis non exsultaret pro tam devotæ susceptionis occursu? Tales enim & tantos comites habentes, apud villam prædictam noctem unam quieverunt; ibique quidam adolescens cum matre interfuit, qui habebat manum aridam à nativitate. Statim ut cœpit implorare omnipotentis auxilium, & sancti Martyris subsidium, sanam habuit ut alteram. In ipso etiam loco repertus est quidam, cui omnis potestas loquendi ablata est, qui tantam sanitatem adeptus est, ut ab omnibus qui aderant, rectissima audiretur resonare verba. Et mulieris cujusdam debiles pedes ipsa nocte naturali usui restituti sunt. Prædictam tandem villam relinquentes, venerunt ad aliam, cui nomen est *Brechal*, ubi multitudo magna populi adunata est: plures etiam aderant debiles & infirmi, qui cupidi erant ab infirmitatum vinculis solvi. Inter quos cùm quædam mulier advenisset, quæ habebat dexterum brachium ita contractum ab annis novem, ut nec os, nec caput posset attingere, nec ulli usui apta esset; antequam ad feretrum accessisset, cœperunt nervi paullatim relaxari, ac venæ quæ fuerunt aridæ, sanguine repleri, cernentibus plurimis ita sanum factum est, ut nullum curvationis signum in eo appareret. Qua de re cùm dubitarent, testes etiam quærerentur, inventi sunt plurimi vicini & cognati. Domina etiam illius mulieris adfuit in ipso loco. Ipsaque nocte alia curata est mulier, quæ adeo erat debilitata jam annis decem: ut si quando de loco ad locum ire vellet; aut jumento veheretur; aut manibus versa vice pro pedibus uteretur; quæ, sicut dictum est, curabatur, ut adminiculo alterius in ambulando non indigeret. Puella etiam parvula à nativitate manum habens aridam & contractam, curata est. Et muto cuidam loquela restituta est. in Saxoniā.

26. Hactenus quæ narrantur, & alia quamplurima, quæ oculis perspeximus, & probatis testibus affirmantibus requisivimus, per spatium itineris, dierum scilicet viginti, per beatissimum Martyrem Vitum in via gesta sunt. Tandem igitur, Christo propitio, finito cœpto itinere, Monasterium, quod Corbeïa nova dicitur, multitudine populi utriusque sexus de nobilissimo Saxonum genere nobiscum comitante, pervenimus pridie ante vigiliam S. Viti, quod est Idus Junias, ubi ipsum sanctissimum corpus in loco congruo, ut dignum, collocatum & positum est. Ibi summa & ineffabilis Trinitas ad confirmandam & corroborandam fidem gentis ipsius multas virtutes & sanitates operari dignata est. Fit enim in ipso loco conventus magnus cum magna devotione & alacritate: adeo ut per milliarium, & eo amplius, per circuitum Monasterii, tabernaculis nobilium virorum ac mulierum replerentur campi & agri, qui ex omnibus partibus Saxoniæ propter religionem & reverentiam beatissimi Martyris Viti, aliorumque sanctorum Martyrum reliquias in ipso loco subsistentium convenerant. Inter ipsam denique multitudinem tam devotè concurrentium, nullum verbum turpe auditur, nullus jocus aut scurrilitas invenitur: sed diu noctuque Deo laudes & grates rependuntur, semper in ore ipsorum *Kyrie eleison* conclamatur: chorus seorsim viri, seorsim feminæ ducentes, per totam noctem in circuitu ecclesiæ sine intermissione vigilias agentes, semper *Kyrie eleison* frequentant. Igitur, ut superiùs dictum est, ad confirmandam fidem tanti occurrentis populi, in ipsa vigiliarum nocte quædam miracula insignia per merita dilecti Martyris sui Viti Dominus ostendere dignatus est. Nam quidam homo claudus à nativitate, inter innumerabilem multitudinem accedens, pro foribus Ecclesiæ, mox ut cœpit invocare omnipotentis Dei misericordiam, coram omnibus circumstantibus, ita sanus factus apparuit, ut solidè supra pedes staret. Adolescens quoque quidam Theodoricus nomine, qui à maternis humeris

An. Chr. DCCCXXXVI. in ipsum locum deportatus, & utroque genu contractus, in ipsa nocte pedum officia promeruit: & in ipso loco remanens non recessit.

27. In crastinum verò quod est XVII Kal. Julii, inter Missarum sollemnia quidam homo claudus, ita ut nullam gradiendi facultatem haberet, sanus inventus est. Et mulier quædam in ipsa hora illuminata est. Et cuidam parvulo organa vocis reddita sunt. Inter cæcos verò & claudos, exceptis his, qui eo die sanitatem eorum multitudine utriusque sexus, qui ad sollemnitatem fortissimi Agonistæ undique convenerant, fuere undecim. Ipso verò die, vespertinali officio peracto, jam jamque nocte appropinquante, cùm Dei laudibus pro beneficiis à Deo sibi concessis qui aderant exsultarent, atque Deo laudes immensas redderent; repentè adfuit puella parvula in medium adducta, quæ annis sex fuerat lumine privata, quæ ab ipso momento ita illuminabatur, ut clarè videret omnia. Sed & in ipsa hora alia puella muta & surda loquelam & auditum recipere meruit. At verò postquam hæc omnia divulgata sunt, & in omni regione diffamata, cœperunt magis ac magis undique concurrere, tam nobiles quàm ignobiles, divites quàm pauperes; sani & infirmi, in tantum; ut nullus mansisse domi putaretur in omni illa provincia, qui non illuc orandi gratiâ venisset. Sed & aliud miraculum, quod cunctipotens Dominus per suam gratuitam misericordiam in ipso tempore, per insensibilem creaturam ostendere dignatus est, sub silentio prætereundum non decrevi. Nam quadam die, dum cum multitudine, sub desiderio prioris populi, ac devotione, vulgus ad memoratum locum properarent, & ad portum fluminis, cujus Wisera est vocabulum, advenirent; accidit ut navis ex altera parte fluminis sine gubernatore fixa staret. At hi qui transire cupiebant, & navim ex altera parte conspiciebant, & neminem adfore cernerent, qui eam de loco moveret, & ad eos usque perduceret; cogitabant qualiter eam exquirerent. Interim dum aguntur hæc, & cogitantur, repentè navis mota est à loco suo, in quo fixa erat, & paullatim natando sine remige & ventorum impulsu, licèt cælum serenum esset, sponte ad eos recto tramite pervenit: illi autem accepta navi fluvium transierunt. Post hæc decrescente tempore, & populi devotione magis ac magis succrescente, in gloriam sancti Johannis, quæ subsequitur in proximo, sancti Martyris sollemnitatem celebrantes; puer quidam, ut putabatur annorum sex, adveniens, ante reliquias sancti Martyris, brachium habens contractum; post diutinam, prout valuit, orationem peractam, sanus perfectè inventus est. In crastinum verò Officium Vespertinale celebrantibus, aderat quidam claudus, qui nullam gradiendi habuit valetudinem, nisi cum baculis duobus; sicque sanus in eadem hora inventus est, ac si numquam claudicaret.

28. Deinde procedente tempore, natalitiisque Apostolorum Petri & Pauli prosequentibus, adveniens quædam mulier propria carens lumine, ab annis quinque, in eodem loco amissum munus recepit. Mox subsequente die Dominica, claudus quidam, & puella parvula utroque genu contracto, & gibba, donum salutis adepti, ineffabili lætitia sunt reversi. Non pòst multo tempore, erat quædam matrona, nomine Hogardis, commorans in pago, qui vocatur Lainga, & vir ejus nomine Wigo, ex nobili progenie, miserabiliter debilitata & contracta ex omni parte membrorum ab annis quatuor, quæ ire nullo modo poterat, nisi manibus servulorum sustentaretur, aut aliquo vehiculo duceretur. Hæc cùm audisset famam virtutum, quas Dominus meritis beati Martyris operari dignatus est, jussit sibi carrucam, sicut mos est in illa regione, jungi, ascendensque nostrum adiit Monasterium, implorans & flagitans Dei & sancti Martyris auxilium. quæ cùm noctem insomnem præ nimia gravitudine corporis pertransire non quivisset, & matutinali tempore gravi sopore opprimeretur; adstitit ei quidam per visum in similitudine juvenis, dicens ei: Quare dormis? surge. nonne audis, quantæ laudes in ecclesia Deo solvuntur? Tunc illa statim timore perculsa, rapido cursu pervenit ad ecclesiam, ita sana, ut nullius egeret sustentaculo, quæ venerat sedens in carruca; ibique curata, post aliquot dies ad propria est reversa.

29. Vertente igitur dehinc anni circulo, celebritateque sancti Viti iterum recurrente, quidam nostræ familiæ habebat filiam, cujus manus sinistra ariditate in tantum detenta erat, ut ad nullum opus necessarium eam movere posset: quam inter multitudinem populi ita sanam vidimus, ut nullum habuisse crederetur malum. Post hæc iterato die, in quo octavas Martyris celebravimus, adfuerunt duæ mulieres de villa, cui vocabulum est Freinbergi: una ex eis muta, quæ paullulum balbutire videbatur; altera utrisque pedibus contractis. Muta quidem vocabatur Thietburg, altera autem Autburg: quæ utræque sanitatis curatæ medicamine, incolumes ad propria sunt reversæ. In futura quoque sancti Johannis Baptistæ vigilia, quoddam nobis novum accidit miraculum vetustissimis simile signis præcedentium Patrum. Nam cùm ex more ad vigiliarum surrexissemus officium celebrandum, atque solito lucernæ illuminarentur ecclesiæ, accidit,

cidit, ut crucicula in medio ecclesiæ appensa, in qua quinque vitreæ lampades dependebant, trahente custode, funis rumperetur, & effuso oleo omnia in pavimentum dispergerentur. quas cùm adstantes fractas non dubitarent, accurrens custos ecclesiæ, nomine Autgarius, ferens manu concham æream, volens, antequam multitudo populi, quæ ad fores pulsabat, irrumperet, fragmenta colligere, & oleum, si quivisset, arripiens cum utraque manu vitrum, projecit cum magno crepitu in vas æreum, nullam jam habens spem eis ampliùs utendi ad usum pristinum. Quæ cùm ita in secretorio reposuit, postera die ita integræ inventæ sunt, ut nullum signum fracturæ appareret. An. Chr. DCCC XXXVI.

HISTORIA TRANSLATIONIS

SANCTI FILIBERTI ABBATIS

EX MONASTERIO HERIENSI

IN VARIA LOCA,

Scripta duobus libris ab ERMENTARIO Abbate anno DCCC LXIII.

An. Chr. DCCC XXXVI. Junii VII.

Ex mss. codicibus, & Petri Francisci Chiffletii Historia Trenorchiensi.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. POST librum de Vita sancti Filiberti Gemeticensis primùm, dein Heriensis Abbatis, editum in Sæculo 2, Historia ejus translationis reddenda hoc loco est. Eam duobus libris comprehendit ERMENTARIUS Abbas, testis rerum oculatus, de quo infrà. Translatio ista occasione Normannorum anno DCCC XXXVI facta est primò ex Heriensi Monasterio in Deense per Ampennum, Varennas, & Palum: quibus in locis patrata miracula, quæ libro primo exponit Ermentarius. Postea incenso per Normannos Deensi Monasterio, quæ conflagratio anno DCCC XLVII accidit, nihilo minùs eo in loco remansit corpus sacrum usque ad annum DCCC LVII, quo in Conaldum monasteriolum agri Andecavensis translatum est. Inde ad recuperanda prædia quædam evectum est Masciacum apud Pictones: ubi restitit in annum DCCC LXXV, quo in Trenorchiensem Abbatiam delatum est. Miracula Conaldi & Masciaci facta Ermentarius tum Abbas retulit libro 2. Trenorchiana verò translationis, quæ ipso defuncto contigit, meminisse non potuit. Eam aliunde supplebimus post libros duos ms aculorum, quæ cum iisdem sectionibus, uti apud Chiffletium exstant, referentur, omissis titulis capitum libri primi, quæ in nostris codicibus, Gemeticensi & Conchensi, non exprimuntur. Translationes variæ.

2. Ante cladem Normannorum celebre erat Heriense Monasterium, in insula Herio apud Pictones constructum à sancto Filiberto, ut in ejus Vita dictum est Sæculo 2. Festivum eo in loco factum accidit GRADILONIS Monachi, relatum à Letaldo Monacho in libro de miraculis sancti Maximini Abbatis Miciacensis, in Sæculo 1. Eò, id est in Heriense Monasterium, relegatus est sanctus Adelhardus Abbas Corbeiensis, ut patet ex ejus Vita superius relata: in qua RAGNARDUS Abbas Heriensis nominatur, in vulgatis indicibus omissus post Arnulfum. Anno DCCC XLVI Normanni mense Julio, Herio insulam succendunt. *Ita vetus Chronicon Lemovicense & Ecolismense. Nunc Abbatia ista redacta est in Prioratum Trenorchio subjectum, retinetque priscum nomen, quod rustici corrupto vocabulo efferunt,* Ner-monstier, *rectiùs* [illegible]monstier. Heriense Monasterium.

3. Ex eo loco sancti Filiberti corpus anno DCCC XXXVI ob Normannorum metum, qui anno præcedente Herium insulam cæso Rainaldo Herbatilicensi Comite aggressi erant, delatum est in Deense Monasterium, quod paucis antè annis Arnulfus Abbas Heriensis construxerat. Situm erat in pago Herbadilico, loco Deas appellato, ad Bedoniam fluvium; decem circiter leucis ab Herio, totidemque à Namneto urbe Britanniæ minoris; prope Grandem-Lacum, de quo in Vita sancti Martini Abbatis Vertavensis dictum est. Occa- Deense.

An. Chr. DCCC XXXVI. Junii VII.

sio condendi Monasterii fuit infestatio barbarorum, id est Saracenorum & Nortmannorum. sic enim interpretor verba Ludovici Augusti in diplomate, quod Arnulfo Abbati concessit in hac verba: Notum sit, qualiter vir venerabilis ARNULFUS Abba ex Monasterio sancti Filiberti, quod est situm in insula quæ dicitur Æri, propter incursiones barbarorum, qui frequenter ipsum Monasterium depopulantur, foras in pago qui dicitur Erbadellicus, in loco cujus vocabulum est Deas, per nostrum consensum atque adjutorium novum Monasterium ædificasse; & ob commoditatem ejusdem Monasterii & Congregatione ibidem degenti, ex fluvio qui dicitur Bedoniam *, aquam ibi velle perducere, &c. Data XVII Kal. Aprilis, anno VI imperii HLudowici, Aquisgrani palatio, *apud Chiffletium, infrà. De impressione Saracenorum in Herium insulam agit Ermentarius in lib. 2 cap. 10. Ludovicus item Augustus* anno XXVI Imperii *Monasterio Deensi & Hilbodo Abbati dat* villam juris *sui* nomine Scobrit cum ecclesia sancti Vitalis *sitam* in pago Pictavo, in vicaria Ratinse, *de qua infrà. Eo in loco vixerat sanctus Vitalis Eremita ex Britannia majori oriundus.* Anno DCCCXLVII Nortmanni III Kal. Aprilis Deas Monasterium succendunt. *Sancti Filiberti corpus decem post annis translatum est Conaldum: tum anno* DCCCLXII *Massiacum. qui Prioratus duo sunt Abbatia Trenorchiensis. Quamdiu Massiaci resederint Herienses Monachi, an Heriensem insulam aliquando repetierint, non liquet. Eos hac illacque palabundos divertisse colligo ex diplomate Caroli Calvi pro loco Godit, anno* XXVIII *regni concesso* sanctæ Dei genetrici Mariæ, sanctoque Filiberto, ac Monachis sibi famulantibus de regno Aquitanorum fugientibus à facie paganorum, ac nusquam residentiæ ac quietis habentibus locum, *Geilone Abbate. Is Abbatiolam sancti Porciani in Arvernensi pago sitam obtinuit à Carolo Rege, eòque cum familia sua secessit.*

* la Bedoigne

Trenorchinie.

4 *Anno* DCCCLXXV *Carolus Calvus* Geiloni venerabili Abbati, *ejusque Monachis* non habentibus locum quietudinis, *concedit* Abbatiam sancti Valeriani Martyris, quæ est in pago Cavilonensi * super fluvium Sagonnam, ubi etiam idem venerabilis Martyr corpore quiescit; & castrum Trenorchium, quod est ex eadem Abbatia, & Turnucium villam, &c. *Datum* XIIII Kal. Aprilis, Indict. VIII, anno XXXV regnante Karolo gloriosissimo Rege, & in successione regni HLotharii anno VI. Actum sancto Dionysio. *Sic eum in locum confugerunt Monachi Herienses, fixam stationem deinceps habituri. Trenorchiensis Monasterii Chronicon scripsit Falco ejusdem loci Monachus; historiam verò accuratè composuit eruditus vir Petrus Franciscus Chiffletius Societatis Jesu, apud quem istud diploma ex primaria scriptione, aliaque hactenus citata legere potes. Floruit eo in loco sanctus* ARDAGNUS *Abbas, de quo in Sæculo nostro sexto. Abbatia hæc post varios casus, ad sæculares Canonicos versa est anno* MDCXXVII.

* Chalon sur Saone

Abbates quidam Herienses.

5. *Ut meliùs ea quæ refert Ermentarius, intelligantur, juvat hoc loco exhibere seriem Abbatum Heriensium per sæculum* IX. *Abbas erat* ARNULFUS *ante annum* VI *imperii Ludovici Augusti, quo anno litteras obtinuit ad deducendam aquam Bedoniæ fluvii in Deense Monasterium ab se constructum. Is mihi videtur Arnulfus Benedicto Anianæ Abbati adjutor à Ludovico Pio datus ad restituendam in Gallicanis Monasteriis regularem disciplinam; idemque Abbas Glonnensis Monasterii sancti Florentii, ut dictum est in hujus Sæculi Præfatione. Vivens, nescio qua de causa, regimine cessit, mortuus anno* DCCCXXXIX. *siquidem is est de quo hæc lego in Chronico Engolismensi apud Labbeum in Bibliotheca nova tomo 1.* Anno DCCCXXXIX Arnulfi Abbatis advenit hora.

Huic successisse videtur RAGNARDUS, *de quo in Vita sancti Adelhardi Abbatis, num. 47, suprà.*

Ragnardo HILBODUS *anno* DCCCXXV. *Is anno* DCCCXXXVI *corpus sancti Filiberti in Deense Monasterium transtulit; eum in Conaldum Monasterium familiam Heriensem traduxit, relicta apud Herium corpore sancti Filiberti.*

AXENIUS *mortuo Hilbodo Abbas, corpus sacrum curavit Conaldum efferri post annum* DCCCLVII.

ERMENTARIUS, *sequentium librorum scriptor, post eum vagam familiam rexit per annos quinque. cui successit* BERNO, *Bernoni* GEILO. *Abbas primus Trenorchiensis, dein Lingonensis Episcopus anno* DCCCLXXX, *teste Falcone Trenorchiensi Monacho, qui Chronicon Cœnobii sui perduxit ad medium sæculum undecimum.*

PRÆFATIO ERMENTARII.

An. Chr. DCCCXXXVI. Junii VII. Caput I.

MIRACULA quæ omnipotens ac piissimus Deus ostendere dignatus est, cùm corpus beatissimi FILIBERTI ab Herio oceani insula illum in locum transferretur, qui antiquo vocabulo DEAS nuncupatur, scribere cupiens, necnon & illa quæ in eodem loco cælitus acta coràm positi vidimus, seu quæ à fidelibus veraciter relata cognovimus, pandere satagens; primò totis viribus ipsi omnipotenti ac piissimo supplico Domino, ut qui tanta mirabiliter Confessoris sui meritis dignatus est demonstrare, dignetur etiam mihi ad ea explicanda sermonem conferre.

Sed priusquam hæc aggrediar, operæ pretium fore credidi, quid causæ exstiterit, ut ab eo loco quem præ cæteris coluit, ubi etiam Deo animam, terræ corpus reddidit, transferri debuerit, intimarem. Quod quamvis præsentibus pæne omnibus sit notum, propter eos tamen qui futuri sunt, dicam, quia istius rei impedimentum Nortmannorum subitanei atque improvisi occursus fuere. qui cùm ad præfatæ insulæ portum sæpius convolarent, eamque, utpote gens admodum effera, acerrimè subinde devastarent; exemplum sui domini insulani secuti, elegerunt magis fugæ subsidium, quàm quotidie proprium operiri exterminium; & hoc qualitate temporis exigente. Æstivo quippe tempore, quo navigandi arridet temperies; Deas Monasterium, quod ob hoc fuerat constructum, petentes, hiemis tantummodo tempore Herium insulam repetebant. Tali namque discrimine Monachis, ipsius videlicet loci incolis, eorumque familia laborantibus cœperunt pericula addi periculis, & crebris Nortmannorum accessibus prædicti insulani non modò deterreti, verùm etiam suorum damna perpeti, ac nimiis tribulationibus affligi. Re enim vera, hoc quàm maximè pertimescentes erant, ne beati Filiberti sepulcrum perfidi homines effoderent, & quæ intus invenissent, hac illacque dispergerent, vel potiùs in mare projicerent, quemadmodum in partibus Britanniæ de cujusdam sancti viri cineribus noscuntur egisse, sicut ab illis qui hoc viderunt, & ab eorum gravissimo dominio fuga elapsi sunt, nobis relatum est. Enimvero quoniam persecutionem pax solet subsequi, Dominus enim non derelinquit sperantes in se, qui suis ait Discipulis: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*; allegandum est tandem aliquando, quo sine vel tempore jam dicta insula à tanto Patrono exspoliata, & à generali sit habitatione Monachorum derelicta. Nolo tamen mireris, cur persecutionem pacem subsequi dixerim. Nimirum non modica pax nobis esse videtur, quia tali in loco collocatum sanctissimum habetur corpus, ubi die noctuque sine barbarica infestatione Domino famulari suis conceditur servulis.

Translatio in Deas occasio.

Matth. 28. 20.

Anno igitur Incarnationis Domini ac Redemtoris nostri JESU-CHRISTI octingentesimo trigesimo-sexto, Indictione quarta-decima, LUDOVICO verò gloriosissimo Imperatore vicesimo & tertio regni sui anno feliciter imperante, filiisque ejus LOTHARIO Italiam, PIPPINO Aquitaniam, LUDOVICO quoque Noricam divina protegente clementia regentibus; HILBODO etiam venerabili Abbate gregem præfati Confessoris Christi Filiberti Domino favente secundùm Regulam sancti BENEDICTI gubernante, cujus jussu ego, non dico operibus, sed etiam verbis omnium suorum infimus Monachorum hæc narranda suscepi; cùm repentini atque intempestivi, veluti dictum est, Nortmannorum minimè cessarent occursus, prædictus Pater HILBODUS, qui propter ipsam perfidam gentem in memorata insula castrum condiderat, unà Anno 836.

An. Chr. DCCCXXXVI. Junii VII. Pippini Aquitaniæ Regis consilium. cum consilio Fratrum suorum Regem adiit Pippinum, suggerens ejus celsitudini, quid super hoc decernere vellet. Tunc verò gloriosus Rex suique Optimates (generale siquidem Regni sui placitum exsistebat) istiusmodi rem sollerti cura pertractantes, nequaquam ibi auxilium pugnandi assiduè administrari posse repererunt. scilicet quia ipsa insula, ledonibus * maximè impedientibus, non semper accessibilis esse potest nostratibus, cùm Nortmannis cunctis temporibus, quibus mare tranquillatur, inaccessibilis esse minimè dinoscatur. Sed elegerunt revera quod salubrius esse judicaverunt. Annuente quippe Pippino serenissimo Rege, pari consensu omnes ferme Aquitaniæ provinciæ Episcopi, Abbates, Comites, cæterique fideles, qui illic adfuerunt, insuper & alii quamplures, qui hoc scire potuerunt; decreverunt multo melius fore, beati Filiberti corpus inde transferri debere, quàm ibi derelinqui. quod effectum esse constat anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi suprà scripto. Sed esto. Nunc ad ejus miracula digerenda stilum vertamus.

* id est marium æstuationibus

II. Ampennam delatum corpus sacrum. Subrosso igitur septimo die Junii mensis sepulturæ loco cum ipso venerabili tumulo, elevatur cum laudibus * sanctissimum corpus: ponitur in navi Circio flante, cursu citissimo fertur ad portum, qui Furcæ vocatur. Inde verò Sacerdorum, Levitarum, simul ac Monachorum humeris elevatum ad Ampennum suam defertur villam, atque in ecclesia collocatur. Interim fit populi concursus non modicus, gaudent omnes si vel scalam [a] qua vehebatur, seu etiam linteum quo tegebatur, se posse contingere. Credunt namque à qualibet infirmitate vexatos hujus Sancti meritis posse salvari. quos tamen expletio operis postea demonstravit spe sua non fuisse fraudatos. Rarus siquidem ad hujus sancti suffragia plenus fide venit, & opem ex corde petivit, qui non sanus redierit.

* al. gaudio

III. Miracula ibi facta. Dominicus quippe ipsius Sancti servulus, cujus vires quartana febris ita extenuaverat, ut vix baculo innitens incedere valeret, (laboraverat enim tali incommodo anno & dimidio) fideliter veniens ante sepulcrum procidit, precesque prout potuit, fudit Ibi quoque aliquantulum jacens surrexit, ac se sanitati restitutum confessus est. Statim enim, sicut ipse fatebatur, ut scalam in qua cum sacratissimo pignore sepulcrum positum erat, attigit, sibi medicinam adesse omnimodis persensit. sicque incolumis remeavit ad propria, ut baculi adminiculo nullatenus indigeret.

IV. Accessit quoque quædam puella Aigrada nomine, ejusdem Sancti famula, quæ dextri lateris pariter & cruris officio ita debilitata erat, ut nec iter rectum conficere, nec quidquam utilitatis agere posset. Sed non diutius dilata sanitate incolumitati restituitur pristinæ, lætaque recedit, gratias omnipotenti referens Domino ac sancto Filiberto, cujus interventu sospitatem meruisset.

V. Cùm etiam ad locum præfatum quædam quinquennis puella, quæ nec sedere, nec ambulare, veluti ejus ætas deposcebat, umquam poterat, humeris fuisset matris advecta, & ante sepulcrum projecta, oratione facta sanitati est reddita. Primo etenim die hæc gesta sunt.

VI. Sequenti verò die curritur illuc undique ab omnibus, coacervatur utriusque sexus vulgus innumerum. Adest inter reliquos cæcus quidam Galdradus nomine, ex vico Gaurantio, annos fere quadraginta gerens ætatis, cui diuturna ægritudo & molestissima lippitudo per viginti spatia annorum lucis hujus subtraxerat visum. Is verò plenus fide veniens, ante sepulcrum sese prosternens, talia conquestus est: Scio me,

[a] Scalæ nomine feretrum, in quo sacrum circumferebatur corpus, passim designat Auctor.

piissime Deus, peccatis impedientibus oculorum meorum lumine caruisse: quod tamen, Domine, tua virtute per hujus Sancti meritum credo iterum me posse recipere. Cumque hæc verba inter jacendum cunctis audientibus protulisset, atque subinde repeteret; baculum quem gestare solebat, respicere cœpit, dicens: Gratias tibi ago, Domine, quia jam intueor baculum, cui solitus sum inniti, & qui me prior viam solet ingredi. ac paullatim putridus ab ejus oculis cruor effluens, clarum meruit recipere visum. AN. CHR. DCCCXXXVI. JUNII VII.

Eadem namque die Baldoënus quidam nomine, dextri oculi lumine privatus, illuc adveniens, dixit se in somnis vidisse virum sibi splendidissimum adsistere, ac se taliter commonere: Vade, ait, oratum ad beati Filiberti sepulcrum, & vino quo tinctus fuerit ejus baculus, lava oculum tenebrosum; & statim visum recipies. Qui evigilans, gaudio repletus, mane facto sorgit quantocius, & illuc puerulo præeunte (non enim clarè sinistro intuebatur ocello) cursim ducitur, atque ostiario quod viderat pandit. Nec mora tinguitur vino baculus, lavatur ex ipso oculus, redditur visus, glorificatur Deus in talibus. VII.

Sed dum hæc celebrantur, Andrudis quædam femina, annos circiter nata triginta, quæ dextrum brachium ita gerebat inutiliter, ut plus sibi esset oneri, quàm honori; (non enim manum ad os mittere, nec se Crucis valebat munire signaculo; patiebatur quidem hoc multo exsistente tempore) accessit prope tumulum, prosternitur in orationem, perseverat diutissimè in precibus; nec priùs discedit, quàm sospitate donetur. Lætatur ipsa pro reddita sanitate, gaudent omnes de tanti viri meritis & Dei beneficio. VIII.

Parvo siquidem temporis spatio decurso, (tertius namque advenerat dies) adfuit istic Dumneticus quidam nomine, febre laborans valida. Is cùm orationem fudisset, & de vino in quo ablutus beati Confessoris baculus fuerat, hausisset, statim febre fugata salus prosequitur expetita. Liberantur denique ab eodem typo sub unius momenti articulo simili medicamine Morilona quædam femina, Siclitrudis & Sicliberta: liberatur ab eadem gravitudine Dominica quædam femina. Sed ut quid de frigoreticis paginam repleam, cùm nullus febricitans accesserit, mox ut de supradicto vino bibit, qui non sospitatem meruerit? O immensa Dei bonitas, & gratuita pietas mirabilis in Sanctis, in te quoque multo magis mirabilis permanens! præstas utique tam præclara beneficia, piissime Domine, non ut tibi aliquid addas; qui summè & solus bonus es, cùm omnis plenitudo divinitatis in te habitet corporaliter: sed ut cunctis innotescat, quanti penes te sit meriti, qui tot in terris declaratur miraculis, & fiducialiter pro animæ erratibus ejus interventio flagitetur, cujus suffragio tot corporum ægrimoniæ curantur. Hæc in Ampenno coram omni qui aderat populo, divinitus sunt acta miracula. IX.

Interea elevatur gratissimum onus humeris Sacerdotum, Levitarum simul atque Monachorum. Egreditur inde cum magnis laudibus, tenditur ad locum qui Varennæ vocatur, juxta quem fixis tentoriis noctem illam transegimus: sed antequàm illuc perventum esset, quid in itinere actum sit, narrabo. X. Varenna alia.

Cùm ergo à prædicta villa Ampenno longiùs discessum esset à nobis, atque scalam cum tumulo humi deponentes, Officium sextæ horæ persolveremus; allatus est paternis humeris puerulus quinquennis, qui ex utero matris mutus profusus, sine voce quoque perseverabat. in quem cùm omnes sub uno intenderent adspectu, Dei credentes precibus Confessoris almi auxilium advenire; vir venerabilis HILBODUS Abbas manum apprehendens, interrogavit eum, utrum sciret quis esset, qui in XI.

An. Chr. DCCC XXXVI. Junii VII. scala deferretur? Tunc ille respondens dixit: Scio. Et ille: Quis est? Ait & puer: Hic est dominus meus sanctus Filibertus. Sicque linguâ solutâ, quæ auditu didicerat, prout potuit, loqui cœpit: alia quoque quibus imbuebatur, deinceps fari non desiit verba.

XII. Necdum miraculi hujus dignitas sparsim se vulgus per omne diffuderat, cùm mutus quidam triginta fere annorum se obtulit, qui ab ortu nativitatis fine voce permanens, tamen quæ alii loquebantur, intelligebat. Hic cùm plus in aliorum precibus quàm in suis fideret, sicut indiciis quibus poterat, demonstrabat; suadetur ei, ut ante venerabile sepulcrum procidens, Dei misericordiam precibus sancti Confessoris sibi adfuturam deposceret. Tunc ille prosternens se humi, totisque viribus Domini pietatem, quia ore nequibat, corde, quod Deus magis approbat, aliquantisper flagitans, surrexit loquens & magnificans Deum.

XIII. Hinc progressi cùm jam iter maxima ex parte transmissum haberemus, iterum parumper requievimus. Sed non defuit illic Dei miraculum, quod meritis manifestaretur Confessoris sancti. Homunculus quidam rusticus septennem filium mutum ad manum trahebat, nomine Petrum. Timebat enim ne in tam copiosa multitudine populi amitteret, quem sciebat, licèt paternis clamoribus vocaretur, audire quidem & intelligere, respondere autem nequaquam posse. Hic cùm oblatus fuisset coram omnibus, mox ut pallium quo tegebatur sepulcrum, tetigit, locutionem meruit, quam numquam expertus fuerat. Hoc celebrato miraculo abhinc quoque recedimus, & ad locum memoratum accedimus. Sed quæ ibi gesta ante solis occasum fuerunt, silenda non erunt.

XIV. Populis enim hinc inde ubertim confluentibus, atque catervatim ad celebritatem tantæ lætitiæ currentibus, quædam puella, nomine Mantia, manum gerens aridam, cùm illuc venisset, & orationem fecisset, directis digitis, venis salubri humore adimpletis, vigore recuperato sospitati reddita est.

XV. Advecta est deinde in vase, quod vannus* vulgò dicitur, quædam femina duplici damnata incommodo. incedere quippe non poterat, quia pede utroque contracta erat: jacere verò vel sedere, non sine magno ei concedebatur dolore, quia ulceribus plena exsistebat. sed non frustrata recessit. Officium quidem gressuum recipere meruit, quamquam ulcera non statim omnia exsiccata fuerint. quam tamen non multo pòst tempore sanitatem plenissimam adeptam fuisse cognovimus.

* ventilabrum, an vas

XVI. Adducitur post hæc puer decennis à matre sua miserabili sorte damnatus. morbum siquidem comitialem patiebatur. Hunc cùm mater ante sepulcrum collocasset, volutari cœpit miserabiliter ac spumare, nimiisque angustiis discruciari; sed tamen non discessit, priusquam Dei bonitas sancti Confessoris interventu eum sanitati restituisset.

XVII. alia Pass. His ita patratis, noctem, ut suprà dictum est, transmittentes, cùm auroræ tenebras cælo depulisset, sole jam altiùs adscendente, choris psallentium præeuntibus, atque universo agmine subsequente, tendimus ire ad locum receptioni præparatum, qui Palus * nuncupatur. ibi namque tentoria fixa erant. Cumque illuc pervenissemus, deponitur ibidem tumulus eum gratissimo pignore. Verumtamen antea se sol oceani mergere nequivit in undas, quoad hæc miracula quæ subduntur, ostensa fuissent. Puer namque quidam, nomine Ebrefanius, sinistram manum otiosè gestans, quippe cùm nullum sibi præstaret servitium, erat enim debilitate multata; huc adductus cùm fuisset, prope venerandum recubans diu tumulum, manu restaurata gaudens discessit.

* Paus

XVIII. Necnon & alius puer annos natus quatuor, cujus sinistrum genu natura contractum ediderat, statim ut parentum fide ibi fuit projectus,

gressum promeruit, & ut tali concedebatur ætati infsciæ utpote ince- AN. CHR. DCCC XXXVI.
dendi, ambulare cœpit.

Simili modo puella quædam tertium adimplens ætatis annum, fide pa- Junii VII.
rentum, eadem exuitur debilitate. Et quia ipsa gratias Deo agere ne- XIX.
scit, glorificatur ab omnibus Dei omnipotentis pietas, quia in sexu atque ætate parvula, talia Confessoris sui patescunt insignia.

Inter hæc advehitur humeris hominum in quodam vasculo, quod cor- XX.
bes * dicitur, quædam femina Hiltrudis nomine, annorum circiter tri- * une corbelle
ginta, cujus genua ita retro conculis calcaneis obriguerant suffraginibus *
conclusis, ut nullum posset conficere vestigium. ponitur nihilominus * id est nervis ten-articulis
ipso in loco, sed citius opem meritis obtinuit Confessoris. Cum magno siquidem dolore & plurimo ejulatu directa, corbem egrediens, non tardat propriis actutum incedere plantis, quæ aliorum advecta fuerat humeris.

Ponitur ergo præfato in loco à suis necessariis Bernefredus quidam XXI.
nomine annos natus triginta & novem, qui longo tempore duobus privabatur corporis sensibus. sermonem quippe loqui non valebat, & elocutum non audiebat. Hic verò diu prope venerabilem recubans tumulum, meritis Sancti, ac fide propinquorum vel necessariorum surgit tandem locutione recepta glorificans Deum. qui interrogatus an audiret, optimè se audire professus est.

Dadenus quidam nomine dextrum genu ita habens subtractum, XXII.
ut pes ejus terram non posset contingere, duobus in ascellis baculis suppositis, Confessoris almi perivit auxilium. qui mox ut scalam tetigit, poplite directo sine baculi subsidio inde remeavit cum gaudio.

Quædam etiam femina dirum sustinens dentium dolorem, accessit ad XXIII.
eumdem locum, atque scalam, ut aliquid doloris recederet, osculari cœpit, furtoque fideli inter osculandum excidit sibi ex ipsa aliquam particulam. Cumque ex ea dentes, in quibus ampliorem sedem dolor sibi vindicabat, tetigisset, confestim omnis dolor deficiens recessit ab ea.

Ista incolumitate donata, alia perinde femina affatim avida salutis se XXIV.
ingerit, annorum ferme quinquaginta, quæ, ut dicebatur, numquam erecta solem adspicere quiverat, sed ut tunc, sic semper inclinara incesserat: sed hæc proculdubio Dei pietate non est fraudata. Meritis quippe Confessoris almi, ilico ut scalam tetigit, erigitur, & discussa deformitate exoptatam adepta est incolumitatem.

Tum denique sole Oceano ruente, nocte decursa, aurora diem porrigen- XXV.
te, discessum est istinc, & ad Deas Monasterium properatum est. Igitur Miracula apud Deas
cùm Monasterium ingressi fuissemus, atque in medio ecclesiæ, quæ est Monasterium.
instar crucis constructa, scalam cum sacro tumulo, in quo sanctissimum corpus habebatur, deposuissemus; turbis undique confluentibus, atque ingredi cupientibus, inseruit se illis quidam latrunculus, qui præterita nocte fasciolam cujusdam furto subducens in sinu gestabat absconditam. Is verò mixtim cum cæteris ingredi tentans ecclesiam fit turbis mirabile spectaculum. In ipso siquidem introitu ecclesiæ ita immobilis constitit, acsi fixus humi exsisteret. Qui tamen nihil loqui valens, adstantibus cunctis & mirantibus absconditum in sinu furtum cœpit ostendere: quo mox abstracto loquendi usum & introeundi ecclesiam officium, Confessio.
recepit; confessione quoque data, ac voto facto, ut numquam furtim aliquid deinceps adquireret, remeavit ad propria.

Missarum denique officiis celebratis, orationibus Fidelium ex voto XXVI.
adimpletis, cum gratiarum actione partim ad sua pergunt, partim usque in crastinum ibidem permanent. Inter quos quidam cæcus, Andreas nomine remanens, sancti Confessoris petivit suffragium: petivit, non du-

AN. CHR. DCCCXXXVI. Junii VII.

bitavit, & ſpes ſua non eum fefellit. Ipſo quippe die illuminari meruit, & jucundus inde recedit.

XXVII. Detinebatur quoque iſtic à parentibus quidam puerulus, cujus pes dexter uſu gradiendi carebat. poplite namque contracto pes à terra altius ſuſpendebatur. Sed diutius ante ſepulcrum jacens, ſine parentum adjutorio vel baculi ſupplemento, qui venerat contractus, abſceſſit directus.

XXVIII. Hæc ita dum aguntur, & Herbidilica tellus tanto ſe gaudet illuſtrari patrono, ſparſim ſe longè lateque talis fama diffundit, & multorum incolas locorum ad ſancti Filiberti ſuffragia expetenda ſollicitat. Quibus nec ſufficit, ut ſani tantummodo pro animarum commiſſis interceſſionem hujus Sancti flagitent: ſed quicumque corporis infirmitate aliquem prægravatum habet, illuc ſtudet quolibet perducere ingenio. Videres namque quoſdam uno pede duobus in aliis fuſtibus appoſitis illuc tendere; quoſdam ſcamella manibus tenentes quibuſdam talibus feſtinare; aliquos carrucis, corbeculis, ſellis geſtatoriis atque ſcalis advehi; equis quoque nonnullos deferri mutos; ſurdos, cæcos, variiſque oppreſſos languoribus ſimul concurrere: qui tamen fideliter expetentes ſoſpitatem, celeriter ſanabantur, ſicuti cùm ad eorum ordinem ventum fuerit, narratum ire curabimus.

XXIX. Interdum * venerandum ſepulcrum cum ſacratiſſimo pignore de ſcala deponitur, & in dextro cornu eccleſiæ, quæ (ſicut diximus) in modum crucis conſtructa eſt, collocatur, atque in ſiniſtro latere eccleſiæ ſcala ipſa appenditur. Non enim ad ſepulturam capiendam fundamenta ipſius eccleſiæ apprime jacta fuerant: ſed poſtea à prædicto HILBODO venerabili Abbate, pariete primæ frontis disjecto, & quidquid altitudinis eſt crucis funditus everſo atque copinſè extenſo, locus ſepulturæ mirificè eſt tranſvolutus; tribus perinde abſidis circumcirca adjectis. Hæc de eccleſiæ adjectione dicta ſint. Sed redeamus parumper unde diceſſimus.

*al. eſt in-ſerta

XXX. Non magno quoque evoluto temporis curriculo, curritur undique verſum ab omnibus; curritur, inquam, certatim ad hujus Sancti limina ab omni ſexu, omni gradu, omnique ætate. Dubitatur utrum femineus ſexus cum ceteris Fidelibus admitti debeat, necne, utpote cujus frequentatio, poſtquam Monachi ibi habitare cœperant, nulla omnino extitiſſet. Decernitur que ſaniori conſilio, quatenus acceſſus eis communis [a] tribuatur uſque ad expletionem unius anni, id eſt à feſtivitate ipſius Sancti, quæ vigeſimo menſis Auguſti die celebratur, uſque ad eamdem vertente anno feſtivitatem: atque ita contributum eſt.

Iſtuc permittitur feminis ingreſſus.

XXXI. Cumque à diverſis partibus veniens copinſa adfuiſſet populi multitudo, delatus eſt à parentibus quidam puer mutus, & claudus annorum circiter quatuor, qui meritis Confeſſoris almi ipſo quo advectus eſt die, ambulare cœpit; ſequenti verò die locutionem promeruit.

XXXII. Nec imparem eadem die conſecutus eſt medelam quidam vir, Deodatus nomine. hic nempe vigeſimum ætatis complens annum claudus omnimodis perſeverabat: ſed aliquamdiu orationi precibuſque vacans greſſum recepit, ſanuſque regreditur.

XXXIII. His etenim diebus quædam femina multis cæca ac debili manu permanens annis, cùm ad limina ſancti Confeſſoris ſe deduci à domeſticis expetiſſet, atque illuc perveniſſet; diebus quatuor vel quinque orationibus incumbens, non eſt à ſuo privata deſiderio. Lumine quippe recepto, debilitate fugata, incolumis domum reverſa eſt.

a Sic in Ordine Ciſtercienſi concedebatur feminis ingreſſus in ecceſiam Monaſterii in dedicationis anniverſario die. Lege ſequens caput 71, & Præfationem Sæculi 2, &c.

guinis

Alia quoque nobilis femina, quantum sæculi dignitas postulat, sanguinis fluxum patiens, Sancti hujus suffragio cum magno quæsivit desiderio, non satis longè à fide illius evangelicæ mulieris (sicut credimus) distans. Illa enim, Si tetigero tantùm vestimenti Christi fimbriam, intra se, salva ero, dicebat: ista verò tantæ fidei ardore flagrabat, ut si scalam, in qua sanctissimum corpus vectum, vel linteum quo tectum fuerat, contingere potuisset, è vestigio sanitas sequeretur. quæ simul ut ecclesiam introivit, longiùs à sepulcro in orationem se se prosternens, ac diutissimè meritis sancti Confessoris Domini misericordiam sibi opitulari implorans, humore restricto superfluo sospitatem adepta est. AN. CHR. DCCCXXXVI. JUNII VII. XXXIV.

Duæ quoque mulieres ob difficultatem partus letaliter periclitantes, petierunt à viris suis se ad Sancti hujus limina deferri. qui vota mulierum complentes, tendunt unà cum illis illuc pergere: quarum una, antequam Monasterium intrasset, partu absolvitur: altera verò cùm basilicam intrasset, & orationem fudisset, surgit quantocius, & celeriter egreditur; vixque forinsecam Monasterii potuit contingere portam, usquequo enixa esset puerulum. Sicque officium humanæ naturæ complentes, & in dolore parturientes, periculo tamen ereptæ, reddunt Deo gratiarum actiones, magnificantes merita sancti Confessoris. XXXV.

Quidam etiam Hildebrannus nomine, annorum fere viginti, graviter claudicans plaustro se imponi jussit, ac sancti Confessoris auxilium expetere studuit. ad cujus cùm pervenisset limina, ibique duobus vel tribus diebus in precibus perseverans, Domini misericordiam exoraret; gressum recepit, domumque actutum reversus graviùs claudicare cœpit, quippe qui utriusque pedis gressu caruit: iterumque allatus sanitati restituitur. qui celeriter regrediens privatur pedum officio, demumque revectus sanatur. Incolumitate verò donatus jam non audet discedere, permanet proculdubio in sancti Confessoris servitio. Et quia ex ingenuis procreatus erat parentibus, tradit se ex toto atque devotat tam egregio Patrono, cujus se credidit meritis salvatum. Tum denique post aliquot dies licentia à Patre Monasterii ad propria remeandi accepta, sanus deinceps permansit. XXXVI.

Ex Durio namque vico quædam mulier adoratum veniens ad sancti basilicam Confessoris, filiam suam quæ cæcitate damnata erat, secum adducere curavit, excubansque ibi aliquamdiu remeavit cum filia ita, ut venerat, cæca. Cumque iter ageret, horâque cibum capiendi advenisset, in acceptione potus, & invocatione Domini, meritis sancti Filiberti illuminata est. Sicque cum magno revertitur gaudio, gratias omnipotentis Dei misericordiæ referens, meritaque beatissimi Confessoris collaudans. XXXVII.

Alia verò femina ex villa Borginno, asello advecta, pluribus nota, multo tempore incedere non valens, cùm precem suam ante venerandum fudisset tumulum, incolumitate recepta, propriis reversa est pedibus. XXXVIII.

Necnon anus quædam duodecim annis paralytica degens ex vico Ansionno [a] advehitur, & oratione facta ilico sanitati redditur. XXXIX.

Infra terminum denique Ratinsim [b] quidam vir triennio gravi ægritudine laborans, ita viribus exhaustus erat, ut nec cum baculo aliorsum incedere posset. hic autem cùm de ligno scalæ jam dictæ aliquid accepisset, (quicumque enim aliquam sibi particulam ex ea excidere poterat, XL.

[a] Aliis *Ansinono*. at præferenda videtur alia lectio, *Ansionno*. quo quidem nomine significatur locus, in quo situm est Monasterium sancti Jovini apud Pictones, quod antiquitus *Ansion* dicebatur. Id confirmatur ex sequenti cap. 48.

[b] Sic etiam infra cap. 49 & 83. nunc titulus Ducatus, vulgo *le Duché de Rais* ad Ligerim. Lege Chiffletium pag. 196.

An. Chr. DCCC XXXVI. Junii VII. ob reverentiam & amorem ipsius Sancti secum ferebat) idque cum summo honore & reverentiâ osculatus fuisset, mox se omni depulsa infirmitate convaluisse persensit. Crastina die quippe adveniente, lecto spreto, indutus vestimentis, pedetentim ad sacra limina visitanda ocius ire acceleravit.

XLI. Nec minori deprimebatur valetudine infra præfatum terminum quædam sancti Martini femina, cui cùm istius scalæ lignum à fidelibus deferentibus oblatum fuisset, ut saltem exemplo supradicti hominis aliquid meritis Confessoris convalesceret, eique suasum esset, ut cum maximo honore illud veneraretur; tunc illa tantam Confessoris almi reverentiam parvipendens, ipsam particulam ligni accepit, atque in ignem projecit. non tamen quod contemtim vel potiùs despectivè gessit, sine divina ultione pertulit. Neque enim citiùs illud lignum in ignem cecidit, quàm ipsius miserabilis feminæ oculus dexter in eumdem ignem naturalem locum relinquens, prosiliret. Quod cùm ab iterum venientibus illius loci hominibus relatum fuisset, non admodum credebatur, quousque tandem ipse, de cujus beneficio ipsa erat femina, venit, vir valde nobilis, veritatique studens potiùs, quàm vanæ verbositati, & ita factum fuisse confirmavit.

XLII. Sed neque silentio comprimi debet, quin palam fiat illud præclarum miraculum, quod per hujus scalæ lignum declaratum constat fuisse. Est namque villa quædam non nimia à Monasterio distans longitudine, quam cùm ob incuriam cujusdam succendere ignis cœpisset, & spatiantibus flammis huc illucque diffunderetur incendium; ventum est ad quamdam mansiunculam, in qua aliquid de ipso habebatur ligno. Sed cùm pars ipsius ædiculæ combusta esset, continuò ut ad columnam iu qua appensum erat, flamma vorax pervenit; ita in sese retorquens, totum incendium obtorpuit, ut nec scintilla quidem deinceps appareret. Hoc denique cùm longiùs personuisset, omnes qui de ipso scalæ ligno aliquid habebant, ad Monasterium detulerunt, sciscitantes quid de ipso facere deberent; non enim audebant tam venerabile lignum sine sui veneratione habere. Quibus responsum est, ut vel iu ecclesiis sibi propinquis, in quibus die noctuque Dei officium celebratur, collocarent; vel etiam unde acceperant, restituerent. quod ita factum est.

XLIII. Nec multo pòst contigit sanè venisse ex villa Longado ad suffragia sancti Confessoris poscenda, quamdam feminam cæcam, sancti acbeatissimi Hilarii famulam, quæ loca Sanctorum subinde visitans, quatuor (sicut ipsa fatebatur) vicibus fuerat illuminata, & totidem cæcata. Venit nempe ea, ut dictum est, de causa, ut lumen mereretur accipere. Accepit tamen miseratione Christi, sed inter redeundum cæcatur in via. Iterum revertitur & illuminatur. Suadetur interim ei à nonnullis, ut confessionem ex toto corde cuilibet daret Sacerdoti, ne fortè lumen oculorum tenebræ impedirent animæ. Illa verò miserabilis hoc consilio spreto saluberrimo, in hæc verba ultra quàm decuerat, stomachando prorupit dicens, quòd sanctus Filibertus sibi illuderet, ac jocundè se exerceret. Hoc dicto obmutuit, sicque sine sermone triduo vivens propter fores Monasterii vitam finivit.

Confessio.

XLIV. Jam quidem aliquod temporis spatium intercesserat; & ecce diversarum urbium diversorumque locorum populus ad istius Sancti patrocinia flagitanda catervatim confluens, effecerat pænè innumerabilem utriusque sexus turbam. Ingrediuntur ecclesiam vicissim, ingerit se cum primùm introeuntibus quædam paralytica femina, utpote cui summa incumbebat necessitas. septem denique annis hujusmodi patiebatur incommoditatem. quæ mox ut ante non incassum procidit sepulcrum, Domini supplicans pietati, quidquid infirmitatis erat,

discessit, & cunctis qui aderant mirantibus, incolumis recessit. AN. CHR. DCCCXXXVI. JUNII VII.

Egreditur prorsus ex tanta multitudine post paullulum quidam non modicæ fidei homo, cui per biennium loquendi usus denegabatur, manusque ejus dextera vel pes arefacti erant, ac ei qui cuncta novit, qui etiam corda respicit universorum, suppliciter non supervacuè supplicans, meritis sancti viri sibi opitulatum iri profusa deposcebat ex corde intimo prece: cujus fidem & devotionem respiciens Dei pietas, Confessoris almi meritis opem tribuit indigenti, sermonem reddens, manum gressumque restaurans. XLV.

Isto incolumitati restituto, oblata est ex Namnetico territorio quædam femina, cujus dextra pars corporis ita omnino debilitabatur, ut nec incedere, vel aliquid utilitatis posset gerere. quæ Domini largissimam miserationem supplici corde implorans, sospitatem adepta, læta regressa est. XLVI.

Advehitur interim equo quidam utroque pede claudus, qui decimum annum sine gressu transigens, undecimum identidem attingebat. Hic cùm ecclesiam sancti Confessoris à longè vidisset, equum quantocius descendit: ac partim pedibus, partim quoque manibus humo repens, prout tali concessum erat cursori, cursim ante sepulcrum veniens, totis viribus Dei omnipotentis interventu sancti viri petebat adjutorium. Denique cùm ab oratione surgere vellet, manuque dextera cancellos apprehendisset, quibus sustentatus levius surgeret; statim Confessoris obtentu erigitur sanus, lætusque de ecclesia egreditur. XLVII.

Dum verò tam præclaris miraculis sancti Confessoris merita mundo panduntur, & largissima Dei bonitas in talibus veneratur, colitur, adoratur, magnificatur; Namnetis civitas ostendit se non esse usquequaque ab omni labe immunem. Mittit quippe ad hujus Sancti limina quemdam virum vinculis devinctum, gravi opere depressum, dæmonio plenum: sed nec ab hujusmodi peste fuganda merita almi Confessoris cessare noverunt. Custodiunt namque miserabilem virum propinqui & noti qui eum adduxerant: velit, nolit, studet parsimoniæ. Legitur super eum exorcismus, fit oratio ad Deum pro illo; facescunt insidiæ inimici, liberatur à diabolico furore; redditur ecclesiæ, sociatur fideli catervæ: refert Deo laudes, agit gratias sancto Confessori, cujus prece se credit liberatum: permanet ibi aliquot diebus, discedit sanus. XLVIII.

Adducuntur postmodum pari modo energumeni nonnulli; quorum nomina vel loca, quæ memoriæ occurrunt, submittere maluimus. Horum namque primus ex Ansionno Pictavensi vico adducitur; secundus ex sancti Martini Vertavensis [a] Monasterio; tertius ex Monasteriolo Verna, Datbertus nomine: quinto ordinis loco duæ viduæ mulieres ex Namnetico adducuntur territorio, quarum una Dominica vocabatur: alterius nomen excidit. Sexto quoque quædam femina ex villa Cavannis. Isti denique multis modis furentes, utpote qui malignis agitabantur spiritibus, atque prope sepulcrum vel limina ecclesiæ excubantes, jejuniis atque abstinentiæ licèt inviti operam dantes; tandem meritis sancti Confessoris Dei pietate respecti, omni infestatione immundorum spirituum expulsa, pristinum sensum recipientes, incolumes ad propria omnes laudantes Deum redierunt. XLIX.

Qualiter etiam infra memoratum terminum Ratinsim quædam mulier amentiam incurrerit; pandendum est. Quadam namque die domum suam egrediens, intus remansit solus filius suus parvulus: cui ne fortè, quemadmodum facilè tali solet accidere ætati, ploratus insurgeret, da- L.

[a] Monasterium Vertavense, vulgo Vertou, diœcesis Namnetensis, conditum à sancto Martino Abbate, cujus Vita extat in Sæculo I. Præpositura nunc est, subjecta S. Jovini Cœnobio Ansionensi, de quo hic.

An. Chr. DCCCXXXVI. Junii VI.

tum est ei, nescio ovum fuerit, an pomum. Eratque in eadem domo vas capiens modium, vel eo amplius, aquâ plenum. quod cùm adiisset puerulus, cecidit intro quod manu tenebat. At ille ingerens se, nescius periculi, plus quàm debuisset, laxante gressu evolvitur in aquam, & moritur. Mater verò post paullulum reversa, puerum sæpius inclamans, hac illacque discurrens, mox ut exanime corpusculum invenit, corruit; & impos mentis effecta, sensu excessit. Sed ad limina hujus Sancti viro suo faciente perducta, pietate Dei meritisque sancti Confessoris recuperationem meruit.

LI. Pictavis denique, populosa civitas, non patitur esse libera, quin se profiteatur habere quod non sit sanitatis. Transmittit quoque & ipsa virum insanum Martinum nomine, impotem mentis effectum; omni sanitate destitutum, dæmone repletum. Sed nec in hunc Dei bonitas tarda fuit. Tertio quippe postquam illuc venit die expleto, sanus effectus est, lætusque rediit glorificans Deum.

LII. Sed & illud memorabor, quemadmodum istuc adductus ex propinquo loco quidam hujus gravissimæ pestis plenus, cùm litteras non didicerit, in basilica sancti Confessoris laudes cecinerit. Dominica namque aderat dies, & signum ad officium primæ diei horæ persolvendum fuerat pulsatum. Tunc ille miser in ecclesiam ductus, cœpit miserabiliter furere: sed paullisper quiescens, cùm hymnus ejusdem horæ caneretur; ita ceteris altiùs ipsum hymnum canere cœpit, acsi ab ineunte ætate litteras vel hymnum didicisset. Necnon & quosdam versus psalmorum similiter cantabat, quasi litteras sciret. Qui verò hæc legerit, propter quod immundus spiritus talia per os ejus protulerit, facilè perpendere poterit. nimirum non ideo cecinit, quòd Dei officium curaret, sed Dei officio intentos impediret: suatim * agens semper bonos impedire, & à veritatis via avertere cupiens.

* Chiffl. satagens

LIII. Advenerat nempe alma dies, in qua annua festivitas beatissimi Confessoris de ejus depositione tertio-decimo Kalendarum Septembrium celebratur, & se ad ejus sollemnitatem populus congregaverat copiosus. Sed ut tanta festivitas gloriosior fieret, adornatur etiam miraculis, quæ breviter annotata subduntur. Dumfrada namque quædam femina in scala delata, antequam ad ecclesiam usque esset advecta, de scala prosiliens, non clauda, sicut priùs erat ex utero materno, sed libero gressu sanctum adiit sepulcrum, fusisque orationibus populo mirante sana rediit domum.

LIV. Anus quædam de Quavasio * Pictavensi vico, debilis manibus multis vivens temporibus, damna manuum eadem die meruit recuperare.

* Chiffl. Cucviaco

LV. Necnon claudus quidam in vicino commanens Monasterii, annorum fere duodecim, ambulandi officium percepit.

LVI. Alius verò claudus ex Andegava regione, suras cruribus à nativitate appositas habens, vixque duobus scamellis quibusdam repens saltibus, eodem fere momento incolumitati redditur, cunctisque stupentibus in tantis sancti Confessoris meritis ab omnibus Deus glorificatur.

LVII. Similiter quidam Botto nomine, de Namnetico advectus ex villa Provingaria, pede contractus utroque, coram omni plebe directus sanus abscessit.

LVIII. Peractis siquidem Missarum sollemniis quædam femina Britanniæ oriunda in partibus, nomine Romeda *, quæ triginta annos sine luce transegerat, non parva exspectante populi multitudine lumen recipere meruit.

* Chiffl. Romedo

LIX. Dicatur insuper, quòd femina quædam sancti Martini allata fuerit, nomine Resta, omni compage membrorum debilitata, atque contractione

nervorum obligata. quæ tamen optatis potita est votis, sana denique An. Chr.
rediit, licèt valde misertima venerit. DCCC

Ad hanc quoque festivitatem Dodolenis femina à nativitate muta, XXXVI. Junii VII.
annorum quippe erat triginta, cùm dominam suam ire conspexisset, in LX.
hujusmodi post eam verba prorupit: Domina, domina, clamans, exspecta me, dixit, tecum enim ibo ad festivitatem domni ac sanctissimi Filiberti. In talibus etenim verbis sermonis officium accipiens ad jam dictam festivitatem lætanter properare satègit, & quomodo loquelam accepisset, omnibus innotuit.

Quid verò in quodam puero istius Sancti meritis factum sit, non LXI.
est silendum. In Marga namque ipsius Sancti villula, femina quædam filium pariens, in hujus mundi lucem sine luce profuderat oculorum. Sed cùm ad hanc festivitatem eum cœpisset deferre, continuò ut domum suam exivit, pueruli oculi aperti sunt, vidensque ad sacra limina delatus est, præbuitque omnibus se contuentibus de tali facto non modicum tripudium.

Non post multos autem dies festivitatis transactæ, quemadmodum ad- LXII.
vecta atque sanata fuerit ex Cenomannico territorio quædam femina Ramildis nomine, cui diuturna ægritudo facultatem rectè ambulandi subtraxerat, manumque debilitaverat, gibbusque prævalidus dorsum ejus occupans infeliciter incurvaverat, ita ut cælum respicere non posset, sed in modum quadrupedis animantis, sicut pedibus, ita quoque in eundo manibus utebatur; narrare gratum babui. Hæc namque Sanctorum loca sæpius frequentaverat, ut sanari meretetur: sed tamen adipisci sanitatem nondum merita fuerat. Admonita est tandem aliquando in somnis, sicut ipsa testata est, ut si sospes vellet fieri, beati Filiberti patrocinia expetere satageret. Evigilans verò illa valde gavisa de tam optato responso, unà cum filio suo Rainario nomine, annorum fere undecim, qui de matre debili debilis processerat, navim conscendit, cursuque veloci, Sarta * fluvio agente, Meduanæ * amnem ingreditur, qui gravio- * la Sarte
re impetu currente Ligeris descendit in alveum, & usque ad optatum * la Mayenne
portum qui Retiatus dicitur, distans à Monasterio octo milliariis, celeriter decucurrit. tum mater cum filio navim relinquens, plaustrum adscendit, & ad desiderata limina se perduci exposcit. Sed cùm à Monasterio non plusquam milliario distaret & dimidio, præfatus filius ejus de plaustro se projiciens, qui utroque pede contractus erat, tramite niti-tur recto incedere, & sine ullius adjutorio cœptum perficit iter. Mater verò hæc cernens plus fit avida salutis, creditque se non esse à Domini misericordia destituendam. Perducta verò ad limina desiderata, ingreditur sancti Confessoris basilicam: fusisque precibus, collocat se sub supradicta scala, atque sopore imminente obdormit. Cumque somnum caperet, visum est ei, quòd sanctus ad se venisset Filibertus, & percutiens gibbum ejus excitasset eam. In hac denique visione expergefacta, cœpit ab ore & naribus ejus sanguis non guttatim tantùm, sed copiosè profluere: quæ nihil aliud inter hæc, nisi, Sancte Filiberte, clamabat, adjuva. Celebrabatur namque tunc vespertinum officium. quo expleto, sciscitatur ab ea, quid sibi esset, vel cur ita basilicam clamoribus repleret. Illa verò hanc se visionem intuitam fuisse, adserens surrexit, non absque magno dolore ab illo in quo jacebat loco directa, & ad venerandum ducitur se pulcrum: omnique adempta deformitate incolumitatem consecuta est. Permansit denique postmodum propter forinsecam Monasterii portam aliquot diebus cum filio suo, nolens locum relinquere, in quo à Domini fuerat misericordia visitata, & precibus sancti Confessoris sanitati restituta.

An. Chr. DCCCXXXVI. Junii vii. His etiam diebus ex Redonico populi maxima veniens multitudo, adduxit ad Sancti limina puellam quamdam, quam uterus matris mutam protulerat. sed ut merita hujus sancti viri declararentur, ac devoto comitantis populi magis magisque exardesceret, inter veniendum soluta

LXIII. est lingua puellæ, & rectè loqui cœpit. Cumque ecclesiam ingressa fuisset, orationem dominicam, quam numquam loquendo dixerat, ordinatim dixit glorificans Deum.

LXIV. Nec taceri debet, quòd ex eodem loco quædam femina, Salatia nomine, contracta fuit advecta, & sanitatem recepit.

LXV. Pandi quoque debet, quia puella quædam officio utriusque manus carens, hujus Sancti meritis recuperationem meruerit.

LXVI. Per idem verò tempus Aldetrudis quædam femina de Constantino adveniens, annos nata triginta, incola loci, qui Duo-gemelli [a] vocitatur, ante sanctum sepulcrum crebris precibus Domini deposcebat auxilium. erat quippe cæca, & à transeuntibus alimoniæ stipendium accipiens, exinde victitabat. Hæc nempe ostiatim excubans, ac die noctuque interventionem hujus Sancti implorans, illuminari meruit, quia pulsare non cessavit. quæ postea atrium ecclesiæ scopis crebriùs emundans, aliquibus diebus ibidem permansit, ac demum gaudens discessit.

LXVII. Sed cur taceam quod plurimis notum esse constat? Quædam namque femina hydropica hujus Sancti quæsivit patrocinia. Sed cùm de vino in quo beati viri baculus dilutus fuerat, bibisset, omni tumore represso sana efficitur.

LXVIII. Expertus est pari modo hanc medicinam quidam puer hydropicus cujusdam viri nobilis filius, qui ex ipso potatus vino, à Patre quoque vocatus, ab eodem liberatus est humore mortifero.

LXIX. Volvitur interea annus, & populi pæne innumeri ad hujus Sancti confluunt festivitatem. Adest copiosus sexus femineus, gaudens de tanto Patrono, dolensque de sui ingressus prohibitione. Celebrantur interim Missarum sollemnia, ostenduntur Dei miracula. Rarbertus quidam nomine, pede claudus utroque, interventu sancti Confessoris coram omni dirigitur populi frequentia, & suis gratulatur pedibus incedere, qui remigio brachiorum duo manibus gerens scamella, illuc advenerat admodum confectus.

LXX. Dominicus perinde quidam nomine, dextro claudicans genu, contractione enodata, plurimo exspectante populo gressum recepit.

LXXI. Est quoque eadem die tertium sancti viri meritis ostensum miraculum, quod silentio haud tegi nequaquam debet. Currentibus namque, sicut dictum est, ad basilicam Confessoris viris & mulieribus, nocte antequam ad Monasterium perventum esset, furata est quædam femina fasciam sociæ suæ: sed nihil inde timoris habens, cum ceteris ecclesiam petivit. Missarum laudibus expletis, duobus etiam supradictis miraculis patratis, reverti parant omnes ad propria. Jungitur quoque ista suo comitatui, ac tentat regredi. quæ cùm ad pontem qui ad Monasterium venientibus super fluvium Bedoniam [b] transitum præbet, pervenisset, retro corruit. Stupentibus qui aderant, surrexit: iterumque incedere volens, retrorsum cecidit. Tunc interrogata à suis domesticis, ne forte aliquod facinus absconditum haberet, unde Deum implacatum contra se faceret; confessa est penes se furtum haberi. At viri magis hinc sollicitii revertuntur, ducentes eam ad Monasterium. Innotescit hoc apud omnes, redduntur ab

[a] Eo in loco Monasterium ædificasse fertur sanctus Martinus Abbas Vertavensis, ut in ipsius Vita dictum est in Sæculo I.

[b] Vulgo *la Boulogne*. quo ex fluvio Ludovicus Augustus permisit Arnulfo Abbati, ut deduceret aquam per viam regiam in Monasterium Deense recens ab ipso extructum, ut superiùs observatum.

omnibus Deo laudes, qui meritis Confessoris almi occulta ita facit esse manifesta. Post hæc illa confessione ex corde data, pænitentiâ acceptâ remeavit ad propria. AN. CHR. DCCCXXXVI. JUNII VII.

Accessu verò feminarum prohibito, figitur crux in signum longiusculè à forinseca Monasterii porta, quousque uterque sexus admitti debeat, causâ scilicet negotii, quia ibidem nundinæ exercentur. in quibus quid quadam die acciderit, dicam. Plebeia namque multitudo orarum ad sacrum venerat sepulcrum, votisque completis reverti cupiebat. Tunc unus è turba tabernam ingressus est, ut sibi vinum emeret. Venumdabatur enim, nisi fallor, illis diebus sextarius vini uno denario. Emtor verò nonnisi dimidium sextarium emere volebat: sed integrum, non dimidium habebat denarium. Convenit autem inter illos, ut venditor integrum acciperet denarium, & daret emtori unum dimidium denarium, & vini dimidium sextarium. Sed qui vendebat, non bene suo intendens negotio, sextarium vini, & dimidium dedit denarium. Emtor namque hæc considerans, noluit innotescere venditori: sed abiens ad prandium, vinum cum suis ebibit. At ille qui damnum patiebatur, in semet reversus, intellexit, se plus vini quàm debuerat, dedisse, insuper & pretium reddidisse. qui parumper exspectans, revertitur idem vir cum ipso dimidio denario, postulans pro eo iterum sibi vinum dari. Tunc ille qui proximo in negotio deceptus fuerat; Bene, ait, tibi jocaris, amice, non enim tuum, sed meum adfers. tulisti quippe meum & vinum & pretium. At ille cœpit cum juramento affirmare non nisi suum detulisse, atque ad ultimum tali se vinculo nullo cogente devinxit: Non placeat, ait, beatissimo Filiberto, si verum est quod in me dicis, ut hinc mecum vinum quod bibi, deferam. Nec mora, vix citius hoc dicere potuit, quàm cum dedecore quod injustè potaverat, coram omnibus rejiceret. potu siquidem vacuatus, dimidium reddidit denarium, & confusus abscessit. Perpendant hinc, qui nomen omnipotentis Dei in vanum assumunt, quid mereantur, cùm sancti Confessoris nomen tanti valuerit. Confessio. LXXII. Sextarius vini uno denario.

Tempore quoque currente, ac populis qui jam hujus Sancti limina visitaverant, iterum ea frequentantibus, aliisque qui nondum illuc venerant, convenientibus, quæ digna memoratu gesta sunt, non videntur sileri. Ex territorio namque Turonensi Theodoricus quidam nomine, genua contractus, ut Dei opem beato Filiberto patrocinante mereretur, ad ejus basilicam in carruca devehitur. qui aliquantisper propter ostium excubans basilicæ, non frustra præstolatus est auxilium. Genibus quidem restauratis, vehiculo contemto, sanus recessit. LXXIII.

Puer etiam quidam seprennis, Ragambertus nomine, lippitudinem oculorum cum nimio perferens dolore, istius Sancti obtentu gavisus est se & dolore caruisse luminum, & clarissimum recepisse visum. LXXIV.

Quidam denique cæcus per idem tempus, Genocher nomine, Britannia oriundus, quemadmodum illuminatus sit, dicam. Cùm enim ejus visus aggravari & quadam crassitudinis albugine obtegi cœpisset, petivit à domino suo, ut sibi liceret sancti Confessoris expetere suffragium: nec tamen impetravit. Detinetur in servitio solito, denegatur ei aditus: cæcatur interim uno oculo. Supplicat iterum crudeli domino, deprecaturque eum humillimè, quatenus sibi licentiam eundi ad jam dicta limina daret: eoque negante, sicut unum, ita quoque oculum amisit alterum, fitque omnino cæcus. Tunc dominus ejus, cùm nil servitii ex eo posset extorquere, (non enim quid gereret, videre poterat) dedit ei licentiam. At ille quoquo modo potuit, exoptata adivit limina. qui Domini misericordiam meritis almi Confessoris diutius præstolans, tertio postquam illuc venit die illuminari meruit, & nihil læsionis habens LXXV.

An. Chr. DCCCXXXVI. Junii VII. oculorum, qui cæcus venerat, videns abscessit.

LXXVI Ex Blesensi protsus confinio quidam vir, mutus pariter & claudus, tantarum fama virtutum longiùs volitante devehitur ad tam eximii Patroni limina, fidei tantam habens constantiam, sicut ipse postea confessus est, ut si ad venerandum deferri mereretur sepulcrum, claudicatione actutum careret, locutionemque reciperet. quod ita rei probavit eventus. Delatus namque illuc cùm fuisset, quia verbis non poterat, Deum corde ac fide implorans, intercessionemque hujus Sancti medullitus flagitans, gressum simul & loquelam recipere meruit.

LXXVII. Quidam namque rusticus quadam in villa quinto-decimo à Monasterio distante milliario commanens, suum perdiderat bovem. quem per diversa requirens loca, & minimè reperiens, candelam fecit, eamque ad Sancti referens sepulcrum accendit, ac questu lacrimabili sanctum cœpit Filibertum deprecari, ut amissum sibi restitueret bovem. Agit hoc diutius, & ut frustratus non discederet, imponit etiam super sepulcrum cuppam argenti fusilem pondo viginti denariorum. Post hæc inde egreditur, & ante forinsecam Monasterii portam invenit bovem quem quærebat erroneum, gerentem in cornibus funem, cum quo subductus fuerat. Tunc Deo gratias agens, sanctoque Confessori supplicans, recepit animal suum, reduxitque ad nota præsepia.

Candela ad bovis mensuram.

LXXVIII. Homuncio quidam ex confinio Namnetici territorii, basilicam sancti viri invisere cupiens, pervenit usque ad ripam Ligeris: navi quoque inventa, quæ flumen transitura erat, petivit à gubernatore, ut sibi transitum præberet. Gubernator verò, quia pauperculus unde naulum daret, non habebat; spretis ejus precibus fune soluto, cùm ultrà tendere certat, jam jamque medium fluminis transmissus esset; subitò obstupefactus, gubernaculo amisso obtorpuit, navisque ita immobilis remige inaniter laborante perstitit, acsi in arida, non in flumine posita videretur. Tunc viri qui in navi erant, in semet reversi, arbitrati sunt se propter adspernationem pauperis talia pati. Quocirca celeriter quasi navi sponte currente, unde digressi fuerant, revertentes, jubent homunculum navim conscendere, atque cursu citissimo suptadictum transeunt fluvium. Assumens autem pauperculum gubernator ipsius navis, ad optatum deduxit locum, & quod sibi propter ipsius pauperis adspernationem accidisset, innotuit. Iste est sanitati redditus, typo quippe laborabat quartano: ille verò orationibus peractis, quem exhaustum gravi adduxerat morbo, sanum reduxit, transque ripam posuit jam dicti fluminis.

LXXIX. Quomodo quidam Marinus nomine, vel quali commercio gressum recepit, celandum non est. Quindecim siquidem annis absque incessu recubans, sextum-decimum perinde adoriebatur. Audiens verò tardiùs quàm oportuerat; vel si audierat, surda, ut dici solet, aure transierat tot Confessoris præclara insignia; cereum jubet fieri, atque ad sanctum sepulcrum deferri mandat. Sed gestator cerei vix dimidium * confecerat milliarium, cùm iste leviùs se sensit habere: paullatimque vigore redeunte, omni debilitate vel contractione explosa, incolumitatem adeptus est. Postea verò Dominum adoratutus, suoque interventori gratias redditurus, ad Monasterium sanus venit, notum faciens, qualiter virtus divina meritis Confessoris almi ei sanitatem attribuerat.

* al. unum

LXXX. Quadam autem die quædam femina in suprà memorata villa Bogino, quæ parvo à Monasterio separatur spatio, ignem domi accendens, suam occupavit flamma ædiculam. quæ cùm nullum virorum haberet adjutorium; ut se adjuvaret, sanctum Filibertum cœpit invocare. Tunc flamma ab ejus convulsa ædicula, vicinas apprehendit arbores, atque in sese, materiei non nocens, reflectitur moribunda, domusque inusta permansit.

mansit. Egit hoc nimirum invocatio nominis tam gloriosissimi viri, & fi- An. Chr. DCCCXXXVI.
des pauperculæ mulieris.

Ex plebeia namque manu vir quidam diuturno ægrotans tempore, jus- Junii xvi.
sit se suo imponi plaustro, & ad hujus Sancti limina devehi. qui cùm LXXXI.
allatus fuisset, & aliquibus diebus in precibus perseveraret, atque ostiatim die noctuque excubaret, nocte quadam cùm se sopori dedisset, vidit sibi quasi sanctum adsistere Filibertum, duos boves aurea habentes cornua sibi porrigentem ac dicentem: Accipe, ô homo, istos boves, & jungens eos ad plaustrum tuum, vade sanus in domum tuam. Cumque intuitus esset visum, post paullulum sopore discusso evigilans, sanum se, sicut multis exoptaverat diebus, invenit, Deoque gratias agens narravit, qualiter visionem cernens sanus effectus fuerat.

Eodem verò tempore contigit à partibus Britanniæ, naves ad jam di- LXXXII.
ctum portum, qui Furce vocatur, negotiandi gratiâ devenisse. Sed inter negotiandum viri tantum unius navis, gubernatore nesciente, partim furando, partim emendo, & hoc cleptim *, ex plumbo beati Confesso- * id est furtim
ris, quod in ipso portu custodiebatur, quodque etiam propter Nortmannos à sæpe dicta insula elatum fuerat, non modicam subripuerunt partem. Negotio quippe expleto, cupiunt reverti: sed vento cessante secundo, detinentur quinque diebus. Sexto denique adveniente die, subsolano leniter flante, funibus solutis parant iter aggredi, navibusque in altum deductis adveniunt, velint, nolint, ad nostræ insulæ portum qui Concha nuncupatur; jactisque anchoris vento quiescente consistunt. Demorantur nihilominus istic novem dies. Dantur verò eis ab insulanis quæ necessaria erant ad comedendum vel bibendum, veluti alienigenis. Non enim ex suo comedere poterant commercio, annonam quippe non attulerant, sed sal tantùm deferebant. Decimo autem die, soleoriente subsolanus pariter consurgit. Nautæ verò gaudentes sublevant cornua antennarum, dantque carbasa vento. Cumque longiùs à terra separati fuissent, subsolano cessante, ab austro africo ad quamdam Britanniæ insulam, cui Basus nomen inditum est, deportantur: ibique, quia prosperum flatum non merentur, diebus septem detinentur, & hoc meritò. Si enim recordati fuissent, quid illi Britanni, qui adhuc beato Filiberto in carne vivente juvencum furati sunt, fuerunt perpessi; numquam eum qui cum Christo modò in cælis, beatum dico Filibertum, regnat, minus posse, vel minoris meriti esse putassent. Et si hoc verecundiæ fuit, vel furti impudentia prohibuit, seu etiam (quod verisimile esse potest) numquam istud miraculum referri audierant, saltem memorari debuerant, qualiter quadam vice aliis Britannis qui nimiæ famis rabescebant inopiâ, oratione sua ac Fratrum suorum ventum redeundi ad propria à Domino impetraverint. Morantur præterea, sicut dictum est, in Baso insula septem diebus. Octavo autem die, flatu surgente secundo, credunt se mari, cumque vento uberiore impellente, cursu celerrimo spumigeros montes sulcante carina, altiùs naves sese extollerent, ostenditur eis non tantum mirabile, quantum terribile signum. Proreta namque qui in prima erat navi, iter subsequentium observans navium, ne in arenas inciderent, cernit repentè equitem adversum se tria gerentem spicula, cum tanto impetu ac tanta potentia equo emisso currere, ut omnes perimendi vel etiam demergendi habere videretur potestatem: quem nullum alium, nisi Sanctum credidit esse Filibertum. Hoc quoque impetu facto, proreta tantùm qui furti erat conscius, intuente, disparuit eques, atque subsolano compresso, circio spirante revertuntur ad litus Basi insulæ, unde discesserant. Nautis verò animo consternatis, & quid agerent nescientibus; (nullus quippe furtum, nisi tantùm qui illud per-

AN. CHR. DCCC XXXVI. JUNII VII pertraverant, sciebat) eadem nocte beatus Filibertus cuidam viro in ipsa insula, qui multo contractus permanebat tempore, apparens in somnis; Surge, ait, ô juvenis, in nomine Domini sanus esto, & vade, dic illis Britannis, quia meum plumbum quod furati sunt, deferre secum non debent: & hoc illis in veritate dixeris, quia quousque reddatur illud, flatum prosperum habere, patriamque adire non poterunt. Dato denique die surgere homo à lectulo festinat, sed veluti inscius ambulandi gressu titubante, baculo tamen suffultus pergit ad ecclesiam ipsius insulæ, & visum quod viderat, Presbytero illic commanenti innotescit. Aufertur omnis scrupuli dubitatio, ut nihil obstet ita credi, præsertim cùm claudus sanus effectus talia referret. Pergit itaque cum Presbytero qui sanus effectus fuerat, ad naves Britannorum: dat Sacerdos eis sermonem prædicationis, intimatur de furto in eorum navibus abscondo. Mora pòst habita scrutantur omnium naves, inveniuntur apud unam quamplures plumbi

Confessio. crustæ: redduntur Presbytero, dant Britones confessionem, agentes facti pænitudinem. Redditur eis ventus, redeunt ad diu optata litora. Presbyter verò ille crustas plumbi in fusiles vertens massas, ab ipsa insula navibus portum nostrum adeuntibus transmittere curavit, & qualiter sancti Confessoris merita in contracto ostensa fuerint, narrari jussit. De Britannis verò ita se res habet. Per idem denique tempus Gertran-

* Cap 19. nus quidam nomine, superiùs memoratæ * atque directæ Hiltrudis germanus nativitate, germanusque debilitate, diutius circa hujus Sancti basilicæ ostia excubans, nihil sospitatis apprehendere quiverat. Cùm autem dies majoris immineret Litaniæ, & se strato collocasset, calore irruente prævalido ita totis cœpit ardere membris, acsi propemodum in frixorio detineretur: transegit quocumque potuit modo noctem taliter cruciatus. sed cùm solis jubar mundum reddidisset cunctis conspicuum, surrexit à lectulo directus, & eadem die, sicuti ecclesiæ mos est, crucis vexilla prosecutus fuit, atque deinceps incolumis permansit.

LXXXIII. Nec ab re fore reor, si referam, qualiter infra sæpe dictum terminum Ratinsim quidam vir commanens, periculum evaserit mortis. Fuerat igitur ab amicis vocatus ad prandium. Cumque grande convivium esset paratum, & diversi deliciarum cibi fuissent allati, non defuit etiam piscium copia. Et quia oceani litus inhabitabant, allata sunt multorum genera piscium, inter quæ offertur lupus marinus. quem cùm avidiùs sumit, utpote piscem, licèt nomine abhorreat, affatim delectabilem; una aristarum quæ ejus eminent dorso, gutturi inhæsit vorantis. qui ob nimium pudorem veluti homo grandævæ ætatis noluit suæ gravitudinis quemquam esse conscium. Surgens denique gutture à mensa vulneratus, suam properat ad domum: quod non dicam alicui, sed nec suæ innotescit conjugi. Transeunt dies quatuor vel quinque, intumescit guttur. Appropinquat septimus, denegatur cibo potuique aditus, sed nec sic cuiquam quid sibi inesset mali, pandit. Octava verò die equum festinus adscendit, & se ad hujus Sancti confert suffragium. Sed quia vesperi ad Monasterium pervenit, hospitatur nocte illa juxta primam Monasterii portam. Cumque signum ad nocturnum sonuisset officium, evigilans ille, fine ullo excreationis strepitu vel tussis impulsu, aristam super suam jacere persensit linguam. quam accipiens, omnibus qui aderant ostendit, & qualiter ejus gutturi hæserat, vel quot diebus ibi fuerat, gratulabundus innotuit. cujus acutissima productio tantum longitudinis habebat, quantum medius medici articulus in virili potest manu prætendi. Concessit proculdubio divina pietas tali in facto suo glorioso militi, quod se per Prophetam facturum esse pollicitus fuerat, ut antequam invocaretur, adforet non deprecanti. His itaque breviter digestis, non quòd

miracula defecerint, finem facimus loquendi; sed quia multiplicia exstant, & beatissimi Filiberti nondum transpositum est corpus. Ideo sequenti adnectenda sunt operi, sive quæ nostris diebus, exceptis suprà scriptis, seu etiam nonnulla, quæ olim sicut ab antiquis, quæ nullo tenentur scripto, referuntur miracula; necnon insuper ea, quæ in ejus transpositione Domini pietas dignabitur, sicut credimus, operari. Supplico præterea omnibus, qui hæc forsitan, non propter stili nitorem, sed propter almi Confessoris amorem lecturi sunt, ut ejus precibus apud piissimi Domini misericordiam peccaminum meorum veniam impetraturi precentur, cujus meritis me novi tertio tertianis & semel quartanis liberatum typis, Domino JESU CHRISTO pro nobis nato atque in carne passo præstante, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat Deus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

LIBER SECUNDUS.

De aliis translationibus & miraculis.

PRÆFATIO AUCTORIS.

QUI virtutum insignia, præclaraque miracula in præcedente libello, quem de beati Filiberti virtutibus, etsi minùs dignè, ut debui, prout tamen tunc temporis poteram, composui, & in sequenti pollicitus fueram ea quæ supererant, seu etiam quæ divina dedisset virtus me scripturum; cogor non tam miracula, (prô dolor!) quàm pæne cunctorum occidentalium Regnorum pandere ærumnosa discrimina Non enim seriem rationis rite conservare poterit oratio, nisi temporum fuerint protelationes relatæ. Neque verò HILDOINO, qui dudum obiit [a], sicut pollicitus fueram; sed cuilibet scire cupienti ista scribuntur. Cùm enim Redemtoris omnium Christi Incarnationis DCCC & tricesimus sextus volveretur annus, paxque Ludovico imperante aliquantula arrideret, atque immensis populorum gaudiis translatio jam dicti Confessoris, sicuti digestum est, celeberrimè ab omnibus honoraretur, veneraretur, glorificaretur; non multo pòst, duobus * scilicet semis annis decursis, præfatus moritur Imperator: patique emenso spatio, Normannorum naves sexag.. * sept.. repentino Ligeris ingrediuntur alveum cursu, Namnetum capiunt civitatem; Episcopum, Clerumque cum maxima populi multitudine in ore gladii trucidant; quod verò restat, captivitati dedunt. Porro successor Regni Ludovici Imperatoris CAROLUS exstiterat, qui aula in regia nutriebatur, quando suprà scripti ejus fratres, suo quisque (LOTHARIUS videlicet & LUDOVICUS, PIPPINO ante patrem mortuo) potiebantur Regno. Sed quia brevitati in talibus studendum est, (non enim idcirco id aggressi sumus, ut gesta potiùs silenda vel deflenda, quàm miracula sancti Confessoris referantur) fit primò inter suprà scriptos discordia fratres, tunc demum inter Regni primores. Deinde insurgunt fratres juniores, Ludovicus & Carolus, in Lotharium seniorem fratrem. conglobantur horribilia bella veluti intestina: cedit victoria lugubris atque miserabilis junioribus fratribus: illorum discordia addit vires extraneis. relinquitur fas, pergitur per nefas; deseritur custodia litorum maris Oceani: cessant bella extrinsecùs, grassantur intrinsecùs; augetur numerus navium, crescit in-

* falsum.

Bella & Normannorum vastationes.

* l. sexaginta septem

[a] Non anno DCCC XLIX, ut legitur in fusiori Gallia Christiana; sed seriùs. De hoc aliàs.

AN. CHR. DCCCXXXVI. JUNII VII. numerabilis numerus Nortmannorum: fiunt passim Christianorum strages, deprædationes, vastationes, incensiones, sicuti, quamdiu sæculum stabit, manifestis patebit indiciis. Capiuntur quascumque adeunt civitates, nemine resistente: capitur Burdegalensium, Petrocorium, Santonum, Lemoviensium, Egolisma, atque Tolosa civitas: Andecavensium, Turonensium perinde, & Aurelianensium civitates pessumdantur.
S. Filiberti corpus delatum Conaldum. Asportantur Sanctorum cineres quàmplurimùm, fit pæne illud quod per Prophetam Dominus minatur: *Ab Aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ*. Fugimus & nos in locum qui Conaldus [a] vocatur,
Hierem. 1. 14. in territorio Andecavensi, super alveum Ligeris, quem Carolus jam dictus Rex gloriosus, propter imminens periculum, antequam Andecavis caperetur, nobis dederat ob causam refugii, corpore beati Filiberti adhuc in Monasterio, quod Deas dicitur, relicto, quamvis à Nortmannis incenso. Non enim adhuc Herbidilica tellus à tanto exspoliari patiebatur patrono, quamdiu pars aliqua ibi commorari poterat Monachorum.

Nortmannorum iterata facinora. Deinde post aliquantulos annos innumerabilis pæne multitudo navium Nortmannorum ingreditur Sequanam fluvium. Nihil enim illis in partibus minus grassatur malum. Invadunt Rotomagensium civitatem, populantur, incendunt: Parisiorum perinde, Belvacensium, atque Meldorum capiunt civitates, necnon Melidunensium devastant castellum: capitur Carnotis: Ebroïcas populantur, atque Bajocas, reliquasque undique secus civitates invadunt. Nullus pæne locus, nullum intactum remanet Monasterium: omnes fugam arripiunt: rarus est qui dicat, State, state, resistite, pugnate pro patria, liberis & gente. Sicque torpentes, atque invicem diffidentes, quod defendere debuerant armis, tributis redimunt, ac Christianorum pessumdatur regnum. Hispanias insuper adeunt, Rhodanum intrant fluvium, Italiam populantur. Dum verò tanta ubique domestica & peregrina desæviunt bella, Incarnationis Christi
anno 857. octingentesimus & quinquagesimus septimus defluxerat annus. Et quia spes aliqua remeandi ad propria, quæ tamen cassa probatur adhuc esse, nobis inerat, cùm hùc atque illuc diversis hospitaremur fugitando in locis, corpus beati, sicut dictum est, Filiberti in proprio derelictum erat solo: quia malis ubique grassantibus, nullum certum obtinere poteramus securitatis locum. Sed cùm nullum alicubi vel aliunde præberetur refugium, non ferentes quin nobiscum quaquaversum circumferretur sanctissimum corpus, de ipsis prope Nortmannorum manibus rapi-
* id est furtim tur potiùs cleptim *, quàm transfertur festivis cum laudibus, atque in memorato, qui Conaldus dicitur, collocatur loco; ita tamen ut cùm necessitas incumberet, transferri aliorsum potuisset. quod factum esse constat anno dominicæ Incarnationis octingentesimo sexagesimo se-
anno 862. alia translatio * Messay cundo; quando de Conaldo motum, ad Messiacum * suam est villam translatum. Ubi quanta gloriosis ejus meritis miracula claruerunt; cùm ea quæ in fine præcedentis libelli superesse diximus, scripta fuerint, subsequenter adnotata clarescent. Sed quia nec persecutio cessat paganorum, nec volubilitas stare novit temporis, mihique momentaneis minuuntur soles decursibus; jam tempus resque exigit, ut pandantur.

TEXTUS SEQUENTIS LIBELLI.

CAPUT I. Miracula tum facta. CUM verò de Hero Oceani insula ad Ampennum villam, indeque per Varinnas, ad locum qui Palus dicitur, ventum esset, atque hinc

[a] Vulgo *Cunaud*. Carolus Calvus Viviano Comiti dat *Monasteriolum, quod vocatur Conaldus, ubi sanctus Maxentiolus corpore requiescit*: idemque Vivianus Comes tradit Hilboldo Abbati. Utriusque litteræ habentur in Chiffletii Probationibus pag. 200. & seq. Hactenus ibi est Prioratus à Trenorchiensi Abbatia pendens.

Deas Monasterium cum sancto fuissemus, sicuti relatum est, pignore ingressi; tanta utriusque sexus adfuit populi multitudo, ut innumerabilis esse penitus censeretur. Interfuit etiam illic quædam ejusdem Sancti famula ex Celensi villula, habens secum filium oris officio damnatum, suo mutum ex utero profusum. Sed cùm, uti fieri in tanta populi densitate solet, inter matrem filiumque aliquanti interpositi essent, puerque matrem cœpisset non videre; clara eam voce cœpit proprio inclamare nomine. Mater verò nomen agnoscens, cujus vocem audiret ignorans, revertitur, puerumque loquentem inveniens, stupefacta miratur. sicque ad laudem sancti Confessoris mutus loquitur, mater gratulatur, populus lætatur, Deus, cujus est quidquid boni est, ab omnibus glorificatur. An. Chr. DCCCXXXVI. Junii vij.

Qualiter quidam ex plebeia multitudine sospitatem adipisci meruerit, inserendum videtur. Venerat quadam die ad limina Confessoris almi non parvus populi cuneus, votisque completis regrediebatur, obviamque habuit, quæ adoratum veniebat, turbam hominum plurimam: inter quos unus validissima laborabat febri depressus. Tunc unus revertentium dixit se particulam habere scalæ superiùs dictæ; adfirmans, quòd si tingeretur vino, & inde fiducialiter nihil hæsitans hauriret, statim sanari mereretur. Credidit ille sibi talia dicenti: ligni particula vino tingitur, vinum ebibitur, febris fugatur, sospitas consequitur, lætus sanusque ad sancti Confessoris limina graditur, lætiorque domum revertitur. II.

Delatus est etiam quidam puerulus mutus, ut meritis almi locutionem accipere possit Confessoris: divinaque solatiante clementia recepit, post aliquantum verò temporis amisit; iterumque advectus recipit, retinet, loquitur, gratulansque recedit. III.

Non multo temporis cursu emenso adducitur quidam vir horribili peste contritus, dæmonicaque glomeratione invasus. Is cùm propter sancti fuisset adductus viri sepulcrum, diversis cœpit insanire modis. qui inter diversos corporis motus, protensis sursum brachiis, tanta in circuitu ferebatur volubilitate, voces emittens truculentas, ut nullus dubitare posset, quin ab immundis discruciaretur spiritibus. sed non diu in eum pestis, precibus sancti interpositis Confessoris, prævalere potuit. Expulsa quippe citius infestatione dæmoniaca, sanitati redditus, cum gratiarum actione sospes domum reversus est ad propriam. IV.

Vir quidam pedis officio, orisque ratione carens, venit die quadam ad Lucionnum vicum nostrum, in quo reliquiæ beatissimæ virginis MARIÆ nimis præcipuæ habebantur. Insistit orationibus, dirigitur lætus, exsiliensque incedit. Deprimitur nocte sopore, multo quàm solitus erat graviore: admonetur in somnis, ut qui jam directus erat, si loqui vellet, sancti peteret limina Filiberti. Nec mora, venit directus atque mutus, stat illic duobus vel tribus diebus; solvitur lingua, innotescit qualiter primò directus, ac postmodum loqui meruisset; permanet nobiscum aliquot dies, recedit sanus. V.

Tantorum taliumque miraculorum celebritate longè lateque pervolante, Bituricas quam dicunt, civitas admirata stupescit. mittit denique & ipsa ad sancti Confessoris patrocinia, virum nobilissimum, dignitate sæculi pollentem, sed tamen febri vexatum quartana, qui tali, anno & medio, laborabat bili. Cumque ante sepulcrum aliquamdiu orationi incubuisset, surrexit, seque sitire dixit: bibensque vinum quo baculus fuerat sancti Confessoris ablutus, solo tapetibus projectis dormivit pauxillum. Cùm verò somno sederet discusso, tantam χολικῶν evomuit abundantiam, ut confestim (sicut revera erat, sanum se fateretur esse: talique modo sospes effectus, muneribus collocatis, gaudens remeat ad propria. VI.

An. Chr. DCCCXXXVI. Junii VII. Deprimebatur quoque vir quidam valde nobilis longiusculè à nobis positus, gravitudine valida; admonitusque est in somnis, ut sancti peteret Filiberti suffragia. Sed cùm paullulum aliquid sanitatis sensisset,
VII. obliviscitur illuc ire; iterumque infirmatur, iterumque illuc ite admonetur. Venit tandem, velit, nolit, ad limina sancta: innotescit passionem, propalat visum; redditur sanitati, regreditur sospes. Nolo quemquam mirari, si paria referuntur paribus miracula verbis; quia nec stili adeo esse potest dissimilitudo, ubi miraculorum constat fore similitudo.

VIII. Miracula ex relatione veterũ. Jam verò quia quæ recordari potuimus, (multa quippe per septem & viginti annos a à memoria recesserunt) retulimus; restat ut illa quæ veterum relatione in Hero insula gesta fuisse didicimus, innotescant. Fertur quòd quadam die ingressus est Monachus quidam ecclesiæ custos basilicam, in qua beati Filiberti corpus tumulatum quiescebat: respiciensque ad lectuli caput, ubi semper non modò noctu, sed etiam interdiu
Lampades ad tumulum Sancti. tres solitæ erant ardere lampades, vidit eas exstinctas. subitò candelam arripiens, cùm concitus in alteram vellet ire ecclesiam, ut lumen sibi inde mutuaret; medio itinere in ejus manu accenditur candela: citiusque revertens lampades accendit: talique facto admonitus, cavit deinceps, ne absque debitis basilica luminaribus aliquando foret.

IX. Britannorũ incursio. Dicitur etiam vera relatione, quòd Britannorum classis numerosior ad nostræ insulæ portum, qui Conca dicitur, venerit causâ prædationis. cumque armati de navibus prosilivissent, tanta inter se mutua cæde bacchati sunt, ut nullus præter unum evaderet, qui hæc insulanis nunciaret: sicque Christi miseratione ac sancti meritis Confessoris, qui prædari atque devastare ceteros cupiebant, invicem dimicantes perierunt.

X. & Saracenorum. Narratur insuper, quòd navis Saracenorum, cujus tanta æstimabatur magnitudo, ut mutus pæne ab intuentibus putaretur; ad Oiam * venerit insulam. quæ cùm in ea quidquid voluisset, explesset, voluit devenire ad nostræ insulæ portum: & cùm jam medium esset iter emensum, tanta avium multitudo in nostro consedit litore, quanta numquam (ut fertur) alicubi visa fuit aliquando. quas Saraceni intuentes, nihil aliud quàm innumerabilem crediderunt esse bellatorum exercitum: talique territi visione retrorsum abeuntes, non ausi sunt nostram adire insulam. Hæc tria quæ relatione veterum miracula didicimus, hunc habeant in nostro opere locum.

* l'Isle d'Oye

XI. Alia recentiora. Nec inconveniens esse reor, si narrem, qualiter duobus antequam ab Hero insula sanctissimum transferretur corpus annis, à nostratibus contra Nortmannos in ipsa pugnatum est insula: vel quomodo cuidam in Corbeia Monasterio per visum revelatum esse dignoscitur. Accidit ut quidam ex nostris illuc pergeret Monachus. Cumque sancti Filiberti festivitatem, quæ decimo-tertio Calendarum Septembrium celebratur die, nocte eadem celebriret coluissent Monachi, mane jam facto venit ejusdem Monasterii Monachus ad illum, qui nostra de parte illuc venerat, Monachum, illique ait: Volo unanimis scire te, Frater, quia hac fui in vestra insula per visionem nocte. Tunc demum retulit illi situm insulæ, Monasterii positionem, sicut ei per somnum ostensum fuerat, & sicut re vera sese res habebat. addiditque: Et ut verè scias, quia vera sunt quæ dico; vidi hac nocte nuntium de portu advenisse maris, qui novem Nortmannorum adesse nuntiaret naves. Tunc sanctus Filibertus de proprio consurgens tumulo, sicut mihi videbatur, vestibus indutus candidissimis, aureum ferens dextera evaginatum manu mucronem, multi-
Nortmanni in Herio divinitus cæsi. tudine dealbatorum subsequente, exiit per occidentalem Monasterii

a Hinc patet, ea scripta esse anno DCCCLXIII, post annos XXVII à motione facta Conaldum ex Herio insula anno DCCCXXXVI.

que castelli portam, & cùm ad portum qui Concha dicitur, quantocius properaret; invenit multitudinem Nortmannorum, qui armati ad Monasterium festinique pergebant. Nec mora sub unius horæ curriculo, omnes sanctus perimit Filibertus, ac deinde Monasterium revertitur, atque in suo se collocat tumulo. Et mihi indubitanter crede, quia hodie in vestra insula contra Nortmannos pugna peracta, victoriaque est à vestris consecuta. quod ita contigit evenisse. Ipsa denique festivitatis ejus die, de novem navibus, horâ etiam nonâ pugna inchoatur, quæ vespere finitur, in qua quadringenti octoginta & quatuor ceciderunt Nortmanni, uno tantùm ex nostris corruente, equis quamplùribus interfectis, equitibus nonnullis vulneratis. Hæc ita esse, qui interfuit, narratum iti censuit. An. Chr. DCCCXXXVI. Junii XII.

Ab hinc quæ in Mesciaco seu in itinere, cùm illuc iretur, ostensa sunt miracula, ordinatim breviterque adnotata subsequantur. Gratum tamen esse credo, si primitus cur illuc corpus almi Confessoris translatum fuerit, dicatur. Nortmannorum siquidem quatuor continuis annis in Ligere fluvio hiemantium, subitaneos non valentes sustinere occursus, prædictus Pater noster HILBODUS Abbas Regem adiit CAROLUM, atque ab eo partem aliquarum in pago Pictavo meruit obtinere villarum [a]; in Matronis videlicet, atque Mesciaco, in Apciaco, & Estivali, in Crusaco, & Maximiaco ac Prisciaco partem, necnon & villam quam Asinarias vocant, in territorio Briossensi [b] super Vultonnam fluvium, cum omni integritate accipiens. Has utique villas filii Belial Regi non pleniter obtemperantes, Monachorum gregem odio gratis habentes invaserant. sed cùm diu multumque in illis adquirendis laboratum, nihilque esset adquisitum; tandem munetibus non paucis datis, vix eas de invasorum manibus recipere potuimus, Maximiaco atque Asinarias villis sibi injustè ad tempus retentis. Tunc visum est & propter paganorum infestationem, & Christianorum persecutionem, ut illuc sanctum deferretur corpus, quò saltem ob illius reverentiam mitiùs à perversis ageretur hominibus. Hac igitur necessitate urgente, ipso Kalendarum Maiarum die, de Conaldo egredientes, cum sacro pignore & laudibus, ac populi plurima multitudine, venimus ad Fabricas, ipsius Sancti villam: in qua vigiliis, ac debitis obsequiis cùm nox decursa esset, solisque ortus advenisset, cum immensis laudibus exitur inde, atque ad Taisacum tenditur. Cùmque ad Toarum * flumen ventum, pausatumque esset; advecta est in quodam gestatorio quædam femina, debilitate membrorum contracta, quæ interventione sancti Confessoris, & Christi miseratione citiùs dirigitur, atque cum ceteris cœptum iter insequitur. XII. Translatio in Mesciacum occasio. Miracula tum facta. * Toua

Oblatus est etiam in ipso itinere puer duodennis, nomine Madalbertus, qui in eundo genibus utebatur pro pedibus: in quo divina non fuit tarda pietas. Subitò quippe poplitibus directis erigitur, atque subsequentium ad laudem sancti Confessoris comes efficitur. XIII.

Cùm verò in Taisacum intraretur villam, puer quidam Guntrannus nomine, similiter contractus, sed non dissimiliter directus, gressum recepit, ac turbæ subsequentis numerum auget. XIV.

Inde ad Mesciacum venientes, inter Missarum sollemnia quatuor sunt ostensa miracula: Duo quippe lumen, ac duo gressum recipere meruerunt. Virtus divina in talibus admiratur, & merita almi Confessoris ab omnibus venerantur. Tantus verò illic creditur utriusque sexus populus XV.

[a] Hujus donationis diploma refert Chiffletius in Probationibus Historiæ Tornusiensis pag. 207, datum XIIII. Kal. Februarii, regni anno XIIII, Aurelianis civitate.

[b] *Brieu* ad Vultonnam Fluviolum, qui aliis Vulturnus, si non fallor, vulgò *Boutonne*, in Carentonam influens. Certè villa Asinariæ in pago Santonico statuitur in Privilegio Johannis Papæ VIII. apud Chiffletium, pag. 256.

An. Chr. adfuisse, ut decem millia hominum esse putarentur.

DCCC XXXVI. Jonis VII. Cùm verò tanti viri has in partes adventus, ac miraculorum longè lateque rumor personuisset; diversorum accolas locorum ad hujus San-

XVI. cti limina properare compellit: scilicet ut & pro se ejus gloriosa merita flagitent, vel si quos habent corporis incommoditate gravatos, incolumitati restitui ejus intercessione mereantur.

XVII. Adductus est in carruca vir quidam Mainframnus nomine ad hujus Sancti limina, pedum carens officio, manumque habens aridam. Is cùm aliquamdiu orationibus incubuisset, quo advectus fuerat spreto, sanus lætusque recessit.

XVIII. Venerat etiam quædam femina de Lemovicensi territorio, ab infantia dæmonum patiens incursus, quæ per multa Sanctorum loca, ut sanari mereretur, deducta, sed tamen adhuc liberari non merita fuerat. Hæc cùm ibi aliquibus excubuisset diebus, dæmonum rabie depulsa, sanitati est ex integro restituta.

XIX. Quædam femina, cui nomen erat Gisla, longo tempore membris omnibus dissoluta, plaustro illuc perducta est: permanensque inibi aliquot dies in orationibus, nihil sanitatis adquirens revertitur. Cùm autem ad propria remeasset, vidit in somnis sanctum Filibertum se admonentem, ut si vellet sanari, iterum illuc oratum veniret. Venit festinanter, innotescit somnium, imcumbit orationibus, recedit sana.

XX. Puer quidam Gulframnus nomine, ex pago Biturico ad hujus Sancti limina à parentibus adducitur, decem ferè annorum, cujus nullum umquam lingua sermonem protulerat. parentum verò precibus interpositis, accipit puer loquelam, ac loquens gaudensque discedit.

XXI. Anus quædam ex villa Boionno, sancti Hilarii femina, Godulctudis nomine, manum habens aridam, sanitatem accipiens revertitur.

XXII. Femina quoque Berta nomine, ex Villa-nova veniens illuc, quæ per annum integrum lumen amiserat, recipere meruit. Si verò omnium quæ in Mesciaco gesta sunt, & frequenter fiunt miracula, claudorum, debilium, cæcorum, aridorum, febricitantium, adnotare voluero, antè me dies, quàm miracula deficient.

Sed jam claudatur noster hoc fine libellus,
Plurima cùm restent, quæ memoranda forent.

Ex Chronico FALCONIS *Monachi Trenorchiensis.*

1. PER idem tempus AXENIUS Abba diem clausit extremum, & ERMENTARIUS ejus successit in locum. quo post annos quinque defuncto, BERNO efficitur Abba. Herus autem insula, licèt à perfidis post discessum beati Filiberti igne fuerit concremata; non tamen usquequaque à quantocumque cœtu habitari desiit Monachorum: sed prænominatis ibidem Patribus competenti successione subrogatis, futurum, cassum tamen, restaurationis præstolantur eventum. quocirca sollerter loci sui profectibus assiduè invigilabant. Præfato denique Abbate loco commissoque gregi pro viribus utilia procurante, GEILONIS cujusdam Comitis filius, patris sui vocabulo nuncupatus, eidem [a] sub regulari norma sese Deo serviturum commisit: qui pernecessariis admodum multisque prædictum locum honoribus amplificavit. Hic itaque post annos aliquot, quo dignus erat Abbatis officio sublimatus, pio super exsulantium Fratrum inquietudine cœpit sollicitari molimine. Cernens quippe malis assiduè passimque grassantibus, Hero insulæ omnem restau-

[a] Hinc colligit Chiffletius, Geilonem, non Flaviniacensis Cœnobii, ut putavit Hugo Abbas Flaviniacensis in Chronico; sed Heriensis Congregationis Monachum à tirocinio fuisse.

rationis

rationis aditum penitus denegari, nititur vigilanter operam dare quieti. An. Chr. DCCCXXXVI.

2. Quocirca suprà nominatum Regem, Carolum videlicet, rogaturus expetiit, quatenus beato Filiberto adhuc in terra corpore peregrinanti, sibique adhærentibus locum præbere refugii dignaretur. Cujus petitioni Rex libenter annuens, tribuit quod poposcit, Abbatiolam scilicet sancti Porciani [a]: quod donum idem Pater Geilo postmodum per ADALGARIUM, Æduorum Antistitem venerabilem, JOHANNIS Papæ fecit auctoritate firmari. Adepta igitur ex integro, & auctoritate regali præmunita concessione, sæpe dictus Abba sacra jussit de territorio Pictavensi pignora removeri, & ad locum tendere superiùs nominatom. Imponunt igitur sacra vectigalia bigis præcedentibus, quorum erat officii congruum venturæ mansionis habitaculum prævidere, & tentoria figere, prout singularum ordo competens officinarum exsequi præmonstrabat. Et ut evidenter huic negotio Christi præsentia non deesse monstraretur, conferebatur optata subinde salus ægrotis. Unde factum est, ut crebro miraculorum beneficio fama hujus rei se longiùs diffundente, fieret ingens utriusque sexus concurrentium, simulque pergentium multitudo, rerumque venalium non minùs, quàm in populoso foro, ibidem copia redundaret. Taliter quippe servorum suorum ditabat inopiam, ut nihil deesset timentibus eum. Idem quippe qui quondam Israeliticæ plebis animos per columnam ignis confortabat & nubis, huic pompæ adhærentibus pro voto gaudia conferebat. Peracto itaque itinere, tandem perveniunt ad sanctum Porcianum, & velut fluctuantis maris turbine superato, litora tuta capessunt. Parti verò sociorum illius devotissimi comitatus in vicini tellure ruris ad habitandum est collata possessio: qui vicus in brevi constructis multiplicatisque domibus, ab eventu hodieque Britannia vocitatur.

Junii VIII.

S. Porciani Abbatia Geiloni data.

eò delatum corpus S. Filiberti.

3. Inde potita quiete venerabilis GEILO liberiùs Regum, diversorumque Principum ac Episcoporum cœpit conventibus interesse, eorumque sui causas infortunii manifestando captare benevolentiam. Hic dum diversas perlustrando provincias circuiens, Trenorchium devenisset ad oppidum; cernens locum multiplici rerum ubertate gratissimum, diligentiori studio magnum incrementi sumere posse provectum, ac permodicam cellam raro Monachorum agmine ibidem possideri; sciscitatur ab ipsis, & ab incolis provinciæ qualitatem, quanam libertate gauderent, quove servitio premerentur. Cumque didicisset ab ipsis locum quieta prorsus libertate foveri, nullisque subditum, nisi regiæ ditioni; sciscitatur iterum, exposito suæ modo peregrinationis, utrum sub eadem libertate talium frui vellent contubernio. Quibus gratanter hæc ita se velle respondentibus, ille maturato negotio, Carolum sæpedictum Regem adiit Francorum: à quo solita clementia locum superiùs nominatum, Trenorchium scilicet, cum suis appendiciis beato Filiberto dari poposcit, & impetravit. Quid moror in multis? redit, & sacra pignora secum tollens, cum regalibus traditionum munimentis, pridie Idus Maii [b] sæpe fatum venit ad Trenorchium, sanctumque illud ibidem patrocinium devotione debita collocavit: qui dies non immeritò annuatim festivè, summoque cum gaudio celebratur. Ubi etiam suæ peregrinationis omnino finem imposuit, quod dominicæ Incarnationis anno octingentesimo septuagesimo quinto factum esse dignoscitur.

Trenorchium obtinet à Carolo.

b eò adducit S. Filiberti corpus.

mortuus anno 885.

4. Horum autem divinæ prærogationis munerum nomina dicere, non multùm necessarium, sed nec penitus facile reor. Quis enim præter Redemtoris nostri, quibus ab ipsa, ut ita dicam, nativitate, juventute, ipso

cum aliis reliquiis.

a Nunc Prioratus diœcesis Claromontensis in Limania, Benedictinæ sancti Mauri Congregationi subjectus.

b Et quidem anno DCCCLXXV. ut patet ex diplomate superiùs citato in prævia Observatione 4.

AN. CHR. DCCC XXXVI. JUNII VII.

etiam tempore passionis usus est, vestimenta, vel quæ ipsa sacratissima Genitrix ejusdem, vel sibi coaptavit, vel filio; ipsasque geminas, quibus soli Deo nota, nobis incognita sacra continentur, pyxides; ipsumque quo idem Redemtor in passione passus est vinciri, ligamen: ipsum etiam salutiferæ Crucis lignum; idemque denique vas primo Salvatoris miraculo consecratum; illud quoque sanctissimi corpus Filiberti; quis, inquam, his præmissis, innumerabilium Sanctorum, quorum eo die ibidem sunt allatæ reliquiæ, minutias dinumerare, vel nominare valebit? Cur sanctum Vitalem, Basilium, aliosque nonnullos? quorum tametsi gloriosa penes nos corpora retinentur; vereor tamen nominatim huic eos inserere opusculo, ne apud tardiores temere videar infitiari, &c.

5. Prædictus igitur Abba Geilo suæ per omnia memor industriæ, postquam labore solutus, grato tutoque resedit in loco, cœpit diligenter eidem loco felices liberalitatis & incrementi successus prospicere: qui in quantum usque prosperis potitus fuerit, apostolica privilegia, præcepta regalia, diversarum provinciarum produnt dona, Principum vel statuta, sicut penes nos scripto retinentur.

Geilo Episcopus Lingonensis.

6. Contigit iisdem temporibus hunc virum acclamante Clero cum illius provinciæ proceribus, Lingonicæ civitatis cathedrâ promoveri. qua simul & Abbatiæ [a] suæ fultus ministerio, decenter utrisque commoda procurabat. Quadam verò die dum ex more, suarum causis diocesеоs ita poscentibus, de loco proficisceretur ad locum; accidit, ut apud Cœnobium Corbiniacense [b] officiosissimè ab ejusdem loci Fratribus ei hospitium præberetur. quem cùm satis opulenter procuravissent, petitoria cum suggestione pulsare cœperunt, dicentes, raris admodum locum suum Sanctorum patrociniis adornatum. Quapropter, inquiunt, vestram sublimitatem ex his quibus à Deo vobis concessa felix Gallia collætatur, nobis largiri caritas ipsa, qua in Christo unum esse debemus, compellat. Cessit tandem Episcopus, diemque constituit, qua id recepturi Trenorchium advenirent. Veniunt, & voti sui compotes effecti, læti ad propria revertuntur. Præclarissimorum siquidem duorum Confessorum in loco uno posita secum corpora deferentes, VETERINI scilicet, atque LEONARDI, ingentia sibi gaudia cumularunt.

Corbiniacensibus dat reliquias.

7. Per idem tempus CAROLUS Rex Aquitanorum migravit, filius Ludovici Pii, cujus pater fuit Carolus ille Magnus, filius Pipini: & Regnum adeptus est filius ejus Ludovicus. quo regnante JOHANNES Papa venit in Galliam, & coadunatis Galliarum Episcopis, Trecis Concilium celebravit. Huic Concilio interfuit prædictus Rex Ludovicus, cujus ob deprecationem idem Papa Johannes, sicut priùs rogante hujus patre Regis Carolo, magnam Trenorchiensi ecclesiæ contulit libertatem, cunctis Regum, ceterorumque Principum, quæcumque eidem loco fuerant concessa donaria, confirmatis. Præfato autem Rege infra triennium defuncto, regnoque à duobus filiis, LUDOVICO scilicet & CARLEMANNO, diviso, venerabili quoque Geilone præsenti vitæ subtracto, GALTERIUS efficitur Abbas. Eo etiam his quaternis annis exactis facto de medio, BLITGARIUS ejus successit in loco, qui à Bosonis filio Ludovico, Duseram [c], quam antè ob refugium jam beato dederat Filiberto,

Concilium Trecense.

Abbatum successio.

[a] Id falsum esse probat Chiffletius, contendens in Historiæ Trenorchiensis cap. 23, Blitgarium, mox ut Geilo creatus Episcopus est, Abbatem electum fuisse anno DCCCLXXX.

[b] De Corbiniacensi Monasterio dicetur infrà in Elogio B. Egilis Archiepiscopi Senonensis.

[c] Hæc est Dusera Abbatia in Provincia sita, quam sanctus Lantbertus tum Abbas Fontanellensis, postea Lugdunensis Antistes, Theodorico Rege locum concedente, erexit, teste Aigradò Monacho in Vita S. Ansberti Rotomagensis Archiepiscopi. Monasterium postea destructum Nefridio Abbati instaurandum concessit Carolus Magnus: Abbati verò, nomine DEXTRO, Privilegium concessit Ludovicus ejus filius, qui item Hildigiso Duserensi Abbati villam Masleces vindicat. Hæc aliaque instrumenta refert Petrus Franciscus Chiffletius, à quo hujus loci notitiam accepi. Abbatia hæc numeratur inter Monasteria, quæ nec dona, nec militiam Regi debebant. nunc Prioratus à Trenorchio pendens, diœcesis Vivariensis, ad Rhodani sinistram, vulgo Dusere.

An. Chr. DCCC XXXVI. Junii VII.

ex toto sibi dari impetravit, aliaque perplura ab eodem liberalitatis obtinuit, & donationis præcepta. Quo post decennium defuncto, Erveus statim Pastoris sumto officio, sollicitudinis suæ non segnis ostendit affectum. Ab Armanno siquidem, filio Armanni Vicecomitis, magna ecclesiæ suæ in Comitatu Vellaico prædia conquisivit, cum ecclesia sancti Georgii in Verulæ præastio [a] civitatis; cumque multis aliis in eodem pago consistentibus prædiis. Erveo itaque defuncto Guicherannus ad regendum suscepit Abbatiam; qui strenuè primo sui regiminis anno incumbente famis miseria, totam pæne vastantis Burgundiam, sufficiens suis, multisque indigentibus præbuit alimentum, &c.

ADDITAMENTUM.

Ex ms. codice Gemeticensi.

1. Tria quæ sequuntur beati Filiberti miracula, Bernardi [b] de sancto Romano venerabilis viri, tum Prioris Landunensis, postea Trenorchiensis Abbatis, narratione & scripto didicimus. Est civitas famosissima, quæ ab antiquis Annicium, à modernis verò Podium beatæ Mariæ nuncupatur. (Fortum vindicatû.) In hujus diœcesi civitatis juxta Ligerim fluvium exstat quidam Prioratus Trenorchiensis, fundatus in honore sanctæ Dei Genitricis & beati Filiberti, Godetum [c] nomine, quod multa opida sibi respicit adjacentia, inter quæ est opidum quod Fara appellatur: cujus domini soliti sunt semper vivere de rapina. Quadam autem die dominus Faræ opidi, militibus suis congregatis, hostes suos aggressurus, & eadem die reversurus, servientem suum sic interpellavit: Præpara, inquit, nobis refectionem, ut cùm reversi fuerimus, statim comedamus. Et ille ad dominum suum: Unde, ait, hoc faciam, cùm nulla nobis remanserint alimenta? Ad quem dominus: Est, inquit, vacca pinguissima cujusdam vetulæ, manentis sub jurisdictione Prioris de Godeto, in vico, qui dicitur Floriacus. Hanc tu citissimè raptam nobis præpara, ut cùm ab hac expeditione redierimus, continuò comedamus. Hoc igitur accepto mandato serviens ille cum sui similibus ad rapinam egreditur, vaccam rapit, raptam mactat, & carnes ejus ignibus supponit. Vetula verò illa pro vacca sibi per manus raptorum subtracta, inopinabili mota dolore, Godetum fletu continuo accedens, ecclesiam beati Filiberti intravit; & ante Crucifixum se prosternens, quasi cum homine vivente loqueretur, vocibus querulis hæc verba dolentis effudit: O sancte Filiberte, redde mihi vaccam meam, &c. Factum est autem quòd dominus rediens ab expeditione sua, valde cibos appeteret: & cùm de carnibus illis sibi præsentatis primus gustaret, multis aliis circa se discumbentibus, primo morsello catnis, divinæ ultionis animadversione, strangulatus exspiravit, &c.

2. In Podiensi diœcesi contigit, quòd cùm quidam Sacerdos parrochianis suis indiceret instans festum beati Filiberti sollemniter & sum- (Festi violator punitus.)

[a] Id est in suburbio Anicii seu Podii apud Vellavos. nam προάστειον Græcis est suburbium: & Vetula civitas est Anicium seu Podium, ut probatum inferiùs ad libellum de miraculis S. Bernardi Archiepiscopi Viennensis.

[b] Omissus est à Chiffletio Bernardus iste in catalogo Abbatum Trenorciensium. Vixit tempore Guillelmi Comitis Matisconensis & Viennensis, de quo infrà. Bernardus iste fuerat Prior Cellæ beatæ Mariæ Landuni, vulgo Laudun, in diœcesi Pictavensi, nunc Collegii Soc. Jesu Pictavensis.

[c] Desiderius Caroli Calvi vassallus locum hunc Gelloni Abbati ejusque Monachis tribuit, confirmante Carolo Rege Viennæ VIII Kal. Decembris anno XXVIII regni sui, uti legitur in diplomate apud Chiffletium relato pag. 209. Eo in loco hactenus est Prioratus. Godet vulgo antiquis appellatus, modernis Gaudet, supra Anicium ad Ligerim.

AN. CHR. DCCCXXXVI. JUNII VII.

ma devotione, sicut festum Apostoli, celebrandum; quidam rusticus & præpotens aliis in sermone dixit, quòd pro festo sancti Filiberti non dimitteret in eodem festo garbas suas domi adducere. Factum est enim, quòd cùm illa die rusticus ille ad garbas suas adferendas tria plaustra præsumtuosè misisset; & cùm illa tria plaustra, quorum unicuique sex boves suppositi erant, & juga portabant, garbis ad cumulum essent onerata, & præ difficultate montium unicuique plaustrorum regendorum tres famuli adhiberentur; cùm jam aër esset serenissimus, quidam turbo subitò emergens ita plaustra onerata arripuit & dispersit, quòd numquam postea boves nec plaustra comparuerint, præterquam duo boves & duæ rotæ plaustrorum, qui inventi sunt ultra pontem maximum, qui dicitur Palus.

Girardus Comes ob portum constructũ vapulat.

3. Apud quemdam vicum, qui ad Trenorciensem Abbatiam pertinere dinoscitur, videlicet Lovincum nomine, habet Abbatia Trenorciensis portum, qui maximum ei confert emolumentum. Dat enim ei singulis annis sal, quod laudabili consuetudine pauperibus ibi confluentibus dari oportet in principio Quadragesimæ. GIRARDUS [a] siquidem Comes Viennensis & Matisconensis, tactus invidiâ, super portum Lovincensem, alium portum instituit, scilicet portum de Bronayco, qui redditus Trenorciensis ecclesiæ de portu Lovincensi provenientes ferè omnino abstulit. Abbas verò Trenorciensis cum suis Monachis Girardum Comitem multoties oravit & citavit, ut Abbatiæ Trenorciensi tantum damnum non irrogaret. sed Comes precibus Abbatis noluit adsentire. Post multum verò temporis cùm idem Comes cum multo comitatu Trenorcium veniret, ecclesiam beati Filiberti intravit orandi gratiâ. Cumque ipse per ecclesiam nunc huc, nunc illuc ovans procederet, forte ante altare S. Filiberti solus relictus oravit. Dumque in conspectu Domini coram altari staret, ecce quidam Monachus deposi altare descendit, tenens in manu baculum pastoralem, & stetit coram Comite, dicens ei: Quomodo ausus es intrare Monasterium meum, qui mihi meum jus auferre non pavescis? His dictis, crinibus arreptum stravit humi Comitem, duris affligens illum verberibus, &c. Comes autem ob hoc commotus, sacramento confirmavit, quòd ampliùs * non faceret apud Bronaycum, portumque Trenorciensem de Lovinco liberum dimisit & quietum. Et non tantummodo portum illum, sed pro reverentia B. Filiberti in ecclesia Trenorciensi pannum sericum auro textum ditissimum transmisit, & multis aliis beneficiis prælibatam ecclesiam decoravit.

* supple portum

a Erat is filius Girardi Comitis Matisconensis, cujus litteras pro Cartusia Boni-loci anno MCXXXII datas refert Chiffletius pag. 327.



Circa An. DCCC XXXVIII Aug. III.

DE BEATA ETHELDRITA RECLUSA IN MONASTERIO CRULANDENSI.

1\. ETHELDRITA, *aliis Alfreda, Offa Merciorum Regis & Quindreda filia*, ETHELBERTO *seu Egelbrito Orientalium Anglorum Regi desponsata est. Is nuptiarum causâ in Offa aulam acceptus, ab eodem perfidè capite truncatus est, instigante Quindreda uxore, quæ Offæ à tanto facinore primùm abhorrenti, occupandi orientalium Anglorum Regni cupiditatem injecit. Willelmus Malmesburiensis Monachus auctor in lib. 1 de gestis Regum Anglorum cap. 4. Contigit hæc cædes anno* DCCXCIII, *testante Florentio Wigorniensi.* Hæc Ethelberto desponsata.

2\. *Etheldrita sponsi sui cædem graviter ferens, parentumque perfidiam summopere exsecrata, meliori se statim & immortali sponso Christo, quem nemo auferre illi posset, religiosa voto dedicavit; divinoque spiritu matri cædis auctori tristia & dira (quorum fidem rei exitus comprobavit) ominata est. tum ipsa secessit in Crulandense Monasterium virorum, ubi Reclusa ad finem usque vita perseveravit. De hoc Cœnobio actum in Sæculi* III *parte 1 ad vitam S. Gutlaci. Idcirco autem ad illud Cœnobium præ ceteris se recepisse videtur, tum quòd locus ille ob frequentia S. Gutlaci miracula eo tempore celeberrimus haberetur, tum quòd Cœnobium illud ab Ethelbaldo Merciorum Rege, Offa patris sui decessore & consanguineo, non multos antè annos constructum fuerat.* Ibi pro Christi sponsi sui amore, *inquit Ingulfus*, in australi parte ecclesiæ Croylandensis, contra magnum altare, in quadam parte cellæ reclusa est, *nempe religiosa veste (ut tum fiebat) suscepta.* secessit Crulandã.


3\. *Anno* DCCCXXXIII *Wvitlafius Merciorum Rex in diplomate Crulandensibus Monachis concesso, apud Ingulfum relato, multa huic loco largitus est*, memor Etheldritæ sanctissimæ virginis, cognatæ, *inquit*, meæ, pro sponsi sui Agni immaculati amore Croylandiæ reclusæ, & in tempore tribulationis meæ me in cella sua quatuor mensium spatio diligentissimè abscondentis à facie inimici & persequentis; memor etiam sanctissimæ ecclesiæ Croylandensis, quæ terra, ut turris ad cælum adscendens, vigiliis & orationibus, psalmis & lectionibus, disciplinis & afflictionibus, lacrymis & singultibus, eleemosynis & innumeris aliis devotionibus, pietatisque operibus, pro sæculo peccatore fortissimam violentiam regno cælorum ingerit die ac nocte. *Et in fine:* Istud chirographum domino Sigwardo Abbati patri meo, & Etheldrithæ sanctissimæ virgini, pro Christi amore ibidem reclusæ, carne quidem cognatæ meæ, sed, quod magis est, in Christo carissimæ sorori ∴ signo sanctæ Crucis confirmavi. Ejus causa Wvitlafius Crulandæ beneficus.

4\. *Quamdiu post annum* DCCCXXXIII *superstes vixerit Etheldrita, non constat. Ejus obitus diem consignat Wvion tertio Nonas Augusti, & post eum Thomas Maihewvius, qui prolixius ejusdem sanctæ Virginis elogium contexuit. Ingulfus Crulandensis Abbas sæculo* XI, sanctissimam virginem *Etheldritam appellat, ejusque tumulum à Danis violatum fuisse tradit.* Etheldritæ obitus.

5\. *Alcuinus epistolam 33 scripsit* ad Ædilthydem famulam Dei, olim Reginam: *quæ an alia sit ab Etheldrita nostra, meritò dubitari potest. Inscripta est*

Circ. an. DCCC XXXVII. Aug. III.

epistola Dilectissimæ in Christo sorori Ædilthydæ matri, *hoc est Abbatissæ, cui ob impensa munera & salutatoria verba primùm gratias agit Alcuinus: tum eandem hortatur*, ut omni instantia sibi subjectos *informet verbis & exemplis; " anus & senes, quasi matres & patres, honoret; juvenes, quasi fratres & sorores, " diligat; minores ætate, quasi filios filiasque, erudiat; ac demum* omnium curam " habeat in Christo, ut omnium mercedem habeat à Christo. *Et multis interpositis eamdem monet, ut ne de ornando sepulcro cogitet*, quia vanitas hæc vanitatum est. Quippe melius est, *inquit*, his opibus animam vestire, quàm spurcitiam carnis ornare. Christus sepultus est in spelunca, non in templo. Hoc ideo dico, quia aliqui viventes suam solent fabricare sepulturam, *&c. Ex his perspicuum est, eam, cui hæc epistola dirigitur, virginum cœtum rexisse: cùm Etheldrita nostra privata & reclusa apud Crulandam vixerit. Cuinam verò alteri hæc epistola aptari possit, mihi non liquet, cùm ætas ac Regina nomen Etheldritæ nostræ aliàs apprime conveniant. An fortè hæc Eliensis primùm Monacha, tum Abbatissa vivente Alcuino; ac demum Crulandæ, qui locus Eliensi Parthenoni vicinus erat, reclusa?*



An. Chr. DCCCXL. Octob. X.

VITA SANCTI ALDRICI
ARCHIEPISCOPI SENONENSIS
IN GALLIA.

Auctore Anonymo, cujus ætas incerta.

Ex ms. Lectionario Senonensi pervetusto, & aliis.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Auctoris ætas.

1. U o *sempore vixerit sequentis Vitæ Scriptor anonymus, nullo constat argumento: eum tamen sub initium seculi undecimi vixisse crediderim, quòd nulla referat miracula à sancto Aldrico facta post id tempus.*

Aldrici memoria.

2. Aldricum Sanctum *vocant Odorannus & Clarius in suis Chronicis, uterque Senonici Monasterii sancti Petri, ille sub finem undecimi, hic sub initium duodecimi Monachus. Et certè sancti Aldrici corpus ante annos sexcentos levatum è terra fuisse, ejusque festum diem cum religione observatum, constat ex Vita subjecta. Colitur iste Sanctus in ecclesia Senonensi die sexta Junii, qui fortè dies est ejus ordinationis. nam abitus ejus incidit in diem decimum octobris, qui dies apud Ferrarienses festivè celebratur. Translatio verò trigesimo die Julii.*

Ferrariensis Monasterii initia & decora.

3. *Ferrariense Monasterium, cujus Monachus & Abbas fuit sanctus Aldricus, situm est ad Clariam* * *amnem in Lupam* * *influentem, in Vuastinensi* * *pago diœcesis Senonensis*, Bethleem *antiquitus* à conditore dictum, *testante Lupo ejus loci Abbate in epistola 13. Eo in loco sanctos Savinianum & Potentianum Senonum Apostolos ædiculam beatæ Mariæ primitus posuisse ferunt. Monasterii conditionem Chlodoveo Magno Francorum Regi; restitutionem Vuandelberto Duci tribuunt.* Buchinus ex gentili conversus, qui & ipse postea venerabilis, *id est Monachus*, exstitit, Ferrariensi Monasterio præfuit *sub medium sæculum septimum, teste Audoëno in libro primo de Vita sancti Eligii Episcopi cap. 10. Ludovicus Augustus* Monasterium sanctæ Mariæ & sancti Petri de Ferraria, quod antiquitus Bethleem vocabatur, in cujus curia pater * ejus Pippinus occidit Leonem, & ipsemet à Stephano Papa Romano in Regem honorificè consecratus est in eadem ecclesia, *instaurasse memoratur in libro de ipsius Vita. Huc spectat, si non fallor, id quod litteris mandavit Monachus Sancti-Gallensis in libro secundo de Vita Caroli Magni cap. 23. nimirum Pippinum, comperto quòd primates sui eum clanculo despicerent, ob corporis for-*

* Clary
* le Loin
* le Gastinois
* immo avus

An Chr. DCCCXL. Oct. x.

sau brevitatem; præcepisse taurum immitti in leonem, & quidem leonem apprehensa tauri cervice illum in terram projecisse. tum Regem dixisse ad circumstantes, ut qui viribus fidentior esset, leonem à tauro abstraheret, aut certè occideret. ubi nemo id aggredi ausus est, Pippinum ipsum præstitisse, transmisso gladio per jugulum leonis. quod in majori Ferrariensis ecclesiæ porta vetustis figuris repræsentatum hactenus cernitur. Verùm quod subdit Vitæ Ludovici scriptor anonymus, cujus verba superius adducta sunt, Pippinum scilicet in Ferrariensi ecclesia consecratum ab Stephano Papa fuisse. id in ecclesia Dionysiana contigisse tradunt Ludovicus Augustus in epistola Areopagiticis præfixa, Anastasius Bibliothecarius in Vita Stephani Papæ, Erkempertus & alii nonnulli. Et fortasse utroque in loco Pippinus coronatus est, uti Carolus Magnus ejus filius duobus in locis, Noviomagi scilicet & Corbanaci; & Pippinus ipse ante Stephani in Franciam adventum à Bonifacio Moguntino Archiepiscopo coronam Suessione acceperat. quod etiam ab aliis Regibus usurpatum. Certum verò est ex Annalibus Bertinianis, Ludovicum & Carolomannum Ludovici Balbi filios eo in Cœnobio coronatos ab Ansegiso Archiepiscopo fuisse. idquod agnoscit Carolomannus in Capitulari Carisiaci ab se facto, in Appendice ad Lupum: ubi Carolomannus ratum habet scriptum illud, quod in Ferrariorum Monasterio coram altari sancti Petri perdonavit.

Abbates.

4. *Abbates ejus Monasterii post Buchinum qui fuerint, aut quem unus post alium ordinem tenuerint, non facile est demonstrare. Perturbatus est eorum ordo in fusiori Gallia Christiana, ubi* Singulfus *&* Adalbertus, *sextus & septimus ponuntur: quos inter* Alcuinum *&* Aldricum *collocandos esse constat ex epistolis Lupi Abbatis & ex Vita sequenti. De Singulfo seu Sigulfo ita Lupus in epistola 29* Certè Ferrariensis Monasterii, cui indignus deservio, quondam nobilis Abbas & Presbyter Sigulfus, qui usque ad senium canonico habitu laudabiliter vixerat, sponte se potestate exuit, & nostram, hoc est monachicam, religionem adsumsit, atque donec diem obiret, suo passus est subjici discipulo, quem ipsius voluntate ac Fratrum consensu Imperator Ludovicus memorato loco Abbatem præfecerat, *id est Adalberto.* Sigulfus *iste*, natione Anglicus *ex Vita subjecta, Alcuini discipulus, à præceptore suo præfectus est Monasterio Ferrariensi anno ferè* DCCCIV, *quo Alcuinus discipulis suis Abbatias resignavit. Sigulfo successit* Adalbertus *initio principatus Ludovici Augusti; Adalberto autem* Aldricus *circiter annum* DCCCXXIV. *dein anno* DCCCXXIX *Aldrico in sedem Senonicam translato suffectus est* Odo, *à Sancta Marthanis omissus: qui postea, eò quòd Lothario faveret, teste Lupo in epistola 26, à Carolo Calvo pulsus ex epistola 21, successorem sortitus est Lupum, clarissimum sui temporis virum. Exstant apud Lupum Odonis epistolæ quatuor ejus nomine à Lupo scriptæ: cujus Odonis Abbatis fit mentio in libro de Vita sancti Faronis cap. 118. Ex quibus corrigendi Abbatum Ferrariensium indices vulgati, in quibus Odone prætermisso recensetur Wenilo, qui Aldrico* [illegible] *orino, non ex Abbate Ferrariensi, ut putant nonnulli, Vitæ sequentis auctoritate decepti; sed ex Capellano regiæ capellæ Caroli Calvi creatus est Archiepiscopus Senonensis. Etsi porrò Singulfus Abbas Canonicus erat ante abdicatam præfecturam; non tamen Canonicis subjacebat Monasterium Ferrariense, sed Monachis. siquidem Aldricus eo in loco ab ineunte ætate* monachalis disciplinæ suscepit insignia sub Alcuino *Singulfi magistro ac præcessore.*

Religio & viri illustres.

5. *Qualis eo tempore fuerit Monachorum Ferrariensium religio, satis innuit Lupus in epistola 25 Odonis Abbatis nomine scripta ad Ludovicum Abbatem, in hæc verba:* Namque quia haud procul à nobis educati estis, apud nos quoque fuistis; qualitas Monasterii nostri vos minimè latet: ubi præter studium religionis, quo sibi nomen inter alia Cœnobia vindicavit, non est quod expetendum sit ei, qui se magni facit *Hildegarius, seu quisquis conditor est libri de vita sancti Faronis, in cap. 118 idem testimonium præbet, loquens de Lupo, qui* Pastor modò, *inquit*, pro religione sanctitatis in Monasterio famosissimo Ferrariensi *exsistit*, ubi cœtus Monachorum in Christo cum illo toto orbe est venerandus. *Monachos* septuaginta duos *Lupo Abbate ibi in magna penuria vixisse legimus in ejus epistola 45 ad Carolum Regem. Istic Monachus fuit* Marcuardus; *postmodum Abbas Prumiensis, Lupo maximè familiaris. Fuit etiam, ni fallor,* Eigil *ex Monacho deinde Prumiensi Abbas Flaviniacensis, ac demum Archiepiscopus Senonensis. quibus adnumerandus* Ado *Viennensis Antistes, cujus Acta in consequentibus referenda sunt. Inter Abbates præter Alcuinum, Sigulfum, Adalbertum & Lupum, maximè claruit religione & munificentia* Ludovicus de Blanchafort *Abbas ab anno* MCCCCLXV *ad* MDV, *cujus operâ totum ferè Monasterium à fundamentis instauratum est. Denique eo loci anno* MDLXIX, *die 18 Augusti, crudeli mortis genere affecti sunt à Calvinistis sex Monachi, Iohannes* Boutfiet *Subprior, Ludovicus* Bouvet *Cellerarius, Iacobus* Colombet *Præpositus, Ludovicus* Galopin, *Ludovicus* Gilles *& Claudius* Bourdin: *quorum primus & secundus fune ad collum alligato strangulati, ac pergra-*

An. Chr. DCCCXL. Oct. x.

dus ecclesiæ raptati; tertius & quintus gladiorum & sclopetarum ictibus confossi; quartus & sextus gladio ad mammillam transverberati. Hactenus perstat istud Monasterium sub Benedictina sancti Mauri Congregatione, magno populorum concursu frequentatum, qui in ædem Virginis Deiparæ voti causâ confluunt.

Episcopi Senonenses ex Monachis.

6. Complures ex Monachis nostris per sæculum nonum decimumque Senonensi ecclesiæ præfecti sunt: nam præter sanctum Ebonem, qui sæculo septimo eam sedem tenuit, Hieremias *ex Monacho Centulensi (ut vulgo creditur) dictus Archiepiscopus est ab Ludovico Augusto; tum successit* Aldricus *Monachus & Abbas Ferrariensis; dein post Vvenilonem* Egil *Abbas Flaviniacensis; postea* Ansegisus *ex Cœnobio sancti Michaëlis apud Bellovacos; hinc* Evrardus *Monachus & Præpositus Abbatiæ sanctæ Columbæ prope Senonas. interpositis verò duobus Vualteriis & Aldaldo, sedem accepit* Willelmus Monachus; *& post eum* Gerlannus *Monachus Autissiodorensis Cœnobii sancti Germani, successorem sortitus est* Hildemannum *Cœnobitam Dionysianum, cui suffectus* Archembaldus, *& post eum* Sewinus, *non quidem Monachi, sed monastici Ordinis cultores & propugnatores eximii. Iam referenda est sancti Aldrici Vita, cujus titulus in ms. codice Ferrariensi sic habet:* Incipit Vita beati Aldrici Senonensis Archiepiscopi, et hujus Abbatiæ Ferrariensis Abbatis, ubi ejus corpus est inhumatum. quapropter ejusdem transitus fit sollemniter decimo die Octobris.

Aldricus nobilis Vvastinensis, * *le Gastinois*



1. Anno septingentesimo septuagesimo quinto ab incarnatione Domini, regnante Carolo Magno, beatus Aldricus in territorio Vastinensi * de Principibus palatinis exstitit oriundus. qui dum adhuc intra materni uteri angustias includeretur, voluit Dominus ostendere in nondum nato, quod futurum esset in adulto. Crebris quippe saltationibus ita movebatur, ut ipsos parentes suos stupor vehemens apprehenderet. qui motus signum creditur exstitisse, quòd contra hostes spirituales esset dimicaturus.

salit in utero matris.

piè educatur.

2. Hic postquam in lucem prodiit sacri baptismatis charactere insignitus, Aldricus nominatus est. qui more nobilium in deliciis suavitatis educatus, in prima pueritiæ teneritudine operibus maturis ætatem cœpit anticipare, & præclaram nobilitatem præclarissimis bonorum actuum excubiis reddere clariorem, puerilibus portendens tirociniis, qualis quantusque athleta esset futurus. Nam beati Nicolai æmulus, multo jejunio tenerum corpus macerabat, & intempestiva abstinentia exiles attenuabat artus. Non solùm autem parentes tanta bonæ indolis signa vehementi stupore afficiebant, verùm etiam omnium contemplantium animos mirabiliter reddebant attonitos.

vacat virtuti & studiis.

3. Igitur à primis pueritiæ rudimentis puerilia devitans oblectamenta, suæ ingenuitatis magnificentiâ, morum honestate mirificè extollebat; & Deum totis viribus diligendo, in anteriora se extendens, operum maturitate perfectiores æmulabatur. Tandem à parentibus traditus in liberalibus artibus erudiendus, mirabiliter cœpit proficere, & juxta scientiæ doctrinalis augmentum incrementum religionis suscipere: ut non solùm in liberalibus, verùm etiam in spiritualibus disciplinis efficaciter institueretur. Recolens juxta illud verbum Sapientis, mores ex convictu formari, cum Cœnobitis delectabatur continuare sermonem, & Religiosorum colloquiis quamplurimùm demulcebatur. Gaudebat cum illis tempore jejuniorum communicare, nocturnis vigiliis interesse, & studio sanctitatis concupiscentias illicitas penitus declinare. Secum etiam singulis momentis secretiùs tractabat, qualiter mundi fallaces evitaret illecebras, cujus conversatione diutina sanctitatis propositum impediri verebatur. Hujus zeli facibus beatus Aldricus ardenter accensus, artioris vitæ semitam deliberavit arripere, & ut habitum exteriorem interiori conformaret, habitum monachalem adsumere destinavit.

frequens cum Monachis.

Monasticum habitû cupiens, parentibus consecrantibus suscipit.

4. Sed ne parentes graviùs molestaret, vel iis ignorantibus hoc ageret; nactus

nactus opportunitatem, eis pium mentis revelavit arcanum. qui licèt quadam pietate in primis non adquiescerent; attendentes in eo relucere inæstimabilem caritatis ardorem, honesto proposito noluerunt obviare: sed cum Deo perpetuo serviturum Monasterio præsentaverunt, quod in honore beatæ MARIÆ [a] erat fundatum: ubi sub ALCUINO Abbate Magistro litterali, cui jam dicti Cœnobii administratio tunc temporis erat commissa, monachalis disciplinæ suscepit insignia. *An. Chr. DCCCXL. Oct. x.*

5. Quo defuncto, ad curam ejusdem loci gerendam substitutus est SINGULFUS, natione Anglicus, nobili prosapia ortus, morum honestate præditus, & religiosæ conversationis prærogativâ præclarus. Hic beati Aldrici perpendens futuram præeminentiam, quam manifesta religionis declarabant indicia; eum piis eruditionibus assiduè instituebat, & ut flos adolescentiæ in fructus uberes procederet; ætatem teneram pastorali cura studiosè informabat. *à Singulfo rectè informatus.*

6. Singulis itaque diebus in adolescentulo succrescebat bonæ operationis industria, ut eruditorem suum in devotione, silentio, humilitate & concordia uniformiter æmulari videretur, immo etiam cunctis præponi ut imitationis exemplum. Denique hujus beati adolescentis fama ad sanctum HIEREMIAM [b] devenit, qui tunc temporis Archipræsulatui Senonensi feliciter præsidebat. *Hieremiæ Archiepiscopo notus,*

7. Cùm itaque videndi pio flagraret desiderio, præcepit eum suis conspectibus præsentari: ut si fama de probitate ipsius vera prædicaret, præsentali visione & fide probaret occulta. quo facto tam admirandæ perfectionis expertus est, ut pluribus tam tacitis, quàm relatis fama in ejusdem commendatione maligna fuisse videretur. Majori itaque promotione dignum arbitratus, ordine Diaconii illustrem insignivit adolescentem; postea verò, delapso biennio, eum ad sacerdotalem sublimavit honorem. Accendebat etenim discreta Præsulis dispensatio in ipso morum maturitatem redimere, quidquid ætas juvenilis videbatur invidere. Susceptis igitur sacris Ordinibus, divinis operibus propensiùs insistebar, ut luculentiùs in eo clarescerent virtutum insignia, & intentionis caritatis exuberarent incrementa. *b fit Diaconus, & post biennium Presbyter.*

8. Nam quanto major factus est, in omnibus tanto se humiliabat magis juxta verbum Apostoli: *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis.* Tandem fama celebris viri illustris longè lateque diffusa, ad Regis LUDOVICI filii Caroli Magni pervenit audientiam, qui tunc regni Francorum tenebat monarchiam. *Ludovico Pio agnitus, 1. Petr. 5,6.*

a Ferrariense scilicet, quod beatæ Mariæ & sancto Petro sacrum est. nimirum ecclesia primaria *in honorem sancti Petri & omnium ceterorum Apostolorum consecrata est*, teste Lupo in epistola 13. ecclesia verò minùs principalis in honorem sanctæ Mariæ, peregrinorum concursu hodie quoque celebris.

b Magno Senonensi Archiepiscopo successit Hieremias, quem Monachum & Procuratorem Cœnobii S. Richarii fuisse tradunt Clarius in Chronico Monasterii S. Petri Senonensis, Hugo Monachus Autissiodorensis in Chronologia sua, aliique recentiores. Omnibus verò præiverat Hariulfus in Chronici Centulensis lib. 3 cap. 20, ubi scribit Hieremiam Monachum & Thesaurarium S. Richarii, regnantibus Ludovico & Carlomanno Ludovici Balbi filiis, cùm Normanni Centulensi Monasterio inhiarent, fugâ salutem quæsisse, asportatis secum inde reliquiis sacris, quas in Monasterio S. Columbæ apud Senonas primùm recondidit; ubi Abbas à Fratribus electus est, ac demum Senonensis Archiepiscopus creatus. quod etiam Clarius & Hugo referunt, idque ad Ludovici Pii tempus detorquent. Verùm cùm Hieremiæ Monachi secessus in Cœnobium Senonense contigerit sævientibus in Francos Normannis, (quod post mortem Ludovici Pii accidit) rectiùs eum secessum revocat Hariulfus ad principatum Ludovici & Carlomanni. Itaque Hieremias Centulensis Thesaurarius non potest idem esse cum Hieremia Archiepiscopo Magni successore, qui Ludovico Pio imperium ineunte eam sedem adeptus est. Quocirca dicendum, aut prædictos auctores, nominis similitudine deceptos, ex duobus unum conflasse; aut si Hieremias Centulensis Monachus in sedem Senonensem evectus sit, duos statuendos esse Hieremias, unum qui tempore Ludovici Pii, alterum qui, regnantibus Ludovico & Carlomanno, aut certè paullo pòst, Senonicam ecclesiam rexerint. Non dubitem tamen Hieremiam seniorem assumtum fuisse ex S. Columbæ Cœnobio, cui vivens multa bona contulit, ibidemque mortuus sepeliri voluit.

An. Chr. DCCCXL. Oct. 8.

Hæreticos expugnat.

9. Ad cujus monitum quorumdam incredulorum, qui tunc Fidem Christianam impugnabant, prout Spiritus-sanctus dabat eloqui illi, versutias elisit argutas, & ruinam periclitantis Fidei propulsata penitus ambiguitate redintegravit. Super quibus jocundatus Imperator Augustus, eum [a] Præceptorem [b] palatinum instituit, ut vita imperialis aulæ & majora negotia suæ discretionis arbitrio definirentur. Tanto itaque patrono gratulabatur Francia: qui cùm potestate ceteris præmineret, se tamen omnibus parem exhibebat. Erat cunctis affabilis, verborum suavitate serenus, pupillorum adjutor, viduarum defensor, miserorum consiliarius; & sic omnibus omnia factus, omnium gratiam & favorem meruit adipisci.

Fit Præceptor palatinus. [b]

Æmulos patientiâ vincit.

10. Cumque vir sanctus ab omnibus sedulò laudaretur, tamen elaborabat laudem humanam pia simplicitate obscurare, ne elatione gloriæ serenatam conscientiam favorabilis aura percelleret. Solet enim celsitudo meriti sentire marcorem, quoties humanæ laudis vana subrepit jocunditas. Interea quorumdam æmulorum rancorem suscitavit maligni hostis suggestio, qui venenosa detractionis invidia in Sanctum Domini cœperunt malignari, & famam laudabilem profana derogatione incrustare *. Sed vir Dei jaciens cogitatum in Domino, ob amorem Christi detrahentium amaritudinem patienter sustinebat: & lætus suavitate serenatæ conscientiæ, dolosas machinas solâ sedabat patientiâ, innitens illi Davidico *: *Deus scientiarum Dominus, & illi præparantur cogitationes.* Per modestiam siquidem mitigatur invidia, ubi turpibus objectis virtus enitescerct taciturnitatis. Nullatenus etiam armis sævientium conteritur, qui gratiæ cælestis tuitione munitur.

* f. incusare

* Imo Annæ 1. Reg. 2. 3.

Adalberto Singulfi successori succedit Aldricus,

11. Dum hæc agerentur, Adalbertus Ferrariensis Cœnobii Abbas eximius migravit à sæculo, quem Singulfus senio debilitatus communi Fratrum consensu sibi substituerat, malens cum Maria ad pedes Domini sedere, quàm cum Martha diutius circa frequens ministerium satagere. Ille post quartum annum suæ administrationis à carnis ergastulo feliciter absolutus est. quo sepulto, in Aldricum, probatæ religionis virum, omnium unanimis & canonica convenit electio: qui licèt pia simplicitate reniteretur, se tanto apice indignum judicans; victus tamen protervâ Fratrum instantiâ, tandem eorum petitioni benignè adquievit. Quo audito venerabilis Augustus prædictæ electioni adsensum hilariter præbuit & favorem: & non solùm privilegia Abbatiæ suæ à prædecessoribus suis impetrata, sua petitione renovavit; sed etiam nova eidem Monasterio in posterum profutura concessit.

probante Rege.

Monasteriũ scoovat.

12. Igitur suscepto Fratrum regimine sancti Petri, de die in diem bona crescebat opinio: & licèt occultè vitam agens solitariam, multimodâ exasperatione miseriæ carnis bellum indiceret; non tamen potuit abs-

[a] Quos hæreticos, quibusve modis impugnaverit Aldricus, incertum. Tavellus quidem in historia Episcoporum Senonensium putat, ejus Episcopi consilio Ludovicum indixisse Synodum Aquisgrani, ubi luxus vestium Clericis interdictus sit. at Concilium istud, in quo id sancitum, longe ante Aldrici pontificatum celebratum est, anno scilicet DCCCXVII, testante Anonymo in libro de vita Ludovici Augusti, cui semper fidelissimus adhæsit Aldricus, ut constat ex Annalibus Bertinianis ad annum DCCCXXXIII, plerisque ab Imperatore secessionem facientibus.

[b] Interpretor Cancellarium seu conditorem regiorum diplomatum, quæ pleraque *Præcepta* vocantur. Sanè Aldricum Pippini Aquitaniæ Regis, Ludovici Augusti filii, Cancellarium fuisse invenio in binis litteris, quas Philippus Labbeus refert in Miscellaneis curiosis. & Missum dominicum fuisse Aldricum nostrum jam Episcopum, intelligitur tum ex quodam Lotharii Imperatoris diplomate, confirmantis ordinationem, quam Ludovicus pater per Missos suos, *Haldricum Senonensis ecclesiæ venerabilem quondam Archiepiscopum*, Albericum Lingonensem, & alios instituerat, propter evitandas discordias inter Abbates & Monachos Flaviniacenses de bonis Cœnobii, apud nostrum Georgium Viollium in apologia de corpore sanctæ Reginæ, tum ex litteris super iis a[nn]o 809 editis pro Elnonensi Monasterio, quo directus est Aldricus ab Ludovico Augusto ad monasticum ordinem ibidem confirmandum. eum ordinem etiam in Dionysiano restituere satagisse procurante Ludovico Pio at eum scholæ palatii præfectum fuisse hic falsum invenio.

scondi lucerna sub modio, sed illo invito sanctitatis opera prodibant in publicum, Patrem qui in cælis est, glorificantia. Hic Monasterium novum in honorem beatorum Apostolorum Petri & Pauli construxit, & quasdam officinas usibus Fratrum perutiles; & in subditorum cura tantam exhibuit diligentiam, ut quia super pauca fidelis exstitit, super multa constitui mereretur. quod ex subsequuto eventu rei evidentia declaravit. Post modicum namque temporis intervallum celebris HIEREMIAS memoriæ Præsul Senonensis carne mortali exutus est [a], & in Monasterio beatæ Columbæ [b] exhibito debito humanitatis officio, honorificè tumulatus est. (An. Chr. DCCCXL. Oct. X.) (Hieremia Senonensi mortuo, a b)

13. Præfinito igitur tempore electionis, sicut mos est ecclesiasticus, ne oves erroneas sine pastore lupus rapax disperderet, ad eligendum Antistitem cum humanitate & devotione populus convenit universus: à quo priùs invocatâ sancti Spiritus gratiâ, unanimi concordia, populo acclamante & favorem præstante, beatus Aldricus ordine canonico in Archipræsulem electus est. Audiens vir sanctus sine contemplatione quietem per episcopalium administrationem interpellandam, multimodas prætendebat excusationes, asserens se tanto oneri minùs idoneum [c], & honore tantæ sublimitatis indignum. Privatam tamen tranquillitatem publicæ utilitati postponens, importuna Cleri & populi victus instantia, vix tandem adquievit: & quasi in[illegible] & renitens à Monasterio raptus ad infulas, cum universorum plausu [illegible]citer inthronizatus est. Sustinuit itaque alter Jacobita dormire cum Rachele, ut quandoque illius vacaret amplexibus. (fit Archiepiscopus. c)

14. Functus itaque officio pastorali, cœpit diligenter vigilare supra gregem suum, ne fraus antiqui hostis illi officeret, quia circuit ut leo rugiens quærens quem devoret: contra quem armatura Dei muniri crebris exhortationibus subditos animabat. Interea doctrinæ salutaris informatos illustrabat, & omnia pii Pastoris officia provida discretione sollicitus exercebat. Erat namque consolator mærentium, adjutor pupillorum, defensor viduarum, omnium compatiens miseriis, omnium indigentium anxiatus angustiis, injuriarum corrector, injuriantium reprehensor, æquilibrato semper moderamine rectitudinis, ut afflictis & affligentibus in fovendo & reprimendo esset æqualis: & sic paternæ pietati admisceret officium judicis, ne minùs esset districtio rigida, nec pietas remissa. Canonicos etiam ecclesiæ suæ paterna pietate instruebat, quatenus simpli- (ut se gerit.)

a *Anno* DCCCXXVIII, auctore Odoramno Monacho in Chronico; & quidem VII *Idus Decembris*, ut legitur apud Clarium, qui Hieremiæ obitum reponit anno sequenti, sed malè, ex adnotatione in num. 13.

b Monasterium istud situm est in suburbio civitatis Senonicæ, à Ludovico Augusto commissum Hieremiæ Episcopo, teste Clario Monacho, *ut esset sub tuitione Archiepiscopi Senonicæ urbis*. Benedictus Anianæ Abbas monasticam disciplinam istic restituit, Jacob Abbate Canonico ejus loci tum existente, ut legitur in diplomate Ludovici Augusti in appendice ad Lupi Abbatis opera, editionis Baluzianæ. qui Ludovicus rogatu Supplicii Abbatis dicto Cœnobio jus eligendi Abbatis confirmavit. In his litteris laudantur AUSTIDUS & DONATUS *nepotes Hieremiæ quondam Senonicæ urbis Episcopi*, qui hospitium aliquod Monasterio sanctæ Columbæ contulerant. Exstat in Appendice jam dicta privilegium Caroli Calvi pro libertate istius Cœnobii, lectu dignum.

c Aldrici litteræ hujus rei indices ad Frotharium Tullensem Episcopum exstant infrà post hanc Vitam. Eum verò primaria electione non fuisse creatum, sed alium, qui Ludovico Augusto probatus non est, constat ex ejusdem Frotharii epistolis 15, 16 & 17. porro Aldricum ineunte anno DCCCXXIX nondum ordinatum fuisse, patet, tum ex capitulis à Ludovico Augusto conditis anno *sextodecimo* imperii sui pro variis Conciliis in regno suo celebrandis: in quorum capitulorum exordio præcipit, ut Luteciæ Parisiorum *Archiepiscopus Senonensis qui fuerit*, cum aliis conveniat: tum ex epistola ejusdem Imperatoris scripta Galliæ ac Germaniæ Episcopis ad indicenda in provinciis Concilia, in his Parisiense, anno DCCCXXIX celebratum octavo Idus Junii: qua in epistola mandat, ut *futurus Antistes Senonensis*, & alii, in Parisiorum urbem conveniant. quod argumento est, initio ejus anni, quo data epistola, nondum factam, aut ratam fuisse Aldrici electionem; & Hieremiam ejus decessorem præcedente Decembri obiisse. Ex quo corrigendus Clarius & Auctor Chronici Lemovicensis in tomo I Bibliothecæ Labbeanæ, qui anno DCCCXXIX Hieremiæ obitum statuunt.

An. Chr. DCCCXL Oct. X.

ciores efficerentur affatu, nitidiores actu, mitiores eloquio, puriores animo: ne simplices exemplo suo corrumpere viderentur, regulam canonicam excedere verecundarentur. Turpiter enim emarcescit vigor virtutis, cùm peccanti non sentitur jactura pudoris. Præterea à præsentia secreta propensiùs fugabat munuscula, ne per cupiditatis lubricum judicii examen inæqualiter penderet, juxta verbum Apostoli: *Beatus qui excussit manus ab omni munere.* (Is. 33. 15.) Quippe prædecessorem suum semper sibi proponebat imitationis exemplum, ut cujus successor exstitit in apice, & succederet in humilitate. Tanto Prælato gratulabantur populi, Deo grates devotè rependentes, qui mirificavit misericordiam suam in eis, virum tantæ religionis & honestatis suo præficiendo regimini.

Fossatensem ecclesiam sacrat.

15. Fortè dum magnis negotiis tractus ad urbem Parisiorum tenderet, prece Fossatensis Abbatis templum, quod ipse construxerat in honorem beatæ Mariæ, dedicavit[a]: & inde reversus ad propria, dum quadam die pro foribus ecclesiæ beati Stephani[b] resideret, vidit quemdam prætereuntem, Martymardum[c] nomine, cujus faciem intuens, evidentia in eo signa perpendit insolentiæ. (*Marcuvardum reprimit,*) Erat enim incessus vagus, gestus pomposus, cervix erecta, facies torva, oculi truces, sermo terribilis. quo accersito, quis esset, studiosè requisivit. Ille ut omnia in quodam fastu loqui consueverat, se custodem civitatis respondit. Ad quem Præsul: Si aliorum custos es, cur te ipsum custodi[re contemnis]? Tu cùm sis pulvis & cinis, cur immodicos fastus concipis? [qui]d inani jactantia gloriaris? Et incipiens prædicare verbum Dei, nunc increpando suavitatis admiscuit eloquia, Samaritani vulneribus semivivi vinum & oleum infundens: nec antè destitit, quin tumidam efficaciter illius repressit elationem, & superciliosam humiliavit contumaciam. (*& Monachum facit.*) Nam in cordis sui penetralibus tam penitus infixæ sunt sagittæ potentis acutæ, & ita vulneratum est cor suum caritate, quòd omnium præteritorum gratia incontinenter se Monachum fieri ab eo postularet: & ita factum est.

Monasterium S. Remigii aliò transferre cogitat,

16. Erat eo tempore Monasterium in honore beati Remigii consecratum, à porta civitatis Senonicæ modico distans intervallo, cujus vicinia quieti Monachorum erat inimica. Nam populari strepitu sæpe compellebantur minore devotione divinis vacare, & à fervore contemplationis interdum subrepente vana meditatione tepescere: occasionem etiam jurgiorum & seditionum sæpe loci præstabat angustia inter civitatenses & Monachorum contubernales. Difficile namque solet esse animorum concordia, ubi est morum & habitus discrepantia. Hujus ergo incommodi sanctus Præsul quærens remedium, Monasterium prædictum Valerias[d] transtulit. sed illud inceptum sæcularibus importunitatibus occupatus non fecit.

eum Pastoris curam abdicare.

17. Post opera quippe gloriosa, post labores pro sua ecclesia statuenda toleratos, suæ dignitatis administrationem fastidiens, & ad vitæ suæ novissimæ mentis acumen dirigens, cœpit secretiùs beati Martini sententiam refricare asserentis, quòd sibi major fuerit virtus ante Episcopatum, quàm in Episcopatu. Metuens itaque per sæcularium negotiorum perplexitates religionis suæ meritum minorari; pastoralis sollicitudinis cu-

a Istius dedicationis fit mentio in libro de miraculis sancti Baboleni Abbatis Sæculo secundo. Oratorium beatæ Mariæ etiamnunc exstat in Monasterio Fossatensi ad duas leugas supra Lutetiam Parisiorum ad Matronam; quod ab annis centum Canonicis sæcularibus cessit, ut postea dicetur in historia translationis corporis sancti Mauri Abbatis in istud Monasterium.

b Ecclesia est cathedralis Senonica, sancto Stephano sacra.

c Lego Marcuvardum, qui postea factus Monachus Ferrariensis, dein Abbas Prumiensis, de quo infrà.

d Vallibus alii appellant, vulgo *Vareilles*, quo de Monasterio, uti & de sancti Remigii, lege adnotata ad Vitam sancti Romani Abbatis in Sæculo primo. Aldrici litteras hac de re datas infra adducam. Ad hæc, Heribaldi Autissiodorensis Episcopi electionem procuravit Aldricus, ut legitur in libro de gestis Episcoporum Autissiodorensium, cap. 36.

ram proposuit exuere [a], & ad solitæ contemplationis tranquillitatem devotius cœpit anhelare. Veritus tamen ne gregem suo pastore viduatum antiquus prædo dispergeret; misericordiam Dei singultuosis precibus cœpit efflagitare, quatenus ei securæ quietis jucunditate perfrui concederet, & subditis suis idonei Pastoris protectionem provideret. quam orationem à Domino exaudiram fuisse ex post facto evidenter innotuit. *An. Chr. DCCCXL. Oct. 6.*

18. Gloriosus namque Dei famulus diem obitus sui Spiritu-sancto revelante prænoscens, in quo ad veræ quietis gaudia transmigraret; convocatis discipulis diem novissimum sibi instare pia relatione propalavit, solita pietatis sollicitudine eos monens, vas proprii corporis mundum & immaculatum possidere; sicque currere, ut comprehenderent; sic laborare, ut æternæ beatitudinis quiete non fraudarentur; sic certare, ut perpetuæ jocunditatis bravio præmiarentur. Finita autem prædicatione, locum idoneum sepulturæ elegit, scilicet Cœnobium Ferrariense, quo corpus suum deferri, ejus & animæ celebrato divortio, & in stillicidio ecclesiæ tumulari præcepit. Hæc eo docente, stupor vehemens omnes apprehendit, quia nullum signum invaletudinis in eo poterant apprehendere. *Mortis præscius. Ferrariis vult sepeliri in stillicidio ecclesiæ.*

19. Post modicum temporis interstitium morborum pulsatus gravedine cœpit ægrotare, & crebris doloribus mortis vicinæ præambulis intolerabiliter fatigari. Solita tamen vultus serenitas semper immota perseverabat in fide, & in caritate Christi mens devota magis ac magis solidabatur. Sed tamen ingravescente morbo, debito refectus viatico, fixis in cælum oculis, manibus ad Deum erectis, viam universæ carnis ingressus, sexagesimo primo vitæ suæ anno [b], sexto Idus Octobris [c] feliciter migravit ad Dominum, coronam lætitiæ de manu Dei acceptans. Delatum est autem corpus ejus ad prædictum Cœnobium juxta tenorem præcepti sui, cum magno ejulatu populorum lugentium & gementium, se tanti tamque benigni Pastoris præsidio destitutos & desolatos relinqui: & in stillicidio juxta Oratorium beati Andreæ in lapideo tumulo, quem vivus sibi construxerat, honorificè sepultus est: ubi non minùs post mortem suam, quàm in vita sua, quanti meriti fuerit servus ejus, Dominus per plurima virtutum & miraculorum declaravit indicia. *obiit Octobris die 6. sepultus in dicto loco.*

20. Post beatum Aldricum prædictæ urbis cathedram sortitus est HENEAULUS [d], quem ipse sæpe dicto Monasterio Abbatem præfecerat. Hic igitur bonorum actuum exercitiis pervigilans, & mente cælestibus inhærens, divinitus comperit, ubi requiescerent corpora sanctorum Martyrum, scilicet Saviniani & Potentiani, Eodaldi & Serotini: quorum reverentia ne tempore & neglectu obsolesceret, corpora beatorum Martyrum omni pompa sollemni in ecclesia sancti Petri honorabiliter collo-

a Idipsum attestatur Lupus Abbas Ferrariensis ejus discipulus in epistola 19 ad Guenilonem Aldrici successorem, his verbis: *Quem etiam decessor vester beatæ memoriæ Aldricus, qui præfati Cæsaris jussu & mirabili honorum adnisu, nobis cùm esset Abbas ablatus, ecclesiæ Senonicæ Pontifex factus est, ad quos immutabiliter proposuerat regendos episcopali cura omissa, quando hanc vitam, ut credimus, feliciore mutavit.*

b Immo anno sexagesimo quinto, siquidem Aldricus natus hic dicitur anno DCCLXXV. nam ipsum obiisse anno DCCCXL patet ex notatione sequenti.

c Et quidem anno Christi DCCCXL, ut constat tum ex epistola Lupi ad Immonem Noviomagensem Episcopum, tum ex libello proclamationis Caroli Calvi adversus Wenilonem. Lupus siquidem in dicta epistola significat, se sospitem ex Fuldensi academia regressum invenisse omnia prospera, *præter domnum ac nutritorem meum*, inquit, *Aldricum, quantum ad me attinet, plenum infortunii obitum.* reversus est autem sub finem anni DCCCXL ex dicendis in elogio Rabani infrà. Carolus verò ait, eo tempore quo partem regni cum fratribus divisit, *metropolim Senonum vacasse Pastore.* Atque hæc divisio facta est statim post pugnam Fontaneticam, commissam VII Kalendas Julii anno DCCCXLI. ac proinde Aldricus Octobri antecedente ad superos transierat.

d Immo Wenilo, non Abbas Ferrariensis, sed capellæ regiæ Caroli Calvi Capellanus, ut Carolus ipse testatur in Synodo apud Saponarias anno DCCCLIX. qua in Synodo conquestus est adversus Wenilonem, cui *Weniloni tunc Clerico*, inquit, *more in capella mea mihi servienti*, metropolim Senonum ad gubernandum commiserat. Certè Wenilo eadem, quæ hic tribuuntur Heneaulo, præstitisse memoratur apud Clarium Monachum. Ferrariis tum præerat Odo, præcessor Lupi, qui Wenilonem Aldrici *decessorem* vocat in epistola 19.

An. Chr. DCCCXL. Oct. x.

cavit. Corpus etiam beati Lupi Senonum Præsulis, & beatæ Columbæ Virginis, quæ sub Aureliano Imperatore passa est & altera, transtulit, & in locum recondidit, ubi usque in hodiernum diem eis debita exhibetur reverentia. Fabricæ quoque quam beatus Aldricus prædecessor suus apud Valerias inchoaverat, manu consummationis finem apposuit.

Aldrici sepulcro honos cælitus datus.

21. Fuerunt autem in prædicto Cœnobio tres juvenes, GAUBERTO [a]; qui ejus curam susceperat, jugi famulatu adsistentes, qui obsequii sedulitatem per vitæ lasciviam detrahentes, devotiùs gulæ quàm Domino famulantes, Monachis dormientibus, cibi potusque crapulâ se ingurgitabant, & in ridiculis & carminibus, obscenis intempestivæ noctis horas producebant. Accidit autem, ut somno gravati tandem requiem peterent, ut vinum quo madebant, paulisper digererent. Usu verò temerario locum in quo corpus beati Aldrici quiescebat, ebrietatis errore vel corrupti contumaciâ petierunt, & ibi somno resoluti repentè obdormierunt. Sed Dominus locum sacris artubus servi sui dedicatum non patiens profanari, dormientes mirabiliter subvexit, & unum trans flumen proximum in strata publica, duos sub fago longè collocavit. Tandem aurora rutilante à plebe inventi sunt, dum de more ad Sanctorum in prædicto Monasterio quiescentium properaret suffragia. Omnibus à somno excitatis & miraculosum eventum confitentibus, stupor omnes apprehendit, & nomen sancti Confessoris magnificatum ad honorem Dei claruit gloriosiùs.

Translatio.

22. Translatum est autem corpus ejus à stillicidio ecclesiæ virtutum indiciis clarescentibus, & in sublimiori exedra venerabiliter collocatum.

Mauricio infestante,

23. Erat eo tempore vir quidam consularis, MAURICIUS nomine, nobilis quidem genere, sed genus opere denobilitans: cujus instinctu satellites prædictis Monachis indebitis exactionibus cœperunt graviter injuriari, & res suas suorúmque violenter deprædari. quod toties nullo resistente facere consueverant, ut quod erat illicitum, consuetudo videretur licitum facere, & usus delinquendi delictum minorare. Itaque Monachi tantæ calamitatis pressurâ coartati, nec ab aliquo sperantes defensionis præsidium; communicato consilio, constituerunt locum tranquilliorem petere, & per absentiam suam hostibus occasionem malignam ei præripere. qui rebus suis plaustro impositis, sumtóque corpore beati Aldrici cum ceteris Sanctorum pignoribus, iter sub noctis silentio arripuerunt. Dum autem per anfractus viarum devios plaustrum ducerent, incautè progrediens bubulcus quidam in terram provolutus corruit: per cujus tibias rota plaustri graviter onusti transiens, eum seminecem credebatur reliquisse. Quo infortunio omnes perturbati, clamorem tollunt lacrimabilem, & voce consona opem sancti Aldrici deposcunt. Ad quorum devotionem bubulcus surrexit illæsus, tamquam nihil sensisset gravaminis: & iter aggrediens soliti operis officium prosequutus est. Igitur luctu cunctorum in gaudium converso, Deo gratias reddentes, ad Monasterium [b] Villarense feliciter pervenerunt. Quo audito ad sancti Confessoris patrocinia plurima turba virorum aut mulierum devotè confluxit, inter quos audito miraculo ivit Consul Mauricius, minaci increpatione in nocturna visione sibi facta à beato Aldrico valdè perterritus [c]: qui ante reliquias cum lacrimis & gemitu præcedentis delicti

corpus ejus aliò defertur.

Miraculũ.

Mauricius factus pœnitens.

a An is, de quo mentio apud Rodulfum Tortarium in libro de miraculis sancti Benedicti cap. 24.

b Nunc vulgò *Ville-moutier*, haud longè ab urbe Monte-Argi, quo in vico est Prioratus, Floriacensi Monasterio subjectus.

c Huc notandum venit id quod scribit Lupus in epistola 93 ad Carolum Regem *asserit confirmans fines nostri* [illegible] *, usque* [illegible] *a fundibus esse translatum, quod* [illegible] *, aut* [illegible] *, magnum* [illegible] *, aut sanitatis & vitæ periculum* [illegible]

postulavit indulgentiam; in posterum Monasterio quod violaverat, & spopondit debitam exhibere reverentiam. Voto igitur ab omnibus collaudato munimine roborato, cum reliquiis beati Confessoris ad locum solitum hilariter reversi sunt. An. Chr. DCCCXL. Oct. X.

24. Erat autem consuetudo, quòd Ferrariensis Cœnobii Congregatio, finita festivitate Pentecostes, cum sollemni pompa singulis annis Castrum Nantonis * peteret, obsequia devotionis reddītura, & suffragia Sanctorum petitura. Igitur cùm ad locum prædictum tempore debito pii cineres Deo dilecti Patris Aldrici digna veneratione deportarentur; ecce puella grandiuscula, quam in lucem sine luce maternus effuderat uterus; per turbam eluctata, pannum reliquiis superpositum in gestatorio manu injecta corripuit, & ei firmiter adhærens per tantum viæ spatium inde divelli non potuit; sed semper opem pii Confessoris intimo devotionis affectu feliciter postulavit. Ut tandem ad castrum prædictum pervenerunt; in loco quodam ante portam facta mora modica, disposuit æternum Dei consilium per virtutis opera mirificare Sanctum suum. Ibi namque patenti populorum spectaculo erumpentibus ex oculis jam dictæ puellæ guttis sanguineis, per merita sancti Confessoris lux nova nativam cæcitatem illustravit. Ilico ab omnibus concurritur, miris laudum præconiis attollitur Dei servus, qui in suis Sanctis semper est mirabilis.

Delato corpore in Castrum Nantonis, cæca lumen accipit.

25. Advenerat fortè revoluto anni circulo beati Aldrici dies sollemnis: quem cùm populus universus debita celebritate veneraretur, mulier quædam scelerosa, quasi in contemtum sollemnitatis, per peccatum inobedientiæ ecclesiasticis se se opposuit institutis. quod dum fieret, venit ad eam hostis malignus in specie canis nigri, & manum ipsius deglutire moliebatur. quem obnixiùs arcere gestiens non potuit: sed læsa morsu funesto labefactata corruit, manumque labentis fusus propriùs perforavit; ut quasi manca de scelere manus illius solito officio destitueretur.

Festi ejus violatrix punita.

26. Tempore procedente contigit hominem quemdam, Tamboldum nomine, aliquamdiu propriis pollere divitiis: sed in senium urgens ad tantam devenit inopiam, ut nihil ad vitam suppeteret, nisi quod uxor, nomine Supplicia, labore manuum suarum adquirebat. Qui sæpe recolens felicitatem præteritam, ærumnarum cumulum graviùs sustinebat, cùm infelicissimum genus infortunii sit fuisse * felicem. Accidit autem ad sui doloris augmentum, ut uxor sua solita corporis valetudine destituta in diutinum languorem incideret, nec solito beneficio viri debilitatem poterat refovere, eidem consors facta miseriæ. Rebus igitur adversis graviter afflicti, opem divinam humiliter deposcebant: ut qui dat escam omni carni, non sineret eos miserabili penuria deperire. Cùm autem post nimiam luctus defatigationem contingeret virum obdormire; ei revelatum est in somnis, quòd si uxor ejus subsidium beati Aldrici humiliter peteret, ei doloris medicinam efficaciter innueret. Excitatus verò à somno, pandit uxori cuncta quæ viderat, consulens & exhortans, quatenus cogitatum jactans in Domino & in ejus Confessore, fiducialiter agat. Illa verò consurgens, post modicum temporis intervallum ad beati Aldrici limen cum humilitatis devotione pervenit: & spiritu contribulato ante sepulcrum, in quo pii cineres quiescebant, divinam implorans clementiam, à languore penitus liberata pristinam recepit sanitatem, ipso adjuvante qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

aliud miraculum.

* ex Boëtio in lib. de consol. Philosophiæ.

* Vulgo *Chasteau landon*, opidum, quod à Ferrariis abest duas leugas, situm in edito monte prope Lupam amnem. quo de loco dictum est in Vita sancti Severini Abbatis Sæculo primo.

An. Chr. DCCCXL. Oct. X.

APPENDIX

De reliquiis & litteris sancti Aldrici.

1. *Reliquias sancti Aldrici in thecam magnificam inclusit Ludovicus* de Blancaforti *Abbas Ferrariensis anno* MCCCCLXXXVII, *expensis in hoc opus millibus nummorum argenteorum quadraginta. Eam verò thecam diripuerunt Calvinistæ anno* MDLXIX, *sacris ossibus dissipatis, præter quatuor aut quinque certis indiciis recognita, quæ in argentea capsula hodie adservantur.*

2. *Ex litteris ab Aldrico scriptis duæ tantùm nobis supersunt, quæ egregia ejus pietatis monumenta omittere visum est nefas. una est epistola ad Frotharium Tullensem Episcopum de sua ipsius electione: alia est de translatione Senonici Monasterii sancti Remigii in locum* Vallilias *dictum. Exstant in Frotharii jam dictis litteris epistolæ tres ecclesiæ Senonensis. prima, hoc est 15, ad Hilduinum Abbatem & Archicapellanum; secunda consequens ad Eginhardum, tertia ad Judith Imperatricem. quibus epistolis Clerus populusque istius ecclesiæ significant, se potestate ab Imperatore facta elegisse primùm Episcopum, qui ab eo acceptus non sit; rursus alium electum fuisse, quem Imperatori probari postulant. Has epistolas scriptas puto de electione Aldrici nostri, qui litteras modestia plenas hac de re tum direxit Frothario, quæ inter Frotharianas ordine 13 exstant apud Chesnium in hunc modum.*

Eximio, mihique prædilecto Frothario Episcopo Aldricus sempiternam salutem. Orationum vestrarum opitulatione fulciri necesse habui, sicut ipse vobis eam expertus sæpe testatus sum. Sed nunc illa usquequaque indigeo, cùm, ut vos æstimo audisse, indigno mihi episcopalis cura injuncta est, quæ me sicut indignum, ita quoque imparatum invenit. Nam cùm olim monasticæ disciplinæ operam dans, Fratrum curam ipsis cogentibus susceperim; quod ferre compellor, nullatenus potuit esse suspectum. Quam ob rem excepta Dei clementia, totum me ad precum vestrarum confero reliquorumque amicorum familiare præsidium, obsecrans, ut virium mearum fragilitatem earum jugitate adjuvare dignemini. Et quia prudentiæ meæ fiduciam ad tantum opus idoneè exsequendum nullam habeo; quæso, ut vestra sacra intentio apud Deum obtinere laboret, quatenus & me ipsum sincerè custodiam, & commissorum mihi curam eo miserante venerabiliter saltim exerceam. Benignitatem vestram bene ex hoc agentem Dominum perpetua incolumitate beatificare opto, reverentissime Præsul.

3. *Aldrici alia littera typis edita sunt in tomo secundo Spicilegii sub hac forma.*

Dominis sanctissimis & reverendissimis Fratribus & Coepiscopis, religiosissimis quoque & venerabilibus Abbatibus in ditione domini Imperatoris Hlotharii serenissimi Augusti, constitutis, Aldricus minimus servorum Christi famulus, sanctæ Senonicæ ecclesiæ Archiepiscopus. Optimè venerabilis & Deo devota sanctitas vestra novit, quanta sit cura & sollicitudine commissum nobis pastorale regimen tuendum atque tractandum. Cùm simus igitur in specula Ecclesiæ constituti, & viam ceteris, per quam ingredi ad vitam debeant, debeamus ostendere; quantum posse & intelligere divina clementia dederit, satagendum est ea quæ nobis commissa sunt, secundùm Dei voluntatem providè prudenterque tractare: ut non solùm quamdiu advivimus, in præsenti tempore, nostris valeant prodesse subjectis, verùm etiam & in perpetuum illis prospecta proficiant, qui in locis divino cultui mancipatis, nostræque sollertiæ ad regendum pro tempore commissis, supernæ pietati servituri sunt. qui dum de corporis necessitatibus, victus dico ac vestimenti, solliciti non fuerint, animum liberè in divinæ contemplationis specie figere valeant. cui summo ac salutari bono inhærentes, eo semper suspirant tota spei libertate suspensi, quò se pervenire divina duce gratia æternæ vitæ præmium jam consecuti gaudebunt. Et tamen cùm sciamus res ecclesiæ esse oblationes fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum; easque nobis administrandas, procurandas, atque ordinandas suscepisse; harum rerum administratores nos esse meminisse debemus, & redditus expensasque earum eis usibus applicare, quorum gratiâ divinis altaribus allegatæ noscuntur. a

Proinde ad sanctitatis vestræ piissimam intentionem perducere statui, qualiter Cellas Monachorum ecclesiæ Episcopii parvitati meæ commissi, id est Cella sancti Remigii Confessoris Christi in suburbio civitatis constructa, quæ olim per divisiones predecessorum meorum temporè fuit disrupta: & ob hanc negligentiam Monachi, qui ibidem Deo degere videbantur, propter inopiam & importunitatem loci Regulam beati Benedicti, ut debuerant, penitus observare non poterant. Idcirco unà cum consilio

silio fratrum nostrorum, Canonicorum videlicet & Monachorum, necnon & fidelium laicorum, visum est nobis propter importunitatem loci, & Monachorum ibidem Deo degentium, præfatam Cellam ad Vallículas transmutare, & à fundamento ædificare, quam ROTHLAUS ob amorem Dei & remedium animæ viri sui MAGINARII, sive pro seipsa, suorumque liberorum, ac parentum, ad supradictam Cellam beati Remigii per donationis titulum delegavit, vel tradidit: ea videlicet ratione, ut divinus ibi ageretur cultus, & illis pro quorum salute traditum fuerat, augeretur merces. Volumus etiam, ut loca super quæ ædificatum fuit supradictum Monasterium, id est agros, vineas, prata, areas, vel omnia quæ infra muros civitatis habuit, vel extra, absque alicujus diminutione ac impedimento habeant Rectores & Monachi, ad eorum nlus qui ibidem Deo sub norma beati Benedicti degunt. An. Chr. DCCCXL. Octob.

Hujus itaque rei causâ hanc seriem libelli digestam sanctissimo cœtui vestro relegendam, atque vestris subscriptionibus roborandam obtuli, quo statuere per vestram unanimitatem decrevi, ut nullus deinceps Episcoporum, quicumque per tempora divina præstante successerint gratia, quidquam de his rebus, quas præsenti tempore memorata Cella usibus Monachorum attributas possidet, minuere, vel abstrahere, vel aliis usibus applicare, vel beneficii quidquam, vel suorum, vel extraneorum dare præsumat: sed, ut intimatum est, quæcumque nunc temporis retinet per diversa loca & territoria, usibus Monachorum deputata, & quæ à timentibus Deum eidem postmodum fuerint loco collata, absque ulla diminutione vel subtractione Cellæ & Monachis ibidem conversantibus maneant inconvulsè.

Hæc autem sunt infrà scripta loca Monachorum stipendiis in memorata Cella degentium destinata. Primitus Valliculas, ubi ædificare præfatum volumus Monasterium; Monasterii prædia.
Staticus cum adjacentiis suis, id est vetus Ferrarias; & Petra Ursana cum territoriis & silvis: Chtyniacus cum adjacente sibi Hermentaria; cum territoriis & silvis; Fontanicula cum territoriis; Lausa cum adjacentiis suis, hoc est vico sancti Sidronii, cum territoriis & silvis, & simul latiooe; Bracciacus cum territoriis; Columbarius cum adjacentiis suis, hoc est Esthiniacus, Silviacus, & territoria eorum cum silvis; Villamesca cum adjacente sibi ponte & territorio; Miscerjacus cum adjacente sibi Teroanta; Villanova cum adjacentiis suis, hoc est Cavanarias, & Capotenus; Noërollia cum adjacente sibi Caprenciis cum territoriis & silvis, & simul Puteolis. In summo sunt mansa centum nonaginta, & hospitia decem & novem. Quidquid itaque in supradictis locis vel circa eamdem Cellulam præsenti tempore Monachi in eadem divinæ gratiæ famulantes possidere noscuntur, vel si qua sunt alia, quæ fortè meam fugerunt memoriam, & tamen ea suis stipendiis adsignata retinent; cum territoriis, vineis, pratis, silvis, aquis aquarumve decursibus, & ceteris adjacentiis, ipsis tantùm ex integro, ut præmissum est, eorumque usibus jure perpetuo absque ulla diminutione Usus
sub prætexto memorati Episcopii nostri jure debito cedant.

At verò Episcopus qui pro tempore auctore Deo præfuerit, Abbatem de eodem Monasterio, eum videlicet quem omnis Congregatio sibi ordinandum poposcerit, & sinceritas morum, & bonorum actuum probitas commendaverit, si inter eos talis inveniri quiverit, eis ordinandum procuret. Quòd si talis inter eos minimè inveniri potuerit, de eadem parochia vel diœcesi Senonica, consentientibus sanctis Coepiscopis ejusdem diœcesis, & circumpositis venerabilibus Abbatibus, eis præficiendum atque ordinandum provideat. In aggregandis quoque Monachis hunc modum Abbas qui præfuerit, teneat, ut tricenarium numerum quantitatis summa non excedat; donec rerum copia major succrescat. Episcopus quoque in exigendis muneribus Abbatem ejusdem loci non gravet: sed sufficiat ei ad annua dona equus unus, & scutum cum lancea. Quòd si in expeditionem publicam ire jussus fuerit, addantur ei de eodem loco carra duo, unum vini, alterum farinæ, verveces decem: supra quæ in exigendis muneribus, cupiditatis, avaritiæque causâ gravare eos nullatenus præsumat, ne & Monachi ejusdem Cellulæ hujuscemodi negotio à suo proposito exorbitare, & Episcopus causâ eorum perditionis addictus sempiternas cogatur luere pœnas. Monachorum numerus. Episcopo donum.

Corpora etiam Sanctorum, quæ in nostra parochia jam dicta exspectant suæ beatam immutationem, à pravis & desidiosis custodibus permaximè negliguntur, ita ut officio luminaris ac debita careant custodia. Idcirco ob amorem Dei, cui viventes in carne servierunt, & emolumentum animæ nostræ, per voluntatem & licentiam domini ac piissimi LUDOVICI ac CAROLI Regum, quia congruum ad hoc locum invenimus, illò deportanda volumus. Sed quia sacra auctoritas vetat, ne in talibus & similibus ecclesiis Christi per alicujus incuriam scandalum inferatur, multorum Episcoporum exposcit consensum; ad vestræ paternitatis notitiam hæc omnia perferri volumus: qua- Sanctorum reliquiæ.

tenus vestrâ deinceps censurâ & locus ipse, quem favênte Deo ordinandum stabilimus, & memoratis Sanctorum pignoribus à Dei servis ibidem Deo famulantibus dignè & laudabiliter serviatur; & pro domini nostri ac totius sanctæ Dei Ecclesiæ statu indefessè vota debita persolvantur. Quod opus Deo dicatum, ut per tempora labentia, omnibus sanctissimis Patribus & Fratribus in Dei nomine consentientibus, firmiorem obtineat rectitudinis statum, & intactum permaneat; manu nostræ parvitatis subterrelegenda firmamus. Et ut rata deinceps manere possint quæ scripta sunt, manibus vestræ sanctitatis roboranda expostulamus.

AN. CHR. DCCCXL. OCTOB. X.

In Christi nomine ALDRICUS ecclesiæ Senonicæ indignus Archiepiscopus hoc privilegium fieri decrevi, & subscripsi.

In Christi nomine LANDRAMNUS Turonicæ ecclesiæ Archiepiscopus recognovi, & subscripsi.

In Christi nomine BARTHOLOMÆUS Narbonensis ecclesiæ Archiepiscopus feci, & subscripsi.

JONAS Aurelianensis ecclesiæ indignus Episcopus huic facto adstipulator subscripsi.

Ego RAGNARDUS Rotomagensis Episcopus subscripsi.

ROTUALDUS Suessionensis Episcopus huic facto subscripsi.

ALDRICUS Cenomannicæ urbis Episcopus.

CARSUILTUS Bajocensis Episcopus subscripsi.

In Dei nomine RADULFUS Lexoviensis Episcopus adstipulator huic facto subscripsi.

ACAMRADUS Parisiorum indignus Episcopus subscripsi.

STEPHANUS Bituricensium indignus Episcopus subscripsi.

ALTADUS Genevensis Episcopus subscripsi.

ADALHELMUS Catalaunensis Episcopus subscripsi.

RAGNERIUS Ambianensis Episcopus subscripsi.

HELIAS Tricassinensis Episcopus subscripsi.

HUCBERTUS Meldensium Episcopus subscripsi.

ALDUINUS Virdunensium Episcopus subscripsi.

DEULRICUS Basiliensis Episcopus subscripsi.

Ego FULCONINUS Warmatiensis Episcopus indignus.

In Dei nomine THEUGRINUS Albensis Episcopus.

ATTO Namnetensis civitatis Episcopus.

GERFRIDUS Nivernensis Episcopus.

FACONA Episcopus.

BOSO Abbas ex Monasterio sancti Benedicti subscripsi.

ADREVALDUS Abbas ex Monasterio Noviacensi.

DEIDONUS ex Remensi Cœnobio Abbas.

CHRISTIANUS Abbas Monasterii sancti Germani.

In Dei nomine Ego BERNOINUS Carnotensis Episcopus subscripsi.

RAGNEMONDUS Abbas de Monasterio sancti Carilefi.

INGELNONUS Sagiensis Episcopus subscripsi.

FOVA Cavilonensis Episcopus subscripsi.

4. *In his litteris, quæ solidam Aldrici pietatem ac religionem spirant, emendandum est vocabulum Monasterii, cui præerat* ADREVALDUS, *ac pro* Noviacensi *legendum* Flaviniacensi: *nam Adrevaldum tunc temporis huic Monasterio præfuisse docet Hugo Abbas Flaviniacensis in Chronico.* DEIDONUS *Guillelmo Marloto videtur fuisse Abbas Remigiani Cœnobii apud Remos. at constat Reomensem seu Reomaensem fuisse, id est Cœnobii S. Iohannis in pago Tornodorensi, non Remensem.* CHRISTIANUS *erat Abbas Monasterii sancti Germani apud Autissiodorum, postea ejusdem urbis Episcopus.*



AN. CHR. DCCCXIII. JANUARII XXIII.

VITA SANCTI BARNARDI ARCHIEPISCOPI VIENNENSIS IN GALLIA,

Auctore Anonymo incertæ ætatis.

Ex Breviario Romanensi, Ianuario Bollandiano, & Guichenonis historia Baugiacensi.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. LIBELLUM *de vita sancti* BARNARDI *seu* BERNARDI *Archiepiscopi Viennensis apud Allobroges, parum accuratè scripsit Anonymus quidam incerta ætatis: ex quo desumta lectiones, quibus utuntur ecclesia Viennensis, Diensis, Ambroniacensis, & Romanensis. Libellum istum hic sequitur narratio translationis seu elevationis corporis sancti Barnardi è tumulo; tum libellus miraculorum, cujus auctorem fuisse Adonem censet Petrus Franciscus Chifflettius apud Bollandum, qui ei suffragatur. Auctorem certè fuisse Viennensem Archiepiscopum constat ex num. 7. qui item num. 1 Barnardum vocat suum* altorem. *Ast quo minus libellum hunc Adoni tribuam, illud facit, quòd conditus est post Barnardi elevationem. siquidem in eo fit mentio delationis corporis sancti Barnardi ad Conventum apud Vetulam & in Vallo aurea. Porro elevatio post mortem Adonis facta est sæculo decimo: à quo tempore ejus memoria in sacris fastis celebris haberi cœpit.* Auctor Vitæ, &c.

2. *Barnardus condidit Monasteria duo sub Regula sancti Benedicti, Ambroniacense scilicet & Romanense. Ambroniacensis* * *originem ex hac Vita novimus, cetera fere ignoramus usque ad sæculum duodecimum, quo illustrius haberi cœpit, tum ob famam* BERNARDI *primi Prioris Cartusiæ Portarum apud Allobroges, qui ex eo loco prodiit; tum ob nomina & gesta subsequentium Abbatum, quæ ad nos usque pervenerunt; tum denique ex pietate Monachorum ejus temporis, qui eremiticam vitam incoluere. Monasterium istud situm est* * *in Baugiacensi pago Sebusianorum, octo leugis à civitate Lugduno; cella quondam Cœnobii Luxoviensis, ex quo Barnardus locum obtinuit, ut ibi Abbatiam instrueret, cujus ipse Monachus Abbasque fuit. Abbatis primi & aliorum post Barnardum nomina usque ad* DESIDERIUM *interciderunt: nec ulla (si non fallor) ejus Monasterii mentio est apud veteres ante Desiderium istum, qui initio sæculi duodecimi Ambroniacense Monasterium rexit, & forsan in meliorem formam redegit. Eo enim Abbate* duo de Fratribus ac filiis nostris, *inquit ipse in litteris a se confectis de conditione Cartusiæ Portarum,* scilicet BERNARDUS & PONTIUS, licentiâ nostrâ ac totius Capituli ad eremum transiere Portarum: quos complures Clerici & laici secuti sunt, eamdem devotionem habentes. qui timentes, ne sub specie obedientiæ ab Abbatibus nostræ ecclesiæ propositum everteretur ipsorum; petente Gaucerano Lugdunensi Archiepiscopo cum Clericis suis, & Hugone Gratianopolitano Episcopo cum compluribus ecclesiæ nostræ familiaribus, solutionem obedientiæ à nobis obtinuerunt, necnon & terram, quam in eadem eremo habere videbantur. *Id factum anno centesimo quinto-decimo supra millesimum, quo jacta ejus Cartusiæ fundamenta. Ipsum ratum habuit* ISMIO *Abbas Desiderii successor. Post medium istius sæculi, anno scilicet* MCLXVIII, Otho Sacerdos & Monachus ecclesiæ Ambroniacensis, cupiens locum anachoreticæ conversationis apprehendere, & secundùm hujusmodi sanctæ institutionis rationem conversari; ferventi devotione ductus exiit de dicta Ambroniaci ecclesia, & accessit ad silvam Sellionis gratiâ faciendi in ipso loco residentiam, quamdiu sibi ab alio concederetur. & in ipso loco prope fontem ibidem à Domino sibi præparatum, anno prædicto oratorium in honorem beatæ MARIÆ semper Virginis erigere cœpit: & juxta oratorium cellam suam construxit: in quo loco per plures annos sedit. & quam-

Monasterium Ambroniacense.

* Ambrona

* le Bugey

AN. CHR. DCCCXLII. JANUARII XXIII.

vis infirmitatem podagræ in ipso loco per longum tempus sustinuerit, adeo etiam quod ex ipsa infirmitate summitates manuum & pedum, videlicet extremam partem digitorum & pedum amiserit; tamen in iis quæ sunt hujusmodi anachoretanæ conversationis, sedulò institit, & post multos labores & sudores infirmitatis prædictæ, & vigiliarum & jejuniorum continuationem, cursum præsentis vitæ in hujusmodi sancto proposito laudabiliter finivit. Post cujus decessum vir quidam, MARTINUS nomine, Sacerdos & religiosus, intravit locum prædictum: & volens habere institutorem, qui eum in iis quæ sunt legis divinæ, instrueret, & in ordine sanctæ conversationis dirigeret; obtinuit præfici in Abbatem ipsius loci CLEMENTEM Monachum Monasterii Ambroniaci prædicti: qui quidem Clemens ritu Ordinis Cartusiæ & fixa conversatione personarum ejusdem delectatus, se & Fratres de Sellione anno Incarnationis MCXXXVII transtulit ad prædictum Cartusiæ Ordinem, *obtenta facultate Abbatis & Monachorum Ambroniacensium, ut in litteris B. Abbatis anno MCXCIII datis fusius legitur apud Guichenonem in probationibus historiæ Bangiacensis, pag. 141. Sic duæ Cartusiæ celebres, quarum prima à majore Cartusia cis Alpes primum jure antiquitatis obtinet locum; altera totius fere Ordinis ædificiis præclarior est; originem accepere à nostro Ambroniacensi Monasterio, quod hactenus viget sub Benedictinis Congregationis sancti Mauri institutis. Scio litteras prædictas de Sellionis conditione Guichenoni suspectas videri: tum quia in Sellionis monumentis nulla ejus rei mentio occurrit, immo ex iis constat jam anno MCLXXVIII Cartusianos locum occupasse; tum quia in iis litteris fit mentio* Notarii publici, *quod officium tunc temporis in usu non fuisse putat. Verùm hæc aliàs discutienda. Idem Guichenon in Bibliotheca Sebusiana cap. 26 centuria 2, refert litteras Hesmionis Ambroniacensis Abbatis, Cartusianis Majorevi pascua multa liberaliter concedentis. Ex quibus nemo non videt, quantum isti Monasterio debeat sacer Ordo Cartusianorum.*

Romanense. *3. Alterum Monasterium, quod Bernardum auctorem agnoscit, est Romanense,* Romanis * *apud veteres absque flexione dictum. situm ad Isaram * fluvium, inter Gratianopolim & Rhodanum, cujus aquis Isara immiscetur. Eò Barnardus transtulit reliquias sanctorum Severini, Exsuperii, & Feliciani ex suburbano Viennæ vico, nomine Brenniaco, ut legitur in subjecta Vita & in diplomate Lotharii Augusti, subjectionem Romanensis ecclesiæ Agilmaro Barnardi successori confirmantis his verbis.* AGILMARUS venerabilis Viennæ Archiepiscopus obtulit coram sacris obtutibus nostris scriptum, in quo continebatur, qualiter BARNARDUS quondam ejusdem ecclesiæ Antistes beatissimos martyres Severinum, & Felicianum, juxta territorium ejusdem civitatis, in vico Brenniaco, in indigno loco jacentes reverenter sustulit, & in Monasterio Viennæ territorio, loco qui Romanus * dicitur, sito sollemniter tumulavit. quod Monasterium memoratus Pontifex sollicita religione, pro utilitate & honore ejusdem sedis construxit, & in honorem sanctorum Apostolorum unà cum Episcopis comprovincialibus suis dedicavit, ac de rebus propriis ad cotidiana stipendia Monachorum ibidem Deo militantium honorificè ditavit: privilegium suum per legitimam traditionem successoribus suis jure perpetuo sub integritate reliquit, *&c. apud Johannem de Bosco in libro de Antiquitatibus ecclesiæ Viennensis. Ex quibus patet, Monachos in ecclesia Romanensi à primordiis exstitisse. In libello de Vita sancti Vvandregisili Fontanellensis Abbatis ab ejus æquali scripta invenio, ipsum ex Italia redeuntem venisse ad Monasterium*, quod est constructum ultra Juranenses partes, cognomento Romanum; *ibique acceptum hospitio aliquamdiu habitasse. sive, uti apud alium anonymum ejusdem Vitæ scriptorem paullo recentiorem legitur, Vvandregisilum* cùm Alpibus transscensis arva jam tereret Gallica, causa hospitii Monasterium petiisse, cujus est vocabulum Romanis, situm ultra saltum Jurensem. *Existimavi aliquando significari hoc loco Monasterium à sanctis Romano & Lupicino constructum, quod Gregorius Turonensis Episcopus* Condatisconense, *alii* Condatescense *appellant; postea sancti Augendi sive Eugendi, nunc sancti Claudii nomine dictum. & sunt etiam in eadem sententia quidam alii. At quo minus huic sententiæ certus adhæream, illud in primis in causa est, quòd Condatescense Monasterium nusquam* Romania *vocatum reperiatur. deinde quòd istud vocabulum à Romano Monasterii auctore non rectè deductum dici possit secundùm morem veterum, qui potius in genitivo casu vertissent* Monasterium sancti Romani, *ut in aliis passim. denique quòd transscensis alpibus non statim occurrat Jurensis saltus, in quo situm est Cœnobium Condatescense. Quæ argumenta inclinant animum, ut versus præmissos interpretandos putem de Monasterio* Romanis *dicto: cùm & nomen loco, & cetera conveniant. Quod si ita sit Bernardus ejus Monasterii, non auctor, sed instaurator censendus est. Lege Rodulfi Regis diploma primarium, Adaleidi ipsius sorori concessum, in quo Rodulfus ita loquitur:* Accessit ad clementiam magnitudinis nostræ dulcissima ac dilectissima Adaleydis soror nostra, petens & supplicans, ut Abbatiam Romanis, quæ constructa habetur in honore beati Petri Apo-

* Romans
* l'Isere
* f. Romanis

stolorum principis, & est sita in Comitatu Waldense, per præceptum nostræ regalis dignitatis ei in vita sua concederemus: & ut haberet post discessum suum potestatem relinquendi cuicumque voluerit heredum suorum. quam petitionem intimo ex corde suscepimus, *&c.* BERENGARIUS Notarius ad vicem THEODERICI Archiepiscopi & Cancellarii recognovi. Data IIII Idus Junias, anno Christo propitio Rodulfi piissimi Regis primo, anno ab Incarnatione Domini DCCCLXXXVIII, Indictione V. Actum Vabrevilla in Dei nomine feliciter. *Diplomati adfixum est sigillum ex cera rubea cum hac inscriptione*, RODULFUS REX. *Iam ergo labi cœperat hæc Abbatia, qua ab eo tempore ad sæculares Canonicos vertit. Ejus rei præclarum documentum habemus apud Iohannem de Bosco, qui in libro jam citato refert litteras* Canonicorum *Romanensium pro electione Leodegarii Abbatis, facta præsente* BURCHARDO *Archiepiscopo, qui initio sæculi undecimi Viennensem ecclesiam regebat. Iohannes à Bosco in consequentibus refert pontificias litteras* Romanensibus Clericis *scriptas, nimirum Gregorii septimi, Vrbani & Callisti secundi, quibus Viennensi ecclesiæ subjici compelluntur. Tunc enim Romanenses Canonici jugum Archiepiscopi Viennensis excutere moliebantur, immunitatem prætendentes, qua Romanæ dumtaxat ecclesiæ subjectos se dicebant. Ad hæc Gregorius, quæ Romanæ sedis æquitas est*, Nos, *inquit*, sicut Romanæ ecclesiæ jura & dignitates suas conservari cupimus; ita & membris ejus, videlicet ceteris ecclesiis, dignissimum esse perpendimus. *Quin etiam Viennensem Clerum & populum hortatur, ut Vuarmundum Archiepiscopum juvent ad recuperanda bona Viennensi ecclesiæ ablata*, nominatim autem Abbatiam sancti Barnardi, id est Romanensem. *In minori Chartario Brivatensi, quod mihi vir humanitatis eximiæ Antonius Vionius communicavit, exstant litteræ societatis initæ inter Capitulum Brivatense & Romanense, quibus consentiunt*, ut quicumque Canonicus vel Clericus exsisteret alterutrius ecclesiæ, consequeretur jus in ambabus, prout est hactenus consuetum. *quam* confederationem societatis antiquæ, *inquiunt Romanenses*, vobis gratanter ac liberè recognoscimus, & eam SIGILLI SANCTI BARNARDI munimine, quo utimur, in perennem rei memoriam roboramus. Datum Romanis IX Kal. Augusti, anno Domini MCCLXXV. *Quibus ex litteris intelligimus, jam eo tempore Canonicos seu Capitulum Romanense* Sigillo sancti Bernardi *patroni sui usos fuisse. In Breviario Romanensi VII Idus Iulii rubeis litteris notatur festum translationis sancti* ANATORIS *Abbatis, an Romanensis.*

4\. *In subsequenti Vita ex sancti Barnardi gestis omittuntur nonnulla; de quibus breviter agendum. Anno DCCCXXIX cùm Ludovicus Augustus in variis Galliæ provinciis varia Concilia indicere vellet; præcepit in capitulis & epistola sua*, ut apud Lugdunum Agobardus, Bernardus, Andreas, Benedictus, Agericus, cum suffraganeis suis conveniant. *quod ab eis præstitum est. Anno DCCCXXXIII Barnardus cum multis aliis Ludovici Pii exauctorationi consensit. unde restituto Ludovico ecclesiam suam deseruit, & in Italiam ad Lotharium Imperatorem Ludovici filium cum Agobardo Lugdunensi Antistite, ejusdem facti consocio, se recepit. Anno DCCCXXXV conventu apud Theodonis villam habito, Ludovicus Pius* contra quosdam Episcopos de sui dejectione conquestus est. Agobardus, qui evocatus ad satisfactionem venire distulit, cùm ter esset evocatus, ab ecclesiæ præsulatu summotus est. *Idem etiam Barnardo nostro contigit. nam anno insequente cùm idem Imperator conventum alterum Stramiaci * in pago Lugdunensi coegisset*, causam ecclesiarum Lugdunensis atque Viennensis vacantium ventilari fecit, eo quòd Episcopi dudum illarum, Agobardus quidem jussus ad rationem non venerit reddendam; Bernardus autem Viennensis affuerit quidem, sed rursus fugam inierit. Sed hæc quidem res imperfecta remansit propter absentiam Episcoporum, *ut legitur in Vita Ludovici Augusti.* Ambo *tamen* postmodum piis Imperatoribus agentibus, Agobardus Lugdunensem, & Bernardus Viennensem sedem recepisse *perhibentur in Chronico Adonis.*

5\. *Exstat epistola Barnardi & aliorum Episcoporum nomine scripta* de Judaicis superstitionibus, *inter epistolas Agobardi, qui ei librum* de privilegio & jure sacerdotii *nuncupavit. Hinc patet, Agobardo familiarem & amicum fuisse Barnardum nostrum, qui turbas ob ejus ordinationem passus fertur in fragmento referendo post hanc Vitam. Præterea cùm Lempteus Vicedominus Viennensis & uxor ejus Agiloia ecclesiam in villa pagi Viennensis, vocabulo Sentolato, construere vellent, ejus rei licentiam postularunt obtinueruntque à Barnardo, à quo etiam eisdem, ut per Agobardum Lugdunensem Pontificem, sive per ejus Chorepiscopum nova ecclesia dedicatio fieret, facultas concessa est ipsius Barnardi litteris Agobardo directis, quas ex Chartario Viennensi huc referre juvat.*

BERNARDUS ecclesiæ Viennensis Episcopus, carissimo fratri AGOBARDO Lugdunensis ecclesiæ Episcopo in Domino JESU-CHRISTO sempiternam salutem. Suggessit itaque nobis venerabilis vir Lempteus fidelis ac vicedominus noster, ut in

DDdd iij

An. Chr. DCCC XLII. Januarii XXIII.

Barnardi quædam gesta.

* Cremiacum

Scripta.

An. Chr. DCCCXLII. Januarii XXIII.

parochia nostra, in villa quæ dicitur Sentolatus, in suo proprio, per nostram licentiam ecclesiam construeret: qua constructa, sicut ipse nobis retulit, ob amorem Dei & remedium animæ suæ de propriis facultatibus ita eam dotare, atque illustrare disponit in rebus, in ministeriis, & omni cultu ecclesiastico, ut videatur mihi devotio ejus non temporum nostrorum negligentiam sequi, sed antiquorum fidelium pietatem atque diligentiam imitari. Unde cùm valde gavisus essem, & pro ardore fidei illius Deo gratias agerem; supplex nobis suggessit, ut prædictam ecclesiam vobis, aut vestro concederem Episcopo consecrari. quod ego desiderio devotionis ejus cupiens in omnibus satisfacere, libens concessi. Sed ne fortè aliquis, & præsentium, & futurorum, hujus meæ cessionis ignarus, æstimet consecrationem illam non esse legitimam, eo quòd in aliena parochia ab alterius parochiæ Episcopo fuerit celebrata; præsentes litteras per eum religioni tuæ misimus atque dedimus, quibus & in præsenti, & in futuro, & ejus petitio, & mea concessio manifesta noscatur; ac remoto omni dubitationis scrupulo, & suspicione illicitæ præsumtionis adempta, dedicationem præfatæ basilicæ constet esse legitimam. Atque ut hæc cessio nostra certior ac firmior habeatur, manu propria sollemniter eam roborare studuimus. Valeat semper in Domino dilectio tua, Frater carissime; & prædictus fidelis vir Lempreus & nobis dilectus, fidei pietate devotus, & sacræ religionis continuis sit profectibus auctus. In Christi nomine ego Bernardus indignus Episcopus vestram impletam devotionem relegi & subscripsi, in Dei nomine Balcro Abba sancti Teuderii Monasterii rogatus subscripsi.

His litteris acceptis Agobardus hanc dedicationem demandavit viro venerabili Audoino ecclesiæ Lugdunensis Coepiscopo, *qui eam ecclesiam* XII Kal. Decembris *consecravit* sub nominibus sanctorum Apostolorum Petri & Pauli; *ut lego in litteris Lemprei de conditione ejus ecclesiæ conditis, quarum copiam ex chartophylacio Viennensi accepi.*

6. Post Barnardum Viennensi ecclesiæ præfuit Agilmarus, *cui successit* Ado *antea Monachus Ferrariensis: cujus memoria etiam in Romanensi ecclesia colitur, ut in ejus Actis dicetur suo loco.*

Barnardus in studiis & in aula.

1. Beatus Barnardus patronus Romanensium, qui filius boni odoris [a] interpretatur, in Lugdunensi diœcesi, ex illustri valde prosapia [b] oriundus fuit. Hic in ætate primæva liberalibus studiis eruditus, innocentis vitæ primitias in ecclesiæ contubernium delibavit. Mortuis verò fratribus, ejus parentes ut ipsum heredem haberent, à scholis extractum militiæ exercitiis in castris Caroli deputarunt [c]. quod utrum ex animo fecerit, aut patris necessitate cogente, subsequens declaravit eventus.

Ambroniacense Monasterium condit.

2. Nam cùm pater ejus decessisset, protinus ipse, qui sub militari habitu religiosum gerebat animum; cœpit perquirere, qualiter patrimonium ad se devolutum in alimonia pauperum posset perpetuo convertere, non amore filiorum retractus. Considerata igitur cujusdam loci aptitudine, cui vocabulum erat Ambroniacus, adquisivit ab Abbate Luxoviensi permutatione hereditatis paternæ; ubi renovata quadam ecclesia in honore Dei Genitricis olim constructa, sed à paganis postmodum eversa, in ipso loco Abbatiam construxit, Abbate & Monachis collocatis ibidem; quam bonis amplissimis sublimavit.

Bonis officiis vacat.

3. Interea tantis jejuniis, tantis vigiliis, tantis orationibus seipsum exercebat, ut sub militaribus armis ad modum Martini Monachorum perfectionem adsequutus videretur. In conjugio enim tamquam sine conjuge cælebs vivebat, & inter filios tamquam sine filiis; Dei, non quæ mundi erant, cogitabat; circa pauperes opulentus, circa orphanos pater, circa viduas maritus; oppressorum sublevator, mærentium consolator; non sibi, sed omnibus vivens, fideliter promissa complebat, multo lu-

a Sic etiam Bernardi Abbatis Claræuallensis nomen explicant nonnulli, quasi Bernardus, seu Barnardus, Bernhardusve Hebraicum esset nomen, quod Teutonicum esse constat.

b Bernardo scilicet & Helsoda parentibus, ut legitur in Breviario Monasterii sancti Antonii apud Allobroges. addit Grattanopolitanum, ipsum Ludovico Augusto affinitate conjunctum fuisse.

c Eum etiam alligarunt vinculis matrimonii, in quo septem annos vixisse dicitur in fine hujus Vitæ. Lege num. 3 & 4 infrà.

bentiùs quàm acceperat tribuebat. Inter discordes causas discordiæ benignè dirimebat, in judiciis absque personarum acceptione cuique jus suum tribuebat: nulli auxilium petenti denegabat. In suscipiendis hospitibus eam gerebat sollicitudinem, ut gemeret illa die, quando manibus propriis peregrinis non ministrasset. Ecclesiarum verò frequentans limina, pæne totam noctem in oratione ducebat. Præterea miranda gravitas, loquendi modestia, corripiendi constantia, doctrinæ prudentia, agendi cautela, sic ipsum perfectum fecerant, ut solus militiatis habitus, & curiæ conversario, & regia familiaritas, & rerum domesticarum ordinatio eum virum alterum adsimilarent. (An. Chr. DCCCXLII. Januarii XXIII.)

4. Denique relicta cum sua nobili prole conjuge, familia, & omnibus aliis derelictis, in eo quod ipse fecerat Monasterio sub Abbatis disciplina se tradidit mancipandum: ubi tantam jejuniorum continuationem, ciborum abstinentiam, vestium asperitatem, orationum instantiam, vigiliarum pernoctationem, silentii taciturnitatem, lacrimarum inundationem, ceterarumque virtutum perfectionem attigit, ut possibilitatem humanæ naturæ transsilire videretur: & licèt omnia bona collegii ex ejus beneficio defluxissent, tamquam tamen servus inutilis victitabat. (relicta conjuge fit Monachus.)

5. His itaque moribus ornatus, Deo & hominibus acceptus, omnium intimo venerabatur affectu. Unde factum est, ut Abbate mortuo, voce omnium eligeretur, & invitus in Abbatem consecraretur. Sub quo quantum ille Monachorum chorus creverit, quantum illa ecclesia facultatibus dilatata, ornamentis decorata, religione sublimata, famâ exaltata conscenderit; pluribus antiquorum monumentis [a] continetur. Insuper ipse humilis incessu, suavis adspectu, alloquio mitis, vultu placabilis, sic humana gerebat, ut divina non desereret. Prior siquidem divinis laudibus adsurgebat, primus surgendi tempora notabat: nonnumquam totam noctem orando, vel legendo transigebat. Inter agenda mens à contemplatione, lingua ab oratione, manus à misericordia nequaquam cessabat, receptorum hospitio peregrinorum omnium vespere pedes abluebat. (tum Abbas.)

6. Interea discurrente fama viri Dei, instante electione Viennensi, puer quidam duodennis in medio eorum qui convenerant, existens, acclamavit dicens, Bernardum Ambroniacensem Abbatem à Deo electum in ecclesia Viennensi Pastorem. quod cùm esset ab omnibus approbatum, in prædictum Pastorem unanimiter est electus. Sed cùm nullis precibus vel modis aliis ad hoc ministerium suscipiendum induci potuisset; magno Francorum Regi Carolo, cui jam cùm militia potiretur, familiaris exstiterat, suas electores direxerunt epistolas, ut ipsum ad susceptionem prædicti regiminis compelleret. qui gavisus honore viri, cùm nec precibus, nec modis aliis flectere potuisset eumdem, direxit Legatos ad Romanam curiam, ut auctoritate Apostolica compelleretur ad susceptionem regiminis suprà dicti. Quod cùm factum esset, per Legatum à Paschali [b] Papa super hoc transmissum ad hoc auctoritate Apostolica compellentem eumdem; inobedientiæ culpam præcavere volens, licèt invitus & dolens, obedivit. (demum Archiepiscopus Viennensis. * al. decennis) (Carolo M. probante.) (b)

7. Factus itaque Pontifex Viennensis, omnium curas in se suscipere satagit, mærentium consolator, pauperum refocillator, peregrinorum sus- (ut se gerit.)

a Periisse illa monumenta dolemus, ut ne quidem Abbatis primi Ambroniacensis, neque successorum nomina usque ad seculum XII referamus.

b Immo Leone Papa tertio, qui Carolo Magno superstes, Stephanum habuit successorem, cui suffectus Paschalis anno DCCCXVII, post Caroli obitum tertio. Sanè Barnardum Carolo superstite creatum fuisse Archiepiscopum patet ex Adone, qui Auctor, recitata Caroli morte, Bernardus, ait, *Viennensis Episcopus erat, & Leidradus Lugdunensis.* Paschalis tamen postea ei pallium misit cum literis, quæ leguntur apud Baronium in Annalibus, & Johannem Boscium in appendice Bibliothecæ Floriacensis: ubi etiam habentur litteræ Eugenii Papæ Barnardo inscriptæ de privilegio quodam ecclesiæ Viennensis.

An. Chr. DCCCXLII. Januarii XXIII.

ceptor, rectè vivens, rectè docens, rectè infirmitatem attendens; assiduus autem jejuniis, pernoctationibus, quotidianis laboribus, aut in oratione, vel in pauperum recreatione, seu in ceteris misericordiæ operibus; sic carnem macerabat, ut hærente sola cute ossibus, magis exanimis quàm vivus videretur. In Missarum verò celebratione (quod omni die faciebat) tanta lacrimarum inondantia se offerebat, ut priùs seipsum mactans Domino, extra se factus, circumstantes nec audire, nec videre cognosceretur. Si quis autem ei sua crimina confiteretur, ipse graviùs [a] affligebatur, quàm qui eadem commisisset.

8. Factum est autem in diebus illis, ut cùm oratio confessionis catholicæ Fidei in Nicæno Concilio promulgata, & ecclesiis Galliarum directa vulgaretur, religiosus Princeps cognita beati Pontificis eloquentiâ, Romam eum [b] mitteret disceptatorem apud Romanum Pontificem, cur cùm Fides catholica Spiritum-sanctum à Patre & Filio habeat, illud tantorum Patrum Concilium à Patre procedentem & non Filio conscripserit. in qua disputatione quòd Spiritu-sancto repletus fuerit, ipsa luculentissima disputationis conscripta oratio indicat, quam posteris, qui præsentes fuerunt, memoriæ mandaverunt. Facta igitur cognitione per ipsum, Romanus Pontifex consilio & petitione viri sancti constituit, quatenus ad confirmationem Fidei catholicæ hæc confessæ fidei oratio in omnibus sollemnitatibus post Evangelium recitaretur.

Romanense construit Cœnobiũ.

9. Tandem vir sanctus tumultibus & occupationibus à contemplationis quiete solita præpeditus, cœpit inquirere, sicubi locum remotiorem posset construere, in quo tumultus deserens, Deo vacaret liberiùs. Factum est autem, ut quædam nobilis mulier carens heredibus, per manus ipsius beato Petro & Ecclesiæ Romanæ partem sui matrimonii legaret ad construendum ibi Monasterium. quod factum est per diligentiam ejus, in loco cui Romanis nomen imposuit. Constructâ autem ibidem ecclesiâ in honore beati Petri, & Monachis cum Abbate collocatis Ibidem, in ipso loco sepeliri desiderans, trium Martyrum reliquias, quas fidei suæ primitias Vienna habuerat primùm, transtulit reverenter, scilicet Severini [c], Exsuperii, & Feliciani. Tanta autem donatione Principum ob ejus gratiam data sunt subitò illi ecclesiæ, ut magnæ Monachorum multitudini sufficeret necessaria ministrare. Hunc autem locum ad inhabitandum eligens, hic quiescebat à tumultibus, hic rivos lacrimarum fundebat, hic orationis vota offerebat, hic se jejuniis affligebat.

reliquias cò transfert.

eodem se recipit moriturus.

10. Appropinquante autem termino vitæ sibi per multa visionum indicia revelato, ingravescente corporis molestia, convocato Clero & populo in ecclesia Viennensi, luculento ac spiritali sermone omnes exhortatos, exitum suum sub specie peregrinæ professionis vocatione indicavit. Verebatur enim, ne, si manifestè vitæ finem instare nuntiaret, locum in quo sepeliri elegerat, impediretur habere. Disposita itaque domo, Romanis tamquam exinde transiturus advenit. ubi cùm triduum fecisset, quo toto triduo numquam ab oratione surrexerat, nec etiam nocte; cùm quartam noctem continuare vellet, circumfusus nimia claritate, divinitus emissa voce audivit: Veni, quia exspectaris. Gavisus igitur, cùm prostratus illo quo semper jacere consueverat cilicio, rogaretur, quatenus lon-

a Idem Paulinus refert de sancto Ambrosio in ejus Vita.

b Fallitus est auctor similitudine nominis. non enim Barnardus Viennensis, sed Bernarius Vvormatiensis Episcopus unà cum Jesse Ambianensi & Adalhardo Abbate Corbeiensi Romam missus est ad Leonem ob controversiam additamenti in Symbolo facti.

c Horum sanctorum Martyrum meminit Ado, Viennensis & ipse Episcopus, in Martyrologio XIII Kal. Decembris; ubi ait eorum corpora in sancti Romani basilica suburbana condita fuisse, sed (quod mirum est) hujus translationis non meminit. Lege tertiam Observationem huic Vitæ præmissam.

gam

gam inediam vel modico cibo relevaret; Panis, inquit, ille jam jam, fratres mei, sumendus est, sine quo nec in mundo, nec in cælis vivitur, cujus sapor reficit Angelos, Apostolos pascit, Sanctos recreat: quo quisquis vescitur, numquam in æternum moritur. Sacramentum itaque hujusmodi panis mihi apportate, ut eo accepto viatico viam universæ carnis aggrediar in patriam profecturus. His dictis psalmodiam primus incœpit, sicque in divinis laudibus pernoctantibus tanta claritate illa cellula perfunditur, ut ii qui præsentes aderant, terræ velut in ecstasi prosternerentur. Expletis autem matutinarum horis, ecce repentè suavissimus odor cum claritate supervenit. Illucescente verò die beatus ille spiritus carne solutus, liber cùm illa claritate ad Dominum migravit: odor verò remansit, quo usque corpus fuit traditum sepulturæ. Transiit autem die dominica [a], vitæ suæ anno sexagesimo quarto, episcopatus verò trigesimo secundo. nam decem & octo annorum scholis abstrahitur, septem annis conjugium sustinuit, quatuor annis sub Abbate monasticam vitam duxit, tribus verò annis Abbas præfuit. sepultus est autem decimo Kalendas Februarii, in basilica sancti Petri Apostoli, quam ipse Romanis instituit.

AN. CHR. DCCC XLII. JANUARII XXIII.

obit anno vitæ 64.

[a] Cùm Barnardus obierit *die dominica*, sepultusque sit x *Kal. Februarii*; ipsum decessisse poto anno DCCCXLII, pridie ejus diei, id est XI Kal. Februarii, qui dies tum littera dominicali A præditus erat. Neque enim ejus obitus differri potest in annum DCCCXLVIII, quo dominica in eamdem incidebat diem. siquidem Barnardus sedem Viennensem tenuit annos dumtaxat triginta duos, ordinatus ante initum imperium ab Ludovico Augusto ex dictis; ac proinde ante annum DCCCXIV. Ado quidem in Chronico Bernardi obitum nonnisi post recitatam Lotharii Imperatoris mortem memorat. at Bernardum scribit devixisse Lothario adhuc vivente, & eadem recapitulatione involvit obitum Gregorii Papæ quarti, qui anno DCCCXLIII accidit. Hinc consequens est, Bernardum ordinatum fuisse Episcopum anno DCCCX. Lege Vitam sancti Adonis infrà. Postea quàm hæc notaveram, occurrit privilegium Lotharii Augusti in Probationibus historiæ Tornutiensis apud Chiffletium pag. 269. quo Lotharius Agilmaro Viennensi Archiepiscopo restituit villam Tolianum XI *Kal. Novemb. anno imperii* sui in *Italia* XXIIII, *in Francia* IIII, *Indict.* VI. quæ notæ conveniunt in annum Christi DCCCXLIII. ut jam tandem certum sit, Barnardum hunc annum non excessisse. Denique Agilmarus in Concilio Geminiacensi subscripsit litteris pro Corbeiensi Monasterio anno DCCCXLIII, infrà ubi de Translatione S. Launomari Abbatis.

FRAGMENTUM

Ex Breviario ecclesiæ Gratianopolitanæ.

CUM LEIDRADUS Lugdunensem, & BERNARDUS Viennensem regerent ecclesiam; idem Leidradus Præsul pompas sæculi abjiciens, (erat enim vir sæculari dignitati intentissimus, & honori reipub. utilis) in quoddam quod ipse ædificaverat contulit se Monasterium cum consilio sancti Bernardi, electo in sede Agobardo Coepiscopo jussione Regis, & consentientibus aliquantis Episcopis, reddito anulo & pallio. Quamobrem grande cunctis Galliarum Pontificibus adversus sanctum Bernardum odium exoritur, objicientibus ei immane crimen de ordinatione Agobardi, ac dicentibus quoniam contra canonem Apostolorum fecisset; & non debere duos simul in uno episcopatu Episcopos inesse. Cujus sententiam irrefragabilem cernentes, domno Apostolico indicare student: quorum seditiones cùm nec epistolis, nec Missis sedari valuissent; Arelate devenit, & ad Concilium universos Episcopos convocari præcepit: in quo conventu multa de statu sanctæ Dei Ecclesiæ & ad utilitatem Fidelium pertinentia definita, resque præcipuè pro qua venerant, declaratur: ubi non aliter se excusasse sanctus Bernardus dicitur, nisi

Bernardus culpatus ob factam Agobardi ordinationem.

[a] Immo in Suessionicum sancti Medardi Monasterium, ut constat in primis ex Adonis Chronico: ubi Leidradus, Lugdunensis Antistes ecclesiæ, *initio imperii Ludovici Suessionis Monasterii locum* petiisse dicitur, id est Monasterium sancti Medardi: Agobardus verò, *ejusdem ecclesiæ Coepiscopus, consentiente Imperatore & universa Gallorum Episcoporum Synodo Episcopus substitutus* fuisse. cujus ordinationem improbat Ado, tamquam canonibus contrariam. Sed tamen eam tenuisse, nec Leidradum umquam ad sedem suam revertisse constat.

AN. CHR. DCCCXLII. JANUARII XXIII.


quòd canones tantùm & capitulum, in quo erat descriptum, tradidit, quidquid Archiepiscopo suo Coepiscopo in ecclesia sua præfecerit, liceat perficere. quod eùm nullus interdicere posset; ne sub hac occasione alius error suboriretur; statuunt, ut Leidrado ad suam ecclesiam reverso, Agobardo in quem habuerat gradu permanente, nihil ampliùs pro benedictione episcopali nuper percepta agere liceret. Sed & hoc censuerunt, ut in cunctis Galliarum episcopatibus, illis qui præsenti tempore aderant defunctis, nullus deinceps alius constitueretur Coepiscopus. quod edictum usque in hodiernum permanet tempus. Multa quidem secundùm sæculi dignitatem & actualem vitam permanentia legimus, quæ sanctus Bernardus gessit: quæ ne fastidium lectori facerent, prætermisimus. Fuit enim dilectus PIPPINO Regi Francorum, filioque ejus CAROLO Magno Augusto, sicut jam dictum, ac LUDOVICO filio Caroli illustrissimo Augusto, & affinitate conjunctus. Hic nobilitatem quam duxit ex prosapia, divina favente nobilitavit gratia. Tricesimo secundo sui anno pontificalem adeptus cathedram, gregem sibi calitus commissum sancta sollicitudine, monitis & exemplis jugiter refovebat; eratque, ut in ejus epitaphio reperitur, inclitus nobilitate ac morum probitate, &c.

EPITAPHIUM

Quod marmori inscriptum dicitur in Breviario Romanensi.

MÆSTIFICA quisquis scriptura pascere visum,
Hic cupis, & mortis conditione gemis.
Marmore scito sub hoc Barnardi corpus humatum,
Ordine qui micuit pontificale cluens.
Inclitus, egregius, largus, facundus, honestus,
Doctrinâ populo, relligione Deo.
Ipse Viennensi ter denis atque duobus
Annis metropoli præfuit ecclesiæ.
Condidit hoc templum voto studiosus amœno,
Deque suis rebus sistere constituit.
Curriculum quartum post bis sex lustra peregit,
Ni nostrum numero fallitur arbitrium.
Deinde Febroarias deno sole ante Kalendas
Decessit, moriens corpore, non anima.
Quem Deus omnipotens . · . Acherontis ab amne
Eruit *, angelicis inserat atque choris.

* l. Eruat



An. Chr. DCCCXLII. Januarii XXIII.

TRANSLATIO seu ELEVATIO

Facta anno DCCCCXLIV, IX Kal. Maii.

Scripta ab Auctore anonymo ejus temporis.

Ex Breviario Romanensi & Bollando.

1. REGNI caelorum civibus tantam gloriam consuevit tribuere omnipotens Deus, ut coruscantes miraculis spargant per populos famam laudis; & nostris temporibus de magnifico Patre nostro beato Barnardo Pontifice visiones clara ostensione sunt revelatae hominibus, aetate meritóque diversis. Sed cùm nullus adquiesceret, ostendit se cuidam viro, nomine RAINALDO, aetate longaeva & sacerdotali gratia sublimato: cujus relatione omnis dubietas meritò pelleretur, quia erat vir nobilis, & castitatis munere insignis: &, ut ipse retulit, ita sibi apparuit. Dum quiesceret in strato suo sub profundo noctis silentio, apparuit ei quidam vir magnae auctoritatis, sacerdotali stola indutus, ferens archiepiscopale pallium, qui eum vocavit, dicens: Raïnalde, me, te volo scire, conditorem hujus fuisse loci, & ut corpus meum Fratribus tuis praecipias transferri, quod indignè concluditur in coeno aquarum. Coepit autem eadem revelatio multis apparere, & minaci voce idem Sanctus, ut celeriùs fieret, praecipere; & nisi obedirent suis sermonibus, locum adserebat, quem fundaverat, desolaturum.

2. Igitur tertiâ feriâ infra albas Paschae, nono videlicet Calendas Maii, anno dominicae Incarnationis nongentesimo quarto-decimo [a], detectum est sanctum corpus ejus, & à tellure levatum summa cum laetitia. Sed cùm à tumulo membra beati Pontificis levarentur, visum est senioribus vino [b] ablui, ex quo multa sunt officia languentibus praestita. Vidimus energumenos, atque lunaticos hujus liquoris undâ potatos, viribus convaluisse, sedata impulsione daemoniaca. Sed postquam feretro impositae fuissent beatae reliquiae, fit clamor Sanctorum gaudentium; atque ad sinistram altaris Apostolorum, quod ipse vivens sacraverat, locantur [c] summa cum laetitia populorum. Auctor aequalis.

[a] Sic annum signat Breviarium Romanense, apud Bollandum anno DCCCXLIV. & sanè rectiùs. nam eo anno Pascha incidebat in Aprilis diem 14, feria tertia infra albas (quo die facta translatio) in ejusdem mensis diem nonum Kalendas Maii seu 23 Aprilis.

[b] Hunc morem in translationibus Sanctorum observari solitum aliàs notavi.

[c] Sancti Barnardi reliquiae in eo loco non ampliùs comparent, ut putavit Lievraeus; sed à Calvinistis combustae creduntur.



An. Chr. DCCCXLII. Januarii XXIII.

MIRACULA

Auctore anonymo Viennensi Episcopo, ex num. 7. qui sæculo x vixit.

Ex Breviario Romanensi & Bollando.

Vetulam delatum ejus corpus.

1.  UAMVIS imperitia mea in posterum velut inscia litterarum calumniabitur; tamen vis amoris domini Antistitis altorisque [a] mei BARNARDI compellit me scribere virtutes nuper gestas. Cùm igitur Aquitanici populi cum Pontificibus concilium [b] apud civitatem, quæ dicitur Vetula, in pago Vallavorum, celebrarent; adfuit & Romanensium congregatio, corpus prælibati Pontificis deferens. Si quis ergo voluerit scire virtutum illic gestarum copiam, vera inde excipere poterit indicia, quòd arca, quâ sacratissimum ejus corpus continetur, auro argentóque decenter ornata, ex oblationum abundantia, quas illi Fidelium detulit manus devota, fabrili opere hactenus contexta cernitur: quod & aureæ testantur cruces, necnon & candelabra auro argentóque decora.

oblata à Fidelibus.

2. Subsequenti autem tempore erat Romanis quædam sanctimonialis femina, officio linguæ privata, quæ in ecclesia permanens, rogabat Deum intima cordis compunctione. Die ergo natalis Apostolorum Petri & Pauli, cùm jam vespertinis hymnis ex more dictis pueri *Benedicamus Domino* decantarent, ipsa cum reliquo populo Deo gratias proclamavit.

3. Sub eodem itaque tempore fuit ad Viventiacum quidam coriarius. Hic cùm die dominica non servato honore diei, artis suæ exerceret opus; manubrium ferramenti tam validè adhæsit manui, ut evelli non posset: lumine oculorum insuper obcæcatus, temeritatem suam omnibus fatebatur. cui per visum quidam apparuit, & ut Romanis sancti Barnardi auxilium flagitaret, monuit. Romanis perrexit, sanitatemque recepit.

Miracula.

4. Quid etiam in Valle-aurea, quæ in pago Viennensi sita est, gestum sit, non tacebo. Concilium ibi per singulos annos Viennensium cives decreverant celebrare. advenerat ibi quidam cæcus beati Barnardi præstolans adventum in gradibus capellulæ, quæ ligneis contexta stipitibus constructa fuerat: cui cùm dicerent adesse turbam laudantium Deum pro beati adventu Barnardi, ivit statim, & visum recepit.

Dominica Palmarum.

5. Illis testantibus veritatem cognovi, qui ad festivitatem Ramis Palmarum Romanis advenerant, de cujusdam cæci illuminatione. Mos apud


[a] Ne quis putet hæc verba esse hominis, qui Barnardi fuerit æqualis; sciendum est hunc esse morem, ut Sanctorum in aliqua dignitate successores eos *altores* & *nutritores* suos vocent. Anastasius vulgatus in Leone Papa 118. *Poeit in basilica beati Petri Apostoli nutritoris sui*, &c.

[b] Id est conventum Fidelium indictum religionis causâ. quo sensu etiam hæc vox sumitur infrà num. 4. *Vetula* civitas, ubi supplicatio indicta, non alia videtur esse nonnullis, quàm Anicium aut Podium civitas, caput gentis Vellavorum, *du Velay*. Franco Monachus in Chronico Trenorciensi superiùs relatus ait, Erveum Abbatem magna ecclesiæ suæ *in Comitatu Vellaico* prædia conquisivisse, cum ecclesia sancti Georgii *in Vetula prætoris civitatis*, nempe in suburbio Anicii seu Podii Vellavorum, uti explicat Petrus Franciscus Chifflettus in historia Trenorciensi. Et quidem hanc sententiam secutus sum in superioribus, ubi actum de translatione S. Filiberti. At *Vetula civitatis* nomine significari opidum S. Pauliani, certis postea deprehendi argumentis, quæ in hujusce tomi Appendice adducam.

incolas inolevit, ut ea die ad processionem cum frondibus membra sacratissimi Præsulis secum vehant. Verùm cùm ad tantam lætitiam populus conveniret, adfuit & cæcus quidam magnis vocibus inquiens, se clarè meruisse videre. ad cujus voces cunctus commotus populus concinendo personuit, *Te Deum laudamus.* AN. CHR. DCCCXLII. JANUARII XXIII.

6. Beato testante Luca didicimus, Salvatorem nostrum Apostolos extra Hierusalem die adscensionis suæ eduxisse, & alta cælorum penetrasse. cujus memor processionis Romanensium congregatio, cùm hanc uno annorum componerent, herbæ, vulgo dictæ *gladioles*, flores unus adolescentium capsæ memorati Pontificis lætabundus imposuit. Die verò altera collectos quos posuerat flores servare studuit; ex quibus multa beneficia languentibus beatus postmodum præstitit Antistes Barnardus.

7. Illud ergo miraculum placet modò inserere, quod palàm monstratum assiduè, postquam regendam, cui Deo auctore deservio, hanc Viennensem suscepi ecclesiam. Juvenem quemdam sui parentes intulerunt Romanis, qui numquam ambulaverat: quem cùm ante beati Barnardi sepulcrum posuissent, basibus consolidatis & plantis surrexit incolumis. Hic denique miraculum suum quolibet anno circumfert: & licèt hic beatissimus impar sit Apostolis, tamen quod ad portam templi Speciosam Petrus quondam egit cum Johanne, huic simile esse cognoscitur: illum Petrus præcepit surgere, istum divina virtus meritis Pontificis voluit erigere. Sufficiat ergo quærentibus virtutes beati Pontificis, hoc tantum de ejus scriptum miraculis: sed volo eos scire, multa fuisse, & jugiter esse, & tanta quæ etiam modum scribentis videantur excedere. Auctor Viennensis Episcopus.



AN. CHR. DCCCXLIII. MARTII VII.

DE SANCTO ARDONE

COGNOMENTO SMARAGDO,

Presbytero & Monacho Anianæ.

1. ARDO, *cognomento* SMARAGDUS, *Anianæ Monachus & Presbyter sub Benedicto Abbate, cujus Acta superiùs retulimus; vir fuit non minùs doctus, quàm sanctus: tametsi, & quæ scripsit, & quæ gessit, ferè ignorantur. De eo nobis reliqua sunt tria dumtaxat monumenta: nempe liber de Vita S. Benedicti Anianæ Abbatis ab eo scriptus, ejus epitaphium, & commemoratio in Breviario Anianensi. De singulis quædam hîc dicenda.* Ardonis facta.

2. *In Breviario mss. hæc leguntur* in natali sancti Ardonis Presbyteri atque Monachi. Nonas Martii in Monasterio Aniano transitus beati ARNONIS Presbyteri atque Monachi, qui alio nomine SMARAGDUS vocatus est, præclari in sanctitate & doctrina viri. Hic claruit temporibus Caroli gloriosi ac piissimi Imperatoris: obiit autem sexagenarius anno ab Incarnatione Domini octingentesimo quadragesimo tertio, Indictione sexta, anno quarto post obitum Ludovici Imperatoris migravit ad Christum. Rectè igitur carissimi hujus sancti Confessoris Christi Ardonis diem celebramus natalem, quo hanc vitam laboriosam relinquens, in vitam tenatus est perpetuam; quo finivit laborem certaminis, & percepit præmium confessionis. *Cetera quæ sequuntur, distincta in quatuor lectiones pro more* Festus dies.

An. Chr. DCCCXLIII Martii VII. officii ecclesiastici in Ordine Benedictino, moralia sunt, nec tanti, quæ hîc transscribi mereantur. Ex his verò discimus, Ardonem jam dudum apud Anianenses coli ut sanctum. Et quidem ejus reliquiæ quondam eo loci adservabantur in theca, ut legi in brevi indice reliquiarum ejusdem Monasterii in hæc verba, ubi de reliquiis sanctorum Confessorum. Primò caput sancti Ardonis, aliàs Maragdæ *, Monachi Anianæ, confratris & Magistri in sacra pagina, incastratum in argento superdeaurato: & ab alia parte corpus sanctum positum in caxa * lignea mirabiliter ornata. Nunc verò quo in loco sint ejus reliquiæ, incertum. nisi quòd fama est, eas in abditum locum reclusas fuisse sæculo patrum nostrorum ob metum Calvinistarum.

Reliquiæ

* l. Smaragdi

* l. capsa

Epitaphiũ.

3. Epitaphium ejus, quod quinque versibus constabat, pario lapidi inscriptum, nunc ferè detritum est, exceptis versuum extremis verbis, quæ sic se habent.

.... DC [?]ONUS ARDO MAGISTER,
.... PARITERQUE SACERDOS,
.... D QUI DRAMATE PLURES
.... IGRAVIT PLUS MINUS ANNOS:
.... TRAVIT IN ORDINE SOLES.

Quod ita restituendum putant Anianenses nostri.

Hoc clausus jacet in tumulo bonus ARDO Magister,
Nomine SMARAGDUS, Monachus pariterque Sacerdos:
Conscripsit libros sacro qui dramate plures.
Natus sex denos migravit plus minus annos,
Supra ter denos lustravit in ordine soles.

Priorem annorum numerum ætati Ardonis aptant, posteriorem monasticæ professioni.

Scripta.

4. Ad scripta ejus quod attinet, liber de vita S. Benedicti Abbatis sui maturum Ardonis judicium, doctrinámque pro tempore non vulgarem satis exprimit. Ardonem Magistrum suum vocant Indenses Monachi in epistola, quâ ipsum hortantur ad scribendam Benedicti Vitam. Sermo de ecclesia Anianensis dedicatione superiùs post vitam sancti Benedicti editus, qui Ardoni tribuitur, posterioris videtur esse auctoris. Cetera quæ Smaragdi nomine circumferuntur, non sunt Ardonis nostri: sed alterius Smaragdi Abbatis S. Michaëlis in pago Virdunensi, uti demonstravi in Analectorum tomo 2.



An. Chr. DCCC XLVI. Julii III.

HISTORIA TRANSLATIONIS RELIQUIARUM S. GORGONII MARTYRIS, IN MAJUS-MONASTERIUM IN GALLIA,

Auctore Monacho anonymo, qui rei gestæ interfuit.

Ex mss. codicibus Uticensi, Chesniano, & Bellando.

1\. GORGONII *Martyris Nicomediensis translationem in Gorziense Monasterium retulimus in Sæculo superiori: nunc alterius* GORGONII *itidem Martyris translationem in Majus-Monasterium referre juvat, prout ab anonymo ejusdem loci Monacho, qui rem gestam oculis contemplatus est, ad nos usque pervenit. Ejus narrationis prolixum fragmentum edidit Chesnius in tomo 2 historiæ Francorum; Bollandiani Socii integram in suo Martio protulerunt, ubi quærunt, quis fuerit Gorgonius iste, cujus reliquiæ in Majus-Monasterium advectæ Româ sunt, Nicæni, Nicomediensis, an Armeni. Auctor ipse in fine hujus historiæ putat fuisse corpus Gorgonii Martyris, qui unus fuit ex sociis illorum quadraginta Martyrum Sebastenorum, qui passi sunt in Armenia: quorum corpora, uti & Gorgonii, incerto casu Romam delata, quidam* Episcopus AGAANS via Appia inter Duas-lauros juxta ecclesiam sanctæ Ceciliæ sepelivit. *At istorum Martyrum corpora, in cineris massam redacta, ab invicem discerni non facilè potuerunt. Ergo nec Gorgonii reliquiæ à ceteris. Sed hîc sistenda hujus rei inquisitio. Nulla ejus Sancti memoria superest in Majori-Monasterio, ubi quondam recolebatur* V. Idus Martii, *infrà.* Gorgonius iste quis.

2\. *Majus-Monasterium prope Cæsarodunum Turonum ad Ligerim in Gallia, illustrius est, quàm ut hic in transcursu commendari possit. Originem accepit à sancto Martino,* Majus-Monasterium. *qui istuc frequens secedebat,* cùm inquietudinem se frequentantium ferre non posset, *inquit Severus Sulpicius in ipsius Vita.* Ipse ex lignis contextam cellulam habebat, multique ex Fratribus in eumdem modum plerique saxo superjecti montis cavato receptacula sibi fecerant. Discipuli verò octoginta erant, qui ad exemplum beati Magistri instituebantur. Nemo ibi quidquam proprium habebat, omnia in medium conferebantur. Non emere aut vendere (ut plerisque Monachis moris est) cuiquam licebat. Ars ibi, exceptis scriptoribus, nulla habebatur: cui tamen operi minor ætas deputabatur; majores orationi vacabant. Rarus nmquam extra cellulam suam egressus, nisi ad locum orationis conveniebant. Cibum unà omnes post horam jejunii accipiebant. vinum nemo noverat, nisi quem infirmitas coegisset. Plerique camelorum setis vestiebantur, mollior ibi habitus pro crimine erat. *Quam ob causam vocatum sit Majus-Monasterium, inquirit Anonymus in libro de gestis Abbatum ejus loci. Non alia ratione sic dictum putem, quàm ob discrimen alterius Monasterii, in quo sepultus sanctus Martinus: ubi non tam numerosa erat congregatio Monachorum. Quo tempore sancti Benedicti Regula in Majus-Monasterium inducta sit, non facile est definire. Certè non longè post adventum sancti Mauri in Gallias, cujus sanctitatis fama primùm traxit quosque vicinores. Et Cæsarodunum Turonum non multum abest à Glannafolio Monasterio pagi Andecavensis, quod sanctus Maurus ad Ligerim erexit. Denique Monasterium sancti Martini tumulo illustratum Regulam nostram jam receperat sæculo septimo, ut alibi probatum est: cujus Regulæ autographum illud (ut credi par est) ipsum, quod S. Maurus in Galliam secum attulerat, in Majori-Monasterio adservabatur sæculo XI, ut ex Brovvero probavi in hujusce tomi Præfatione. Plures in Majori-Monasterio floruere viri sancti & illustres etiam post sancti Martini ætatem. istic cæsi centum viginti quatuor Monachi à Nortmannis Herberne Abbate, quos laudat sanctus Odo Cluniacensis Abbas in libro de translatione sancti Martini. Inde loco Monacho-*

An. Chr. DCCC XLVI. Julii III

rum eo inducti Canonici, quibus ejectis restituti porro Monachi & monastica disciplina per sanctum Maiolum Abbatem Cluniacensem. Vigebat ibi adhuc ea disciplina sub initium sæculi duodecimi, quo Ordericus Vitalis hæc scribit in historia sua lib. 4. Nostris temporibus Albertus, & Bartholomæus, Bernardus, & Hilgotus, ac Guillelmus Nemicencensis, Abbates huic Monasterio præfuerunt, qui sanctitate & probitate multis profuerunt, & longè lateque famosi, vicinis & externis viriliter micuerunt. *de his alias.*

Abbates ignoti.

8. *Abbatum qui à tempore sancti Martini ad sanctum Maiolum huic loco præfuerunt, nomina & series valde obscura. Anonymus jam citatus multos conglobatè commemorat: omittit nihilo minùs* Rainaldum *hujus translationis auctorem, &* Theotonem, *qui ambo sæculo nono vixerunt. Rainaldus iste frater erat Viviani Comitis, Abbatis Monasterii sancti Martini, ut patet ex litteris ipsius Viviani, datis Hilboldo Abbati Heriensi anno sexto Caroli Calvi. quibus subscribit* Rainaldus Abbas per jussionem domini Caroli Regis in advocatione germani sui Viviani Comitis. *quæ litteræ exstant apud Chiffletium in Probationibus historiæ Tornutiensis pag. 122. Rainaldum præcesserat* Theodo *Abbas, cui Judith Augusta, Ludovici Pii conjux,* villam Gambonem *sitam* in pago Blesensi seu Dunensi *attribuit anno* XVIIII *Imperii Ludovici Augusti, ut legitur in diplomate relato apud Philippum Labbeum in Miscellaneis curiosis pag. 457. Theodo iste cecidit in prælio, quod inter Matfridum & Lambertum Comites anno* DCCCXXXIV *commissum est ex Annalibus Fuldensibus. Eo Abbate Rorigo Comes* Lambertum religiosæ vitæ virum *cum Ebbone de Majori-Monasterio evocavit, ad instaurandam regularem disciplinam in Cænobio Glannafoliensi, quod Gaidulfus Abbas sæcularis pessumdederat, testante Odone Abbate in historia eversionis & instaurationis ejus Monasterii in consequentibus referenda. Præter hos duos omissus est etiam in vulgatis indicibus* Baidulus Clericus palatinus, Abbas Majoris-Monasterii, *memoratus in libello de translatione sancti Marini Martyris in Sæculi 3. appendice. Omissus denique* Ludovicus *Caroli Calvi filius, cui pater Comitatum Andegavensem* & Abbatiam Majoris-Monasterii *anno* DCCCLXV *donasse perhibetur in Annalibus Bertinianis. Jam reddenda est historica narratio de translatione sancti Gorgonii, cujus hic titulus in codice Chesniano:* INCIPIT TRANSLATIO SANCTI GORGONII MARTYRIS, QUI IN NUMERO SANCTORUM QUADRAGINTA MARTYRUM AGNOSCITUR VIGESSIMUS NONUS: CUJUS MARTYRIUM RECOLITUR V IDUS MARTII.

1. PLERIQUE ad scribendum gesta priscorum Patrum uberiori materia perducuntur, dum per multiplices sensus locupletari ingenia cognoscuntur. Sanctorum tamen memoriam calamo exarare, eorumque actus & virtutes seu & merita posteris propalare, scriptis etiam condignis derelinquere, præmium æternæ remunerationis accumulat, & bene vivendi exemplum demonstrat, ac laudem omnipotentis Dei in Sanctis suis sine fine multipliciter celebrat. Attamen virtutes, necnon miracula, quæ Christus instanti tempore per servum suum gloriosum Martyrem Gorgonium nobis præsentibus atque corporeis obtutibus cernentibus egit, scripto mandare cupientibus incutitur pro miraculorum numerositate trepidatio: primoque curandum est pudorem conscientiæ humiliter custodire, & ne quid in fide quis dubitet, omni cautela prævidere, atque quò nihil erroneum ac temerarium tantæ veritati misceatur, summopere studendum: quod si non secundùm velle, expedit ut impleatur pro posse. Bonum nempe opus quibus est in voluntate, ex Dei auxilio proveniet in perfectione. Excuset ergo ejusdem materiæ scriptorem, dum constat parve narrasse pro magnis; & non labori cedendum, sed tempori. Quoniam quidem superna largiente clementia quotidie augentur virtutes, ac fama pretiosissimi Gorgonii Martyris in Occiduis partibus usquequaque diffunditur. tantùm superest, ut ea simpliciter simul & brevissimè cognoscantur ab omnibus esse notata, quæ & labor itineris nobis permisit fessis, ne à memoria exciderent, breviter elucidare, & quæ incommoditatis tempus sinit paullulum omnibus aperire benevolis. Præstabit igitur prædicti Martyris interventu superabundans omnipotentiæ Dei largitas, ut cumulum atque largitatis magnitudinem illius virtutum prolixiori stilo & luculentiori eloquio apto temporis spatio valeamus explicare; nec qui majora contulit, minora denegabit, quique margaritum fulgens, videlicet Martyrem nobilissimum, nostris in finibus immeritis nobis condonare disposuit, ut condignis illi in omnibus pareamus famulatibus, & digno lepore digna de eo proferre queamus, favebit.

Auctor sensus.

INCIPIT

An. Chr. DCCCXLVI. Julii 18.

INCIPIT TEXTUS LIBRI.

Rainaldus Abbas it Romam,

2. ANno igitur Incarnationis Domini nostri Jesu Christi octingentesimo quadragesimo sexto, divinâ administrante gratiâ, contigit, ut RAINALDUS Cellæ Majoris-Monasterii venerabilis Abba simul cum aliquibus Presbyteris & Diaconibus, reliquisque clericis a ex prælato Monasterio sibi commisso, causâ orationis Romam pergeret, & si Dominus permitteret, & Romana seu Apostolica potestas sineret, corpus alicujus martyris Christi ad memoratum Monasterium sancti Martini, quod ipse pretiosissimus Confessor Christi à novo fundamine summopere ædificavit, secum deferret; sicuti Domino donante & fecit, & ordinante Deo, festivitate ipsius sancti Martini in loco prædicto noviter constructo celebratâ, jam dictus Abba cum suis clericis Romam perrexit. Peragratis etenim oratoriis ecclesiæ Romanæ potestatis, & thesauro quem cupiebat impetrato, decimo quarto Calendas Junii recedentes à Roma, & beatissimi martyris Christi Gorgonii corpus celeriterque Domino juvante cum summo gaudio summaque lætitia secum deferentes, ad sanctum Alexandrum pervenerunt. cujus b, inquam, Confessoris Christi miracula, ne forte inobedientiæ & negligentiæ nobis imputarentur, quæ palam omnibus acta sunt, subter annotare curavimus.

corpus S. Gorgonii refert.

Miracula in itinere facta.

3 Sequenti verò die equum RAINULFI Magistri pincernarum ipsius Abbatis validissimus languor arripuit, ita ut vix à tribus seu amplius hominibus à loco moveretur. qui oblatus ante sanctum Christi Martyrem, sanitate receptâ, herbam carpere, & omnino nihil mali sentiens currere cœpit, ita ut omnes qui aderant, nimiùm mirarentur. Altera verò die GARNERIUS Monachus, qui acutissimis quartanis febribus per aliquod tempus torquebatur, beatissimum Christi martyrem pro sua ægritudine deprecatus est, eademque febris quasi illum tetigisset exstincta est. qui Deo gratias agens cognovit se incunctanter beati Martyris Christi meritis liberatum. GERARDUM namque Presbyterum, qui Turonis (sicut multi ejus vicini noverunt) languidus Romam in eodem comitatu abiit, languor deinceps in eundo usque adeò invasit, atque per totum corpus intumuit, ut vita illius jam omnibus secum comitantibus desperaretur. qui cùm locum congruum quærendo, postularet ubi remaneret, ac sepeliretur, si obitus contingeret; hortatus est à commeantibus a sibi, ut fidem & spem suam per Deum in meritis beati Gorgonii poneret. quo facto, sanitatem impetrare statim cœpit, & validius suis pedibus in revertendo quàm equitando in eundo ire valuit. Cujus concives, cùm ad propria pervenit, incolumitatem illius multùm mirati sunt. Denique IRMINGARDUM Presbyterum ex Cœnobio jam dicti Abbatis Rainaldi vehementissimâ podagrâ laborantem idem sanctissimus Christi Martyr in momento mirificè liberavit, idemque postea eidem Martyri devotissimè famulatur. Milo verò Bridacensis oppidi Vicarius c, qui tantum dolore ita torquebatur, ut nec pedibus nec equitatu ullo modo se posse profiteretur; devovit se orando ante sanctum Christi Martyrem: & mox sanitate recepta cum comitibus suis incolumis perrexit.

a se conviantibus.

4. Transvadato igitur flumine, quod vocatur *Tarus* d, & Boisanam quamdam villam nobis pervenientibus, deportatus est in via quidam homo, qui jam per annos novem paralysi assiduè detinebatur, & nihil operis exercere valuerat: projectusque à portantibus subtus ipsius sancti Martyris feretrum, & aliquamdiu orantibus circumstantibus, atque clericis qui aderant letaniam canentibus, precibus peractis, interveniente sancto Gorgonio eadem die qui per tot annos omnium membrorum viribus caruerat, sanus effectus est. Pertranseuntes verò Placentinam civitatem, cùm ad refocillandum de itinere fessi residentes & cibum sumentes detenti essemus, subsecuta est nos quædam puella contractis poplitibus & brachiis, etiam gibbosa sub scapulis, Gilisa nomine, deportata à patre suo Gislando, seu à matre sua Ragamberta, & projecta sub ferculo gloriosissimi Martyris Christi, aliquantisper patre & matre orantibus cœperunt ligata dissolvi membra. Cui cùm domnus RAINALDUS venerabilis Abba panem in manu

Placentiæ,

a Id est Monachis, nam Monachos tum superfuisse in Majori-monasterio constat tum ex sancto Odone in historia translationis sancti Martini, tum ex libro de miraculis sancti Mauri Abbatis, de quibus alibi: & Garnerius Monachus nominatur infrà. Clerici nomen pro Monacho frequens in Actis jam editis, ut sæpius observatum. Quamquam nonnulli Clerici sæculares cum Rainaldo erant, ut patet ex sequentibus.

b Id est sancti Gorgonii, non sancti Alexandri, ut putarunt socii Bollandiani. Sancti Alexandri nomen loci est in Italia.

c Id est judex vice Comitis in oppido Bridacensi.

d Tarus agri Parmensis fluvius, qui deinde in Padum influit.

AN. CHR. DCCC XLVI. JULII III.

porrigere jussisset, acceptum diutius manu tenens, nihil tamen ex eo gustans solito surrexit, atque panem matri currendo portavit. sexennis enim erat, & sic nata fuerat. Quo audito omnes ad miraculum Sancti gaudentes, & præ gaudio flentes cum festinatione cucurrimus, & agentes Deo gratias, peractis laudibus singuli ad solita tentoria remeavimus. Arrepto deinde itinere obviavit nobis quidam puerulus in quamdam villam deportante matre, omnium membrorum carens viribus; protensosque sursum, donante Deo, arripuit scalam: diutius perrexit, & in crastino Papiam civitatem pedibus post nos ambulavit. Juxta Papiam quoque tentoriis fixis deportata est quædam puella, AVA * nomine, AVIÆ * Abbatissæ neptis, quæ quotidianis febribus acerrimè laborabat, & ante feretrum beatissimi Martyris perlata, mirificè sanata est. Transeuntibus nobis demum Vercellensem civitatem, delata est quædam femina ante feretrum sancti Martyris Christi, quæ dextera parte paralysi ligata erat: attamen sanitatem, Domino donante, ilico promeruit. Inde igitur nobis promoventibus deducta est ante sanctum Christi Martyrem quædam femina lumine oculorum carens, Augusta nomine; quæ statim visum recepit, agensque Deo gratias, ad sua cum gaudio repedavit. Juxta civitatem verò Augustam cucurrit quædam dæmoniaca usque ad feretrum beatissimi Martyris Christi; coacta tamen à matre cædendo. Namque tanto vexata erat, ut eamdem matrem suam sæpissime conviciis atque maledictionibus seu flagellis nequissimè vexaret. quæ cùm feretrum coacta tetigisset, signaculum crucis in fronte sua egit, & cum magno fœtore à quibus detinebatur ligata, soluta est, & ad pedes matris suæ prostrata veniam petiit: indultâ verò veniâ à matre, Domino gratias agens gavisa recessit.

Papiæ
* al. Evæ
* al. Aviæ

Vercellis.

Augustæ Prætoriæ, Aoste.

5. Transeuntes autem lacum [a] sancti Mauricii, navigio ad portum usque pervenimus, qui duobus ferè millibus à civitate Lausana distat. Deportata est autem quædam mulier cæca atque contracta, & sub beati Martyris feretro projecta, ex utrisque passionibus sana rediit. Inde verò ad Urbam flumen venientes pernoctavimus, & in crastino peractis missis quidam homo, Hatingisus nomine, lumine oculorum carens, visum ante feretrum ipsius, donante Domino, recepit. In ipso quoque loco quidam dæmoniacus, Lanfridus nomine, per totum diem strepens & frendens, Domino donante, ab ipsa vexatione dæmonum liberatus, & in crastinum sancti Martyris corpus secutus est, donec Dominus ejus acceptâ licentiâ ad propria incolumem seduxit eum. Milliario etenim uno antequam Salinis * villam pervenissemus, occurrit nobis quædam puella jam decennio contracta, & ante feretrum beatissimi Martyris Christi prostrata, statim à membrorum debilitate soluta & sanata est. Pertranseuntes postmodum præfatam villam, stationem ad pernoctandum fecimus: ubi quidam manu debilis, sed dextro pede claudus & locutione mutus adiit. prostratus autem ante sanctum Martyrem Christi & ambulare cœpit, & loqui. qui in crastino per totum diem nobiscum congratulando perrexit. Appropinquantibus verò nobis Loa [b] flumini, quædam Griminildis nomine, candelam manu gestans, eam super feretrum sancti Martyris projecit: quæ absque humano igne ex se flammas emisit palam omnibus: & qui viderunt, mirati sunt, dicentes: mirabilis Deus in Sanctis suis omnibus. Transeuntes igitur Segonnam * fluvium, subsecuta est nos quædam anus, Adalrada nomine, quæ similiter, ut suprà, candelam supra scalam posuit, & absque humano igne flammas similiter emisit.

* Salins in Burgundiæ Comitatu.

* la Saone.

6. Igitur appropinquantes mœnibus civitatis Aurelianensis, subsecuta est nos quædam femina visu carens; quæ, antequam pervenisset ad beati Martyris feretrum, ipso interveniente lumen recepit, peragentibus interea nobis præfata mœnia. in medio foro, qui omni Sabbato in media publica agitur, sedens quidam puerulus, Benedictus nomine; poplitibus contractis, & omni eorum virtute carens gressum meruit, atque post nos incolumis ire cœpit, ita ut multùm stuperent cives ipsius regionis. Inde verò pervenientes ad locum, ubi post etiam tentoria fiximus; in prato videlicet sancti Maximini [c] è latere ipsius Monasterii; ibique duabus nos persistentes noctibus, adiit quædam vidua, nomine Domni[illegible] debilis manu, sed, Domino donante, sana & incolumis

Aurelianis.

[a] Lemanum scilicet, cujus pars versus Agaunum seu sancti Mauricii oppidum vergit, ut notarunt socii Bollandiani.

[b] Alius est hic fluvius ab alio cognomine, qui agrum Stampensem irrigat. Hic designari conjicio Lupam, *la Louve*, qui Dubi fluvio immistus, postea mergitur in Ararim seu Sagonnam. Chronographus Divionensis meminit Petregii fori *super Lupam rapacissimum fluvium, per quod Romani pertransire quondam soliti erant, & est juxta burgum Salinas vocatum*, in Spicilegii tomo 1. pag. 371. Est & alius amnis Lupa, *Loin*, in pago Vuastinensi.

[c] Is fuit primus Abbas Miciacensis Monasterii prope Aurelianos, à quo postea Cœnobiu nomen inditum. Lege ejus Acta in Sæculo I.

rediit. Ibi etiam quidam Adalmarus nomine mutus veniens ante fores tentorii, quo idem beatus Martyr quieſcebat, abſolutionem linguæ & locutionem ipſo interveniente promeruit. Ibi quoque & Godelindis femina à capite deorſum omnium membrorum virtute carens ſupervenit, & dorſo curva, erecta & ſana ad propria remeavit. Hildeberga quoque contracta, atque in eodem loco ante beatiſſimi Martyris feretrum deportata, ſanitati eſt reſtituta. Mox igitur Adaltrudis lumine cæca, & illuc deducta in momento viſum recepit. Illò etiam & Landradus quidam contractus veniens ſanus rediit. Ibi & Giſlildis * greſſu carens, virtutem eundi promeruit. Orbertus etenim contractus illuc devotus adiit, & Domino donante illæſus rediit. Gumbalda igitur cæca, & cingulo tenus deorſum contracta, uſque ad beati Martyris feretrum deportata, in momento viſum recepit, & omnium membrorum virtute recepta, ſana & incolumis rediit. Noviſſimè ergo in eodem loco quædam femina Emiltrudis nomine, cruribus & poplitibus contracta, à portantibus delata, ſana eſt facta. Martinus denique contractus Martyrem Christi expetiit, & ſanus nos uſque ad Majus-Monaſterium proſecutus eſt. Cùm autem inde progrederemur, deducta eſt ante beatiſſimum Martyrem Chriſti quædam femina à nativitate ſurda, & muta, & cæca; ibique auditum, loquelam, & viſum recepit. cujus nomen requirentes ſcire nequivimus. Sed cùm nec ipſa proprium nomen aut locum ſuæ nativitatis innoteſcere ſciret, Benedictam nomen impoſuimus.

An. Chr. DCCC XLVI. Julii III.

* al. Fiſbildis.

7. Pergentes igitur ad Calviacum villam a ſancti Martini Majoris-Monaſterii vel ejuſdem glorioſiſſimi Martyris Chriſti pervenimus; ibique pernoctantibus & biduo conſiſtentibus, deportata eſt quædam puella, Ermenfrida nomine, contracta, de villa Fratrum ejuſdem Monaſterii in quodam grabatulo ante ferculum beati Gorgonii, quæ poplitibus erectis, Domino donante, incolumis ire cœpit gratulabunda. Ibique & Bernehardus cæcus deductus, ejuſdem villæ vernaculus ac municeps, Deo donante, per eumdem Sanctum viſum recepit.

Calviaco.

8. Igitur Domino favente ad Monaſterium ſancti Martini, quod vocatur Majus, beatiſſimus Chriſti Martyr cum ſummo honore ac reverentia deportatus, atque in medio eccleſiæ gremio poſitus eſt: ubi interveniente Joanne Baptiſta, quem in Lateranenſi eccleſia, quæ intra mœnia Romanæ civitatis veneratur & colitur, ſuper hoc exoravimus, & beato Petro Apoſtolo permittente in vigilia ſancti Martini miſſus eſt quinto Nonas Julii; cujus dilectio adeo & deliberatio habebatur, ut non antea illuc deferretur, quàm pridie Nonas ejuſdem menſis. Sed quia id nutu Dei factum eſſe credimus, ut ubi ſepeliendus & venerandus, ſeu in perpetuum permanendus erat, mutari non potuit, quin diem feſtivitatis pretioſiſſimi Confeſſoris [b] Chriſti, cui ſociandus erat, præveniret: ut cunctis appareret, ubi ei in perpetuum manere placeret; & qui de medio Principum Apoſtolorum ſponte ſubtrahebatur, dignum erat ut nobili in loco conderetur juxta ſummum Confeſſorem Chriſti, in loco ſcilicet ubi adventus [c] beatæ Dei genitricis & virginis Mariæ viſitandi gratiâ eumdem Chriſti Confeſſorem uſque in præſens veneratur, & in obſequio Apoſtolorum Petri & Pauli, & ſanctarum virginum Agnetis & Theclæ eadem viſitatio & collocutio recolitur, corpus pretioſiſſimi Martyris humaretur ut & locus & religio per eum in quibuſcumque indigebatur, redintegrari mereretur, quia in loco unde allatus eſt, talis fuit promiſſio. Et ideo interveniente beato Martino tam facilis fuit impetratio. Et ne fortè, quod abſit, infimo recondereretur in loco, ubi per ſucceſſiones heredum ſuccederetur, & eveniret eis qui fecerint vel qui conſenſerint, hoc quod in Pſalmo Propheta intulit dicens de his qui dixerunt: *Hereditate poſſideamus ſanctuarium Dei. Deus meus, pone illos ut rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti, ſicut ignis qui comburit ſilvam, & ſicut flamma comburens montes; ita perſequeris illos in tempeſtate tua, & in ira tua turbabis eos. Imple facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum, Domine: Erubeſcant & conturbentur in ſæculum ſæculi, & confundantur & pereant*; & reliqua. Peractis igitur vigiliis ac celebratis miſſis, conſideraverunt tam Clerici quàm Monachi ſimul cum LANDRANNO Turonenſis civitatis Archiepiſcopo, & ACTARDO Namnetenſis eccleſiæ Coepiſcopo, & Domno RAINALDO ejuſdem loci venerabili Abbate, ſeu VIVIANO [d] illuſtri Comite & Monaſterii ſancti Martini Rectore, ut in

Corpus acceptum in Majus-Monaſterium pridie Nonas Julii.

quo in loco repoſitum.

Eſaia. 62.

[a] Hujus villæ fit mentio apud Nithardum in lib. 1. ubi Lotharius armis in Ludovicum patrem acceptis, & Ludovicus ipſe, hinc inde *ſupra fluvium, juxta villam quæ Calviacus dicitur*, caſtra poſuerunt.

[b] Nempe feſtum diem ordinationis & tranſlationis ſancti Martini, qui celebratur IV Nonas Julii.

[c] Eadem & ſequentia verba uſurpat Monachus anonymus in libro de geſtis Abbatum Majoris-Monaſterii, nec tamen hujus tranſlationis meminit.

[d] Erat Vivianus frater Rinaldi Abbatis Majoris-Monaſterii, ut ſuperiùs obſervatum.

An. Chr. DCCCXLVI. Julii III. a

aperto extra mœnia Monesterii loco pro utriusque sexus a concursu ad tempus deferretur. quod cum magno Sacerdorum ac Levitarum, reliquorumque Clericorum ac populorum turmis honore ectum; in Salicto videlicet vel territorio juxta præfata mœnia ejusdem Monasterii, quousque ejus tempus sepeliendi in ecclesia intra eumdem Monasterium Christo disponente constructa evenerit. In præfato igitur Salicti loco infrà scripta miracula miserante Domino acta sunt.

9. Isembardus igitur quidam puerulus cum scabellulis contractus ante feretrum beati Gorgonii Martyris veniens, erectus donante Deo incolumis rediit. Isembergi deinde quædam femina causâ orationis ad præfetum Martyrem ivit; & contigit ut cum alia femina commota animo litigendo causaretur, quæ antequem perveniret ad locum, ubi idem gloriosissimus Martyr quiescebat, obmutuit, & per totum diem muta permanens, orantibus populis advenientibus vespere loquelam recepit, & de talibus deinceps se emendaram fore promisit. Bertoala interee quædam femina cæca accessit, & recuperatis luminibus rediit. Ibi etiam & Agildis femina dæmonisca advenit, & libera à quibus detinebetur, orantibus Clericis & populo sana recessit. Ibi & Godabelus contractus ex utrisque poplitibus accessit: & ex uno eorumdem membrorum nihil per decem annos sentiens, omni virtute restituta erectus & incolumis rediit. Adveniens itaque quidam homo dudum mutus, dixit se in itinere loquelam recepisse, cùm ad eumdem Christi Martyrem ut sanaretur properaret. cujus solius testimonium cùm non reciperetur, subsecuti sunt eum testes idonei, qui dixerunt quòd multum tempus vidissent eum mutum inter se conversari. Quidam namque puer, Franco nomine, poplitibus curvis & gibbosus sub scapulis, cùm à matre sua de villa cum amico ante Christi Martyrem deportaretur, dum ad litus pervenit Ligeris, cœperunt solvi membra pueri, edscendentesque navim, meliùs ac meliùs sanari cœpit, & transito flumine ante sanctum corpus pervenit erectus. Eodem verò die deductus est ibi quidam puer à domina sua, à nativitate surdus & mutus, qui statim cùm ad locum feretri pervenit, auditum & locutionem interveniente sancto Gorgonio promeruit. Contigit denique suedente hoste iniquo ut quædam femina, de qua superiùs in capitulo trigesimo quarto [b] mentionem fecimus, quæ à nativitate surde & muta & cæca fuerer, & de his omnibus ante corpus sancti Gorgonii sanitatem impertraverat, quoddam

* Boll. desc. munusculum argenteum à capite ipsius furtim abstulerit, quod nosca * vocatur: quo sublato lumen amisit. quæ statim præfatum munusculum reddidit, & lugens quæ commiseret, pro lacrimis sanguinem fundendo amarissimè flevit. Ipsa quoque die & sequenti nocte, & alia mediante die, ipsa flente & aliis qui aderant orantibus, lumen Deo dante recuperavit. Ibi namque quidam puerulus Bego nomine jam biennio contractus advenit: & solutis poplitibus, qui cum scabellulis advenerat, erectis pedibus ire cœpit. Femina igitur Plectrudis nomine, virtute renum carens, curva super croceos quodam vespere accessit, & recuperata virtute, dimissis croceolis à quibus sustentabetur, erecta & incolumis rediit. Quidam etenim homo Gislebertus nomine de Majore Monasterio domum suam pergens, & villam ejusdem Monasterii, quæ vocatur

* Asnieres Asinarias *, transiens domum cujusdam hominis intravit, & manipulos segetis ipsius hominis ante caballos suos posuit. Uxor verò ejusdem hominis proclemare cœpit, ne ei suam paupertariunculam tolleret; etiam flendo sanctum Gorgonium invocare cœpit, ut ultor illius esset, si suos manipulos ei auferret. Quorum unus equorum segetem carpere cœpit, & statim ore obserato cœpit tremere, usque dum declinans foras mortuus cecidit. quo viso prædictus Gislebertus timore perterritus, cum suis fugam quantocius iniit.

Quamvis sit nobis incognitum quomodo corpora sanctorum quadraginta Martyrum Romæ sint delata, tamen habemus scriptum, quod Agabus Dei cultor & ejusdem patriæ Episcopus cum reverendissimis viris condiderunt cum arometibus pretiosis corpora eorum in loco qui dicitur via Appia, inter duas Lauros, juxta ecclesiam sanctæ Ceciliæ virginis, ab urbe Roma milliario, donec impiorum in Christianos per annos plurimos persecutionis turbo transiret, ubi Deum diligentes Christóque credentes, ac sancto Spiritui confitentes, glorificant Jesum Christum Dominum nostrum qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

a Nempe quia feminis ingressus in basilicam Monasterii negabatur, ut in aliis Monasticis passim. Idem factum in Monasterio Floriacensi in exceptione reliquiarum sancti Sebastiani, teste Adrevaldo Monacho in libro de miraculis sancti Benedicti.

b Ex his apparet totidem libri hujus fuisse capitula, quot miracula. nulla tamen erat capitulorum divisio in codice ms. Bollandianas sectiones retinui.

An. Chr. DCCCXLVI. Dec. XI.

DE SANCTO HILDEMANNO
EPISCOPO BELLOVACENSI
IN GALLIA,

1. HILDEMANNUS, *Corbeïensis in Gallia Monachus, Ragimberto Episcopo successit in sedem ecclesia Bellovacensis. Id accidisse puto post annum* DCCCXXI, *quo reversus ab exsilio est sanctus Adalhardus Abbas Corbeïensis, cujus favore* per concessum Regis, *Ludovici scilicet Augusti, eam dignitatem obtinuit. Cùm enim Ragimbertus Hildemanni decessor Synodo Remensi interfuerit anno* DCCCXIV, *& Adalhardus ab eo anno in annos septem exsilium jussu Ludovici Augusti passus sit; non potuit auctor esse promovendi Hildemanni ante annum* DCCCXXI, *quo revocatus ab exsilio est.* Is Ragimberto succedit.

2. *Ineunte anno* DCCCXXVI *finem vivendi fecit Adalhardus, cui morienti præsto fuit Hildemannus, & mortuo justa persolvit, teste Paschasio Radberto in Vita sancti Adalhardi.* Interim verò, *inquit Paschasius*, audiens beatus vir Hildemannus Episcopus, quem ipse (Adalhardus.) Monachum nutrierat, & per concessum Regis tanto Bellovaci sublimarat honore, sanctum ægrotare Patrem, advenit ilico, & excubabat jugiter ante eum, donec vivendi finem fecit, & eum propriis manibus unà cum cunctis Fratribus sepelivit. Qui dum advenisset, gavisus est sanctus Pater alacritate maxima & lætatus, ut vix se ferret præ nimio exsultationis gaudio . . . Interea cùm cœpisset idem sanctus Episcopus à nobis percontari, utrum benedictionis oleo, sicut à beato Apostolo sancitum est, deberet perungi; interrogavimus eum, utrumne vellet. quem proculdubio scieramus peccatorum oneribus non detineri. Quod ille audiens, erectis oculis in cælum, comminus obsecrabat ut fieret . . . Qui cùm quotidianis diebus adhuc in carne febricitans, immensis se Deo taliter commendaret laudibus, contigit subitò dum solus apud se ageret, ad eum ingressum fuisse sanctum Episcopum. ad quem continuò exclamans ait: Curre velociter, ô Episcope, præcipio tibi, & osculare pedes Domini mei Jesu-Christi, quoniam ecce adest. At ille audiens, valde contremuit: quia quò iret, vel quid ageret, penitus ignorabat. Ille verò hoc dicto recepit se sub silentio, & quievit. Adest morienti S. Adalhardo.

3. *Anno* DCCCXXXIV Hildemannus Belvacensis Episcopus, *ut legitur apud Frodoardum in historia lib. 2 cap. 20*, insimulatus, quòd sicut præfati Episcopi, *Ebo scilicet Remorum, aliique*, fugam ad Lotharium moliretur, in Monasterio sancti Vedasti detentus Synodum exspectavit, *quam in Theodonis-villam anno* DCCCXXXV *convenire jusserat Ludovicus Augustus ad probandam restitutionem suam. simul ad examinandum Episcopos, qui suæ exauctorationis ferebantur auctores.* Hildemannus in Synodo præsens se à calumnia sibi impacta regulariter exuens, satisfecit Synodo, & per eam Imperatori, *ut Frodoardus testatur. Ludovici restitutioni in eadem Synodo confirmata Hildemannus subscripsisse invenitur apud Hincmarum, in posterioris operis contra Gothescalcum cap. 36.* Relegatur. Purgatur.

4. *Anno* DCCCXL *Ebo Remorum Antistes, ea in Synodo gradu dejectus, favente Lothario Augusto in sedem suam rediit; cujus restitutioni assensus est cum aliis Hildemannus, ut ex Ebonis Apologetico discimus, quod exstat in Spicilegii tomo 7. Idem subscripsit Synodo Germiniacensi in territorio Aurelianensi habita anno* DCCC Ebonis restitutioni favet.

An. Chr. DCCC XLVI. Dec. XI.

XLIII. quæ Synodus referenda est inferiùs, ubi de sancti Launomari translatione agam. De aliis Hildemanni gestis nihil nobis superest, præter id quod legitur in libro de miraculis sancti Vedasti, ubi ex oleo quodam miraculoso Hildemannus ipsiusque successores sumsisse dicuntur, tam ad baptizandum, quàm ad infirmorum unctionem. *Præterea Ansegisus Abbas Fontanellensis* Hildemanno Episcopo ad Presbyteros & pauperes libras decem *legasse memoratur, præter* libram unam, *quam Bellovaci Canonicis testamento reliquit.*

Quo anno obierit.

5. Hildemanni obitum fusior Gallia Christiana refert ad annum DCCCXLII, *Louvetus ad annum* DCCCXLVIII. *ego verò anno* DCCCXLVI *collocandum existimo. Illud argumento est, quòd Hincmarus Remorum Episcopus epistolam scripsit* Immoni Noviomagensi Episcopo pro Synodo comprovinciali à Rege Parisius condicta, & pro ordinatione Irminfridi post decessum Hildemanni Belvacensis Episcopi, *testante Frodoardo in histori. lib. 3 cap. 21. Atqui Synodus hæc Parisiensis anno* DCCCXLVII *habita est. ac proinde non ante annum superiorem obiit Hildemannus: nisi sedes Bellovatensis post ejus obitum aliquot annis vacasse dicatur, idque idoneo argumento probetur. Idem Hincmarus Carolo Regi scripsit* pro electione Belvacensis Episcopi post obitum Hildemanni, *apud Frodoardum in lib. 3 cap. 18.*

Quo die.

Diem obitus ejusdem III Idus Decembris *signat Martyrologium ecclesiæ collegiatæ sancti Petri apud Bellovacos, cui ecclesiæ* terram in Frismonte *concessisse memoratur: quo in loco Frigidi montis Abbatia Ordinis Cisterciensis postea condita est. Eumdem signat diem vetus Necrologium Dionysianum & Argentogilense his verbis:* III Id. Decemb. Ildemannus Episcopus. *Hinc corrigendum Martyrologium Gallicanum, in quo Hildemanni obitus notatur* VI *Id. ejusdem mensis.*

Inventio corporis & memoria.

Rectiùs forsan ejusdem Sancti elevatio ibidem indicatur V *Nonas Maii. tametsi vetera, quibus id probetur, ecclesiæ Bellovacensis monumenta invenire mihi non licuit. Hildemannum laudat Trithemius in lib. 4 de viris illustribus Ordinis nostri cap. 227. ubi eum* Divorum numero adnumeratum *fuisse testatur*

Odo Hermenfredi successor.

6. Hermenfrido Hildemanni successori suffectus est Odo *antè Monachus & Abbas Corbeiensis, rebus gestis clarus, de quo aliàs.*

Harbertus Monachus Corbeiensis.

7. Eodem tempore in Monasterio Corbeiensi florebat Harbertus *Monachus; qui ad regimen Laubiensis Monasterii promotus post Eggardum Abbatem. quo* rebus humanis exemto, Harbertus de Corbeïa Abbas adsciscitur, vir bonus & multùm laudatus, & ob id ad hoc à supradicto Imperatore (Ludovico) promotus. Erat enim religioni studens, & in construendis sive exornandis rebus operam dans. *Expulsus ab Hucberto Corbeiam reversus est. Folcuinus auctor in libri de gestis Abbatum Laubiensium cap. 12. Lege suprà Vitam sancti Adalhardi Abbatis, & Vvala ejus fratris: infrà verò Acta sanctorum Paschasii, Radberti & Anscharii Archiepiscopi Bremensis. quibus consideratis non immeritò Patres Concilii Parisiensis anno* DCCCXLVII *Corbeiense Monasterium laudasse videbuntur, quòd* nobilissimi viri in eodem loco ad Dei servitium confluxerunt, & eumdem locum tam nobilitate sua, quàm & vitæ merito decoraverunt.



An. Chr. DCCC LII. Julii II.

LIBELLUS DE INVENTIONE CORPORIS ET MIRACULIS S. VEDASTI EPISCOPI ATREBAT.

Scriptus ab ULMARO Presbytero & Monacho Cœnobii Vedastini.

de quo actum est in elogio S. Hadulfi Sæculo 2.

Ex ms. cod. Remigiano & Februario Bollandiano.

AUCTORIS PRÆFATIO.

Uer clariùs patet, dilectissimi Patres, Jesum Salvatorem à cunabulis mundi per Patriarchas prædictum, pueritiam orbis lege illustratam, adolescentiam sæculi à Prophetis vaticinatam viventem (ut ita dicamus) omnium elementorum ab ipso Redemptore de diaboli faucibus ereptam & instar imaginis incorruptibilis ad similitudinem Dei transformatam, & quod ipse per se gessit quatuor mundi partibus per sua membra diffudit. Unde noveris caritas dilectionis vestræ, beatissimum Vedastum nobis à Deo destinatum virtutibus floruisse, religione viguisse, prodigiis coruscasse, & cujus meriti vixerit in mundo cotidie signis demonstrari à Christo. Sed negligentiâ scriptorum & desidiâ imperitorum plurima videntur obnubilata quæ fuerant ab Omnipotente collata. Nam ferrugine puerorum rodente stilos, inertia scabrosas reddidit adulescentium linguas.

I. *De Inventione corporis viri Dei à* THEODERICO *Episcopo.*

SANCTISSIMUS igitur Vedastus, postquam commune mortis debitum solvens veteri suum Adæ chirographum reddens, ac Domino Jesu animam commendans, cælestia regna petivit; jacuit beatum cadaver in ecclesia beatæ Dei genitricis Mariæ annos circiter centum viginti octo, dehinc translatum est à beatis AUTBARTO & AUDOMARO in loco, ubi nunc servantur beata illius pignera. Sed tempore KAROLI gloriosissimi Regis filii Imperatoris Hludovici, peccatis nostris promerentibus, infuderunt se Nortmanni intra Galliam Comatam, vastantes universa quæ sibi justo judicio Dei tradita sunt; & usque ad nos irrumpere volentes, prohibiti sunt auctore Deo & precibus beati Vedasti. Sed quia nemo Deum tentare debet, Cœnobitæ nostri Monasterii metuentes similia vicinia nostris, cùm essent sub potestate ADALARDI Comitis, adierunt venerabilem antistitem THEODERICUM, supplicantes ei, ut sua freti auctoritate perquirerent, ubi nam essent pignera tanti Patris: ne si (quod absit) vastarent locum, spes reliquiarum nobis maneret; & maximè quia ferebatur à majoribus, neminem nosse quonam in loco sepultus esset. Itaque auctoritate tanti Pontificis usi statuerunt quæsitum iri, ubicumque reperiri potuisset: & qui suis pollicitus est, *Petite, & accipietis; quærite, & invenietis; pulsate & aperietur vobis*; tandem invenerunt thesaurum, ubi spes habebatur. Profectum est ad Episcopum. at ille, ut erat benignissimus & summæ mansuetudinis vir, gratias agens Deo cœtutum pervenit ad Cœnobium. Quid dicam? quantus populorum conventus, quanta utriusque sexus confluentia nobilium undique & plebejalium concurrerant. Quid plura? levatus est ille nobilissimus de cinere thesaurus VI nonas Julii, anno Dominicæ Incarnationis[a] DCCC LII. Matth. 7. 7. anno 882.

[a] Eumdem annum signat Baldericus in Chronici lib. 1 cap. 42.

An. Chr. DCCC LII. Julii II. cujus anima lætatur in cœlis cum Christo. Venerabilis itaque Theodericus Deo laudabilis, sacris sancta tractans manibus, patefecit servulis suis, Christus quod diu occultaverat sæculis. Cujus patrocinio munimur, non solùm à Germanicis hostibus, sed & à diaboli insidiis. cujus precibus credimus perventum iri ad indulgentiam peccatorum & æternam perceptionem præmiorum. Repositæ sunt autem reliquiæ beati viri sub sigillo episcopali in eadem basilica quoad fabricaretur capta tantis pignoribus apta: ut si similis nos tempestas peccatis nostris promerentibus occupaverit, facilius possint levari, (quod Christus avertat!) & comites fieri, immò duces fugæ & latibuli nostri.

II. *De repositione corporis ejusdem, ab eodem Episcopo.*

TRANSACTIS autem fermè undecim mensibus, conventus iterum fit fidelium populorum, ut reponerentur reliquiæ patris in suum locellum: concurrunt & occurrunt undique. Videres totam florere Provinciam, & quasi post diluvium Getarum a tripudiare Franciam. Gaudebant omnes, lætabantur universi, ac si conspicerent ipsum in corpore venisse Vedastum. Adest & Deo dilectus Antistes Theodericus cum clero; fit lætitia omnibus, insultant hostibus quibus auxiliatur Christus. Reponuntur iterum membra venerandi patris Vedasti in suum digno cum honore locum IX. nonas Junii. anno Dominicæ incarnationis DCCCLIII. Quis dicturus est quanta anno 853. inibi sunt collata à divitibus, à sæcularibus oblata, à devotis promissa?

III. *De claudo curato in anniversario ejusdem repositionis.*

SUPERVENIENTE verò anniversario translationis die, fit conventus totius provinciæ: & nocturnas agentibus Monachis vigilias, in medio vulgi aderat quidam pedibus debilis, ita ut calcanei naribus adhærerent, & ecce subitò quasi à duobus tractus fuisset viris, solvuntur nervi, tenduntur venæ, fitque prolixus qui fuerat curvus; adeptus est Vedasti precibus quod non habuerat ex utero matris. Clamor populi attollitur, laudantium Deum ac benedicentium Dominum. Non credant his qui negant Christum de virgine natum.

IV. *De Sanctimoniali curvata, & à Sancto curata.*

SUPERERAT Sanctimonialis servientibus Deo fratribus deserviens in sarciendis vestibus, quam vidimus deferri contractam manibus suorum ad limina sancti Vedasti XI. Octobris translationis ejusdem patris die: quæ ita reddita est incolumis, ut usque hodie membris omnibus videatur sana, & cicatricum non desint indicia. Et hoc dicimus propter eos qui dicunt, sed absit ut dicant, hæc mendaciter ficta.

V. *De rustico qui fide fertur gestasse in suo folle beatum Vedastum.*

OLIM gestum est quod modò recitatur. Aminiacus dicitur fundus almi Vedasti super fluvium Isam * in pago Laudunensi, quæ villa, quia procul erat à Monasterio, omnes circum habitantes, sicut de Madianitis legitur, cum pecudibus & quæcumque habere poterant, gregatim veniebant, vastantes & diripientes universa usque ad solum, nullo eis præbente auxilium. Qua necessitate quidam servulorum compulsus, sumpto victu venit ad Monasterium, conquerens suam suorumque calamitatem. At postquam nil solatii suarum reperit querelarum, cucurrit ad tumbam patris Vedasti. Ridiculum est quod narro, fuit tamen verum, exclamansque; Deus, inquit, Vedaste si moraris hic in corpore, ut omnes fatentur, & habes aliquid honoris in cælis, cur nos deseris? cur fruges tuas alieni diripiunt & tua hostes pascua; vineasque devastant? nullus tibi defert, nos famulos tuos, si panis fuissemus, forsitan absorberent, & quoniam hic clausus es longè non potes videre. Non tibi molestum videatur, si vili gestatorio fruaris, atque hunc intra follem ut videas lacrymas miseriarum nostrarum.

* Oise

a Hic Getas Danubii accolas confundit cum Gothis: Gothorum nomine intelligit Normannos, quibus Gothos, utique vicinos, attribuit.

His

His & aliis querelis peractis, expandit peram coram sepulcro, resolvensque, intra, inquit, ne moreris, humeris meis deferendis illæsus, & postea reverteris securus. Cernenes follem inflari, & quasi carnibus & durissimis ossibus utrem impleri. Quod videns rusticus fide dives, credens se adeptum quod petierat; concito gradu ad sua revertitur, projiciensque utrem in medio camporum inclamavit: Ah, ah, sancte Vedaste, videsne quomodo diripiant adversarii quæ tua fuero? nullus tui, nec tuorum miseretur, cerne cunctos contra te confluxisse. Mirum dictu, sed horrendum factu! omnia pecora concurrunt in se, & impetu facto tum dentibus frendentes, cornibus se appetentes, necnon pedibus toto corpore vindicavere in sua viscera quod admiserant in hereditate aliena. sicque dum vastaverunt, à semetipsis vastata sunt. Pastorum quoque quidam debiles redditi sunt, alii diversis cladibus attriti. Nam deinceps nullus incolarum voluit depopulari sancti Vedasti prædia, atque vineas quæ tanta habebant præsidia. A N CHR. DCCC LXL. Julii 12.

VI. *De altercatione piscatorum beati Vedasti, & aliarum potestatum.*

ANNO dominicæ Incarnationis octingentesimo septuagesimo quinto contigit miraculum meritis Patris nostri Vedasti quod narro. In Britannico mari quod nobis vicinum est, soliti sunt piscatores simul proficisci piscatum ad capiendam balenam: & accidit altercatio prioratus inter nostros & aliarum potestatum nautas, recusantibus illis consortium nostrorum nisi darent solidos contubernii. Negantibus hoc nostris, conglobari omnes qui de diversis ecclesiis aderant illic ad piscandum, subsannaverunt nostros, sicut pueri Bethel Helisæum calvum, dicentes: Eu vestra apparebit piscatio, capietisque integrum cete, quod præsentetis Monachis vestris, quod hactenus non sunt contemplati, qui nec decimam partem adipisci meruerunt, & hoc ipsum nostra donatione. Mox itaque intraverunt mare fidentes in multitudine navium & numerositate sociorum: sed spes in hominibus frustrata est, quia non solùm nihil piscium indepti sunt, verùm etiam cum magno evaserunt periculo. At nostri commendantes se Deo & beato Vedasto, cum voto & duabus naviculis non dubitaverunt vitam committere ventis: & qui semper adest invocantibus se in veritate, quique Petro adduxit piscanti piscem cum auro, piscem servis suis dedit immanem. Tunc partes quæ unicuique piscantium ex more debebantur, miserunt, ut voverant Fratribus & beato Vedasto, argenti solidos duos quod statuerant. Et ne cui incredulum videatur, gestum est primo imperii anno gloriosissimi Karoli imperatoris Hludovici filii, regni autem XXXV, Indictione nona. Non credant istud qui negant Jonam inobedientem ventre ferino ad regiones vectum quas ignoraverat. anno 875.

VII. *De Scoto, qui non impetrans reliquias viri Dei, sumto pavimenti pulvere recessit, & in honore illius ecclesiam ædificavit, & de miraculo ibi gesto.*

INTERCESSIONE meritorum sancti Vedasti etiam Britannia, quæ, ut scriptum est, nil aliud noverat, nisi barbarum frendere, olim cœpit & Christum venerari, & Sanctos illius debito cum honore supplicare. Accidit namque ut quidam Scotigena adiens Monasterium, in quo venerabile corpus beatissimi diem præstolatur & horam, qua, remeante spiritu, Sanctus in terra sua possideat duplicia; petivit humiliter, ut sibi reliquiæ darentur, in quarum memoria construeret basilicam in Scottia. Quod cùm negaretur ut advenæ, & ut impostor haberetur, accessit cum fidei puritate ad altare Dei & tumulum Patris Vedasti. Tum pavimenti colligens cineres & pulverem qui scopantium effugerat manus, revertitur ad sua. Quid plura? fabricat ecclesiam pro viribus suis & collatione fidelium. Habebat itaque ibidem bonus vir alvearia plena mellis & apum pro foribus basilicæ beati Vedasti; & ecce subitò noctis initio, cùm sibi mortales induisissent quietem soporis, adest fur, irrumpit locum, vult sibimet possidere in quo noluit laborare; & dum studuit prædari, præda factus est. Stat miser onustus onere alieno, non oneratus * propria calliditate, fit latro immobilis, nec latera poterat. Videres hominem velut simulacrum exanime, dum nec sine rapina, nec cum ipsa gressum movere poterat. Cumque galli cantus instaret, surgit senior ad pulsandum matutinorum signa, invenit quod volebat & nolebat. Cognita autem re præcepit latroni ut cum ipso mellis vase operiretur, quoad vicini congregarentur, volens miserum judicibus tradere puniendum. Dehine cùm cubitum isset Scottus, apparuit illi senex pulcher- * al. honoratus

An. Chr. DCCC LII. Julii II.

timi vultus & venerabilis calvitiei dicens: Nil pœnarum inferas illi misello, Christus illum vinxit, non tu, & ego absolvo eum in nomine Jesu. Noveritis me quoque non vocari BADASTUM, sicut vestrà barbaries solita est nuncupare, sed VEDASTUM. Et ecce subitò soluta sunt dicto citiùs vincula, quibus tenebatur reus occultè ligatus, dimissoque vase discessit illæsus. Et si quis curiose seu pervicaciter scire desiderat, unde nos ista scisse contigerit, respondemus, nobilissimus illius indigena soli, nomine ETHO, relictis parentibus, abdicato patrimonio, voluntariam agressus est peregrinationem. Nam pater illius ex regia prosapia ortus, inter primores provinciæ secundus post Regem exstiterat. Quod nos ab illo comperti sumus. Qui quanto generosior habebitur, eo vilior & pauperior videri volebat: sed ab omnibus accolis Scotticæ telluris audivimus: nam & hodie cognatus fratris Ethonis nobiliter Scottorum sceptra gubernat. Ipse quoque religiosissimè in nostro vivens Cœnobio triginta circiter annos, in Christo vitam finivit. Ipse nobis sæpissime fassus est hanc virtutem istiusmodi vatissimè peractam.

VIII. *De quodam Lethardo, ob devastationem familiæ sancti Vedasti simul cum uxore & filia ultione divina percusso.*

OMISSIS Britanniæ vel marinorum fluctibus, revertamur ad Francigenarum agros. Domnus Vedastus quanto suavis est mitibus, tanto severus apparet pertinacibus. Temporibus HLOTHARII Imperatoris filii HLudovici Cæsaris, devenit Abbatia Patris Vedasti in manibus ADALARDI Comitis: & dum villas Sancti suis impertiret, quidam prædives fundus nomine Iburius, mancipiis nobilior suis, & pascuis uberrimus, traditus est cuidam Lethardo usu beneficii. qui adeo grassatus est in familiam, ut minaretur universos ad mendicitatem perducendos, & qui majores in eis videbantur, pannis suarum uxorum operiendos. Uxor quoque eadem tenebatur acerbitate crudelitatis: & quia sicut Propheta dicit, à planta pedis usque ad verticem non fuit in eis sanitas, ultio divina subsecuta est. Nam jusserat cunctos adire locum, quo videbatur habere propriam possessionem. Quod renuentes, non propter superbiam, sed ne in consuetudinem haberetur, furibundus interminatus est id acerbiter vindicandum. Tunc omnes mæsti confugerunt ad limina Sancti, conferentes cereum miræ magnitudinis. Quadam igitur die dum sederet, & satellites sibi adstarent, horribili voce clamavit: Eheu! quis me interficit? succurrite, adjuvate, ferte præsidium. en quidam adversarius in figura Clerici appetit me mortificare. Et mox tantus cunctos pavor invasit, ut relicto domino fugarentur præter villicum ejus loci nomine Rimundum, quem nullus occupaverat horror, à cujus hausimus ore quod notamus calamo. Ipsa quoque torva inclamatio repetita est tertiò. Eadem tempestate mortua est suboles quam habebat unicam. Post hæc uxorem tantæ crudelitatis adjutricem languor invasit, ita ut (fama est) crustæ lardi superponerentur linguæ oris illius, & exponerentur quasi carbones nigræ. hoc dicitur cruciatu vitam finisse. Tunc isdem Lethardus febre correptus, sed mente corruptus, init fugam, quasi non esset reperturus mortem, immo reperiendus à morte. Fatebatur jam dictus noster villicus juratus acervatim coisse corvorum multitudinem & cornicum super illum crocitantium. Canes quoque ferebat immensos dedisse latratus ad illius discessum ad unam usque leugam. utrum diabolica fuerit subsannatio, an fortuitum fuerit auditum, non est nostrum judicare. Tandem perveniens quo tendebat, cœpit in dies fieri debilior. Tunc ut alter Pharao obduratus mente, non perspiciens instare sibi ultionem divinam, jussit parari convivium sollemne, tricesimum ut putabat celebraturus uxoris diem. Adest dies statutus: & ecce moritur Lethardus secundùm nomen suum, si ita volueritis, compositum ex Latino & Teudisco, Mors dura, quam non sibi optabat: & prandium quod paraverat, in suis exsequiis expensum est. Sicque factum est, ut usque hodie ipsa villa omnibus sit dominis reverenda, scientibus beatum Vedastum Pontificem suorum fore defensorem, adjuvante gratia Christi, cum Patre & Spiritu sancto. Amen.

An. Chr. DCCC LII. Julii 15.

IX. *De duobus Comitibus ultione divina percussis ob conspirationem auferendi res beati Vedasti.*

TEMPORIBUS PIPPINI & CARLOMANNI Principum, ADALRICO [a] ejusdem Monasterii Abbate, Comes Attrebatensis provinciæ, nomine TEUTBOLDUS, ambiebat Fratribus auferre quamdam culturam cum horto, quia sedes Comitatus videbatur in dominica curte, cui villæ proxima erat ipsa cultura & hortus, sicut & usque hodie permanet. quæ postea industriâ Adalrici Abbatis, qui fuerat probatissimus illius temporis meditus, tradente KARLOMANNO Principe cessit usibus Fratrum. Cumque mærentes convolarent ad Deum & suum Vedastum, non sunt fraudati desiderio, quod perierunt cum voto. Nam iisdem Comes dicitur adiisse Principem, rogans mitti viros à latere suæ auctoritatis, qui pauperibus vim Fratribus inferrent, & suæ satisfacerent cupiditati: jussusque est Remensis provinciæ Comes his interesse altercationibus. Quadam igitur die, cùm post quietem æditus [b] basilicæ sancti Remigii, vir bonus & justus, inibi solus excubaret; audit quemdam voce flebili sanctum inclamasse Remigium. Quo interrogante, Quis es? Frater, inquit, Vedastus. Misisti me, Pater sancte, verbum Dei prædicare gentibus incredulis, quod & feci gratias Deo. & ecce conglobati palatii Proceres auferunt matricularis, quod collatum est à fidelibus. Vade, dixit sanctus Remigius, convoca Fratres & cooperatores verbi divini vicinos tibi, Audoënum scilicet & Audomarum, ut audiant; Bertinum cum Wlmaro, & reliquos maritima possidentes loca ne relinquas; Amandum, Quintinum accersi; Gaugericum susde cum gaudio venire. Electus Eligius nostro non desit placito: Lucianus cum luce veniat. Ipse mihi adsumam beatum Martinum cum sanctis Aquitaniam incolentibus, necnon Medardum suos medentem; sorores quoque Augustæ Suessonum utrosque adsciscam germanos; Dionysium cum suis advocabo: atque ita properabimus in occursum tui. Quibus auditis, custos Episcopo nuntiat: mane adest & Comes, socii satisfacturus precibus. Pontifex refert Comiti quod audierat à fratre. At ille stomachans subsannat Monachum vino sepultum narrasse somnium, & cum suis iter decrevit carpere: & conscendens equum, ut pervenit ad ædem, in qua visio apparuit; cecidit & fracto crure manibus suorum perlatus est domum. Ast Teutbaldus delator Fratrum, auctor tot querelarum, statuto die sessurus sonipedem, musca nares intravit, & tam diu calcitravit, donec dominum terræ dejiceret, & mox fracto collo mortuus est. sicque Fratres usque in hodiernum diem suas res sine molestia quiete possident.

X. *De oleo cælitus Belvagi in ecclesia ipsius fuso.*

DIVINA sancitur auctoritate, duorum testimonio vel trium verbum fieri ratum. Beatissimus noster Vedastus, non contentus suis subvenire, sed longè, ut dictum est, latèque peragrans, Christo largiente, famam suæ liberalitatis diffundens, Belvagum adiit, atque quadruvium occupavit more sibi solito, cùm nusquam invenias circuitis Galliis basilicam suo dedicatam nomine, nisi in publico aggere. Cumque tempore multo veneraretur ab incolis, & maximè religiosis Monachis & Canonicis, necnon Sanctimonialibus memoria venerandi Patris; qui de silice produxit aquam & de nihilo vinum, ad laudem sui nominis oleum inibi manare præcepit. Cumque omnibus id foret admirationi, quidam supervenientes pro nihilo ducentes cœperunt habere contemtui: & dum hæc agerentur, videntibus cunctis & qui mirabantur & qui dubitaverant, exsilivit usque ad solum quidquid olei videbatur haberi in lampade: & statim cælitus purissimo repleta est olivo, & divino accensa est lumine, ut nulli dubitarent verum fuisse quod antea dicebatur. Unde factum est, ut domnus HILDEMANNUS * & universi successores Bellovagensis Ecclesiæ inde sumerent oleum, tam ad baptizandum, quàm ad infirmorum unctionem, adjuvante gratia Christi. Amen. * de eo superius ad ann. 846.

a Henschenius suspicatur legendum esse ROMANO, qui præfuit ab anno DCCXLIV aut sequente ad DCCXLVII, quo Carolomannus factus est Monachus.

b Monachus, ex sequentibus. Unde apparet Monachos jam exstitisse in Remigiana basilica principatu Carolomanni Pippini fratris: ac proinde ante pontificatum Tilpini, qui Monachos eo in loco instituisse dicitur apud Frodoardum in lib. 2 cap. 17.

An Chr. DCCC LII. Julii 11.

XI. *De syndone à quadam muliere inibi fraudata.*

QUÆDAM mulier inibi degens voverat beato Vedasto Pontifici linteum valde bonum. Cumque sibi finem vitæ cerneret imminere, præcepit illud filiæ loco deferri destinato. At illa cupiditate ducta, ut mos est feminis, deterius, immo comparatione illius pessimum altari superposuit. Cumque cum sua egrederetur fraude, linteolum divino nutu projectum est ab altari. Videres eum impetu volasse rem insensatam, ac propriam requirentem dominam. Cumque tertiò repositum esset altari, & tertiò rejectum; conventa est mulier, & publicè confessa reddidit sancto quod abstulerat furto.

XII. *De muro ecclesiæ ipsius ibidem divinitus reparato.*

NATURALE scitis esse cuncta vetustate consumi. In eadem basilica Bellovagi in honore beati Vedasti consecrata paries lapideus ab una pæne decidens fronte spatio unius cubiti quotidiè lapsum minabatur. Conveniunt quibus fuerat locus commissus. (nam pauperum hospitale totius Episcopatus inibi summa cum diligentia custoditur.) & cùm sollicitè quæritur, utrumne destruatur murus & ex integro reædificaretur, an cuneis & arte mechanica fulciretur, dormitum est: & crastino paratis omnibus quæ forent necessaria tantis impensis, cernunt firmissimè parietem qui labebatur evectum & suis compactum gressibus cohæsisse parietinis sociis.

XIII. *De ligno quod inter manus artificum in eodem loco crevit.*

RODENTE temporum antiquitate deciderat tectum basilicæ beati Vedasti, in eadem urbe positum, collatum undique ac refabricatum, quod fluminis more defluxerat. Superfuit materies perquirenda, cujus longitudo non facilè reperiebatur. & ecce quidam opibus pauper, fide locuples, dixit se habere quod quærebatur: impositumque plaustro advexit illò. Mensuratum est à fabris, inventum est breve. Tunc mæsti unde videbantur lætabundi, tandem respiciente corda illorum qui respexit Petrum negantem, pura fide ad materiem præparandam accesserunt: & sicut testantur hodie per Deum & sanctum Vedastum qui præsentes adfuerant, inventa est crevisse plusquam necessarium foret illi loco. Prætetea multas Dominus operatur virtutes meritis beati Vedasti in illa basilica fide poscentium, cujus & nos precibus adjuvari credimus per Dominum nostrum Jesum Christum unà cum Patre & Spiritu sancto qui vivit & regnat Deus per æterna sæcula sæculorum. Amen.

RELATIO CORPORIS B. VEDASTI
A BELVAGO AD PROPRIUM LOCUM,
Facta Idibus Julii mensis,
quæ ab alio (ut videtur) Auctore scripta est.

1. VALDE dignum est, Fratres carissimi, ut hac præsenti sollemnitate beatissimi confessoris Christi ac carissimi Patris nostri Vedasti, omnipotenti Deo devotas laudes & gratias persolvamus, ne fortè si ejus beneficiis ingrati fuerimus pro tali tantaque contemtus insolentia, necnon veternosa negligentia ab illo graviùs judicemur. Magnum siquidem beneficii munus nobis hodie Dominus præstitit, quando sanctissimum Vedastum patronum nostrum diu sublatum, diuque desideratum nobis restituendo reddidit. Quis, rogo, sermo, quæve mens concipere potest, quanta tunc hilaritas, quanta jocunditas omnibus hoc in loco fuerit, cùm proprius dominus, sanctus scilicet Vedastus, ad proprium locum unde, prô nefas! per aliquod tempus peregrè exsulaverat, per relationem sui corporis jam jamque reverti dignaretur? Nulli prorsus dubium est, quin, heu prô dolor! unum pro peccatis nostris acciderit, aliud verò nihilo minùs miserante ac tandem repropitiante Deo nobis servis suis divinitus contigit. Quòd enim sublatus est, nostra fecit miseria: quòd verò receptus, miserentis Dei factum

est misericordiâ. Sed utinam atque ô utinam nunquam deinceps tam grande tamque grave malum permittat provenire omnipotens! Verùm jam summatim ac breviter dicatur, qua necessitate cogente idem terque quaterque beatissimum corpus Bellovagum delatum sit. An. Chr. DCCC LII. Julii 15.

2 Igitur postquam divæ memoriæ Karolus Rex, & ad ultimum Imperator Augustus, qui fuit filius Hludowici æquè Imperatoris, filii videlicet magni Karoli Regis & Imperatoris, ex hac vita discessit; Hludowicus filius suus ei in regnum nullo obstante hereditario jure successit, qui etiam paullo plus uno anno vitales auras carpens, hominem celeriùs * exivit. Quo terris subiato, & quod minimè decuit vel debuit, Principibus inter se & contra se pro constituendo Rege divisis, audientes Normanni hanc regni desolationem, (nam fama malum quo non velociùs ullum mobilitate viget, hanc illis nuntiaverat.) omnes pæne de suis finibus egressi, atque mare oceanum transgressi, Gallias a intraverunt: sed nostros fines quia marinis litoribus proximiores erant, primitus invaserunt. Quibus cuncta ferro & igne depopulantibus, neminem vivere sinentibus, Monasteria & cetera loca sancta evertentibus, hoc Monachi pavore consternari & futuri prospicientes periculi, præsertim cùm adhuc locus Monasterii hujus adforet immunitus, nec muris esset circumseptus, nec saltem vallo circumdatus; adsumpto in humeris locello, in quo ossa sancta recondita erant, actutum fugæ præsidium inierunt, Bellovagum petierunt: quò devenientes, non modicum temporis spatium ibidem exegerunt. Denique ut hæc profectio si id necessitatis incumberet, absque alicujus moræ dilatione liberiùs atque expeditiùs posset peragi, jam pridem hoc futuri mali præsaga mente Monachis prævidentibus & petentibus Antistes illorum venerabilis vir, ac totius sanctitatis pater nomine Theodericus, eadem sancta ossa de nobilissimo mausoleo fossa humo elata exposuerat, atque in ipso jam dicto locello eumdem thesaurum omni auro Arabico pretiosiorem honorifice commutando posuerat. Suscepit igitur apud Bellovagensem civitatem has sanctas reliquias cum summo gaudio & debita veneratione gloriosissimus Odo tunc ejusdem sedis Episcopus, quondam verò Corbeiensis Monachus & Abba, dum Karolus vixit, gloriosissimus in palatio. * exuit

3. Postea evoluto aliquanto tempore, hoc est post bis senos semis & eo ampliùs annos, jam Monasterio muris circumsepto, turribus obfirmato, vallorum ambitu circumdato, Monachis etiam ex diversis partibus ad illud revertendo, coadunatis quærebatur, tractabatur, consiliabatur, quatinus sanctus Vedastus ad suum reportaretur locum & proprii juris prædium. quoniam illo absente nil boni, nec spes cujusquam boni ibi videbatur haberi: immo in dies omnia retrograda erant, & in deterius cuncta defluebant. Itaque Cœnobitæ pro hoc exercendo negorio adierunt proprium Pontificem non minùs bonum, quàm doctum, nomine Dodilonam, qui olim ejusdem Monasterii Monachus atque Præpositus ab omni clero & populo electus, velut alter Gregorius de Monasterio expellitur *; dehinc canonicè Episcopus ordinatus, gregis Christi pastor efficitur. qui desiderium Monachorum perpendens, ac preces illorum benignè suscipiens, ut erat benignissimus, atque erga omne bonum promtissimus & in Dei rebus valde strenuus; votis precantium minimè abnuit; immo magis ex asse consensit, favit, consuluit, atque suum iter non distulit. Quapropter certatim undique secus Bellovagum itum est. Ut autem illò perventum est, excepit eos honorificè, & affatim humanè Honoratus ejusdem urbis honorabilis Episcopus. Sanctum pignus quod repetebant, negare non potuit, retinere nequivit: ideoque licèt invitus reddere non distulit. Voluisset tamen, si potuisset, numquam tanto in sua vita carere bono. hospitium verò illis præbuit, hospitalitatis jura non denegavit, obsequio juvit. Porò illius tanti Sancti sæpe & semper cum honore & amore nominandi . · . · . Vedasti prout potuit non cesset . · . · . honori, quin minùs quàm quod dignum erat circa ejus honorem explere satageret. demùm cum regredientibus egressus est, cum repatriantibus longiùs comitatus est. tota etiam ipsa civitas cum hymnis & laudibus illos prosecuta est, cantantibus & dicentibus omnibus: Via justorum recta facta est, iter sanctorum præparatum est. Deinde quoque venerabilibus Episcopis sibi in via valemutuò dicentibus, Honoratus Episcopus cum suis ad sua reversus est: noster verò pater & pastor Dodilo cum suo comitatu cœptam [illegible]pebat viam. Videres igitur illud confici iter sine labore, absque difficultate, sine ullo impedimento, tum magna animorum alacritate cùm jocunda lætantium jubilatione, tum suavissima aëris tranquillitate. Quid plura referam? præ amore illius dulcissimi Patris qui portabatur, cuncta dulcia & sua- * l. extrahitur

a Id factum anno DCCCLXXX tradunt Annales Fuldenses & Bertiniani.

An. Cha. DCCC LII. Julii II.

via erant, nec aliquis gravabatur labore. Tandem quarto die egressionis à Bellovago, in Dominicâ die, Idibus Julii mensis, Domini misericordia nos adjuvante Atrebatem ingressi sumus, deferentes sanctissimum Vedastum, benignissimum, amantissimum atque desideratissimum dominum in ipsum venerabile & augustum templum, quod sibi fieri ab Angelis jussum est hominibus.

4. Sed quis enarrare, quis æstimare possit, qui concursus & occursus populorum illic fuerit? quot millia plebis illuc convenerint? quæ facies rerum, qualis dignitas vel pulcritudo nobis tunc visa sit? Etiam si ab inferis Maro emersisset, & noster Augustinus ille doctor egregius, orator facundissimus, flumen eloquentiæ quod de cælesti paradiso profluens omnem terram irrigat imbribus æthereis; si, inquam, ille & ille adfuisset ad talam tamque admirandam gloriam depromendam, uterque elinguis obstupuisset, atque obstupescendo obriguisset. Quippe aderat non parva Monachorum caterva, aderat multiplex conventus Canonicorum, Presbyterorum reliquorumque clericorum. Aderant viri cum mulieribus & parvulis; juvenes & virgines, senes cum junioribus ibi laudabant nomen Domini. nam de agris & villis per quas commeavimus nemo subsedit, qui non cum lætitia sanctum sequeretur feretrum. De tota etiam ipsa Parrochia nullus se subduxit qui ad hanc tam gloriosam non conveniret susceptionem, &c.

5. Sed venerabili feretro (ut decebat) super altari posito, omnibus ritè ac sollemniter compositis, reverendus Pontifex adorsus est Missas. qui deinde perveniens ad prædicationis locum, sermonem fecit ad populum, sed fatentur nulli mortalium temnendum, immo magis omnibus viventibus atque vivere quærentibus amplectendum, &c.

6 In hujuscemodi sermocinationis epilogo exhortatus est, suasit & admonuit domnus Pontifex, ut hic dies relationis corporis beatissimi Vedasti ad proprium locum omnibus annis celeberrimus ageretur, atque in prædicto die Idus Julii mensis ut ab omnibus sublimiter & sollemniter hæc festivitas observaretur, divina & episcopali auctoritate sanxit & statuit. Quod ut fieret ore omnium se velle conclamatum est, præcipuè tamen ipsos Monachos super hoc negotio compellatus est, ne ullo genere hoc statutum negligerent, quos de tam pii Patris præsentia semper gaudere oportebit: qui ejus numquam adminiculo carebunt, si eorum nimiùm gravis reatus non fuerit. Post hanc verò allocutionem & Missæ celebrationem domnus Episcopus data benedictione dimisit in pace populum: qui omnes cum magno gaudio reversi sunt ad propria, laudantes & benedicentes Deum in honore beatissimi Vedasti senioris & protectoris nostri, &c.

An. Cha. DCCC LIII. Februar. XXVII.

DE V. MARCVVARDO

ABBATE PRUMIENSI

APUD TREVIRENSES:

ubi agitur de origine Monasterii Prumiensis, ac de translatione sanctorum Martyrum Chrysanti & Dariæ;

deque Lothario Imperatore.

Monasterii Prumiensis initia, de Prum.

1. *E Prumiensis Monasterii primordiis Vvandalbertus ejus loci Monachus ac Diaconus in libro de miraculis sancti Goaris cap. 35 breviter agit, testatus*, excellentissimæ memoriæ Regem Francorum Pippinum, patrem Imperatoris famosissimi Caroli, amore Christi, & uxoris suæ sanctæ recordationis Bertradæ rogatu provocatum, Monasterium suprà scriptum construxisse, constitutis in eo Monachis, qui Deo sub regulari Ordine militarent; *iisque* venerabilem Asuerum regiminis præfecisse officio, qui eidem loco annis quinque & quadraginta felicissimè

An. Chr. DCCCLIII. Februar. XXVII.

præfuit. *Quo anno Cœnobii jacta sint fundamenta, nemo veterum prodidit, ne Regino quidem Prumiensis Abbas in Chronico, ad quem attinebat de Monasterio suo accuratiùs scribere. Christophorus Brovverus in lib. 7 Annalium Trevirensium, Prumiensis Monasterii primordia revocat ad annum* DCCLX. *at corrigendam esse hanc epocham docet nos diploma primarium à Pippino Rege concessum die 13 Augusti, anno* XIII *regni sui, ut à Philippo Labbeo memoratur in Observatione ad Concilium Compendiense anni* DCCLVII. *ac proinde Prumiensis conditio ad annum* DCCLXIV *referenda est. Ejus situs est triginta quinque circiter millium passibus à metropoli Trevirorum versus Septemtrionem, in Arduenna vel Eiffliæ tractu, ad Proneam rivulum Ausonio Poetæ cognitum, ut notavit Brovverus. qui rivulus voce nonnihil inflexa Prumiensi Monasterio nomen dedit.* Asuero *Abbati primo annos* XLV *regiminis tribuit Vvandalbertus. Ei successit* Tancredus *seu* Tancradus: *cui* Marcwardum *Regino substituit anno* DCCCXXIX. *Marcvvardo successit anno* DCCCLIII Eigil *Abbas. quo Abbate* Lotharius *Augustus Prumiam secessit, uti post hoc elogium referam. Eigili dignitate cedenti suffectus est* Ansbaldus, *vir sanctus: de quo, uti & de Eigile, in hujus Saeculi tomo 2 agendum. Sub utroque vixit in eo Monasterio sanctus* Huntfridus, *dein Abbas Sithiensis, ac demum Tarvennensis Episcopus, cujus Elogium etiam dabitur suo loco. Farabertum Ansbaldi successorem excepit* Regino, *vir pietate ac doctrinâ clarus: quem antecessit* Wandalbertus *Diaconus, scriptor illustris Ludovico Pio imperante. Hos longo post intervallo subsecutus est* Poto *Prumiensis Presbyter ac Monachus saculo* XII. *cujus Potonis libri quinque* de statu domus Dei, *& alius* de domo sapientiæ *exstant in tomo 12 Bibliothecæ Patrum. Eò etiam relegati sunt nonnulli regiæ stirpis homines, scilicet* Pippinus *Caroli Magni nothus, teste Eginhardo in Caroli Vita. quod itidem tacito Monasterii nomine significat Monachus Sancti-Gallensis in lib. 2 cap. 22. ubi ait Pippinum primò in Cœnobio Gallensi tonsum, dein* optasse locum in quodam Monasterio tunc nobilissimo; nunc autem, *inquit,* non incertum qua de causa, destructo. *nimirum (ut puto) per Nortmannos, qui Prumiense Monasterium anno* DCCCLXXXII *incendio consumserunt. Ibidem etiam Marcvvardo Abbate* Carolus *Ludovici Pii filius à Lothario fratre* commendatus est, *ut in Ludovici Vita legitur. Denique Hugo, Lotharii Regis filius, postquam oculis ab Arnulfo Rege privatus est, retrususque in sancti Galli Monasterium; tempore Zuentiboldi Regis Prumiæ attonsus est manu Reginonis Abbatis id ipsum attestantis. Perstat etiam nunc istud Monasterium in Arduenna situm ad Proneam fluviolum; vigetque hactenus sub Ordine nostro,* Imperiale *dictum, cujus loci Abbas inter Principes Imperii locum habet. Ad Marcvvardi res gestas accedo.*

Viri illustres.

2. *Etsi Marcvvardi nomen Germanicam originem sapit, Marcvvardum tamen Gallum, aut Francum fuisse puto: tum quia Lupi Abbatis Ferrariensis propinquus, aut certè affinis erat: tum quia Monachum induit in Monasterio Ferrariensi, de quo superiùs actum est in Vita sancti Aldrici Archiepiscopi Senonensis. De propinquitate ipsius cum Lupo testis est ipse Lupus in epistola 91 ad Marcvvardum, in qua* filium Guagonis nepotem *suum, &* Marcwardi propinquum *appellat. Atqui Lupum, si non in Senonensi Galliæ Provincia, certè in Gallia natum fuisse constat. Ejus neptem duxerat Hildegarius, Æneæ Caroli Calvi Notarii, post Episcopi Parisiensis familiaris, ex epistola 119. De eo interpretor locum superiùs relatum in Vita S. Alarici Episcopi Senonensis, qui ex dedicatione Fossatensis ecclesiæ* reversus ad propria, dum quadam die pro foribus ecclesiæ beati Stephani resideret, vidit quemdam prætereuntem, Marrymardum nomine, cujus faciem intuens, evidentia in eo signa perpendit insolentiæ. Erat enim incessus vagus, gestus pomposus, cervix erecta. facies torva, oculi truces, sermo terribilis. quo accersito, quis esset studiosè requisivit. Ille ut omnia in quodam fastu loqui consueverat, se custodem civitatis respondit. Ad quem Præsul: Si aliorum custos es, cur te ipsum custodire con-

Marcwardi patria, & genus.

An. Chr. DCCC LIII. Februar. XXVII. conversio.

temnis? Tu cùm sis pulvis & cinis, cur immodicos fastus concipis? quid inani jactanria gloriaris? Et incipiens prædicare verbum Dei, hunc increpando suavitaris admiscuit eloquia, Samatitani vulneribus semivivi vinum & oleum infundens; nec antè destitit, quin tumidam efficaciter illius repressit elationem, & superciliosam humiliavit contumaciam. Nam in cordis sui penetralibus tam penitus infixæ sunt sagittæ potentis acutæ, & ita vulneratum est cor suum caritate, quòd omnium præteritorum gratia incontinenter se Monachum fieri ab eo postularet, & ita factum est. *Hic pro* Martymardo *legendum puto* Marcwardum; *qui prius de Senonicæ urbis rector fuerit ante conversionem.*

Monachatus. ** s. estis*

3. *Monasticam vitam professus est Marcvvardus in Cœnobio Ferrariensi. Illud argumento est, quòd Lupus in epistola 55 ipsius intercessionem apud Imperatorem flagitat*, ut quoniam de loco, *inquit*, nostro sitis *, à quo vos corpore dumtaxat ecclesiastica utilitas abduxerit, isque diminutione facultatum vehementer attenuetur, atque religioni paupertas impedimento sit, intercessionis opem instaurationi ejus impensissimo studio conferatis. *Ex duplici illo capite profluxit magna illa necessitudo duplex tum inter Marcvvardum & Lupum, tum Prumienses inter & Ferrarienses.*

Abbatialis dignitas.

4. Anno dominicæ Incarnationis DCCCXXIX, *teste Reginone*, TANCRADUS secundus Abbas Prumiensis Monasterii obiit; & MARCWARDUS ei in regimine successit, vir prudens, & sacræ religioni deditus. *Hinc patet Marcvvardum Ferrariis meruisse sub Aldrico Abbate, qui eodem anno promotus est ad sedem ecclesiæ Senonensis. Marcvvardum etiam Andaginensis Cœnobii Abbatem secundum fuisse tradunt Monachi Hucbertenses.*

Legatio ad Lotharium.

5. *Anno DCCCXXXIV Ludovicus Augustus filios rebelles sibi reconciliare studens*, misit Legatos suos ad Lotharium, *scilicet* Marcwardum venerabilem Abbatem cum ceteris fidelibus suis, cum epistolis exhortatoriis, quibus admonuit eum in primis, ut recordaretur omnipotentis Dei & mandatorum ejus, ut averteret se à via sua prava, & intelligeret, quàm districtum judicium esset Deum contemnere. *Hæc apud Theganum in cap. 53. qui capite sequenti subdit, quis fuerit hujusce legationis exitus.* Postquam Lotharius, *inquit*, locutus fuisset cum supra dictis Missis, legationem eorum graviter ac durè suscepit, & minas eis promisit, quod adhuc non est impletum, nec postmodum fiet. Illi redeuntes ab eo, venerunt ad Imperatorem, nuntiantes ei omnia, quæ viderant, & audierant. *Ex hoc loco patet, Ludovico Augusto per adversam fortunam semper addictum fuisse Marcvvardum, quem magno in honore habuit. Eodem animo in Marcvvardum affectus est Carolus Calvus, qui Ludovico patre abjecto, Prumiæ ipsi Marcvvardo commendatus est, ut superiùs ex Vita Ludovici notabam. Hinc Lupus in epistola 85 Carolum Marcvvardi* alumnum *vocat.*

Gerungum Prumiæ admittit.

6. *Eodem tempore Marcvvardus* GERUNGUM clarissimum virum, palatii Ædilem (*sic eum Vvandalbertus vocat*) *Prumiæ Monachum admisit. Gerungus jam Monachus, cum Marcvvardo Abbate præsens aderat, quum Ludovicus Augustus dolore pedum ad sepulcrum sancti Goaris liberatus est.* ubi verò surrexit, ad Abbatem, & clarissimum virum Gerungum, olim palatii Ædilem, nunc Monachum conversus, Deo, inquit, gratias, nunc meritis sancti Goaris levamen mihi datum persentio. *Vvandalbertus Prumiensis Diaconus ac Monachus rem narrat in libro 2 de miraculis sancti Goaris cap. 30. ubi* Ædilis *nomine intelligit* Ostiarium, *quo nomine Frotharius Tullensis Episcopus Gerungum salutat in epistola secunda, cujus hæc inscriptio:* Illustrissimo viro & toto affectu colendo ac desiderando Gerungo, summo sacri palatii Ostiario. *Eadem ferè inscriptio tum epistolæ quartæ, tum vigesimæ tertiæ ac sequentis, quæ omnes ad Gerungum hunc scriptæ* sunt. *Ostiarium (ut id obiter observem) alio nomine* Scarionem *appellabant veteres Franci*, cujus dignitatis aut ministerii

viri

viri apud antiquos Romanos Ædilitiorum nomine censebantur, *inquit Monachus Sancti-Gallensis in lib. 1 de gestis Caroli M. cap. 20. Eumdem porro Gerungum jam Prumiensem Monachum salutat Lupus Abbas in epistola 10 ad Marcvvardum. Alius mihi videtur fuisse* GERUNGUS *Fuldensis Monachus, factus Abbas Hirsaugiensis anno* DCCC LIV, *mortuus anno* DCCC LXXXV, *ætatis anno* LXXI, *Trithemio teste. Quippe Gerungus ille jam palatii Ædiliserat anno* DCCC XXIII, *quo in Italiam missus est una cum Vvala Corbeiensi tum Monacho*, quotum consilio res Italici Regni componeret *Lotharius. quo anno vix decennis erat Gerungus iste Hirsangiensis, cui Vvalafridus Strabus librum de arithmeticis dimensionibus dicavit hoc elogio prafixo:* Reverendissimo merito patri, ætate filio, litteris discipulo, gratiâ magistro GERUNGO Abbati. *Eodem ferè tempore Prumiam acceptus est à Marcvvardo* ADO *Ferrariensis tum Monachus, post Archiepiscopus Viennensis, ut in ipsius Elogio videbimus in hujus Saculi tomo 2.* AN. CHR. DCCC LIII. FEBRUAR. XXVII. alium à Fuldensi. & Adone.

7. *Anno* DCCC XXXIX *libros duos de vita, deque miraculis sancti Goaris per Vvandalbertum Monachum suum Marcvvardus describi curavit. Titulum hunc prafert vetustissimus codex Remigianus, quo usus sum in Saculo* II. In Christi nomine prologus WANDALBERTI Diaconi in vitam & actus atque miracula beati Goaris, editus ad inlustrem virum MARCWARDUM Abbatem Monasterii Prumiæ, incipit feliciter. *Eumdem in contextu* sanctissimum & amantissimum patrem Marcwardum *appellat. Annum* DCCC XXXIX *quo id operis perfecit Vvandalbertus, signat in lib. 2 cap. 34. ubi miracula eo Abbate facta commemorat à capite 29.* S. Goaris vitam & miracula scribi curat.

8. *Geminam Marcvvardi profectionem in Italiam observo. unam, quam ante annum* DCCC XLI, *aliam, quam anno* DCCC XLIV *suscepit. Lupus Abbas utriusque meminit. & prioris quidem in epistola 5 ad Eginhardum, his verbis:* Ceterum profectionem in patriam, ac per hoc ad vos, tempus aliquantum producere coactus sum. Namque venerabili viro Marcwardo, per quem mea reversio administranda est, cùm in Italiam Legatus mitteretur, ac me priùs ad suum colloquium ut amicissimum evocavisset; mihi consuluerat, ut hinc die qua significaveram vobis recedens, sanctitatem vestram petere debuissem. Verùm illustris Abbas HRabanus postmodum regressus à palatio, foterne, necne per id temporis istic propter legationem sibi commissam, ad liquidum scire non potuit. *Contigit ergo hac Marcvvardi legatio eo tempore, quo Lupus ex Schola Fuldensi Ferrarias remeare cogitabat, id est ante finem anni* DCCC XLI, *quo istuc reversus est; certè HRabano etiam tunc Abbate, qui anno* DCCC XLIII *regimine cessit. Eam legationem à Marcvvardo susceptam esse puto anno* DCCC XXXVIII, *quo Ludovicus Augustus Regni partem Carolo filio relictam eidem firmare volens, Francorum Procerum huc consensum expetivit. Adsensere illi*, si Lodharius certum se in hoc negotio præbere vellet, cum eo fœdus iniri debere. Quam ob rem Missos deligunt, & in Italiam ad Lodharium mittunt, *&c. ut apud Nithardum in historia libro 1 legimus.* Legatus in Italiam.

9. *Anno* DCCC XLIV *Romam profectus est Marcvvardus, obtentis ab Lothario Imperatore litteris ad summum Pontificem, quò Sanctorum reliquias ab ipso impetraret. Successit res pro voto: retulitque inde corpora sanctorum Chrysanti & Daria, à Sergio Papa II concessa. Hujus translationis historiam, quam Vita sanctorum Martyrum ab Surio edita subjectam reperi in pervetusto codice Remigiano, inferius adducam, velut appendicem rerum à Marcvvardo gestarum. Istius historia conditorem esse Vvandalbertum crederem, nisi aliter suaderent quadam vitia latinitatis in illa occurrentia, qua in hominem disertum & eruditum, qualis pro tempore fuit Vvandalbertus, cadere non facilè possunt. Certè Vvandalbertus hujus translationis in Martyrologio suo meminit* VIII *Kal. Novembris his versibus.* Romam profectus, obtinet Sanctorum reliquias.

Gemmas martyrii festo veneramur eodem,

An. Chr. DCCC LIII. Februar. XXVII.

Chrysantum, Dariamque, novo quos munere Christi
Româ nunc vectos tumulis Nova-cella venustat,
Quam Rheni celsis succedunt æquora silvis.

Huc etiam referenda est Lupi Abbatis epistola 91 ad Marcvvardum, cui reditum ex Vrbe gratulatur in hunc modum: Ego vicissim, Fratresque omnes de vestra tam fructuosa reversione maximâ lætitiâ gratulamur, & Domino Deo nostro gratias ingentes referimus, quòd non solùm vestram excellentiam nobis restituit, verùm etiam vestro labore duplex Sanctorum patrocinium providit. *Deposita sanctorum Martyrum reliquia in Monasterio-novo seu Cella-nova sancti Salvatoris, qua alio nomine sancti Naboris, vulgo* Sainct Avol *dicitur, ob reliquias scilicet sancti Martyris, quas eò Chrodegangus Mettensis Episcopus transferri curavit. Forsan istud Monasterium tunc temporis Prumiensi subjectum erat, hactenus persistens sub celebri Congregatione sancti Vitoni. Ejusdem loci Abbatem fuisse puto Usualdum, cui Alcuinus epistolam 79 inscribit in hunc modum.* Domini Dei Salvatoris mundi sanctissimæ congregationi, & pio Patri Usualdo. *Conjecturam hac de re meam illud confirmat, quòd in ea epistola testatur Alcuinus, se se jam illis commendasse* per Angilramnum Archiepiscopum, & sanctæ Capellæ Primicerium, *qui tum præerat Mettensi ecclesiæ, ad cujus diœcesim pertinebat iste locus. Certè nullus eo tempore Usualdus præfuit Fuldensi Monasterio S. Salvatoris.*

Monasterium cōdit. *10. Præterea Marcvvardus condidisse fertur Monasterium in Eifflia, quod est opidum agri Iuliacensis, Monachis Prumiâ eo transmissis.*

Vvalafrido, aliisque carus. *11. Hæc ferè sunt quæ de Marcvvardo rescire potui. De eo intelligendum puto carmen Vvalafridi Strabi ad Altgerum Elevvangensem Monachum, qui aliò secesserat, forsan in Prumiense Monasterium, ut conjector ex his aliisque versibus:*

Marewardum, Cotanen dignum precor omnia Bertum
Dona salutis ego Strabus habere diu.
Jam valeant cuncti Fratres, valeat bonus Abba:
Servulus hoc vestet oro pusillus enim.

Mendum irrepsisse opinor in primum versum, sicque restitui oportere conjector.

Marcwardum, Tegan- dignum precor omnia -Bertum.

quo versu Vvalafridus salutare videtur Theganum Trevirensem Chorepiscopum, qui in subjecta historia translationis Theganbertus *appellatur. Denique nonnulli opinantur ipsum esse Marcvvardum, quem consuluit Gothescalcus super quæstione de Prædestinatione, sumto argumento ex carmine Gothescalci apud Cellotium edito, ubi hæc leguntur.*

Nempe tribus horum studui proprium indere sensum,
Marcaudo, Jonæ atque Lupo.

Verùm adseverare nolim, Marcaudum *eamdem esse cum* Marcwardo, *cujus nominis scriptio constans est in veteribus libris. Marcvvardo complures epistolas scripsit Lupus Abbas, amicus ejus carissimus, qui eum consolatur in epistola 94 ob nescio quem adversæ fortunæ casum. Ejus etiam nomine scripsit epistolam 72 ad Didonem Abbatem Senonici Monasterii sancti Petri.*

Marcvvardi memoria. *12. Bartholomæus Fisenus Soc. Iesu in libro, qui* Flores Ecclesiæ Leodiensis *inscribitur, Marcvvardum ut* Sanctum *laudat ad diem 27 Februarii, quo eum obiisse dicit, & quidem anno* DCCCLIII. *Annum signat Regino in Chronico: de die atque de nomine sanctitatis, quod Fisenus Marcvvardo tribuit, fides sit penes hominem, cujus auctoritas non mihi videtur sufficiens. Longè pluris est testimonium Lupi Abbatis, qui in epistola 122 ad Gerardum Comitem, Marcvvardum* beatæ memoriæ *appellat. quo nomine etiam Ludovicum Augustum laudat in epistola 15. Ab his nominibus temperavit Regino Abbas: temperabo & ego,* Venerabilem *appellans Marcvvardum. Iam ex ms. codice Remigiano veterrimo reddenda est narratio translationis sanctorum Martyrum Chrysanti & Dariæ, quæ si non à Vvandalberto, certè à quodam Prumiensi Monacho, rei gestæ teste oculato, scripta est.*

HISTORIA TRANSLATIONIS RELIQUIARUM SANCTORUM MARTYRUM CHRYSANTI ET DARIÆ

An. Chr. DCCC XLIV. Februar. XXVII.

ex urbe Roma in Galliam.



XPLETA sanctorum Martyrum passione, non absurdum videtur cupientibus scire, quemadmodum vel quibus auctoribus ab urbe Romana in Galliam translata sunt corpora, certaminis eorum adnectendum libello. Igitur anno Dominicæ Incarnationis DCCCXLIIII, imperante HLOTHARIO Augusto, filio serenissimi Imperatoris HLUDOVICI, MARCWARDUS Abba Prumiæ Monasterii Romam ire disponens, memorati Principis impetravit licentiam & epistolas ad Pontificem sedis Apostolicæ GREGORIUM, in quibus regia conveniebatur auctoritate, ut alicujus præclarissimi Martyris corpus ei dari deberet famæ celebrioris, de cujus passione ac veneratione nullus Fidelium posset ambigere. Arrepto namque jam itinere, cùm comperisset antedictum Papam obisse Gregorium, aliumque pro eo constitutum nomine SERGIUM; missa ad Imperatorem relatione, receptisque mox ad nuper creatum Antistitem mandatis, tandem post longa itineris spatia Romam ingreditur. Susceptus denique honorificè ab apostolico Papa, epistolas ei regias tradidit. Ille jussis imperialibus ejusque petitionibus favorabiliter in omnibus annuens, spopondit se cuncta facturum quæ suggesserat. Post hæc misit ei per MARINUM Episcopum librum Sanctorum continentem passiones, jussitque passionem sancti Chrysanti & Dariæ litteris tradere, pollicitus eorum corpora se ei daturum. Constituta itaque die ad Lateranensem properat ecclesiam. Cumque jussus ad Romanum ingressus fuisset Pontificem, positis in locello super altare corporibus, atque ex utraque parte stantibus Clericorum ordinibus & canentibus, tradidit ei cum summa veneratione & honore præfatorum Martyrum corpora, sub invocatione nominis Domini præcipiens eum circa venerationem eorum intendere, quò utterque Dei omnipotentis offensam possit effugere: ipse quidem quòd dederit, ille verò quòd datis debitam non providerit venerationem. Tradidit ei quoque reliquias XLVI sanctorum Martyrum, ac præcepit in tumulo eas memoratorum recondi Sanctorum. Susceptis itaque cum summa veneratione corporibus, omnes præcipitans moras maturavit profectionem. Omnibus igitur incolumibus, quinquagesimo die postquam ab urbe gressum extulerant, in possessionem veniunt Monasterii, videlicet in cellam sancti Goaris [a]; ubi per biduum commoratus, ordinatis Fratribus cum venerandis corporibus præmittit eos ad Prumiam Monasterium. quorum Fratres adventu comperto, cum maxima gratulatione sacris induti festinant occurrere cum candelabris & crucibus. Quæ verò in hoc spatio itineris miracula Deus ad ostendenda Sanctorum suorum merita declaraverit, translatione eorum peracta expediam. Cum ingenti itaque devotione & gaudio susceptis Sanctorum reliquiis, omnibusque quæ tempori congruebant canentibus, IIII Nonas Julii deferunt eas in Prumiam Monasterium; jacueruntque in eo quo delata fuerant feretro ad dexteram altaris usque XI Kalendarum Novembrium die, scilicet quousque pars quæ-

Caput I.

a De cella sancti Goaris, ac de ejus donatione Asuero Prumiensi Abbati per Pippinum Regem facta legendus Vvandalberti liber de miraculis sancti Goaris cap. 33 in Sæculo 2.

An. Chr. DCCCLIII Februar. XXVII. dam antiqui templi complanata in spatium prolixius extenderetur, tumulo dignus conderetur. Quo expleto tempore memorata die translata sunt Sanctorum corpora & ab Episcopo THEGANBERTO admodum religioso VIII Kalendarum Novembrium, videlicet passionis eorum die, in loco quo nunc venerantur, scilicet in possessione sancti Salvatoris, in cella quæ Novum-Monasterium vocatur, cum summo honore omniumque gratulatione tumulata. ubi nunc eorum intercessionibus ad laudem sui nominis orantes Christus exaudit, sicut ex subjectis comprobatur miraculis. Sed antequam illa quæ post eorum tumulationem acta sunt miracula proferantur, ea quæ paullo superiùs promisimus, reddenda priùs in initio videntur.

II. Igitur cùm ab Italia digressi ad basilicam beati Goaris gressum dirigerent, femina quædam non ignota civibus suis, cùm nimio renium teneretur dolore, audito Sanctorum adventu petiit se eorum obviam duci. Cumque hinc inde à duobus sustentata, vix ad locum pervenisset; mox ut tetigit feretrum quo sancta vehebantur membra, omnis ita fugatus est dolor, ut omnibus inspicientibus libero ante gestatorium gressu curreret. Hæc prima nobis Sanctorum enituit virtus: licèt fidelis pòst viri relatione comperissem, adhuc nobis in Italia positis, simili modo eorum orationibus quamdam feminam contractam fuisse erectam.

III. Femina quædam erat non ignobilis, uxor cujusdam Waningi nomine, cujus pedes & crura ita intumuerant, ut pæne lecto detineretur. Hæc audita opinione Sanctorum, subvectione equi obsequentiumque adminiculo obviàm ducta, vix tacto feretro ita sana effecta est, ut per totum montem, cujus in illis locis nimia asperitas & altitudo est, una esset ex gestantibus feretrum. Postero autem die, cùm Missarum sollemnia celebrarentur, ancillula memoratæ feminæ inter Missarum celebrationem ita contracta est, ut quæ pedibus venerat, alterius manibus tolleretur. ignoramus tamen quid causæ fuerit. Opinio verò fuit, quòd servitium recusaverit Sanctorum, volens eam domina sua illis delegare. Postea denique cùm triduum in eadem ecclesia ubi contracta est faceret, atque pro ea oratum esset; orationibus Sanctorum restituta est sanitati. itemque cùm domum reverteretur, contracta est, iterumque virtute sanctorum Martyrum priorem recepit valitudinem.

Femina gestat feretrum.

IV. Item femina quædam, cùm ita membrorum debilitate contracta teneretur, ut vehiculo duceretur, rogavit se obviam duci Sanctorum. Hæc orationibus eorum ita salva surrexit, ut propriis firmata gressibus incederet.

V. Cùm verò jam decerneremus in locum, ubi nunc adorantur, Sanctorum deduci corpora; multitudo innumerabilis processit mundare vias, per quas reliquiæ deducendæ erant Martyrum. Cùm igitur quædam succideretur arbor, quidam non prævidens casum, cecidit super eum. Cùm itaque putaretur mortuus, amota arbore, ut credimus, orationibus Sanctorum ita incolumis repertus est, acsi nil pertulisset læsionis.

VI. Jam verò tumulatis beatis Martyribus, quidam illuc veniens, cujus aures perpetuæ surditatis tumor obtinuerat, cum Sanctorum ibidem præstolaretur devotus suffragium; sanctissimis eorum meritis auditum diu sibi denegatum recipere meruit.

VII. Item quidam debilis brachio, ita ut ab humero deorsum penderet aridum, præterea surditate damnatus; cùm ad Sanctorum sepulcrum

a Is est Thegan seu Tegan Chorepiscopus Trevirensis, cujus habetur historia de gestis Ludovici Augusti, carmine laudatus à Walafrido Strabo: qui ejusdem meminisse videtur in alio carmine ad Altgerum Monachum Elevangensem, ut notavi suprà num. 8.

cum fide accederet, & brachium pristinum recognovit officium, & obstructæ aures auditum receperc. An. Chr. DCCCLIII. Februar. XXVII.

Alius quidam fuit qui ita manum cum brachio debilem habebat, ut semper deorsum pendens omnibus corporis officiis redderetur inutilis. VIII. Hic fasciculum lini manui innexum aridæ cùm ad memoriam (ut oportebat) venisset Martyrum, atque super altare poneret, protinus à rigiditate sua resolutum prior rediit virtus. Lini fasciculus oblatus.

Quædam item femina cupiens Deo & sanctis Martyribus illic servientibus, subsidiis corporalibus subvenire, onustum plaustrum cum pane & potu, aliisque necessariis secum ducens, ad locum properabat. Verùm cùm jam in proximo esset, præcessit plaustrum. Cumque sepulcrum minimè auro vel argento cerneret fulgere; ut stolidæ & inreligiosæ solent mentes, despexit & irrisit locum: atque suorum obviam eonesto reversa gradu, jussit eos quà venerant redire, dicens nihil ibi sanctitatis contineri. Tunc mulctione * Sanctorum earum confractum est, potusque diffusus, atque omnia superposita ità dispersa sunt, ut nullo usui apta redderentur. Ipsa denique tertia die ob vindictam contemtûs mortis pœnâ mulcata est. IX. Idiotarum superstitio. * l. multatione

Alia item femina cùm valida scabie omni premeretur corpore, adeo ut lepra putaretur, sed etiam diurino morbo lecto teneretur, prætcrea neque medicorum ulla potuisset arte curari; hæc cùm audisset à vicinis cereum in honore Martyrum fieri, accensa fide particulam ceræ coemeram, fecit in eodem misceri cereo. Cùm itaque cereus ad sepulcrum delatus fuisset Martyrum, mirum in modum, mox ut igni accensus est, sensit ægra longè posita virtutem, atque è stratu surgens pristinam recepit corporis sanitatem. X. Cereus.

Item alia inclusos digitos atque rigidos habens, admonita divinitus ut ad memoriam properaret Sanctorum, fide ducta, ad locum ita sana reversa est, acsi nihil umquam læsionis pertulisset. XI.

Quidam nobilis vir amore ductus Sanctorum volebat locum adire. Hic conjugem suam hortatus ut secum pergeret; illa è contra aspernata dixit, se potiùs ad opera sua pergere. nam non esse verum quod fama vulgaverat. Ille quidem cœptam perficiens voluntatem, illa verò in sua manens perfidia, cùm ad locum properaret destinatum, equo dejecta brachium fregit, ut hactenus ita manens nullâ possit medicinâ curari. XII.

Quidam puerulus ita claudus ab utero exstitit matris, ut nativitas gressum negaret. Hic cùm humeris matris fide ad tumulum tolleretur Sanctorum, ita sanctissimis Martyrum meritis sanatus est, ut qui alterius gestatus venerat gressibus, propriis revectus matrem subsequeretur. XIII.

Quædam item cùm manum atque brachium ita incurvum ac debile haberet, ut neque ad os quidquam eo potuisset deducere, cùm ante sepulcrum Martyrum diu prostrata jaceret, tandem orationibus eorum pridie Palmarum die pristinæ reddita est sanitati. XIV.

Redeunte tempore quo beatissimorum Martyrum corpora in locum, ubi nunc adorantur, delata sunt, cùm celebritas anniversarii imminetet diei, inter frequentiam multitudinis quæ pæne illuc innumerabilis tunc accurrebat, contigit quamdam feminam à pago Tulpaciense * ex beneficio Oorici advenire. Hæc unicam filiam jam quinquennem, nomine Ermenradam, cujus oculos excæcatis obduxerat caligo, habens, dolóris acta stimulis, secum meritis illuminandam Sanctorum devorè attulit. quæ cùm à custodibus peteret, ut in aliquo ecclesiæ loco suffragium præstolatura Sanctorum poneretur, permissa est in angulo cryptæ, ubi ad pedes adorarur Sanctorum, eam deponere. Deposita itaque cùm tota die illa & nocte acsi rigida immobilis jaceret, ac matutinum XV. * f. Tulpiacense

An. Chr. DCCCLIII. Februar. XXVII. celebraretur officium, & nox diei sequentis daret initium, subitò virtus divina per orationes adfuit Sanctorum, & luminis recepto vigore quod per triennium sibi denegatum omnes cognoverant, cœpit respicere clarè. Hoc itaque miraculum cùm per omnium curreret ora, & Domino sanctisque ejus Martyribus laudes clamarent; voluit etiam Dominus fidelibus populis geminato miraculo lætitiam geminare spiritalem, quantique essent sancti Martyres apud eum meriti ostendere.

XVI. Nam quædam femina nomine Bertrada, ex familia beati Maximini, de villa nuncupante *Ocgisesheim*, cùm nimia premeretur imbecillitate, ita ut nervis siccatis contracta & debilis omnibus redderetur membris; audiens Sanctorum virtutem, ad hanc & eamdem celebritatem spe sanitatis se contulit. quæ cùm devota Martyrum imploraret auxilium, obtentu eorum meruit sanitatem. Igitur cùm Missarum celebratio perageretur, Sanctorum ei advenit virtus: & quæ contracta & debilis aliorum venit adminiculo, propriis firmata gressibus redit ad propria.

XVII. Fuit item in vico, qui Sinciacus nuncupatur, quædam femina, nomine Gamirildis, ex familia sancti Petri, cujus facies in tantum erat deformata, ut intuentibus non parvum horrorem incuteret. Ore siquidem ad aurem prope contorto oculisque transversa, tuentibus monstrum quoddam exstiterat. Hæc dominam suam, nomine Heritrudem, deprecatur ad Sanctorum ecclesiam properantem, ut candelam quam ad modum capitis sui ut pauper effecerat, secum deferret: quatinus per intercessionem Sanctorum omnipotentis miseratio subveniret ejus difformitati. Annuens domina precibus famulæ, secum detulit quod fuerat postulata. Cumque pervenisset ad locum sacratum, candelam inter sacras vigilias accendit ex more. Continuò miserabilem longè positam virtus divina respiciens, omnem deformitatem ab ejus abstulit facie. nam rediens Domina ita sanam reperit omni deformitate carentem, ut nec signum in facie præteritæ remanserit infirmitatis. Gestum est & hoc miraculum die natalis eorum.

Candela ad modum capitis.

XVIII. Alius quidam, Freosbaldus nomine, de Bunna, pluribus inter suos auctus pecuniis, (nam instituendis mercibus operam dabat) valida opprimebatur debilitate membrorum, ita ut nihil aliud nisi paralyticus crederetur. quippe totius corporis bona destitutus valitudine, ministrorum potiùs quàm propriis utebatur gressibus. Hic audita virtute Sanctorum, quam orationibus suis infirmantibus conferebant, rogavit se ad eorum deportari memoriam, quò ut aliis, ita sibi sanitatis impenderent opem. Itaque eò vehiculo deportatur. nam, sicut dixi, aliter venire nequibat. Cùm igitur votis expletis minimè petitum sensisset in se redire vigorem, fecit se unde venerat referri, nil tamen de virtute desperans Sanctorum, congruo iterum reversurus tempore. Verùm sancti Martyres fidem non obliti recedentis, ut ostenderent se non modò præsentes, verùm etiam absentes orationibus suis posse juvare; huic quoque virtute solita adesse dignati sunt. Nam dum famuli cum eo agerent iter, sensit æger meritis Sanctorum virtutem sensim sibi advenire. Cùm igitur prævenisset domum, atque gestatorio deponeretur; ita firmatis gressibus omnibusque corporis membris cœpit incedere, ut qui quondam diutino tabefactus morbo inutilis jacuerat, ad omnia prorsus suffragio Martyrum utilis redderetur. Itaque laudans & benedicens Deum, qui per Sanctos suos sanitatem sibi divinè gratam contulit, hactenus virtute potita fruitur.

XIX. Fuit quidam homo item ex familia sancti Petri, nomine Daguinus, in villa quæ vocatur Albiniaca; quem eodem anno quo sancta sunt corpora tumulata, ita contigit tibiis contrahi, ut penitus ambulare non posset, sed genibus & manibus reperet claudus toto permanens anno.

Hic ad locum sanctum carro devectus, per triduum se se reptando per ecclesiam traxit, in crypta sæpe residens apud Sanctorum memoriam. Cumque nocte quarta nocturnis pulsaris solitus adforet, finitis eis, à custode jubetur ad horam ecclesiâ secedere. Ille jussionibus ejus obtemperans traxit se in vestibulum ecclesiæ. Verùm nimio vento ibi sedere prohibitus, in aliam se contulit porticum, ducentem per ecclesiam ad pauperum hospitale, & in ipso se projecit introitu ecclesiæ. ubi cùm aliquamdiu jacuisset, vidit, ut ipse referebat, duos albatos pueros nimiùm decoros per idem ostium egressos versus domum hospitum pergere. ubi parum commorati per eamdem porticum redierunt, & ecclesiam intrantes unus eorum ejus humerum tetigit, eique dixit: Surge, quia sanatus es, & vade ad mansionem. Ille continuò sanus evigilans, laudes & gratias egit Deo, qui eum per Sanctos suos ita curaverit, ut vehiculo veniens pedibus propriis ad suam domum perrexerit.

Erat quidam puerulus ex familia beati Petri, novi scilicet Monasterii, Betefridus nomine, cujus oculos ita cæcitatis repleverat caligo, ut omnino negato lumine ductu regeretur alterius. Adveniente itaque dominicæ nativitatis die visum est patri ejus, qui, ut filius, Betefridus vocabatur, quatinus ad memoriam clarissimorum deduceretur Sanctorum. Cùm igitur adveniret tempus, quo de more vigiliæ celebrabantur nocturnæ, depositus est in crypta ad pedes Martyrum, præstolaturus ibidem per orationes Sanctorum Domini Salvatoris virtutem. Expletis ibidem vigiliis idem puer ad hospitale relatus est pauperum, iterum mane facto ad tumulum bona spe reversurus. Sed misericordia Domini Redemtoris suffragiis Sanctorum Martyrum inopinanti in loco adfuit quietis. Nam cùm die facto è lecto exsurgeret, ita cœpit omnia dare inspicere, ut inoffenso gressu omnibus inspicientibus ad basilicam properaret Sanctorum, gratias illi agens, qui ea die exortus est in tenebris rectis corde, qui etiam meritis eorumdem Sanctorum visum meruerat recipere oculorum. XX.

Non longè à possessione præstructi Monasterii est villa quædam, quam antiquitas Tabernam voluit appellare. In ea quidam erat homo, nomine Alvoldus. Hujus itaque ægritudo paralysis ita totum sibi vindicaverat corpus, ut pæne omnibus dissolutus membris vix tactum pateretur aliorum. Ad similitudem igitur illius evangelici paralytici, inter manus deductus famulantium, ad memoriam devehitur Sanctorum. quem in brevi tempore suffragio Martyrum ita divina reparavit pietas, ut solidatis membris ad propria exsultans & benedicens Deum suis reportaretur, qui aliorum venerat gressibus. XXI.

Alius item de eadem villa, nomine Hibaldus, privatione communis damnatus luminis, audiens virtute Martyrum concivis sui paralysi dissolutis membris priorem recepisse virtutem; spe roboratus petiit à suo germano eò se deduci. Germanus itaque ejus cùm fratris miseratus cæcitatem, tum etiam Sanctorum non diffidens meritis, cœpit cum eo iter agens ad locum properare, ac futuræ salutis indicio, ut alterius gestatus officio, mira tendere agilitate. Qui cùm haud longè abfuissent à loco, ita ut culmen potuisset ecclesiæ conspici, paullulum represso subsequentis gradu; Frater, inquit, si tibi virtus suffragaretur luminis, potuisses utique tecta & parietes ecclesiæ conspicere Sanctorum. hic tacito mentis nutu cæcus orationibus Martyrum divinum sibi adesse implorans auxilium, cœpit mirum in modum fugatis tenebris parum videre, & menti injecta digito notare loca. Ad tumulum igitur perveniens Sanctorum, ita infra paucos dies pristinam recepit sanitatem, ut non integritatem modò reciperet visûs, verùm etiam oculorum magnitudinem, XXII.

AN. CHR. DCCC LIII. qui caliginis diutina cæcitate ita parvi effecti fuerant, ut vix pupilla in eis cerneretur.

FEBRUAR. XXVIII. XXIII. Aliud huic haud multùm dissimile subjungam miraculum. Quædam namque femina similiter per continuum annum cæca, cùm desperationis nimiæ torqueretur angore, funem factum accedens ad locum Deo ac sanctis obtulit Martyribus. hæc si ille non competeret, formam sibi à custode petiit dari, quò, revertens domum, aptum præparare potuisset. Inter ea dum custos necteret moras, illa regenti sibi gressus imperat illò se duci, ubi signorum dependebant funes. nam ad idem opus suum intexere cupiebat. factumque est. Cumque grossitudinem pertentaret manu, magnifica circa miseram Dei claruit virtus, ac mira celeritate objecta deseruit cæcitas oculos: ut uno eodemque momento & funem arriperet, & luminis reciperet claritatem. Gaudens igitur & exsultans, ad memoriam recurrit Martyrum, atque, prout competebat, gratiarum eis persolvit laudes, quòd misericordia divina interventu eorum eam respicere dignata sit.

Funis oblatus.

XXIV. Tempore quo Sanctorum reconditæ sunt reliquiæ in memorato sæpius loco, erant in villa nuncupante Crupta, duo carnis conjuncti copulâ, quorum alter nuncupabatur Wilhelmus, altera Engilsuindis, qui à conjunctionis suæ tempore usque in id tempus bona semper roborati vixerant valitudine. Accidit autem prædicto tempore indissimili utrosque fatigari infirmitate. A renibus namque ita omne inferius corpus feritas attrivit morbi, ut nisi obsequentium portarentur manibus, nulla urgente necessitate loco moverentur. Cùm itaque frequens Sanctorum virtutem & miracula opinio circumquaque diffunderet, habitatores etiam præfatæ replevit villæ. Hac excitati fama, facta conventione ad locum omnes pariter oratum disponebant ire. Duo igitur jam nominati vicinorum religiositatis cognoscentes voluntatem, tametsi corpore nequirent, animo tamen ire gestiebant. Acceptâ namque cerâ, factisque candelis, instituerunt propinquos & affines ad memoriam eas beatorum mittere Martyrum, quatinus miseratio Redemtoris interventu Sanctorum eorum subvenire dignaretur imbecillitati. Parantibus autem eis, mira circa eos divina effulsit pietas. Nam loco nondum motis, dicto citiùs ita virtus adfuit Dei, ut uno tempore & sanissimi exsurgerent, iterque cum aliis arriperent: quique petituri sanitatem aliorum ibant ore, ipsi intercedentibus Sanctorum clarissimis meritis per se vota mererentur deferre.

Candelæ.

XXV. Femina quædam ex provincia Arduennæ, nomine Immina, ex villa quæ *Binuzfelt* dicitur, cùm jam diu esset surda & muta, manibusque debilis, cùm ad locum sanctum comitantibus vicinis & permittente domina sua, Teotburga nomine, oratum venisset; diem integrum commorata, mox ut regredi cœpit, primò unius manus & loquelæ auditusque facultatem; mox deinde alterius quoque manus & totius corporis est sanitatem adepta: ita ut hodieque vicini & affines ejus restentur, numquam eam in multo retro spatio, ut nunc, sanam exstitisse.

XXVI. Item alia quæ priorem in suprà dicta infirmitate vidisset, & ad sanctum locum comitata testis sanitatis ejus exsisteret, nomine Grimilt, cùm à viro suo narrata prioris feminæ sanitate, quam sub oculis viderat, ut sibi denuo oratum liceret venire, petisset, nec ad id temporis obtinuisset; qua hora, ut pòst compertum est, in Monasterio beatorum Martyrum Missæ dominici diei, quibus illa se interfuturam esse voverat, celebrari cœperunt, ipsa manuum est debilitate & totius corporis mulctata gravedine, adeo ut quia incessum non poterat, carrucæ superposita ad Monasterium denuò veheretur. Cumque venisset, & apud memoriam Martyrum

Martyrum aliquamdiu perorasset; primò in ecclesia una ei manus est absoluta, deinde inter prandendum alterius manus & totius corporis commoditas restituta. Ita factum est, ut quæ priùs alienæ sanitatis narratrix exstiterat, suæ deinceps & compos esset & testis. AN. CHR. DCCCLIII. FEBRUAR. XXVII.

Est consuetudo loci, ut die sollemnitatis paschalis Clerici [a] vespertinum celebrantes officium ita sacris induantur, ut in Missarum agitur celebratione. Factum est igitur, ut custos de more cum aliis indutus, lampades accensurus ecclesiæ procederet. Sed dum incautè progrederetur, positus sub lampadibus oleum lampadis cecidit, atque partem planetæ, qua fortè indutus erat, non absque deformitate infecit. Custos exterritus, mox ad secretarium gradum retorsit, atque eâ exutus congruo, non absque fide, deposuit loco. Hanc, inquit, sancta Daria, si vales tuis reforma precibus. Postridie ejus diei accessit custos, ut depositam gnaris eam mitteret feminis, quæ hujusmodi potuissent emendare vitium. quam diligentiùs intuens, nec levem in ea reperire potuit maculam, quæ aut honestati aut damno esse potuisset. XXVII. Consuetudo loci in Paschate.

Villa quædam est non longè à Monasterii possessione, quæ Wisa vocatur. Hujus igitur habitatores condixerant sibi omnes pariter ad locum contendere, & ut non vacua viderentur venire manu, conlatione facta vas quod cupa dicitur, cervisiâ impleverant, ut etiam dono muneris Deo & Sanctis Martyribus vota persolverent. Cùm igitur jam properare disponerent, consilio habito qualitatem priùs tentare voluerunt potûs, antequam iter arriperent. Cuniculo itaque facto, nec parva quidem eo digeri potuit gutta. Verùm à ministro segniter hoc putantes peractum, alio delecto succedere fecerunt, ut terebrato cupæ fundo potum educeret. Huic aliis succedentibus, cùm omnis eorum penitus frustraretur labor, ad semet reversi cognoverunt, eumdem potum ea nocte, quæ Dominica dicitur, confectum. Agnoscentes itaque reatum, pænitudinem piaculi gerentes, votum Deo, ac beatis vovêre Martyribus, se nil ulteriùs tale in ea pertentaturos nocte, ipsumque potum egenis ac pauperibus erogaturos. Mox voto peracto, omnibus egressus foraminibus potus largissimè cœpit effluere. Hoc pro voto egenis distributo, alioque confecto, sicut disposuerant ad memoriam venientes Sanctorum, ibique proprii reatus confitentes culpam, votisque persolutis ad propria sunt reversi. XXVIII. Dominicâ facta cervisia.

12. *Post annos à Marcvvardi obitu duos Lotharius Augustus, Ludovici Pii filius, cùm in letalem morbum incidisset; facinorum in patrem, fratresque suos pænitudine ductus, mirando, ac Francorum Regibus ad id usque tempus inusitato exemplo, Imperium abdicans, in Prumiense Monasterium deferri voluit, ibique monastico habitu in pænitentis animi signum indui; in eo proposito, si denuo convaluisset, ad extremum perseveraturus, ut ferebant mores illius ætatis. Factum ita memorant Annales Bertiniani ad annum* DCCCLV. Lotharius Imperator morbo corripitur, vitamque desperans, Monasterium Promeæ in Arduenna constitutum adiit, sæculoque & Regno penitus abrenuncians tonsus est, vitam, habitumque Monachi humiliter sumens: dispositoque inter filios qui secum morabantur regno, ita ut Lotharius cognominis ejus Franciam, Karlus verò Provinciam obtineret; intra sex dies vita decessit IV Kalendarum Octobrium, atque in eodem Monasterio sepulturam, ut desideraverat consecutus est. *Idem referunt Annales Fuldenses ac Mettenses, nisi quòd in Fuldensibus vulgatis* VI Kal. Octobris hominem exuisse, & ad vitam perrexisse æternam *dicitur; in Mettensibus* III Kal. Octob. *Hunc diem præfert ejus*


a Hic duo notanda. primum, Monachos, ut sæpius jam observatum, hic *Clericos* appellari. Secundum, etiam tum in more fuisse apud Monachos, ut diebus sollemnibus non tantùm albis vestibus, ut fit apud nos, sed etiam aliis ornamentis induerentur.

An. Chr. DCCC LIII. Februar. XXVIII. *epitaphium, quod à Rabano cond.tum Brovverus in Annalium Trevirensium lib. refert in hunc modum.*

EPITAPHIUM HLUDARII IMPERATORIS.

Continet hic tumulus memorandi Cæsaris ossa
HLOTHARII, magni Principis, atque pii.
Qui Francis, Italis, Romanis præfuit ipsis:
Omnia sed sprevit, pauper & hinc abiit.
Nam bis tricenos Monachum hic attigit annos,
Et se mutavit, ac bene pòst obiit.
III Kal. Octob.

Cùm verò Lotharium ad vitam pervenisse æternam *Auctores nostri legerent in Annalibus Mettensibus, & apud Hermannum Contractum* ad vitam æternam migrasse; *eum Fastis Benedictinis adscribere non dubitarunt ad diem 29 Septembris. Ejusdem memoria fit in Martyrologio Gallicano Octobris die 1, ubi* piæ memoriæ *Lotharius dicitur.*



An. Chr. DCCC LIII. Martii XXVII.

DE V. HAIMONE

EPISCOPO HALBERSTADENSI

IN SAXONIA TERTIO,

ubi de primis ejus sedis Episcopis agitur.

Episcopatus 8 in Saxonia.

1. AROLUS *Magnus Fidei propagandæ non minus, quàm amplificandi Imperii cupidus, ubi primùm in Saxonia posuit pedem, simul Christianam Religionem ibi instituere cogitavit. Hinc anno* DCCLXXXI veniens in Saxoniam, *ut lego in ms. Chronico Saxonico*, divisit eam in VIII Episcopatûs, Bremensem, Halberstadensem, Hildimisheimensem, Verdensem, Padetbrunnensem, Mindensem, Monasteriensem, (*rectiùs* Mimigardevordensem) Asenbruggensem: & terminos eisdem Episcopiis constituit. Sanctoque Stephano martyri in loco qui vocatur Saligenstede, nunc autem vulgo Astetwic nuncupatur, Monasterium construens dedicari fecit. Cumque diu longè lateque fidelem ac prudentem dispensatorem quæreret, quem constitueret super familiam suam, ut daret illi cibum in tempore; sanctum HILDEGRIMUM Catalaunensem Episcopum à sanctis parentibus, scilicet patre Thiatgrimo, matre verò Liafburga editum, fratrem quoque sancti Liuderi primi Mimigardevordensis Episcopi & Confessoris, Adriano Papa Romano jubente in hoc opus destinavit. Sanctus autem Hildegrimus statim eodem anno, divina disponente gratia, sedem episcopalem de Seligenstede in oppidum quod vocatur Halberstad, transtulit, ubi hodieque honorificè fulget. *Hæc longè absunt à calculo Alberti Crantzii in metropolis lib. 1 cap. 3 scribentis, Hildegrimum* XL *annos apud Saliugstede sedisse, & anno* DCCCXX *Halberstadum sedem transtulisse.*

Hildegrimus primus Episcopus Halberstadensis.

in Casinum profectus.

2. *De sancto Liudgero ejusque fratre Hildegrimo dictum est suprà in actis ipsius sancti Liudgeri: qui Romam profectus, ac deinde Casinum, ibidem an pluus dac-*

bus annis mansit in habitu & observatione regulari. Hildegrimus Romani itineris socius cum Gerberto, cognomento Casto, fuisse perhibetur: ambos etiam cum Liudgero Casinum secessisse veri simile est. Dubitari potest, an Hildegrimus ab anno DCCLXXXI *dictus sit Halberstadensis Episcopus. Nam anno* DCCCIX *cùm ad fratrem Liudgerum Werthinæ sepeliendum accessisse dicitur*, Cadalanensis Episcopus *ab Altfrido, non Halberstadensis appellatur. Verùm hic locus id unum evincit, Hildegrimum usque ad hunc annum retinuisse regimen ecclesiæ Catalaunensis. Nam longè ante istud tempus Halberstadensem obtinuerat, ut colligo tum ex dictis, tum ex iis quæ in eodem Chronico Saxonico leguntur ad annum* DCCCIII *in hæc verba.* AN. CHR. DCCCLIII. MARTYR. XXVIII.

3. In eodem palatio *Salz* Imperator Carolus sancto Hildegrimo Halberstadensi primo Episcopo suam parrochiam certis undique circumscripsit terminis, suoque augustali imperio & inprævaricabili privilegio firmavit anno imperii sui III, ordinationis autem Hildegrimi Episcopi XXIII, Indictione XII, Idus Maii. Hi sunt autem termini: fluvius Albia, Sala, Unstrada, fossa juxta Grone, altitudo silvæ quæ vocatur Hart, Ovacra Dasanek, Druchterbike, Elera, Isunna, palus quæ dividit Hurdengaos & Witingaos, Ara, Milda, Precekina, & iterum Albia. Episcopatus Halberstadensis termini.

4. *Hildegrimus anno* DCCCIX *post decessum Liudgeri fratris, post sepultum Werthinæ ejus corpus, Werthinensis Monasterii regimen sumsit unà cum Gerfrido nepote suo, ac sancti Liudgeri Episcopi successore. Hujus rei fidem faciunt litteræ donationum Werthinensibus facta, quas referunt socii Bollandiani in commentario prævio ad Vitam sancti Liudgeri §. 5. ubi una legitur donatio facta* ad reliquias sancti Salvatoris, quæ collocatæ sunt in loco, qui dicitur Werthina, ubi Hildegrimus & Gerfridus Episcopi Rectores præesse videntur, anno VI regnante HLudowico Imperatore. *Quo tempore Hildegrimus oratoriolum construi curavit super tumulum sancti Liudgeri, qui extra ecclesiam sepeliri voluerat, ut in ipsius Vita observatum est.* Hildegrimus Abbas Werthinensis.

5. *Anno* DCCCXXVII, *teste Chronographo Saxonico jam laudato*, sanctus Hildegrimus primus Halberstadensis Episcopus XIII Kal. Julii ad Christum migravit anno ordinationis suæ XLVII. Hic ecclesiasticas institutiones in commissa sibi parrochia rite ordinavit, XXXV ecclesias plebeias in episcopatu suo Halberstadensi constituit: ecclesiam præterea à fratre suo Liudero Confessore & Episcopo inceptam perfecit, & in honore Martyrum Johannis & Pauli consecravit. Cui THIATGRIMUS eorumdem Episcoporum Liuderi & Hildegrimi [*nepos*] ab Imperatore Lodowico substituitur. *Hunc Corbeiæ Saxonicæ Monachum fuisse aiunt, alii incerti Monasterii Abbatem, forsan Werthinensis.* obit. Thiadgrimus succesfor.

6. Anno dominicæ Incarnationis DCCCXL, *ex Chronico Saxonico*, Thiatgrimus Halberstadensis secundus Episcopus, postquam multis virtutibus sanctorum Patrum exemplo claruit, VI Idus Februarii febre dissolutus, ad prædecessorem suum Hildegrimum & consanguineum in Werdunensi Monasterio corpus ejus appositum, diem tremendi judicii exspectat. *Annus quo Thiatgrimus decessit, est* DCCCXL, *si annus à Martio incipiatur; sequens, si à Ianuario. Visitur marmoreum ejus sepulcrum Werthinæ in introitu cryptæ ad lævam: at ipsius memoria nullo publico honoratur cultu. De successore Chronographus Saxo ita scribit.* HEMMO Herolvesfeldensis Monachus magis in detrimentum, quàm ad profectum, à Lodowico filio Imperatoris Lodowici tertius Halberstadensi ecclesiæ est missus Episcopus. Nam decimas super totum Fresionoveld ab Halberstadensi ecclesia, cui jure offerendæ sunt, ad Herolvesfeldensem transtulit. *Hæc pluribus explicanda.* obit. Hemmo succedit.

7. HEMMO *seu* Haimo, *quem alii Aimonem vocant, Monachus primùm Fuldensis fuit, quo in loco litteras sacras didicit cum HRabano. Testis HRabanus ipse in præfatione ad libros de Universo, quos* Domino reverendissimo & eum Fuldensis primùm Monachus.

An. Chr. DCCCLIII. Martii XXVII.

omni caritatis officio venerando atque colendo Patri Hemmoni Episcopo *dedicavit. Hæc enim ejus verba sunt.* Memor boni studii tui, sancte Pater, quod habuisti in puerili atque juvenili ætate in litterarum exercitio & sacrarum scripturarum meditatione, quando mecum legebas non solùm divinos libros, & sanctorum Patrum super eos expositiones; sed etiam hujus mundi sapientiam de rerum naturis sollertes inquisitiones, quas in liberalium artium descriptione & ceterarum rerum investigatione composuerunt. *Certè Iohannes Trithemius Haimonem primùm Fuldensem Monachum, dein Heesfeldensem Abbatem, ac demum Halberstadensem Episcopum fuisse tradit. & Christophorus Brovverus eumdem inter viros Fuldensis Monasterii doctrinâ & pietate præstantes connumerat. In libris duobus Traditionum Fuldensium apud Pistorium* Hemo *seu* Hemmo *litteras quasdam scripsisse invenitur annis secundo, quarto, sexto, & septimo Ludovici Augusti, cognomento Pii. tametsi anno secundo H Ruodolfus* Cancellarius *Monasterii erat. Existimo verum esse id quod Trithemius scribit, Haimonem Alcuini auditorem fuisse, scilicet in Turonico Monasterio cum H Rabano.*

ibidem litteras docet.

8. *Haimonem eo loci, aut certè alibi docuisse intelligo ex metrica præfatione Heirici Antissiodorensis Monachi in excerpta sua, quæ ex dictis præceptorum suorum Haimonis & Lupi compilavit, dedicavitque Hildeboldo Episcopo Antissiodorensi. In hac præfatione, quam in tomo 1 Analectorum integram protuli in lucem, ad propositum nostrum pertinent hi versus.*

Hic Præceptorum sunt ludicra pulcra duorum,
Quîs ego præsulibus ingenium colui.
His Lupus, his Haimo ludebant ordine grato,
Cùm quid ludendum tempus & hora daret.
Humanis alter, divinis calluit alter:
Excellit titulis clarus uterque suis.

Ex quibus colligo, Haimonem Heirici in litteris sacris præceptorem fuisse. Rem innuit H Rabanus in textu superiùs adducto, uti & locum, scilicet Fuldense Monasterium. Post Abbas Heesfeldensis Monasterii creatus, demum Halberstadensem ecclesiam regendam suscepit anno DCCCXLI.

Libros de Universo cur ipsi dedicat H Rabanus.

9. *Anno ferè* DCCCXLIV *H Rabanus, cùm à regimine abbatiali vacaret, libros de Universo* XXII *Hemmoni dedicavit. Causam facti reddit in præfatione his verbis:* Postquam me divina providentia ab exteriorum negotiorum cura absolvit, teque in pastoralis curæ officium sublimavit; cogitabam quid tuæ sanctitati gratum & utile in scribendo conficere possem: quo haberes ob commemorationem in paucis breviter adnotatum, quod antè in multorum codicum amplitudine & facunda oratorum locutione disertum copiosè legisti. Neque enim mihi ignotum est, qualem infestationem habeas, non solùm à paganis, qui tibi confines sunt; sed etiam à populorum turbis, quæ per insolentiam & improbitatem motum tuæ paternitati non parvam molestiam ingerunt, & ob hoc frequenti orationi atque assiduæ lectioni te vacare non permittunt.

Haimo decimas Heesfeldensibus confert.

10. *Haimo Heesfeldensis Monasterii sui memor, decimas quasdam cathedralis ecclesiæ suæ prædicto Monasterio contulit. quod à Clericis suis non probatum. Etsi enim Episcopis concedunt canones, ut decimarum partem Monasteriis largiri possint; tamen illud Halberstadensibus Clericis durinsculum visum est, quòd Haimo decimas ecclesiæ suæ in aliena diœcesos Monachos transtulerit.*

Scriptis clarus.

11. *Haimo multa commentatus est in Scripturam sacram, cujus libros omnes ab ipso expositos esse Bellarminus auctor est, tametsi omnia ejus opera non exstent. Typis editi sunt commentarii in Psalmos, in Isaiam, in Ezechielem, & alios Prophetas; in Cantica canticorum, in Epistolas Pauli, in Apocalypsin, in Evangelia & epistolas totius anni; epitome historia sacra, de amore cælestis patriæ libri sex. Honorius Augustodunensis eidem etiam tribuit* librum de voluptate mundi. *Ex-*

positiones ejus simplici ac plano modo procedunt, literali sensui plurimùm inhærentes. Quando facti sunt ejus commentarii in epistolas Pauli, illud argumento est, quòd patrum nostrorum memoria tertiùm usque recusi sunt, nempe anno MDXXVIII. *in loco incerto, Coloniæ anno* MDXXXI, *Parisiis anno* MDXLI. *Lege Trithemium in lib. 2 de viris illustribus Ordinis nostri cap. 32, lib. 3 cap. 282, & lib. 4 cap. 195. Honorium Augustodunensem in lib. 4 cap 7, Sigebertum cap. 135. & Sixtum Senensem. In codicibus mss. quos quidem vidi, nudum* Aimonis *nomen ipsius operibus præfigitur absque ulla dignitatis nota.* An. Chr. DCCCLIII. Martii XXVII.

12. De Haimonis obitu Saxo Chronographus ita scribit: Anno DCCCLIII Hemmo Halberstadensis ecclesiæ tertius Episcopus VI Kal. Aprilis obiens sepultus est in ecclesia Halberstadensi. *Hunc corrigendus Trithemius, cùm ejus mortem referat anno* DCCCXXXIV. *Eumdem* virum sanctum, *& in ecclesia sancti Stephani* non sine Sanctitatis opinione *sepultum fuisse testatur. Haimo* Beatus *appellatur in Martyrologio Benedictino ad* VI *Kal. Aprilis, tametsi obiit die præcedenti.* obiit.

13. De Haimonis successore ita legitur in Chronico Saxonico ad annum jam dictum. HILDEGRIMUS junior, vir summæ prudentiæ & pietatis, à Lodowico Rege quartus ejus ecclesiæ factus est Episcopus. *De eo iterum anno* DCCCLIX. *Hildegrimus junior Halberstadensis Episcopus, Monasterium quod a* prioribus incœptum invenit, perfecit, & cœtu multorum Episcoporum conbenedicentium comitante Nonis Novembris dedicavit in honorem Salvatoris Jesu Christi & in memoriam sancti Stephani protomartyris. In supremo altari reconditus est sanguis S. Stephani, & dens sancti Innocentii Papæ, & de corporibus martyris Dionysii, Rustici & Eleutherii, & de corpore sancti Viti martyris. *Denique* anno DCCCLXXXVI Karolus Imperator sancto Hildegrimo quarto Halberstadensium Episcopo defuncto EIOLFUM Hersfeldensem successorem destinavit. Hildegrimus successor. Eiolfus successor.

14. Hæc ex prædicto chronico, in quo maximè notanda est dedicatio ecclesiæ Halberstadensis anno DCCCCXCII facta XVII Kal. Novembris à venerabili suo Episcopo Hildewardo, anno suæ ordinationis XXIIII, quam secum XII Episcopi consecraverunt, quorum hæc sunt nomina: WILLIGISUS Archiepiscopus Mogontinus; GISILERUS Magadaburgensis, LIEVIZO Bremensis, AIO Capuanus, JOHANNES Placentinus Archiepiscopi: prætereà LIUDOLFUS Augustensis, HILDEBOLDUS Wormatiensis, HRETRIUS * Patherburnensis, ERP Fardunensis, URSUS Paduanus, HUGO Cicensis, HILDERICUS Havelburgensis, REGINBREHT Racisbergensis, REINWARDUS Tridentinus Episcopi. Abbates verò hi adfuerunt, MANSO Cassinus, THIETMARUS Corbeiensis, LIUTZO Luneburgensis, OCHTRADUS Mersburgensis, LAMBERTUS Longhelus, præsente Rege sereno tertio OTTONE, suaque avia ADELHEIDE, atque amita sua MACHTILDE Abbatissa, Duce quoque BERNHARDO, & LIUDOLFO Capuano Comite, & præfectis ac Proceribus innumeris atque incomparabili multitudine cleri ac populi in laudem Dei conclamantibus, dedicantes præfatam ecclesiam orando juverunt. Festivitas autem erat eadem Christi Confessoris Galli, in cujus Monasterio prædictus Præsul edoctus fuerat. Et ideo semper studuit in hac celebritate suum perficere desiderium. Dedicatio ecclesiæ nova. * al. Retharius

AN. CHR. DCCC LV. DEC. XIV.

VITA SANCTI FOLCUINI

EPISCOPI TARVENNENSIS

IN GALLIA,

Auctore FOLCUINO Laubiensi Abbate sub finem sæculi x.

Ex mss. codicibus Marchianensi & Chesniano.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ auctoritas.

1.  TSI FOLCUINUS *Laubiensis Abbas haud ignobilis auctor sit, non magni tamen momenti est hæc vita ab ipso edita, quæ passim in communes locos excurrit. Ejus rei causa est, quòd pauca de sancto Folcuino comperta habuit Auctor, & ea quidem ex traditione accepta post annos centum ab ejus morte. Nihilo minus certa videntur singularia facta ab ipso relata, quæ utique auctoritatem accipiunt ab alio Folcuino, de quo mox dicturus sum.* FOLCUINUS *seu* Folcwinus, *quem alii* Folcoinum, Folquinumve *scribunt, inter Sanctos habitus est statim ab ipsius morte, & eo nomine cultus in Monasterio Sithiensi, de quo plura leges in Actis S. Bertini in Sæculo 2.*

Folquini status ante episcopatū.

2. *Qualis ante episcopatum sanctus Folcuinus fuerit, neque Folcuinus Abbas, neque Johannes Iperius, aut alius quisquam scriptum reliquit, sive ex incogitantia, sive potiùs ex ignoratione. Nam Folcuinus Abbas qui annis dumtaxat centum post eum vivebat, satis disertè attestatur id à se ignoratum fuisse. Trithemius sanctum Folcuinum inter viros sanctos aut illustres Ordinis nostri non numeravit; recensuit Arnoldus Vvion, ob eam scilicet causam, quòd eum in Sithiensi Monasterio coli reperit. Consulti hac de re Bertiniani Cœnobitæ; id responsi nuper reddiderunt, nullam sibi videri causam, cur sanctus Folquinus Monachis nostris accenseatur, cùm nullum ejus monachatus vestigium in vetustis auctoribus, archivis, aut mss. appareat.*

Interest Conciliis.

3. *Pluribus Conciliis interfuit vir sanctus. Ebonis Remensis Episcopi restitutioni anno* DCCCXL, *Parisiensi Concilio anno* DCCCXLVI, *Carisiacensi biennio pòst, in Suessionensi nominatus anno* DCCCLIII. *quo anno inter Missos Caroli Calvi numeratur in ejus capitulari. Hincmarus Remorum Pontifex epistolam teste Frodoardo in historia lib. 3 cap. 20, scripsit* Folcuino Morinensi pro quodam Presbytero ipsius ordinato, qui clamabat injuriam se pati ab Immone Præsule: (Noviomagensi) petitque simul reliquias Sanctorum in Morinensi parochia quiescentium sibi mitti, quia in consecratione ecclesiæ Dei Genitricis altare ab ipso Fulcoino consecrandum, & ex ipsius parochiæ reliquiis honorandum præparabat. *Invenitur etiam subscripsisse Odonis Belvacensis Episcopi litteris à Sirmondo editis in fine tomi 3 Conciliorum Galliæ. Verùm aut eæ litteræ scriptæ sunt ante regni Caroli Calvi annum trigesimum quintum, aut iis subscribere non potuit Folcuinus, quem anno Caroli XV, Christi* DCCCLV *obiisse constat. De ejus successore Huntfrido agendum infrà ad annum* DCCCLXIX.

Ejus gesta quædam

4. *De sancti Folcuini genere & præcipuis rebus gestis agit* FOLCWINUS *Sithiensis Monachus & Levita in Chartario Cœnobii sui ab se ordinato anno* DCCCCLXI, *ut legi in membraneo codice, quem autographum esse existimo. Hæc fragmenta quædam referre juvat.*

Tempore LUDOVICI Augusti exoritur quoddam lumen Ecclesiæ FOLCWINUS nomine, quod ne sub modio celaretur absconsum, ab ipso Rege super Ecclesiæ imponitur candelabrum, Terwanensi civitati designatur ad Pontificatum anno Incarnationis Domini DCCCXVII, & præfati Regis IIII. De cujus vita & virtutibus multum quod loqueremur erat, optaremque ea quæ in hoc mundo gessit, summo-tenus perstringere. Sed fatuitatem meam ipse perpendens, horreo saltem tangere, quod viri peritissimi possent etiam formidare. superant enim philosophicam mundanæ sapientiæ disputatio-

nem. . . . Hæc solummodo in ejus memoriam fatua garrulitate depromsi: reliqua ipsius opera auctioris ingenii viro relinquo investiganda . . . . Quia igitur mentionem beati Folcvini fecisse me memini, libet adhuc hic unum ejus opus interere, quod recolo me agnovisse WICFRIDO Pontifice narrante. Longa, inquit, senectute fessus isdem beatus Antistes Folcwinus, ut puta qui quadragesimum in episcopatu ferè peregerat annum, cùm jam non posset publicè Missarum sollemnia celebrare, cognito hoc Rex, illo adhuc vivente, quòd contra canones erat, successurum ei Episcopum destinavit. *& cetera iisdem verbis, ut in sequentis Vita num. 13 & 14.* Rogaverat autem isdem Pontifex, ut sicubi exitus ejus accideret, corpus illius ad *Sithiu* Monasterium in basilica sancti Bertini portaretur tumulandum. Defuncto autem illo cùm Clerici ejus quærerent, qualiter illum ad suprà dictum locum portare debuissent; in ipsa nocte, flante vento australi, omnis illa aquarum intimetibilis profunditas, quâ cingitur Sithiu insola, ita congelavit, ut mane exsequias sancti corporis deferentibus firmissimum aquis gressum per glaciem præberet euntibus, quod in hiemali tempore vix septem dierum algor potest efficere. Deportantes autem beati viri corpus ad Sithio Monasterium, ad latus sancti Bertini dextrum est tumulatum. *Eadem habentur in subjecta Vita num. 15. Pergit Folcuinus Levita.* Fertur autem eumdem virum Dei equum quemdam habuisse, qui quotiens iter aliquoties carpere vellet, ad obsequia viri Dei genua flecteret, ut scilicet absque ullo labore tergo illius equitaturus adscenderet. Hunc autem ferunt Fratribus dandum ante ejus feretrum præisse, sed omnem deinceps hominem ferre recusasse, *&c. ut num. 16. nisi quòd loco superiorum verborum legitur*, equum feretrum præeuntem lacrymasse. *quod arguit Folcuinum Abbatem à Folcuino Levita diversum esse. Addit Folcuinus Levita quæ sequuntur de genere suo.*

Anno post hæc DCCCCXXVIII felicissimæ Incarnationis JESU-CHRISTI Domini nostri, tempore KAROLI regis, Indictione prima, meus qui hoc ipsum scribo, pater, FOLCWINUS nomine, cum fratre suo, apparatu quo poterant, de regno HLotharii huc advenientes, sancti Folcwini corpus quod eo usque tempore terrâ tegebatur, levare cupientes. Erant enim utrique ejusdem beati viri carnali consanguinitate proximi. Postulatâ etiam à prædicto Comite & Abbate Adalolfo licentiâ, ventum est ad sancti viri tumbam cum cereis & thymiamateriis & choro psallentium: elevaveruntque corpus Idibus Novembris, feria quinta, die inlucescente: præparaveruntque suprà dicti refectionem Fratribus, prout poterant. Vinum namque & omnia necessaria venientes secum detulerant. Quibus peractis, gaudentes ad propria sunt reversi. Erant autem, isdem videlicet FOLCWINUS, & REGENWALA frater suus, filii OOWINI filii alterius ODWINI, qui erat frater beati Præsulis Folcwini: pater autem ejusdem sancti Episcopi dictus est HIERONYMUS; genetrix verò ERMENTRUDIS est vocata. *En stemma gentilitium sancti Folcvvini, hactenus non satis explicatum. Folcuinus Abbas matrem ejus vocat* ERCENSINDAM, *hic Ermentrudem. ex quo apparet eam binominem fuisse. Pater Hieronymus Caroli Tuditis seu Martelli filius erat, pater Oduvini & Fulradi Abbatis Quintiniani; frater verò Bernardi patris sancti Adelhardi Abbatis Corbeiensis, cujus Vita superius relata est.* Translatio.

5. Diversum esse Folcuinum seu Folcvvinum Levitam à Fulcuino Laubiensi Abbate, quædam suadent argumenta. Vterque ex Regno Lotharii ortus fuit, uterque etiam Monachus Sithiensis, & quidem eodem tempore. Nam Folcuinus Levita collectionem chartarum Monasterii sui ordinavit anno DCCCCLXI: *alter verò ad regimen Laubiensis Abbatiæ vocatus est anno* DCCCCLXV, *uti ipse scribit in Chronico Laubiensi. Cur verò duos fuisse putem, hæ sunt causæ: prima, quòd Folcuinus Abbas in sequenti Vita, etsi iisdem ferè verbis utatur, aliqua tamen diversa miscet. Nam Levita sancti Folcuini matrem vocat Ermentrudem; Abbas Ercensendam. Ille Episcopi consanguineum se fuisse dicit; hic tacet. Primus scribit, equum sancti viri funeri præisse, alter addit lacrymasse. & Abbas malè reddidit sententiam Levitæ num. 18. si tamen Auctoris erratum est, non librariorum. Denique duo Folcuini simul vixere in Monasterio Sithiensi, teste Folcuino Levita, qui in fine collectionis suæ recensens nomina Fratrum, quibuscum in eo Monasterio vixerat, nominat Folcvvinum. & Folcuinus Abbas hic agit de miraculo facto ad tumulum sancti Folcuini in persona Folcuini Monachi, quem puto esse Folcuinum Levitam. Sic eum ex traditione appellant Sithienses Cœnobitæ. tametsi non mihi constat, an in Levitæ gradu permanserit.* Folcuinus Levita alius à Folcuino Abbate.

6. De se ipse ita scribit in sua collectione. Anno DCCCCXLVII . . . Abbas WIDO, quia nimis vanæ juventutis gaudia sectabatur, apud Comitem incusatus, Abbatiâ est fraudatus, & sancti Bavonis Monasterio Abbas est destinatus. WOMAROS autem regimen monasticum sub regulari regebat districtione. quo tempore ego ipse hæc scribens Fol- Folcuini Levitæ de se testimonium.

An. Chr. DCCC LV. Dec. XIV.

ewinus à patre Folewino suprà jam memorato & matre Thiedala de regno HLotharii dicto huc adductus anno Incarnationis felicissimæ Domini nostri Jesu-Christi DCCCC XLVIII, die festivitatis elevationis sancti Bertini, quæ succedit omnium Sanctorum festivitati, sancto Bertino oblatus, Monachus (prò dolor) factus tenus sum effectus. *Elevationis corporis sancti Bertini mentio (quod sciam) nulla ante annum* DCCCC XLVIII *habetur in variis monumentis de eo editis in Seculi 3 parte 1.*

& Folcuini Abbatis.

7. *Folcuinus Abbas disertè in prologo sequenti scribit, se non tam volentem, quàm coactum,* cessantibus *scilicet* ob multimodam infestationem propinquorum curis, *in Sithiense Monasterium accessisse, ubi se* ab ipsis pæne crepundiis *tonsuratum fuisse fatetur. Et in Chronico Laubiensis cap. 28* cognationem *suam non* infimam *modestè dicit, & fratrem suum* Godescalcum *vocat cap. 37. Mortuus est Folcuinus Abbas anno* DCCCC XC, *sex annis ante obitum* Waltari *Sithiensis Abbatis, cui hanc Vitam dedicavit eo modo, quo sequitur.*

Incipit Prologus in Vita S. Folquini Teruanensis Episcopi.

PROLOGUS AUCTORIS.

1. Dilectissimis *in Christo sancti Sithiensis Cœnobii Fratribus, unam eamdemque nobiscum tenentibus fidem, sperantibus spem, amplectentibus caritatem.* Folquinus *peccator, quem Laubiensium dicunt Abbatem, summi specialisque gaudii in eo, qui verè est, cum Sanctis ejus perpetuitatem.* Memor vestri semper in orationibus, in ea parte erga vos arbitror quia ero perpetuus, quia post Deum in caritate diligendus est proximus, fortunam scilicet meam deputans vos valere, vestrumque cum prosperitate successum ac si meum optans in Christo perpetuum fore. Ad quod me vestra quidem, fateor, primùm studia accenderunt: cùm

Auctor apud Sithienses educatus.

in ipsis pæne (ut ita dicam) crepundiis multimoda infestatione cessantibus propinquorum curis. hanc in vobis, non dico vicissitudinem, sed gratuitam fraternitatem, ut exploratem compulerunt: quâ ita usus sum, ut nunc illam violare sacrilegium esse, illaque carere facinus mihi videatur exsecrabile. Enimverò sacrilegium dignè dixerim caritatem violare, si quidem ab Apostolo non ampliùs illa, quàm quod Deus est, com-

Joh. 4. 16.

mendari potuit, sic eo dicente: *Deus caritas est.* Ergo hanc violare Christum est abnegare, quod mihi videtur plus, quàm sacrilegium esse: quæ licèt dilatato sinu ipsos inimicos admittat, ordinatæ tamen dilectionis modum maximè in domesticos fidei tenere cognovit.

in Sanctos Sithienses affectus.

Præter ergo hanc dilectionem debitam omnibus communicantibus Fidei ejus, videlicet quæ catholica, id est universalis dicitur, est mihi apud vos quoddam præcipuum, id est ut catechizatus vobis catechizantibus in omnibus bonis communicem, secundùm Apostoli dictum: tum etiam propter Patronos loci & Sanctorum pignorum reliquias, quibus præ omnibus vicinis abundatis, quorumque patrocinio, singulari quodam privilegio exsultatis, quorum quia mihi, licèt per multa vitia defluenti, exorata semper adfuit defensio, ut eos speciali post Deum devotione complectar, & utile mihi videtur bonum, & magnum bonum, & quorum meritis fas sit sperare summum bonum. Huic ergo amori, qui mecum primis adolevit auspiciis, ea commutata est intentio, non tota, ut mihi visum est, pueriliа, ut laudi eorum, quâ non egent, satisfactum putarem, si quippiam vobis manu venisset antiquiorum, quod eorum cuique festivitati in singulis quibusque, quas Græci Synaxes dicunt, congruere & ad laudem Dei per amorem Sanctorum, audientium animos incitaret. Porro in promtu erant aliquantæ copiæ, quæ huic intentioni videbantur satisfacere posse. Denique eorum vitam & actus, quorum gaudetis prin-

Audomari & Bertini acta eorum ætate scripta. & S. Vvinnoci.

cipalitate, quorumque hereditarium successionem sortiti estis cum nomine, (Audomarum atque Bertinum dico) antiquorum satis commendabat auctoritas, qui, utpote contemporales sibi, ita quadam vicinitate nectuntur, ut dum unum audieris, alterum intelligas, & in hujus opere quis ille fuerit facilè prænoscas. Sanctus quoque Winnocus, cùm ex uno superiorum pendeat, & ipse satis descriptus erat, quomodo vestra palæstra fidei unctus olivo atque virtute instructus, patris ductus laureis, eadem qua præceptor ejus laude cucurrit, mundumque sibi rebellantem Christi vir-

tute

tute decoravit. Sed ô nostra tempora, ô mores! venerabilem siquidem & toto mundo prædicandum, sanctum videlicet FOLQUINUM, modernorum adeo neglexit incuria, ut nulla ejus præter rumorem popularem videretur esse memoria eorum.

An. Chr. DCCC LV. Dec. XIV.

3. Igitur negligentiæ (seu illa potiùs incuria dicenda est) succensebam, & tacitus cum his animo stomachabar: tandem colluctantibus in me cum amore Sancti pudore puerili & imperitiâ cordis obtusi, Pisoniano illo vitio laborans, qui cùm loqui nesciret, tacere non potuit; ad illius vitam describendam animum induxi: calamumque illi committens, qui linguas infantium facit disertas, novus velut Arpinas, repentinus auctor emersi. Verùm reminiscens illius Erisippei Sophismatis, si mentiris, id quod verum dicis, mentiris; nihil aliud posui, licèt de ipsis plura præterierim, quàm quod eorum percepi traditione, quorum approbanda erat gravitas, cùm refellenda non esset auctoritas. Porro ne contribulibus causas exinde offerrem calumniandi, ut est consuetudinis quorumdam puerorum; ea quæ dictaveram, silentii ad tempus claustris commisi, atque huic tempori, quo paullulùm emendatiora prodirent, reservavi: & quia opus erat adstipulatore, cujus hoc opus firmaretur auctoritate; dedicavi illud vobis, tibique quammaximè, venerande Pater WALTERE, cui præter id, quod cum ceteris mihi est commune, singulare quiddam debeo, vel propter Bertini vicem, vel propter eam, quæ nobiscum adcrevit, dilectionem. Te, inquam, te arbitrum & defensorem hujus operis habens, ceterum de obtrectatoribus non est tanti: qui si fortè calumniati fuerint me modos connexionum & cetera, quæ illi de quibus sub unius specie dicitur, quæ sophisticè loquitur, odibilis est, tractant, non observasse: noverint Ecclesiam Christi regulas has, quamvis harum quoque notitiâ non careat, sponte repudiasse: præsertim cùm longè ante nos dictum sit, veram esse legem historiæ, simpliciter ea, quæ fama vulgante colliguntur, ad instructionem posteritatis litteris commendare. Abeant ergo, & quovis genere locutionum prædicent illi suos Catones. sive rigidi sint illi, sive censorii; ac proinde rumusculos quosque & gloriolam capt ut popularem, atque secundùm quemdam eorum Poëtam, ceromatico ferant nitceria collo: nobis, qui in schola Christi sub Apostolorum magisterio philosophamus, propositum est, ut prudentiam serpentis columbina simplicitate temperemus: ut dum doctrinâ simul & operatione consulimus necessitatibus proximorum, nobis quoque possie esse consultum. De cetero Fratres, Apostolicis vos verbis alloquor: gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite. pacem habete, meique fratris vestri vel admoniti mementote: & Deus pacis & dilectionis sit semper cum omnibus vobis. Amen.

Folquini vitam neglectam queritur.

traditione accepta refert.

Vvaltero Abbati opus dedicat.

INCIPIT VITA SANCTI FOLCUINI Episcopi & Confessoris, cujus festum est XIX Kalendas Januarii.

4. BENIGNA & ineffabilis omnipotentissimaque Deitas sibi ipsi per se sufficiens (non enim aliunde exteriùs nititur, cùm sit summum bonum) divitias bonitatis suæ in iis, quos ante sæcula præscivit & prædestinavit, Sanctis multipliciter dispensando distribuit. Vasa enim iræ apta in interitum, quæ diu sustinuit, in vasa misericordiæ commutavit: & ut sublimitatem gratiæ hujus ex Deo esse scirent, & non ex semetipsis, hoc illis dono gratiæ dedit, quod pœnam suam illis cognoscibilem fecit, &c.

5. Beata nihilominus mater Ecclesia talibus ornata monilibus, quæ turris viri David ædificata est cum propugnaculis suis; tot talesque clypei ex ea dependent, talisque tantorum armatura fortium, quibus munita & ornatur ad meritum, & ab inferorum eruitur terrore portarum. inter quæ propugnacula, non de inferioribus clipeis unum patronum & defensorem nobis Deus dedit beatum & prædicandum sæculis FOLCUINUM Episcopum, cujus vitam strictim & succinctè elucidare cupientes, non magnopere studemus eum miraculis commendare, scientes ea fidelibus loqui, quibus non linguas in signum, sed infidelibus dixit Apostolus esse. nam miraculis parum nobis expertus est, licèt vita plurimùm, quæ & si fecit, nullus illo magis occuluit. Sed jam locuturis de eo nobis petimus, ut suffragiis adsit apud eum quem tantopere dilexit.

6. Nativitatis ergo beati viri ut dicamus exordia, excellentiam terrenæ dignitatis longo & altissimo traxit stemmate nobilitatis. Floruit sub Rege CAROLO tum opulentiâ rerum, tum procinctu bellorum, quodque his majus est, cultu religionis & pacis

Folquini genus nobile.

An. Chr. DCCC LV. Dec. XIV.

jure cognominato Magno; matre ERCENSINDA, patre HIRONYMO: quorum prior de gente Gothorum claram satis tam genere quàm opibus prosapiam traxit; alter, ut putant, supradicti Regis avunculus inter aulicos primus, rerum forensium privatarumque moderamina disponebat. Fratres etiam erant ei summæ dignitatis: ex quibus FOLRADUM sancti Quintini commendat Monasterium, & ut altiùs reperamus, atavorum ejus atavi omnes nobilissimi. Hæc dicimus non quòd habentibus sint gloriosa, sed quòd contemnentibus mirabilia. Sæculi homines suscipiunt eos qui his privilegis pollent, nos laudamus eos qui ista pro Salvatore contempserint.

educatio.

7. Igitur generosam prolem ubi in ipsis pæne crepundiis parentum cura perspexit sacris studiis pollere, uti possa erat tali ætatulæ, sacris litteris informandam tradiderunt scholis ecclesiæ: in quibus, ut putant, puer bonæ indolis, disciplinabiliter ingenio sagaci proficiens, ubi primæ artis rudimenta percepit, quod vivacitatem ingenii ejus aufugeret, nil postea fuit. Attestabatur munditiam cordis ejus jugis meditatio & continuæ exercitationis studium, cùm jam penitus omnia hujusmodi affectio transiret in habitum. Scriptum quippa est: *Ex studiis suis intelligitur puer, si recta & munda sint opera ejus.* Talem itaque informabat Dominus sub magistrorum institutione, qualem postea præficeret Ecclesiæ suæ. Pastoralis est enim regula, ne audeat præesse, qui nescierit subesse. Deinde cùm giganteis, ut ita dictum sit, passibus irat de virtute in virtutem; cùm sacras litteras didicisset, divinamque legem, sacrorum graduum perfectionem indeptus est per ordinem: tantamque gratiam ei contulit gratia superni respectûs, ut ab omnibus veneraretur reverentiùs, diligeretur affectuosiùs.

Prov. 20. 11.

Episcopatus Morinorum.

8. Interea lapis ille spiritualis politus multiplicibus argumentis & competens cælestibus ornamentis, dignum fuerat ut poneretur in diademate Regia: igitur ne sub specie privatorum delitesceret; sed qui eatenus sibi tantùm profuerat, jam multis prodesset; ecclesiæ fascibus sublimandus appetitur, & omnium vocibus acclamatur. Litora Britannici Oceani in finibus Galliarum Occidentem versus gens quædam incolit, non tam lata quàm valida: apud historicos Morini, nunc à Tarvenna urbe eorum quondam opulentissima, sed modò diruta & pæne exinanita, vocantur Tarvennici. Meminit hujus gentis in opere suo quod pro nobis contra paganos scripsit Orosius Presbyter & fidalis historiographus: & quia populosa fuerit copia militari, ut cuiquam exercitui Romano obvianti * . . . . , evidentissimè ostendit. Meminit & urbis Menapum, cujus nihil præter ruinas & nomen inane est tantùm. Extremi autem hominum ob hoc forsitan à Poëta dicuntur, quòd Flandria, quæ pars hujus gentis est, ea maris loca occupat, ultraqua nulla gens habitare audita est, prohibente Oceano, totum pro parte usus more suo. Nam ex ea parte quam Bononia urbs & Odraus [a] occopat Farus, facilis ad Britanniam est transitus. Gens hæc moribus incomposita, magis armis quàm consiliis utens, & ut ante nos dictum est, multum eloquentiæ, sapientiæ parum. Cujus indomitam barbariem & semper ad malum proclivem non facile erat restringi, nisi prudentiâ & perspicaciâ summi & ecclesiastici viri.

sedes Tarvenna pæne diruta.

* f. succumberet,

urbs Menapum excisa.

mores gentis.

9. Igitur plebis hujus ecclesia Pastore [b] erat destituta: sed cùm de Pontifice agereter substituendo, diu scrutatis omnibus, dignior nemo inventus est Folquino. In cujus electione anceps plebs est secuta nil varium, sed votis omnibus hunc sibi dari poposcit Episcopum, secuta magnatum & totius Cleri consensum. Quid plura? complacuit, Deo gratias, Imperatoriæ potestati, LUDOVICO videlicet, qui Carolo successerat patri: & eo concedente urbis Tarvennæ consecratur Antistes, præeunte in omnibus voluntate Domini. Auctus ergo benedictione spirituali, auxit opera pietatis & fidei, præbens se talem in omnibus, sicut decebat servum Domini. Enimverò quoniam pugnaturum se contra spiritualia nequitiæ scivit, artes secum exercitationesque virtutum, arma fidei præ se tulit, disciplinæ vigorem ita moderatus est, ut cùm censura judicii nemo illo magis popularis esset: rursum popularis cùm esset, censuræ ordinem non amitteret. Sic vitam instituit, ut in neutrum horum pronior fuerit. Media caritate constrata sunt. neque maluit oves sibi creditas perperam, quàm rectè egisse: sed nec ignovit malis, ut bonas perditum iret. Revera scivit uti ferro. Sic etenim studuit ut sanctæ matri ecclesiæ aut munimento esset, aut ornamento. munimento exteriùs, ornamento interiùs. Sed & in verbis ejus & in locutione communi non erat levitas. confabulabatur namque utillimum aliquid cum quovis, aut meditabatur id ipsum in quovis. In ipso præsulatus sui initio sic apparuit aptus, ac si præfuisset diu-

Folquini electio omnibus probata.

b

tum Ludovico Regi.

Pastoris dotes.

[a] Alii Turrim-ardentem vocant, vulgo la *Tour-dordre*, in portu prope Bononiam Morinorum.

[b] Nempe Erkembaldo, cujus proinde obitus contigit anno DCCCXVII, ex prævia Observatione 4.

tius, ad quod noviter fuerat inthronizatus. de religione primùm & cultu Dei, quod Græci theosebism dicunt, canonicam & Apostolicam secutus est auctoritatem, videlicet ut omnibus quibus cura sua intererat, cor unum & anima esset; & quidquid indecens in ecclesia sua vel effeminatum videbat, vera & spirituali circumcisione diligentissimè resecaret, suum æstimans detrimentum; quidquid in subditis appareret ineptum; suum deputans lucrum, quidquid cultura Christi reportaret fructiferum. quam sic studuit excolere, ut non aliquo indigeret putamine, cùm nullum vitii genus saltem ea radice sineret coalescere. Semet suis ad imitandum specimen præbebat & speculum. Non enim sibi soli negotiabatur, sed omnium salutem laboria sui commercio quærebat. Si quispiam magnum quid in religione moliebatur, hunc quasi succenturiatum in acie divina se sustentantem agnovit. De pauperibus verò Christi nonnihil sollicitus erat. nam quod de mensa sua defraudans sparsit, id illis accrevit; nec vestri, ut est consuetudini quibusdam, reservavit. quippe qui de crastino non multùm sollicitus fuit. Difficile est prosequi qualem se exhibuerit servus Domini; tantum ut dotes ejus prosequamur, summam omnium virtutum sic continuit, formas quasi naturâ nativæ bonitatis sibi arctiùs insertas.

An. Chr. DCCC LV. Dec. XIV.

10. Sithiu est virorum Dei Cœnobium, & in eo memoria multa Sanctorum. Parrochia est Tarvennensis Episcopi: licèt Imperatorum, seu universalis Papæ, & ipsius sedis Episcoporum immunitatum privilegiis polleat. Id tunc Hugo regebat, cui Ludovicus frater, pater Carolus erat. Sanè Cœnobium illud bipertitum est. nam inferiora Monachi, superiora Canonici obtinent; & hi Audomari, illi Bertini patrociniis gaudent.

Sithiensis Monasterii immunitas

duplex Cœnobium.

11. De translatione beati Audomari, qualiter ab hoc beato Pontifice acta sit, & quæ erga Hugonem supradictum Abbatem fuerint, vulgi rumore celebrantur [a]: in quibus satis miranda est sancti viri constantia. Abbati resistere facile non erat, quippe cui natalium dignitas tanta erat, militaris etiam copia non deerat: sed vir Dei hæc omnia postposuit timori Domini: denique non requievit, donec corpus sanctum fraudulenter sublatum proprio restitueret loco, vitæ suæ licèt magno satis cum periculo, diemque sollemnem faceret in mense Junio, quo aristantur segetes crescente culmo. Et præcavens in futurum ne pari modo aut alio quovis ingenio corpus auferretur sanctum, terrâ illud abscondit, ubi per plurimos annos hominibus quidem latuit; at revelatum est ubi Dominus voluit. Simili modo & sancti Bertini corpus transtulit [b] & recondidit, sollemnemque hunc diem nobis esse sancivit; quod est septimo decimo Calendas Augusti.

S. Audomari translatio.

& S. Bertini.

12. Post hæc autem vir Dei Folquinus quanto senectute corporis appropinquare novit diem suæ resolutionis, tanto se assiduum reddidit ad studium rectæ operationis, sciens scriptum: *Beati servi illi, quos cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes.* atque adeo quotidie de virtute in virtutem crescens, ardebat videre Deum Deorum in Sion. Teste namque interni illius amoris erant lacrymæ, quibus prodebatur intimum conscientiæ, cum quibus psalmodians dicebat sæpissimè: *Sitivit anima mea ad te Deus: quando veniam & parebo ante faciem Dei mei.* Atque minùs oculum mentis ad ea reducens quæ jam Christo juvante peregerat, secundùm Apostolici dictum; quæ sunt retro oblitus ad ea quæ ante sunt, extendens se, magis magisque jejuniis & vigiliæ operam dans, ad ea quæ sunt artiora, studuit mentem acutiùs defricatam ignire, præcinctisque lumbis cum bonorum operum lampadibus accensis atque oleo repletis præstolabatur Domini sui à nuptiis regressum, cum quo regnaturus intraret in æternæ felicitatis gaudium mansurum; gregisque sibi commissi curam gerens eis verbi triticum fidelissimus dispensator toto adnisu subministrabat, hortando eos, donec est hodie converti, ne improvisos cœpisset dies ultima reperire.

Folquini præparatio ad mortem.

Luc. 12. 37.

Psal. 41. 3

13. Longa ergo senectute fessus, ut puta qui quadragesimum in Episcopatu fere peregerat annum, cùm jam non posset publicè Missarum [c] sollemnia celebrare, cognito hoc Rex, illo adhuc vivente, quod contra Canones erat, successorem ei Episcopum destinavit. quod audiens sanctus Præsul semet episcopali more præparavit ad celebrationem Missæ. & omne ministerium supplantatore adstante implevit strenuissimè. At ubi ventum est ad dandam, ut Episcopis mos est, benedictionem, verso ordine protu-

Episcopatus anno 40.

non patitur se vivente, alium ordinari.

a Scripta hæc sunt à Folcardo in libro primo de miraculis sancti Bertini cap. 8. qui liber habetur in Sæculi 2 parte prima, ubi plura de S. Folcuino. in his cap. 7 refertur ejus privilegium Sithiensibus Monachis petente Hugone Abbate concessum anno DCCCXXXIX, præsulatus XXIII. quæ epocha præmissis rectè quadrat.

b Lege jam dicti libri caput nonum & undecimum.

c Eadem verba habet suprà Folcuinus Monachus, atque id se accepisse à Vvicfredo Tarvennensi Episcopo, qui sedem adiit anno DCCCCLVIII.

An. Chr. DCCC LV. Dec. XIV.

lit maledictionem. At illi trepidi cùm adscensis equis [a] ad propria cuperent reverti; in media via supplantatot Episcopi de equo lapsus relisa cervice spiritum efflavit vitæ, omnesque, qui cum illo venerant, infra annum variis cladibus exspirarunt.

diœcesim suam lustrans

14. Igitur adveniente vocationis suæ tempore, quamvis longævo gravaretur senio, Episcopii sui parrochias circuire decrevit, sibi pariter & subditis salubriter oportere sciens, ut Ecclesiæ filios, si alicubi à matris gremio errassent deviando, secundùm canonum statuta flectendo ad eamdem reduceret, prædicationibus exhortando. Tali autem

morbo corripitur.

studio taliqua devotione ad ecclesiam in Mempisco sitam, *Hicclesbeke* [b] nuncupatam, pia accessit curiositate. Inibi autem non multùm commorans, cùm jam cogitaret reverti, cœpit gravi ægritudine fatigari. Tunc convocatis discipulis, eos omnipotenti Domino commendans, recti itineris tramitem non derelinquere dulcissima admonitione persuasit: ad ultimum benedictione confirmans, reddidit gaudens cælo ani-

obit anno 855.

mam [c] Sanctorum cœtibus consociandam. Transiit autem anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo quinquagesimo quinto, Indictione tertia, feriâ septimâ vesperascente: qui erat annus gloriosi Regis Caroli filii Ludovici quintus decimus, & Episcopatus ipsius beati Præsulis quadragesimus, decimo nono Kalendas Januarii. Rogaverat autem adhuc vivens, ut ubicumque exitus ejus accideret, corpus illius ad *Sithiu* Monasterium in basilica sancti Bertini tumulandum deferretur.

in Monasterio Sithiensi vult sepeliri.

Glacies divinitus parata funeri advenienti.

15. Gregatim igitur illo defuncto ad exsequias beati corporis undique confluentibus, cùm Clerici illius difficultate itineris conquerentes gravarentur, ad divinum se auxilium contulerunt. Tunc in eadem nocte flante vento australi omnis illa aquarum indimetibilis profunditas, qua cingitur *Sithiu* insula, ferè per duo millia ita congelavit, ut mane corpus sanctum deferentibus firmissimum aqua gressum per glaciem præberet euntibus. Deportatus autem receptus est cum cereis & thimiamateriis ab illo Monachorum reverentissimo sanctissimoque conventu, obviàm sacris procedente exsequiis cum immodica multitudine plebis: quibus officia cum omni honestate, ut

sepelitur cum ornamentis sacris.

res funebris postulat, consummantibus induitur uti sacris altaribus adstans erat solitus, & in eodem loco quo ipse elegerat, inducitur tumulandus. Sepultus est autem ad latus sancti Bertini dextrum non sine adstantis populi maximo luctu.

Traditio de Sancti equo.

16. Fertur quoque à senioribus, eumdem virum Dei equum quemdam habuisse miræ scientiæ. Profectuto namque secundum quod necessitas expetebat, genibus flexis sancto oneri sponte terga subdebat. Hunc autem tantæ scientiæ equum Fratribus dandum, feretrum præeuntem ferunt lacrimasse [d], omnem hominem ferre deinceps recusasse, nec passum esse post membra tanti Pontificis voluptatibus deservire alicujus hominis. qui non longo pòst tempora mortuus, cùm canibus cibus appositus esset, à nullo eorum est morsu attractus. Non enim decuit ejus cadaver expositum canes corvosque reficiendo farcire, meatosque illorum faucium præterire, supra quem frequens Christi oratio mittebatur ab insidentis cordiali devotione. fas enim non est credere Sanctum fabulis delectatum esse. Quod videntes cives humano eum more sepelierunt, quem, ut dixi, bruta ferarum canum quadam, ut ita dicam, admiratione venerata est.

Folquinus Monachus ad ejus tumulum sanatus.

17. Contigerat non longè post hæc quemdam prædicti Sithiensis Cœnobii Monachum, hujus beati viri æquivocum, (FOLQUINUS enim vocabatur) graviter infirmatum per longa jam spatia, ut non posset nisi cum baculorum gemina vix sustentatione ire. Hic die quadam doloris nimietate gravatus decrevit virtute, qua poterat, ad altare sancti Bertini patroni procedere pro animæ simulque corporis salute deprecaturus, sed (ut situm ecclesiæ nescientibus dicam) intrantibus à regione meridiana intercludit sancti Patris prædicti tumba antè posita, quod est præcipuum sancti Martini altare: atque ideo in dextera ipsius parte primùm occurrit beati Folquini tumulus ad jam dictam priùs tumbam ire volentibus. Idem præfatus Monachus jam ad beati Folquini pervenerat sepulcrum, cùm repente nescio qua horripilatione concussus, dissilientibus hinc inde fustibus, præceps supra sanctum tumulum ruit, nactusque hanc occasionem, Deum, si cujus apud se esset meriti anima Præsulis ibibi sepulti, per ejus flebiliter supplicavit intercessionem, ut amissam diu sibi optabilem redderet sanitatem. Nec multùm ibi jacens orando moratus, mox ita surrexit incolumis, ut stupentibus cunctis gratias Deo referret, propriis sine ullius adminiculo incedens plantis. Ab ipso ergo die beati viri tumulus majoris honoris reverentiâ est habitus; idemque Mona-

[a] Folcuinus Levita scribit *equitibus*, pro *equis*, quod passim obvium apud illius ævi Auctores.

[b] Vicus est prope Vvoromholtum, paullo ultra medium iter ab Audomaropoli tendentibus Bergas, hactenus dictus *Hekelsbeke*, ad Iseram amnem, qui influit in Penam.

[c] De S. Humfrido ejus successore agendum inferiùs ad annum DCCCLXIX.

[d] Præisse tamen scribit Folcuinus Levita, non lacrimasse.

chus sanatus, quoniam grammaticè erat instructus, ita hæc elegiaco metro comprehendit, scribens in ejus tumulo.

An. Chr. DCCCLV. Dec. XIV.

Epitaphiũ ab eo conditum.

FOLCUINI veneranda Patris hic membra locantur,
Antistes dudum qui fuerat Morin. m.
Quinque quater denis vita dux exstitit annis,
Mente, actuque pio jussa operando Dei:
Atque die quarto-decimo Decembris ab orbe
Sumptus, Apostolicum gaudet adire chorum.

18. Omnibus igitur post hoc beati viri merita venerantibus, ut vox Salvatoris probaretur dicentis: *Nihil opertum quod non reveletur, neque absconditum quod non sciatur*; Pastor Pastorum vicarii [a] sui ossa noluit sub terra posita diutius delitescere, sed venerandam almitatis ejus gloriam voluit omnibus hominibus propalare. Anno namque felicissimæ Incarnationis Domini nostri Jesu Christi nongentesimo vigesimo octavo, Indictione prima, tempore CAROLI Regis, reclusi, duobus [b] spectabilis personæ longè remotis crebras per quietem noctis prodit visiones, quatinus SITHIU famosum adirent Cœnobium, ac venerabilis sancti Præsulis Folquini membra levantes, ad debitæ venerationis præparantur obsequium. Qui gaudenti animo jussa complentes, apparatu quo poterant ad Sithiu jam dictum adveniunt Monasterium, adventus sui causam Fratribus Monasterii produnt, licere sibi detegi urnam, qua Sanctus civis tegebatur, exposcunt: qui consilium diu quaquaversum poterant trutinantes, ad ADOLOFFI Generosi tunc temporis loci illius Comitis & Abbatis notitiam detulerunt, consultoque [c] STEPHANO ejusdem temporis reverentissimo Tarvennensis ecclesiæ Episcopo, communi omnium voluntate cum cereis & choro psallentium, atque omni Clericorum apparatu Idus Novembris die illucescente, ad Sancti viri tumulum ventum est, elevatisque Sancti corporis membris, atque illic collocatis, in loco tumuli altari constructo, diem illam cantibus & gaudiis duxere festivam: explicitoque officio refecti, quique ad propria sunt reversi.

Translatio facta anno 928.

Matth. 10. 26.

Abbate probante, consulto Episcopo.

Idibus Novembris.

altare loco tumuli erectum.

19. His igitur sic se habentibus, cœperunt beati viri membra virtutibus enitere. Fecerunt autem cives febricitantes consuetudinem, cum candelarum quo quisque poterat munere sancti Præsulis altare frequentare, atque secundùm petentium fidem recepisse quique mirati sunt sanitatem. De stola autem ejus, quæ adhuc restat, mulieribus difficultate partûs [d] laborantibus per ejus merita salutem sæpe provenisse vidimus, ita ut triduo vel eo amplius materno onere gravatæ, cùm pæne viderentur morti contiguæ, in ingressu ejusdem stolæ partum edentes redderentur sanitati pristinæ. Multis etiam aliis indiciis Dominus Sanctum suum ostendit mirificatum in cælis, operante & manente cum electis suis usque in finem sæculi Domino nostro JESU-CHRISTO, qui coæternus & consubstantialis Patri & Spiritui sancto, vivit & regnat per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Cerei Sancto oblati.

Stola partu laborantibus salutifera.

a En Folquinus Christi *Vicarius* dicitur. quod vocabulum etiam præter alios Wibertus Gemblacensis Abbas Philippo Coloniensi Archiepiscopo tribuit, ut superiùs notatum ad librum de miraculis S. Adalhardi Abbatis pag. 562.

b Confer ea quæ superiùs ex Folcuino Levita notavi in prævia observatione 4.

c An consultus super hac re fuerit Episcopus, non exprimit Folcuinus Levita.

d Johannes Iperius Abbas Sithiensis in cap. 13. *Conservamus*, inquit, *cappam ejus unam processionalem, mitram, chirothecas, atque sandalia, stolas quoque tres.* quorum contactum parturientibus salutiferum esse testatur. Denique Folcardus in prædicto libro primo de miraculis S. Bertini cap. 9 scribit, corpus sancti Folcoini *magnis celebre virtutibus* suo tempore, hoc est undecimo sæculo, fuisse. Hæc pretiosa *κειμήλια* coram inspexi nuper, & reliquias sancti Folcuini veneratus sum, majori altari impositas ad latus australe in præclara basilica Sithiensis seu Bertiniani Monasterii; humanissimè acceptus à reverendissimo domino Abbate & religiosis Cœnobitis, facilè impetravi facultatem perlustrandi egregia istius loci monumenta, quæ mihi multum subsidii contulerunt.



An. Chr. DCCC XXXV. Julii XX.

VITA SANCTI ANSEGISI ABBATIS FONTANELLENSIS ET LUXOVIENSIS.

Auctore Chronographo Fontanellensi anonymo ejus æquali. Omissa superiùs ad pag. 453.

Ex tomo 3 Spicilegii Acheriani.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Ansegisus Capitulariû auctor.

1. *DE Ansegiso, præter ea quæ inferiùs ex Chronographo Fontanellensi referuntur, pauca nobis dicenda supersunt, nisi quòd is ipse auctor est collectionis Capitularium, quæ sub nomine Ansegisi Abbatis circumfertur. Hanc nonnulli Ansegiso Abbati, qui postea Senonum Archiepiscopus fuit, tribuendam censuere: quos refellit Iacobus Sirmondus in epistola ad Constantinum Cajetanum, ratus eam esse Ansegisi Abbatis Laubiensis, adductus auctoritate Sigiberti in Chronico ad annum* DCCCXXVII. *cui auctori Trithemius suffragatur. Et rectè quidem superioris sententiæ auctores refellit Sirmondus: at Ansegisum Abbatem inter Laubienses quærimus, nec in venimus. In chronico siquidem Laubiensi, auctore Folcuino Abbate, nullus eo nomine Abbas reperitur. Audiendus Adso, seu Hermiricus Luxoviensis Abbas, qui de miraculis sancti Vualdeberti ac de suis decessoribus librum scripsit sæculo* x, *de Ansegiso scribens in hæc verba.* Ea tempestate Luxoviensium quoque dignitas inter cetera pristino rigore tabescente jam pænè vacillabat. Quod Cæsar Ludovicus expertus, Ansegisum virum dignissimum, comtum moribus, & sapientiæ decore præpollentem, loco præficit in Pastorem. Hic collapsa reparat, dispersa recolligit, situm ecclesiæ longiùs extendit, circumpositas officinas amplioribus spatiis atque altioribus muris exporrigit, parietes quoque ecclesiæ cum ceteris ornamentis pulcra varietate depingit. Capitula siquidem Regum Francorum, quæ diversis fuerant acta Conciliis, excepit, & uno volumine contineri fecit. Cumque inter Regni proceres Francorum Regibus gratus esset; justis & piis operibus intentus vitæ finem fecit, & illic ubi spatiosiùs ecclesiam extenderat, dignam accepit sepulturam. *Hinc patet, Ansegisum hunc esse prædictæ collectionis compilatorem. Quamquam mirum est, id à Fontanellensi Chronographo, qui sanè diligens & gravis auctor est, prætermissum fuisse. Hincmarus Remorum Archiepiscopus in opusculo 46 commemorat* duo Capitula assumta ab Ansegiso Abbate, Capitulorum imperialium ex universis Synodis & placitis collectore *ex primo libro Capitulorum, septuagesimo septimo, & septuagesimo octavo*, de non dividendis rebus ecclesiasticis & Episcoporum electione.

Ansegisi memoria.

2. *De Ansegiso hæc leguntur in Kalendario Luxoviensi:* XVI Kal. Augusti obitus beati Ansegisi Abbatis. *Legendum* XIII Kal. *ut patet ex Vita sequenti & ex vetusto Breviario Fontanellensi typis edito ex mandato Claudii de Pictavia Abbatis, quo in Breviario habetur* XIII Kal. Aug. Anchisili Monachi hujus loci commemoratio. *In prædicto Luxoviensi Kalendario de eo item ad diem 20 mensis Maii notatur* inventio corporis sancti Ansegisi Abbatis atque Confessoris Christi: *tametsi in ecclesiasticis officiis nihil de eo agunt Luxovienses nostri. Fontanellenses die 20 Augusti Ansegisum colunt*, itemque Novembris die 19.*

Ansegisus Francus nobilis,

Abbas anno 823.

1. INSIGNIS vir gloriosus ac tranquillus, omnique scientia, divinæ scilicet atque humanæ Philosophiæ sufficienter instructus, à patre ANASTASIO nomine, matreque vocabulo HIMILTRADA procreatus, divina ordinante clementia regimen accepit loci hujus anno dominicæ Incarnationis DCCCXXIII, qui

An. Chr. DCCCXXXV. Julii xx.

erat annus Ludovici gloriosissimi Augusti decimus, porro Paschalis Apostolici circiter septimus, sub die quarto Nonarum Aprilium, Indictione I. de cujus clara origine, vita, conversatione, moribus & actibus, placet præsenti operi ea tantùm inserere, quæ Lectoris animum non offendant. Nam juxta sæculi hujus dignitatem ex nobili Francorum prosapia claram duxit originem, quam nobiliorem operum splendidiorum reddidit exemplis. Duæ verò clarissimæ virtutes in eo maximè refulgebant: quarum prima illi fuit, bene vivere; secunda, rectè docere. Denique tenente locum regiminis hujus Cœnobii GIROWALDO Abbate propinquo suo, hoc accessit Monasterium, tonsuramque capitis ab eo suscepit. Deinde non multo pòst ad palatium eum perducens, in manus gloriosissimi Regis Caroli commendare studuit.

Duæ ejus virtutes.

Monachus Fontanellensis,

2. Defuncto verò Geroaldo TRASARIUS hoc adeptus est Cœnobium: ac non post multum temporis præfatus domnus Ansigisus Flaviacum Monasterium, quod sanctus GEREMARUS fundavit, ac corpore requiescit, quod est situm in pago Bellovacensi, à domno Rege CAROLO in precarium accepit, anno videlicet Incarnationis Domini Jesu Christi DCCCVIII qui erat annus anni Magni Caroli, ex quo Rex Francorum constitutus est, XXXVIIII; ex quo verò Imperator & Augustus appellatus est, annus VII. quod ferè ædificiis destitutum, ac in egestate redactum atque relictum invenit: sed intra pauci temporis spatium nobili sua industria recuperare studuit. Omnia namque ædificia, & publica, & privata, ipse ibidem, eliminatis atque projectis iis quæ vetustate consumta fuerant, à fundamentis construi, atque in majori elegantia restaurari fecit, veluti cunctis illò advenientibus palam est. Nam in præceptis rei rusticæ sagacissimus erat. unde factum est ut diversarum frugum maxima illi copia numquam deesset, quam semper larga manu cunctis indigentibus erogare noverat. Erat namque eleemosynarius valde, pauperumque refector, profluus ditator ac defensor ecclesiarum, Clericorum nutritor, Monachorum verissimus pater, peregrinorum lætissimus susceptor, viduarum ac pupillorum maximus adjutor. Denique ante Flaviacense Cœnobium duo alia ad regendum ab invictissimo Rege Carolo ei commissa fuerant Cœnobia; unum quod est situm prope muros [a] urbis Remensis, & in honore sancti Sixti primi ejusdem urbis Præsulis constructum, & est in ditione ejusdem civitatis: alterum in territorio Catalaunici castri, quo sanctus Episcopus Memmius corpore quiescit humatus. Quibus desertis Flaviacensis Rector constituitur anno suprà scripto. Præterea dum prædictum Flaviacense Cœnobium jure precarii ac beneficii teneret, etiam exactor operum regalium [b] in Aquisgrani palatio regio sub HEINHARDO Abbate viro undecumque doctissimo à domino Rege constitutus est. quod nobilissimè administravit, atque in cunctis operibus suis prudenter se agebat. Plurimis verò ejusdem Regis jussu legationibus strenuissimè functus est.

Flaviacensis Abbas anno 807.

ædificia refecit.

Virtutibus clarus.

Abbas aliis in locis.

Operum regalium exactor.

Legatus.

3. Interea defuncto Magno Carolo Imperatore Augusto divæ memoriæ, Ludovicus ejus filius in Imperium elevatur: à quo idem domnus Ansigisus magnificè honorari meruit. Anno denique imperii sui IV, Luxovium famosum Galliis Cœnobium ad regendum beneficii jure eidem contulit. Quo anno STEPHANUS Papa, tertio mense postquam Romam remeaverat, reversus de Francis, VIII Kalendas Febr. vitâ decessit: in cujus sede PASCHALIS successor efficitur. Luna eclipsim passa est nono Februarii die, hora noctis secunda. Abdiraman Rex Sarracenorum Le-

Luxovio præfectus anno 817.

[a] Nunc sancti Sixti ecclesia parœcialis est intra muros urbis. De sancti Memmii Abbatia infrà

[b] Id est regiis ædificiis præfectus, ut dictum est superiùs, ubi de Eginhardo Abbate ad annum 817.

An. Chr. DCCCXXXV. Julii xx. gatos pro pace Compendium ad Imperatorem misit, qui Compendio audiri, & Aquisgrani iterum perrexerunt, tresque menses detenti, Regi suo remissi sunt. Hoc etiam anno Bernardus Rex Italiæ in deditionem apud Cavillonem Imperatori se tradidit. Sed his omissis ad cœpta revertamur.

4. Anno igitur imperii domni Ludovici Augusti tertio Trasarius Rector hujus Cœnobii cum licentia ejusdem Imperatoris ad locum suæ nativitatis repedavit, ac Beneventum in Campania regrediens, à Sigone duce, quem ex lavacro sanctæ regenerationis susceperat, honorificè susceptus est. Post quem Einhardus hoc Cœnobium per septem ferme tenuit annos. Quod demum ultro derelictum, divina (ut credi fas est) jussione ac gloriosissimi Imperatoris Ludovici largitione domnus Ansegisus ad gubernandum suscepit anno jam suprà taxato. Quod tam sollerti studio summaque industria nobilitavit, ut novus Wandregisilus credi posset, aut etiam magnus Præsul Ansbertus redivivus ad lucem regressus fore putaretur. Verùm sicut illi in exordio sui ædificiis nobilitaverunt, Clerum ᵃ auxerunt, disciplinis ecclesiasticis imbuerunt: ita iste diruta emendate studuit, ac vetustate consumta in majori elegantia reparavit. Clerum nobilissimè auxit, ac regulari ordine secundùm egregii Patris Benedicti normam ut vitam degerent, multipliciter decertavit. Nam ex desidia priorum Patrum, qui gregis sibi commissi curam minùs devotè gesserunt, status almæ Regulæ prædicti Patris Benedicti jam quasi casurus videbatur, licèt illi qui Domino militabant canonico ordine, irreprehensibiliter conversarentur. Contigerat enim ob incuriam, ut jam dixi, Prælatorum qui ea quæ Regulæ auctoritas sacræ dare mandabat, parvipendendo impertiri distulerant: sed prædictus reverendissimus Pater Ansegisus hoc modis omnibus sategit, ut in pristinum statum ac legem recuperaret, juxta quod voluntatem domni Imperatoris super hoc noverat: & quæ Regulæ auctoritas dare mandabat, largiri modis omnibus non negligeret. Denique ex Luxovio Cœnobio, quod in Galliarum terris in religione ac regulari disciplina non inferius usque ad præsens videtur, Monachos Deum timentes, virosque religiosos secum huc adduxit, qui & legem istinc Monachorum docerent, & exempla salubria ostenderent: licèt olim à viro justo Benedicto Fossatensis Cœnobii Abbate, eruditi in hac Philosophia fore viderentur, qui plurimis diebus in hoc Monasterio conversantes, nonnulla exempla doctrinæ & bonitatis suæ istic reliquerunt. Nam, ut verè fatear, non inferius Franciæ seu Galliæ Monasteriis istud in omni religione comparabatur Cœnobium.

Einhardo Fontanellæ succedit anno 723.

rem optimè gerit.

Regulæ observationem ibi restituit

per Monachos Luxovienses.

5. Nec mirum, si tempore Ducis optimi milites Christi per viam regiam incederent, licèt nunc Christi caritas non sit refrigerata: cùm utique signifer sanctissimæ disciplinæ idem exsisteret, qui omnibus imitandus apparebat. Quicumque enim illum audiebat præcipientem, non redarguebat aliter operantem. Testimonium veritati, non amicitiæ reddebat. Sermones ejus utiles magis, quàm faceti esse noverant: à verbis quoque turpibus omnimodis abstinebat, sciens quia licentia eorum impudentiam nutrit. Quatuor quoque virtutes, quibus omnis homo præcipuè inniti debet, in eo refulgebant: prudentia videlicet, fortitudo, temperantia, atque justitia; sermo nempe ejus nusquam inanis exstitit, immo subditis sibi aliisque aut suasit bona agere, aut monuit docere recta; aut consolatus est dolentes, aut præcepit fidem Deo æterno & immortali, Regique terreno inviolatam servare. quæ etiam in suis actibus primus adimplere curavit. Quæcumque verò ex rebus transitoriis possedit,

virtutibus præditus.

ᵃ Id est numerum Clericorum, quo nomine Monachi passim eo tempore donabantur.

nihil

nihil magni æstimavit, sed potiùs caducum esse credidit. Ideo gazas suas Monasteriis ac egenis distribuere satagebat, thesaurizans sibi thesauros in cælo, quò fur non appropiaret, neque tinea devoraret. Vitiorum per omnia fugax exstitit: aliorum verò neque acerbus reprehensor, neque curiosus scrutator. Cunctis denique benignus, in adversis firmus, in prosperis cautus & humilis. Justitiæ postremò virtutem quàm magnificè tenuerit, testantur legationes, quibus jussu Augustorum frequenter functus est: maximè ea quæ tempore domni Ludovici magni Imperatoris, jussu ejusdem partibus marcæ Hispanicæ celebrata est adversus GAUTSELMUM custodem limitis illius. Erat enim in sermone verissimus, in fide firmissimus, in bonis operibus promtus, in judicio justus, in consilio providus, in bonitate conspicuus, in caritate præclarus, fide catholicus, eleemosynis dives, vigil ingenio, promtus eloquio, flagrans studio. Utile nempe vas in domo Domini, Deo sedulè serviens, errantes corrigens, correctos fovens, obstinatos spernens, humiles semper diligens, Regi terreno subjectus, Christo dominatori omnium devotus. An. Chr. DCCC XXXV. Julii XX. Legatio.

6. Quantum verò in ecclesiasticis curis intentus fuerit, testantur innumera in Cœnobiis ejus curæ subditis ab ipso collata. In Luxoviensi namque cœnobio hæc dona obtulit. Crucem auream mirificè factam, gemmis pretiosissimis decoratam, habentem baculum argento coopertum, quem secum solitus erat in itinere bajulare; offertorium aureum cum patena sua aurea opere mirabili; calices argenteos tres deauratos, anaglyfico opere patratos: hanapum argenteum optimo opere factum, habentem limaces aureos quatuor, in fundo exteriùs sibi annexos; aquamanile & urceum argenteum mirabili opere. altare in honore perpetuæ Virginis Mariæ decoravit tabulâ ligneâ, quam imaginibus argenteis diversis cooperuit. de vestimentis verò, rodinum optimum unum, planetas casulas quinque; cindados duodecim coloris diversi; dalmaticas tres; pallia fundata sex; tapeta optima octo: Ecclesiam sancti Petri altiorem in fabrica sua, muros exaltans, reddidit, ac cum clavis ferreis eam cooperuit. Porticum prætetea, quæ vadit de ecclesia beati Petri ad sanctum Martinum, de novo fecit; & eam cooperiens scindulas ejus ferreis clavis affixit. Luxovio quid contulerit.

7. In hoc igitur Fontinellensi Cœnobio hæc munera contulit. Portionem magnam ligni salutiferæ Crucis dominicæ inclusam auro, quod rotundo schemate formatum erat, ejusque in medio crystallum positum, ita ut figura ligni sanctæ crucis intuentibus intus appareret. Quod postea præpedientibus peccatis, sive alio quolibet casu de frontispicio lecti protectoris nostri beati Wandregesili fures sustulerunt perforata maceria basilicæ sancti Petri. quod factum est pridie Nonas Decembris, Dominica, expletis post obitum ejusdem gloriosi Patris mensibus tribus, & diebus sexdecim. Calicem aureum mirificè factum, duas hinc inde habentem ansulas, gemmis pretiosissimis decoratum, qui pensat libram; alterum argenteum, anaglyfico opere factum, operis mirandi cum patena sua argentea; offertorium argenteum ejusdem calicis, habens effigiem mirifici operis; alia offertoria argentea cum patenis argenteis earumdem; coronam majorem argenteam cum lampada sua argentea optimam unam. Item lampadam argenteam unam; thuribulum argenteum optimum unum; candelabra argentea tria habentia solidos nonaginta; id est unum quodque triginta; sigilla aurea mirifica cum pretiosis lapidibus numero duo; urceum argenteum cum aquamanili optimum unum; cuppas vitreas auro ornatas duas, eburneam unam mirificè factam. Pyxidas eburneas duas; hanapum vitreum optimum unum; quatuor evangelia in membrano purpureo ex auro scribere jussit Romana littera; Quid Fontanellæ in vasis, in libris,

An. Chr. DCCC XXXV. Julii XX. ex quibus Matthæi, Johannis, & Lucæ complevit, sed interveniente morte ejusdem reliquum imperfectum remansit. Lectionarium etiam in membrano purpureo similiter scribere jussit, decoratum tabulis eburneis; antiphonarium similiter in membrano purpureo argenteis scriptum litteris, ornatumque tabulis eburneis. De vestimentis verò ecclesiasticis largitus est pallia, quæ dicuntur fundata, tria; stauraeia duo; stragulum Hispanicum unum; tapetia quatuor; dalmaticas ministrorum ministerio aptas sex; roecum subdiaconalem unum; coccum unum; tunicam sacerdotalem Indici coloris cum vestimento integro unam; planetas casulas quatuor; casulas item ex cindato Indici coloris tres; viridis coloris ex cindato item tres; item rubei sive sanguinei coloris ex cindato unam; blatteam item casulam unam; cappas Romanas duas, unam videlicet ex rubeo cindato & fimbriis viridibus in circuitu ornatam, alteram ex cane pontico, quem vulgus Beuvrum nuncupat, similiter fimbriis sui coloris decoratam in orbe; linteum optimum unum; faciftergium * optimum unum; fanones optimos duos, unum auro decoratum, alterum staurario; item de cindato duos; pulvinaria serica evangelicis officiis apta, majora, duo; minus, unum; cingula Romano opere facta auro decorata duo; mappulas duas, stolas duas.

in ornamentis.

* f. facitergium

item in libris Augustini,

8. De libris autem hanc dedit copiam, Bibliothecam optimam, continentem vetus & novum Testamentum cum præfationibus ac initiis librorum aureis litteris decoratis; libros expositionum divi Augustini in Genesim ad litteram volumen unum; item Enchiridion ejusdem, volumen unum; ejusdem explanationum in omnes Psalmos volumina tria; ejusdem contra Julianum hæreticum volumen unum; item librum Epistolarum ejusdem ad diversos, volumen unum; item ejusdem librum qui dicitur, Unde malum, volumen unum; item librum ejusdem qui prætitulatur, de doctrina Christiana, volumen unum; librum decem Chordarum ejusdem; ejusdem super epistolam Johannis; item adversus epistolam fundamenti volumen unum; homiliare ejusdem, volumen unum. Expositionem beati Ambrosii in Lucæ Evangelium, volumen unum; Epistolarum ejusdem ad diversos, volumen unum; item ejusdem librum qui dicitur de bono mortis, volumen unum; item ejusdem de Joseph ac duodecim Patriarchis volumen unum. Epistolarum beati Hieronymi volumen unum; epistolarum sancti Sixti Episcopi volumen unum; Historiarum Josephi volumen unum; Tagii [a] Sententiarum, volumen unum; Excerptionum Paterii de veteri ac novo Testamento ex Opusculis beati Gregorii Papæ volumen 1. Evipi ex opusculis beati Augustini similiter volumen 1. Gregorii in parte media Job. vol. 1. librum Fulgentii Episcopi Carthaginensis vol. 1. librum Ferrandi Diaconi ecclesiæ Carthaginensis vol. 1. Bedæ in Genesim expositio vol. 1. ejusdem de computo ac ratione temporum vol. 1. Collectaneos duos super anni circulo, Pauli Diaconi volumina [b] duo; libros glossarum duos; librum canonum diversorum Conciliorum volumen unum.

Ambrosii,

Hieronymi &c.

quid in ædificiis.

9. Ædificia autem publica ac privata ab ipso cœpta & consummata hæc sunt. In primis dormitorium Fratrum nobilissimum construi fecit, longitudinis pedum ducentorum octo, latitudinis verò viginti septem. porrò omnis ejus fabrica porrigitur in altitudine pedum sexaginta quatuor: cujus muri de calce fortissima ac viscosa, arenaque tusa & fossili, lapideque tofoso ac probato constructi sunt. Habet quoque solarium in medio sui pavimento optimo decoratum, cui desuper est laquear nobilissimis picturis ornatum. Continentur in ipsa domo desuper fenestræ vi-

[a] Is est Tagius seu Taius, aliis Taso, Cæsaraugustanus Episcopus, qui ex libris sancti Gregorii Papæ primi compilavit quatuor libros sententiarum, quos præ manibus habeo.

[b] Nempe homiliarum in Evangelia totius anni, qua de re legenda Caroli Magni epistola ad Paulum in Veterum Analectorum tomo 2.

treæ, cunctaque ejus fabrica, excepta maceria, de materia quetenum durabilium condita est: tegulæque ipsius universæ clavis ferreis desuper affixæ: habet sursum trabes & deorsum. Post quod ædificavit aliam domum quæ vocatur refectorium, quam ita per medium maceria ad hoc constructa dividere fecit, ut una pars refectorii, altera foret cellarii; de eadem videlicet materia similique mensura sicut & dormitorium: quam variis picturis decorari in maceria & in laqueari fecit à MADALULFO egregio pictore Cameracensis Ecclesiæ. Tertiam nempe fecit domum egregiam construi, quam majorem vocant, quæ ad Orientem versa ab una fronte contingit dormitorium, ab altera adhæret refectorio: ubi cameram & caminatam, necnon & alia plurima ædificare mandavit: sed adveniente morte ejusdem, hoc opus ex parte imperfectum remansit. Hæc tria egregia tecta ita constituta sunt: dormitorium videlicet ab una fronte versum est plagæ septentrionali, ab altera australi, & adhæret ab ea basilicæ sancti Petri. Refectorium similiter versum est eisdem plagis: & est fere contiguum à parte meridiana absidæ basilicæ S. Petri. Porro illa major domus, sicut suprà diximus, ad orientem constituta est. Ecclesia autem sancti Petri à parte meridiana sita est, versa tamen ad Orientem. Ipsa etiam à parte occidentali triginta pedum in longitudine, ac totidem in latitudine accrevit, constructo desuper cœnaculo: quam in honore Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi dedicandam fore præoptabat. Sed & ipsum opus propter mortem ejus tam citam imperfectum remansit. In eadem autem basilica sancti Petri pyramidem quadrangulam altitudinis triginta quinque pedum de ligno tornatili compositam, in culmine turris ejusdem ecclesiæ collocari jussit; quam plumbo, stanno, ac cupro deaurato cooperiri jussit, triaque ibidem signa posuit. nam antea nimis humile hoc opus erat. Ipsam namque turrim, simulque absidam tegulis plumbeis à novo cooperiri jussit. Jussit præterea aliam condere domum juxta absidam basilicæ sancti Petri ad plagam Septentrionalem, quam Conventus, sive Curiæ, quæ Græcè Beleurerion [a] dicitur, appellari placuit; propter quod consilium in ea de qualibet re perquirentes convenire Fratres soliti sint. Ibi namque in pulpito lectio quotidie divina recitatur, ibi quidquid regularis auctoritas agendum suadet, deliberatur. In qua etiam monumentum nominis sui collocati jussit, ut dum vitæ præsentis terminum daret, illicà suis deponeretur [b]. Item ante dormitorium, refectorium, & domum illam quam majorem nominavimus, porticus honestas cum diversis pogiis ædificari jussit, quibus trabes imposuit, ac juxta mensuram eorumdem tectorum in longum extendit. In medio autem porticus, quæ ante dormitorium sita videtur, domum chartarum constituit. Domum verò, quà librorum copia conservaretur, quæ Græcè pyrgiscos [c] dicitur, ante refectorium collocavit, cujus tegulas clavis ferreis configi fecit.

10. In Flaviacensi quoque Cœnobio quæ obtulerit dona, hoc in loco declarandum censuimus. Ibi namque gratuita benignitate largitus est calices argenteos diversos decem; aquamanile argenteum cum urceo suo argenteo; candelabra argentea numero septem; pallia diversa plus minusve quadraginta; casulas, planetas, ac cindatos diversos triginta, quarum colores oneri videtur describere. fanones ac lintea non occurrunt memoriæ quot fuerint numero. In honore verò sanctæ Trinitatis

AN. CHR. DCCC XXXV. Julii xx.

Flaviniaco quid contulerit.

a Βουλευτήριον, locus in quo tractatur consilium. Capitulum etiam tum, ut nos modò; Capitolium nonnulli appellabant. Dictum Capitulum à capitulo Regulæ, quòd eo in loco legi solebat ab antiquo post Primam. Unde & Prima hora apud quosdam Capitulum nuncupatur, ex Ordine Romano.

b Ergo jam tum mos erat, ut Abbates in Capitulo tumularentur. Exemplo est etiam Bertharius Abbas Casinensis in Chronici Casinensis lib. 1 pag. 44.

c πύργος Græcè; Latinè turris.

An. Chr. DCCCXXXV. Julii XX.

basilicam ædificavit, ante cujus aram tabulam argenteis imaginibus decoratam collocavit, ipsique aræ crucem argenteam imposuit, universamque basilicam variis picturis decorari jussit. Nomina autem librorum, quos ipsi contulit loco, hæc sunt. Pandectem à beato Hieronymo ex Hebræo vel Græco eloquio translatum; ejusdem expositionem in duodecim Prophetas, & sunt tomi viginti in volumine uno; ejusdem in Isaia Propheta libri octodecim, volumen unum; ejusdem librum epistolarum, volumina duo; in Proverbiis Salomonis ejusdem volumen unum; in Danielem Prophetam ejusdem; in Evangelio Matthæi ejusdem, continens in eodem decreta Gelasii Papæ de libris recipiendis & non recipiendis; & excerptio aliqua de libris Exameron sancti Ambrosii Episcopi, codex unus; Libros sancti Augustini, qui prætitulantur, de civitate Dei, numero triginta * duo, in codice uno; ejusdem expositionem in Evangelio sancti Johannis, volumen unum; Homiliare ejusdem continens sermones CXLVII volumen unum; Libros ejusdem XV de sancta Trinitate volumen unum; concordiam Evangeliorum ejusdem, codicem unum; ejusdem de doctrina Christiana, codicem unum; expositionem Symboli ejusdem, codicem unum; quæstiones ejusdem octoginta, codicem unum; de baptismo parvulorum ejusdem ad Marcellum libros tres: de sermone Domini in monte libros duos; de providentia Dei serm. I. de Natali proprio serm. I. Ad Flactianum epistol. * volum. I. ejusdem Academicorum lib. tres; Soliloquiorum lib. duos; de immortalitate librum unum; de quantitate animæ lib. unum; de Magistro lib. unum; de ordine lib. II. de videndo Deo librum I. vol. I. libros confess. ejusdem codicem unum: Librum qui dicitur Enchiridion, cod. unum; in Psalmis expositionem ejusdem codicem unum. expositionem sancti Ambrosii [a] in epistolas Pauli vol. unum. Hisychii Presbyteri in Leviticum lib. VII cod. I. Expositionem sancti Johannis Constantinopolitani Episcopi in Matthæum. Apocalypsim sancti Johannis, continentem etiam librum sancti Isidori differentiarum, cod. unum. S. Hilarii Episcopi contra hæreticos cod. unum. Homiliarum beati Gregorii Papæ in novissima parte Ezechielis Prophetæ in cod. uno; epistolarum ejusdem cod. unum. Expositionem Bedæ Presbyteri in actibus Apostolorum, cod. unum; in septem epistolas Canonicas & Apocalypsim Johannis cod. unum; ejusdem in Marci Evangelium cod. unum; ejusdem in Lucam Evangelistam cod. I. Librum testimoniorum Isidori de Christó & Ecclesia cod. unum; ejusdem Etymologiarum cod. unum; ejusdem Rotarum [b] ad SISEBUTUM Regem cod. I. Prosperi [c] de vita activa & contemplativa in cod. I. Prognosticon futuri sæculi cod. I. disputationem fidei inter Arium hæreticum ac Athanasium catholicum in cod. I. Epistolarum sancti Cypriani Martyris. cod. I. Alcuini de Trinitate librum in codice I. Regulam beati Basilii Episcopi. Regulam B. Benedicti in cod. I. Historiam ecclesiasticam Eusebii Cæsariensis Episcopi in cod. uno; Chronicam ejusdem in cod. uno; Historiam item ecclesiasticam trium virorum, id est Zozomeni, Theodoriti, & Socratis, in cod. uno. Canones diversorum Patrum in Codice uno; Sacramentoria volumina duo; Cassiodori de Arithmetica vol. unum. ejusdem in Psalmos expositionem, vol. unum. Homiliarum Origenis in veteri testamento volumina duo, ejusdem in Psalmos expositionem, volumina duo. Vitas Beatorum Confessorum Hieronymi, Augustini; Gre-

* l. viginti

* Non exstat

a Jam ergo sæculo nono commentarii illi in Paulum, quos Juliani esse modò constat inter eruditos, Ambrosio attribuebantur: quod etiam ex Hincmaro aliisque patet.

b Liber iste non exstat in editis operibus Isidori, si bene memini.

c Et hic liber non est Prosperi, sed Juliani Pomerii

gorii [a]. Item passionem beatæ Columbæ virginis in cod. uno. Institutio ac collectio cujusdam de vita canonica, vol. 1. Gesta Francorum in cod. uno; & alios plurimos, quorum nunc nomina non occurrunt memoriæ.

An. Chr. DCCCXXXV. Julii xx.

11. In eleemosynarum verò largitionibus quantùm sollicitus exstiterit, ipsa ejus opera testimonium perhibent. Nam quodam tempore, id est anno regiminis sui decimo octavo, in passionem incidit illam, quam Medici paralysim vocant: moxque vocatis domesticis ac fidelibus seu intimis suis, hanc rerum suarum distributionem gratuito animo facere curavit. quæ elargitio seu distributio, ipsius jussu ac supplicatione edita est à venerabili viro HILDEMANNO Bellovacensis urbis Episcopo, adjuncto BERTENINGO & GERLONE laicis, simulque LANDONE Monacho. Cujus textus talis est. In hoc Fontinellensi Cœnobio largitus est Fratribus libras nonaginta. nam omnibus annis triginta in censu dare consueverat. famulis laicis libras decem; senibus in illo Xenodochio, & ceteris mansionibus pauperum solidos decem; universæ familiæ hujus Cœnobii libras quadraginta. Ceterorum Monasteriorum nomina [b], ad quæ eadem largitio eleemosynæ pervenerit, sigillatim exprimam.

Eleemosynæ testamento relictæ Monasteriis.

(1) Ad Gemmeticum Cœnobium libras v direxit.

(2.) Ad Logium libram unam.

(3) Ad Fiscamnum libram unam.

(4.) Ad Villare Libram unam.

(5.) Ad Longogilum libram unam.

(6.) Ad Sanctum Walericum libram unam.

(7.) Ad beatum Richarium libras duas & semis.

(8) Ad sanctum Audomarum libras duas & semis.

(9.) Ad sanctum Audoenum in Rotomago libras quinque. Ad sanctam Mariam in domo ejusdem ecclesiæ libras duas: ad sanctum Martinum in eadem urbe & ceteris Cellis, solidos viginti quinque. RAGNOARDO ejusdem urbis Archiepiscopo libras decem: videlicet ut quinque Presbyteris, & alias quinque pauperibus erogaret.

(10.) Ad Perithale Monasterium solidos quindecim: ad Penante solidos quindecim.

(11.) Ad Pratellos similiter.

(12.) Ad Ebroïcas civitatem libram unam: ad illam Crucem sancti Audoeni libras duas.

(13.) Ad Lixovium urbem libram unam: ad Fontanas Cœnobium solidos duodecim.

(14.) Ad Bajocas civitatem libras duas: ad duorum Gemellorum Monasterium libras duas.

(15.) Ad sanctum Martinum Turonensem libras quinque, illis Canonicis in domo libram unam.

(16.) Ad S. Annianum Aurelianensem libram unam, illis Canonicis in domo libram unam.

(17.) Ad sanctum Benedictum in Floriaco libram unam.

(18) Ad Ferrarias libras duas.

(19.) Ad sanctum Carilefum libram unam & semis.

(20.) Ad Curbionem Monasterium libram unam.

(21.) Ad sanctam Columbam in Senonis, illis Monachis libras duas: illis Canonicis in eadem civitate libras duas. Item ad sanctum Petrum illis Monachis in eadem urbe libram unam.

[a] Nempe eam quæ à Paulo Diacono scripta est. Nam Johannes Diaconus nondum hac de re scripserat.

[b] De his Monasteriis lege Notationes in fine hujus Vitæ.

An. Chr. DCCCXXXV. Julii XX. (22.) In Aurisiodoro urbe illis Canonicis libram unam. Ad sanctum Remigium illis Monachis similiter. ad sanctum Heracleum in eadem urbe similiter. item in Autisiodoro ad sanctum Germanum illis Monachis libram unam.

(23.) In Trecas illis Monachis ad sanctum Petrum libram unam.

(24.) Ad sanctam Crucem Meldis illis Monachis similiter.

(25.) Ad Fossatos Monasterium illis Monachis libras duas.

(26.) Ad sanctam Genovefam Parisius libras duas. Ad sanctum Germanum Parisius libras tres: in eadem urbe illis Canonicis libram unam. Ad sanctum Dionysium libras quinque. Ad Calam Monasterium libras duas.

(27.) Ad sanctum Lucianum illis Monachis libras duas. Belloaci illis Canonicis libram unam. Ad Flaviacum illis Canonicis libras quindecim. Ad opus famulorum eorum libras decem. HILDEMANNO Episcopo ad Presbyteros & pauperes libras decem. ad Oratorium Monasterium solidos quindecim. ad Fontanidum Monasterium solidos decem. Ad Insulam Monasterium solidos decem.

(28.) Ad Andelagum Monasterium solidos duodecim.

(29.) Ad Malardum vallem solidos decem.

(30.) Ad Resbace Monasterium libram unam & semis.

(31.) Ad sanctum Salvium in Brago solidos decem.

(32.) Ad Malam Monasterium libram unam.

(33.) Ad sanctum Vedastum in Arrebato libras duas.

(34.) Ad Cameracum libras duas. ad sanctum Gaugericum libram unam.

(35.) Ad Corbeiam libras quinque.

(36.) Ad sanctum Eligium in Noviomo civitate libram unam. item ad eamdem urbem Canonicis libram unam.

(37.) Item ad Suessionis civitatem Canonicis libram unam. Ad sanctum Crispinum solidos quindecim: ad sanctum Medardum Monachis libram unam: illis Sanctimonialibus libras tres.

(38.) Ad Remis illis Canonicis libram unam: ad sanctum Remigium in eadem urbe Monachis libram unam.

(39.) Ad sanctum Memmium in Catalauno libram unam. Ad eamdem urbem solidos XV.

(40.) Ad Altum montem Monasterium, quo sanctus Ansbertus quondam exsilio fuit intrusus, atque consortiis inde ereptus humanis, solidos quindecim.

(41.) Ad Malbodium Cœnobium libram unam.

(42.) Ad Castrilocum Monasterium similiter.

(43.) Ad Laubias Monasterium libram unam.

(44.) Ad Indam Cœnobium libras duas.
Ad Lingonas illis Canonicis libram unam.

(45.) Ad Luxovium libras viginti quinque, id est ipso Monasterio libras decem. ad Fontanas Cellam ejusdem Cœnobii libram unam & semis. ad Cusantiam similiter: ad Anagrates lib. II.

(46.) Ad Romariei montem libram unam.

(47.) Ad Balmam similiter libram unam & semis.

(48.) Ad *Morbach* Cœnobium libram unam. Ad sanctum Gregorium libram unam.

(49.) Ad Monasterium-Mauri libram unam.

(50.) Ad Melundas libram unam.

(51.) Ad sanctum Reginbertum, ubi primò elementa didicerat litterarum, per manus quoque matris suæ in usus egenorum viginti libras expendit. Simili modo per manus Berreningi libras viginti; sibi verò in domo sua, famulantibus libras quadraginta largiri fecit. Tribus vicibus

omnes opes suas [a] egenis ac pauperibus erogari fecit, nil sibi reservans: quæ qualiter gesta sint, ne nauseam aut fastidium ingessisse videar, transcendendo omittam. Eleemosynis enim sibi viam præparavit, quoniam noverat externum * omnem hominem esse sive ad pœnam, sive ad gloriam. Ideo eleemosynis ac orationibus servorum Dei se roborabat, ut & cursum hujus vitæ pacificè transigeret, atque feliciter in perpetuum viveret. Rexit autem hoc Cœnobium idem gloriosus vir per annos decem, menses quinque, dies XVIII. Ipso tempore recessit domnus Ansigisus, Dominica illucescente, die XIII Kal. Augusti; eodem die cum fletu maximo tumulatus extra basilicam sancti Petri [b] ad aquilonalem plagam, in porticu, in qua Fratres conventum celebrare soliti sunt, ac consultis Deo dignis aures accommodare: & cessavit regiminis locus triginta & octo diebus.

AN. CHR. DCCCXXXV. JULII IX.

* f. extremum diem omnis hominis

CONSTITUTIO ANSEGISI ABBATIS.

Constitutionem verò, quam servis Dei isto in Cœnobio degentibus de victu ac vestitu instituit, commodum arbitratus sum huic operi inserere: cujus talis est textus.

MEMORATORIUM, *qualiter domnus ac venerabilis* ANSEGISUS *Abba dispsuit vestimenta & calciamenta atque alimoniam Fratribus in Monasterio Fontanella morantibus, unà cum consensu eorum ordinabiliter: ut absque ullius occasionis querela, omni egestate exclusâ, vota sua Deo reddere, atque sponsionis suæ negotium ad effectum omni tempore perducere possent.*

De pago namque Bononiensi & Tarvanensi vestitus integros LX censuit porrigendos. drappos albos [c] XX, de quibus camisiæ XX fieri possent. coria boum ad solcas V composita. fabarum modios XX. caseorum pensas XXI per libras LXXV. ova mille. ceræ ad illam ecclesiam libras CC. ad opus Fratrum C. sevo lib. CC. de Corialinse calcibus XXIIII. bragal LX. Ad saccos autem faciendos drappos albos II, de quibus fieri possint stamineæ X. toaculas II. coria bovina composita V. fabarum modios X. pisorum modios XX. caseorum pensas XV per libras LXXII. salis modios XXV. In mense Septembrio ova mille. de illa gregaria pagensi LX. de Itrio & Idtio mappæ III. longitudinis ulnarum X, latitudinis II. de Apuliaco mappa una ejusdem mensuræ. Linтea ad manus tergendas villosa III, unumquodque de ulnis quinque in longitudine, in latitudine III: de Gera camsiles III ad mappulas faciendas longitudinis ulnarum XIII, latitudinis trium. de Clariaco mappam unam habentem in longitudine ulnas X, in latitudine III. Item de Hirtio camsilem de ulnis XII, III latitudinis ad pedes tergendum. de Campomis toaculam I. de Rosontio similiter de Floriaco similiter. de prædicta gregaria caseorum pensas XXX per libras LXXII. filtra [d] ad soccos faciendum XII.

II.

[a] Hinc patet Abbates etiam regulares eo tempore opes quasi proprias habuisse: quod patet multorum Abbatum exemplo, qui testamenta condiderunt.

[b] Et tamen Adso superiùs relatus in Observatione prævia innuit Ansegisum Luxovii tumulatum fuisse. at præferenda hujus Chronographi contemporanei auctoritas.

[c] Ergo tum fiebant interulæ ex *drappo albo*, quæ ob id stamineæ dictæ infrà. Huc spectat id quod legere memini in chartario Folcuini Levitæ ac Monachi Sithiensis de donatione Deodati Clerici ODLANDO *Abbati* Sithiensi facta, litteris datis anno XXXII regni Caroli Magni, quibus litteris Deodatus nonnulla prædia concedit *ad opus Monachorum, in monasterio Sithiu degentium*, id est ad comparandos *drappos ad camsilas ultramarinas; qua vulgo berniscrift vocitantur.* Lege Menardum in Concordiæ caput 61.

[d] Filtrum dicitur antiquis, quidquid ex lana coacta & compressa conficitur. qualis est illa materia, ex qua pilei conficiuntur; vulgo *du Feutre.*

An. Chr. DCCCXXXV. Julii XX.

ad lecta quantum necessitas poposcit. Porcos saginatos ad adipem & lardum cum unctis LX, & insuper quantum necesse fuerit. de ministerio Rosontione fabarum modios tres, pisorum modios V. ad Nativitatem Domini aucipastas [a] tres, pullipastas XX, pullos LX, ova CCL, & in Pascha similiter. Ceræ lib. III. mellis sextarios tres, & in mense Novembrio ova D. ligna, carra LX. Inter illam Crucem Paldriaco & Bladriciagas fabarum III, pisorum mod. V. ad Nativitatem Domini aucipastas IV, pullipastas XII, pullos LX, ova CCL. in Pascha similiter. Ceræ lib. III, mellis sextarios III. In mense Decembrio ova D, ligna, carra LX. de Campanis fabarum mod. III. pisorum modios VIII. ad Nativitatem Domini aucipastas IV, pullipastas VII, pullos LXX, ova CCL, & in Pascha similiter. mellis sextarium unum, ceræ lib. I. In mense Januario ova D. ligna, carra LX. de Sadanma & Bubulo-captiva fabarum mod. II. pisorum modios IV. ad Nativitatem Domini aucipastas II, pullipastas X, pullos XXX, ova C. & in Pascha similiter. mellis sextarios II, ceræ lib. II. In mense Februario ova D. ligna, carra XII. de Gariciagas, Duno, & Gera, fabarum mod. III, pisorum mod. IV. ad Nativitatem Domini aucipastas tres, pullipastas XII, pullos XI, ova CCL. Et in Pascha similiter. Mellis sextarium I, ceræ lib. I. Et in mense Martio ova L. ligna, carra XII. de Petteoponte & Wirr-laico roaculas II, fabarum mod. V, salis mod. XV. ad Nativitatem Domini aucipastas II, pullipastas XXVI, pullos CV, ova D. & in Pascha similiter. Mellis sextarios II. Et in mense Aprili ova D, de Idcio fabarum mod. I, pisorum mod. I. ad Nativitatem Domini aucipastam unam, pullipastas IV. pullos XXV. ova L. Et in Pascha similiter mellis sextarium I, ceræ lib. I. Et in mense Maio ova L. ligna, carra XV. de Irtio fabarum mod. I. pisorum mod. II. ad Nativitatem Domini aucipastam unam, pullipastas IV. pullos XXV. ova L. Et in Pascha similiter. mellis sextarium I. ceræ lib. I. Et in mense Junio ova D. Item de Rosontione in mense Augusto ova CLXVI. de illa Cruce & Campanis ova CLXVIII. de Revereis-curre vini modios XLVIII, ova CCL. vinum de Alpiaco mod. CCCL. de Riparensi curre mod. CL. de Abriaco mod. L. de Burgundia mod. L. sunt modii DC. Adumaticum mod. XXXII. Sicera, humolone, quantum necessitas exposcit. Ceræ ad illam ecclesiam libras CC. olei libras CXX. adipem mod. VIII. Ad opus Fratrum ceræ lib. C. olei lib. C. Ad pelles hircinas sexaginta compositas lib. III. Ad cordebisos XL. comparandum lib. III. ad coria bovina XX lib. I. Capellos nigros VIII. de solid. XXXII alios quatuor, unumquemque de solidis III. qui fiunt solidi II, Tres qui remanent de solidis septem, qui fiunt simul lib. II. & semis. Ad stamineas XXX. optimas comparandum lib. III. ad femoralia paria XXX lib. I. ad infirmorum curam mel & pigmenta lib. I. Ad saccos quindecim comparandum griseos siccicos, unde cappæ fiant, lib. X. id est talis ordo, unumquodque de solidis X. Et duos optimos capellos de solidis XXX. quinque qui supersunt de solidis XXXVI. novem vero de solidis LIIII. id est unumquodque de solidis sex ad toccos faciendum, qui sunt tocci XVIII. colligunt super totum libras X. Ad sagos XV in lecta mittendum lib. II & semis. Ad pelles berbicinas, unde pellicea fiant, solid. X. Ad vuantos lib. I. Ad fasciolas lib. I. Sunt in summa lib. XXXI. Ad Infirmorum curam mansionilem, qui dicitur Bothmeregus, & quantumcunque decet, Tauram, id est de porcis, mutones, berbices, pullos, ova, omnem decimam nostram ad ipsam domum infirmorum concessimus. de nutrimentis nostris & de vasallis nostris ad portam Monasterii dedi-

[a] Sic vocabant artocreata ex aucis seu anseribus, & pullipasta quæ ex pullis: quorum esus Monachis concedebatur in festis Nativitatis & Paschæ ex Concilio Aquisgranensi.

mus

mus villam Noviomum, & illos mansioniles qui dicuntur Gisimacas, An. Chr.
Strotella, Sanctum Stephanum, Luviccinas, Bantana, Cisternas, Lenti- DCCC XXXV.
culosa, ad illorum infirmitates & necessitates ex caritate, & caseos, & bu- Julii xx.
tyrum, necnon ad illorum famulos nutriendum, &c. quæ necessaria sunt concessimus.

NOTATIONES

De Monasteriis suprà enumeratis num. 11.

(1.) Gemeticam Cœnobium virorum ad Sequanam infra Rotomagum, prope Fontanellam, hactenus celeberrimum, vulgo Jumieges, *de quo in Vita sancti Filiberti Saculo 2.*

(2.) Logiam Parthenecum, modò eversum, situm erat ad Sequanam prope Calidumbeccum opidum, in loco qui nunc Logensis portus dicitur. Lege Notas in primam Vitam S. Balthildis Saculo 2.

(3.) De Fiscanno, insigni Monasterio tunc virginum, nunc virorum, dictum est in Vita S. Vvaningi Saculo itidem 2.

(4.) Villare, vulgo Montivilliers, *insigne Cœnobium Virginum Benedictinarum in Caletis, de quo in Actis sancti Filiberti Saculo 2, & sanctæ Austreberta Saculo 3.*

(5.) De Longogilo nihil mihi succurrit.

(6.) S. Vvalerici ad ostia Somena, de quo in Vita S. Vvalarici Saculo 2.

(7.) S. Richarii Centulense, Saculo item 2.

(8.) S. Audomari. Sic nonnunquam dicebatur Monasterium Sithiense, cujus erant dua ecclesia, sancti Bertini & sancti Audomari, utraque Monachorum ab initio. nunc ecclesia sancti Audomari est cathedralis, alia Monachorum. Lege Vitam S. Bertini Saculo 3.

(9.) Monasterium sancti Audoëni etiamnunc viget Rotomagi, ubi ecclesia cathedralis beata Maria sacra est, dua sunt ecclesia parœciales sancti Martini.

*(10.) Pentale Monasterium situm erat ad Lirizinum * amnem in Sequanam influentem, à Childeberto Rege conditum in gratiam S. Samsonis Episcopi Dolensis, ut ex ejus Vita lib. 1 constat num. 58, 59, & 60, in Saculo 1 Benedictino. Penante videtur esse ejusdem Samsonis Cœnobium Dolense, ubi is sepultus est, Penetale dictum in alia ejusdem Sancti Vita apud Iohannem à Bosco, nunc cathedralis ecclesia Macloviensis. Hinc corrigenda adnotatio mea in superioris Vita locum.* * la Lizaint

(11.) Pratellense Monasterium, vulgo Preaux, *itidem in Neustria, hactenus superest, ab annis sexcentis instauratum ab Humfredo nobili viro, de quo in libro de miraculis sancti Valframni Saculo 3.*

(12.) Crux sancti Audoëni, aliis Monasterium sancti Leutfredi, in diœcesi Ebroïcensi in Neustria, de quo in Vita S. Leutfredi Saculo 3.

(13.) Fontana, mihi videtur esse illud quod dicitur Fontanetum, Fontenay, *diœcesis Bajocensis, à sancto Evremundo Abbate constructum.*

(14.) Duo-Gemelli prope Bajocas quondam à sancto Martino Abbate Vertavensi, ut creditur, ædificatum, eversum jacet.

(15. 16.) Hinc patet Monasteria sancti Martini Turonense, & sancti Aniani Aurelianense, jam tunc ad Canonicos conversa fuisse.

(17. 18. 19.) De Floriacensi Monasterio dictum sæpius, uti & de Ferrariensi & sancti Carilefi, quæ hactenus supersunt.

(20.) Corbionense dicebatur Monasterium à sancto Launomaro ædificatum, de quo multis in hujus Saculi tomo 2, ubi de sancti Launomari translatione.

(21.) Supersunt apud Senonas Monasteria sanctæ Columbæ & sancti Petri Ordinis nostri. S. Remigii Cœnobium, quod itidem in hujus civitatis suburbio situm erat, jam destructum est, præter Oratorium modò parœciale.

(22.) Autissiodori verò Monasterium sancti Germani hactenus subsistit.

(23.) Cellense Monasterium sancti Petri apud Trecas, de quo infrà, ubi de translatione sancti Frodoberti Abbatis, hactenus floret.

(24.) Meldis Cœnobium sanctæ Crucis, nunc dicitur sancti Faronis.

(25.) Fossatense verò sancti Mauri, de quo inferiùs, ubi de translatione S. Mauri, ab uno sæculo sæculari toga donatum est.

(26.) Apud Parisios sanctæ Genovefa Monasterium est Canonicorum regularium Ordi-

nis sancti Augustini : sancti Germani & sancti Dionysii Monasteria hactenus vigent sub Ordine nostro.

An. Chr. DCCCXXXV. Julii XX.

(27) Item Bellovaci Cœnobium sancti Luciani ; tum Flaviacense sancti Geremari, sic dictum à Geremaro conditore, de quo in Saeculo 2. At Oratorium, Otoet, sancti Ebrulfi quondam, postea sancta Angadrisma, destructum est, uti & Fontanidum. Lege Acta sancti Ebrulfi Abbatis Bellovacensis in Saeculo 1, & S. Angadrisma in Saeculo 2. Monasterium Insula illud ipsum est, quod S. Geremarus construxisse memoratur in ipsius Actis Saeculo secundo relatis. Ejusdem Monasterii mentionem facit Hincmarus Remorum Antistes in epistola ad Hincmarum Laudunensem relata in Concilii Duziacensis parte 2 cap. 3. Monasterium quod dicitur Isla, in parochia Belvacensi, &c.

(28) Andelagum Monasterium virginum, vulgo Andeley, ad Sequanam quatuor leucis supra Rotomagum, à Beda Venerabili laudatum, jam pridem cecidit.

(29) De Malardo valle nihil observandum succurrit.

(30.) Resbacense in Brigio tractu, Rebais, Abbatem primum habuit sanctum Agilum, de quo in Seculo 2.

(31.) Sancti Salvii in Brago, an S. Salvii in opido Monstrolio, non expedio. Nisi si legendum sit sancti Salvatoris in Brago seu Brayaco ad Sequanam in pago Senonensi, de quo in Vita sancti Paterni in Saecul. 3 parte 1.

(32.) Quid sit etiam Mala Monasterium ignoro. Neque enim de Monasterio Malasti diœcesis Carcassonensis, quod modò Montis-olivi dicitur, hunc locum explicandum esse puto. an de Malmundario ?

(33.) Sancti Vedasti Abbatia hactenus celebris est apud Atrebates.

(34.) Sancti Gangerici est collegiata saecularium Canonicorum ecclesia Cameraci, vulgo S. Gery.

(35.) Corbeia Monasterium illustre laudatur passim in Actis sancti Adalhardi, Vvalæ, Paschasii Radberti Abbatum, & sancti Anscharii.

(36.) Monasterium sancti Eligii in urbe Noviomo nunc à fundamentis instauratur à nostris intra urbem.

(37.) Abbatia sancti Crispini & sancti Medardi virorum, ac sanctæ Mariæ Virginum hactenus subsistunt.

(38.) Item apud Remos sancti Remigii.

(39.) Catalaunis Abbatia sancti Memmii est Canonicorum regularium.

(40.) Altus-mons, vulgo Hanmont, ad Sabis * fluvii initia, hactenus militat sub Ordine nostro.

* la Sambre

(41.) Malbodium, Maubeuge, una abhinc leuca, est saecularium Canonicarum seu Domicellarum, quæ domus olim pro sacris Virginibus à beata Aldegunde condita est.

(42.) Idem dicendum de Castrilocensi Parthenone, qui apud Montes Hannoniæ à sancta Vvaldetrude Aldegundis sorore constructus est. De utraque Sancta dictum est in Saeculo 2.

(43.) Laubiense ad Sabim hactenus insigne est Monasterium, de quo in Saeculis 2 & 3, in Actis sanctorum Landelini & sancti Ursmari Abbatis.

(44.) De Indensi prope Aquasgrani sito dictum est superiùs in Vita sancti Benedicti Aniana Abbatis.

(45.) Luxovio, celebri hactenus Monasterio in Vosago, suberant Fontana & Anagratates, Fontaines, Anegray, hactenus Prioratus à Luxovio pendentes. Cusantia, Cusance, Monasterium quondam ab sancto Ermenfredo conditum, subditumque Luxovio, nunc est Prioratus Abbatia sancti Claudii subjectus. De sancto Ermenfredo actum est in parte 2 Saeculi 3.

(46) Habendense sancti Romarici Cœnobium, vulgo Remiremont, Monasterium est Canonicarum Benedictinarum, olim Monacharum, de quo in Vita sancti Romarici Saeculo 2.

(47.) De Balma, la Baume, diœcesis Vesontionensis, dicendum infrà, ubi de sancto Euticio Abbate.


(48.) Morbach, seu Murbacense Monasterium hactenus superest in diœcesi Basileensi ad Vosagi montana, de quo ad Vitam sancti Pirminii in Saeculi 3 parte 2. Sancti Gregorii Monasterium in Alesatia, diœcesis Argentinensis, vulgo Munsterthal, Regulam sancti Benedicti hactenus servat.

(49.) Mauri-Monasterium, olim à sancto Leobardo conditum in Alesatia, sic dictum à Mauro Abbate, qui regnante Theodorico quarto vixit, vulgo Maur-munster, hactenus perstat sub Congregatione S. Vitoni.

(50.) Melundense Cœnobium, vulgo Molosmes, diœcesis Lingonensis, in pago Tornodorensi, à Chlodoveo magno conditum dicitur in vico Melundis, in valle angusta sito, postea

translatum ad fluvium Armentionem Sancto Michaeli à principio sacratum fuisse Monasterium ferunt: nunc sancti Martini dicitur. Hinc est quòd non de hoc Melundensi, sed de Milidunensi sancti Petri Monasterio explicanda putem hæc verba, quæ habentur in catalogo Fratrum conscriptorum Monasterii sancti Galli: Nomina Fratrum de Cœnobio sancti Petri Melondis. EPILINUS Abbas. Abel Monachus. Ratbaldus Monachus. *Quod si ita est, eodem nomine utrumque Monasterium aliquando appellabatur. Certè Milidunense sancti Petri Cœnobium à Sevvino Senonensi Archiepiscopo, non primitus ædificatum, sed restauratum dicitur apud Ordericum Vitalem in historia lib. 7. Melundensis Cœnobii Abbas fuit* Bernardus Abbas Melundensis, *qui Ionæ Æduensis Episcopi litteris subscripsit anno* XVIII *Caroli Calvi in Spicilegii tomo 8 pag. 145. In Necrologio Flaviniacensi memorantur* VII Id. Martii Wido Melundensis Abbas. *&* III Non. Julii Hugo Abbas Melundensis, Flaviniacensis Monachus, *qui nescio an idem rursus inscribitur eodem modo* III Id. Octob. *Apud Petrum Venerabilem in lib. 1 epist. 27 nominatur* Abbas Melundensis, *quod Monasterium Guillelmus Abbas Divionensis ad meliorem frugem revocasse perhibetur. Hæc in adversariis meis inveni ad locum illum utcumque illustrandum. Lege Chronicon Hugonis Abbatis Flaviniacensis in tomo 1 Labbeano pag. 248.*

(51.) *Monasterium sancti Reginberti existimo non aliud esse, quàm sancti Racneberti in pago Lugdunensi, olim Bebronacense à Bebronna torrente dictum, hactenus superstes. Illud scrupulum injicit, quòd Ansegisus Francus potiùs educari debuit in aliquo Francorum Monasterio, quàm extra Franciam: quo nomine Veteres Neustriam passim, aliquando etiam Austria regnum intelligebant. De Regenberchto Magistro agit Alcuinus in carmine 262. ut quid ad hunc locum? Cellam Bebronensem (ut id in transcursu observem) imperante Carolo magno tenuit Nantharius Sithiensis Abbas eo nomine secundus, ut constat ex litteris cujusdam Erbarii, quæ exstant in chartario Folcuini Levitæ, incipiuntque ab his verbis.* Domino venerabili in Christo Patri NANTHARIO Abbati de Monasterio *Sithiu* sive de Cella quæ dicitur Bebrona, ubi EBROGARUS præpositus esse videtur *Sic verò desinunt.* Actum Bebrona in mense Octobrio anno XXXVIIII, regnante KAROLO Rege anno VI imperii ipsius.



HISTORIA TRANSLATIONIS SANCTI VINCENTII

An. Chr. DCCC LV. Novemb. XXVII.

LEVITÆ ET MARTYRIS,

EX HISPANIA IN CASTRENSE GALLIÆ MONASTERIUM.

Duobus libris prosaïcis scripta ab AIMOINO Monacho S. Germani à Pratis, duobus item metricis.

Ex Iacobo Brolio & ms. codice pervetusto.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. LIBELLOS AIMOINI *duos de miraculis S. Germani Parisiorum Antistitis exhibui in Sæculi tertii tomo 2. nunc totidem libros de translatione S. Vincentii ab eodem soluta oratione scriptos cum aliis duobus metricis exhibere juvat. Fuit is Monachus Cœnobii S. Germani à Pratis apud Parisios sub Gozlino Abbate, qui ab anno circiter* DCCCL *eidem loco præesse cœpit, atque Aimoino ut miracula S. Germani perscriberet, mandavit. Hos verò libros Aimoinus scripsit ex relatione Audaldi Monachi, istius translationis adjutoris,* cujus ab ore quæ dicuntur, accepit, *ex lib. 1 cap. 2. Editi sunt quatuor isti libri à Iacobo Brolio Pratensi Monacho in Supplemen-*

An. Chr. DCCC LV. Novemb. XXVII.

to Antiquitatum Parisiensium. Porro Aimoinus Auditorem habuit Abbonem ejusdem loci Monachum, qui de obsidione Parisiaca libros duos versibus cecinit, præmisso carmine dactylico ad Aimoinum præceptorem. Ex quo intelligitur, Aimoinum anno DCCCLXXXVIII, *quo Abbo scribebat, superstitem fuisse. Ejus obitus signatur in pervetusto Necrologio Pratensibus verbis.* v Id. Junii depositio Domini HAIMONIS Sacerdotis. *Diversus est is ab Aimoino Francicæ historiæ scriptore, qui fuit Monachus Floriacensis sub Abone Abbate.*

* de Castres

2. Primos duos priores libros de translatione S. Vincentii Bernoni Castrensi Abbati ejusque Fratribus nuncupavit. Istud Monasterium* anno Domini DCXLVII Robertus, Anselinus, & Daniel, tres viri pii & nobiles construxerunt in pago Albigensi, juxta fluvium Agouti sub Regula S. BENEDICTI, *adjuvante Faustino strenuo ac prædivite Milite,* qui Monachus factus ecclesiam S. Benedicti à fundamentis magno sumtu ædificavit, & post mortem Roberti secundus Monasterii Abbas *evasit, ut legitur in ejusdem Monasterii chronico, quod typis vulgatum est in Spicilegii tomo 7. Eidem loco præfuit anno* DCCCXXX *Berno Abbas undecimus, cui sequentes libros inscribit Aimoinus. Monasterium in ecclesiam Cathedralem erectum est ab Johanne XXII, modo à sæcularibus Canonicis occupatum. Ab ejus loci Monachis obtinuerunt majores nostri, Cœnobii S. Germani à Pratis Monachi, partem maxillæ S. Vincentii Martyris anno* MCCXV, *interventu Ludovici postea Francorum Regis eo nomine octavi: cujus rei litteras in consequentibus referam.*

3. Interim obiter observo, GUARNERIUM *Resbacensem Abbatem, qui in vulgatis indicibus omissus est, scripsisse opusculum metricum de S. Vincentio Martyre hactenus ineditum, quod legi in ms. codice Gemblacensi sub hoc exordio.*

Quia tua, Christe, salutifera,
Quæ facis omnipotens opera
Tradere non capiat titulis, &c.

Deinde in consequentibus agit de Cella seu Monasterio S. Vincentii prope Hispalim his versibus.

Cella procul bidui spatio
Ab populi manet hospitio.
Sancta Monastica religio
Degit in hoc velut exsilio,
Nullius indiget auxilio.
Sola Deo vacat hæc eremus,
Fert scopulos aridumque nemus.
Mons supereminet aërius,
Oceanum videt inferius,
Nil Monachis liber exterius.
Mons etiam capit ecclesiam,
Inter utrumque decus mediam,
Claustra decoris habent faciem.
Cuncta boni retinent speciem,
Et speciè tenus almitiem.
Hic Vincentius Armipotens.
Cui Dominus Deus omnipotens
Vincere carnifices tribuit,
Lipsana dum sua distribuit,
Nobilius caput exposuit.

Eo in loco Eugenius secundus Toletanæ sedis Episcopus vitam monasticam egisse mihi videtur. quippe qui sagaci fuga urbem Cæsaraugustanam petens, illic Martyrum sepulcris inhæsit, ibique studia sapientiæ & propositum Monachi decenter incoluit, *ut scribit Hildefonsus in lib. de scriptoribus ecclesiasticis cap. 13.*

EPISTOLA AIMOYNI MONACHI

ad Domnum BERNONEM Abbatem, cæterosque sub eo Fratres.

DIGNIS *memoria sanctis Patribus, Domno Abbati* BERNONI, *cæterisque sub eo Fratribus, * in pago Albiensi, & Monasterio beati Benedicti, quod Castrum cognominatur, sub ejus regimine, regulari studio Deo commilitantibus,* AIMOYNUS *peccator, almi Germani Parisiorum Præsulis Monachorum novissimus, præsentem prosperitatem, ætér-*

namque in Christo coronam. Vestra, ô amantissimi Patres, prudenti, necnon & imitabili simplicitate comperta, non miror quòd libuit sanctitati vestræ mihi modico tantum injungere negotium: quatinus adventum beati Levitæ & Martyris Christi VINCENTII ad vos, ejusdemque adventus supernæ admonitionis causam, litteris mandando posteris futurisque sæculis sciendum præberem. In quo etiam illud competenter exigitur: ut grandia paucis elucidem, seu pro vitando fastidio spatiosa brevi sermone contraham: quo omnibus legentibus hoc opus, Christo favente, probetur acceptius. Id quoque quemadmodum de miraculis ejusdem Sancti in itinere vel penes vos multiplici numerositate exhibitis, tantùm ut ejus inventio, ejusque ad vos translatio certa dinoscatur, contingam. Sed quoniam me super hoc, quamvis indignum, dignantes tamen aggressi estis: fiat Domini pia semper voluntas, ipsiusque sancti & egregii testis consequens pro me ac frequens apud eum oratio. Neque fas sit me tot tantisque præceptoribus digna, licèt ab immerito, postulantibus inobedientem reperiri: vestra quoque pro me sanctitate divinam supplicante clementiam: ut quod meritis non præsumo, sanctorum precum sublevatus auxilio, non ego quidem, sed gratia Dei mecum perficere possim. An. Chr. DCCCLV. Novemb. XXVII.

INCIPIT LIBER PRIMUS INVENTIONIS sive Translationis beati Vincentii Levitæ & Martyris, quæ celebratur VI Kal. Novembris.

ANNO octingentesimo quinquagesimo quinto Incarnationis Domini nostri Jesu Christi, regnante orthodoxo Francorum Principe CAROLO Hludowici Imperatoris filio, in parte quadam regnorum ipsius, in Aquitania scilicet & Monasterio, quod vulgari appellatione Conkittas vocitatur, HILDEBERTO cuidam Monacho visio ostensa est, quam cælitus monstratam sequentia declarabunt. Erat igitur idem vir simplex, ultra juvenilem ætatem tempus agens: senex moribus, ac sanctæ patientiæ studiis eruditus. Habitum etiam monasticum (quem præsertim à tempore sui sacerdotii inhianter desideraverat) adeptus, talem se totius religionis præbuerat actibus; ut etiam præcedentium hujus vitæ patrum sequens vestigia, multis & ipse foret in exemplum. Hic cùm se aliquando post exsolutum vigiliarum debitum sopori dedisset, vox ei divina sic insonuit dicens: Frater, vigilas? Cui respondenti, Domine quid me vis facere? Surgens, inquit, vade, & aggredere Valentiam Hispaniarum; ac perquire extra muros ejusdem civitatis locum sepulturæ Vincentii Levitæ & Martyris. Cujus corpus ecclesia quæ desuper fuit, à paganis ob malignorum civium & circum habitantium pravam conversationem destructa, ibi absque ullo religionis honore, nullo obstante tegmine, imbre madescit æthereo. Nam dignum est, scito, Dominique voluntas, ut idem gloriosus Dei amicus inde diligenter effossus, ad locum transferatur pacis cultusque legitimi. Quibus dictis, mox à conspectu videntis illa cælestis species hujusmodi visionem narrantis unà cum voce subducitur. Qui sopore depulso, & quod viderat vigilanti animo replicans, ad Dei rogandam pronus consurgit clementiam: quatinus per eum cunctorum opifex quod ostenderat dignaretur explere. Caput I. Anno 855. Hildebertus de quærendo S. Vincentii corpore cælitus admonetur.

Erat sanè alius in eodem Monasterio Monachus religiosus æquè Sacerdos & Conversus [a], AUDALDUS nomine, speciali ei familiaritate connexus, ætate ac vitæ moribus pæne consimilis: cujus ab ore quæ dicuntur, & multo etiam ampliora nos in fide accepisse confidimus. Ad hunc primus memoratus compresbyter Hildebertus accessit: & quod sibi revelatum fuerat secreta allocutione detegens, eum in hoc multis modis animando socium postulavit. Hortatur amicum, precatur dilectum: Dei sanctique Martyris adfuturum repromittit solatium, necnon & pro laboris sudore, æternæ recompensationis pollicetur præmium. Quibus vir devotus attenti pectoris arcano receptis, confestim verbis favens sodalis, assensum libentissimè præbuit: præsertim cùm idem à quodam nobili Hispaniensi viro, BERTA nomine, frequenter audierit, quòd ejusdem sancti Levitæ & Martyris corpus ab eodem loco cultoribus desolato facilè in quamcumque partem à quolibet asportari posset. Conveniitque utriusque animus ad tot terrarum intervalla percurrenda promptissimus, atque ad perferenda, si qua etiam adforent, impedimenta paratissimus. Itaque BLANDINO ejusdem loci Abbati, reliquisque Fratribus suæ voluntatis rem patefaciunt: à quibus hoc agendi seu perficiendi eos oportebat expetere consilium. Processit sanè omnium qui II. Audaldo socio.

[a] Conversi dicebantur olim apud Monachos, qui ex sæculari vita ad monasticam convertebantur in adulta ætate.

AN. CHR. DCCC LV. NOVEMB. XXVII. convenerant, communis in hoc validusque animi ardor: quorum scilicet mentes virtus illustreverat superna, & æqualis spei perstaverat lætitia.

III. Ambo Hispaniam adeunt. Hoc igitur accepto ardentibus dumtaxat animis divino (quod est magis fatendum) consulto, paretis omnibus exeunt cum duobus tantùm famulis, hilares procedentes ad locum & opus sibi cælitus intimatum. Gradientibus autem eis, ac viam festino tramite accelerantibus, Hildebertus carnis incommodo pressus assumptum iter quamquam invitus reliquit. Audaldus verò mæstus ac deinde uno solo comite contentus, post multas, quas prolixum esset expedire, paganorum insidias, pariterque tribulationum variarum pressuras, ducente se Christo audacter percurrens, tandem aliquando Valentiam superiùs nominatam civitatem aggreditur. Ubi diebus quatuor in ejus suburbio, à Christianis jam penitus derelicto, anxius dubiusque quid ageret immoratus, quinto die Zachariam quemdam Maurum, apud quem hospitabatur, conveniens, sciscitabatur ab eo privatim de re propter quam venerat, & utrum se in hoc adjuvare possit, denudatis secretis interrogat. Quo respondente se optimè posse, atque locum ubi pretiosus Domini Martyr jacebat, ipsiusque monumenti tumbam adhuc integram bene nosse: Eamus, inquit Audaldus; & videamus utrumne ita sit, quemadmodum testaris. Quo aiente, Quid mihi dabis pecuniæ, si quod quæris ostendero? Monachus ait: Parum quidem habeo: sed illud totum, vel certè exinde quantum petieris incunctanter appendam. Unde prædictus Zacharias superno instinctu, sanctique Martyris (ut credimus) obtentu moderatus, non amplius quàm quadraginta argenteos, solidos videlicet quinque, postulavit. Quibus libenter tributis, simul ineunt ad locum, ubi macerîarum ecclesiæ tantùm patebant ruinæ, atque ipsius sepulcri situm, ut fuerat incontaminatum tituloque signatum, reperiunt: in quo erat super inscriptum, quòd illic requiesceret sanctus Levita & Martyr Vincentius. Præclarorum quoque parentum nomina, patris Eutitii, matris verò Enolæ, à quibus orbi agonista talis processerat, eidem epitaphio inter cætera refulgebant inserta. Ergo comperto seu denotato sarcophagi loco, die adhuc multo domum reversi sunt, glorificante Audaldo Deum ac benedicente, qui itineris sui incursum ita prosperè direxisset.

IV. Sacrum corpus reperiunt. Proinde dum quies noctis membris præsertim humanis blanditur, accepto lumine consurgentes soli secretò revertuntur ad tumulum: inventumque miræ pulcritudinis vas marmoreum undique (ut decebat) studiosè munitum, inopina facilitate, ultrà quàm dici posset, simul ambo viribus insistentes aperiunt. Quid præterea admirationis pro incredibili ejus integritate, quidve compunctionis seu lacrymarum, propter videlicet gaudium ac inexpertam aromaticæ suavitatis illic diffusam fragrantiam, memoratus ille Monachus, tanti boni repertor, inibi tunc persenserit, ineffabile ipso jurejurando attestante habetur. Hoc tamen luce clarius fulget, quòd hujusmodi signis veluti quibusdam vocibus promulgatum fuerit, quòd is qui quærebatur Dei Martyr & Levita Vincentius esset inventus. Qui extra multiplices & admirandas suppliciorum ejus injurias ita (ut prælibavimus) integer liberque à putredinis labe repertus est: ut nullo modo in præparato sibi ad efferendum sacculo, nervis adhuc rigidis componi potuerit: nisi per artus (hoc ipse cogente necessitate) complicatus dissolveretur. Quibus cum reverentia & timore perfunctis, ad hospitium deportatur, tempusque ac opportunitas exeundi patriamque revisendi præstolatur in dies.

V. illudque transferunt. Emptis denique palmarum ramis, & circa ipsum corpus ligatis, veluti hujusce rei gratia thesaurus occultaretur adquisitus, tentum tamque venerabile præmium levans, hoc onustus munere, hacque locupletatus margarita negotiator ille pauper ditissimus effectus, optatum iter dum tempus videt, resumit. Cui Dominus rursus ostendere volens, quòd quæsiti Vincentii Levitæ & Martyris corpus invenerit, sub nocte quadam dum super universos eumdemque Audaldum sopor solito vehementior irruisset, subito fulgor, (haud dubium quin cælo delapsus) omne replevit quo Sanctus inerat habitaculum: adeo ut hospes seorsum recubans nil aliud quàm domum suam, volvente ignis edacitate, ardere putaret. Dumque clamores pavitans, quis ignem succendisset, emitteret, Audaldus veluti de itinere fessus, vix somni decussa quiete assurgit, vocesque clamantis hospitis accipiens, rem cælitus administratam, ipso perfusus splendore tacitus timidusque attendit. At ubi in se recollectus virtutem agnovit Altissimi, hospitem, utpote gentilitatis ritu ferocem, blando ne paveat demulcet affatu, ignem proculdubio à se accensum fuisse pronuncians. Hoc autem audito, ille se intra cubiculi sui claustra continuit: nec est permissus dignusque inventus, qui facti miraculi mereretur nosse mysterium.

VI. Monachus verò orto mane festinè consurgens, quod residebat itineris conficere satagit. Unde post aliquot dies Cæsaraugustam civitatem properanter aggressus, à quadam Deo devota muliercula prope ipsius urbis mœnia domum habente, misericordia

An. Chr. DCCC LV. Novemb. XXVII.

hospitandi, ut puta peregrinus, illa nocte suscipitur. Quæ sollicita, dum in occultiore parte suæ domus vigilans & tacens quiesceret, animadvertit memoratum Monachum ante saccum corpus lucentibus cereis psallenter astare. Itaque pulsato nocturnali tempore signo, ad ecclesiam concita pergit: atque quod viderat per internuncium Episcopo civitatis intimavit. Qui festinans sarcinam sibi unà cum palmis pudore sublato deportari jussit, Monachum autem comprehendi mandavit. Ille verò paulò antè de necessariis viæ sumptibus meditans, propter emendos panes, ministro, quia erat mutus, domi relicto, ad forum processerat. Episcopus namque diviso fasce, & quæcumque inerant universis coram expositis, reperit sanctum intrinsecus latens pignus, sacco diligenter insutum. Quod stupens omniumque admirans, & æstimans omnino quod erat planè alicujus sancti Martyris corpus, jussit illud auferri, atque in ecclesia beatæ Mariæ semper virginis (quæ est mater ecclesiarum ejusdem urbis) venerantèr recondi: in qua olim sub Valerio Pontifice idem Martyr strenuusque athleta Archidiaconii arcem insignis tenuerat.

Cæsaraugustanus Episcopus nomine Senior.

His ita dolo peractis, Audaldus horum nescius cum panis edulio domum regreditur: agnitoque (prô dolor!) hoc tristi facto, perculsus animi dolore ad eumdem Episcopum, nomine SENIOREM [a], lacrymis plenus accessit, conquerens cum eo de injustè sibi subducto corpusculo. Et meus, ait, meus fuerat ille propinquus, in partibus Hispaniarum nuper mortuus ac sepultus. Cujus cadaver inter reliquorum parentum meorum exanimes artus componere satagens, hæc terrarum spatia multis vexatus calamitatibus Christo propitio peragrans evici: atque illud non parvo xenio dato, ex paganorum placata feritate redemi. Sed prô nefas! inquit, offendi Episcopum crudeliorem ethnicis. Quod enim eorum austeritas humanitus emollita piè quærenti concessit: hoc tua violentia improbè omnimodis exagitata rapit, impudenterque præsumit, & veluti insanus sanctum dicis corpus hominis peccatoris. Tunc Episcopus inter hæc & alia nimis rapida permotus iracundia, Monachum teneri præcepit: in exquisita tormentorum genera virgarumque ei livores repromittens, nisi de qua civitate vel loco eum furatus esset, seu quo nomine idem Sanctus censeretur, exponeret. Quod cùm cœpisset, ac crudeliùs carnifice turpiter exercere perstitisset: Audaldus volens nolens & valde diu cæsus, ac per testiculos tandem suspensus, quasi visus est confiteri, quòd ab Hispaniæ partibus illum deferret, quodque sanctus Marinus martyr (hoc invento vocabulo) nomen haberet. Sicque (ut reliqua transeamus) Episcopo sacræ prædæ nefario invasore partim deluso, cum magno cordis ploratu fletuque plurimo pulsus, ad proprium locum Monachus tristis verberibusque attritus revertitur. Quod Monasterii sui Fratres audientes, nec credentes, Audaldum mendacii redarguerunt; nomenque illi gyrovagi imponentes, à se sequestrando, jamque ipso etiam sponte exeunte, repellunt: & ubicumque libeat licentiam ei, immo necessitatem tribuunt commorandi. Qui ad Cœnobium beati Benedicti, Castrum superius cognominatum, usque perveniens, ejusdem Congregationis Abbati, viro religioso, domno GISLEBERTO, cæterisque Fratribus ibidem degentibus omnem sui itineris sive actus continentiam, qualiterque sibi sancti Levitæ & Martyris corpus sublatum fuerit, per ordinem explicavit. Qui nimirum attoniti, & pro his quæ dicebantur valde gavisi, Audaldum regulari more priùs suscipiunt: ac deinde illi secum, quamdiu viveret, habitandi locum concedunt. Simulque deliberant, tempus ad hoc congruum opperientes, quatinus tantum ad se decus quandoque superna opitulante gratia transferre satagerent.

Audaldum dure excipit.

VIII.

Exacto denique tempore, annis scilicet octo & semis evolutis, ad Cæsaraugustam, SALOMONE sibi familiarissimo Cerdaniensi Comite mandante, ex se Fratres mittunt: qui sancti Levitæ & Martyris corpus, procurante hoc ipso Salomone, reciperent, secumque Christo miserante deferrent. Salomoni namque hoc jamdudum compertum fuerat: & (ut erat prudens atque boni cupidus) ad Regem MAJOREM Cordubensem opportunitate accepta perrexerat, fingens inter reliqua, quòd apud Cæsaraugustam civitatem parens ipsius, vocabulo SUGNARIUS, dum ab Hispaniæ partibus deferretur, à Seniore ejusdem civitatis Episcopo violenter sublatus detineretur. Ille verò exceptis aliis donativis sponte oblatis, ut corpus reddi juberet solidis centum expostulatis; ad Regulum sæpe dictæ civitatis, nomine ABDILAM, chartam facere mandat: imperans ut ipse totidem quoque solidis sumptis Salomoni Comiti propinqui sui Sugnarii corpus restitui præciperet. Quibus sic expeditis, ac Principum animis, taxata pecuniarum summa, lucratis, Episcopus advocatur: & cur tantum in mortuum, imperatoria post-

S. Vincentii corpus reddere cogitur.

a Seniorem Cæsaraugustanum Pontificem, re- Cordubensis prædicat in epistola ad Vuiliesindum Pampilonensem Episcopum. *lis vita moribus* præditum S. Eulogius Presbyter

AN. CHR. DCCC LV. NOVEMB. XXVIII. habita reverentia, exercuerit iniquitatem, velut reus majestatis, quique etiam nec sibi reveritus fuerit, districtè inquiritur. Quo omnia negante, & quòd id non fecerit, cum multis Dei Sanctorumque juramentis affirmante, Audaldus accedens constanti animo Episcopum fortiter convincere parat. Sed illis diu absque effectu, &, ut dicitur, multiloquio altercantibus, postquam Episcopus blandis sermonibus invitatus veritatem fateri noluit, proponuntur ei tormenta: ut scilicet ligato pedibus ejus vel collo fune per circuitum civitatis traheretur, & sic illusus membratim demum dissiparetur. Et quamquam virtutes S. Vincentii, licèt sub nomine sancti Marini, transacto præscripti temporis spatio illic frequenter ostensæ, animum illius in ejus amorem miro modo pertraxissent; minarum tamen horrore exterritus, quod gestum fuerat confitetur, & locum quo illud sacrum corpus erat humatum, non sine dolore ac gemitu aperit. Quo pervenientes Monachi qui advenerant, tam pretiosum cælestis doni talentum repetunt, elevantque. Cumque unus illorum, RADBARTUS nomine, hæsitans dubitaret an is vel alius esset, atque loculum aperiendo certis signis Audaldo notis, hoc prius cautè perspici deberè contenderet: statim pede quem ad hoc promoverat, infirmatur, plurimum sibi formicante genu cum tibia. Quo signo reliqui satis certi de reddito corpore, illud ad deportandum aptè componunt. Tantoque potiti desiderio, ac post paululum Monacho pedis vigore pleniter recuperato, cum hymnis & gratiarum laudibus (prout ratio & loci qualitas dictabat) exeuntes, ad propria redire Domino ducente disponunt: cui est honor & potestas, virtus & imperium in secula seculorum. Amen.

Huc usque de sancti Corporis Inventione, seu Repetitione: nunc autem quæ restant Translationis & gestorum in ea miraculorum, sequens Libellus cum subjecto excipiat Prologo.

ERGO quia hactenus quæ circa hujus sancti Levitæ & Martyris inventionem seu corporis repetitionem gesta sunt, fideli stilo Christo duce digessimus: jam nunc quæ restant ipsius translationis & gestorum in ea miraculorum, brevi quemadmodum cœpimus tractatu sollicitè videamus. Neque enim effugari lectorem, multo magis verò ad ea quæ dicuntur invitari, oportet, qualiter etsi sermo incultus exasperat, saltem succinctus demulceat. Ideoque omne hoc opus in duo etiam dividere voluimus corpora, licèt quantitate exigua. Nobisqua donari petimus, quicquid prætereunter in his excessimus: qui de multis pauca legentes, illa prorsus quæ fide ac relatione digna inventa habuimus, eis præsentibus qui viderant attestantibus, pii laboris studio ipso in loco scribere curavimus.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

CAPUT I. Cæca recipit lumen. SIQUIDEM illis ad Balagivum oppidum, juxta fluvium Segarim, cursim pervenientibus, in quadam insula solo contigua resedarunt. Statimque divulgatum est nobilis Levitæ & Martyris corpus adesse. Tunc conveniunt nonnulli munera & obsequia pro posse offerentes. Inter quos mulier dudum cæca adducta est, quæ humi ante ipsas reliquias prostrata, lumen sibi donari poposcit. Et aliquamdiu flens ac in oratione persistens, visum cunctis qui aderant cernentibus recepit, & semetipsam qualis venerat qualisque effecta esset admirans, aiebat: Gratias tibi Deus, tibique sancte Martyr, qui

II. me tuæ virtutis ubertate dignam duxisti.

Profecti autem inde ad Bergam castellum celeri cursu iter dirigunt. Ubi Dominus itidem præstito miraculo, quid meriti quidve gratiæ apud eum sanctus Levita & Martyr haberet, clementer ostendit. Nam inter reliquos gratissima ejus munera requirentes, adfuit quidam delatus claudus, totoque corpore ægrotus. Qui coram reliquiis (ut in talibus contingere solet) cœpit primùm dolore valido affligi, & in pavimento volutari. Quod astantibus mirum videbatur: sed paulò post miserante Deo intercessionem beati Vincentii consolidatæ sunt bases pedum ejus, & directi gressus: ita ut lætitia sospitatis amica comitatus, per se ad suos sanctus rediret.

Claudus curatus.

III. Quia verò lucerna non debet abscondi, sed ut luceat super candelabrum poni, jam illud sanctum corpus tanto virtutum fulgore coruscum feretro aptantes, Salomone Comite, prævio pacificoque ductore Cerdaniam usque venerunt. Ibi enim propter occultiones, & necessariam itineris quietem, salubri consideratione aliquantisper stare decreverant. Intrantesque quamdam ejusdem provinciæ villam, quæ à priscis cultoribus

bus nomen Albis accepit, imposuerunt illud super altare ecclesiæ beatæ Mariæ virginis. Quo innumera multitudine utriusque sexus per biduum confluente, reperti sunt inter eos, contracti genibus duo, & una debilis mulier, cæcus unus, ac febricitantes seu energumeni, ejus sanctis meritis ab omni infirmitatum gravedine liberati. Nec audivimus, quòd ullus quocumque debilitatis morbo invasus, (si fideliter accessit) se vel advenisse, vel certè sine remedii medicina recessisse doluerit.

An. Chr. DCCC LV. Novemb. XXVII. Infirmi sanati.

IV. Pæne igitur per singula mansionum loca patratis miraculis, ut verbi gratiâ in Livia duobus claudis erectis; & in Carcasona extra urbem in ecclesia sub ipsius Levitæ & Martyris veneratione Christo sacrata, dæmoniacis infirmisque aliis non paucis curatis, jam læti Castrum quò tendebatur, præcipui Patris Benedicti Monasterium appropinquant. Sed qualis fuerit tanta exceptione dignus, cum crucibus ac cereis, omnibusque congruis ornatibus ille Monachorum splendidus apparatus, necnon & devotissimus populi concursus, reor superfluum, si exponi contendatur. Martyris itaque corpus servandum venerandumque in ecclesia almæ genitricis Dei Mariæ ante ipsius Cœnobii portam collocaverunt, ob devotam maximè feminarum frequentiam, quibus Monasterii ipsius aditus ex antiqua Patrum ejusdem loci consuetudine denegatur. Decreverunt tamen novam basilicam in ejus honorem Monasterio vicinam exstruere; ad quam utriusque sexus personis devotis liber sit accessus.

S. Vincentii reliquiæ Castrum allatæ.

Nota

V. Sed quoniam fortè poterat dubitari de tali ejus inventione & optata delatione; hoc omnipotens Deus ad cumulum suæ bonitatis tali miraculo roborari voluit. In villa Vidcellas, à Monasterio tribus dumtaxat millibus distante, femina quædam ibidem adhuc degens, nomine Atrudis, à vicino suo admonita est, ut deposito lanificii opere, in occursum susceptionis B. Vincentii martyris cum aliis properaret. Quod illa facere recusans, cum cachinno dixit esse potiùs corpus cujusdam Mauri ethnici vel Hispani, quàm Martyris. Et extemplo omnium privata membrorum officiis contrahitur; ac veluti cadaver miserabiliter in terram consternata, se mox expiraturam terribili voce proclamat: rogatque suos, ut ad Sancti templum deferatur. Ubi curru delata, per dies novem, aspicientibus multis, eamdem percussionis debilitatem sustinens mansit: atque post alios novem saluti reformata, valens, ut nunc quoque valet, exivit.

Mulier sanata.

VI. Enimvero frequentantibus locum plebibus, sive infirmis variis languoribus oppressis sanitatum medelam exquirentibus, à Cerdaniæ partibus quidam venientes, haud longè à Monasterio propriis rebus exspoliati, nudi ad Sanctum gemebundi flentesque perveniunt. Sed mirum in modum gratia supernæ accidit æquitatis, ut prædatores aliorsum fugere tentantes, adversa sibi profectione mirabiliter coacti, cum universis quæ abstulerant, ad eumdem locum festinanter accederent. Et sese mutuò intuentes spoliatores ac spoliati, isti timere, hi verò multo ampliùs mirari cœperunt: volentibusque populis in reos consurgere, supplices rogarunt, ne quid sibi mali ob Christi sanctique Martyris amorem inferrent. Quo impetrato omnia restituerunt: & Deum sanctumque laudantes Vincentium, ad propria singuli recedunt: isti de inventis, illi autem de venia gratis adquisita jocundi.

Fures agniti.

VII. Nec silentio prætereundum, quod pari admiratione dignum est. Quidam enim ex Camerensi pago, causâ orationis, inclinato jam die adveniens, lanceam suam uni arborum, quæ sunt ante memoratæ basilicæ ingressum (servato religionis honore) innixam reliquit. Cumque ecclesiam sic exarmatus intrasset, & orationi devotè insisteret: fur quidam lancea ejus rapta aufugit, domum suam non longè positam petens. Sed mente perturbatus, ad ejusdem viri tugurium, cujus erat hasta, infra triginta ferme leugas, jejunio, ac itinere per totam noctem fatigatus devenit. Cumque sitiens paululum aquæ peteret, mulier agnitam mariti hastam recipit, & furi reatum suum confitenti pepercit, non sine admiratione virtutis sancti Vincentii qui peregrini sui injuriam eo modo reparari curavit.

VIII. Quandoquidem de nova sancti Vincentii Levitæ & Martyris fabricanda ecclesia mentionem fecimus, congruum est huic loco novum referre miraculum. Ad hanc enim constructionem confluentibus patiret plus quàm ducentis viris cum muneribus, præter mulieres, parvulos, & infirmos, inter quos fuit quidam cæcus rebusque pauper: qui ne in Sancti servitio vacuus appareret, lapidem non parvum sibi ex itinere à ductore dari poposcit, atque illum subitò levatum collo supposuit. Cumque à plebe stultitiæ argueretur, ut qui rem impossibilem propter pondus attentaret: asseruit se numquam ab incœpto quieturum, donec munus assumti lapidis ad novi templi S. Vincentii structuram detulisset. Nec mora, inter hæc verba, depulsa cæcitate visum recepit.

Cæcus visu donatus.

IX. Vir venerabilis Helisagar Tolosæ civitatis Episcopus, his auditis virtutum signis, jure pastorali Clerum populumque hortatus est, ut qui vellent, ad sancti Martyris orationem secum ire pararent. Qui dum decreto tempore pastor bonus ovium turmis circ-

An. Chr. DCCC LV. Novemb. XXVII.

cumseptus, à nono etiam milliario discalceatus, forma factus gregi, reverenter advenisset; quidam eorum digitos utriusque manus ab ipsa nativitate ita contractos & volæ hærentes habens, ut numquam explicari seu extendi valerent: post orationes & lacrymas coram sancto Martyre fusas, sensit eos solutos, manante tamen vivo cruore è locis, quibus priùs inhæserant. Quo viso Episcopus & universi qui cum eo erant, in laudes divinas prorumpunt, litanias, hymnos, & *Te Deum laudamus*, lacrymosa voce psallentes; ipsasque manus sanguine litas jam gaudio magno deosculantes.

Aridus sospitati redditus,

X. Quidam argentum sibi ad aliquod opus necessarium in sinu absconderat. Quod inverecundè mulier in latrocinandi arte perita extraxit. Sed manus ejus ipsum argentum continens statim obriguit; ita ut eam nec aperire, nec ad se (cunctis videntibus) reducere valeret. Ipsa verò ad sancti Vincentii sacras reliquias confugiens, & ibidem cum Fratribus, aliisque fidelibus devotè orans, curata est, manuque relaxata furatum argentum restituit.

punitum mulieris furtum.

XI. Alius cæcam habens filiam à nativitate, eam medendi fretus fiducia, ad sancti Vincentii divulgata passim patrocinia adducere statuit. Et ad Monasterium usque veniens, ubi comperit ipsum sacrum corpus, propter timorem paganorum Nortmannorum ad remotiorem & tutiorem locum transportatum fuisse, crebriùs ingemiscens dicebat: Miserere Christe, miserere ô beatissime Vincenti: miserere mihi misero, miserere huic filiæ meæ. His lacrymarum vocibus, superna (quæ non dormitat) ad miserandum excitata clementia, continuò obtinentibus magni agonistæ precibus & fide parentis, lumen restituit puellæ.

occultatæ metu Nortmanorum S. Vincentii reliquiæ.

XII. Nortmannis * autem (qui ad obsidendum Tolosam venerant) accedentibus, Monachi sanctum revehunt corpus: dignisque eo in loco ubi priùs fuerat, officiis venerandum reponunt.

* *Vide Appendicem*

XIII. Rursus puella quædam à nativitate cæca, indubitanter credens, interventu tanti Martyris se posse lumen recipere, sororem rogavit, ut ad eum quantocius perduceretur. Quæ dum simul incederent, audierunt in terram procul remotam delatum fuisse. Ad quam propter rigorem hiemis & aspera juga montium non valentes pervenire; cæca sororem suam hortata est, ut ea cera quam secum tulerant, candelas conficeret; easque saltem ad locum quo sanctum corpus in itinere ad modicum pausarat, deferret. Audierat enim locum miraculis celebrem: ita ut etiam animalia ratione carentia illum contingentes debilia redderentur. quod cùm fecissent, atque se illic ambæ gementes prostravissent; fusa prece quæ lucis nescia venerat mulier, cœpit dicere, se clarè quæque aderant, cuncta videre.

Puella lumen recipit.

XIV. In eodem Albiensi pago fuit quidam piscator nomine Ubidandus, qui cùm videret socios suos piscatum pergentes, in præfato loco causa venerationis morari, eos increpabat dicens: Vellem arbores hujus silvæ universas adoraretis: qui omnium plateas viarum indiscreta consideratione, Oratorii religione sacratis. Quibus dictis, ilico petulans os ejus in aurem sursum convertitur; atque ultra quàm dici potest monstruosum efficitur. Tuncque pænitens ad prædictum locum cucurrit, totoque extensus corpore se contumeliosum & blasphemum fuisse fatetur. Deinde ad ecclesiam, in qua sancti Levitæ & Martyris corpus excolebatur, velociter perrexit: eamque singulis horis diei vel noctis frequentavit, donec sanaretur.

Petulans torquetur, mox sanatur.

XV. Hac itaque luce longè lateque diffusa, etiam à nativitate adducti cæci illuminabantur, surdis ac mutis sensus officia reddebantur, claudi curabantur, energumeni fugatis dæmonibus mundabantur, & aliarum infirmitatum quacumque molestia aggravati præsentes absentesque sani efficiebantur. Unde paupercula quædam à multo tempore luminibus privata, cùm ad sanctum Martyrem duceretur, in medio itinere à ductoribus tædio & labore fessis derelicta, rogavit quemdam adstantium, ut saltem candelas (suæ orbitatis munuscula) ante sancti Martyris altare accensas offerret. Qui dum manu extensa eas accipere vult, ab ipsa muliere videntur: recollectoque brachio, jam non ductorem, nec earum latorem quærit: sed hilaris & de die in diem clariùs videns, iter cœptum, etiam plerusque antevertens, perficit: & tandem ad sepulcrum beati Vincentii pervenit. Ubi candelis ardentibus, non per alium, sed per se oblatis, plenam oculorum aciem recepit.

XVI. Huic simile est miraculum in Rotenensi pago, qui vulgò Rodinigus appellatur, patratum. Quidam contractus genibus cùm ad sanctum Vincentium adduceretur, à suis ductoribus ignavia, pigris & inhumanis in medio itinere solus & plorans derelictus est. Sed quia Dominus de quacumque necessitatis angustia ad se clamantium preces misericorditer exaudire non cessat; e templo miseratur miserum, ac cælesti perfusum medicamine, jacentem debilem facit erectum: adeo ut magnis passibus gradiens, suos desertores mox assequeretur. Illi autem tanto miraculo attoniti, seipsos accusare vehe-

Debilis erigitur.

menteque redarguere cœperunt: quod cælestis remedii beneficio dignum, ira pigri inclementesque deleruissent. AN. CHR. DCCC. LV. Novemb. XXVII.

Consuetudo (ut meminimus*) præfatæ Congregationis fuit, ut feminæ omnes ab ingressu Monasterii arcerentur. Idcirco ejusdem Cœnobii Fratres prudenter providerant, ut corpus Beati Vincentii Levitæ & Martyris in basilica Dei genitricis Mariæ poneretur: ad quam liber erat mulierum accessus. At verò successu temporis, conventu hujusmodi per dies cessante, intulerunt illud in seniorem Monasterii ecclesiam, atque retro altare beati Benedicti (donec ejus templum consummaretur) posuerunt. Post hæc mulier ab annis plurimis cæca conata est usque ad locum quo Sanctus jacebat, ingredi: sed quidam obvians, hanc repulit, atque retrorsum mœstam abire coëgit. Quæ suspirans, ac ad cælum oculos mentis erigens, sancti Martyris sibi provenire supplex orabat solatium. Sicque inter lacrymarum flumina cæcitatem expulit. XVII. * cap. 4.

In quodam luco eidem Cœnobio adjacenti, qui Valdarii-cella nuncupatur, hoc memorandum enituit virtutis præconium. Secus etenim ipsum locum diffusis militum copiis, Monachi HERMENGAUDUM Albiæ Comitem adeunt: orantes ut ab hostium invasione equorumque depastione sata condiminæ suæ protegeret. Nam in illis partibus perpauca existant prata. Qui quatuor pallas ecclesiæ sancti Vincentii à pauperibus mulierculis oblatas præcepit assumi, & totidem baculis perticis alligari, atque in circuitu florentis agri affigi: quatenus eo signo à messis direptione hostes temperarent. Sed unus eorum tale signum despiciens, pallam unam cum baculo in terram excussit: & ab equo (quem in ipsa sata inducere nitebatur) versis calcibus in fronte percussus, spiritum exhalavit. Quo audito & per hostes diffamato, timor universos invadit, evidensque Dei judicium & sancti Martyris meritum ubique valens prædicatur à cunctis. XVIII. milites coëunt.

Huic facto propemodum simile est quod sequitur. Nam domno Alberico Monacho cum Fratre Helia in pagum Impuriensem profecto, atque in villa suæ obedientiæ, quæ Garriculas nuncupatur, commorante, supervenerunt hostes: qui pagum villamque, nemini parcentes, depopulati sunt. Quin etiam equos ipsius Alberici abduxerunt, nec impetrare potuit ut saltem unus, (quem robustiorem noverat) redderetur. Sed ipsemet equus qui postulabatur, quasi vindex duplicis injuriæ (raptûs inquam, & justæ repetitionis) raptorem calcibus in nudo capite percussum, morti tradidit. Quo facto iniquitatis socii perterriti, non solùm equos, verùm etiam quicquid in eadem villa rapuerant, relinquentes aufugerunt. XIX.

Sequens exemplum de muto & surdo curato finem imponet. GEORGIUS quidam vir illuster servum mutum & surdum habuit: qui cùm ad sepulcrum sancti Vincentii Levitæ & Martyris duceretur, nec ampliùs à Monasterio quàm duodecim ferme millibus distaret; cœpit loqui, loquentesque absque impedimento audire. Tunc comites rogavit, ut eum citò ad locum, ob referendas sancto Martyri grates perducerent. Quod & fecerunt ad gloriam & laudem Dei & Domini nostri Jesu Christi, qui Sanctos suos mirabili potentia ubique triumphare facit: cujus honor & imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum. Amen. XX.

EPISTOLA EJUSDEM AIMOÏNI AD DOMNUM Theotgerum, Ejusdem Congregationis Monachum.

LEVITARUM præcipuo domno THEOTGERO, juxta consonam sui nominis etymologiam Deum gerenti, AIMOÏNUS comminister salutem dicit. Laudabili caritati vestræ, mi dulcissime THEOTGERE, frequenti studio circa mei curam satagenti, in omnibus parere devotus existens, inclino me tuus camelus sponte, ad injunctum mihi abs te onus ferendum. Rem siquidem novam & pro sui brevitate mirandam, prosaïco opere expleto, me vestra dilectio de adventu beati Levitæ & Martyris Christi Vincentii facere cogit geminus rursus libellus: quos singulos tricenis modò versibus claudam, per denos etiam positis in unoquoque capitulis. Unde consultiùs eligo veluti recens scriptor videri, quàm me vestro amori, mihi melle dulciori, quavis occasione ullo modo absentari.

EXPLICIT EPISTOLA.



An. Chr. DCCC LV. Novemb. XXVII.

Incipit Liber primus, habens versus xxx.

Cap. I. *Quòd Audaldus Hispaniam aggrediens, Valentiam usque pervenerit.*

Bis quadringentis, decies quinisque volutis,
Quatuor inque super cielis à Præsule Christo,
Virgineo semperque sacro de germine nato,
Audaldus fuerat tali de nomine notus
In Castro Monachus communi lege probatus;
Atque facet sancti gestans Aaronis honorem.
Hic uno comite assumto perpessus amara
Plura; sed in dulces convertens cuncta sapores,
Instituit sudacter quandoque Valentia civem:
Quo se susciperet peregrino functus agone.

Cap. II. *Quòd Zacharia Mauro suum detexit secretum: & quomodo Sancti reperit sepulcrum.*

Quod faceret Mauri Zachariæ culminis hospes,
Denudat secreta sui jam pectoris olli:
Esset quodque Dei Leviræ Martyris atque
Vincentii Hispanias solo delapsus smoie:
Hinc precibus blaudis animum mentemque relambens,
Mercator Maurum cupidi nummis argenti.
Denique surgentes monumenti septa requirunt:
Quæ manifesta nitent titulo hoc. Vincentius istic
Martyrii Levita jacet fundatus honore.
Nomina namque genus signabant scripta parentum.

Cap. III. *Quomodo sub nocte, ad monumentum pariter regressi, sanctum levaverint corpus.*

His igitur causis signorum nocte revisis,
Viribus admissis fodiunt, tumbamque recludunt.
Educuntque sacrum corpus famulante lucerna,
Indice cælesti facti dulcedine veri.
Quæ super excrescens aromata cuncta fabibat.
Cumque ligaturis expletis his opus esset,
Utitur Audaldus suta sindone cuculla.
Inde domum læti redeunt lucentibus astris,
Audaldo expectante diem patriam reperendi,
Quod hilaris fecit nactus post tempus amicum.

EXPLICIT LIBER PRIMUS.

Incipit Liber secundus, totidem continens versus.

Cap. I. *Quòd sanctum corpus ad Castrum perveniens, honorificè sit susceptum.*

Cæsar in Augusta Senioris fraude relictâ,
Omissis necnon aliis, ob dicere longum,
Ad Castrum, bellam patris cellam Benedicti,
Perveniat Christi Martyr Leviraque sanctus.
Cujus in adventu fuerint quæ gaudia, nullus
Ora gerens centum poterit depromere verbis.

A Monachis pulcra ferio fuſceptio qualis
Extiterit, ſolus qui teſtis novit Iesus:
Aptis auriſluis ornatibus undique fuſis,
Gemmivomo ad cælos uſque irradiante virtute.

AN. CHR. DCCC LV. NOVEMB. XXVII.

CAP. II. *Quòd mulier de eo primùm dubitans contracta fuerit, ac deinde credens ſanari meruerit.*

TUNC riſiſſe fuit mulier, cui talia factus,
Et ſancti corpus Levitæ credere nolens:
Eſſe magis Maurum contendens fortè putentem.
Protinus in terram membris proſtrata caducis
Contrahitur, vitæ ſublata ſpe fugientis.
Sed Sancto deducta, fide naſcente, medetur:
Et pedibus, plauſtro veniens, curata receſſit.
Primitus hoc ſigno tanta virtute patrato,
Poſt quoque quæ numerus neſcit, ſunt plura ſecuta,
Proſaico necnon partim ſermone notata.

CAP. III. *Ubi ſanctum corpus exceptum poſitum fuerit: & qualiter deinde retro altare ſancti Benedicti locatum ſit.*

NAMQUE Monaſterii ante fores genitricis in aula,
Iſta ſub immenſo gerebantur munere Chriſti:
Dum fieret ſanctum templum proprio ſub honore;
Quo placidus demum migraret jure ſepultum;
Maſculus atque ſimul veniens quod femina adiret,
Interea placuit defluxa temporis urna
Inde levare ſacrum corpus, digneque locari
Poſt altare pii Patris ſancti Benedicti:
Quo meriti pleno cultu veneratur honoris,
Aſſiduis ſignis virtutum rite coruſcans.

Præſtante Rege regum, & Domino dominantium Jeſu-Chriſto, bono & benigno Salvatore mundi; qui cum Deo patre, & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

SIMONIS DE MONTEFORTI EPISTOLA,

Pro donatione partis maxillæ S. Vincentii Martyris.

UNIVERSIS præſentes litteras inſpecturis, SIMON Comes Leyceſtrenſis, Dominus Montis-fortis, Dei providentiâ Bituricenſis & Bajocenſis Vicarius, Salutem in Domino. Cùm cariſſimus Dominus noſter LUDOVICUS cum multa precum inſtantia nos rogaret, quòd nos ei dari faceremus aliquid de reliquiis B. Vincentii Martyris, cujus corpus ſanctiſſimum in quadam eccleſia, quæ in honore ipſius fundata eſt apud Caſtras quamdam villam noſtram in diœceſi Albienſi, eſſe dinoſcitur per librorum auctoritatem, qui ſunt in eccleſia prædicta, & miraculorum frequentiam, quæ per prædicti beatiſſimi Martyris merita glorioſa frequenter ibidem fiunt. Nos devotionem prædicti Ludovici attendentes, utilitatem & promotionem quam ipſe contulit negotio Jeſu Chriſti, eidem dari fecimus de oſſe maxillæ prædicti Martyris glorioſi. In cujus rei teſtimonium præſentes litteras ſigillo noſtro fecimus ſigillari. Datum Tuluſæ in capella domus Militiæ Templi.


WILLELMI ABBATIS CASTRENSIS EPISTOLA

de eadem re.

VUILLELMUS Dei miſeratione dictus Abbas Caſtrenſis, & totus Fratrum conventus, univerſis Chriſti Fidelibus has litteras inſpecturis, æternam in Domino ſalutem, & condignam operum ſuorum remunerationem. Conſiderantes nobilis viri Domini Lu-

AN. CHR. DCCC LV. NOVEMB. XXVII.

dovici filii illustris Regis Franciæ, Domini videlicet, Philippi constantem devotionem & piam bonæ indolis affectionem in petendo Reliquias gloriosissimi Vincentii Levitæ & Martyris, qui passus est sub Daciano Præside in Valentia civitate Hispaniæ, facilem præbuimus sibi assensum, volentes caritativè quæ à rationis tramite non discordabant, effectu prosequente complere. Dedimus eidem gratis & spontanea voluntate quamdam partem maxillæ capitis pretiosissimi Martyris, ob honorem & reverentiam justæ petitionis & regiæ dignitatis ac majestatis. Datum apud Castras, ubi corpus jam dicti Martyris servatur, Dominica infra octabas dominicæ Ascensionis, anno Incarnationis ejusdem M CC XV, regnante domino Philippo illustri Rege Francorum, superiùs nominato.



CIRC. AN. DCCC LV.

DE SANCTO EUTICIO

ABBATE GALLO,

Balmensis (ut plerisque videtur) Monasterii.

Balma duplex

* Baume les Nonnains

1. *IN Vesontionensi Archiepiscopatu hactenus perstant ejusdem nominis Cænobia duo, unum Virginum ad Dubim fluvium, Vesontionem inter & Montem-Belicardum, Palma olim, nunc Balma * Nonnarum appellatum, in quo educata est sancta Odilia virgo, cujus acta exstant in Sæculi tertii appendice. Alterum virorum, itidem Balma dictum, cui* EUTICIUS *Abbas, de quo hîc agere institui, præfuisse dicitur.*

Balmæ virorum Berno instaurator, non auctor.

2. De hoc Euticio unicum nobis superest vetus documentum apud Iohannem Monachum in lib. 1 de vita S. Odonis Cluniacensis Abbatis, scribentem Balmense Monasterium virorum in valle Balma nuper à Bernone Abbate *fuisse* constructum, *id est instauratum. ita enim non rarò loquuntur prisci illi auctores. Sic S. Meneleus Cænobium Menatense* fundasse, *id est instaurasse dicitur ab Ardone in vita S. Benedicti Abbatis Anianensis. Hunc verò esse superioris loci sensum manifestè demonstrat libellus de vita S. Hugonis Æduensis Monachi, ante annos septingentos scriptus, in quo Berno ad Balmense Cænobium* tunc temporis omni regulari districtione destitutum *missus perhibetur. Ex quo intelligitur, Monasterium istud jam longè ante illud tempus exstitisse. an illud ipsum quod numeratur inter Monasteria, qua dona sine militia debebant Regi, idemque cui Ansegisus Abbas Fontanellensis libram unam legavit?*

an Euticius conditor.

3. Ejus conditorem Euticium agnoscunt recentiores, Vvion, Franciscus de Rivo in Chronico Cluniacensi, jussu Iacobi de Ambasia condito; & Andreas Chesnius in Notis ad Bibliothecam Cluniacensem. Id verò probare nituntur testimonio Iohannis Monachi in lib. 1 de vita S. Odonis, ubi ita de Balma loquitur. Fuerunt autem institutores ejusdem loci imitatores cujusdam Patris Heuticii, cujus vitæ meritum conversationisque qualis fuerit, huic operi inserere nolui: obitum verò qualem meruerit, vestræ memoriæ commendare curavi. Fuit isdem vir temporibus Ludovici magni Imperatoris, carus videlicet Regi, omnibusque amabilis. Nam cùm esset laïcus, & peregrinis studiis eruditus, deserens ea unde superbire solet humana fragilitas, totum se dedit beatorum Patrum regulis & institutionibus: ex quibus nempe auctoritatibus diversas consuetudines sumsit, unoque volumine conligavit. Deinde non multo pòst Monachus est effectus, & in tanto amore apud Regem habitus, ut intra palatium suum illi construeret Monasterium. Decurso enim vitæ præsentis stadio, circumstantibus undique Fratribus, subitò emisit spiritum. Contigit interea dum à discipulis pii Patris pata-

rentur obsequia, ecce rediit vivus, qui fuerat mortuus. Illis verò attonitis & mirantibus dixit Pater Heuticius: Deo gratias. Scitis quia ex his quadraginta annis unum tantùm diem non memini me cibum sumsisse, nisi priùs flevissem. Hodie namque sublato mærore consolatus est me Dominus, & inter choros Angelorum tribuit mihi requietionis locum. Dicens hæc quievit perpetuè. Ipse enim Pater Heuticius institutor fuit harum consuetudinum, quæ hactenus in nostris Monasteriis habentur. Quas vir venerabilis Adhegrinus intuens, quantocius Patri nostro Odoni curavit nuntiare. At ille sumtis secum centum voluminibus librorum, mox ad idem demigravit Monasterium. *Euticium Balmæ conditorem & Abbatem fuisse colligunt recentiores ex his verbis:* Fuerunt autem institutores ejusdem loci imitatores cujusdam Patris Heuticii. *At Balmæ institutores Euticium imitari potuerunt, tametsi is neque Balmæ conditor, neque Abbas fuisse dicatur. Litteris hac de re Balmam directis nihil lucis impetrare potui. Nullum quippe Bernone superiorem Abbatem modò agnoscunt Balmenses Monachi, neque de Euticio quidquam resciunt: unde hunc fuisse Balmæ Abbatem certò affirmare non ausim.* Circ. an. DCCC LV.

4. *Quàm acceptus fuerit Ludovico Pio Euticius, illud in primis declarat, quòd ipsi Monasterium* intra palatium *construxerit optimus Imperator. Varia fuere Ludovici Augusti palatia. Sed maximè is Aquisgranensi delectabatur: à quo non longè aliud itidem Cœnobium Benedicto Abbati Anianensi paravit in loco Inda appellato. Intra palatium Aquisgranense, an alibi exstiterit Euticii Monasterium, nullo veterum testimonio conjectari licet. Legere memini aliquando Euticium Balmæ Abbatem interfuisse anno* DCCCXVII *Synodo Aquisgranensi, quæ ad restituendam Benedictinæ Regulæ observationem ab Ludovico Augusto convocata est.* Monasterium ejus intra palatium Ludovici.

5. *Quo anno, quove die ad superos abierit Euticius, non prodit Iohannes Monachus. Eum nescio quo fundamento Idibus Iannarii inscribunt Miræus & Saussaius, Menardus noster die sequenti. Vvion rectiùs diem non designavit, Euticium referens in Martyrologii sui appendice. Iohannes Bollandus ad Iannarii diem 13 præclarè agit de S. Euticio Abbate, cujus sanctimoniam & illustre mortis genus ostendit.* Sanctum *vocant Franciscus de Rivo, Vvion, Tepezius, Menardus, & Saussaius in Appendice Martyrologii Gallicani:* beatum *Miræus in Fastis. Porro quem Saussaius in appendice* sanctum *vocat, Idibus Iannarii* Piis *seu* Beatis *tantùm adjungit.* Tempus obitus.

6. *Euticium fuisse hominem eruditum satis probat Iohannes Monachus his verbis.* Cùm esset laicus & peregrinis studiis eruditus, deferens ea unde superbire solet humana fragilitas, totum se dedit beatorum Patrum regulis & institutionibus: ex quibus nempe auctoritatibus diversas consuetudines sumsit, unoque volumine conligavit. *Hunc librum non alium esse puto, quàm qui typis ab Haëfteno vulgatus est sub hoc titulo,* Ordo Monasticæ conversationis, *idemque qui in codice Gemeticensi inscribitur* Memoriale Monachorum: *nisi istud opus Benedicto Abbati Anianensi tribuere malis, quod in hujusce tomi præfatione insinuatum. Eidem Euticio etiam tribuo* Dialogum de statu sanctæ Ecclesiæ, *qui à Iohanne Cordesio in lucem editus est cum opusculis Hincmari. Illud tamen obstare videtur, quòd Euticius & Theophilus hujus Dialogi interlocutores Episcoporum nomen aliquando assumunt. At illud fit rhetorico more, cùm quis personam induit ejus, de quo sermo instituitur. Certè Cordesius in indice suo Euticium* Abbatem *indigitat. Ad hæc quædam conjectura me movent, ut libellum de vita Ludovici Pii eidem Euticio adscribere amem. Quippe hujus libelli scriptor familiaris fuit Adhemari* nobilissimi & devotissimi Monachi, qui *Ludovico Pio* coævus & connutritus est, *cujus* relatione didicit *auctor quæ* scripsit usque ad tempora imperii *Ludovici.* Posteriora autem, *inquit*, quia ego interfui rebus palatinis, quæ vidi & comperire potui, stilo contradidi. *Deinde auctor iste haud dubiè Monachus erat, ut qui res Monasticas in Lu-* Scripta.

CIRC. AN. DCCC LV. *devici gesta incidentes diligenter notat, qui Monasteria ab ipso constructa vel instaurata singillatim commemorat, & qui Ludovico tribuit restitutionem monastici Ordinis tum collapsi: qui Ordo sub eo adeo convaluit, ut* etiam ipse Ludovicus fraternum avi Carlomanni imitari gestiens memorabile exemplum, theoricæ vitæ culmina niteretur comprehendere, *id est monasticæ. quod sanè non ita accuratè observasset auctor, si is Monachus non fuisset. Denique apparente cometa sub extremum Ludovici imperium,* cùm primùm *eam rem* Imperator talium studiosissimus conspexisset, constitit, & antequam quieti membra committeret, accitum quemdam, itemque me, qui hæc scripsi, (*aucteris verba sunt*) & qui hujus rei scientiam habere credebar, percontari studuit, quid super hoc mihi videretur, &c. *Ex quo intelligitur auctorem hunc Ludovico Pio maximè familiarem fuisse, & in rebus palatinis versatissimum: quod utrumque, uti & monachatus, convenit Euticio, cui Cœnobium intra palatium suum construxit Ludovicus.*



DE OTGERIO BENEDICTO, ET ROTGARIO,

MONACHIS PIIS IN COENOBIO S. FARONIS APUD MELDOS,

ubi de OTGERIO Carmentriacensi.

1. ACTUM *est in Saculo secundo de Vita S. Faronis Meldensis Episcopi, deque Monasterio sanctæ Crucis ab ipso constructo in suburbio ejusdem civitatis: quod Monasterium postmodum ab ipsius tumulo ac nomine decus & cognomentum accepit. Istic Carolinis temporibus monasticum habitum induerunt viri cum primis nobiles* OTGERIUS, BENEDICTUS *&* ROTGARIUS: *quorum gesta, quatenus ex vetustis monumentis licet, hoc loco illustrare proposui. Res sanè haud paullum difficilis, & quæ à nemine hactenus explicata est.*

Ogerii Ducis memoria & defectio. 2. OTGERII *seu* OGERII *famosum nomen in fabulis Pseudo-Turpini de gestis Caroli Magni, unus ex vetustis Francica historiæ scriptoribus posteris mandavit Monachus Sancti-Gallensis in libro 2 de rebus bellicis Caroli Magni cap. 26. ubi* OGGERUS de primis Principibus palatii, *offensam Imperatoris incurrisse, & ob id ad Desiderium Langobardorum Regem confugium fecisse memoratur his verbis.* Contigit autem ante aliquot annos, *quàm scilicet Carolus Italiam sibi subjiceret,* quemdam de primis Principibus, nomine OGGERUM, offensam terribilissimi Imperatoris incurrere, & ob id ad eumdem Desiderium confugium facere. *Tum subdit, ad Ticini obsidionem, quam Annales nostri anno* DCC LXXIII *referunt, accedente Carolo, Desiderium unà cum Oggero adscendisse* in turrim eminentissimam, unde longè lateque prospicere venientem potuissent; *ac Desiderio de Caroli adventu anxiè percontanti Oggerum demum respondisse demonstrato Carolo:* Ecce habes, quem tantopere perquisisti.

3. *Hæc si cum Vita Hadriani Papæ I conferas, procul dubio intelliges, Oggerum hunc non alium esse, quàm Autcarium illum, unum ex primoribus regni Carolomanni,*

manni, fratris Caroli Magni, quem Autcarium, mortuo Carolomanno, unà cum ejus uxore ac liberis ad Desiderium Regem confugisse vulgatus Anastasius tradit his verbis. In ipsis verò diebus contigit uxorem & filios quondam Carolomanni Regis Francorum ad eumdem Regem Longobardorum fugam arripuisse cum Autcario. Et nitebatur ipse Desiderius, atque inhianter decertabat, quatenus ipsi filii ejusdem Carolomanni Regnum Francorum assumsissent. Et ob hoc ipsum sanctissimum Præsulem ad se properandum seducere conabatur, ut ipsos antefati Carolomanni filios Reges ungeret, cupiens divisionem in Regno Francorum immittere, ipsumque beatissimum Pontificem à caritate & dilectione excellentissimi Caroli Regis Francorum & Patricii Romanorum separare. *Hæc igitur causa est, cur Autcarius seu Otgerus offensam Caroli Magni, qui fratris liberos Regno excludere volebat, incurrit, nimirum quòd Carolomanni filiis favens, illos in paternum Regnum erigere satagebat. Subdit Anastasius, Desiderium ipsum Legatis Hadrianum sollicitasse*, ut antè fati Carolomanni filios Reges unxisset. *Sed cùm id frustra tentasset*, tunc pertinacia & audacia egressus *est* à suo palatio cum Adalgiso proprio filio & exercitu Longobardorum, deferens secum & uxorem & filios sæpe dicti Carolomanni, necnon & Autcarium, qui ad eum, ut dictum est, fugam arripuerant. *Desiderio Papiæ incluso* Adalgisus filius ejus assumens secum Autcarium Francum, & uxorem atque filios sæpe dicti Carolomanni, in civitatem quæ Verona nuncupatur, pro eo quòd fortissima præ omnibus civitatibus Longobardorum esse videretur, ingressus est. *Papia obsessa Carolus Magnus* cum aliquantis fortissimis Francis in eamdem Veronam properavit civitatem; & dum illuc conjunxisset, protinus Autcarius, & uxor atque filii sæpius nominati Carolomanni, propria voluntate eidem benignissimo Carolo Regi se tradiderunt: eosque recipiens, ejus excellentia denuo repedavit Papiam. *Qua expugnata Romam profectus est, indeque Papiam seu Ticenum reversus*, Desiderium & ejus conjugem secum in Franciam deportavit; *haud dubiè etiam Carolomanni uxorem cum liberis, simulque Autcarium: quem postea sibi reconciliatum copiis suis præfecerit, unde ea postmodum consecuta sint, quæ in subjecta Otgerii historia referuntur. Nisi malis, Carolum Autcario ad privatam vitam redacto, ut se in Monasterium reciperet, indulsisse. Alium (si tamen alius est) invenio* AUTCARIUM *Ducem, quem Pippinus Francorum Rex cum Rodigango seu Chrodegango Metensi Episcopo direxit ad Stephanum Papam III, ut eum in Franciam deducerent: qui* Autcarius Dux quantocius præcedens, Ticino eum præstolatus est, *indeque Stephanum ad Pippinum adduxit. Ex his omnibus manifestum est, quantus fuerit apud Francos Francorumque Reges Otgerus seu Autcarius, qui postea mundanarum rerum pertæsus, in Monasterium S. Faronis secessit cum socio* BENEDICTO, *ubi deinceps reliquum vitæ exegit, eo sanè Christianæ pietatis modo, quem veteres ejus loci membranæ nobis exhibent.*

4. Horum Actorum veritatem, quam recentiores nonnulli hac ætate evertere moliuntur, probat in primis mss. codicum, in quibus ea reperiuntur, antiquitas, tametsi de auctore nihil certi afferri potest: tum Otgerii ejusdemque socii Benedicti epitaphium à Fulcoio Bellovacensi ante annos sexcentos editum, quale inferiùs referam; tum denique vetus eorumdem Otgerii & Benedicti monumentum sive sepulcrum, quod in Monasterio S. Faronis hactenus visitur: quo in monumento tota hæc quæ inferiùs describitur, historia exstantibus iconibus repræsentatur. Monachatus ejus asseritur.

5. Atque ut à vetustis membranis, in quibus acta hæc describuntur, incipiam; occurrunt primò codices duo, unus Faroniani Cœnobii ante annos minimum septingentos, alter Crispiacensis ante sexcentos scripti. In fine prioris adjicitur secunda manu Breviarium *seu indiculus* librorum, quos invenit Abbas Galfridus in Cœnobio sanctæ Crucis, sanctique Faronis. *qui Galfridus seu Gaufridus eum locum regebat post medium sæculum* XI, *nempe pontificatu Alexandri Papæ* Ex vetustis codicibus.

secundi ac Gregorii septimi. quo tempore Fulcoius Bellovacensis, Meldensis Ecclesiæ Subdiaconus, carmen de vita sancti Faronis edidit ejus Abbatis hortatu, quod carmen, Fulcoio vivente, recentiori manu eo in codice exaratum est. Ergo ante Fulcoii tempus Historia de conversione Otgerii vulgata erat, & quidem non solùm apud Meldos, sed etiam apud Belgas, ut constat ex libro membranaceo Gemblacensis Monasterii ab annis circiter quingentis (si bene memini) scripto, in quo Otgerii ac Benedicti conversio totidem verbis atque in Faronianis descripta est, omisso tamen prologo & duplicis Abbatiadona ione, Redensis scilicet ac Vercellensis, in utroque Faroniano codice memorata.

a ex epitaphio per Fulcoium, 6. *Huic scriptioni in codice Gemblacensi subjicitur* Epitaphium eorum à FULCUINO editum. *(sic enim habet inscriptio.) cujus epitaphii auctorem esse Folcuinum Abbatem Laubiensem, Monasterii sui Chronico, aliisque scriptis sub finem sæculi x celebrem, existimasse videtur notarius Gemblacensis. At certè Fulcoio Meldensis ecclesiæ Subdiacono tribuendum est, ut constat ex ms. codice ecclesiæ Bellovacensis, in quo Fulcoii opera auctoris ætate descripta continentur; in his epitaphium Otgerii ac Benedicti, quale in exemplari Gemblacensi deprehenderam. Quo tempore floruerit Fulcoius iste, operæ pretium est hic demonstrare. Id autem patet ex ipsius Fulcoii elegio, cujus copiam ex ms. exemplari Bellovacensi mihi fecit venerabilis vir Godefridus Hermannus, ejus ecclesiæ Canonicus, Doctor ac Socius Sorbonicus, scriptis suis clarissimus. Sic autem habet elogium.*

FULCOIUS genere Belvacensis fuit. Meldis exercitium studiorum elegit. ubi Doctorum instinctu suorum, præcipuè Archipræsulis MANASSÆ Remensis, tria volumina per septem libros sapienter & decenter heroicè composuit. Primum simplex in epistolis, in titulis, quibusdam quasi nugis, quod experientiæ causa *Utrum* nominavit. Secundum verò duplex, quod *Neutrum* appellavit: eo quod in quorumdam vita Sanctorum ingenium exercens, nec adhuc quod desiderabat aggredi præsumens, nec primo volumini, nec ultimo medium continuavit. Tertium autem per septem libros septiformi afflatus Spiritu, sub dialogo Spiritus & hominis fideli opere mirifico carmine contexuit. Hac de causa, quòd vetus & novum maritans Testamentum, Christo Jesu Verbo Patris, latori gratiæ, qui fecit utraque unum, uni viro virginem castam, Ecclesiam videlicet, despondit.

Pulcrè composuit Libros Fulcoius istos.
Fecit *Utrum*, fecit *Neutrum*, perfecit *Utrumque*.
Scidit *Utrum*, sparsit *Neutrum*, collegit *Utrumque*.
Temptat *Utro*, fidit *Neutro*, desponsat *Utroque*.
Solus *Uter*, *Neuterque* duplex, septenus *Utroque*.
Suntque decem, nonumque triplex, trinumque volumen.
Solvitur his demum merito denarius illi.

7. *Ex hoc elogio perspicuum est, Fulcoium scriptis suis supremam imposuisse manum, eaque in quoddam veluti corpus redegisse hortatu ac pontificatu Manassæ Remensis Archiepiscopi, qui anno* M LXXX *dignitate sua dejectus est. Ergo ante illud tempus opera sua perfecerat Fulcoius. Id verò ampliùs illustratur ex nonnullis ejus epistolis metricè scriptis, quarum una Alexandro Papæ II, alia Gervasio Remensis ecclesiæ Antistiti, Manassæ decessori, directa est. Ex quibus nullum dubium relinquitur de ætate Fulcoii, quem anno* M LX & M LXX *scriptis suis inclaruisse hinc conficimus: quo quidem tempore Otgerii ac Benedicti epitaphium cum aliis multis in litteras retulit. Ad id autem nullius auctoritate aut impulsu inductus videtur; sed sola virorum clarissimorum, ac rei ab eis gestæ memoria, quæ tunc apud posteros integra vigebat, tum ex actis eorum vulgatis, tum ex tumulo conservata.*

b ex tumulo. 8. *Antiquitatem monumenti Otgeriani inferiùs demonstrabit ejus effigies in are*

incisa, ubi tota ipsius Otgerii ac Benedicti historia exhibetur. Istud enim monumentum seu sepulcrum, variis iconibus ex lapide fabrefactis instructum, statim ab Heroum nostrorum obitu conditum fuisse credere par est; & verò probat ipsa operis forma, pro tempore magnifica & elegans. Neque sanè veri simile posteros id excogitasse post longa temporum intervalla, cùm eorum videlicet memoria pæne abolita esset.

9. Dicet forsitan aliquis, tumulum istum Fulcoïi tempore exstructum fuisse, quod Fulcoio scribendi epitaphii occasionem tribuerit. Verum præterquam quòd tumuli ipsius forma superiorem Fulcoio ætatem sapit, ut earum rerum periti facilè judicabunt; si eo tempore Fulcoius eorum epitaphium condidisset, id certè novo eorum tumulo curasset apponi: quod tamen ipse non præstitit. Deinde idem etiam auctor censendus fuisset duorum versuum, quos in rotulo exhibet Otgeris effigies: At eos longè ante natum Fulcoium conditos fuisse persuasum habeo. siquidem Fulcoii versus Leonini sunt, non isti duo, de quibus agimus, sed melioris venæ ac ætatis, ut inferiùs videbitur. Ad hæc non video, quid Faronianos tum movisset, ut hominibus jam pridem vita functis, & ex hominum pæne memoria fugientibus, sumtuosum monumentum, cui ferè simile pro tempore vix invenias, paraverint.

10. Hæc dixerim adversus nonnullos, cui monumentum istud, non Otgerio illi Caroli Magni ævo Duci famosissimo, sed alteri Otgerio, cui à Carmentriaco Meldensis agri prædio cognomen est, tribuendum putant. In primis Antonius Tepezius eam opinionem vulgavit in Chronici Benedictini tomo 2 ad finem anni 639, ratus Otgerium Danum numquam in vivis exstitisse, præterquam in libris fabulosis: tumulum verò qui in æde Faroniana visitur, esse Otgerii Carmentriacensis. Hoc argumentum petit ex litteris istius Otgerii, quas Andreas Chesnius à se visas ipsi contestatus est. Easdem litteras etiam alii recentiores, hujus sententiæ patroni, Faroniani nostris opponunt. Aiunt quippe Otgerium hunc Fulcoudo Faroniani Cœnobii Abbate, id est sub annum MLXX, sororem quamdam habuisse, nomine Gibelinam, in eodem loco Reclusam: cujus monitis ac consilio monasticum habitum cum duobus filiis suis, Walone atque Iohanne, Otgerius ibidem susceperit. Hunc verò postmodum à Faronianis Monachis solo ferè nomine cognitum, eumdem cum Otgerio illo Duce, de quo hic agere institui, visum fuisse; ac demum Otgerii Carmentriacensis sepulcrum Otgerio Dano (sic enim cognominant) perperam adscriptum. Litteras quibus hæc opinio innititur, ex Faronianis membranis illustrandæ veritatis gratiâ hic proferre necesse est.*

Otgerius Dux ab Carmentriacensi distinguendus. * Charmentray

EGo FULCOUNUS, Cœnobii sanctæ & victoriosissimæ Crucis sanctique Faronis nomine tenus Abbas, notitiæ cunctorum Fidelium tradere disposui, quod apud Carmentriacum quidam laicus inter suos clarus, nomine OTGERIUS, morabatur: soror cujus, nomine GIBELINA, amoris Dei causâ in nostro Monasterio reclusa erat. Prædictus itaque vir saluberrimis atque frequentissimis suæ prudentissimæ sororis exhortationibus assensum præbens, (erat enim pro salute ejus nimium sollicita) posthabuit mundum, atque sanctæ conversationis habitum, cum suis duobus filiis, WALONE scilicet atque JOHANNE, devotè in hoc loco suscepit, terrasque & cuncta quæ possederat, Sancto dimisit. Habebat autem Comes consuetudines in ipsis terris, velut in aliis, quas Deo & Sancto Comes ipse TEOBALDUS, & Comitissa ADELAIDIS, necnon filius Comitis STEPHANUS, qui aderat, quietas clamaverunt in perpetuum, præter censum qui solvitur ad feram in medio Maii, scilicet quinque solidos Comiti. WALTERIUS verò Episcopus, cognomine Sapiens dictus, jubente Comite Teobaldo anathematizavit cunctos, qui ex supradicta terra aliquam fraudem facere præsumerent, vel usque ad unam rigam minuere: necnon & illos, qui minuentibus assensum voluerint præbere. Signum Comitis TEOBALDI. S. filii ejus Comitis STEPHANI,

Charta de Otgerio Carmentriacensi.

S. Comitissæ. S. filii ejus Hugonis, qui tunc puer erat. S. WALTERII Episcopi. S. EWRARDI nepotis ejus de Dongione. S. HILDRICI Præpositi. S. RICULFI Subpræpositi.

Argumenta pro discrimine duorum Otgeriorum

11. De Notitiorum origine atque usu differendum in hujusce tomi appendice. Interim ex præmissæ Notitiæ subscriptionibus intelligimus tempus, quo Otgerius iste Monachum induit, nempe tempore Walterii Sapientis Meldensis Episcopi, sub annum M LX, *ac Theobaldi tertii Campania Comitis & Adelaidis ejus uxoris, qui Theobaldus, regnante Philippo Francorum Rege, è vivis excessit. Verùm ex his litteris nihil conficere possunt superioris sententiæ assertores, nisi alterutrum ex his duobus ostendant, nimirum aut Otgerium, cui Dani cognomentum affictum est, non exstitisse principatu Caroli Magni; aut, si exstiterit, in S. Faronis Monasterium nequaquam secessisse. Primum manifestè convellit Monachi Sancti-Gallensis auctoritas, qui Otgerium Ducem in Caroli Magni offensam incurrisse scripsit ab annis octingentis: cui testimonio vulgatus Anastasius suffragatur. Alterum nullatenus adstruent, nisi Otgerium hunc alibi, quàm in S. Faronis Cœnobio, supremos vitæ dies complevisse demonstrent. Apage verò ridiculas Turpini fabulas, & qui ex fabulis istis scripto suo suffarcinarunt sequiores auctores, qui Otgerium Danum in Pyreneis montibus à Vasconibus interemtum, & Belini sepultum fuisse fabulantur. Ejusmodi sanè auctoribus qui nituntur recentiores, cùm videri volunt historici, quantùm à veræ historiæ delectu absint, hinc manifestè produnt.*

12. Age porro cetero istius fabellæ ornamento expendamus. Otgerius, inquiunt, Carmentriacensis Monachum induit in Cœnobio S. Faronis, ubi demum postea mortuus, sepultusque est; à posteris rei veritatem ignorantibus pro Otgerio Dano falsò creditus. Ut id constet, necesse est aliquanto post mortuum Otgerium Carmentriacensem intervallo eum errorem subrepsisse. Neque enim id umquam Otgerii æqualibus aut subæqualibus persuaderi potuit. Neque sanè id impune laturi fuissent ejus filii, qui in S. Faronis Cœnobio degebant. Atqui Otgerii senioris historia, quæ de ejus monastica apud Faronianos professione agit, ante natum Otgerium Carmentriacensem jam vulgata erat, uti ea, quæ huc usque retuli, argumento manifestè demonstrant. Faronianus enim codex, in quo Otgerii Ducis conversio comprehenditur, ante annos DCC *exaratus est: certè ante Fulcoii ætatem, qui Otgerii Carmentriacensis æqualis, ejusdemque urbis, scilicet Meldicæ, inquilinus fuit. Deinde cùm Faroniana membrana autographa non sint, vixit ante id tempus istius historiæ scriptor, nimirum ineunte sæculo* X, *& quidem uno integro ante alterum Otgerium, at post amissum à Francis (ut ex contextu patet) Italiæ Imperium. Ad hæc Fulcoius ipse, vivente Otgerio juniori, epitaphium Otgerii Ducis versibus cecinit: quo quidem tempore in Fulcoii mentem venire non potuit, ut hominis viventis ac sibi notissimi memoriam cum alio, qui ducentis annis superior erat, contulerit. multominus is, qui conversionis historiam ante natum Otgerium Carmentriacensem scripsit, comminisci potuit, ut eum qui nondum in vivis erat, pro alio, qui ducentis ante annis vivere desierat, usurparet.*

13. Ex his manifestum est, duos in Faroniano Cœnobio Otgerios disparatis temporibus vixisse, nempe Otgerium Ducem (cui Dani seu Daci cognomentum affinxit posteritas) Caroli Magni principatu; & Otgerium Carmentriaci prædii dynastam, imperantibus Henrico ac Philippo Francorum Regibus; ambosque eo in loco sepultura fuisse donatos. Et quidem prioris tumulus hactenus visitur, posterioris ignotus est.

14. Non diffiteor tamen, duos illos Otgerios à sequioribus Faroniani Cœnobii Monachis pro uno eodemque habitos, ut fidem facit recentioris scriptura Necrologium Faronianum, superiori sæculo adornatum, in quo pridie Kalendas Januarii *hæc leguntur.* Obierunt OGERIUS *le Danois* & BENEDICTUS Fratres nostræ Congregationis. *Tum vacuo spatio interposito eadem manu hæc subduntur.* Iste Ogerius post conversionem suam & Religionis habitûs susceptionem, cuncta quæ in Charmenterio possidebat, ejusque prece Christia-

niſſimus & invictiſſimus Rex & Imperator Carolus Magnus noſtro Monaſterio multa bona contulit, illudque magnis opibus ditavit. *Verùm cùm hæc à recentiori quodam, hiſtoriæ prorſus ignaro, ſcripta ſint; nequaquam ſententiæ de duobus Otgeris, quæ ſuperiùs à me adſerta eſt, officere valent. Necrologii novitatem arguit in primis ſupina ſcriptoris ignorantia, qui hominem ſæculi* XI *cum Otgerio Duce, qui ſæculo nono vixit, eumdem eſſe falsò opinatus eſt: tum ipſius Necrologii ſcriptura recens: ad hæc Dani cognomentum, Otgerio vernacula lingua attributum: quod non niſi poſt invectam Pſeudo-Turpini fabulam, id eſt poſt tempus Frederici Ahenobardi, Otgerio Duci adſictum eſt.*

15. Cujas ergo fuit Otgerius? inquis. Francum *vocat vulgatus Anaſtaſius in Actis Hadriani Papæ. Franci verò alii erant Orientales, qui in Franconia; alii Auſtrales, qui in Auſtria ſeu Auſtraſia; alii denique Occidentales, qui in Neuſtria ſeu Francia degebant. Auſtraſiis accenſendus eſt Otgerius, ut qui principem locum obtinebat apud Carolomannum Auſtraſiorum Regem, ex præmiſſis. Mihi aliquando ſuſpicio injecta eſt, num Otgerius iſte alius fuerit ab Occario ſeu Otkario, Adalberti ſeu Alberti Comitis fratre, qui ambo Ilmunenſe ac Tegerſenſe Monaſteria apud Bajoarios condiderunt, ibique monaſticum habitum ſuſcepiſſe perhibentur. Conjecturæ materiam ſuppeditabat Metellus Tegerſenſis ſæculo* XI *Monachus, qui in ſuis Quirinalibus de Occario, ejuſque genere ita canit.* Otgerius Dux, non Danus.

> Diva progenie par geminum prodierat decus,
> Fratrum bellipotens ac locuples divitiis honos.
> Pippinum, quibus & fama refert ſtemmate proximum,
> Inſignis Caroli, qui validus regna tulit, patrem.
> Adalbertus eis nomina ſunt, Occarius quoque,
> Alter Bajarici jure Comes præcipuus ſoli:
> Burgundis alius belligero robore Dux probus,
> Quem gens illa canens priſca vocat nunc Osigerium.

Ex hoc poſtremo verſu intelligitur, Metellum agere de quodam Oſigerio ſeu Otgerio per ea tempora decantato: idque de nullo alio, quàm de noſtro aptiùs explicandum. Huic conjecturæ favet, quòd Audo Tegerſenſis Monaſterii poſt Adalbertum avunculum Præfectus, forſan ab Auda matre, Otgerii noſtri ſorore, Rotlando (ut inferiùs videbitur) nupta, Audonis cognomentum accepiſſe videatur. Ceterum Albertus & Otkarius alto ſanguine progeniti, patte Burgundi, & matre Bavari *fuiſſe dicuntur in fragmento apud Henricum Caniſium relato tomo 4 antiquarum lectionum. Verùm ſcriptores iſti tantæ auctoritatis non ſunt, ut ex iis quid certi incunctanter definire poſſimus. Sanè Occarius Metelli Monachum cum Adalberto fratre profeſſus fertur apud Tegerſenſes: Otgerius verò noſter apud Faronianos. Unde non unicum, ſed duos ſtatuere ſatius videtur: ex quibus Occarius Metelli idem ſit cum Autcario Duce, de quo agitur in Actis Stephani Papæ III ex dictis: alter verò Otgerius Faronianus is ſit, de quo agit tum Hadriani Papæ vita, tum Monachus Sancti-Gallenſis. Erit forſan qui ſuſpicetur, Metellum opinione lapſum, cùm Occarium Ducem & Adalbertum ejus fratrem apud Tegerſenſes vitæ monaſticæ nomina dediſſe canit, hac adductus ratione, quòd qui condito Tegerſenſi Cœnobio monaſticen profeſſi erant; non alibi, quàm apud Tegerſenſes ſuos id præſtitiſſe crederentur Metelli ævo apud Tegerſenſes. Immo verò id potiùs contigiſſe in Cœnobio S. Faronis; & Adalberto alterum nomen fuiſſe Benedicto, quem Otgerius Faronianus ſecum ad converſationem pertraxit. At quidquid ſit de Otgerio, cùm Adalbertus Tegerſenſis Cœnobii Præfectus fuerit; à Benedicto Faroniani Cœnobii Monacho diſtinguendus eſt, qui ibidem privatus vixit, deceſſitque. Hæc in anteceſſum præmittenda fuere de Otgerio Faroniano: à quo Dani cognomentum, nullo fundamento præterquam Pſeudo-Turpini fabula innixum, penitus rejiciendum eſt: quandoquidem nihil hoc de cognomento legitur in ſubjecta hiſtoriola, quam ex mſſ. codicibus Faroniano, Criſpiacenſi, & Gemblacenſi hîc repræſento, reſectis nonnullis prologui morolitatibus, quæ ad rem nihil conferunt. Hiſtoria hæc in codice Faroniano ſubjicitur Vitæ S. Faronis cum titulo ſequenti.*

CONVERSIO OTHGERII MILITIS,

Qualiter abrenuntians sæculo, Deo in monachico habitu militavit.

16. FARONIS sanctissimi Confessoris ac gloriosissimi Meldensium Pontificis vitæ venerandæ dignum est subscribere, qualiter ad Monasterium, quod idem Pontifex studio piæ devotionis prope civitatem fundavit, & in honorem sanctæ Crucis, ac beati Baptistæ Johannis, sanctique Petri & omnium Apostolorum devotiùs dedicavit, atque possessionibus amplissimis nobiliter honoravit, OTHGERIUS vir illustris generositatis, & adeo strenuus in prœliis, ut propter frequentem ac victoriosam adversariorum debellationem speciali tunc temporis cognomine solus inter prœliatores, & etiam ab ipsis prœliatoribus Prœliator fortis & Pugnator appellaretur: ur ibi monasticæ conversationis perseverantiam promitteret, advenit, &c.

Otgerius inter Palatinos primus.

17. Præfatus igitur OTHGERIUS, vir generosa nobilitate clarissimus, Deoque permittente, in frequenti prœliorum exercitatione victoriosissimus, & ideo tempore gloriosissimi Imperatoris, Magni videlicet Karoli, inter Francorum Principes gloria & honore adeo sublimatus, ut post ipsum in regni imperio & dominatu exsisteret secundus; dum gloriosiùs polleret in sæculo, sanæ mentis industria retractare cœpit, quòd gloria & elevatio sæcularis, quibus cor ejus pomposè efferebatur in hominibus, & divitiæ quas in sæculo præsenti cum injustis quibuslibet & malè agentibus communiter possidebat, quia transitoriæ erant & inanes, has se se divinitus adspiratus diffinivit relinquere, ut in æterna beatitudine mereretur cum Sanctis perpetuas possidere. Hac etenim sententia motus fuerat & recreatus, quam ex ore Veritatis audierat: quòd omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. Ab illo ergo regni solio, in quo secundus à Rege (ut dictum est) gloriabatur, se humiliandum ut exaltari mereretur disposuit, & falsæ beatitudinis exuendum divitiis, ut post hanc ærumnosam vitam gloria ditaretur veræ beatitudinis, perenniter ante Deum victurus cum angelis.

de sæculi fuga cogitat.

18. Sciens ergo oportere per multas tribulationes in Dei regnum introire, nec esse condignas passiones vitæ præsentis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in Sanctis; ad exemplum Domini, qui cùm sit Deus, semetipsum exinanivit, servi formam accipiens, factus obediens usque ad mortem; post multa prœlia, quæ viriliter exercuit; post famosæ laudis gloriam, quam sibi strenuis operibus propagavit; sua omnia JESUM CHRISTUM secuturus dereliquit, & cum Paulo Apostolo semetipsum huic mundo, atque sibi mundum ipsum crucifigere non horruit. sicque verbis dominicis, quæ attentiùs audierat in Evangelio, humiliter obedivit: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.*

Matth. 16. 24.

19. Suscipiens igitur peregrinationis insignia, peregrè profectus est Monachorum explorare Cœnobia, ut scilicet in quo regularis disciplinæ custodiam districtiùs observari cerneret, in eo morum suorum conversionem promitteret, vitæque suæ perseverantiam juxta S. BENEDICTI Regulam confirmaret sub Abbatis imperio, propriis abdicatis voluntatibus, quoad viveret, Domino serviturus. Qui baculo quem ferendum pro signo peregrinationis susceperat, plures corrigiarum ligulas appendit, & in ipsarum summitatibus ligularum ferri spærulas adfixit. quem in pavimento cujusque Monasterii, in quod oraturus intrabat, violento jactabat impulsu: ar-

Monachos strictioris vitæ explorat.

gerè diligenterque attendens, an fortè Monachi ex mentis vanitate se se levaret ad strepitum convertetent baculi. Hic igitur perlustratis pluribus Monasteriis, & (ut dictum est) exploratis, in nullo eorum tantam repperit continentiam à vanitate, quantam in sancti Faronis religiosissima Congregatione. Illic enim dum prædictum baculum cum suis appendiculis pavimento violenter impelleret, & baculus in sua collisione confusæ vocis strepitum redderet; de adstantibus Monachis nullus est motus ut retro respiceret, vel ab intentione suæ devotionis animum amoveret, præter unum ex his, qui sub custodia servabantur, puerum: quem mox unus de custodibus virgâ disciplinæ percussit, & sic eum à vanitate ad id, quod erat intendendum, oculos reflectere coegit. Unde manifestè intellexit, quòd ibidem devotissimè servabatur & Regula monasticæ religionis, & disciplina regularis institutionis. Ex qua re mox sibi proposuit, ut illic spretâ pompâ sæculi Monachorum susciperet habitum. in S. Faronis Cœnobio invenit.

20. Prudenti ergo usus consilio, ad Regem inde regressus est KAROLUM, ut ab eo exposceret, quatenus sibi sanctæ Religionis habitum suscipere suo permissu licuisset. Unde Karolus compunctus, (commota sunt quippe super eum viscera ejus) flebilibus sese lacrymis infudit, & licentiam quam devotus petiit, ei habere cum bona gratia permisit. Ex qua re seniores palatii, mediocres & infimi, versi sunt in admirationem, benedicentes Dominum, qui in tanto viro sic mirabiliter dexteræ suæ magnificavit immutationem. Caroli M. licentiâ obtenta,

21. Tunc devotis exhortationibus monuit BENEDICTUM, quem in multis prœliis habuerat socium, ut secum futurus Monachus veniret ad sancti Faronis Monasterium: ut qui multa simul in homicidio fecerant flagitia, sua simul in Monasterio pœnitentes plangerent peccata. Cujus monitis & precibus adquiescens Benedictus, memor societatis præteritæ, ei se iterum sociavit, & ambo pariter ut athletæ Christi fide viriliter armati, ad sancti Faronis reversi sunt Monasterium: ubi arma bellica, & omnia quæ in sæculo habuerant, votivo corde pro nomine JESU-CHRISTI relinquentes, quamdiu vixerunt, in sancta Religione manserunt. cum Benedicto istuc se recipit.

22. In eodem verò anno, quo Monachi effecti sunt, Othgerius jam cognoscens monasticas consuetudines, ad Karolum regressus est, monens eum, & humiliter expostulans, ut qui ceteris Monasteriis benefacere consueverat, sancti Faronis Monasterium à benefactis non exciperet: sed eleemosynam suam dilatando, stipendiis Fratrum Deo illic famulantium aliquibus misericorditer incrementis subveniret. Cujus militiæ & strenuitatis Karolus, ut moris est nobilium, reminiscens, conversioni quoque ac devotioni piè congaudens, ne frustratus à se Dei servus rediret; pro ejus amore quamdam ex suo dominicatu sancto Faroni dedit Abbatiam in honorem sanctæ Mariæ, sanctique Petri Apostoli dicatam, in loco, qui Reda dicitur. qui videlicet locus distat ab urbe Meldensium & Monasterio spatio stadiorum octoginta. Alteram verò, quam ipse olim in suburbio Vercellensi tenuerat, ei spontanea benignitate ad usus eorumdem Fratrum reddidit: quæ videlicet Abbatia tamdiu postea sub dominio Abbatis & Fratrum sancti Faronis fuit, quamdiu Rex Francorum Italiam sub suo regimine tenuit, illa de Reda usque in præsentem diem permanente in prædicti Monasterii commoditate. Abbatias duas à Carolo impetrat.

23. Postea prædictus Othgerius pluribus annis in Monasterio vivens sub Abbatis imperio, diræ sitis siccitate corpus suum castigavit, & horrore diræ famis crudeliter maceravit, in vigiliis & orationibus peccata sua reminiscens lacrymosis gemitibus. Cujus veram conversionem atque vitæ sanctitatem multis postea Dominus JESUS-CHRISTUS decla- religiosè vivit.

ravit miraculis, ut manifestè demonstraret, quòd gaudium est angelis Dei super uno peccatore pænitentiam agente, quàm super nonaginta novem justis non indigentibus pænitentiâ. Ipsi soli qui peccatores ad pænitentiam misericorditer exspectat, & pænitentes à peccatis clementer justificat, sit gloria & imperium, cum Patre & Spiritu-sancto per infinita sæcula sæculorum. Amen.

EPITAPHIUM EORUM À FULCOÏO EDITUM.

QUAM malè discernit quod amat, vel qualia spernit!
Cui placet aura soli, displicet aura poli.
Exsul in externa proculà regione superna,
Captus amore viæ, non meminit patriæ.
Militis OTGERII conversio digna videri
Sufficit ad speculum, quo statuas oculum.
Legis erat pondus, locuples, à Rege secundus;
Nobilis & sapiens, strenuus & patiens.
Floribus his septus, præstabile culmen adeptus,
Omnia posthabuit, seque Deo tribuit.
Evocat invictum rerum comitem BENEDICTUM:
Ut par militiæ, participet veniæ.
Crux simul accipitur, Crucis & locus iste subitur:
Cæsar & exuitur, Cæsar & induitur.
Ite pares animæ per quælibet agmina primæ,
Fortes Cæsarei, fortia membra Dei.
Fortes athletæ, per sæcula cuncta valete,
Par Crucis est species, par erit & requies.
O' quàm par pulcrum! par vivere, parque sepulcrum:
Par fuit & tumulus, par erit & titulus.

24. Hactenus historiam & epitaphium Otgerii & Benedicti retuli: qui quo anno, quove die vivere desierint, incertum est. Ambos ad sæculi noni initium suspicor pervenisse, eorum verò natalem diem posteri pridie Kalendas Ianuarii (ut superius notabam) in Necrologio Faroniano consignarunt in grati animi monumentum, rati Otgerium Ducem non alium esse ab Oegerio Carmentriacensi, qui forsitan ipso die migravit è vita. Quamquam non deerat etiam causa, ut Otgerii Ducis memoriam Faroniani Monachi colerent, non solùm ob præstantissimi viri meritum, sed etiam ob ipsius benefacta, nimirum Abbatias Vercellensem & Redensem, quas ex dono Caroli Magni Cœnobio attribuit. Nunc Redensis Abbatia penitus exstincta est, redactaque in vicum, vulgari nomine Rez *appellatum, qui tertia leuca dissitus est à Meldica civitate. Ejus verò loci ecclesia à Faronianis Cœnobitis hactenus pendet.*

25. Quod superest, huic historiolæ ac epitaphio juvat subjicere ichnographiam tumuli Otgeriani, qui in æde S. Faronis ad arcum aquilonarem choro obversus cernitur, non nihil à Calvinistis sæculo superiore deformatus. Habet in longum pedes septem-decim cum dimidio; in altum verò à pavimento, quale modò instratum est, pedes quatuordecim. Hoc sepulcrum cùm vidisset Gabriel Simeoneus Italus, itinerariis suis celebris, cujus esset monumentum ignorans, hanc inscriptionem in linea rubricata litteris albis apposuit: HEROIBUS IGNOTIS GABRIEL SIMEONEUS RESTITUIT M D XXXV. *Nunc verò Heroës isti nobis probè noti sunt, tum ex præmissa eorum historia, tum ex epitaphio, quod à Fulcoio conditum jam exhibebam. Ichnographiæ hîc appositæ notulas explicationis gratiâ adscribam.*

TUMULI



A SUB CAROLO M. HEROUM, POSTEA MONACORUM, H
lica S. Faronis apud Meldos.

n Rotlando benedictione 13 *Alter vestes præferens.*
14 *Tertius tenens atramentum ad Scribendam professionem.*
is religionem ac modes: 15 *Otgery ac Benedicti animæ ab Angelis assumtæ.*
entibus instructa Benedicto 16 *Christus Dominus extremo judicio præsidens.*
17 *Angeli instrumenta Passionis, Coronam, clauos cru=*
cemque gestantes.
etro pulsatus.
i habitum postulantes. 18 *Mortui ex Sepulcris resurgentes.*
hos initiaturus. 19 *Spata Seu gladius, et clypeus ferreus Otgeriani.*
tonsuram.
Sæc IV. Bened. Parte 1 Pag 664



TUMULI EXPLICATIO.

(1) L*APIDEÆ icones sunt Otgerii & Benedicti simul tumulatorum, quæ monasticam in capitibus tonsuram, & religiosas vestes adhuc apprime exhibent, tametsi unius ex istis caput à corpore divulsum est, cetera integrum servatum. Amborum heroum ossa, è tumulis collecta, in sacrario ejusdem basilicæ modò ostenduntur. Icones utrinsque in longum constant mensurâ pedum septem.*

(2) *Et hæc videtur Otgerii in sæculari habitu effigies, rotulum præferentis cum hoc dysticho, quod hactenus litteris pene fugientibus legitur.*

AUDÆ CONJUGIUM TIBI DO, ROLANDE, SORÓRIS,
PERPETUUMQUE MEI SOCIALIS FŒDUS AMORIS.

Qui monumentum istud ad Otgerium Carmentriacensem traducere conantur, viderint, qua ratione superiores versus huic aptare possint.

(3) *Otgerii soror est Rollando desponsata, nomine Auda: cujus nomen mihi revocat memoriam Audonis, quem Otkarius & Adalbertus prælaudati* sororium *habuisse perhibentur, ac Ilminensi Monasterio præfecisse. In hac Audæ effigie, tametsi caput ab hæreticis ablatum est, apparent adhuc nexus capillorum è collo dependentium.*

(4) *Videtur esse Rollandus, seu Rotlandus, cui Otgerius sororem suam Audam desponsavit. Is est Rotlandus,* Britannici limitis Præfectus, *qui in reditu ex Hispanica expeditione à Vasconibus cum pluribus aliis interfectus est in angustiis montium Pyrenæorum, testante Eginhardo in Vita Caroli Magni.*

(5) *Fortè hæc est Caroli Magni effigies, sceptri speciem in manu gestantis, & capillos (quod etiam Francorum Regum insigne fuit) ultra humeros promittentis.*

(6) *Huic adhæret alterius mulieris statua, nempe Caroli ipsius uxoris, scilicet Hildegardis, quæ decessit anno* DCC LXXXI. *quo tempore Otgerius jam Monachus erat.*

(7) *Archiepiscopus est, Pontificali veste ac pallio ornatus, qui benedicentis in morem compositus est: is ipse (ut puto) qui Rotlando atque Audæ nuptialem benedictionem impertiit.*

(8) *In inferiori tumuli margine cernitur Otgerius cum socio Benedicto, baculum globulis tinnientibus instructum, quo Monachorum modestiam tentavit, manu gestans: cui adhæret*

(9) *Junior Monachus, unus ex his qui à pueris Deo oblati erant, ob oculorum levitatem à Præfecto suo pulsatus. Quod attinet ad baculum illum, quo Monachorum religionem exploravit Otgerius; idem ferè præstitit Otto Magnus in Cœnobio S. Galli: ubi* Fratribus hinc inde ad laudes in lateribus ecclesiæ directim statutis, solus in medio quasi statua constitit, oculisque grandibus in Fratres hinc inde versatis, quam antea noverat, si adhuc sit, disciplinam probans, baculum sibi decidere sivit. Cuonone autem Duce genero ejus accurrente, baculumque sibi timoratè restituente, stare illum jubens ait: Ecce ego disciplinam horum, quam & tu forsitan audisti, tentans, baculum mihi decidere sivi, neminisque illorum caput aut oculos ad hoc motos vidi. *Hujus rei auctorem habeo Ekkehardum Monachum in fine libri de casibus Monasterii S. Galli: in cujus libri cap. 1 aliud haud multùm absimile refertur de Conrado Rege: qui* in processione infantum *ejusdem* Cœnobii, pomis in medio ecclesiæ pavimento sterni jussis, cùm nec unum parvulissimorum moveri, nec ad ea attendere vidisset, miratus est disciplinam. *Sic ferebant eorum temporum mores.*

(10) *Ex altera inferioris marginis parte iterum exhibentur iidem heroes, monasticum habitum suscepturi*

(11) *Ab Abbate Faroniano, cui adjuncti sunt tres alii Monachi.*

(12) *Primus forfices ad tondendos illos candidatos deferens.*

(13) *Alter vestes religiosas pro iisdem.*

(14) *Tertius calamum cum atramento ad scribendam professionem, qua susceptione religiosi habitus inducebatur, post tirocinium exactum in veste saculari aut clericali.*

Tumuli superiorem partem coronant ordines duo, quorum

(15) *Primus, id est minor, Otgerii ac Benedicti animarum in calum assumtionem comitantibus Angelis repræsentat, alter extremum judicium, cui præsidet*

(16) *Christus Dominus. Huic adsistunt*

(17) *Quatuor Angeli, instrumenta Passionis, nempe clavos, spineam coronam, crucem & lanceam, gestantes: quibus totidem alii succedunt, tubis mortuos è sepulcris excitantes. Hinc videas*

(18) *Mortuos è tumulis prodeuntes, amotis lapidibus, quibus tumuli instrati erant. Eodem ferè modo extremum judicium in decumana porta majoris basilicæ Parisiacensis repræsentatur.*

(19) *Tumulo appicti sunt gladius seu spatha & ferreus clypeolus, seorsim in sacrario adservati: quos Otgerii esse pro indubitato habet Faroniani Cœnobii traditio. Certè Otgerius ac Benedictus* arma bellica *cum omnibus, quæ in sæculo possidebant,* votivo corde pro nomine Jesu-Christi ibi reliquisse *perhibentur in præmissa historia. De clypeolo nihil observandum occurrit, præter varias ictuum, quos excepit, incisiones. Ejusmodi instrumentum scutum, vulgo* pavois, *appellant. tametsi ad veterum scutorum formam non accedit. In longum constat duobus pedibus & pollicibus septem, in latum à summo pollicibus quinque; duobus ac dimidio ab imo; appendit tribus omnino libris & quadrante, citra manubrium, quod pæne integrum deest. In spatha lamina hinc inde apparent leonis & aquilæ effigies aureæ; item inscriptio utrimque eadem, aureis characteribus quatuordecim calata, sed ita obliteratis, ut scripturæ sensum penitus adsequi non potuerint peritissimi & oculatissimi quique, quibuscum id enodare tentavi. Scripturæ specimen, prout licuit, inferiùs exhibere curavi, ut alii rem divinent, si possint. Mihi prima littera H, cui punctum aureum adjectum est, pro uno vocabulo supponere videtur. Secunda est littera V, sed cum E aut alia attexta. Tertia est G, quarta videtur esse T adjuncto puncto. nisi forsan reliquum est littera detrita. Aliæ quæ sequuntur litteræ, efficiunt* IS GLADIUS. *Quapropter sic legendum fortean est,* HIC VEGOTIS GLADIUS. *tametsi primo conspectu legendum existimabam,* HUGONIS GLADIUS, *aut,* HIC DE GOTIS GLADIUS. *Fortè quòd ab Hugone quodam, vel à Gothis cum accepisset Otgerius. Tædet me conjecturis abuti: specimen curiosis exhibeo.*

Ḣ:ŒGOI,IS GLŒƏIUS

Ejusmodi spathas utraque manu antiqui pugiles versabant; iisque hominem, quantumvis cataphractum secabant in duas partes. Cæsim, non punctim res agebatur. Hujus verò spatha, quæ Otgerii dicitur, à summa lamina longitudo est trium pedum & pollicis unius; secundum capulum & glandem, pollicum septem: summæ laminæ latitudo trium pollicum, in acumine unius & dimidii: totius spathæ pondus est quinque librarum cum quarta parte.

26. *Hactenus de Otgerio Duce: cujus occasione ut de Otgerio Carmentriacensi*

superiùs memorato ugerem, locus etiam postularet. At plura de eo dicere cupientem vetera me deficiunt monumenta, sive majorum nostrorum incuriâ, seu Calvinistarum, qui pleraque dissiparunt, improbitate.

De ROTGARIO Monacho.

27. PROXIMO *igitur post Otgerium loco agendum est de* ROTGARIO *Faronlani itidem Cœnobii Monacho, quem cum Otgerio eumdem esse aliquando opinatus sum in Notis ad Vitam S. Faronis Saculo II. Nunc verò tota Otgerii Historia maturiùs expensa, alium ab alio diversum esse existimo. De Rotgario unum habemus testem oculatum, Hildegarium scilicet Meldensem Episcopum regnante Carolo Calvo, qui in libro de rebus gestis S. Faronis honorificam Rotgarii mentionem facit cap. 119 in hunc modum.*

Italia regio cùm plurimos Comites ex primoribus Magnatorum juxta regalem potentiam Regis CLOTHARII filii Ludovici Imperatoris olim possedisset: specialius unum novimus ex his ad amorem Dei hereditasse, ad dilectionem timoremque justitiæ sanctitatem in omnibus quæsisse. Hic enimvero à bonis operibus passim divulgatus claruit de nomine ROTGARIUS. Ut enim gratia divina occultum mundo non redderet, magnificavit eum in quodam bello, quod Clotharius superiùs memoratus exacuit contra Bulgrorum gentem. Ipsius præfati Rotgarii denique relatione frequenti ac probatione operis certum meote tenemus, sicut hoc ordine inferemus. Pugnæ siquidem conflictus ex utrisque partibus Francorum ac Bulgrorum provocatus, inter mixtos cuneos adversariorum præfatum Rotgarium fors improvisa attulit, ac de equo silenti circumsæptione resistentium corruere compulit. Cumque telis aculeatis loricam reluctantem ad ejus mortem conarentur penetrare; illi ad memoriam invocationis in hoc agone posito accessit solum clarissimi Faronis nomen ex innumerabilibus Sanctorum omnibus. At ipsa momentanea hora voto firmissimo Deo se obligans, ut si adesset liberator tantus præstantissimus Confessor, hoc in loco ad serviendum ei spreto malè fido sæculo accederet devotissimus debitor; ideo huic voto adfuit divinum auxilium, quo invocatione tanti Confessoris mirabiliter liberatus evasit ab ipsis faucibus crudelissimæ mortis iolæsus. Qui postmodum hanc devotionem obligationis libentissimè exsecutus, quàm laudabiliter pompas hujus abnegaverit sæculi, adhærendo hoc in loco religioni monasticali; quàm assiduus in orationibus publicis atque furtivis, parcus in cibis, continuos in vigiliis, cotidie etiam intentus in renovandis Confessionum pænitentiis exstiterit; non similem nobis tempora admirantur nostra, nec ad exemplum vix similem aut rarissimè larginntur. Talem ac tantum voluit sibi admirabilis Antistes Dei Faro in longinquis regionibus procurare, qui ad ejus loci excubias curasset vitam angelicam ad illuminationem multorum ducere.

28. *Ex his intelligimus primò tempus quo vixit Rotgarius, nimirum imperante Lothario Ludovici Pii filio. deinde ejusdem patriam, nimirum Italiam, ubi Comitis dignitate functus est. Ad hæc vitæ sanctimoniam ac severitatem, quam apud Meldos consectatus est. Unde non immeritò eum cum Otgerio, cui subæqualis fuit, inter pios hujus sæculi Monachos elogio donare visum est.*

29. *In vetustis membranis Remigiani apud Remos Cœnobii, annos bene octingentos præferentibus, post visionem Baronti in Sæculo II vulgatam subsequitur alia Rotcharii Monachi, qui forsan non alius sit ab hoc nostro Rotgario. Hunc titulum præfert ms. codex:* VISIO QUÆ PRIDIE NONAS MAII ROTCHARIO

OSTENSA EST. *Visionis summa hac est. Cùm prædictus Frater morbi causa in domo infirmorum jaceret, post finitam matutinorum sollemnitatem dormienti apparuit Angelus mirifico fulgore coruscans*, cujus spendore tota domus, & beati Benedicti ecclesia (*quod oratorium infirmorum erat*) irradiata est. *Tum ab Angelo ductus in quamdam mansionem, (qua beatorum sedes erat)* vidit multitudinem Sanctorum congregatam, inter quos KAROLUM totum splendidum, non ultimum, sed medium vidit. *Karolus ipsum affatus ait:* Fili, scias quia ego sum Karolus, & ob devotissimam Fidelium Dei precem ereptus à pœna, in hac collocatus sum gloria. *Is Carolus cognomento Magnus, de quo quid simile Vvalafridus superiùs refert in carmine de visione Vvetini. Post hæc Rotcharius perductus ad alium locum, in quo defunctorum animæ purgatorio igne examinantur, multos ibi miserabili modo tortos vidit, inter quos nempe* tres ex Fratribus, *inquit auctor*, nostris adhuc viventibus se cognovisse testatur: quorum unus Isachar, alius Gaudius, tertius Winemundus. *Quin etiam ipse Rotcharius virgis cadi jussus est: quod fratri Hasulfo, qui agrotanti assidebat, in somnis ostensum. Tandem visionis longiorem seriem abrupit Eliseus, qui Rotcharium à somno excitavit. Rem sic concludit auctor.* Nihil ergo in his visionibus addidimus, vel subtraximus: sed præfatus fratercullus plura dixisset, simulque cum Angelo, sicut ipse refert, esset locutus, si ab Eliseo fratre tam cito cum summa vi non fuisset excitatus. Hanc igitur causam compertam satis utile duximus paternitati vestræ fieri notam, ut per hanc cognoscatis, quia Liberator noster gregem visitat vestrum, qui neminem vult perire, sed omnes salvos facere.

30. An hæc visio Rotgario Faroniani Cœnobii Monacho tribuenda sit; diffinire non ausim: sed tamen non visa est hoc loco prætermittenda. Ceterum ex his tribus clarissimis viris qui in Monasterium S. Faronis secesserunt, intelligimus quanta fuerit eo tempore istius loci celebritas & religionis fama.



APPENDIX I.
SÆCULI IV. BENEDICTINI,
COMPLECTENS ACTA SANCTORUM,

Quædam omissa suis locis, quædam incerti temporis;

AC MONUMENTA QUÆDAM HISTORICA.





VITA SANCTI VVILFRIDI EPISCOPI EBORACENSIS,

AN. CHR. DCC IX. APRIL. XXIV.

Auctore EDDIO STEPHANO, Presbytero & Monacho, ejus familiari & æquali.

Ex ms. codice Saxonico Bibliothecæ Cottonianæ.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. VITAM *sancti Vuilfridi senioris, Eboracensis Episcopi, retuli in Sæculi 3 parte 1, ubi varios Auctores, qui res ab eo gestas perscripsere, commemoravi, nempe venerabilem* BEDAM *in Historia sua,* EDDIUM *cognomento* STEPHANUM, *ambos sæculo octavo ineunte;* ODONEM *Dorobernensem Episcopum, imo* FRIDEGODUM *Poëtam, decimo;* EADMERUM *Cantuariensem, &* WILLELMUM *Malmesburiensem Monachos, ac* PETRUM *Blesensem, duodecimo; præter Anglicanæ Historiæ Scriptores omnes, qui de eodem viro sancto præclare agunt. Ex his omnibus Auctores duos antea ineditos exhibui, unum Fridegodum, cujus carmen extrema parte mutilum erui ex ms. codice Corbeiensi: alterum Eadmerum, cujus lucubratio ex Bibliotheca Cottoniana mihi transmissa est beneficio præstantissimi viri Josephi Vuilliamsonis, Carolo Britanniæ serenissimo Regi à secretis & mandatis. Ex duorum horumce auctorum scriptis tria quædam non exigui (ut puto) momenti derivavi, nempe argumenta nova, tum pro anno obitus Dagoberti Senioris Francorum Regis, quem anno non* DCXLIV *. ut vulgo antehac creditum est, sed* DCXXXVIII *obiisse, jam multis post V. C. Hadrianum Valesium probaveram in præfatione Sæculi 25 & verò apertè colligitur ex Fridegodo & Eadmero: tum pro Dagoberti II Austrasiorum Regis, Sigeberti filii, restitutione in regnum Austrasiorum, quam hi duo auctores affatim confirmant, quod antea viris eruditis jam probatum erat idoneis argumentis. At, quod nemo hactenus resciverat, tertium ex Fridegodo & Eadmero commodum deduxi, nempe genus ac tempus mortis ejusdem Dagoberti, quem anno* DCLXXIX *(rectiùs insequenti) civili Optimatum suorum factione è medio sublatum fuisse inde demonstravi.*

Ex Vuilfridi vitæ scriptoribus editi Fridegodus & Eadmerus.

quo fructu.

2. *Anno Christi* MDCLXXV, *qui ab edito Sæculo 3 nostro tertius erat, Antuerpiæ prodiit in lucem Aprilis Bollandianus, distinctus in tres tomos, in cujus tertio recusa est Vuilfridi Vita auctore Eadmero: quam tanti fecit eruditus vir Godefridus Henschenius, ut accepto inde testimonio, ac suffragante Fridegodo, priorem sententiam suam de obitu Dagoberti senioris (quæ optimi Viri sinceritas est) revocaverit; probaveritque genus mortis Dagoberti secundi, quam in annum* DCLXXX *retulit; idque tamquam novum inventum proposuit. Hanc porro Eadmeri scriptionem ais erutam ex Bibliotheca Cottoniana, id est ex editione nostra, quæ ad Cottoniana Bibliotheca exemplar exacta est. Sic enim rem explicat, tum in adnotatis ad eam Vitam, tum in Exegesi præliminari de tribus Dagobertis: à cujus statim exordio testatur auctor, quid operæ posuerit, quot litteris institerit apud Patres suos in missione Anglicana degentes; ut ipsa Heddii Stephani originalis Vita in Anglicanis Bibliothecis sibi quæreretur & transscriberetur. Verum illis, inquit, ob tyrannidem Cromvvellianam vix audentibus prodire, nedum cum Bibliothecarum custodibus heterodoxis tractare negotium; impetrari potuit nihil. At restituto in regnum paternum Carolo, & pacatis magis rebus, inventa est dicti S. Vuilfridi Vita per Eadmerum scripta, prout recenter edita est in Actis Sanctorum Ordinis Benedictini, cum fragmento vitæ metro heroïco à Fridegodo scripta. Tum subdit: Utinam etiam prior per Heddium inveniatur. Ex his ergo colligimus, quantum debeat respublica litteraria nobilissimo viro domino Vuilliamsoni, cui hoc Eadmeri opus, ac emolumenta inde consecuta referre debemus accepta.*

à Bollandianis Sociis recusi.

3. *Atque ut meis aliorumque votis fieret satis, ejusdem clarissimi viri auctoritatem adhibui quò Fridegodi integrum carmen, sed maximè Eddii Stephani lucubrationem ex Anglicanis Bibliothecis recuperare possem: tandemque multis ultro citroque missis litteris, intellexi, utramque ha-*

Eddii liber tandem inventus.

An. Chr. DCCIX. April. XXIV.

berti in Bibliotheca Cottoniana: Duplicitis istius operis copiam flagitanti, primum quidem Fridegodi carmen mihi transmissum est à domino Vvilliamsone; ac demum post multa cunctationum intervalla, Eddium Stephanum obtinui beneficio eruditissimi viri Edoardi Bernardi, in Oxoniensi Academia Astronomiæ Professoris. Is ad id officium mihi præstandum sollicitavit virum multigena eruditione, amicum suum, Thomam Gálium, Londinensis Collegii S. Pauli Præfectum, qui codicem Saxonicis partim litteris, partim Langobardicis ante annos septingentos exaratum describi curavit, ejusque exemplum accuratè ad autographum contulit, & emendavit. Hic ergo ex promtuario Cottoniano subjicio Eddii Stephani libellum tantopere quæsitum de vita S. Wilfridi, *cum autographi Saxonici mendis aliquot & lacunis: eique superaddo Fridegodi extremam partem, quæ in editione nostra, uti & in codice Corbeiensi, desiderabatur. Quid verò utilitatis ex Eddio Stephano perceptura sit respublica litteraria, facile quisque intelliget, tum ex ipsa operis istius lectione, tum ex Observationibus & Notis à me adhibitis.*

Hic editus.

4. Sed priùs agendum est de ipso auctore, ejusque scriptione: an scilicet Eddius S. Vvilfridi res gestas posteris mandaverit; tum an ea ipsa sit Eddii lucubratio, quam hic profero in lucem: ac demum quis fuerit iste Eddius.

Eddio auctori vindicatur.

5. De primo plana & aperta est Vvillelmi Malmesburiensis Monachi auctoritas. Is quippe in fine prologi libri tertii de gestis Pontificum Anglorum ait, se eo consilio ipsorum facta breviter describere, ut qui omnes Sanctorum vitas legere nequeat, hic deflorata utiliora inveniat. *quod maximè præstitit in Vvilfrido, de quo hæc subdit:* Itaque omissis longarum narrationum ambagibus, veritatem sequor; & quæ Stephanus Presbyter de Wilfrido magno verborum agmine egit, in compendium coartabo. *Viderat ergo Vvillelmus Stephani librum de Vita S. Vvilfridi, cui Stephano alterum nomen Eddio fuisse inferiùs patebit. Vvillelmo hac in re suffragatur Iohannes Pitseus in libro de illustribus Angliæ Scriptoribus, cujus testimonium postea adducam. Suffragantur etiam Lelandus, Usserius, Gaelus, & alii recentiores.*

6. Hanc verò quam subjicio, esse Eddii Stephani lucubrationem, quisque intelliget, qui Vvillelmi compendium cum hoc opere contulerit. Omnia enim ad amussim respondent, facta, dicta, epistolæ: ut nemo jure hac de re dubitare possit. Destituitur quidem (ut ingenuè fatear) codex Cottonianus antiqua nominis Eddii Stephani inscriptione: sed eam rectius supplevit eruditus vir Usserius Armachanus ex codice Sarensi, Eddii nomen præferente, ut mihi V. C. Thomas Gaelus litteris suis contestatus est. Adhæc, ea quam viderat Pitseus, Eddii Stephani scriptio, hortante Acca condita fuerat. id ipsum verò exhibet auctoris in subjectam Vitam præfatio, qua Accæ Hagulstadensi Episcopo, & Tatberchto Ripensi post Vvilfridum Abbati ejusdemque propinquo nuncupata est. Accedit quòd ex variis ejusdem Vitæ locis manifestum est, auctorem Vvilfridi æqualem ac familiarem fuisse, ejus exsilii ac Romani itineris participem. adeo ut omnes loci, temporis, ac personarum circumstantiæ apprimè Eddio Stephano conveniant, eique scriptionem hanc tribuendam esse persuadeant.

Quis Eddius.

7. Quis fuerit Eddius Stephanus, aperit Pitseus in hunc modum. Heddius, Stephanus cognominatus, natione Anglus, Ordinis S. Benedicti Monachus Cantuariensis, Congregationis Girbenoæ; à teneris annis ita in bonarum litterarum studiis enutritus, ut jam vir factus omnium scientiarum genere evaserit instructissimus: multa quidem, quantum invenire potui, non scripsit, sed illa tamen pauca puro, terso & elegante stilo exarata. Musicus insignis, & primus, teste Beda, præter unum Jacobum, cantandi magister in Nordhanhumbrorum ecclesiis. Illuc enim ex Cantia vocatus à Wilfrido venit, & psalmodiam docuit. Ratione virtutis & eruditionis multiplicis erat omnibus litteratis & piis illius temporis viris carissimus. Hortante Acca Hagulstadensi Episcopo soluta oratione politè scripsit *de vita S. Vvilfridi librum unum, de vita Eata & Tumberti librum unum.* De aliis mihi nihil certi constat. Claruit anno salutis restauratæ DCCXX, regnante in Northumbria Osrico. *Hactenus Pitseus, cujus testimonium aliis argumentis illustrare juvat. Et quidem Eddium à Vvilfrido ex Cantia accitum fuisse constat ex Beda lib. 4 cap. 2.* Sed & sonos cantandi in Ecclesia, quos eatenus in Cantia tantùm noverant, ab hoc tempore per omnes Anglorum ecclesias discere cœperunt: primusque excepto Jacobo (de quo suprà diximus) cantandi magister Northanhumbrorum ecclesiis Eddi, cognomento Stephanus, fuit invitatus de Cantia à reverendissimo viro Wilfrido, qui primus inter Episcopos, qui de Anglorum gente essent, catholicum vivendi morem Ecclesiis Anglorum tradere didicit.

8. Quo tempore id factum sit, indicat Eddius ipse in subjecta Vita cap. 14, ubi Vvilfridus sub annum DCLXV, cùm episcopalia officia per plura spatia *Cantuariæ egisset; inde* cum Cantatoribus Ædde & Æona in regionem suam revertisse cum Regula Benedicti *memoratur, nempe in provinciam Eboracensem; seu in Ripense Monasterium: ubi adjutore Eddia aquilonales cis, transque Vmbrum fluvium* populos juxta ritum primitivæ Ecclesiæ

consono

An. Chr. DCCIX. a DCCXXIV.

consono vocis modulamine, binis adstantibus choris, persultare *docuit; & in eisdem locis* vitam Monachorum secundùm Regulam sancti BENEDICTI Patris constituit, *ex ejusdem Eddii cap. 44. Ergo Eddius Cantuariæ Monachus erat, sive in cathedrali Ecclesia sancti Salvatoris, seu in suburbano S. Petri Cœnobio: quibus è locis Vuilfridus Regulam S. Benedicti ad Trans-Umbrenses Monachos cum aliquot ejus Regulæ professoribus, quorum præcipuus Eddius, invexit. Deinceps verò Eddius Vuilfrido comes individuus adhæsit, ut patet ex capitibus 48 & 57; cum eo profectus Romam ex capp. 26 & 49. eoque mortuo reliquum vitæ exegit in Monasterio Ripensi, quod probatur ex ultimo capite, ubi, præter cetera, Ripensem basilicam* nostram *vocat. Neque obstat, quòd Beda, & post eum Vuillelmus, Eddium dumtaxat* Presbyterum *appellant. Sic enim mos tum obtinebat, ut Monachi, qui Sacerdotio initiati erant, passim Presbyteri appellarentur, nunc quidem abjecto, nunc adjecto Monachi nomine. Sic beati Hieronymus & Beda, quos Monachos fuisse constat, hactenus solùm* Presbyteri *cognominantur. Denique Eddius in cap. 58 manifestè se Monachis adjungit, ubi ait vitæ inducias Vuilfrido apud* Meldum *ægrotanti cælitus fuisse concessas, ut Monasteriis sibi subjectis provideret*, ne nos, *inquit*, sine Abbatibus relinqueret. *Is est sine dubio Eddius seu Edda Presbyter, quo adjutore usus est Vuilfridus in Australium Saxonum conversione: cujus provinciæ* cùm primos duces ac milites sacro fonte ablueret *Vuilfridus*, Presbyteri Eappa, & Padda, & Burghelm, & EDDA ceteram plebem vel tunc, vel tempore sequente baptizabant, *apud Bedam in lib. 4 cap. 13. Ceterum insignem ubique modestiam exhibet iste auctor, cum agens de Theodoro ejusque successore Berthuvaldo, qui Vuilfridi, suique ipsius exsilii auctores, aut certè fautores fuerant, eos passim* sanctos & sanctissimos *appellat. Opus autem suum scribebat statim à Vuilfridi obitu, certè superstite Vuillibrordo Trajecti inferioris * Episcopo, qui anno* DCCXXXIX *ad superos abiit, uno ante Accam Hagustaldensem Antistitem, cui Eddii liber nuncupatus est.* * Vtrecht

9. *Ex his nemo non intelligit, quanta sit auctoritas istius Vitæ, ex qua cùm multa observatu digna, quæ in notas refero, deduci possint; tum duo insigniora inde colligo: videlicet testimonium omni exceptione majus de Dagoberti Austrasiorum Regis restitutione, mortis genere ac tempore: & argumenta pro Regulæ sancti Benedicti in Angliam propagatione, facta per Gregorii Magni discipulos, Augustinum & alios, atque per Vuilfridum ejusque sodales perfecta. Primum in hujusce tomi Præfatione uberiùs explicavi, alterum hic exponere operæ pretium est.* Libri hujus auctoritas & commoda.

10. *Vuilfridus apud Vuillelmum gloriatur*, se primum fuisse, qui verum Pascha in Northanimbria Scotis ejectis docuerit; qui cantus ecclesiasticos antiphonatim instituerit; qui sanctissimi BENEDICTI Regulam à Monachis observari jusserit. *Quibus verbis ad vitam Gregorii Magni relatis Socii Bollandiani hæc subinferunt*: Ubi quasi certum supponit Wilfridus, in aliis Angliæ Regnis cum vero Pascha & cantu ecclesiastico observatam fuisse sancti Benedicti Regulam. *quæ sanè illatio sincera ac legitima est. At dubitare fortasse poterant eruditi viri, num Vuillelmus ex seipso, an ex Eddio hæc verba Vuilfrido aptaverit. Verùm omnem ejus rei dubitationem adimit subjecti libelli auctoritas, in cujus cap. 44 Eddius ita Vuilfridum loquentem inducit.* Nonne & ego primus post obitum primorum Procerum à S. Gregorio directorum [curavi, ut] Scoticæ virulenta plantationis germina eradicarem; ad verumque Pascha & ad tonsuram in modum coronæ, quæ antea posterioris capitis ab vertice, secundùm Apostolicæ sedis rationem, totam Ultra-Umbrensium gentem permutando converterem; aut quomodo juxta usum primitivæ Ecclesiæ consono vocis modulamine, binis adstantibus choris, persultare responsoriis, antiphonisque reciprocis instruerem; vel quomodo vitam Monachorum secundùm REGULAM SANCTI BENEDICTI Patris, quam nullus ibi prior invexit, constituerem? *Vuilfridus tria hic asserit. Primum, se verum Pascha & tonsuram Romanam Trans-Umbranis populis persuasisse; deinde cantum etiam Romanum eo induxisse; ac tandem* vitam Monachorum secundùm Regulam sancti Benedicti Patris *instituisse; eaque omnia ait se præstitisse primum* post obitum primorum Procerum à S. Gregorio directorum. *Ergo sicuti Gregorii discipuli in illis partibus jam duo priora tentaverant; at perficere propter Scottorum contumaciam nequiverant: ita etiam Regulam S. Benedicti illarum partium Monachis imponere moliti sunt, sed irrito conatu; idque tandem Vuilfridi operâ perfectum est, qui eam Regulam primus* ibi invexit, *id est recipi ac observari tandem obtinuit. Itaque hæc verba*, quam nullus ibi prior invexit, *sic accipienda sunt, ut nemo ante Vuilfridum Regulæ Benedictinæ usum, praximque in Northumbrensia Monasteria invexerit; quam quidem Regulam Gregorii discipuli nequicquam ibidem (ut & Romanos ritus) commendaverant.* Regulæ S. Benedicti propagatio in Angliam hinc demonstratur.

11. *Verùm fac eam Regulam apud Northumbros nullatenus auditam, aut prædicatam à Gregorii discipulis fuisse; nequaquam tamen ejusdem Regulæ propagationi à nobis asserta id præjudicare poterit. Quippe Vuilfridus non ex Italia, non ex Gallia, non denique ex quibusvis exterorum Cœnobiis eam Regulam accepit: sed ex ipsa civitate Cantuaria, ubi eam*

An. Chr. DCC IX. April. XXIV.

Augustinus instituerat. Hujus rei luculentum habemus testem oculatum Eddium Stephanum, qui cùm Vuilfridi Episcopi ordinationem, & Cedda in ejus locum substitutionem retulit, eum in Cantiam profectum fuisse testatur his verbis cap. 14. Egbertus quoque Rex Cantuariorum religiosos Pontificem nostrum ad se accersivit, & illic Presbyteros multos, & non paucos Diaconos ordinavit. Deusdedit enim Episcopus post Honorium Archiepiscopum diem obiit. Ideo autem venerabiliter vivens, omnibus carus, episcopalia officia per plura spatia agens, cum cantatoribus Ædde & Æona, & cæmentariis, omnisque pæne artis ministerio in regionem suam revertens cum Regula Benedicti, instituta ecclesiarum bene melioravit. *Hinc manifestè conficitur, Vuilfridum Cantuariâ in regionem suam revertisse* cum Regula Benedicti; *ejusdemque Regulæ subsidio* instituta ecclesiarum bene meliorasse, *collaborante haud dubie Eddio, ut superius ostensum est. Ipsam igitur Regulam ex Cantia Monasteriis accepit, in quibus Augustinus, ejusque sodales eam instituerant. Neque enim dici potest, jam inde ab Augustini tempore (quod vix quinquaginta annis ab eo distabat) factam Regulæ mutationem: quippe cum post Gregorium id vetuisset Bonifacius Papa IV, nec ulla mutationis hujus assignari possit ratio, aut occasio. Denique* ecclesiarum *nomine superiùs Eddius intelligit Northumbrorum Monasteria, quorum* instituta *Vuilfridus meliorasse dicitur, nimirum sancti Benedicti Regulam ipsis præscribendo.*

12. Eodem loquendi modo usus est Venerabilis Beda in consimili argumento. nam in libro 4 cap. 4, ubi de Monasteriis à Colmano Episcopo in Scotia erectis agit, ait unum, cui Mageo *vocabulum erat, ædificatum fuisse, ibidemque* Anglos *collocatos. tum subdit:* Ipsum est, quod nunc grande de modico effectum, Mageo consuetè vocatur: & conversis jam dudum ad meliora institutis omnibus, egregium examen continet Monachorum; qui de provincia Anglorum ibidem collecti, ad exemplum venerabilium Patrum sub Regula & Abbate canonico in magna continentia & sinceritate, proprio labore manuum vivunt. *Cùm* instituta meliora *appellat, utique designat S. Benedicti Regulam, cujus ope Vuilfridus* instituta ecclesiarum *suarum* melioravit; *seu, ut ad Bedæ modum Eddii verba reducam, cujus ope ecclesias suas* ad meliora instituta convertit. *Id ampliùs declarat Beda sequentibus verbis, cùm ait Monachos illos Magenses jam vivere ad* exemplum venerabilium Patrum sub Regula & Abbate canonico. *Idem igitur est Bedæ* converti ad meliora instituta, *atque* vivere ad exemplum venerabilium Patrum sub Regula & Abbate canonico, *hoc est ad exemplum aliorum Monachorum, qui ritum Romanum sectabantur sub Regula S. Benedicti. Hanc enim Patrum Regulam vocat in Vuilfridi Epitaphio, ubi inter cetera ita canit.*

Paschalis qui etiam sollemnia tempora cursus
Catholici ad justum correxit dogma canonis,
Quem statuere Patres; dubioque errore remoto
Certa suæ genti ostendit moderamina ritus:
Inque locis istis Monachorum examina crebra
Colligit, ac monitis cavit quæ Regula Patrum
Sedulus instituit.

Totidem res, quas superiùs à se præstitas commemorat apud Eddium & Vuilelmum Vuilfridus, eâdem etiam aperit Beda, qui Regulam Patrum *à Vuilfrido in Monasteriis ditioni suæ subjectis institutam fuisse docet, hoc est* Regulam sancti Benedicti Patris, *uti explicat Eddius;* Regulam sanctissimi Benedicti, *ut Vuillelmus. Ergo quæ* Regula Patrum *Bedæ vocatur, ipsa est Benedicti Regula, quæ* Regula Patrum *appellatur, eo quòd sub ea antea vixissent, viverentque etiam tunc venerabiles Patres; uno verbo quòd sub ea Regula viveretur* ad exemplum venerabilium Patrum, *ut superiùs de Magensi Monasterio agens exposuerat Beda.*

13. Ex his quæ hactenus dixi, consequitur, Vuilfridum primum procurasse, ut apud Northumbros Regula S. Benedicti observaretur, nempe in Cœnobiis Lindisfarnensi, Ripensi, Undalensi, & aliis: eamque accepisse à Monachis, quos S. Augustinus in Cantuariensi Salvatoris basilica & in suburbano S. Petri Cœnobio instituerat. Quod quidem à me hactenus demonstratum certa (ut puto) ac evidenti Eddii Stephani auctoritate, quæ nulla tergiversatione eludi potest: cùm non solùm clara sit atque perspicua in rem nostram, sed & ab eo profecta auctore, qui proximos Augustini ejusque sodalium successores noverat, & cum iis fuerat educatus. Verùm de hac Regulæ nostræ in Angliam propagatione fusiùs actum est in singulari de Monachatu Gregorii Magni Dissertatione; quod argumentum hoc loco propter Eddii testimonium retractare visum est.

Berchterus Rex Campaniæ quis?

14. Antequam Eddii librum exhibeam, operæ pretium puto expendere, quis fuerit Berchtarus Rex Campaniæ, *ad quem Vuilfridus è Dagoberti aula digressus in Romano iti-*

An. Chr. DCC IX. April. XXIV.

nore accessit, ab eodem perhumaniter acceptus. Hunc Bertherum *vocant Fridegodus & Eadmerus;* Bertharium *Vuillelmus: hic* Ducem Provinciæ, *Eadmerus* Campaniæ *appellat. Olim suspicabar Bertharium hunc esse generum Varattonis, eodemque mortuo Majorem-domus Theoderici Regis, ut in continuatione Fredegarii legitur. At quo modo huic exsilium apud Hunnos, quod Berthero Vuilfridi tribuitur, atque Campaniæ Ducatum aptarem, mihi non suppetebat. Rem felicius mihi divinare visus est vir non minus sagacitate, quàm eruditione præditus, Hadrianus Valesius, Historiographus Regius, qui hunc locum de Berthari do Langobardorum Rege interpretandum censet. Quippe Berthari do ea, quæ de Berthero hic leguntur, apprime conveniunt, nomen scilicet ac dignitas, exsilium apud Hunnos, locus, tempus ac pietas. Nomen quidem, nam Langobardorum Rex* Berthari dus *appellatur à Paulo Vuarnefridi in libris de gestis Langobardorum, seu (ut aliæ lectiones proferunt)* Perthari tus, Parthari tus, *ac* Bertheri, *uti scribitur in optima editione, quæ Lugduni Batavorum anno* M D XCV *adornata est. Ex quibus nominibus postremum illud ipsum est, quod in Vuilfridi Actis* legimus; ubi *Berchterus Regis nomine donatur. Deinde Berthari do æquè competit exsilium apud Hunnos Avares. Is enim cùm apud Mediolanum regnaret, audita germani sui apud Ticinum imperantis nece per Grimoaldum Beneventanum Ducem illata,* ad Cacanum Avarum Regem *confugit, testante Paulo Vuarnefridi in fine lib. 4. Interim Grimoaldus utriusque fratris regno potitus, postquam comperit Berthari dum profugum Scythiam petiisse, &* apud Cacanum demorari; eidem Cacano per legatos mandavit, ut si Berthari dum in suo regno detineret, pacem quam Langobardis & secum hactenus habuerat, deinceps habere non posset. Hæc Avarum Rex audiens, accito Berthari do dixit ei, ut in quam vellet partem pergeret, ne propter eum Avares cum Langobardis inimicitias contraherent. Berthari dus verò hæc audiens, Italiam ad Grimoaldum reverteus repetit. audierat enim eum clementissimum esse. *Ita Paulus in lib. 5 cap. 2. His consimilia loquuntur in subjecta Vita cap. 27. hoc solùm discrimine, quòd nuntii à Berchterino ulo ad Hunnorum Regem missi, premiserunt eidem Regi* dare solidorum aureorum modium plenum, si *Berchterum* illis ad interneccionem dedisset. *Eidem Berchtero etiam convenit locus, ubi Berthari dum regnabat. Siquidem Vuilfrido è Gallia Romam tendenti Liguria pervia erat, quæ Berthari di regni maxima portio fuit. Convenit etiam tempus. Vuilfridus quippe anno* DCLXXIX. *Romam adibat, cùm benignè acceptus est à Berchtero seu Berthari do, qui Grimoaldo ante sex annos mortuo in regnum suum restitutus erat. Denique Paulus Vuarnefridi Berthari dum* virum pium, fide catholicum, justitiæ tenacem, pauperumque largissimum nutritorem *vocat in lib. 5 cap. 33. quod rectè quadrat facto Berchteri, qui Vuilfridum humanissimè excepit.*

15. *Ex Eddii ac Pauli Diaconi, Vuillelmi, Fridegodi & Eadmeri relationibus simul collatis intelligitur, Caganum Hunnorum Avarum nec precibus, nec oblatione ingentis pecuniæ, nec comminatione belli ad tradendum profugum & supplicem, vel ad violandam fidem, quam misero Principi Perthari to per deos patrios promiserat, à Grimoaldi legatis adduci potuisse: ipsum autem ne causa calamitatis aut belli Cagano receptori suo esset, Grimoaldi inimici sui, à quo regno pulsus fuerat, fidei temere se se commisisse, ac mox metu mortis ad Francos confugisse.*

16. *Dicet aliquis: Cur igitur Berthari dus* Rex Campaniæ *ab Eddio vocatus est, si Rex Langobardorum erat? aut quod usquam tunc in Europa* regnum Campaniæ *memorat historia? Nam Campania Italica, ubi Capua & Neapolis, maxima ex parte Imperatoribus parebat; Campania Gallica ad Reges Francorum Austrasiorum pertinebat. Existimat V. C. Hadrianus Valesius Campaniæ nomine ab Eddio Stephano designari Transpadanam Italiam sive Liguriam, maximam regni Langobardici provinciam, Mediolano, Ticino, Como, Laude Pompeia, Augusta Taurinorum, Eporedia, Vercellis, Novaria, aliisque claris urbibus inclytam: per quam Vuilfrido ex Austria Romam proficiscenti iter faciendum fuit. Liguriam autem Eddio homini extero, verum remotissimæ regionis nomen ignoranti, dictam esse* Campaniam *à planitie camporum, arvorum videlicet atque pratorum, longè lateque diffusa: sicut Campania Remensis aut Gallica, & Campania Italica à latissimis campis nomen invenit. Berthari dum porro Francorum in patriam confugisse memoriæ tradidit Paulus Diaconus in lib. 5 cap. 4. idemque capito insequenti Francorum exercitum è Provincia, duce haud dubiè Berthari do, egressum, & à Grimoaldo victum in Italia, fusumque commemorat. Sed mortuo demum Grimoaldo Berthari dus ex Gallia in Italiam rediit, & magno Langobardorum favore in regnum paternum, immo verò & suum est restitutus: atque post aliquot annos jam senex Vuilfridum per fines suos Romam tendentem excepit. Hæc cùm apud Paulum legisset Vuillelmus Malmesburiensis Monachus, Perthari tum,* Bertharium Ducem Provinciæ, *quàm cum Eddio* Regem Campaniæ *appellare maluit. Sic dum errorem vitare se putat, in errorem incidit. Eadmerus quoque novo & insolito* Regis Campaniæ *titulo ab Eddio deceptus, persuasit sibi, Perthari tum à Rege Francorum, ad quem confugerat, præfectum esse Campaniæ Gallicæ, regni Francici provinciæ, cujus rectores à nostris Duces tum appellari consueverant. Quam ob rem*

dum Eddium corrigere vult, ipse graviter erravit, & Perthaeridum, non, uti Eddius, Regem Campaniæ, *sed* Bertherum Campaniæ Ducem *nuncupavit. Hac me monuit Hadrianus Valesius, quæ Vitæ Vvilfridi præfigere operæ pretium duxi. Confer hujusce tomi Præfationem sub finem, & adnotationem in caput 27 sequentis Vitæ.*

An. Chr. DCC IX. April. XXIV.

PRÆFATIO.

De humili excusatione scribentis.



RÆCEPTORUM vestrorum magnitudine, ô venerabiles domini ACCA Episcopus, & TATBERTUS Abbas, & totius familiæ ambitu superatus, utinam ut tam effectu parêre valeam, quàm voto. Est enim & hoc opus arduum, & meæ intelligentiæ & eloquentiæ facultas exigua: quæ tamen, etsi ministerium minimè exploret injunctum, certè debitum obedientiæ exsolvit obsequium. Maximum enim indicium meæ erga vos reverentiæ est, imperiis vestris amplius me impendere voluisse, quàm possem. Quòd, si dignum aliquid vestræ electioni confecero, id erit profectò divini muneris: quia nec dubitatur ipsorum fide perficiendum, quorum est adhortatione susceptum. Quis namque non intelligit vestris orationibus præsumtum esse, quod etiam per me creditis implendum? Etenim ingens mihi lucrum & utilitas hoc ipsum, quod beatæ memoriæ WILFRIDI Episcopi recordor. Est siquidem perfecta via ad virtutem, illum scire quis fuerit. Ideo ut breviter dicam, omnia quæ de eo sermo referentium jactavit, credite, & minima vos æstimate de maximis audivisse: quia non ambigo nec eos potuisse omnia cognoscere. Obsecro itaque eos qui lecturi sunt, ut fidem dictis adhibeant, relinquentes antiqui hostis millenos invidiæ stimulos, & recolentes quod eloquentia pertonabat. Semper enim in propatulo fortitudo æmulos habet; feriuntque summos fulgora montes. Neque enim me quicquam audaci temeritate, nisi quod compertum & probatum à fidelibus sit, scripsisse arbitrentur: alioquin tacere, quàm falsa dicere maluissem. Cœptum orationibus vestris nos iter carpamus.

CAP. I. *De nativitate S.* WILFRIDI *& prodigio.*

IGITUR beati Wilfridi Pontificis, Deo adjuvante & sanctis ejus meritis, vitam scribere exordiar, quem Dominus secundùm egregii Doctoris sententiam præscivit, & prædestinavit, vocavit, & justificavit, & glorificavit. De utero enim matris suæ valde religiosæ ita eum sanctificatum à Deo prodigium demonstravit, sicut Hieremias audivit à Domino dicente: *Priusquam te formarem in utero, novi te, & antequam exires de vulva, sanctificavi te, prophetamque in gentibus posui te.* Nam cùm mater ejus dolore parturientis fatigara in domo sua jaceret, & mulieres circa eam mansissent, viderunt viri foris stantes domum illam extemplo quasi ardentem, & flammam usque ad cælum elevatam. Omnes undique concito cursu pavidè advenerunt, flammam minuere aquis, hominesque de incendio eripere cupientes. quibus mulieres de domo obviarunt dicentes: Sustinete stabiliter exspectantes. ecce modò infans huic natus est [a] mundo. Illi verò stupefacti videntes magnalia Dei, sicut Moyses in rubo vidit flammam sonantem, nihilque consumentem, agnoverunt Nos autem, fratres, frequenter legimus Spiritum-sanctum in igne apparuisse, quia Deus ignis est, consumens pec-

Hierem. 5.

a Nempe *anno Incarnationis* DC XXXIV, *regnante in Cantia Eadbaldo*, Ethelberti *Cantuariorum Regis filio*, ut scribit Eadmerus. Et rectè. siquidem Vvilfridus anno DCC IX vitam absolvit annos natus LXXVI, ex Eddio infrà.

catores, & illuminans justos. Quod lumen non sub modio, sed super candelabrum Dominus poni jussit: & hoc per beatum Wilfridum Episcopum omnibus pæne Britanniæ ecclesiis palam effulsit, sicut præsagi futurorum præviderunt, & rei eventus postmodum probavit. AN. CHR. DCCIX. APRIL. XXIV.

II. *De eo quòd in pueritia Deum elegerit.*

CUM ergo puerilis ætatis esset, parentibus obediens, omnibus carus, pulcher adspectu, bonæ indolis, mitis, modestus, stabilis, nihil inane cupiens more puerorum, sed secundùm Apostolum Jacobum velox ad audiendum, tardus ad loquendum; omnibus in domum patris *Iac. 1. 19.* sui venientibus humiliter aut regalibus sociis, aut eorum servis semper edoctè ministravit, ut secundùm Prophetam omnes Dei docibiles essent. Postremo tamen XIII anno in corde suo cogitabat paterna rura deserere, dona cælestia quærere. Privigna [a] enim, matre sua mortua, molesta & immitis erat; tamen arma & equos, vestimentaque sibi & pueris ejus adeptus est, in quibus regalibus conspectibus aptè stare posset. Cumque benedixisset eum pater ejus, sicut Isaac Jacob, & Jacob filios suos, ut cresceret in multa millia populorum; pergens itinere suo, usquedum inveniret Reginam [b] Regis OSWIN, nomine EANFLED, & pernobiles viros, quibus antè in domo patris sui ministrabat, laudatus, præsentatusque est Reginæ, statim Deo adjuvante, invenit gratiam in conspectu illius: erat enim decorus adspectu & acutissimi ingenii: & concedit ei quod petierat, ut sub suo consilio & munimine Deo serviret. Tunc quidam nobilis eo tempore ex sodalibus Regis, valde sibi amabilis & fidelis, CUDDA per * nomen, sæcularia desideria contemnere propter infirmitatem paralysin, cœnobialemque vitam sub regulari disciplina in Lindisfarna arripere maluit. Cui Regina supradicta puerum nuper ad se venientem diligenter commendavit, ut sibi ministraret, & Deo serviret. Jam enim ille secundùm præceptum Reginæ accepta diligenti ministratione, domino [c] suo & omnibus senioribus in Monasterio quasi filius, & coætaneis quasi frater, statim in amore factus est, pro eo quòd omnem regularem vitam cum intimo cordis amore in humilitate & obedientia adimplere nitebatur, & omnem Psalmorum seriem memorialiter, & aliquantos libros didicit. Adhuc enim laïcus capite [d], corde verò à vitiis circumcisus Deo serviebat, & partem cum Samuele Heli Sacerdoti ministrante benedictionis accipere meruit.

* *f. cui*

III. *De eo quòd amaverit S. Petri Apostoli limina videre.*

DEINDE post circulum annorum, suggerente Spiritu-sancto, appellare & videre sedem Apostoli Petri & Apostolorum principis, adhuc inattritam [e] viam genti nostræ temtare in cor adolescentis supradicti adscendit, ab ea omnem nodum maculæ [f] solvendum sibi credens,

[a] Novercam interpretatur Fridegodus Poëta.

[b] Sic *Reginam Regis* pro uxore Regis passim appellant mediæ ætatis scriptores, & ipsiâ sæpius hic Auctor, ut capitibus 23, 33, 34. De Oswio Northumbrorum Rege sæpius in consequentibus agendum.

[c] Scilicet Coddæ, ut infrà cap. 3, seorsum suum *Domino suo enotuisse* dicitur. An Tuda, qui recedente Colmanno, ut hic legitur cap. 10, suscepit Episcopatum Lindisfarnensem, apud Bedam in lib. 3 cap. 26 & 27.

[d] Id est *needum quidem adhuc attonsus*, apud Bedam, in lib. 5 cap. 20.

[e] En epocha peregrinationum Romanarum apud Britannos, qui postea certatim ad Apostolorum limina convolarunt; paullo seriùs Scoti & Hiberni, ob discordiam rituum patriorum à Romanis, si quosdam excipias antiquiores, ex quibus S. Patricius Hiberniæ Apostolus, qui sæculo v istuc profectus est.

[f] Erat ergo jam tum persuasio indulgentiæ gratiam contingere his, qui religionis causâ ad limina Apostolorum peregrinabantur. Hinc Beda in lib. 4 cap. 23, de Ostfordo Episcopo agens, *etiam Romam*, inquit, *adire curavit, quod eo tempore magnæ virtutis æstimabatur.*

An. Chr. DCC IX. April. XXIV. & beatitudinem benedictionis accipiendam. Hunc talem sensum domino suo enotuit. qui statim, ut erat sapiens, suggestum à Deo esse cognoscens, consensum dedit filio carissimo omnis boni caput accipere. Tunc autem cum consilio patris sui ac Eanfledę Reginæ, ad suum proprium propinquum [a] Erconbertum Regem Cantuariorum per nuntios diligenter commendatus, & honorificè emissus, ut tamdiu esset cum eo, usque dum fideles socios itineris ad Apostolicam sedem tendentes inveniret. Rex verò venientem servum Dei ad se videns, juxta consuetudinem suam in orationibus & jejuniis, in lectione & vigiliis semper occupatum mirificè diligebat. Psalmos namque, quos priùs secundùm Hieronymum [b] legerat, more Romanorum juxta quintam editionem memorialiter transmutavit. Anni vertente quoque die, Rex secundùm petitionem Reginæ languentis tædio, ducem nobilem & admirabilis ingenii quemdam, nomine Biscop Baducing, [c] inveniens ad sedem Apostolicam properantem, ut in suo comitatu esset, adquisivit. Perrexit igitur servus Dei cum benedictione parentum suorum ad peregrinationem, sicut Jacob; quæ eis peregrinantibus demum in bonum contigit. Omnibus affabilis, mente sagax, corpore strenuus, pedibus velox, habilis ad omnę opus bonum, tristia ora numquam contraxit; alacer & gaudens navigio secundè Lugduno Galliæ civitati pervenit; ibique cum suis sociis aliquod spatium mansit, decedente ab eo austeræ mentis duce; sicut à Paulo Barnabas propter Johannem recessit, qui cognominabatur Marcus.

IV. *Deeo quòd* Dalfinus *Episcopus S. Vvilfridum benignè acceperat.* [d]

Benedictus Deus, qui servos suos defendit, & protegit, & per bonorum auxilia adjuvabit. Nam in supradicta civitate sanctæ memoriæ Dalfinus [e] Archiepiscopus erat, qui super servum Dei mirifsimum Wilfridum posuit oculos suos in bonum, & benignè eum sociis suis hospitio susceperat, videns in facie serena, quòd benedictam mentem gerebat; ideoque omnia illis necessaria, quasi proprii sui essent, abundare fecit, & sibi illum adoptivum filium eligere voluit, dicens ad eum: Si manseris mecum fiducialiter, dabo tibi bonam partem Galliarum ad regendum in sæculum, virginemque filiam fratris mei in uxorem; & te ipsum adoptivum filium habebo, & tu me patrem in omnibus fideliter adjuvantem. Et respondens sanctus Wilfridus servus Dei sapienter, sicut erat edoctus, dixit: Sunt vota mea Domino quæ reddam, relinquens ut Abraham cognationem & domum patris mei, ut visitem sedem Apostolicam, & ecclesiasticæ disciplinæ regulas didicerim in augmentum gentis nostræ, ad serviendum Deo; desiderans à Deo recipere, quod diligentibus se promisit, dicens: *Qui reliquerit patrem, aut matrem*, & teliqua, *centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Jam enim vita comite, Deo adjuvante, si vixero, iterum revertens videbo faciem tuam. Hæc & alia audiens sanctus Episcopus, veraciter servum Dei esse, & à Spiritu sancto im-

Math. 19. 29.

[a] Id est Eanfledæ Reginæ, cujus avunculi filius erat Ercombertus, ex Beda & Eadmero. Certè Eanfledæ mater erat Ethelburga, filia Ethelberti, soror Eadbaldi: qui proinde Eanfledæ avunculus erat.

[b] Huc spectat id quod ait Vvalafridus Strabus in lib. de rebus ecclesiasticis cap. 25. *Psalmos cùm secundùm LXX Interpretes Romani adhuc habeant; Galli & Germanorum aliqui secundùm emendationem, quam Hieronymus Pater de LXX editione composuit, Psalterium cantant, &c.* Confer Hincmari locum in tomo 2 pag. 153.

[c] Sic Benedictum, cognomento Biscopum, cujus Vita in Sæculo 2 relata est, Fridegodus itidem appellat, usus (ut videtur) hujus lectione auctoris, etsi eum nusquam laudat.

[d] Sic infrà, *hospitio susceperat*, pro *suscepit*. Idiotismus Anglis scriptoribus familiaris, ut notavi ad Alcuini librum de vita S. Vvillibrordi cap. 8, ad annum 739.

[e] Ita Lugdunensem istum Pontificem appellat Beda, & post eum atque Eddium Fridegodus, Eadmerus, Vvillelmus: qui quidem Dalfinus non alius videtur fuisse ab Aunemundo, infrà. Erat ergo binominis Dalfinus.

butum intellexit: præparans sibi necessaria, in pace Christi secundùm voluntatem ejus, cum ducibus & opibus, ad sedem Apostolicam emisit. AN. CHR. DCC IX. APRIL. XXIV.

V. *De eo quòd ad S. Petrum Apostolum benedictè pervenit.*

SERVUS igitur Dei Wilfridus ad sedem olim optatam Apostoli Petri & principis Apostolorum gaudens & gratulans cum sociis suis prosperè pervenit. Sicut Doctor gentium excellentissimus pergens Hierosolymam ad discipulos Domini, ne fortè in vacuum cucurrisset: ita & iste humillimus gentis nostræ igniculus, excitante Deo, à finibus terræ audire sapientiam Præsulum mundi Romam venit; & in oratorio sancto Andreæ Apostolo dedicato, ante altare, supra cujus summitatem quatuor Evangelia posita erant, humiliter genuflectens, adoravit * in nomine Domini Dei Apostolum, pro quo passus est, ut pro sua intercessione Dominus ei legendi ingenium, & docendi in gentibus eloquentiam Evangeliorum concedisset. & sic factum est, ut multorum testimonio comprobatur. Nam per multos menses loca Sanctorum omni die ad orationem circumiens, invenit[a] doctorem sibi amicum, per Deum & Apostolum, fidelem factum, nomine BONIFACIUM, Archidiaconum, unum ex Consiliariis sapientissimum: à quo quatuor Evangelia Christi perfectè didicit, & paschalem rationem, quam schismatici Britanniæ & Hiberniæ non cognoverunt; & alias multas ecclesiasticæ disciplinæ regulas Bonifacius Archidiaconus, quasi proprio filio suo, diligenter dictitavit. Nam postremò præsentavit eum Papæ beatæ memoriæ, & omnem causam itineris adolescentuli servi Dei mirabiliter ostendit: qui ponens manum suam benedictam super caput ejus, cum oratione benedixit eum. Ille verò servus Dei cum reliquiarum sanctarum, quas illic invenit, auxilio, in pace Christi profecturus, iterum ad patrem suum Archiepiscopum Lugduno Galliæ civitatis commodè pervenit.

* oravit

VI. *De eo quòd à* DALFINO *Episcopo tonsura Petri Apostoli formam accepit.*

INVENTO igitur DALFINO Archiepiscopo sospite & sano, gratulabundus ad patrem ingreditur, & per ordinem servus Dei Wilfridus beatitudinem ei itineris sui omnem narravit: & Episcopus gratias agebat Deo, quòd filium suum incolumem pergentem iterum * revertentem Dominus custodivit. Nam per tres annos simul cum eo mansit, & à doctoribus valde eruditis multa didicit; & amor magis ac magis crescebat inter eos. Etenim servus Dei Wilfridus desiderio concupiscens tonsuræ Petri Apostoli formulam, in modum coronæ spineæ caput Christi cingentis, à sancto Dalfino Archiepiscopo libenter suscepit. Manus suas Sanctus super caput ejus ponens, cogitabat in corde suo illum habere post se heredem, si sic Deus voluisset, aliquid enim * melius genti nostræ Deo providente. Nam illo tempore malevola Regina, nomine BRUNECHILD[b], Ecclesiam Domini persecuta est, sicut impiissima Regina Jezabel, quæ

* f. item et

* f. jam

[a] Beda, *Pervenit*, inquit, *ad amicitiam viri sanctissimi ac doctissimi Bonifacii, videlicet Archidiaconi, qui etiam Consiliarius erat Apostolici Papæ*, Martini, qui anno DCLV martyrio affectus est, an Eugenii ejus successoris?

[b] Balthildem habet Beda in emendatioribus codicibus mss. & in Aluredi versione Saxonica; habent etiam Vvillelmus, & Fridegodus in codice Corbeiensi, tametsi *Brunhild* legitur in Cottoniano. Et certè jam dudum vivere desierat Brunechildis. Balthildem haud dubiè scripserat Eddius, sicque apud Eddium legerat Vvillelmus: sed librarius hujus piissimæ Reginæ sanctitate adductus est, ut istius facti invidiam ad Brunechildem, cujus apud veteres memoria ob crudelitatem malè audit, rejiceret. Idem error in Bedæ libros editos, præterquam in editionem Abrahami Vvheloci Latino-Saxonica, irrepsit, ac deinum in plerosque recentiores. Qui porro sint novem illi Episcopi, quos à Balthilde, id est, Ebroino sub Balthildis regimine, caesos fuisse memorat hic auctor, non facile est numerare præter Sigobertandum Parisiorum (ut putant) Episcopum, de quo in Actis S. Balthildis, & S. Leodegarium, quem Ebroinus occari jussit post secessum Balthildis in Kalense Monasterium.

An. Chr. DCC II. April. XXIV. Prophetas Domini occidit: ira ista, exceptis Sacerdotibus & Diaconibus, novem Episcopos occidere jussit: ex quibus unus est Dalfinus iste Episcopus, quem Duces malignissimè ad se venire jusserunt. Ille verò intrepida mente, nesciens quid esset sibi futurum, ad agonis locum [a] pervenit, simulque cum eo sanctus Wilfridus servus Dei, Episcopo tamen prohibente. qui gaudens dixit: Nihil melius est nobis, quàm pater & filius simul mori, & esse cum Christo. Jam enim sanctus Episcopus martyrio coronatus est. At verò cum Sanctus Wilfridus spoliatus, & pariter ad palmam martyrii intrepidus staret; Duces interrogaverunt, dicentes: Quis est iste juvenis formosus, qui se præparat ad mortem? dictumque est illis: Transmarinus de Anglorum gente ex Britannia. Iterumque dixerunt: Parcite illi, & nolite tangere eum. Ecce jam sanctus Wilfridus noster nunc confessor factus est, sicut Johannes Apostolus & Evangelista in dolio oleo fervente inlæsus sedebat, & venenum mortiferum bibebat, & nihil ei nocuit. de quo, & Jacobo Apostolo fratre ejus Jesus dixit: *Vos potestis calicem bibere, quem ego bibiturus sum, &c.* Matth. 20. 22.

VII. *De eo quòd invitatus est ab Aluchfrido.*

TUNC eo tempore sanctus Wilfridus confessor patre suo honorificè sepulto, cum multiplici benedictione & reliquiarum sanctarum auxilio navem adscendens, flante vento secundùm desiderium nautarum, ad regionem suam prosperè in portum salutis pervenerunt. Audiens autem EALFRIDUS [b], qui cum Oswin patre suo regnabat, talem servum Dei cum suis sociis de Apostolica sede venisse, & verum Pascha prædicantem & sancti Petri Apostoli Ecclesiæ disciplinam multiplicem didicisse, quàm maximè Rex diligebat, suadente sibi fideli amico COENVALCHO occidentalium Saxonum Rege: & ideo ad se venire jussit. Veniens ergo sanctus Wilfridus ad Regem invitantem se, pacificè salutavit eum dicens: JESUS-CHRISTUS filius Dei præcepit discipulis suis & principi eorum Petro Apostolo: *Domum in quamcumque intraveritis, dicite: Pax huic domui.* Hujus pacis fundamenta primum inter corpus & animam in nobis ponere debemus, ut Doctor gentium prædicavit dicens: Pax Christi exsultat in cordibus vestris. deinde inter nos & proximos pacem habere Jesus-Christus præcepit dicens: *Habete sal in vobis, & pacem habete inter vos.* Postquam autem finiit prædicationis verba, humiliter Rex prosternens se ante pedes, suscepit verba servi Dei electi, & petiit ab eo benedictionem. videbatur enim ei quasi angelus Dei loqueretur. Deinde benedixit ei, & mutuò loqui cœperunt, interrogans eum prudenter, sicut erat sapiens, de disciplina diversa Romanæ Ecclesiæ constitutionis. Ille verò, ut erat edoctus sermone perspicuo, scienter in omnibus respondit. Postea Rex adjuravit eum per Dominum & per sanctum Petrum Apostolum, ut esset cum eo: & sibi & omni populo, organo spiritali se canente, verbum Dei prædicaret. Ille verò intelligens amorem Regis in eum, consensit ei esse cum eo. Tunc enim mirificè anima utriusque in alterum conglutinata erat, sicut animam David & Jonathæ in alterum compaginatam legimus.

Matth. 10.

Matth. 9. 50.

[a] Cabillonum scilicet, ubi jussu Ebroïni Majoris-domus Franciæ Annemundus necatus dicitur III Kal. Octob. Ebroïni factum ad Balthildem, quæ tum mortuo marito Clodoveo regnum administrabat, aut potiùs sub ea Ebroïnus, ab exteris traductum est, ut in ipsius Balthildis Vita observatum Sæculo secundo. Dalfini seu Annemundi cædes contigit sub annum DCLVII.

[b] In titulo ALUCFRIDUS, aliis *Alfridus* seu *Alhfridus*, quem Beda Alchfridum appellat in lib. 3 cap. 23, 24, 25, & 28, distinguitque ab Aldfrido ejusdem Regis Osvvii seu Osvvini putatitio filio, ut observavi ad annum 724, ubi de sancta Cuthburga Abbatissa. De Aldfrido infrà cap. 41 & seqq.

VIII.

An. Chr. DCLXI. Aprilis XXIV.

VIII. *De eo quòd dedit ei* ALUCFRIDUS, *Cœnobium in HRypis.*

DEINDE postquam de die in diem inter eos amor augebatur, ALFRIDUS dedit primùm sancto Wilfrido confessori terram x tributariorum Æstanforda *, & post paullulum Cœnobium in HRipis [a] cum terra xxx mansionum pro animæ suæ remedio concessit ei, & Abbas ordinatus erat. Jam enim sicut ei sæculi hujus lata janua per Dominum aperiebatur, & per sanctum Petrum Apostolum: ita largè crescebat ei porta aperta eleemosynis pro Domino in pauperes, pupillos ac viduas, omnique languore infirmitatis colligatos, ostendens perspicuè, quid animo gerebat in paupertate. Ecce jam, fratres, videte & admiramini, quam magnum bonum Deus Regi concessit, qui invenit bonam margaritam, & statim sine mora comparavit eam. Non solùm autem Alhfridus Rex sanctum Wilfridum Abbatem diligebat: sed omnis populus nobiles & ignobiles eum habebant quasi Prophetam Dei, ut erat.

* hodie *Eastanfeild*

IX. *De eo quòd ab* ÆGILBERTO *Episcopo Presbyter ordinatus est.*

IN illis autem diebus veniens ÆGILBERTHUS [b] Episcopus transmarinus ad Regem Oswin & Alhfridum filium ejus, visitavit eos; indicavitque ei Alhfridus Rex de sancto Wilfrido Abbate ab Apostolica sede venienti, sicut illi nunciatum erat ab his, qui eum bene noverant, dicens virum esse humilem & quietum, in jejuniis & orationibus occupatum, benignum, sobrium, modestum, misericordem, plenum auctoritatis & gratiæ Dei; pudicum, prudentem, non vinolentum, docibilem, & bene docentem sermone puro & aperto. ideoque rogo te, ut imponas super eum Presbyteri gradum, & sit mihi comes individuus. Episcopus autem respondit ei prophetico spiritu: Talis utique debet Episcopus fieri. Et eum secundùm præceptum Regis in Rypis Presbyterum ordinavit. Sicut enim David, puer electus à Domino, erat per Samuelem unctus dona Prophetæ cipere post multas tribulationes; ita meruit & sanctus Wilfridus Presbyter post multas benedictiones Sanctorum Dei, & tam multiplices donationes coram Deo & hominibus, quam * enumerare nullus potest, Deo concedente & in angustiis custodiente accepit.

* l. quas

X. *De conflictu Wilfridi Presbyteri contra Colmannum Episcopum.*

QUODAM tempore in diebus COLMANNI Eboracæ civitatis Episcopi Metropolitani, regnantibus Oswin & Alfrido filio ejus, Abbates & Presbyteri, omnesque ecclesiasticæ disciplinæ gradus simul in unum convenientes [c] in Cœnobio, quod *Streaneshel* dicitur, præsenti Sancta-Moniali piissima HILDA, præsentibus quoque Regibus, & duo-

[a] *Monasterium quadraginta familiarum* dicit Beda in lib. 3 cap. 25. *quem videlicet locum* Rex *paullo ante iis qui Scottos sequebantur, in possessionem Monasterii dederat.* Si Cœnobium ibi à Scottis jam constitutum erat, illud ipsum de novo condidit Wilfridus, uti ipse in epistola ad Johannem Papam testatur, infrà cap. 47.

[b] Erat is natione Gallus, *Gewissorum*, id est occidentalium Saxonum, teste Beda, Episcopus, dein Parisiorum, ipsi, aliis Angilbertus, Eadmero Ailbertus. Eum ex Scotia tum venisse lego apud Willelmum, cui Fridegodus praisse videtur. Is *anno* DCL *West-Saxonum Episcopatu potitus est*, ut lego in Chronologia Saxonica, quæ exstat in appendice ad Bedæ Historiam editionis Cantabrigiensis anni 1643.

[c] Anno DCLXIV, ex Bedæ lib. 3 cap. 26. Corrigenda proinde Chronologia Saxonica, ubi Agilbertus anno DCLX West-Saxonum Episcopatum deseruisse, & Parisiensem suscepisse memoratur. Attamen certum est Agilbertum statim atque absolutus est hic conventus, in Galliam remeasse, & Parisiorum sedem obtinuisse: siquidem eodem anno DCLXIV, is jam Parisiensis Antistes Wilfridum Episcopum Compendii ordinavit, infrà.

An. Chr. DCC IX. April. XXIV. bus, Colmanno & Ægelberhto Episcopis, de paschali ratione conquirebant, quid esset rectissimum, utrum more Britonum & Scottorum, omnisque aquilonalis partis, à XIIII Luna dominica die veniente usque ad XXII Pascha agendum: an melius sit ratione sedis Apostolicæ à XV Luna usque XXI Pascha esset Dominicâ celebranda. Tempus datum est Colmanno Episcopo primùm, ut dignum erat, audientibus cunctis reddere rationem. Ille autem intrepida mente respondens dixit: "Patres nostri & antecessores eorum manifestè Spiritu sancto inspirati, ut erat Columcille, XIIII Luna die Dominica Pascha celebrandum sanxerunt, exemplum tenentes Johannis Apostoli & Evangelistæ, qui supra pectus Domini in cæna recubuit, & amator Domini dicebatur. Ille XIIII Pascha celebravit; & nos, sicut discipuli ejus Polycarpus & alii, ea fiducia celebramus: nec hoc audemus pro patribus nostris, nec volumus mutare. Nostræ partis detuli sententiam, vos vestram dicite." Imperatum est ab Ægelberto Episcopo transmarino & Agathone Papa[a], Presbytero sancto Wilfrido & Abbati suaviloqua eloquentia in sua lingua Romanæ Ecclesiæ & Apostolicæ sedis dare rationem. Ipse verò humiliter, ut erat, dicens respondit. "Hanc quæstionem olim in Nicæa Bithyniæ civitate Patres nostri sanctissimi & sapientissimi CCC XVIII congregati in unum mirificè investigaverunt, & statuerunt inter alia judicia XVIIII anno circulum Lunæ in se revertentem, qui numquam ostendit quòd in XIV Luna Pascha faciendum sit. Hæc ratio disciplinæ Apostolicæ sedis est, & pæne totius mundi; & sic dixerunt Patres nostri post multa judicia: Qui unum ex his condemnaverit, anathema sit." Tunc Oswin Rex tacente sancto Wilfrido presbytero subridens, interrogavit omnes dicens: Enuntiate mihi, utrum major est Columcille, an Petrus Apostolus, in regno cælorum? Omnis Synodus una voce & consensu respondit: Hoc Dominus dijudicavit qui dixit: *Tu es Petrus &c. tibique trado claves regni cælorum, &c.* (Matth. 16.) Iterum Rex sapienter dixit: Ille est ostiarius & claviclarius, contra quem colluctationem controversiæ & judiciorum ejus in vita mea non facio, nec facientibus consentio. Colmannus verò Episcopus audiens quid esset faciendum, tonsuram & Paschæ rationem propter timorem patriæ suæ contemsit, ut recederet, & alii meliori sedem suam occupandam relinqueret: & sic fecit.

XI. *De electione Vvilfridi in Episcopatum.*

Reges deinde concilium cum sapientibus suæ gentis post spatium inierunt, quem eligerent in sedem vacantem, qui voluisset sedis Apostolicæ disciplinam sibi facere, & alios docere, & esset dignus moribus, & Deo acceptabilis, & hominibus amabilis. Responderunt omnes uno consensu: Neminem habemus meliorem & digniorem nostræ gentis, quàm Wilfridum Presbyterum & Abbatem, quem in omnibus rebus sapientem esse cognovimus, & talem esse, qualem Paulus Apostolus ad Titum scribens docuit (Tit. 1): *Oportet Episcopum sine crimine esse, ut Dei dispensatorem: non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non litigiosum, non turpe lucrum sectantem: sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem, amplectentemque eam quæ secundùm Deum est doctrinam; fidelem in sermone, ut potens sit exhortari ad doctrinam, & contradicentes revincere.* Hæc omnia secundùm Apostoli judicium iste habet. & ideo eum eligimus in perfecta ætate ad legem Dei docendam. Erat enim ita homo ille electus, si-

a Forsan legendum *Agathone Presbytero, sancto Vvilfrido Presbytero & Abbati.* Certè Agilbertus in eo conventu *Presbyterum, nomine Agathonem, secum habuisse* perhibetur apud Bedam in lib. 3 cap. 25. Librarius forsan id accoluit ad Agathonem Papam, de quo inferius.

cut Johannes præcursor Domini & Ezechiel propheta, XXX annorum ætatis. Tunc quoque consenserunt Reges & omnis populus huic electioni: & sancto Wilfrido Presbytero omnis conventus in nomine Domini accipere gradum episcopalem præcepit. Ille autem primo abnuens, non esse se dignum excusavit: postremo tamen obediens factus est, noluit benedictionem Dei effugere. Qualem ergo tunc illi eum intellexerunt, talem adhuc & nos viventes novimus. *a* Fuit enim sermo ejus purus & apertus, plenus gravitatis & honestatis, plenus suavitatis & gratiæ: tractans de mysterio legis, de doctrina fidei, de virtute continentiæ, de disciplina justitiæ: unumquemque ammonens diversa exhortatione secundùm morum qualitatem: videlicet, ut prænosceret quid, cui, & quando proferret. Præ ceteris speciale officium erat, ut jejuniis & orationibus & vigiliis incumberet, scripturas legens, (memoriam enim miram in libris habuit) percurrens canones, exempla Sanctorum imitatus, cum fratribus pacem implens, tenens quoque humilitatem, & illam supereminentem omnibus donis caritatem, sine qua omnis virtus nihil est; curam pauperum gerens, esurientes pascens, nudos vestiens, peregrinos suscipiens, captivos redimens, viduas ac pupillos tuens, ut mercedem vitæ æternæ inter choros Angelorum cum Domino nostro JESU-CHRISTO accipere mereretur. AN. CHR. DCC LX. APRIL. XXIV.

XII. *De eo quòd in Gallia ordinatus sit.*

LOCUTUS est autem sanctus Wilfridus dicens: O domini venerabiles Reges, omnibus modis nobis necessarium est providè considerare, quomodo cum electione vestra sine accusatione catholicorum virorum ad gradum episcopalem cum Dei adjutorio venire valeam. Sunt enim hic in Britannia multi Episcopi, quorum nullum meum est accusare, quamvis veraciter sciam, quod aut * XIV anni sunt, ut Brittones & Scotti ab illis sint ordinati, quos nec Apostolica sedes in communionem recepit, neque eos qui Schismaticis consentiunt. Et ideo in multa humilitate à vobis posco, ut me mittatis cum vestro præsidio trans mare ad Galliarum regionem, ubi catholici Episcopi multi habentur: ut sine controversia Apostolicæ sedis, licèt indignus, gradum episcopalem merear accipere. Tale jam consilium bene Regibus complacuit, præparantes ei navem & auxilia hominum, & pecuniæ multitudinem, ita ut valde honorificè ad Galliæ regionem perveniret; ibique statim conventio magna facta est non minùs quàm duodecim Episcoporum catholicorum, è quibus unus erat ÆGELBERCHTUS *b* Episcopus. qui eum propter fidem suam indicatam gratanter & honorificè coram omni populo publicè ordinaverunt, & *c* in sella aurea sedentem more eorum sursum elevarunt, portantes in manibus soli Episcopi intra oratoria, nullo alio attingente, hymnosque & cantica in choro canentes. Post spatium namque temporis ad sedem episcopalem Eboracæ civitatis hunc emiserunt, & præceperunt ei in nomine Domini in catholica Fide permanere, sicut Paulus Apostolus Timo-

* haud

a De aliis ejus virtutibus, quarum Villelmus hoc loco meminit, inferiùs agit Auctor cap. 20.

b Beda in lib. 3 cap. 28 tradit, Agilbertum hunc, cujus superiùs mentio facta est, *relictâ Britanniâ Parisiacæ civitatis factum* Episcopum; Vvilfridum verò *cum magno honore ab ipso consecratum* fuisse, *convenientibus plurimis Episcopis in vico regio, qui vocatur in-Compendio.* Vvilfridum porro XXX annorum tum exstitisse addit lib. 3 cap. 20. Id ergo accidit anno DCLXIV, siquidem natus est Vvilfridus anno DCXXXIV, ex dictis. Et quidem obiit anno DCCIX, post exactos in Episcopatu annos XLVI.

c Insignis locus ad illustrandum ritum, qui Gallis in ordinatione Episcoporum tum usitatus erat. Beda id ait factum *magno cum honore.*

AN. CHR. DCC IX. APRIL. XXIV. theo filio suo custodire propositum suum præcepit, quod per manus impositionem ejus accepit.

XIII. *Quomodo Dominus Pontificem nostrum de mare & de manu paganorum cum suis liberavit.*

NAVIGANTIBUS quoque eis de Gallia Britannicum mare cum beatæ memoriæ Wilfrido Episcopo, canentibus Clericis & psallentibus laudem Dei pro celeumate in choro, in medio mari validissima tempestas exorta est, & venti contrarii, sicut discipulis Jesu in mare Galileæ erant. Flante enim vento Euro-austro durè, albescentia undarum culmina in regionem australium Saxonum quam non noverant, projecerunt eos. Mare quoque navem & homines relinquens, terras fugiens, litora detegens, in abyssi matricem recessit. Gentiles autem cum ingenti exercitu a venientes navem arripere, prædam sibi pecuniæ dividere, captivos subjugaros deducere, resistentesque gladio occidere incunctanter proposuerunt. Quibus sanctus Præsul noster copiosam pecuniam promittens, animas redimere cupiens, leniter pacificeque loquebatur. Illi verò feroces, & indurato corde cum Pharaone populum Dei dimittere nolentes, & dicentes superbè sua esse omnia, quasi propria, quæ mare ad terras projecit; stans quoque princeps Sacerdotum idololatriæ coram paganis in tumulo excelso, sicut Balaam, maledicere populum Dei, & suis magicis artibus manus eorum alligare nitebatur. Tunc verò unus ex sodalibus Pontificis nostri lapidem ab omni populo Dei benedicto, more Davidico de funda emittens, fronti perforatæ usque ad cerebrum magi exprobrantis inlisit: quem retrorsum examinato cadavere cadente sicut Goliadus in arenosis locis mors incerta prævenit. Ad bellum ergo se præparantes pagani, aciem frustra in populum Dei direxerunt. Deus enim pro paucis pugnavit, sicut jam Gedeon Domini jussu cum trecentis viris bellatoribus Madianitum c xx millia uno impetu occidit: ita & isti sodales sancti Præsulis nostri bene armati, viriles animo, pauci numero (erant enim c xx viri in numero Moysaicæ ætatis) inito consilio & pacto, ut nullus ab alio in fugam terga verteret; sed aut mortem cum laude, aut vitam cum triumpho (quod Deo utrumque facile erat) habere mererentur. Igitur sanctus Wilfridus Episcopus cum Clero suo flexis poplitibus genuum, & iterum levatis manibus ad cælum, Domini auxilium impetravit. Sicut enim Moses Hur & Aaron sustentantibus manus ejus, Jesu Nave cum populo Dei adversus Amalec pugnante, frequenter Domini protectionem implorans triumphavit: ita & hic isti pauci Christiani feroces & indomitos paganos tribus vicibus in fugam versos strage non modica obruerunt, quinque tantùm viris (quod mirum dictu est) ex sua parte occisis, orante Sacerdote magno ad Dominum Deum suum, qui statim jussit ante horam plenam, priusquam consueverat, mare venire. Præparantibus autem paganis cum Rege veniente totis viribus ad quartum prœlium, tunc mare redundans fluctibus tota litora implevit, elevataque cimba processit in altum: gloriosè autem honorificati, gratias ei agentes, vento flante ab Africo, prosperè in portum *Sandvvich* atque suaviter pervenerunt.

a Eadmerus Scottorum schismaticorum factione ad id impulsos fuisse asserit, ex conjectura,

XIV. *De eo quod interim ordinatus erat* CEADDA *in sedem ejus.*

QUODAM igitur tempore adhuc sancto Wilfrido Episcopo trans mare non veniente, Oswin Rex[a] malè suadente invidia, hostis antiqui instinctu, alium præarripere inordinatè sedem suam edoctus, consensit ab his qui quarta-decimanam partem contra Apostolicæ sedis regulam sibi elegerunt: ordinantesque servum Dei religiosissimum & admirabilem doctorem, de Hibernia insula venientem, nomine CEADDA, adhuc eo ignorante in sedem episcopalem Eboricæ civitatis indoctè contra Canones constituerunt. Veniente verò sancto Wilfrido Episcopo, res, ut erat malè acta, non latuit. Revertens quippe ad sedem cœnobialem Abbatis, humiliter in HRypis III annis resedit, nisi quod frequenter à WLFARIO Rege Merciorum ad officia diversa episcopalia in regione sua cum vera dilectione invitatus est. Suscitavit enim Dominus sibi Regem hunc mitissimum, qui inter alia bona in diversis locis multa spatia terrarum pro animæ suæ remedio Episcopo concessit, in quibus mox Monasteria servorum Dei constituit. ECBERTUS quoque, Rex Cantuariorum religiosus, Pontificem nostrum ad se accersivit, & illic Presbyteros multos, (ex quibus unus erat PUTA[b], qui pro eo Episcopatum accepit) & non paucos Diaconos ordinavit. DEUSDEDIT enim Episcopus post HONORIUM Archiepiscopum diem obiit[c]. Ideo autem venerabiliter vivens, omnibus carus, episcopalia officia per plura spatia agens, cum cantatoribus ÆDDE,[d] & ÆONA, & cæmentariis, omnisque pæne artis ministerio in regionem suam revertens cum Regula BENEDICTI, instituta ecclesiarum bene melioravit. Tunc ergo in illis regionibus sancto Episcopo, sicut Paulo Apostolo, magnum ostium Fidei Deo adjuvante apertum est.

XV. *De eo quòd iterum in sedem suam constitutus est.*

POSTQUAM ergo tribus annis transactis THEODORUS Archiepiscopus de regione Cantuaria veniens ad Regem Derorum & Bernicorum, statuta Apostolicæ sedis, unde emissus venerat[e], secum deportans, primoque ingressu illius regionis rem contra canones malè gestam à veris testibus audivit, quòd prædonis more Episcopus alterius Episcopi sedem præripere ausus sit; indigneque ferens, Ceadda Episcopum de aliena sede jussit deponi. Ille verò servus Dei verus & mitissimus, tunc peccatum ordinandi à Quarta-decimanis[f] in sedem alterius plenè intelligens, pænitentia humili secundùm judicium Episcoporum confessus emendavit, & cum consensu ejus in propriam sedem Eboricæ civitatis sanctum Wilfridum Episcopum constituit. Tunc sanctus Pontifex noster secundùm præceptum Domini, non malum pro malo, sed bonum, ut David Saüli, pro malo reddens, qui dixit: *Non mittam manum meam in* 1 Reg. 24.7.

a Nimirum *quia Oswi à Scotis edoctus ac baptizatus, illorum etiam lingua optimè imbutus, nil melius, quàm quod illi docuissent, autumabat.* Contrà Alchfridus ejus filius, à Vvilfrido imbutus, sentiebat, teste Beda in lib. 3 cap. 25. qui Auctor de Ceaddæ ordinatione agit cap 28.

b Lege *qui defuncto Damiano Rofensi Episcopo, pro eo Episcopatum accepit*, apud Bedam in lib. 4 cap. 2.

c Lege *obierat*. Deusdedit *sextus ecclesiæ Dorovernensis Episcopus, diem obiit pridie Iduum Iuliarum*, auctore Beda in lib. 4 cap. 1, anno verò eclipsis & subsequentis pestilentiæ, quam anno Incarnationis DCLXIV contigisse docet in lib. 3 cap. 27.

d Is est Ædde seu Eddius, hujus libelli scriptor, ut superiùs observatum.

e Theodori adventus in Britanniam contigit anno DCLXIX, ut manifestè colligitur ex Beda lib. 4 cap. 2, ubi de Ceaddæ destitutione, & ex cap. 5.

f Nempe à Scotis, *qui quarta-decimanam partem* in Paschæ observatione *contra Apostolica sedis regulam sibi elegerant*, ex capite superiori.

An. Chr. DCC IX. April. XXIV. *Christum Domini*. Sciebat ſub Wlfario Rege Merciorum fideliſſimo amico ſuo, locum donatum ſibi in Licetfelda * & ad epiſcopalem ſedem, aut ſibi, aut alio cuicumque voluiſſet dare paratum: ideoque pacificè inito conſilio [a] . . .

* hodie Laitchfeild

XVI. XVII.

. . . . . facie agnoſcentis cecidit in terram, flens amarè, adjuravit eum audaciter, ut in nomine Domini Dei cum ſua ſanctitate filium ſuum ſuſcitaret, & baptizaret, de oreque leonis liberaret. His & aliis verbis magis & magis non ceſſavit adjurare per omnes ſanctitates Epiſcopi, genuflectens, & pedes ejus amplectens deoſculabatur, lacrymiſque amariſſimis irrigavit dicens: O ſanctiſſime, noli orbatæ mulieris fidem exſtinguere, ſed credulitatem meam adjuvas, ſuſcita eum, & baptiza. tibi enim & Deo vivit, in virtute Chriſti ne dubites. Tunc ille ſanctus vir indubitata Chriſti virtute & fidem ejus ſecundùm Syrophœniſſam mulierem audiens, oratione facta manum ponens ſuper cadaver mortui, ſtatim reſpiravit, & ſpiritum vitæ recepit. Reſuſcitatum itaque & baptizatum matri infantem reddidit, præcipiens ei in nomine Domini, ut ſibi filium ſuum in ſeptima annorum ætate Deo ad ſerviendum redderet. Quod mulier malevola, ſuadènte marito, videns elegantem puerum, contemſit, fugiens de terra ſua. Quem Præfectus Epiſcopi, nomine Hocea, latentem ſub aliis Brittonum quæſitum invenit, & coactè abſtraxit, ad Epiſcopumque contulit. Erat autem puer cognomine Eodwald, & agnomine Filius-Epiſcopi, vivens in Dei ſervitio in HRypis, uſque dum in mortalitate magna * diem obiit. O quàm magna & mirabilis miſericordia Dei! qui per famulum ſuum venerandæ mentionis infantulum defunctum, & non baptizatum, ideo in hanc vitam revocavit, ut baptizatus vitæ perenni viveret futuræ beatitudinis.

* id eſt in peſte

XVIII. *De victoria Regis in feroces Pictos.*

IN diebus autem illis Ecgfridus Rex religioſus cum beatiſſima Regina Adelreda, cujus corpus vivens antè impollutum poſt mortem incorruptum manens adhuc demonſtratur; ſimul in unum Wilfrido Epiſcopo in omnibus obedientes facti, pax & gaudium in populis, anni frugiferi, victoriæque in hoſtes Deo adjuvante ſubſecutæ ſunt. [b] Sicut enim juvenis Jonas Rex Juda, Joada Sacerdote magno vivente adhuc, Deo placuit, & in hoſtes triumphavit; mortuo verò Sacerdote Deo diſplicuit, & in hoſtes triumphavit *, & regnum minuit: ita Egfrido Rege in concordia Pontificis noſtri vivente, ſecundùm teſtimonium multorum, regnum per undique victorias triumphales augebatur; concordia * verò inter eos poſita, & Regina ſupradicta ab eo ſeparata, & Deo dedicata, triumpbum * in diebus Regis deſivit. Nam in primis annis ejus, tenero adhuc regno, populi beſtiales Pictorum feroci animo ſubjectionem Saxonum deſpiciebant, & jugum ſervitutis à ſe abjicere minabantur, con-

* l. triumphare deſiit,
* l. diſcordia.
* ſ. triumphum

[a] Hic multa deſunt in codice Cottoniano, nempe bona pars hujus capitis, totum caput 16, & initium ſubſequentis de puero ſuſcitato: quæ facilè ſuppleri poſſunt ex Fridegodi capitibus 14, 15 & 16, & Eadmeri ſectionibus 24 & ſeqq. Nam Sarenſis codex, cujus ope Cottonianum exemplar ſuppleri poterat, non potuit recuperari ab amicis.

[b] Hæc in libello de Vita S. Etheldritæ ſeu Adeltedæ, quæ exſtat in Sæculo 2, à Thoma Elienſi Monacho citantur cap. 8 ex Vita S. Vvilfridi, non nominato Eddio. Egfridus mortuo patre Oſvvio Northumbrorum regnum iniit anno DCLXX, ex Bedæ lib. 4 cap. 5.

gregantes undique de utribus & folliculis Aquilonis innumeras gentes, quasi formicarum greges in æstate de tumulis ferventes, aggerem contra domum cadentem muniebant. Nam quo audito Rex Ecfridus humilis in populis suis, magnanimus in hostes, statim equitatu exercito præparato, tarda molimina nesciens, sicut Judas Maccabæus in Deum confidens, parva manu populi Dei contra inhormem * & supra invisibilem hostem cum BERNHAETH [a] subaudaci Regulo invasit, stragemque immensam populi subruit, duo flumina cadaveribus mortuorum replens, ita (quod mirum dictu est) ut suprà siceis pedibus ambulantes, fugientium turbam occidentes persequebantur: & in servitutem redacti populi, usque ad diem occisionis Regis, subjecti jugo captivitatis jacebant.

AN. CHR. DCCIX. APRIL. XXIV.

* enormem

XIX. *De victoria adversum Regem Merciorum.*

DEINDE post [a] hanc victoriam Rex EGFRIDUS cum supradicto servo Dei justus & sanctus, regensque populos, & validus sicut David in contritione hostium, humilis tamen in conspectu Dei apparens, & colla cum Merciorum populorum & ferocium Regum audacior à Deo factus confringens, semper in omnibus Deo gratias agebat. Nam WLFARIUS Rex Merciorum, superbo animo & insatiabili corde, omnes australes populos adversum Regem nostrum concitans, non tam ad bellandum, quàm ad redigendum sub tributo servili animo, non regente Deo, proponebat. Ecgfridus verò Rex Deirorum & Bernicorum, animo rigido, mente fideli, consilio senum, patriam custodire, ecclesias Dei defendere Episcopo docente in Deum confisus, sicut Barac & Deborra, cum parili manu hostem superbum invadens, Deo adjuvante cum parvo exercitu prostravit, & occisis innumeris Regem fugavit [b], regnumque ejus sub tributo distribuit; & eo postea quacumque ex causa moriente, plenius aliquod spatium pacificè imperavit.

XX. *De bonitate Pontificis nostri.*

SICUT igitur Ecfrido rege religioso regnum ad Aquilonem & Austrum super triumphos augebatur: ita beatæ memoriæ Wilfrido Episcopo ad Austrum super Saxones, & Aquilonem super Brittones & Scottos Pictosque regnum ecclesiarum multiplicabatur; omnibusque gentibus carus & amabilis, ecclesiastica officia diligenter persolvebat, & omnibus locis Presbyteros & Diaconos sibi adjuvantes abundanter ordinavit, inter specularesque * undas fluctuantes moderatè novas ecclesias gubernabat. Sicut enim unda convivii non demersit: ita & abstinentia in superbiam non projecit. quia in conviviis tam abstinenter vivebat, ut numquam solus, quamvis parvissima phiala esset, potu consumsisset, aut pro calore solis sitiens, aut pro frigore hiemis fatigatus, ut multorum testimonio comprobatur. In vigiliis & orationibus, in lectione & jejuniis quis similis ei inveniatur? Corpus quoque integrum ab utero matris, sicut coram fidelibus testatus est, sine pollutione custodivit: quod in aqua benedicta & sanctificata nocturnis horis indesinenter æstate & hieme consuetudinariè lavavit, usquedum Papa Apostolicæ sedis: beatæ memoriæ JOHANNES pro ætate sua hujus laboris resolutionem habere præcepit. Ideo namque pæne omnes Abbates & Abbatissæ Cœnobiorum, aut sub suo nomine secum substantias custodientes, aut post obitum suum heredem illum ha-

* secularres

[a] Bernegum vocat Vuillelmus Malmesburiensis. Nihil hac de re apud Bedam legere memini. qui Auctor in lib. 4 cap. 5 agit de Synodo Heorutforlensi anno DCLXXIII celebrata, cui Vulfridus *per proprios Legatarios affuit.*

[b] Id tantùm obiter notat Beda in lib. 4 cap. 12.

AN. CHR. DCC IX. APRIL. XXIV. bere optantes voto voverunt: Principes quoque sæculares viri nobiles filios suos ad erudiendum sibi dederunt, ut aut Deo servirent, si eligerent; aut adultos, si maluissent, Regi armatos commendaret. Hæc autem omnia facem invidiæ & odii in pectoribus multorum, flante diabolo, accenderunt. Sanctus tamen Pontifex secundùm egregium prædicatorem arma à dextris & à sinistris in prosperis & adversis æquali lance patienter portabat, dans semper tam spiritualibus, quàm sæcularibus dona & munera tam largè, ut nullus ei æqualis inveniebatur.

XXI. *De ædificatione domus Dei in Hagustaldes.* *.

* *ms. passim* Hagustaldesæ

ADHÆREBAT igitur secundum Psalmistam indesinenter Domino, ponens in eum spem suam, reddensque Domino suo dulcissima, qui ei omnia concedit. Nam in Hagustaldense adepta regione à Regina ÆTHILDRITE Domino dedicata, domum Domino in honorem beati Andreæ Apostoli fabrefactam fundavit: cujus profunditatem in terra cum domibus mirificè politis lapidibus fundatam, & super terram multiplicem domum columnis variis & porticibus multis suffultam, mirabilique longitudine & altitudine murorum ornatam, & variis linearum anfractibus viarum, aliquando sursum, aliquando deorsum, per cochleas circumductam, non est meæ parvitatis hoc sermone explicare, quod sanctus ipse Præsul animarum, à Spiritu Dei doctus, opere facere excogitavit: neque ullam domum aliam citra Alpes montes talem ædificatam audivimus. Porro beatæ memoriæ [a]adhuc vivens gratiâ Domini ACCA Episcopus, qui magnalia ornamenta hujus multiplicis domus de auro & argento lapidibusque pretiosis, & quomodo altaria purpura & serico induta decoravit, quis ad explanandum sufficere poterat? redeamus ad proposita.

XXII. *De sanato puero semivivo.*

CUM ædificantes namque cæmentarii murorum hujus domus altitudines, quidam juvenis ex servis Dei, de pinna inhormis * proceritatis elapsus ad terram, deorsum cadens in pavimentum lapideum, illisus cecidit, confracta sunt crura & brachia; omnibusque membris dissolutis ultima spiramina trahens jacebat. quem cito cæmentarii secundùm præceptum sancti Pontificis lacrymantis in oratione in feretro foras portabant, mortuum putantes: statimque signo facto, tota familia simul in unum conveniens, & stans homo Dei in medio fratrum, dixit: Petamus omnes unanimiter Deum plena fide, ut animam hujus pueri in corpus emittat, & vivat, sicut Paulo Apostolo concedit *. Orantes ergo Deum, ut ne inlusor * omnibus bonis in hoc ædificio gaudium victoris haberet, & flectentes genua secundùm Heliam & Elizeum, oratione facta à sancto Episcopo nostro & benedictione, spiritum vitæ recepit: & alligantes medici pannis ossa confracta, de die in diem melioratus est, & multo tempore vixit, nomenque erat Bodhelm, gratias agens Deo.

* enormis

* concessit

* *scil.* diabolus

XXIII. *De invidia excitata contra Pontificem nostrum, & de sede sua expulso.*

INSIDIATOR quasi leo rugiens secundùm Petrum Apostolum circumiit ovile Dei, quærens introitum die noctuque, vigilans semper

[a] Phrasis nova de Acca, homine tum vivente, utpote cui librum istum dedicavit Auctor. Eadem usus est etiam infrà capp. 53 & 61.

primùm,

primùm militem fortissimum vincere concupiscens, ut timidi faci- AN. CHR. DCC IX. APRIL. XXIV.
liùs superentur; consueta arma atripiens, vasa fragilia muliebria quæsivit, per quæ totum mundum maculavit frequenter. Nam Regis ECFRIDI Regina, nomine IRMINBURGA [a], suadente diabolo invidia tunc temporis torquebatur. Nam de lupa, post occisionem Regis, agna Domini & perfecta Abbatissa, materque familias optima commutata est. Jam namque de pharetra sua venenatas sagittas venefica in cor Regis, quasi impiissima Jezabel Prophetas Dei occidens & Heliam persequens, per auditum verborum emisit, enumerans ei eloquenter sancti Wilfridi Episcopi omnem gloriam ejus sæcularem & divitias, necnon Cœnobiorum multitudinem & ædificiorum magnitudinem, innumerumque sodalium exercitum regalibus vestimentis & armis ornatum. Talibus itaque jaculis cor Regis vulneratum, ambo callidè quærentes sanctum caput ecclesiarum in suum interitum contemnere, donaque Regum pro Deo à se audacitet fraudare; ad auxilium suæ vesaniæ Archiepiscopum THEODORUM cum muneribus, quæ excæcant etiam sapientum oculos, quasi Balach Balaam contra Dei voluntatem invitaverunt. Veniente verò Archiepiscopo ad eos, quid mente agerent in contemtu ejus parentes *, & sine aliquo culpandi piaculo iniquè damnate (quod absit) consensit [b]. Nam tres [c] Episcopos aliunde inventos, & non de subjectis illius parrochiæ, in absentia Pontificis nostri in sua propria loca Episcopatus sui noviter inordinatè solus ordinavit. quo audito sanctus Pontifex noster Regem & Archiepiscopum adiit, intertogans quid causæ esset, ut sine aliquo delicti peccato suis substantiis à Regibus pro Deo donatis prædonum more defraudarent. Illi responderunt famosum verbum Pontifici nostro coram omni populo, dicentes: Nullam criminis culpam in aliquo nocendi tibi adscribimus: sed tamen statuta de te judicia non mutamus. Ille verò Episcopus noster tali judicio fraudabili non contentus, cum consilio Coepiscoporum suorum, judicium Apostolicæ sedis magis elegit; sicut Paulus Episcopus * sine causa damnatus à Judæis, Cæsarem appellavit. Deinde autem sanctus Pontifex noster conversus à tribunali regali, adulatoribus cum risu gaudentibus dixit: Hoc anniversario die, qui nunc ridetis in meam pro invidia condemnationem, tunc in vestra confusione amarè flebitis. Et sic secundùm prophetiam Sancti evenit. Nam eo die anniversario, ELFWINI [d] Regis occisi cadaver in Eboricam delatum est, omnes populi amarè lacrymantes vestimenta & capitis comam lacerabant, & frater ejus superstes usque ad mortem sine victoria regnabat.

* patefacientes.

* Apostolus

XXIV. *Quomodo Vuilfridus spoliatus sit.*

BEATÆ memoriæ Wilfridus Episcopus præparans cum suis sodalibus & Clero naves adscendere, multa millia Monachorum suorum sub manu Episcoporum noviter ordinatorum relinquens, mærentes & flentes, Dominumque indesinenter deprecantes, ut suum iter in voluntate ejus dirigeret. Inimici verò nostri Præsulis, malorum suorum me-

a Ermenburgam alii vocant, de qua legendi Fridegodus & Eadmerus. Hanc verò superduxerat Egfridus, postquam Etheldrita hortatu Vuilfridi secesserat in Eliense Monasterium. Lege Bedæ Historiam in lib. 4 cap 19, & Acta S. Ethildritæ.

b Theodori nomini hac in re parcit Beda in lib. 4 cap. 12, ubi Vuilfridi expulsionem refert ad annum DCLXXVIII.

c Nempe Bosam ad Deirorum sedem in Hagustaldensi seu Lindisfarnensi ecclesia; Eatam ad Berniciorum provinciam Eboraci; Eadhedum in provincia Lindisfarnorum, quam nuperrimè Rex Egfridus superato Vulfario Merciorum Rege obtinuerat, apud Bedam in lib. 4 cap. 12.

d *Anno regni Egfridi nono, conserto gravi prælio inter ipsum & Æthelredum Regem Merciorum occisus est Elfwinus frater Regis Egfridi*, inquit Beda in lib. 4 cap. 21. Egfridus ex prænotatis regnare cœpit anno DCLXX. Annus proinde regni ejus nonus convenit cum anno Domini DCLXXVIII jam labente. Certè Chronologia Saxonica eo anno reponit Vuilfridi expulsionem, de qua in capite sequenti.

An. Chr. DCC IX. April. XXIV.

mores, putantes in austrum ad *Quoentavic* [a] navigantem, & via rectissima ad sedem Apostolicam pergentem, præmiserunt nuncios suos cum muneribus ad THEODERICUM Regem Francorum & ad EFRUINUM [b] impium Ducem, ut aut exsilio majori damnarent, aut occisis sociis omni substantia sua spoliarent. Deus enim * [* autem] de manu inimicorum, quasi de manu Herodis, liberavit eum. Nam eo tempore sanctus Wulfridus [c] Episcopus de Liccitfelda expulsus, ea via pergens venit in manus suprà dictorum inimicorum, quasi in fauces leonis: captus statim, & omni pecunia spoliatus, multisque ex sociis suis occisis, miserè ad extremum sanctum Episcopum nudum dereliquerunt. Putabant enim, ut non erat, illum esse sanctum Wilfridum Episcopum, errore bono unius syllabæ seducti.

XXV. *Quomodo in Freis navigio pervenit.*

NAM è contrario sanctus Pontifex noster secundùm desiderium ejus flante vento, ab occidente temperanter versis navium rostris, ad orientem usquedum in *Freis* prosperè cum omnibus pervenit: ibique gentilium copiis inventis, ab ALGISO [d] Rege eorum honoricè susceptus est. Tunc statim sanctus Pontifex noster cum licentia Regis verbum Dei gentibus quotidie prædicavit, enuncians iis verum Dominum Patrem omnipotentem, & JESUM-CHRISTUM filium ejus unicum, & Spiritum-sanctum sibi coæternum; & baptismum unum in remissionem peccatorum, & vitam æternam post mortem in resurrectione manifestè docuit: & doctrina ejus secundùm paganos bene adjuvavit, (erat enim in adventu eorum eo tempore solito amplius in piscatione & in omnibus frugifer annus) ad Domini gloriam reputantes, quem sanctus vir Dei prædicavit. Deinde eo anno accepta prædicatione omnes Principes, exceptis paucis, & multa milia vulgi in nomine Domini baptizavit: & primum ibi, secundùm Apostolum, fundamentum Fidei posuit, quod adhuc superædificat filius ejus, in HRypis [e] nutritus, gratia Dei WILBRORDUS Episcopus, multo labore desudans, cujus merces manet in æternum.

XXVI. *De eo quòd pretium adpretiati Rex renuit.*

EODEM quoque tempore EFRUINUS [f] Dux Theoderici Regis Francorum misit nuntios suos cum litteris ad ALDGELSUM Regem *Freis*, salutans eum verbis pacificis, promittensque ei sub jurejurando modium plenum solidorum aureorum dare, pretium utique scelestè, si Wilfridum Episcopum aut vivum deductum, aut caput ejus occisi sibi emisisset. Statimque Rex, præsentibus nobis, & nuntiis coram populo suo in palatio epulantibus, omnibusque audientibus, legi litteras jussit: post lectam verò chartam, accipiens inter manus suas, cunctis videntibus

a Nimirum ex Britannia insula in Galliam transfretantibus occurrit portus *Quentavic*, ad Quantiæ ostia in Oceanum: quo de portu Beda in lib. 4 cap. 1.

b Sic etiam EFRUINUM Majorem domus Theoderici appellavit Fridegodus, eum ferè ad modum quo Ebroïnus Comes tempore Caroli Calvi, *Evurvinus* vocatur in Annalibus Bertinianis ad annum 876. Eadmerus & Vvillelmus *Ebroïnum* scribunt, *Ebrinum* Beda in lib. 4 cap. 1. De Ebroïno iterum infrà cap. 25.

c Vvillelmus & alii legêre *Vvinfridus*, & rectè, qui Ceddæ in Liccidfeldensi Episcopatu successerat, apud Bedam in lib. 4 cap. 3 & 6.

d *Aldgislum*, Frisonum Regem appellat Beda in lib. 5 cap. 20 Fridegodus legit *Adalgisum*, Eadmerus *Algisum*; *Aldgelsum* Auctor capite sequenti.

e Id ipsum attestatur Alcuinus in ejus Vita, quam retuli ad annum. 739.

f In apographo ex Anglia transmisso legebatur EFFRUINUS. & cap. 31 *Yfruinus*. sic variat veteris codicis scriptura. Ego verò utrubique restitui *Efruinum*, ut suprà cap. 24 in exemplari habetur.

disçedens dissipavit, & in ignem coram se ardentem projecit, dicens portitoribus: Enuntiate domino vestro hoc modo me dicentem: Sic rerum Creator regnum & vitam in Deo suo perjurantis, pactumque initum non custodientis scindens destruat, & consumens in favillam devellat. Deinde autem nuntii cum confusione à Rege non consentiente piaculo, ad dominum suum, unde venerant, redierunt.

An. Chr. DCC I. Aprili, XXIV.

XXVII. *Quomodo* DAEGBERHT & BERCHTERE *Reges duo susceperunt eum.*

POSTQUAM Deo amabilis Pontifex noster in *Freis* hiemaverat [a], populum multum Domino lucratus, verno tempore adveniente coeptum iter, Deo adjuvante, ad sedem Apostolicam cum comitibus carpebat [b], veniens ad Francorum Regem nomine DAEGBERTH, qui eum cum honore mansuetissimè pro meritis ejus anteactis in eum suscepit. Nam supradictus Rex in juventute sua ab inimicis regnantibus in exsilium proditionis pulsus, navigando ad Hiberniam insulam, Deo juvante, pervenit. Post annorum curriculum amici & propinqui ejus viventem, & in perfecta aetate florentem à navigantibus audientes, misere nuntios suos ad beatum Wilfridum Episcopum, petentes, ut eum de Scottia & Hibernia ad se invitasset, & sibi ad Regem emisisset [c]: & sic sanctus Pontifex noster perfecit, suscipiens eum de Hibernia venientem, per omnia ditatum, & viribus sociorum elevatum magnificè ad suam regionem emisisset*. Et hinc Rex beneficiorum ejus memor erat, diligenter poscens, ut in regno suo Episcopatum maximum ad civitatem *Streitburg* [d] pertinentem susciperet: & eum nolentem accipere, cum muneribus & donis magnis, & cum DEODATO [e] Episcopo suo duce ad Apostolicam sedem emisit. Pergentes itaque sancti Episcopi, viam Domino dirigente, pervenerunt ad BERCHTERUM [f] Regem Campaniae, virum humilem & quietum, & trementem sermones Dei: qui peregrinos secundùm praeceptum Domini benignè suscipiens, sancto Pontifici nostro enunciavit, dicens: De Brittannia inimici tui nuntios ad me mittentes suis sermonibus salutantes me, & dona mihi maxima promittentes, si te subterfugientem (ut dixerunt) Episcopum angarizarem, & ad Apostolicam sedem tendentem retinerem. quibus tam nefariam rem renuens, dixi: Fui aliquando in die juventutis meae exsul de patria expulsus, sub pagano quodam Rege Hunnorum degens. qui iniit mecum fedus in Deo suo idolo, ut numquam me inimicis meis prodidisset, vel dedisset. Et post spatium temporis venerunt ad Regem paganum sermone inimicorum meorum nuntii, promittentes sibi dare sub jurejurando solidorum

* consti

[a] Toto hoc intervallo Vvilfridus pro Frisiorum conversione multum colloboravit cum S. Vvillibrordo, ut canit Fridegodus: & quidem comitante Acca ex Bedae lib. 3 cap. 13 qui rursus in lib 5 cap. 20 tradit, Vvilfridum in Frisia cum Vvillibrordo hiemem exegisse.

[b] Anni videlicet DCLXXIX, ut consequitur ex superiori adnotatione in cap. 23

[c] Idest remitteret ad hoc, ut sibi Rex praeficeretur.

[d] Ergo tum vacabat Episcopatus Strateburgensis seu Argentinensis, post mortem Arbogasti, an Florentii.

[e] Deodato non quidem Nivernensi, sed Tullensi id convenire dixi in Notis ad Fridegodum: cui sententiae recens accessit Henschenius in adnotatis ad Eadmerum, priori sententia mutata.

[f] Hunc locum de Berthario Langobardorum Rege intelligendum esse superius ostendi in Observatione praevia 14 & sequentibus: ubi Campaniae nomine Liguriam intelligi probatum est. sic dictam, ob longè patentem camporum planitiem. Certè Polybius istos Galliae Cisalpinae campos, omnes Europa maximos ac uberrimos appellat. Hunc verò Eddii sensum esse patet ex cap. 31, ubi Vvilfridus Romà rediens prius *Campaniam* adiisse, deinde *montana* seu Alpes transcendisse, ac demum *in regionem Francorum* pervenisse dicitur. Ubi Campaniae nomine sine dubio Liguriam intelligit, quae Romà in Franciam tendentibus prius obvia est, quàm Alpes. Sic Eulogius Presbyter Cordubensis in lib. 2 Memorialis Sanctorum cap 9, *Campaniam Cordubensem* appellat. quem locum Ambrosius Morales commentans, *Nos certe*, inquit, *Hispani id nomen in plana quaque transtulimus. Nam planitiem illam in Vaccæis, quæ longo tractu protensa Campos nunc, olim Campi Gothorum, ut est apud Rodericum Toletanum, nuncupatur; Campaniam vocatam in Compostellana historia ante quadringentos annos scripta reperio.*

AN. CHR. DCCIX APRIL XXIV. aureorum modium plenum, si me illis ad interneccionem dedisset. quibus non consentiens dixit: Sine dubio Dii vitam succidant, si hoc piaculum facio, irritans pactum Deorum meorum. Ego verò quanto magis, qui Deum verum scio, animam meam pro totius mundi lucro in perditionem non dabo? Tunc verò sanctum Pontificem nostrum & suos socios cum honore & ducibus, sicut eum Dominus ubique in peregrinatione protegens magnificavit, ad Apostolicam sedem olim optatam in gratiarum actione emisit.

XXVIII. *Quomodo beatissimus* AGATHO *Apostolicæ sedis Papa cum sancta Synodo Pontificis nostri scripta receperit.*

PERVENIENTE igitur Deo amabili Wilfrido Episcopo prosperè cum omnibus ad sedem prædictam, causa adventus ejus perlata urbe innotuit: quia eo tempore COENWALD religiosus Monachus à sancto THEODORO Episcopo cum suis litteris emissus Romam venit, & beatum AGATHONEM Papam sedis Apostolicæ rerum dissensio non latuit. Tunc verò congregantibus [a] sanctissimis Episcopis & Presbyteris plus quàm L, in basilicam Salvatoris Domini nostri JESU-CHRISTI, quæ appellatur Constantiniana, AGATHO autem sanctissimus ac ter beatissimus Episcopus sanctæ Catholicæ atque Apostolicæ ecclesiæ in urbe Roma consedentibus dixit.

Non credo latere vestram sanctam fraternitatem, quam ob rem ad hunc venerabilem conventum eam adsciverim. Cognoscere quippe vestram reverentiam cupio, mecumque tractare, qualis in ecclesiis Brittanniæ insulæ, per Dei gratiam ubi Fidelium multitudo concrevit, nuper exorta dissensio, quæ ad nos tam per relationem exinde huc venientium, quàm per scriptorum seriem perlata est.

ANDREAS reverentissimus Episcopus Ostiensis, & JOHANNES Episcopus Portuensis dixerunt: Omnium quidem ecclesiarum ordinatio in vestræ Apostolicæ auctoritatis pendet arbitrio, qui vicem beati Petri Apostolorum principis geritis, cui claves ligandi atque solvendi conditor atque redemtor omnium Christus Dominus contulit. Verùm erga quod nobis est injunctum ab Apostolica vestra censura, ante hos dies consedentibus nobis unà cum nostris Coepiscopis & confamulis relegimus singula scripta, quæ de Brittannia insula directi Apostolico vestro pontificatui detulerunt, tam eorum qui ex persona Theodoti reverentissimi Archiepiscopi, illic ab Apostolica sede olim directi, missa sunt, aliorumve cum eisdem scriptis relationes adversus quemdam Episcopum subterfugientem, ut asserunt, quem huc venisse arbitrati sunt. quamquam ea quæ à Wilfrido Deo amabili Episcopo Eboricæ sanctæ ecclesiæ oblata sunt, qui de sua sede ejectus à prænominato sanctissimo, Apostolicam sedem appellans huc usque pervenit: in quibus cùm multas quæstiones inferrent, neque secundùm sanctorum Canonum subtilitatem convictum de aliquibus facinoribus, & ideo non canonicè dejectum reperimus; neque qualiber facinora perpetrasse dictis propriis accusatores ejus comprobare voluerunt, pro quorum flagitiis degradari debuisset. Potiùs autem & modestiam hunc tenuisse perpendimus, quòd non seditiosis quibusdam decertationibus se ipsum implicuisset. Sed postquam de sua sede repulsus est, Coepiscopis suis facti meritum innotescens memoratus Deo amabilis Episcopus Wilfridus, exinde ad hanc Apostolicam

[a] Et quidem *mense Octobri*, *Indictione* VII, *anno* notæ conveniunt in annum Christi DCLXXIX,
XX *Constantini*, ut legitur apud Spelmannum, quæ idque planè consequitur ex dictis.

sedem accurrit, in qua summi Sacerdotii principatum fundavit, qui suo sanguine sanctam Ecclesiam redemit omnipotens Christus Dominus, & Principis Apostolorum auctoritate firmavit. Vestri denique apostolatus auctoritati concessum est, quid in hoc ordinare præcipiatis. An. Chr. DCC IX, Apri. XXIV.

Agatho sanctissimus ac ter beatissimus Episcopus sanctæ Catholicæ atque Apostolicæ ecclesiæ urbis Romæ dixit: Wilfridus Deo amabilis Episcopus sanctæ Evooicæ ecclesiæ præ foribus nostri secretarii moratus, ad nostrum secretarium juxta suam postulationem cum petitione, quam secum adferre dictus est, ammittatur.

Wilfridus Deo amabilis Episcopus, dum venerabile secretarium ingrederetur, dixit: Deprecor vestram Pontificalem beatitudinem, ut meæ humilitatis petitionem excipi, coramque relegi præcipiatis.

Agatho sanctissimus Episcopus dixit: Wilfridi Deo amabilis Episcopi ejus petitio suscepta coram omnibus relegatur. Et accipiens Johannes notarius relegit sancto & Apostolico concilio. Hæc est petitio Wilfridi Episcopi.

Wilfridus, humilis & indignus Episcopus, Saxoniæ, ad hoc apostolicum fastigium, tamquam ad locum munitum turremque fortitudinis, gressus cordis sui Deo præveniente perduxi: qui unde normam sacrorum canonum in omnes Christi ecclesias per totum orbem diffusas manare cognosco, ex eo meæ humilitatis justitiæ censuram confidenter præstolor conservari. Cognovisse quippe confido vestrum pontificale fastigium, tam ex meæ parvitatis suggestione, quàm quæ viva voce personaliter intimavi, & per satisfactionem petitionis scriptis narrantibus obtuli ejus apostolicis obtutibus in ipso mei adventus exordio præsentatus, quòd nullam in me supplici canonicam culpam reperientes quidam mei Episcopatus invasores, illicita præsumtione, contra sacrorum canonum normas ac definitiones, in conventu Theodori sanctissimi Archiepiscopi Cantuariorum ecclesiæ, aliorumque tunc temporis Antistitum cum eo convenientium, sedem quam per decem & eo amplius annos cum Dei clementia dispensabam, raptorum more invadere, atque eripere moliti sunt, & in eadem sede subsidere. Et non solùm unum, sed tres in mea ecclesia sese promoverunt Episcopos, licèt canonica non sit eorum promotio. Quid autem acciderit, ut Theodorus sanctissimus Archiepiscopus me superstite in sedem, quam licèt indignus dispensabam, absque consensu cujuslibet Episcopi, tres sua auctoritate, mea humilitate non adquiescente, ordinaret Episcopos, ommittere magis quàm flagitare pro ejus Dei viri reverentia condecet: quem quidem eo quòd ab hac Apostolica sede directus est, accusare non audeo. Verùm si claruit, quòd contra jus regularium sanctionum de dispensatione Ecclesiæ, cui licèt indignus præeram, ab infestis propulsus sum sine convictione cujuspiam criminis & absque culpa facinoris, citra ullius delicti piaculum, quod canonica percellit severitas; & neque de pristina sede pulsus tumultuosus cuiquam apparui, neque seditionis quæstionem succensi, neque ambitiosis contentionibus obstiti; sed confestim hujus sacrosanctæ sedis appellavi subsidium, consamulos atque consacerdotes meos earumdem provinciarum Episcopos tantummodo protestatus abscessi; siquidem prævidit vestra Apostolica summitas unà cum consedentibus sanctissimis Episcopis privatum me esse, qui pro nulla culpa convictus sum, humili devotione quæ censentur amplector. Si autem & pristinum Episcopatum percipere, sequor, totisque viribus veneror ab Apostolica sede prolatam sententiam: tantùm ut invasores de pristinis parochiis Ecclesiæ, cui ego indignus vester famulus præfui, vestra synodali sanctione pellantur. Et si rursus in eadem parochia cui præfui, Præsules ad-

An. Chr. DCCIX. April. XXIV. „ hibere providerit; saltem tales jubeas providere promovendos, cum „ quibus possim, pacifica atque tranquilla concordia inter nos obtinente, „ Deo unanimiter deservire [a]: ut videlicet unusquisque nostrûm concessa ecclesiæ jura cognoscat, & vigilantiam sibi commissis impertiat: ut si „ placuerit Archiepiscopo & Coepiscopis meis, ut augeatur numerus Episcoporum; tales eligant de ipso Clero ecclesiæ, quales in Synodo placeat „ congregatis Episcopis: ut non à foris & alienis dominetur Ecclesia. „ Quicquid enim confusum & indiscretum est, inextricabiles atque inexplebiles dissensiones exaggerat: nec valebit à quodam Pontifice ullatenus, de quo contenditur, dispensari. Confido enim, quòd omnem „ devotæ obedientiæ obsequelam statutis apostolicis exhibebo: ad cujus æquitatem omnibus abjectis cum tota mentis confidentia properavi.

XIX. *De responsione Agathonis.*

AGATHO sanctissimus ac ter beatissimus Episcopus sanctæ Catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ urbis Romæ dixit: Non mediocriter „ audientibus satisfacit petitionis series, quam Wilfridus Deo amabilis „ Episcopus obtulit, in hoc, quòd cùm se indignè de Episcopali sede ejectum agnoscat, non contumaciter obstitit ambientibus, nec vi vim repellere sæculariter maluit: sed humiliter sentiens, auctoris nostri beati „ Petri Apostolorum principis canonicum expetivit subsidium supplici præstolatione, quæ super eo censenda sunt, promptè suscepturum pollicetur. „ nec ambigit de prolatione sententiæ: sed quæ terminantur, amplectitur, „ integra fide se suscepturum perhibens, quod nostro ore auctor noster „ beatus Petrus Apostolus, cujus ministerio fungimur, providerit statuendum.

XXX. *De responsione Synodi.*

UNIVERSA Synodus quæ unà cum sanctissimo atque ter beatissimo Agathone Apostolico Papa convenit, regulariter inter cetera definiens „ dixit: Statuimus atque decernimus, ut Deo amabilis Wilfridus Episcopus „ Episcopatum quem nuper habuit, recipiat, salva definitione superiùs ordinata: & quos cum consensu Concilii ibidem congregandi elegerit sibi adjutores Episcopos, cum quibus debeat pacificè conversari secundùm regulam superiùs constitutam, à sanctissimo Archiepiscopo promoti ordinentur, „ expulsis proculdubio eis, qui in ejus absentia in Episcopatum innormiter missi sunt. [b] Si quis proinde contra horum statutorum synodalium „ decreta ausu temerario obsistere temtaverit, vel non obedientem susceperit, vel post quodlibet temporis spatium, quiqui sunt vel fuerunt, „ infringere ea in totum vel in partes temtaverit; ex auctoritate beati „ Petri Apostolorum principis eum hac sanctione percellendum censemus: „ ut, siquidem Episcopus est, qui hanc piam dispositionem temerare temtaverit, sit ab episcopali ordine destitutus, & æterni anathematis reus: „ similiter si Presbyter, aut Diaconus fuerit, vel inferioris gradus Ecclesiæ: si verò Clericus, Monachus, vel laïcus cujuslibet ditionis, vel „ Rex; extraneus efficiatur à corpore & sanguine Salvatoris nostri Domini JESU-CHRISTI; nec terribilem ejus adventum dignus appareat „ conspicere. Si quis verò hæc quæ à nobis statuta & definita sunt, cum

a Quæ sequuntur usque ad responsionem Agathonis, desunt in editis apud Vvillelmum.

b Item quæ abhinc subsequuntur, apud Vvillelmum desiderantur.

sincera devotione & perfecta satisfactione susceperit, tenuerit, perfecerit; videat bona Domini in regione vivorum, consorsque dextræ patris exsistat, ac æternam beatitudinem possideat, & illam beatificam vocem mereatur audire cum omnibus Sanctis, qui divino conspectui placuerunt, & æternam gloriam possederunt, audiens & ipse pro obedientia, quam Deus præ omnibus sacrificiis diligit, ab ipso judice omnium Domino nostro Jesu-Christo: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Matt. 25, 34.

XXXI. *De reditu Pontificis nostri.*

TRANSACTIS itaque ibi multis diebus[a] secundùm apostolicum imperium, & totius Synodi sanctæ jussu, patriam remeare, judicia Apostolicæ sedis scripta secum reportare, & sancto Archiepiscopo THEODORO & Regi ECFRIDO ostendere, Deo amabili Episcopo Wilfrido præceperunt. Ille verò sanctus Pontifex noster indubitata fide præceptis Apostolicæ sedis, sicut promiserat, in omnibus humiliter obediens, circumiens loca Sanctorum ad orationem per plures dies, & reliquiarum sanctarum ab electis viris plurimum ad consolationem ecclesiarum Brittaniæ adeptus, nomina singulorum scribens, quæ cujusque Sancti essent reliquiæ; multaque alia bona, quæ nunc longum erit enumerare, ad ornamentum domus Dei more suo lucratus; cum Apostolicæ sedis & universæ sanctæ Synodi benedictione, cum omnibus gaudens & lætus ad regionem suam redire, & ad patriam pervenire, Deo adjuvante, incipiebat. Pergente ergo sancto Præsule nostro ab Apostolica sede cum triumphali judicio per Campaniam, & montana transscendente, in regionem Francorum pervenit: ibique nuper amico suo fideli DAEGBERHTO Rege per dolum Ducum & consensu Episcoporum (quod absit[b]) insidiosè occiso: ex quibus unus[c] cum ingenti exercitu obviavit, cogitans impiè in corde suo insidias, nisi Deus testificsset ei, sodales suos omnes spoliatos aut in servitutem redigere, aut vendere sub corona, seu rebellantes occidere, atque Pastorem sanctum nostrum anxiatum in custodia usque ad EFRUINI Ducis reservare judicium. Interrogavitque eum Episcopus, dicens: Qua fiducia tam temerariè per Francorum regionem pergeret *, qui dignus es morte, quia nobis Regem subsidio tuo factum exsilio emisisti? dissipator erat urbium, consilia seniorum despiciens; populos, ut Roboam filius Salomonis, tributo humilians, ecclesias Dei cum Præsulibus contemnens: quorum malorum pœnas luens occisus, cadaver ejus humatum jacet. Sanctus verò Pontifex noster humiliter respondit Episcopo: Veritatem dico in Christo Jesu, & per sanctum Petrum Apostolum non mentior, quia talem virum exsulantem & in peregrinatione degentem, secundùm Dei præceptum Israëlitico qui

* pergit

[a] Nimirum *per quatuor menses*, ut tradit Eddius in cap. 50, & eo amplius. Per id tempus ● ilstredus interfuit alteri Synodo Romanæ centum viginti quinque Episcoporum adversus Monothcletas celebratæ, *tertia die Paschæ* anni DCLXXX, infrà, cap. 50. Utramque Synodum memorat Vuilhelmus, qui relatis superioribus actis hæc subdit. *Hæc decretis glorificandus Episcopus, etiam jussu Papæ jussus est residere in numero sanctorum Episcoporum* CL, (lege CXXV) *qui agitabant Concilium contra illos, qui unam operationem prædicant in duabus naturis Domini nostri Jesu-Christi.* Hujus dumtaxat posterioris Synodi disertè meminit Beda in lib. 5 cap. 20. Confer hujusce tomi Præfationem, sub finem, ubi de nece Dagoberti Austrasiorum Regis.

[b] Id est, quod exsecrandum. Eadem phrasi usus est Auctor suprà cap. 25. Quinam illi fuerint Pseudepiscopi, quorum scelerata factione cæsus est Dagobertus, non facile est indicare. Ex eorum numero conjectos fuisse Faramundum, qui loco Landeberti è cathedra sua pulsi in sedem Trajecti superioris Ebroïno procurante intrusus; & Vaimerum, qui ex Duce Campaniæ *Episcopatus gradu*, propterea quòd in sancti Leodegarii necem conspiraverat, ab eodem Ebroïno *denuò sublimatus est*, referente anonymo scriptore, qui Leodegarii passionem retulit.

[c] Forteau Vaimerus, ex Duce Campaniæ Episcopus curante Ebroïno creatus, ut mox notabam.

An. Chr. DCCIX. April. XXIV. „ accola fuit in terra aliena, auxiliatus, enutrivi, & exaltavi in bonum, „ & non in malum vestrum: ut ædificator urbium, consolator civium, „ consiliator senum, defensor ecclesiarum Dei, in nomine Domini secundùm promissum ejus esset. O rectissime Episcope, quid aliud habuisti facere, si exsul de genere nostro & semine regio ad sanctitatem „ tuam pervenitet, quàm quod ego in Domino feci? Respondit Episcopus: „ Dominus custodiat introitum, & reliqua. &, Væ mihi peccatori, da indulgentiam, quia secundùm Judam Patriarcham video te multò justiorem „ me esse. Sit Dominus vobiscum, & sanctus Petrus Apostolus in auxilio „ vestro.

XXXII. *De eo quòd Rex contempsit judicia Apostolicæ sedis.*

DEINDE longè spatia terrarum peragrans, Dei adjutorio in navigio maris magnitudinem superans, inlæsus cum omnibus evasit ad regionem propriam, in subditorum suorum tædio languentium, & ad Dominum cum lacrymis clamantium, gaudium maximum, vita comite veniens, vexillum victoriæ ferens, hoc est Apostolicæ sedis judicium secum deportans, pacificè salutans Regem adiit, Regique humiliter scripta Apostolicæ sedis judicia cum totius Synodi consensu & subscriptione ostendens, cum bullis & sigillis [a] signatis reddidit: deinde omnibus Principibus ibidem habitantibus, necnon servis Dei in locum synodalem accersitis, ad audienda salutifera consilia, ab Apostolica sede causa pacis ecclesiarum transmissa. Postquam verò quædam difficilia sibi & suæ voluntati contraria lecta audiverunt; contumaciter quidam ex iis respuerunt, insuper (quod exsecrabilius erat) defamaverunt in animarum suarum perniciem, ut pretio dicerent redemta esse scripta, quæ ad salutem observantium ab Apostolica sede destinata sunt. Tum verò jussione Regis & ejus consiliatoribus * cum consensu Episcoporum, qui ejus Episcopatum tenebant, in custodiam ducere, & novem mensesfine ullo honore custodire censuerunt. Jamjamque Rex (ut diximus) scriptis Apostolicæ sedis apertis & recitatis, (quod dictu horribile erat) Petri Apostoli & Apostolorum principis, qui habet à Deo solvendi ligandique potestatem, cum adolatoribus suis iratus judicia contemnens, sanctum famulum Dei spoliatum seorsum in custodia in suo solo vestimento custodire, & omnes subjectos ejus dispersos per compita viarum, nullumque ad se ex amicis ejus adire per salutem suam jurans austerè præcepit. Regina verò ejus olim suprà fata chrismarium hominis Dei sanctis reliquiis repletum (quod me enarrantem horruit) de se absolutum * in thalamo suo manens, aut curru pergens juxta se pependit: quod Reginæ, sicut Philistæis fugato populo Israelitico, arcamque Dei captantes, Sancta sanctorum per civitates suas reducentes, omnino in malum accidit.

* consiliatorum

* f. abstractum

XXXIII. *De hortatione sociorum.*

LOCUTUSQUE est Deo amabilis Wilfridus Episcopus sociis suis, „ dicens: Habete in mente, & fratribus meis dicite dies antiquos, quomodo legimus in veteri lege Patriarchas Deo amabiles, & Israelem primogenitum ejus per CCCC annos & amplius de gente in gentem, „ & de regno ad populum alterum, exspectantes repromissionem, & non „ desperantes, pertransierunt; necnon Moses & Aaron, & omnes Prophetas Dei, varias ab hominibus persecutiones, sperantes in Domino, perpessi

[a] Sic infrà cap. 54. *statuta de se judicia signata cum* BULLIS *& sigillis ostendit.* de his alibi plura.

sunt.

sunt. Legimus quoque in novo Testamento Pastorem magnum ovium & totius Ecclesiæ caput JESUM-CHRISTUM a Judæis crucifixum, & discipulos suos dispersos, & postea per totum mundum cum suis subsecutoribus in variis temtationibus coronatos, non obliviscentes consolationis, quæ tamquam filiis loquitur dicens: *Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris, dum ab eo argueris. quem enim diligit Dominus, castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit.* Ideo enim, fratres & adjutores mei in Christo, secundùm egregium Doctorem, nos tantam habentes impositam nubem testium, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen.

An. Chr. DCCIX. April. XXIV.

Hebr. 12, 5.

XXXIV. *De domo inluminata à Deo.*

FINITO igitur sermone consolationis, duces Regis tenentes justum doctorem disciplinæ Dei, & ducentes, quasi ovem ad occisionem qui non aperuit os suum, ad Præfectum nomine OSFRID, qui præerat in Broninis urbium [a] Regis, ante enim statuerunt, præcipientes ei sermone Regis, ut Pontificem nostrum locis tetra caligine obscuratis, nullo amicorum sciente, diligenter custodiret eum: qui tunc ob maxima fidei merita lumen Brittaniæ dici potuit. Comes autem suprà dictus Regi fidelis, jussu ejus urgente, in latebrosis locis, ubi rarò sol per diem inluxit, & lampas in horrorem noctu non accenditur, cum custodibus servabat. Custodes verò jugiter psalmodiam sancti hominis Dei audientes, & videntes in obscura nocte domum interlucentem, quasi per diem; omnibus sanctitatem ejus narrantes timore stupefacti incusserunt. O lumen æternum Christe, qui numquam deseris confidentes in te, sed qui lux vera crederis, & illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum; qui in primordio nativitatis futuri famuli tui horam qua de vulva matris egrediebatur, igneo splendore consignabas; nunc in antro nimiæ obscuritatis oranti lucem angelicæ visitationis adhibere dignatus es, sicut Petro Apostolo tuo ab Herode impio Rege catenato in carcere, Angelus verò Domini adstitit, & lumen refulsit in habitaculo; sit tibi gloria & gratiarum actio. In ipso ergo temporis spatio, quo eum detentum in custodia sine aliquo honore Rex habuit; Episcopatum ex parte quem priùs possidebat, & dona alia non mediocriter promittebat, si jussionibus & censuris ejus acquiescere voluisset; & statuta canonica, quæ ab Apostolica sede missa sunt, eligeret denegare vera esse. Ille ad hæc humiliter, & tamen cum fiducia Apostolicæ auctoritatis respondit, priùs se capite truncandum esse, quàm id umquam confiteri velle. Ecce bona voluntas quæ Dominum novit, immutari non potest.

XXXV. *De sanata muliere.*

MANENTE itaque sancto Pontifice nostro patienter in custodia carceris, sic Dei virtutibus declaratus erat, sicut Johannes Apostolus & Evangelista in Pathmos insula à Cæsare relegatus vidit magnalia Dei. Nam eo tempore, ut diximus, anxiatò sancto Pontifice nostro, mulier Præfecti hujus urbis extemplo alligata languore, totis membris desolutis rigida, frigido corpore, clausis oculis, spumantique ore ultima spi-

[a] Rectiùs *urbe Regis*, qua de urbe Thomæ Galli observationem ex ipsius epistola mihi directa hic appono. Iste locus olim *Brunnan-uuerck* vel *Brunanburg* & *Bromanburg* dicebatur; nunc dicitur *Bruceford* vel *Brunford*, in Northumbria, ubi cum Aulafo feliciter pugnavit Ethelstanus. Idem locus *Vuendune* appellabatur, si Auctori anonymo, qui de Episcopis Lindisfarnensibus scripsit, & Camdeno credamus.

An Chr. DCC IX. April. XXIV.

ramina vitæ de pectore insensata trahebat. Vir verò ejus videns statim morientem mulierem, festinanter cucurrit ad sanctum Pontificem nostrum, sicut Centurio ad Dominum; genuflectens & peccata sua deplorans, & Regis in eum commissa confitens: adjuravit eum in nomine Domini, ut sibi non merenti, & mulieri morienti subveniret. Sanctus autem Pontifex noster immemor malorum, sicut Joseph, ductus de carcere, miserantem *adiit, stans super eam aqua benedicta faciem adspergens: & oratione facta, Dei auxilium implorans, os ejus guttatim aquâ benedictâ [a] madefactum irrigavit; deinde autem eructante, & longa suspiria trahente, apertis oculis sensum vitæ & intelligentiæ recepit, & post paullulum calefactis membris, capite elevato, lingua movente loquebatur, gratias agens Domino: sicut socrus Petri sanata, sancto Pontifici nostro honorificè ministravit: & adhuc vivens illa, nunc Sanctamonialis materfamilias, nomine Æbbe [b], cum lacrymis hoc narrare consuevit.

* f. miserã.

XXXVI. *De eo quòd vincula de se cadebant.*

PRÆFECTUS verò suprafatus sanctum Præsulem nostrum in honore habere propter timorem ejus diutius non morari ausus, & propter sanctitatem ejus Dei iram timens, in nullam contumeliam ponere maluit, mittens nuntios ad Regem, dicens: „Adjuro te per vitam meam & „salutem tuam, ut ne me coges hunc sanctum Episcopum & innocentem „in perditionem meam diutius punire: quia magis eligo mori, quàm eum „innoxium flagellare. Quo audito Rex iratus jussit duci in urbem suam *Dynnbaer* [c], ad Præfectum nomine TIIDLIN, quasi ferociorem: præcipiensque ei, ut hunc talem virum & tantum Pontificem, in compedibus & manicis alligatum, seorsum ab hominibus separatum custodiret. Ille verò præcepto Regis coactus, vincula ferrea fabros facere jussit: qui sine causa opus diligenter in membra sancti Confessoris nostri metientes facere inchoabant, Deo enim * resistente. Nam semper aut coangusta & anxiata vincula circum amplectere membra non potuerunt: aut tam dilata & laxata, ut de pedibus evangelizantis & de manibus baptizantis resoluta caderent. & ideo timidi facti sine vinculis hominem Dei semper psallentem & Deo gratias agentem, secundùm Apostolum ad Hebræos, dicentem: Magnum certamen sustinens passionum, in opprobriis spectaculum factus, & rapinam omnium bonorum suorum suscipiens; & his à contribulis suis illatis: atque ad tempus à Deo definitum inviti seorsum custodiebant.

* f. eis

XXXVII. *De Regina flagellata, & sanata.*

NAM interim Rex cum Regina sua per civitates & castella vicosque quotidie gaudentes & epulantes in pompa sæculari circumeuntes, quodam tempore ad Cœnobium, quod *Colodesburg* [d] dicitur, pervenerunt, cui præsidebat sanctissima materfamilias, nomine ÆBBE, soror

[a] Consimile factum legitur in Vita S. Antonini Abbatis Surrentini, suprà pag. 428.

[b] Alia fuit Ebba Coludensis Abbatissa, de qua in capite sequenti.

[c] Eadmerus legit *Tiumber, ad Præfectum nomine* TYDLIN. quæ nomina cùm apud Eddegodum non legantur. Eadmerus haud dubiè legerat apud Eddium, tametsi ejus Auctoris non meminit. Hinc corrigendus Vvillelmus, qui satellitem hoc loco appellat *Tumber*, cùm nomen sit urbis, in quam retrusus est Vvilfridus, non Præfecti, cujus operâ id factum est.

[d] Coludi urbem appellat Beda in lib. 4 cap. 25, ubi etiam Ebbæ Abbatissæ Coludensis meminit, atque etiam cap. 19, ubi *amitam Ecgfridi Regis* appellat. *Coldingham* modò nominatur, qui locus est in ea parte Scotiæ, quam Merchiam vocant.

Osvihi Regis sapientissima. Illic enim Regina ea nocte abrepta à dæmone, sicut uxor Pilati multis flagellis defatigata, vix diem vivens exspectavit. Crastina verò die elucente, mox sapientissima materfamilias veniens ad Reginam, contractis membris simul in unum strictè alligatam, & sine dubio morientem videns, Regem adiit, Regique memorat lacrymabili voce, unde hoc miserabile malum secundùm suam intelligentiam ei evenisset, dicens audaciter: Ego scio, & verè scio, quòd Deo amabilem Wilfridum Episcopum sine alicujus sceleris piaculo de sede Episcopatus abjecisti, & exsilio expulsus sedem Apostolicam adiit; & inde reversum cum scriptis Apostolicæ sedis, quæ habet, cum sancto Petro Apostolo potestatem ligandi & solvendi insipienter contemnens spoliasti; dum & mala malis addens, in carcerem Sanctum conclusisti. Et nunc, fili mi, secundùm consilium matris tuæ fac, disrumpe vincula ejus, & sanctas reliquias quas Regina de collo spoliati abstraxit, & in perniciem sui, sicut Arcam Dei per civitates ducens, per fidelem nuntium dimitte ei: & si nolueris (quod optimum est) illum in Episcopatu habere, dimitte eum liberum de regno tuo cum suis, quocunque voluerit, abscedat. Tunc secundùm meam fidem vita vivet Regina, & non morietur: sin verò hoc renueris, Deo teste non eritis impuniti. Jam enim Rex obediens matri castissimæ factus est: & sanctissimum Sacerdotem nostrum resolutum cum sanctis reliquiis & suis sociis congregatis à se liberè discedere concessit, & Regina sanabatur. AN. CHR. DCC IX. APRIL. XXIV.

XXXVIII. *De eo quòd* BEORHTVALD *suscepit eum.*

PROFICISCENTE ergo Deo amabili Wilfrido Episcopo cum suis sodalibus, patria rura deserens, australia regna in exsilio quærens; Dominus qui Sanctis suis in temtationibus adest, Præfectum, virum nobili genere, & nomine BEORHTVALD, filium fratris [a] Ethelredi Regis Merciorum, mitissimo animo in obviam emisit: & statim ut vidit tam honorabiles homines, & causas peregrinationis sancto Doctore nostro revelante audivit, adjurans in nomine Domini manere secum, & partem territorii sui ad habitandum in eo servos Dei cum omni diligentia poposcit. Sanctus verò Præsul noster gratias agens Deo, quòd aliquod solatium requiei dedisset, statim in eo territorio pro Deo donato Monasteriolum fundavit, quod adhuc usque hodie Monachi ejus possident. Deinde vigilante antiqui hostis invidia ETHELREDUS Rex & Regina sua, soror [b] Ecfridi Regis, audientes hominem Dei de patria expulsum, & illic manentem, & modicum quiescentem; Præfecto viro Beorthvaldo in sua salute interdicunt, ut sub eo unius diei spatium esset pro adolatione Ecfridi Regis. Deinde cum odio Pontifex noster expulsus, manentibus tamen illic Monachis suis, Regem Westsexna [c] adiit, nomine CENTWINI; per parvumque spatium pro subsequente persecutione ibi manebat. Nam illic Regina, soror Irmenburgæ Reginæ, odio oderat eum, uti propter amicitiam Regum suprà dictorum trium dehinc fugatus abscessit.

a Sic etiam legit Vvillelmus. Corrigendus proinde Eadmerus, qui Beorthvaldum Ethelredi fratrem scribit. Ethelredi fratres fuere Vveda, Vvlfarius, unus post alium Merciorum Reges; Mercevvaldus, & Mercellinus, ex Vvillelmo

b Osdtidam seu Osthridam vocat Beda in lib. 4 cap. 21. & post eum Vvilielmus in Vvilfridi actis. at in lib. 1 de gestis Regum Anglorum cap. 4 Ostigildam seu Ostgidam, ex qua Ethelredus filium Ceolredum suscepisse perhibetur. Ostridæ cædem anno DCXCV adsignat Beda in epitome.

c Sic Vvest-Saxonum regionem rursus appellat in capite sequenti, fortè legendum *Vvestsexna*, ut infra *Southsaxan*.

An. Chr. DCC IX. April. XXIV.

XXXIX. *Quomodo in Selæsia paganos convertit ad Dominum.*

QUID igitur magis morot in verbis? relaxata custodia, de propria provincia expulsus erat, itaut nec in aliena regione ultra vel citra mare, ubi potestas ECFRIDI prævaluit, requiem habere permiserit: sed sine intermissione persecutionem quam in eum exercuit, in unaquaque regione, in qua disponebat manere, jugiter commovere non cessavit. Tunc verò gentis nostræ quædam provincia gentilis usque ad illud tempus perseverans vixit, quæ pro rupium multitudine & silvarum densitate aliis provinciis inexpugnabilis restitit, & ad illos paganos in *Southsexum* [a] Deo dirigente viam, & humano auxilio cessante, sanctus Episcopus noster confugit. Invento itaque Rege eorum, cujus nomen erat ETHELWALCH, totius exsilii sui austeritatem per ordinem enarravit. cui statim Rex sub federe pacis talem amicitiam promisit, ut nullus inimicorum ejus, aut minaci hostis gladio belligerantis sibi terrorem incuteret, aut munerum & donorum magnitudine pactum initum federis secum irritaret. Sanctus verò homo Dei gavisus in verbis consolationis, gratias agens Deo, primùm Regi & Reginæ verbum Dei & regni ejus beatitudinem & magnitudinem leniter suadens, quasi lac sine dolo dedisset, prædicare cœpit: deinde postea cum consensu Regis, Deo concedente, & ex oratione Pontificis sancti nostri gentes quibus ante prædicatum non erat, & numquam verbum Dei audierant, congregatæ sunt. Stans itaque sanctus Wilfridus Episcopus noster in medio gentilium, secundùm exemplum Domini nostri JESU-CHRISTI & Præcursoris ejus dixit: *Pœnitentiam agite, appropinquavit regnum cælorum.* &, *Baptizetur unusquisque vestrûm in Domine Dei Patris & Filii & Spiritus-sancti*, & cetera; per plures menses longo ambitu verborum ab exordio mundi omnipotentis Dei facta in contemtum idololatriæ eleganter enumerans usque ad diem judicii, ubi pœna æterna peccaroribus, & electis Dei vita perpetua præparabitur; suaviloqua eloquentia omnia mirabiliter per ordinem prædicavit prædicator evangelicus. Tunc quippe sanctus Pontifex noster à Deo missus invenit gratiam in conspectu Regis, & ostium magnum Fidei, secundùm Apostolum, apertum erat ei; & paganorum utriusque sexus, quidam voluntariè, alii verò coacti Regis imperio, idololatriam deserentes, Dominum potentem confitentes, sicut per beatum Petrum Apostolum in una die multa milia, baptizati sunt. Rex namque mitis & pius per Dominum factus, villam suam propriam, in qua manebat, ad episcopalem sedem cum territoriis postea additis LXXXVII mansionum Selæsiæ [b] sancto novo Evangelistæ & Baptistæ, qui sibi suisque cunctis vitæ perpetuæ viam aperuit, concedit: ibique Fratribus suis congregatis Cœnobium ad requiem fundavit, quod usque hodie subjecti ejus possident.

Matth. 3, 2. Act. 2, 38.

XL. *De Cedvala Rege facto.*

IN diebus quoque illis per Pontificem nostrum populus Ecclesiæ Dei copiosè de die in diem crescens, & nominis ejus gloria magnificè clarescens, venit quidam exsul nobili genere de desertis Ciltinæ [c] & *On-*

[a] Id est Australes Saxones, de quorum conversione per Vvilfridum copiosè agit Beda in lib. 4 cap. 13. ubi Vvilfridus per annos quinque ibi mansisse dicitur, *hoc est usque ad mortem Egfridi Regis*, quæ accidit anno DCLXXXV. Eò igitur pervenit anno DCLXXX.

[b] Ibi Vvilfridus *officium Episcopatus verbo exercebat & opere*, ex Beda. Eò loci à posteris sedes Episcopalis instituta.

[c] Vvestsaxonum provincia, à Fridegodo *Caltena dicta*: in cujus deserta refugerat Cedvala, à Ducibus Ethelvvaci Regis Berchtuno & Anduno, qui deinceps Vvestsaxonum regnum tenuerunt, expulsus, testante Beda in lib. 4 cap. 15.

dred, nomine CEDVALA, sancti parentis nostri amicitiam diligenter poscens, ut ei esset in doctrina & auxilio pater fidelis, & ei ille filius obediens, voto vovens promisit quo pacto inito, teste Deo veraciter compleverunt. Nam sanctus Antistes Christi in nonnullis auxiliis & adjumentis sæpe anxiatum exsulem adjuvavit, & confirmavit, usquedum corroboratus spernens inimicos regnum adeptus est. Quippe regnante Cedvala, occisis [a] & superatis inimicis ejus, totam Westsexna regionis monarchiam tenens, statim sanctum Wilfridum Episcopum nostrum, gentilem populum *Southsexum* bene ad Dominum convertentem, & nomen Domini per se magnificè glorificantem, patrem suum venerabilem & super omnes carissimum ad se venire humiliter accersivit: jam jamque sancto & venerabili Patre nostro veniente Rex Cedvala in omni regno suo excelsum consiliarium mox illum composuit, sicut Pharao Rex Ægypti Joseph de carcere deducto secundùm Prophetam dicentem: *Constituit eum dominum domus suæ*, usque, *prudentiam doceret*. Tunc verò Rex Cedvala triumphalis sancto Pontifici nostro per Dominum elevato, & innumeris terrarum partibus & muneribus donorum secundùm desiderium animæ suæ pro Deo donatis magnificè patre suo honorificato, regnum suum, aut in acie gladii, aut federe indultor pacis, inlæsum audaci animo tuebatur.

An. Chr. DCC IX. April. XXIV.

Psal. 104.

XLI. *De pace Pontificis nostri, & THEODORI Archiepiscopi.*

EODEM quoque tempore THEODORUS, gratiâ Dei Archiepiscopus, auctoritatem Apostolicæ sedis, à qua missus erat, metu agitante honorificans, cum beato Wilfrido Episcopo nostro diu exsule spoliato verè amicitiam inire diutius moratus non distulit. Nam cùm Theodorus Archiepiscopus in senecta ubeti frequenti infirmitate anxiatus est, ad Lundoniam civitatem Wilfridum & ERCENWOLDUM [b] suos Episcopos ad se invitavit. Venientibus autem illis Archiepiscopus sapienter totius vitæ suæ cursum [c] cum confessione coram Domino purè revelavit, dicens: Et hoc maximè scrupulum me premit, quòd in te, sanctissime Episcope, commisi, consentiens Regibus, sine causa peccati, propriis substantiis spoliantibus te, & mætentibus subjectis tuis in longum exilium exterminantes (heu prô dolor!) omnis mali. Et nunc confiteor Domino & sancto Petro Apostolo. Et vos, sancti Episcopi mei, testes estote, ut cunctos amicos meos regales & principes eorum ubique ad amicitiam tuam, pro remissione peccati mei, per omnem modum volentes nolentesque constringens adtraho. Scio enim post hunc annum appropinquantem vitæ meæ terminum secundùm Domini revelationem. & ideo adjuro te per Dominum & sanctum Petrum mihi consentire, ut in sedem meam archiepiscopalem superstitem & heredem vivens te constituam: quia veraciter in omni sapientia & in judiciis Romanorum eruditissimum te vestræ gentis agnovi. Tunc sanctus Wilfridus Episcopus dixit: Det tibi Dominus & sanctus Petrus remissionem omnis contro-

[a] Nempe Ethelwaco seu Edilvaco, Australium Saxonum Rege, de quo in capite superiori; & Berchthuno Westsaxonici regni invasore cum Anthuno, ut constat ex Bedæ loco mox citato. qui Auctor in ejusdem libri 4 cap. 16 agit de Vectæ insulæ conversione per Wilfridum, cui Cedvala *nondum regeneratus* ejus insulæ quartam partem pollicitus erat; idque demum præstitit. Wilfridus *partem quam accepit, commendavit cuidam de Clericis suis, cui nomen Berchewine, qui erat filius sororis suæ, dans illi Presbyterum nomine Hiddila, qui omnibus qui salvari vellent, verbum ac lavacrum vitæ ministraret*, ex Beda. Id anno DCLXXXV fieri cœpit, quo anno Cedvalam in regnum restitutum fuisse docet Chronologia Saxonica.

[b] Erkenwoldus seu Earconwaldus erat Episcopus in civitate Londonia, vir sanctus, ex Bedæ lib. 4 cap. 6.

[c] Id est, *ipsi omnia peccata confessus est*, uti explicat Willelmus. De Confessione peccatorum pluribus Sacerdotibus facta copiosè dictum est in Præfatione Sæculi 3.

An. Chr. DCC IX April. XXIV.

versiæ commissæ, & ero pro tua confessione orans pro te amicus in perpetuum: & modò primùm mitte nuntios cum litteris ubique ad amicos tuos, ut nostram reconciliationem in Domino, & me olim innoxium exspoliatum agnoscant; & mihi per tuam adjurationem in Domino secundumque præceptum Apostolicæ sedis partem aliquam substantiæ meæ restituant: & postea, Deo volente, quis dignus sit sedem episcopalem post te accipere, cùm consensu tuo in majori consilio consiliemus *.

* considemus.

Deinde Archiepiscopus post pactum veræ pacis initum, ad ALFRIDUM [a] Regem Aquilonalium misit litteras, per quas adjuravit eum, ut propter timorem Domini, præceptaque Apostolicæ sedis Præsulum; & pro redemtione animæ ECFRIDI Regis, qui priùs Episcopum nostrum privatis * omnibus de patria innocentem exterminavit, reconciliare sub fœdere pacis ad multorum salutem cum eo dignatus sit. Non solùm autem hunc Regem Archiepiscopus ad concordiam excitavit; sed sibi ubique amicos, quasi priùs inimicos, facere diligenter excogitavit. Nam ad ÆLFLEDAM sanctam Virginem & Abbatissam [b] suas litteras emisit, in quibus commendans secundùm auctoritatem Apostolicæ sedis, ut pacem cum sancto Wilfrido Episcopo sine dubio iniret: necnon ETHELREDUM Regem Merciorum adjurans, & in sua & Christi caritate, secundùm quod priùs in mente habebat, suscipere eum his sequentibus dictis præcepit.

* privatum

GLORIOSISSIMO *&* *excellentissimo* ETHELREDO *Regi Merciorum*, THEODORUS *gratiâ Dei Archiepiscopus in Domino perennem salutem.* Cognoscat itaque, fili mi dilectissime, tua miranda sanctitas, pacem me in Christo habere cum venerando Episcopo Wilfrido. Et idcirco te, carissime, paterna dilectione ammoneo, & in Christi caritate tibi præcipio, ut ejus sanctæ devotioni, quantum vires adjuvant, præstante Deo patrocinium, sicut semper fecisti, quamdiu vivas, impendas: quia longo tempore propriis orbatus substantiis inter paganos in Domino multum laboravit. Et idcirco ego Theodorus, humilis Episcopus, decrepita ætate hoc tuæ beatitudini suggero: quia Apostolica hoc velut Sanctis commendat auctoritas, ut ille suprà nominatus sanctissimus in patientia sua, sicut dicit Scriptura, possideat animam suam, & injuriarum sibi injustè inrogatarum [immemor,] humilis & mitis caput suum Dominum salvatorem sequens, & medicinam expetens: & si inveni gratiam in conspectu tuo, licet tibi pro longinquitate itineris durum esse videatur; oculi mei faciem tuam jucundam videant, & benedicat tibi anima mea, anteqnam moriar. Age ergo, fili mi, fili mi, taliter de illo suprà fato viro sanctissimo, sicut te deprecatus sum. Quòd si patri tuo non longè de hoc sæculo recessuro obedieris, multum tibi proficiet ad salutem. Vale [c] in pace, vive in Christo, dege in Domino, Dominus sit tecum.

Quid plura dicam? postquam Ethelredus Rex propter auctoritatem beatissimorum Pontificum, AGATHONIS scilicet, & BENEDICTI, SERGIIQUE, percipientium dignitatem Apostolicæ sedis, canonicè libenter Pontificem nostrum suscipiens, multa Monasteria & regiones proprii juris reddens, habensque illum in summo honore dignitatis, usque ad finem vitæ fidelis amicus indesinenter perseveravit.

a Fuit is alius ab Alchfrido, ut prænotatum est ad caput 7. Nam Alchfridus cum Oswio patre regnavit, eodem (ut puto) superstite mortuus, & ipse legitimo connubio natus: Aldfridus ejusdem Oswii putaticius filius, cùm *in insulis Scotorum ob studium litterarum* exulare, mortuo Egfrido fratre ad capessendum Northumbrorum regnum revocatus est anno DCLXXXV, infrà.

b Streaneshalensis scilicet Parthenonis, auctore Beda in libr. 4 cap. 26.

c Hucusque Theodori epistolam Willelmus in suam historiam transcripsit

AN. CHR. DCC IX. APRIL. XXIV.

XLII. *Quomodo Alfridus Rex suscepit Pontificem nostrum.*

FACTUM est itaque, postquam vergentibus annorum multorum circulis sancto Rectore nostro aliquamdiu honorificè in exsilio degente, & tamen Monachis suis per diversa loca totius Brittaniæ exterminatis, & sub alienis dominis mærentes, exspectantesque à Domino redemtionem, ut postremò audierunt miserrimæ eladis ruinam, ECFRIDO Ultra-Umbrensium Rege occiso [a], & cum omni optimo exercitus sui agmine à gente Pictorum oppresso, post eum ALFRIDUS Rex sapientissimus [b] regnavit, qui sanctum Wilfridum Episcopum nostrum de exsilio, secundo anno [c] regni sui, venerabiliter secundùm præceptum Archiepiscopi ad se invitavit; & primùm Cœnobium cum possessionibus adhærentibus in Hagustaldesæ indulgens; & post intervallum temporis, secundùm beatissimi Agathonis Apostolicæ sedis Præsulis & sanctæ Synodi judicium, propriam sedem episcopalem in Eborica civitate, & Monasterium in HRypis cum redditibus suis reddidit, expulsis de eo alienis Episcopis; quod tantùm quinque annis in gaudio subjectorum suorum de exsilio, sicut Johannes Apostolus & Evangelista Ephesum rediens, securè possedit.

XLIII. *Desuscitata inimicitia inter eos.*

NAM antiquæ inimicitiæ suasores, quasi de sopore somni excitati, mare hujus sæculi in gaudio serenum, procella flante turbinis, invidiæ folliculo ad triste naufragium moventes, & facem dissensionis exstinctam resuscitavere. Quippe inter Regem sapientissimum, & sanctum virum prædictum aliquando pax & securitas & pæne omnis boni gaudium abundavit: aliquando verò aliquod spatium olla fervente nequitiæ plures deterioravit; & sic iterum in concordia, atque iterum in discordia alternatim per multos annos viventes manebant, usquedum postremò maxima flamma inimicitiæ exardescente, de regione Ultra-Umbrensium sanctus homo Dei à Rege ALFRIDO expulsus recessit [d]. Nam prima causa est dissensionis eorum de antiqua origine descendens, quia ecclesia quæ sancto Petro Apostolo dedicata [e] est, territoriis & possessionibus suis injustè privatur. Secunda est, ut Monasterium suprà dictum, quod in privilegium nobis donabatur, in episcopalem sedem transmutatur; & libertatem relinquere, quam sanctus Agatho & quique Reges censuerunt fixè & firmiter possidere. Tertia deinde est, ut jussionibus & decretis Theodori Archiepiscopi ab Apostolica sede missi obedire oportere cogebat, non illa significans canonica statuta, quæ in principio episcopatus sui apud nos degens, aut in novissimis temporibus vitæ suæ constituit, quando omnes ecclesias nostras ad canonicam pacem unanimiter vocabit: * sed magis ea decreta, quæ mediis temporibus suis, quando discor- * vocavit

[a] Id contigisse anno incarnati Verbi DCLXXXV, & quidem XIII *Kal. Iunii arum*, docet Beda in lib. 4 cap. 26, eumdemque annum Eadmerus post eum notat.

[b] Beda ibidem; *Successit*, inquit, *Egfrido in regnum Aldfrid, vir in Scripturis doctissimus, qui frater ejus, & filius Oswini Regis esse dicebatur*, &c.

[c] Anno proinde Christi DCLXXXVI desinente, aut sequenti ineunte.

[d] Post annos ab ejus concordia seu reditu quinque, ex fine capitis præcedentis: id est anno Christi DCXCI.

[e] Ripensis scillcet. Nam Hagustaldensis sancto Andreæ nuncupata erat. Vvillelmus hunc locum ita reddit. *Rex Alfridus Monasterium Ripense possessionibus propriis mutilans, Episcopatum ibi constituere meditabatur: asserens decretis Theodori Archiepiscopi consentiendum, non primo & ultimo tempore prolatis, sed illis quæ mediis diebus*, &c. Hæc autem dissensio meritò *ex antiqua origine* descendisse dicitur: siquidem Ecfridus Alfridi frater longè antè, aut potiùs Theodorus Archiepiscopus ipso instigante, Edhedum Episcopum Ripensi Ecclesiæ præfecerat, ex Beda lib 4 cap. 12.

An. Chr. DCC IX. April. XXIV.

dia inter nos in Brittannia exorta fuerat, statuit. Ideo sanctus Pontifex noster hæc renuens, ad amicum fidelem ETHELREDUM Regem Merciorum accessit, eumque * eum magno honore propter reverentiam Apostolicæ sedis suscepit; & in multa reverentia Episcopatus [a] ejus, quem reverentissimus SEXWLFUS Episcopus vita obeunte antè regebat, sub protectione Dei & illius degens mansit.

* qui eum

XLIV. *De Concilio.*

IGITUR ALFREDO Rege cum sancto BERTHWALDO Archiepiscopo & totius pæne Brittanniæ Episcopis congregata Synodo in campo qui dicitur Onestrefelda [b]; deinde Legatis ad præsentiam sancti Wilfridi Episcopi missis, rogantibus humiliter ut eorum obtutibus dignaretur præsentari, promitteotes per nuntios suos statuta canonica de fraude antiqua rationem se reddituros, si ad illorum conventum non negaret pervenire. Quid plura dicam? postquam verò in locum, ubi synodalis disputatio debuerit esse, conveniret; deinde non ita contigit, sicut ei promissum fuerat: sed multæ & magnæ altercationum quæstiones ab eis exortæ emerserunt, maximè ab illis Pontificibus ecclesiarum: cum voluntate tamen Alfridi Regis, & consensu quorumdam Abbatum id fecisse non dubium habetur, qui pacem ecclesiarum, avaritia instigante, nullatenus habere concupiverunt; & multa falsa objicientes, quæ nulla ratione veritatis comprobare potuerunt; insuper secundùm statuta & jussiones Theodori Archiepiscopi censendum Pontificem nostrum confirmaverunt. Ille verò intelligens quod essent argumentati, humiliter respondit, dicens præceptis illorum consentire, eorumque decretis secundùm Canonum normam censuit in omnibus libenter se velle obedire. Deinde multis & duris sermonibus eorum pertinaciam obstinationis, quia per viginti & duos annos Apostolicam potestatem non, timuerunt contentiosè resistendo exercere, increpavit: & interrogavit eos, qua fronte auderent statutis Apostolicis ab Agathone sancto, & Benedicto electo, & beato Sergio sanctissimis Papis ad Brittaniam pro salute animarum directis præponere, aut eligere decreta Theodori Archiepiscopi, quæ in discordia (ut diximus) constituit. Interea dum nullus modus locutionis decenter ab illis ordinatus inventus est, unus ex ministris Regis Pontifici nostro valde devotus, quem ille à primævo vagientis ætatulæ incunabulo enutrivit; ex tentorio Regis latenter erupit, simulans alterius effigiem, cohortibus se circumadstantium immiscens quasi ignotus, usquedum ad Pontificem nostrum perveniebat, pandensque ei causam judicii illorum revelabat indicando, dicens: „Hac omnino, fraude re moliuntur decipere, ut primitus per scriptionem „propriæ manus confirmes eorum tantummodo judicium, quodcumque „destituentes debuerint succumbere: ut postquam isto alligatus fueris di„strictionis vinculo, de cetero in posterum permutare nullatenus queas. Ista „siquidem erit illorum judicii apertio, ut quicquid in Ultra-Umbrensium

[a] Nempe Licedfeldensis, ad quem ordinatus est Sexwlfus à Theodoro, apud Bedam in lib. 4 cap. 6. Eo tempore cùm *Vvilfridus Mediterraneorum Anglorum Episcopatum gereret*, id est Licedfeldensem; Ostforum Vviccioram Episcopum loco Boseli ordinavit, *pro eo quòd Archiepiscopus Theodorus jam defunctus erat, & nondum alius pro eo ordinatus Episcopus*, ait Beda in lib. 4 cap. 23. Suidbertum etiam Episcopum Vvilfridus, cùm *in Merciorum regionibus* exsularet, ordinavit. *Non enim eo tempore Episcopum habebat Cantia, defuncto quidem Theodoro, sed necdum Berctvvaldo successore ejus, qui trans mare ordinandus ierat, ad sedem Episcopatus sui reverso*, ex eodem Auctore in lib. 5 cap. 12. Obiit verò Theodorus *anno Incarnationis Dominicæ* DCXC, *die 19 Septembris*, ex lib. 5, cap. 8. Biennio vacavit sedes Cantuariensis: ac tandem Berchtvvaldus, seu Berthvvaldus, de quo Eddius in capite proximo, *electus est in Episcopatum anno* DCXCII. *die primo Julii; ordinatus autem sequente, tertio die Kalendarum Juliarum, Dominica*, ex Bedæ lib. 5 cap. 9.

[b] In capite 17 infrà vocatur *Estrefeld*, hodie *Nestrefeild*, qui locus quinque milliaribus distat à Ripo versus boream.

aliquando terra possidere visus fuisti, vel in Episcopatu, vel in Monaste- a Ann. Chr. DCC III. … XXIV.
riis, vel in qualibet re, cuncta dimittas; & si quid in Merciorum regno subsequutus eras sub ETHELREDO Rege, omnia reddendo Archiepiscopo coactè relinquas, ab ipso donandum cui vult: & ad postremum temetipsum donando, de tuo tu sanctitatis honore cum subscriptione degraderis. Hæc dicens, subitò subterfugiens discessit. Tunc sanctus vir, summæ virtutis & constantiæ, ista audiens, cognito deceptionis argumento, cautior de subscriptione sæpius replicata effectus est. Reddere verò responsa instanter quærebant, & aliquando minitantes arguebant, dum qui nollet maturè confiteri subire arbitrium, cito se sententiæ damnationis subjacere sciret. Quibus respondens ait: Primum Archiepiscopi audiens judicium illum consonantem statutis sanctorum Patrum regulis, toto mentis annisu subjacere amplector. Ad ultimum verò dum diutius multis agnoscentibus causam celare non poterant, primò dixerunt sanctum famulum Dei omnibus facultatibus spoliare taliter velle, ut nec in Ultra-Umbrensium regno, nec in Merciorum, minimam quidem unius domunculæ portiunculam haberet. Hujus autem judicii inclementia ab Archiepiscopo & Rege diffinita, & ipsos jam inimicos hortuit, dicentes impium esse, tam famosum virum in circuitu nationibus absque ullo capitali crimine omnibus bonis suis privare. Novissimùm verò aliquid humanius pertractantes, censuerunt, ut Monasterium tantummodo, quod construxit in HRyppis, & dudum cum omnibus ad eum * pertinentibus, sancto Petro donans commendaverit, perceptumque privilegium à sancto AGATHONE Papa Abbati familiæque ibidem conversatæ detulit; redderent ei possessionem, ea tamen interposita dictione, ut propria manus conscriptione firmiter contestaretur, quòd illic quietus consederet, septa Monasterii absque licentia Regis non transmearet, nec aliquid sacerdotalis officii attingeret: sed ut suum de semetipso (quod dictu horribile erat) gradum honoris abjiceret, sub testimonio confirmationis plurimum cogentes compulerunt. Quo audito sanctus Wilfridus Episcopus noster constanter & intrepida voce elevata locutus erat, dicens: Qua ex causa me compellitis, ut tam lugubri calamitatis miseria in memetipsum gladium diræ interfectionis, hoc est subscriptionem propriæ damnationis, convertam? nonne sine aliquo reatu suspicionis offendiculum faciam cunctis audientibus nominis mei divulgationem, qua Episcopi vocabulo, quamvis indignus, per XL prope annos nuncupabar? Necnon * & ego primus post obitum primorum Procerum à sancto GREGORIO directorum [curavi, ut] Scoticæ virulenta plantationis germina eradicarem; ad veramque Pascha & ad tonsuram in modum coronæ, quæ antea posteriori capitis abrasa vertice, secundùm Apostolicæ sedis rationem totam Ultra-Umbrensium gentem permutando converterem; aut quomodo juxta ritum primitivæ Ecclesiæ consono vocis * modulamine binis adstantibus choris persultare; responsoriis, antiphonisque reciprocis instruerem; vel quomodo vitam Monachorum secundùm Regulam sancti BENEDICTI Patris, quam nullus prior ibi invexit, constituerem? Et nunc contra me quomodo subitam damnationis ipse protulero, extra conscientiam alicujus facinoris, sententiam? Sed de hac noviter orta quæstione, qua me vos san-

* illud

* Nonne

a Hic annorum numeros constat, tum ex Fridegodo, tum ex sequenti Concilio Romano, de quo infrà cap. 50. Hinc patet, istum conventum, quem anno DCCI statuit Spelmannus, habitum esse anno DCCIII, qui Vvilfridi episcopatûs annus quadragesimus erat. Et confirmatur hic calculus ex serie rerum postea gestarum. Vvilfridus quippe eodem anno DCCIII profectus est Romam: ubi *per quatuor menses* LXX *Concilia habita* anno DCCIV concta sunt, in quibus absolutus purgatusque à Johanne Papa VI, qui anno DCCI sedem iniit, tenuitque in annum DCCV. Inde acceptis ab eo litteris Vvilfridus reversus est usque Meldum Galliæ civitatem ad Matronam: ibique ad mortem infirmatus, vitæ inducias in quatuor annos sibi prorogatas intellexit, id est usque ad Aprilem anni DCCIX, quo anno ejus obitus accidit.

An Chr. DCCIX. Aprilis XXIV. „ ctitatis habitum violare estis conari, fiducialiter sedem appello Apostolicam; vestrûm autem quisquis deponere meum dignitatis gradum præsumit, à me hodie iovitatus mecum pergat illuc ad judicium. Debent „ etenim diligenter scire viri Romani sapientes, pro qua culpa vos me „ degradare cupientes *, priusquam vobis solis ad ista consentiam. Hæc „ audientes Archiepiscopus & Rex dixerunt: Modò utique culpabilis fa„ ctus à nobis notatus damnetur, quòd magis illorum, quàm nostrum ele„ git judicium. Et hoc promittendo Rex addebat Archiepiscopo: Faciam „ enim, si jubes, absque hæsitationis mora, ut vi opprimentis exercitus „ mei, coactus hac vice nostrum subire judicium paratum se fateatur. Con„ ciliales autem cereti dicebant Episcopi: Recordari oportet, quod in no„ stram promissionis fidem huc usque perrexit, aliter non præsumens: pari„ ter prospero itinere in pace revertamur ad domus nostras.

* cupiatis

XLV. *De reditu ejus ad* Æthelredum *Regem.*

POst has igitur sermocinationes solvitur inutile concilium ex utraque parte, & unusquisque domi revertens secessit: & ita Deo protegente servus suus liberatus de manibus inimicorum, ad fidelissimum Regem Æthelredum redibat indemnis. Noster autem sanctus Pontifex pergens devenit ad Æthelredum Regem, denuntians ei cunctam duræ locutionis infestationem, quæ à Præsulibus contra illius præceptum illata erat. Tunc interrogans quoque Regem, quomodo & qualiter decrevisset de possessione terrarum propriarumque facultatum, quæ ab ipso donata fuot ei; Rex verò respondit: Majorem non addo pertur" bationem, destruendo Monachorum vitam, quæ ad ecclesiam beati Pe" tri Apostoli dedicata erat: sed in eodem permanente statu, vita comite, " reservabo, quæ à me Domino favente conservata est, usquequo priùs " tecum nuntios proprios vel scripta proprietatis ad Romam præmisero in" terrogate de his imminentibus causis, quomodo recta desiderans salvus " inveniar. Hac responsione percepta, congaudentes divisi, unusquisque ad propria remeabat.

XLVI. *De excommunicatione nostra.*

INimici verò qui hereditatem sancti Pontificis nostri sibi usurpabant, annuntiantes nos esse à sorte Fidelium segregatos, & eos qui nobiscum participarent; in tantum communionem nostram exsecraverunt, ut si quispiam Abbatum, vel Presbyterorum nostrorum, à fideli de plebe rogatus, refectionem suam ante se positam signo crucis Dei benediceret, foras projiciendam & effundendam, quasi idolothytum, judicabant; & vasa Dei quibus nostri vescebantur, lavari priùs, quasi sorde polluta jubebant, antequam ab aliis contingerentur.

XLVII. *De navigio ejus profectuque Romam.*

HÆc miserabilis & lamentabilis ingruens calamitas à nobis comperta, ad Dominum incessabiliter die noctuque clamantes, in jejunio & fletu cum omnibus subjectis nostris congregationibus fundentes precem orationis offerebamus, quousque parati cum sancto Pontifice nostro adscenderunt navem, & vehiculo navis transportari ad litora australia, Domino præviante, pervenerunt. Tunc verò pedestri gressu super terram simul gradientes, sanctis auxiliantibus Apostolis, salvo spatioso itinere, ad Apostolicam venientes sedem, præsentati adstiterunt pro-

AN. CHR. DCC IX. APRIL. XXIV.

geniculantes flexis poplitibus, obnixè obsecrantes postulabant, ut hoc illotum legationis indiculum, quamvis rusticitate magis conscriptum, quàm urbanitatis faecundia caraxatum appareat, pro sua consuetudinaria pietatis elementia non dedignantes suscipetent. Scire enim, dicebant, vestram dignitatem hoc volumus, ut neminem per invidiam accusandum advenimus: sed tantùm, ut si quis in vestro beatissimo Concilio contra aliunde veniens, aliquando perferre ausus sit accusationis objectionem; in quantum vestra adjuvante clementia valuerimus, aut excusare, si falsa; aut confiteri, si vera, parati sumus. Clementia ergo Conditoris nostri & beatorum Apostolorum Principis protecti, ad hanc gloriosissimam sedem, quasi ad matris gremium, confugimus, sufferendo quicquid vestra beatissima imperabit auctoritas.

Deinde itaque à beatissimo Apostolico Papa JOHANNE sanctus Pontifex noster Wilfridus Episcopus cum reverendissimis Presbyteris, & omni Clero venerabili, benigna pietate susceptus, glorificæ sedis responsa exspectantes, per aliquos dies requiescentes, mansione voluntaria * præparata manserunt. Interim quoque Legati à sancto Archiepiscopo BERCHTVALDO cum suis scripris accusationis ad Apostolicam sedem directis, supplices petentes sibi præberi à gloriosissima sede auditum legationis suæ qua fungebantur, simul pervenerunt. Tunc verò beatissimus Apostolicus Johannes Papa cum Episcopis suis undique congregatis, & omni venerabili Clero ad synodalem locum veniens, præsentato Deo amabili Wilfrido Episcopo cum fratribus suis venerabilibus, primùm petitionis suæ cartula coram omni conventu relegebatur hoc modo continens.

* f. voluntarie

XLVIII. *De cartula petitionis suæ.*

DOMINO *Apostolico terque beatissimo universali Papæ* JOHANNI, WILFRIDUS *supplex & humilis servus servorum Dei Episcopus.* Cognoscat sanctitas vestra istas esse causas, pro quibus hanc sedem Apostolicam vestramque beatissimam præsentiam de ultima terrarum parte jam vice tertia adjuvandus adveni. Primò, quia unitas Apostolicorum virorum individua semper esse solet, neque quæ à prædecessore vestro beatissimo AGATHONE Papa justissimis atque elementissimis judiciis decreta sunt, vestra pia auctoritas, quia multis non dubium est ad salutem proficere, confirmet & corroboret; & ut pietas vestra intelligere dignetur, quia in omnibus vestræ beatitudinis jussionibus humiles & supplices subire parati sumus. [a] Perturbationibus enim nuper in Brittania ortis ex parte eorum; qui contra decreta supradicti beatissimi Agathonis Papæ, illiusque successorum venerabilium Patrum, sibimet Episcopatum & Monasteria, terrasque cum omnibus meis facultatibus usurpabant, compulsus, hanc sacrosanctam Apostolicam sedem appellavi, contestans eos per omnipotentem Dominum & beatum Petrum Principem Apostolorum, ut si quis aliquam contra me accusationem haberet, ad vestram mecum præsentiam judicandus conveniret, sicut prædecessoris vestri beati Sergii Papæ scripta decernebant. Et ideo petitionum parvitatis meæ paginam vestræ gloriosissimæ præsentiæ pro instanti vobis notissima necessitate offerendam curavi, cum quibus vestræ solitæ clementiæ benignas aures pulsare hæc continens præsumo, ut omnia rectitudinis pietatisque, quæ à beatissimis antecessoribus vestris dominis Apostolicis, sancto AGA-

[a] Ab his verbis epistola hæc incipit apud Willelmum, qui in consequentibus etiam passim contraxit sententias.

An. Chr. DCCIX April. XXIV. » THONE, & electo BENEDICTO, & beato SERGIO, unanimiter erga » meam parvitatem decreta sunt, vos largiflua pietatis benevolentia con- » firmare dignemini. Vestram inflexibilem auctoritatem ex intima cordis » intentione, non solùm ego, sed & omnes qui mecum advenerunt fra- » tres obsecrantes humiliter postulamus, ut si quilibet accusatores contra » nos aliunde venerint, per vestram jussionem in medium producti expo- » nant accusationis causas: & si vel minimam quidem confirmare potue- » rint, libenter vestri arbitrii æquitatem sustinere parati sumus. Si autem » mendacia tantummodo vestræ beatissimæ auctoritati falsis commendata » cartulis adferre ausi sint; detur nobis licentia, prout vestræ sanctitati » placuerit, ipsas accusationes expurgare. Necnon supplex & humilis ve- » stram sanctitatem deprecor, ut eâdem auctoritatis instantiâ ETHELRE- » DO Regi Merciorum de vitæ nostræ solatio imperare dignemini, qua præ- » decessores vestri beatissimi Apostolici, sanctus Agatho, Benedictus, & » Sergius demandabant, hoc est, ut ipsa Monasteria cum ceteris ad ea » pertinentibus, quæ mihi ab ipso Rege Ethelredo, fratre Wlfario, vel » aliis quibuslibet pro redemtione animarum suarum perdonata sunt, ne- » mo per invidiam vel nefandam cupiditatem auferre & invadere contra » vestra statuta atque illius supradicti Regis voluntatem præsumat. Et ad- » huc summopere vestram almitatem obnixis precibus humiliter deposco, » ut omnia quæ antedecessor vester sæpe memoratus & beatissimus Aga- » tho in hac Apostolica sede cum universa Synodo decreverat ipsum Re- » gem ALFRIDUM Aquilonensium adimplere, tranquillissimis monitis ob- » secretis. Quòd si fortè hoc illi durum videatur pro mea causa esse, Ebo- » raicæ civitatis Episcopatus cum ceteris quamplurimis Monasteriis in » vestro pendeat arbitrio, cui rectissimum gubernare censeatis. Tantùm » ipsa duo Monasteria, quod primum dicitur HRypis, & alterum quod » Hagustaldese vocatur, quæ à sancto Agathone Papa hujus Apostolicæ » sedis sub uno privilegio adscripta sunt, per vestræ petitionis auxilium » cum omnibus terris atque possessionibus ad ea pertinentibus nobis resti- » tuantur. Et post has petitiones hoc addam, quòd juxta statuta canonum » debitam venerationem cum fraterna caritate Archiepiscopo BERHT- » VALDO semper exhibebo: & sic me libenter factutum promitto, tan- » tummodo si ipse prædecessorum vestrorum, beatissimi Agathonis, ejusque » successorum, fundatissima erga meam parvitatem adimpleat decreta.

XLIX. *De eo quòd* JOHANNES *Papa prædecessorum scripta recensenda dixit.*

POSTQUAM petitionis nostræ series recitata est, & diligenter à glo- riosissimis auscultata, ad habitaculaque nostra redire licentiam dede- runt; introductis quoque ad præsentiam eorum honorabilem à sancto BERHTVALDO Archiepiscopo cum scriptis suis viris directis ad Aposto- licam sedem, quorum multiplices & magnas accusationes contra hominem Dei Wilfridum Episcopum audientes, uniuscujusque capituli examina- tionem ambobus præsentibus, hoc est accusatoribus & excusantibus, stabiliter audire in futuro tempore per ordinem promiserunt, & jam ip- sos domum redire jusserunt. Tunc beatissimus JOHANNES Apostolicæ sedis Papa Coepiscopis suis in synodali loco sedentibus dixit.

» O sancta Synodus, nostrum est primum sanctissimorum antedeces- » sorum nostrorum percurrere canones, & examinare scripta, de hac » eadem inimicitia fraudis ex utraque parte olim ad hanc Apostolicam » sedem directa; & diligenter considerare, quid ter beatissimus Agatho » in his causis censuerit, & post eum electus Benedictus, necnon & præde-

ceſſor meus ſanctiſſimus Sergius memorialiter retinere, quid de hac eadem re Regibus & ſancto Archiepiſcopo faciendum ſit ab Apoſtolica ſede decreverunt. Deinde faciliùs ex utraque parte in præſentia fraternitatis veſtræ in invicem certantibus, Deo adjuvante & ſancto Petro principe Apoſtolorum veritatis lumine exſtincto * mendacium excæcatum agnoſcete valeamus, & ſecundùm normam ſanctiſſimorum primorum prædeceſſorum canonicè ccnſeamus. Et hoc tale conſilium beatiſſimi Johannis univerſæ Synodo complacuit : & ſic fecerunt.

An. Chr. DCCIX. April. XXIV.

* f. inſtructi.

L. *Vuilfridus in Synodo Romana per Iohannem Papam abſolvitur* [a].

ITAQUE qnadam die beatiſſimus JOHANNES Apoſtolicæ ſedis Præſul, & reverendiſſimi Coepiſcopi ejus in ſanctum concilium congregati, juſſerunt utriuſque partis accuſatorum & defenſorum electos viros ſancto conventui præſentari : & mox ita factum eſt. Nam ſanctus Wilfridus Epiſcopus, & venerabiles Presbyteri & Diacones ejus præſentati ſunt, humiles & ſupplices honorabiles facies ſalutantes, promittentes ſe cum intimo cordis affectu illius Apoſtolicæ ſedis decreta ſuſcipere & adimplere. Necnon & ſancti Archiepiſcopi nuntii ſecundùm præceptum ſanctiſſimorum venientes adſtiterunt : quibus datum erat tempus loquendi, ut unum quodcumque capitulum accuſationis eligerent, primum adverſum nos dicerent; poſtea ad alia ordinantes in conflictu accederent. Qui reſponderunt dicentes : Hoc erat primum capitulum noſtræ accuſationis, quòd iſte præſens Wilfridus Epiſcopus judicia ſancti Epiſcopi Berthvaldi Cantuariorum eccleſiæ & totius Brittaniæ ab hac Apoſtolica ſede emiſſi ſtatuta coram Synodo contumaciter rennuens contemſit. Nos noſtræ partis ſententiam detulimus, vos veſtram defenſionem dicite.

Stans itaque ſanctus Wilfridus Epiſcopus noſter, honorabili ſenio convectus, cum fratribus ſuis venerabilibus in conſpectu totius congregationis, dixit : Humilis & ſupplex excellentiſſimam ſanctitatem veſtram deprecor, ut meæ parvitatis dignemini veritatem hujus rei geſtæ à me audire. Eram enim in concilio ſedens cum Abbatibus meis ac Presbyteribus, necnon & Diaconibus : unum ex numero Epiſcoporum illic congregatorum miſerunt ad me, interrogantem ſermonibus Regis, nec minùs & Archiepiſcopi, ſi ipſius ſolummodo Archiepiſcopi judicio conſentire voluiſſem; & quicquid ille judicando decreviſſet, an paratus fuiſſem adimplere omnibus votis, an non. Ad iſtud ita ſciſcitanti reſpondebam : Quæ erat illius judicii ſententia, ſcire priùs oportet, quàm conſiteamur, utrum pati ea valeamus exſequendo ; an aliter. Ille autem ſe neſcire affirmabat, nec alio modo Archiepiſcopum velle revelando cuiquam noſtrûm patefacere judicii exſolutionem dicebat, antequam propria manus ſubſcriptione coram præſenti concilio fatentes confirmaremus, ut ejus unicum per omnia judicium elegentes tenere; nec ab eo ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinantes deviaremus. Iſtius tam anguſtam diſtrictionis coartationem, dicebam, numquam antea à quoquam hominum coactam audivi, ut omnino juramenti nodo adſtrictus fateretur decreta compoſita, quamvis impoſſibilia, perſolvere, priuſquam ſciret vim decreti. Attamen ibi coram ſenatu ſpopondi, quatenus in cunctis Archiepiſcopi judicio, in quibus conſonans invenitur ſtatutis ſanctorum Patrum, regulis & canonicis definitionibus, & non diſcrepans prorſus in nulla re à ſancti Agathonis Synodo, ceterorumque orthodoxorum ei ſuc-

a Hoc lemma cum ſequentibus (quæ quidem in Cottoniano exemplari deſunt) à me adjectum eſt.

An. Chr. DCC IX. April XXIV.

cessorum teperiatur, toto mentis conatu subjacere parati invenie-mur.

Hanc excusarionem sanctus Pontifex noster teddidit, & silendo quievit. Tunc sancta Synodus respondit: Wilfridus Deo amabilis Episcopus canonicè protectionem suæ defensionis exposuit. Tunc inter se græcizantes, & subridentes nos, ac celantes multa, loqui cœperunt, postremò dicentes accusatoribus: Non ignoratis, carissimi fratres, [quòd] habemus ex præcepto canonum nostrorum, quotiescumque Clericis ab accusatoribus multa crimina objiciuntur; & unum ex ipsis, de quo priùs egerit, probare non potuerint; ad cetera jam non admittantur. Sed tamen propter honorem sancti Archiepiscopi ab hujus Apostolicæ sedis monarchia directi, & pro hujus beatissimi Wilfridi Episcopi reverentia diu fraude spoliati, ut asseritur, Deo & sancto Petro principe Apostolorum revelante & aperiente per multos dies & menses, omnia capitula plenè eventilantes, finem rei imponere desiderantes non fastidiosè curabimus. Post hæc verba Pontifici nostro cum fratribus suis triumphali gaudio incœpto à sancta Synodo licentiâ datâ, se ad aliarum dierum conflictum præparantes, ad mansiones suas redierunt. Alii verò è contrario primo ingressu conflictionis confusi, domum suam adierunt, & nebulæ mendaciorum flante vento sapientiæ dispersæ, soleque veritatis per Domini adjutorium & sanctum Petrum inlucescente, per plura spatia dierum & mensium ab omni piaculo scelere degradandi purè perfecteque excusatus probabilis sanctus Pontifex noster apparuit. Nam per IIII menses [a] & LXX conciliabula sanctissimæ sedis, de fornace ignis examinandi *, apostolica potestate hoc modo auxiliante purificatus (ut dicam) evasit: [recitatumque] breviter, quia in sancto Pascha, tertia die [b], ter beatissimi AGATHONIS Synodus adversum pravitates hæreticorum eum centum XXV orthodoxis Episcopis constituta est: ex quibus unusquisque pro sua provincia & civitate vetam Fidem confessus est, & subscriptione sua confirmavit. Hæc coram omni populo more Romanorum clara voce legebatur, in qua scriptura inventum erat inter cetera: Wilfridus Deo amabilis Episcopus Eboricæ civitatis, Apostolicam sedem de sua causa appellans, & ab hac potestate de certis incertisque rebus absolutus, & cum aliis CXXV Coepiscopis in Synodo judicii sede constitutus pro omni Aquilonali parte Brittanniæ & Hiberniæ insulis, quæ ab Anglorum & Brittonum, necnon Scottorum & Pictorum gentibus colebantur, veram & catholicam Fidem confessus est, & cum subscriptione sua corroboravit. Itaque quo audito omnes cives Romani sapientes stupefacti sunt. Tunc BONIFACIUS, & SISCENTIUS *, & alii nonnulli, qui eum in diebus beatæ memoriæ Agathonis agnoscentes viderant, dicebant istum esse præsentem Domino amabilem Wilfridum Episcopum, quem beatissimus Agatho purificatum de accusarionibus apostolica auctoritate absolutum olim ad propria remisit: & iterum nunc (prô dolor!) infestatorum insidiæ exorbitare de propria sede fecerunt. Qui per XL & eo amplius [annos] [c] Episcopatus officia funge-

* f. examinandus

* f. Sisinnius

[a] Conjunctio, &c. redundat hoc loco, ubi Vvillelmus eumdem numerum habet, nempe *quatuor mensibus LXX conciliabula condit.*

[b] Hinc certò intelligitur tempus, quo Romana hæc Synodus adversus Monotheletas habita est, nimirum Paschæ die tertia, & quidem anno DCLXXX, ex dictis suprà: quo anno Pascha incidebat in Martii diem 25. Cùm verò alia Synodus, de qua superiùs dictum est cap. 20, habita sit mense Octobri; Vvilfridus Romæ tum resedisse dicendus est. Et fortasse per annum aut alterum mensem ibidem jam demoratus erat ante primam Synodum Octobri celebratam. Certè post exactam apud Frisios hiemem, Romanum iter aggressus est verna tempestate, suprà cap. 27. Hac autem vice *per quatuor menses* moram egit Romæ: ubi varii Episcoporum cœtus (*Conciliabula* vocat Eddius, & post eum Vvillelmus) interim habiti sunt pro ejus purgatione.

[c] Anno igitur DCCIV hæc epistola scripta est, quo Vvilfridi Episcopi quadragesimus primus incipiebat annus.

batur, & tam honorabilem senem cum fratribus venerabilibus accusatores falsidici, & cum pseudograiis audaci temeritate, & (ut ita dicam) unus Diaconus, & alii omnes sine aliquo ecclesiasticæ dignitatis gradu, in conventu Apostolicæ sedis excellentissimam personam ausi sunt accusare. Et ideo digni sunt pœnas luere, in ima carceris angustia usque ad finem mortis incarcerati. Et tunc viri Romani verum eos dixisse affirmabant. Dixit autem beatissimus Johannes Apostolicæ sedis Papa: Beatus Wilfridus Deo amabilis Episcopus, in quo nullam criminis per tot conciliabula nostra examinando tam diligenter objectionem invenimus, beati Petri Apostoli & Apostolorum principis auctoritate, qui habet potestatem solvendi ligandique ab occultis delictis, exsolutus sit: & quod beatus Agatho, & electus Benedictus, sanctusque Sergius, Apostolici Præsules, de eo censuerunt; nostræ quoque parvitatis humilitas cum totius Synodi consensu, Regibus & Archiepiscopis scripta judicia per manum beati Wilfridi Episcopi ad eos emissa affirmare decrevit, hoc modo dicens.

An. Chr. DCCIX. April. XXIV.

LI. *Iohannis Papæ epistola ad* Ethelredum & Alfridum *Reges*.

DOMINIS *eminentissimis*, ETHELREDO *Regi Merciorum*, & ALFRIDO *Regi Derorum & Bernicorum*, JOHANNES *Papa*.[a] De vestræ quidem eximiæ religionis accessibus, gratia Dei operante, gaudemus; fervorem fidei cernentes in vobis, quam ex prædicatione Principis Apostolorum, Domino vestras animas illuminante, percepistis, & efficaciter retinetis, ut gaudium nostrum melior accessus amplificet. Illud verò animos nostros afficit, & consacerdotum ac totius Ecclesiæ contristavit auditum inextricabilis quorumdam dissensio, quod & ad correctionem oportet Domino annuente perducere, ut non contemtores pontificalium decretorum, sed ut obedientiæ filii ante Dominum omnium judicem comprobemini esse custodes. Dudum enim sub Apostolicæ memoriæ prædecessore nostro AGATHONE Pontifice, dum Wilfridus Episcopus ad hanc sedem Apostolicam veniens appellasset; præsentibus ejus contrariis, qui à THEODORO venerandæ memoriæ Archiepiscopo sanctæ Cantuariorum ecclesiæ ex hac Apostolica sede mandato, & HILDÆ religiosæ memoriæ Abbatissæ[b] ad eum accusandum huc priùs advenerant, etiam hîc Episcopi de diversis provinciis cum suprafato sancto Pontifice congregati, quæ à partibus dicebantur, regulariter quæsierunt, & sententialiter decreverunt; eamdemque sententiam successores ejus sancti Pontifices prædecessores nostri secuti sunt. Nec hoc venerandæ memoriæ Theodorus Præsul, qui ab hac Apostolica sede directus erat, contravenisse recognoscitur, neque accusationem aliquam postmodum ad hanc sedem Apostolicam demandavit: magis autem (ut ex ejus dictis apparuit) & decretis pontificalibus obsecutus erat. Succurrendum erat itaque cum Dei præsidio, ne perseveret in uno loco dissensio, dum ceteris consacerdotum ac plebium unanimitas maneat. Et hæc de præteritis memorabimus. De præsentibus quoque innotescere inclitæ vestræ Christianitati prævidimus, quòd hi qui de eadem insula Brittannia huc advenerunt, & accusationes contra Wilfridum Episcopum detulerunt; ille superveniens cum fratribus suis in accusatores ejus quod accusaverunt, retorserunt. quorum conflictus apud conventum reverentis-

[a] Hanc itidem epistolam Villelmus, at sententiis verbisque passim contractis ac mutatis, adducit.

[b] Parthenonis scilicet Streaneshalensis, cujus obitum refert Beda in annum DCLXXX, die XV Kal. Decembris, in lib. 4 cap. 23.

AN. CHR. DCCIX. APRIL. XXIV. „ fimorum Epifcoporum & Sacerdotum, qui hîc ad præfens inventi funt, per dies aliquot fieri procuravimus: apud quos omnia quæque in fcriptis, vel anterioribus, vel modernis, partes detulerunt, vel hîc inveniri potuerunt, vel à partibus verbaliter dicta funt; fubtiliter inquifita ad cognitionem noftram perducta funt: donec ipfæ principales perfonæ, de quibus contentio exorta eft, præfentes affuerint, quos neceffe erat, ut contentio omnis finem accipiat, advenire & confedere. Et idcirco admonemus BERTHVALDUM Præfulem fanctæ Cantuariorum ecclefiæ, quem auctoritate Principis Apoftolorum Archiepifcopum ibidem confirmavimus, reverentiffimum fratrem noftrum, ut Synodum convocet unà cum Wilfrido Epifcopo: & Concilio regulariter celebrato, BOZAM atque JOHANNEM [a] Epifcopos in Synodum faciat advenire, vocefque partium audiat, & confideret quid fibi invicem partes valeant approbare: & fiquidem eo fuffraganle apud Synodum hoc regulariter determinare valuerit, gratum nobis & partibus expedit: fin aliter acciderit, illos fynodaliter moneat, ut commonitionibus fuis quæque prodeffe fuis partibus [poffunt] unaquæque confideret, & ad hanc fedem Apoftolicam fimul occurrant, ut ampliori Concilio flagitetur ac decidatur, quod hactenus non valuit terminari; atque per gratiam fancti Spiritus, qui cum difcordia venerant, revertantur in pace. Scire autem debet quicumque de iis advenire diftulerit, vel (quod eft exfecrandum) venire contemferit, feipfum dejectioni fubmittat & hinc abjiciendus: nec ibidem ab ullo Præfulum five Fidelium recipiendus. Qui enim fuo inobediens exftitit auctori, non poterit inter miniftros ejus atque difcipulos recenferi. Veftra proinde Chriftiana & regalis fublimitas pro Dei timore & Chriftianæ Fidei reverentia & pace, quam Dominus JESUS-CHRISTUS fuis dedit difcipulis, fubventum faciat atque concurfum; ut hæc quæ à Deo infpirante perfpeximus, ad effectum perveniant: ut pro hujufmodi religiofo annifu merces vobis adfcribatur in cælis, quatenus & hoc fæculo Chrifto protegente regnetis incolumes, & æterni regni ejus beatum conforrium habeatis. Ideo recordemini, ô filii cariffimi, quid de hac eadem re beatiffimus Agatho, ceterique poft eum confona voce nobifcum Præfules Romanæ Ecclefiæ apoftolica auctoritate fanxerunt. Quicumque enim cujuflibet perfonæ audaci temeritate contemferit, non erit à Deo impunitus, neque fine damno cælitus alligatus evadet. Incolumem eminentiam veftram gratia fuperna cuftodiat.

LII. *Româ difcedit.*

TRANSACTIS itaque multis menfibus, pæne quotidie in conflictu diligenter examinatus, poftremò tamen in victoria omnino excufabilis apparuit. Jam verò fancto Pontifici noftro volenti ad fedem Apoftolicam manere, & fua fenectute fibi mundum crucifigere, vitamque ibi finire; apoftolicus Antiftes & univerfa fancta Synodus humiliter obedientiam fuam olim promittenti fingulariter præcipientes illum apoftolica auctoritate de certis incertifque caufis poft longam afflictionem purè abfolutum patriam remeare; & mærorem fubditorum fedare, gaudiumque amicorum renovare in nomine Domini jufferunt. Ille autem fanctus Pontifex nofter fciens obedire, cum fociis loca Sanctorum circumiens, moreque fuo ab electis viris fanctas reliquias nominatim congregans, aliaque indumenta purpurea & ferica ad ornamenta ecclefiarum lucratus, cum benedictione Sanctorum patriam remeavit, pergens

[a] Bofa Eboraci in locum Wilfridi, Johannes Hagultaldi poft Eatam intrufi à Theodoro fuerant.

per

per plana & aspera camporum & montium longo itinere, usquedum Galliarum regionem pervenit. An. Chr. DCC IX. April. XXIV.

LIII. *Meldis graviter ægrotans, de sanitate sua, ac reditu in patriam cælitus fit certior.*

DEINDE igitur iter agentibus sanctus Pontifex noster maximo languore infirmitatis correptus, equo primitus vehitur: postremo tamen inter manus mærentium ad Dominumque clamantium in feretro portatus, ad Meldum civitatem vix vivus deducitur, nihil de morte ejus dubitantes, quippe qui nihil alicujus cibi vel liquoris quatuor diebus & quatuor noctibus degustavit: sed in excessu jacens spiritus, tantùm halitus & calida membra vivum demonstrabant. Quinta demum die mane illucescente, ecce Angelus Domini in veste candida sancto Pontifici nostro apparuit, dicens: Ego sum Michaël summi Dei nuntius, qui misit me ad te indicare, « quòd tibi adduntur anni vitæ pro intercessione sanctæ MARIÆ genitricis « Dei semperque virginis, & pro subditorum tuorum lacrymis ad aures « Dei pervenientibus: & hoc tibi erit signum, quòd ab hac die in dies me- « lioratus sanaberis, & ad patriam tuam pervenies, tibique substantiarum « tuarum carissima reddentur, & in pace vitam consummabis. Paratus « quoque esto: quia post quatuor annorum spatium iterum visitabo te. Jam « enim memento, quòd in honore sancti Petri & Andreæ Apostolorum « domos ædificasti: sanctæ verò Mariæ semper virgini intercedenti pro te « nullam fecisti. Habes hoc emendare, & in honorem ejus domum [a] de- « dicare. Et post hæc verba Angelus Dei assumtus ab oculis ejus decessit. Sanctus itaque Pontifex noster quasi de somno excitatus surgens, inter choros canentium & flentium resedit, dicens: Ubi est ACCA Presbyter? qui statim cum gaudio advenit, gratias agens Domino cum omnibus, quòd eum sedentem & loquentem vidissent. Deinde ergo remotis fratribus de domo, solo fidelissimo Presbytero suo Acca, qui nunc est beatæ [b] memoriæ gratiâ Dei Episcopus, per ordinem (sicut suprà diximus) visionem omnem revelavit: & statim sanctus Presbyter præfatus acuti ingenii, intellexit, gratias agens Domino, eo modo Pontifici nostro pro intercessione sanctæ MARIÆ Virginis matris Domini, & pro subditorum suorum precibus annos vitæ additos, sicut Ezechiæ Regi Judæ quindecim annos adjectos: quorum quinque pro electione David patris sui, alii autem quinque pro intercessione Esaiæ Prophetæ in templo Dei; alii autem quinque pro Regis ipsius bonitate & ploratu ad parietem converso anni vitæ adduntur.

LIV. *In Angliam transmittit, & cum* BERTVALDO *in gratiam redit.*

TUNC ergo Pontifex sanctus noster, manibus & facie lavatis, omnibus nostris mira hilaritate gaudentibus, vitam ei à Domino concessam gratulanter confitentibus; sumto aliquantulum cibo, secundùm Jonathan illuminatis oculis refocillatus erat: & post paucos dies, convalescente eadem infirmitate, capto itinere usque ad mare pervenerunt: cujus magnitudinem navigio superantes, in Cantuaria regione portum salutis Deo adjuvante invenerunt. Illic autem Archiepiscopo BERTHVALDO invento, sancti Pontificis nostri nuntii cum eo loquebantur. qui eis spopondit mitigare judicia dura olim in Synodo statuta: qui Aposto-

a Nullam tamen post hæc ecclesiam construxisse dicitur: sed tantùm quamdam legasse ecclesiæ sanctæ Mariæ, infrà cap. 59.

b Eamdem phrasim de homine vivente adhibuit Auctor suprà in cap. 22, & infrà cap. 62.

AN. CHR. DCC IX. APRIL. XXIV.

lica auctoritate coactus, & per nuntios suos scriptis directis territus erat & tremebundus, pacificè sine simulatione (sicut rei eventus probavit) sancto Pontifici nostro reconciliatus erat. Deinde itaque cum multitudine Abbatum suorum, cum muneribus juxta Londoniam civitatem ab Oriente læti abeuntes inventi sunt. Postremò ad ETHELREDUM Regem, qui antè [a] regebat Merciorum populum, semper fidelissimum amicum, nimirum pro nimio gaudio lacrymantem, sanctus Pontifex noster veniens, mitissimè eum salutavit, osculantes & amplexantes se invicem, honorificè ab amico more suo susceptus erat. qui ei salutationis verba ab Apostolica sede emissa, & statuta de se judicia signata cum bullis & sigillis humiliter ostendit. Ille verò statim apertis & recitatis apostolicæ „ auctoritatis scriptis [ait:] Ne unius quidem litteræ apicem umquam in „ vita mea condemnabo, neque facientibus consentio: sed ut impleantur, „ secundùm vires meas adjuvabo. Sicut enim * promiserat, ita sine dubio effecit. Jam enim merces Deo donante æterna retribuetur ei in bono. Nam statim Coënred, quem Regem post se constituit, ad se invitavit, & adjuravit eum in nomine Domini & in sua caritate, obedire præceptis Apostolicæ sedis. Ille autem voluntariè sic facere promisit.

* autem

L V. *Legationem ad* ALFRIDUM *Regem mittit sine fructu.*

DENIQUE post non multi temporis spatium, Ethelredo amico suo docente, sanctus Pontifex noster electos nuntios Badwinum Presbyterum & Abbatem, magistrumque ALFRIDUM [b] ad ALFRIDUM Ultra-Umbrensium Regem, sibique notos emisit, dicentes ad eum: „ Sanctus Pontifex noster salutat te pacificis verbis, postulatque à te ut li„ centiam sibi veniendi ad præsentiam tuam concedas cum litteris saluta„ tionis Apostolicæ sedis, & judiciis de sua causa apostolica potestate con„ stitutis. Quibus Rex in prima vice nihil durè & austerè respondit: sed conductione facta & statuta die iterum revertendi ad se, tunc respondere promisit. Fratres verò secundùm præceptum Regis altera vice in die conductionis revertentes ad eum, sciscitantesque ab eo, quid ad responsionem esset dicturus. quibus Rex, sicut consiliarii ejus persuaserunt, re„ spondit: O fratres mihi ambo venerabiles, petite à me vobismet ipsis ne„ cessaria, & ego propter reverentiam vestram donabo vobis. De causa verò „ Wilfridi domini vestri nolite me ab hoc die diutius flagitare. quia quod „ antè prædecessores mei Reges, & Archiepiscopus, cum consiliariis suis „ censuerunt, & quod postea nos cum Archiepiscopo ab Apostolica sede „ emisso cum omnibus pæne Britanniæ vestræ gentis Præsulibus judicavimus, „ hoc, inquam, quamdiu vixero, propter Apostolicæ sedis (ut dicitis) „ scripta numquam volo mutare. At hanc sententiam plenè postmodum „ mutavit, & verè pænituit eum.

L VI. *Alfridi Regis obitus, & successores.*

DEINDE namque nuntii triste nuntium portantes recesserunt ab eo, vultum ejus ulterà non videntes: veneruntque ad dominum suum. Nam ultio divina nihil morata, sed secundùm prophetiam Præsulis Apostolicæ sedis in vinculis alligatum infirmitatis districtè Regem compressit.

[a] Ethelredus quippe abjecto sceptro monasticam vitam arripuerat, *nunc autem Abbas* erat, ex Bedæ lib. 5 cap. 20. nempe Bardeneiæ, quod erat Cœnobium agri Lincolniensis, ubi Ethelredus *regni anno trigesimo regulariter tonsus primò in Monachum, mox in Abbatem elevatus est*, inquit Willelmus in lib. 1 de Regibus Anglorum cap. 4. Annum quo Ethelredus in Monasterium Bardeneiense recepit sese, assignat Beda in epitome DCC IV.

[b] In capite 60 infrà magistrum item Alnhfridum vocat. Ergo is præerat scholis Cœnobii Ripensis.

An. Chr. DCC IX. Aprilis XXIV.

Qui statim, ut erat sapientissimus, agnoscens ab apostolica potestate perculsum se esse; pænitentiâ ductus confessus est peccatum suum in sanctum Wilfridum Episcopum contra Apostolicæ sedis judicia commissum, dicens significando: Si aliquo modo ad me viventem venire per invitationem potuisset, statim piaculum meum emendarem. Et tamen votum vovi Deo & sancto Petro, si de illa infirmitate sanatus surrexissem, secundùm sancti Wilfridi desiderium & Apostolicæ sedis judicium omnia servare. Sin verò Deo volente defunctus fuero, præcipio in nomine Domini, quicumque mihi in regnum successerit, ut cum Wilfrido Episcopo pro remedio animæ meæ & suæ pacem & concordiam ineat. Hæc verba fidelissimi testes audiverunt, nobisque indicaverunt. ex quibus est ÆLFLEDA Abbatissa [a] & sapientissima virgo, quæ est verè filia Regis, necnon & ÆDELBURGA Abbatissa, & multi alii testes hæc adfirmaverunt. Regem verò languor oppressit, loquela illum per multos dies deseruit, posttemò diem obiit [b], & post eum EADWULFUS per parvum spatium regnavit: ad quem sanctus Pontifex noster de exsilio cum filio suo proprio veniens de HRypis, quasi ad amicum nuntios emisit: quibus austerè & durè, persuasus à consiliariis suis, pro antiqua nequitia sua respondebat, dicens: Per salutem meam juro, nisi de regno meo in spatio sex dierum discesserit, de sodalibus ejus quoscumque invenero, morte peribunt. Et post hæc aspera verba, de regno, quod duos menses habuit, conjuratione facta adversus eum, expulsus est, & regnavit pro eo puer regius, cui nomen erat OSRED, filius Alfridi Regis, & sancto Pontifici nostro filius adoptivus factus est.

LVII. *Synodus Niddensis habita in causa Vvilfridi apud Northumbros; ubi pax reformata.*

IN primo Osredi Regis, BERTHVALDUS Cantuariorum ecclesiæ & pæne totius Brittanniæ Archiepiscopus de Austro veniens, habens ex præcepto Apostolicæ sedis Aquilonalium Regem cum omnibus Episcopis suis, & Abbatibus, & totius regni ejus Principibus, ad synodalem locum de causa beati Wilfridi Episcopi diligenter invitare; & ita factum est. Nam in unum locum juxta fluvium *Nid* ab Oriente congregati [c] Rex cum Principibus suis, & tres Episcopi ejus cum Abbatibus, necnon & beata ÆLFLEDA Abbatissa semper totius provinciæ consolatrix, optimaque consiliatrix; Berchtvaldus quoque Archiepiscopus & Wilfridus Episcopus simul in una die advenerunt. Deinde sedentibus Rege & Episcopis cum Principibus eorum in loco synodali, tali modo Archiepiscopus loqui incipiebat: Oremus Dominum Deum nostrum, ut pacis concordiam in cordibus nostris per Spiritum-sanctum indulgeat. Habemus enim, ego & beatus Wilfridus Episcopus, scripta Apostolicæ sedis parvitati meæ per nuntios directa, & per semetipsum similiter allata, ut ea in præsentia reverentiæ vestræ recitentur. Et coram Synodo omnibus audientibus utriusque libri à principio usque ad finem legebantur. Post lectionem autem cunctis tacentibus BERHTFRIDUS [d], secundus à Rege Princeps, ad Archiepiscopum dixit: Nos qui interpretatione indigemus, quid apo-

a De hac Ælfleda Streaneshalensi Abbatissa dictum est superiùs ad caput 41. Adelburga cujus loci Abbatissa fuerit, mihi non liquet. nam Æthelburga Berkingensis Abbatissa, de qua Beda in lib. 4 cap. 6 & 9. longè antè excesserat è vivis.

b Anno DCC V, inquit Beda in epitome, *Aldfrid Rex Northanhymbrorum defunctus est.*

c Hanc Synodum anno DCC V statuit Spelmannus, non malè, ex dictis: at sub finem anni habitam oportet. Nam Aldfridus exstinctus est anno DCC V, cum regno potitus est Eadvvlfus duos menses: mox successit Osredus, cujus anno primo Concilium istud convocatur. Porro Vvilfridus, cujus obitus contigit anno DCC IX, die 24 Aprilis, *anno imperii Osredi quarto* diem extremum clausisse memoratur apud Bedam in lib. 5 cap. 19.

d De eo Beda in epitome: *Anno DCC XI Bertfrid Præfectus cum Pictis pugnavit.* Idem probat Chronologia Saxonica.

[An. Chr. DCCIX. April. XXIV.] stolica auctoritas dicat, audire delectat. Et respondit ei Archiepiscopus dicens: Judicia Apostolicæ sedis longo circuitu & ambagibus verborum, unum tamen intellectum de eadem utrique libri ostendunt: quorum brevi sermone sensum tantùm explicabo. Apostolica namque potestas, quæ primùm Petro Apostolo & principi Apostolorum ligandi solvendique donata est, sua auctoritate de beato [a] Wilfrido censuit, ut in præsentia mea, licèt indignus, & omnis conventus, Præsules ecclesiarum hujus provinciæ, antiquam inimicitiam pro salute animarum relinquentes, beato Wilfrido Episcopo in bono reconcilientur. Nam his Coepiscopis meis è duobus ab Apostolica sede judiciis optio datur, utrum voluerint eligant, ut aut cum Wilfrido Episcopo pacem plenè perfecteque ineant; & partes ecclesiarum, quas olim ipse regebat, sicut sapientes mecum judicaverint, restituant: aut si hoc optimum noluissent, omnes simul ad Apostolicam sedem pergerent, ibique majori concilio dijudicentur. Si quis verò contemnens (quod absit) neutrum ex his duobus implere noluerit; sciat se, si Rex sit, aut laïcus, à corpore & sanguine Christi excommunicatum: si verò Episcopus aut Presbyter, (quod est exsecrabilius & dictu horrendum) ab omni gradu ecclesiasticæ dignitatis degradari. Hæc sunt judicia Apostolicæ sedis brevi sermone exposita. Episcopi verò resistentes dixerunt: Quod prædecessores nostri olim, THEODORUS Archiepiscopus ab Apostolica sede emissus, & ECFRIDUS Rex censuerunt, & postea in campo qui *Estrefeld* * dicitur, [* suprà cap. 45.] unà nobiscum pæne totius Brittanniæ Episcopi, suaque Archiepiscopali præsentia excellentissima cum Rege ALFRINO judicavimus; quomodo immutare quis valeat? Interea autem beatissima ÆLFLEDA Abbatissa benedicto ore suo dixit: Verè in Christo dico testamentum Alfridi Regis in ea infirmitate, qua vitam finivit, qui votum vovit Deo & sancto Petro dicens: Si vixero, omnia judicia Apostolicæ sedis quæ antea renui audire, de beato Episcopo Wilfrido replebo *. [* implebo.] Si tamen diem obiero, dicite tamen heredi meo in nomine Domini, ut pro remedio animæ meæ judicium repleat. Hæc ea loquente, BERECHTFRIDUS, præfatus Regis Princeps, respondens dixit: Hæc est voluntas Regis & Principum ejus, ut mandatis Apostolicæ sedis & præceptis Alfridi Regis in omnibus obediamus. Nam quando in urbe, quæ *Bebbanburg* dicitur, obsessi, & undique circumcincti hostili manu in angustiaque rupis lapideæ mansimus; inito consilio inter nos, si Deus nostro regali puero regnum patris sui concessisset, quæ mandavit sancta Apostolica auctoritas de S. Wilfrido Episcopo, adimplere Deo spopondimus: & statim post vota, mutatis animis inimicorum, concito cursu omnes cum juramento in amicitiam nostram conversi sunt, apertis januis de angustia liberati sumus, fugatis inimicis nostris regnum accepimus. Postquam hæc verba finita sunt, Episcopi sibi mutuò separati ab aliis inire consilium cœperunt; aliquando cum eis Archiepiscopus, aliquando verò sapientissima virgo ÆLFLEDA: & hujus sancti Concilii talis finis exstitit, ut omnes Episcopi & Rex cum suis Optimatibus purè pacis concordiam cum sancto Wilfrido Episcopo inierint, quam inter se usque ad finem vitæ conservaverunt, reddentes ei duo optima Cœnobia, quæ in HRypis & in Hagustaldese cum omnibus redditibus suis: & illa die omnes Episcopi se invicem osculantes & amplexantes, panemque frangentes communicaverunt: & gratias agentes Deo omnis hujus beatitudinis, in pace Christi ad sua loca remearunt.

Mirabilis Deus in Sanctis suis qui pro amore totius Ecclesiæ salutifera

[a] Hoc in loco semel atque iterum *beatus* appellatur Vvilfridus: uti etiam eumdem præsentem appellavit Johannes Papa, suprà cap. 50.

pace animas Præsulum coronavit. Et hæc est maxima beatitudo ex utraque parte, tam illorum, qui per longa spatia annorum possessionem suam possidebant, & voluntariè ad emendationem in pace Christi ante suum obitum Pontifici nostro reddiderunt; quàm nostrorum, qui per diversa exsilia dispersi, tristes sub alienis dominis servi eramus: & nunc in pace omnium ubique reconciliatorum cum domino nostro, capite carissimo, spem vitæ cum Domino gerentes, gaudentes & exsultantes in benedictione vivimus. An. Chr. DCC IX. April. XXIV.

LVIII. *Wilfridi morbus, morbique interpolatio.*

LÆTITIA hujus sæculi luctu miscebitur, & omnis res ad finem respicit. Nam cùm tempus quod Michaël Archangelus prædixerat, appropinquaret; sanctus Pontifex noster pergens de Hagustaldese, extemplo tali languore correptus est, quali olim in Meldum civitate fatigatus erat, ut inde validiorem sustineret languorem. Tunc omnis familia cum intimo cordis mærore consueta arma orationum arripiens, die noctuque indesinenter canentes & deprecantes Dominum concedere ei inducias vitæ, saltem ad loquendum, & domos suas ad disponendas, possessionesque dividendas: & ne nos quasi orbatos sine Abbatibus relinqueret. Hujus autem luctuosæ calamitatis fama longè lateque pervolavit, & omnes Abbates ejus de suis locis, & Anachoritæ concito cursu pergentes, die & noctu indesinenter in his secundùm traditiones hominum de morte ejus hæsitantes, undique congregati, absque spe præsentium & absentium, tamen ad viventem pervenerunt: domumque ingressi, genuflectentes & unanimiter omnes in luctu rogantes Dominum, ut in se promissionem suam expleret dicentem: *Ubicumque fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, dicit Dominus. & ut Pontifici nostro aliquod spatium vitæ concederet: & Deo concedente ita factum erat, ut & omnem vitam nostram in diversis locis secundùm suum desiderium sub Præpositis à se electis constitueret, & substantiam suam intus & foris Deo & hominibus suo judicio dispertiret, quod antè non perfecerat. Nam ex illa die, quasi de somno excitatus, accipiens intellectum, memoriam, & loquendi facultatem, integræ sanitati redditus erat: & nos Deo gratias agentes, miroque gaudio lætificati, unusquisque suam viam adiit. Matth. 18. 20.

LIX. *Ejusdem testamentum, & designatio* TATBERTI *Præpositi Ripensis.*

SANCTUS itaque Pontifex noster in gaudio suorum & pace perfecta vivens, ea omnia quæ priùs hominibus defuisse ei videbantur, per spatium anni & dimidii post infirmitatem plenè perfecteque emendavit. Nam non multo tempore ante beatæ memoriæ obitum, in HRypis cum duobus Abbatibus & Fratribus valde fidelibus, omnibus numero VIII, invitatis ad se, gazophylacium aperire claviculario præcepit: & omne aurum & argentum cum lapidibus pretiosis in conspectu eorum deponere, & in quatuor partes secundùm judicium suum dirimere jussit. qui nihil moratus præcepto sancti Patris obediens, sic omnia complevit. Sanctus autem Pontifex noster ad fideles testes dixit: Scitote, fratres « mei dilectissimi, cogitationem meam, quam antè olim cogitavi, ut « sancti Petri Apostoli sedem iterum appellarem, & viderem, unde libe- « ratus fui frequenter, Deoque volente vitam illic meam finirem; & unam « optimam ex his quatuor partibus ad munera offerenda per ecclesias « sanctorum mecum deducere, donaque portare ad ecclesiam sanctæ «

AN. CHR. DCC IX. APRIL. XXIV.

„ MARIÆ matris Domini dedicatam, & ad sanctum Paulum Apostolum munera pro anima mea offerre. Si verò Deus aliquid aliud provideret, ut frequenter senibus evenire solet, & dies obitus mei me occupaverit; vobis fidelibus præcipio in nomine JESU-CHRISTI, ut per nuntios ad suprà dictas ecclesias munera mea mittatis. Ex tribus verò aliis partibus unam pauperibus populi mei pro redemtione animæ meæ dividite: alteram autem partem Præpositi Cœnobiorum duorum sæpe dictorum inter se dividant: ut cum muneribus, Regis & Episcoporum amicitiam impetrare potuerint. Tertiam verò partem iis, qui mecum longa exsilia perpessi laboraverunt, & quibus terras prædiorum non dedi; secundùm uniuscujusque mensuram dispertite illis: ut habeant, unde se post me sustentent. Iterum alia vice post spatium temporis fidelibus dixit: Fratres recolite, quòd hunc TATBERHTUM Presbyterum, propinquum meum, qui nunc usque meus comes fuit individuus, hujus Cœnobii constituo in HRypis Præpositum [a] ut regimen meum, quamdiu vixero, habeat; & post obitum meum sine scrupulo possideat. Ideo namque hæc statuta dico, ut me Michaël Archangelus visitans paratum inveniat. Signa enim obitus mei multa frequentant.

L X. *Monasterii rebus dispositis, pergit ad* COELREDUM *Regem Merciorum.*

POST has ergo sermocinationes, secundùm jussionem Pontificis nostri pulsato signo, tota familia Hryporum simul in unum congregata est: ad quam introgressus est sanctus Pontifex noster, & residens loqui incipiebat, hoc modo dicens: „ Frater noster reverentissimus CELINUS aliquamdiu Præpositus debitæ nostræ observantiæ multum in Domino laboravit: & nunc ad pristinum statum conversationis atque ad deserta loca revertere, & contemplativam vitam, sicut olim, exercere, & soli Deo servire concupiscit. & hoc ei diutius nolo renuere. Admoneo tamen vos, ut regulariter vitæ vestræ institutionem conservare dignemini, usquedum Deo volente iterum veniam ad vos. Nam hi duo Abbates nostri, TIBBA & ÆBBA, præsentes, emissi à COELREDO Rege Merciorum, invitantes me ad colloquium ejus, & hoc pro nostrorum Cœnobiorum statu, quæ in regno ejus sunt, me consentire suaserunt: qui *enim omnem vitam suam meo judicio disponere promittit. (* f. is) & iterum cùm revertero ad vos, Deo volente vita comite adducam mecum, quem inveni dignum virum vestræ præpositionis principatu. Sin verò aliquid propter frequentes infirmitates meas Deo providente aliud contigerit; quemcumque hi testes, qui nunc juxta me sedent, TIBBA & ÆBBA Abbates, TATBERHTUS & HADUFRID Presbyteri, magisterque ALUHFRIDUS [b] venientes vobis dixerint; illum suscipite, & Abbatem constituite; & obedientiam, quam Deo mihique promisistis [c], & hucusque perfecistis; secundùm præceptum meum illi reddite. [Tum omnes] geniculantes lacrymantesque, inclinato capite in terram omnia præcepta ejus adimplere promiserunt: pronique orantes, sanctus Pontifex noster benedixit eos, & Domino commendavit, & ab eo die ultrà faciem ejus simul non viderunt.

a Nempe quia Vuilfridus Abbatis officium in Ripensi Monasterio gerebat, ejus vices agebat Præpositus. de cujus munere agit sanctus Benedictus in Regulæ cap. 65.

b Aluhfridum seu Alfridum hunc ad Aldfridum Regem cum Bradvvino Abbate Vuilfridus direxisse perhibetur suprà cap. 55. Alii Abbates & Monachi hic nominati, præter Tatbertum Vuilfridi propinquum, & in Ripensis Cœnobii regimine successorem, mihi ignoti sunt.

c Et hinc maximè patet, Vuilfridum Abbatem, non sæcularem, sed regularem fuisse: enim regulari sollemnis illa obedientiæ promissio fiat, nusquam sæculari. Accedit quòd in Anglia numquam, (si bene memini) certè neutiquam temporibus illis, sæculares Abbates fuerunt.

LXI. *Obit in Cœnobio Undalensi; Officia pro mortuo.*

PERGENS igitur sanctus Pontifex noster cum pace & benedictione omnium, tam Principum, quàm subditorum Ultra-Umbrensium, ad australia regna tedendit: ibique Abbates suos omnes in adventu ejus gaudentes invenit. Illic enim quibusdam supradicta testamenta ex ordine narravit, & unicuique eorum secundùm suam mensuram, aut cum terris vitam Monachorum suorum augmentavit, aut cum pecunia corda eorum lætificavit, quasi prophetiæ spiritu ante obitum suum hereditatem heredibus dispertiens. Postremò ad Monasterium ejus, quod in Undolum [a] positum erat, in quo olim Andreæ Apostoli dedicavit ecclesiam, pervenerunt: ibique statim à languore infirmitatis coangustatus est, ita ut intelligeret vicinum sibi esse finem hujus vitæ; & paucis verbis admonuit eos, ut memores essent omnium bonorum, quæ antè locutus est. Nam omnem vitæ suæ conversationem [b] memorialiter priùs enarravit TATBERHTO Presbytero videlicet propinquo suo, quadam die equitantibus illis per viam, quasi præsciens obitum suum: necnon recordatus erat omnes terras in diversis locis, quas Abbatibus antè dederat, aut tunc dare jussit; ut erat Cœnobium in Hagustaldese, quod ACCAN Presbytero, qui post eum erat beatæ memoriæ gratiâ Dei Episcopus, in possessionem dare præcepit. Postquam pauca locutus est, benedixit eos, sicut Jacob benedixit filios suos: & cum quiete, non cum gemitu & murmure, caput ad cervical lectuli inclinavit, & requievit: illi verò in choro die noctuque indesinenter psalmos canentes, & cum fletu miscentes, usquedum in psalmo CIII ad versiculum illum pervenerunt, in quo dicitur: *Emitte spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ.* Tunc sanctus Pontifex noster emisit spiritum suum, & omnes stupefacti sunt, audientes ea hora sonitum quasi avium advenientium, nube testium confirmante Abbatem ordinatum [c] acceperunt, qui pro patris amore sui sancti Pontificis nostri multa bona facere consuevit. Nam omni die pro eo Missam singularem [d] celebrare; & omni hebdomada quintam feriam, in qua obiit, quasi Dominicam, in epulis venerati; & anniversaria die obitus sui universas decimarum partes de armentis & de gregibus pauperibus populi sui dividere omnibus diebus vitæ suæ ad gloriam Dei constituit, absque his eleemosynis, quas omni die pro se & pro anima Episcopi sui semper nominatim simul indigenis & Deo dabat. NOTA.

LXII. *Funeris pompa ad Cœnobium Ripense; miracula.*

DOMINUS itaque nostrum sanctum Pontificem, magnum virum & fidelem servum, sicut credimus, apud se inter suos Sanctos miraculorum virtutibus hominibus declaravit. Nam quadam die Abbates undique advenientes sanctum corpus Pontificis in curru deducentibus, ab iisque petentibus sanctum corpus lavare, & diligenter honorificeque indui, sicut dignum erat; licentiam impetraverunt. Tunc enim quidam ex Abbatibus, nomine BACULA, syndonem suam supra faciem terræ expandit, & super eam sanctum corpus deposuerunt. Fratres suis mani-

a *Vndulum* infrà cap. 63. aliis *Vndalum*, modò *Oundle*, oppidum ad Ninnam fluvium in Comitatu Northamtoniensi. Provinciam Undalum vocat Beda in lib. 5 cap. 20. *Defunctus est*, inquit, *in Monasterio suo, quod habebat in provincia Vndalum sub regimine* CUDBALDI *Abbatis*, &c.

b Sic aliquando fiebat peccatorum confessio inter discurrendum humilitatis causâ, non illa sacramentalis.

c Nempe HRipis, ut colligo ex superiori capite 60. nam Cudbaldus Undalensi tum præerat, ex Bedæ loco mox relato.

d Insignis locus de Missa privata, anniversario, piisque officiis pro mortuis.

AN. CHR. DCC IX. APRIL. XXIV.

bus lavantes, ecclesiasticeque induentes [a], & ad præfinitum locum [b] eum hymnis & canticis cum timore Dei portabant: & super domum, quasi residentium avium, cum sonitu iterum audierunt, & statim iterum avolantium in cælum cum suavi modulamine pennarum. Sapientes autem qui illic aderant, dixerunt, certè se scire, angelorum choros cum Michaële venisse, ac animam sancti Pontificis in paradisum deducere: Deinde extento foristentorio, sanctum corpus balneaverunt, & balneum ibi in terram fuderunt, & habitatores cellæ ligneam crucem ibidem postea erexerunt: ibique Dominus multa mirabilia facere consuevit. Nostri verò sanctum corpus linteis induentes, & in currum ponentes, psalmodiamque canentes, cœpto itinere usque ad HRypense Monasterium pervenerunt: quibus mox familia tota cum sanctis reliquiis in obviam exivit. Pæne nullus se à lacrymis & fletu abstinuit, elevata voce cum hymnis & canticis introduxerunt ad se, & in basilicam quam sanctus Pontifex noster olim in honorem sancti Petri Apostoli ædificavit & dedicavit, corpus sanctissimi viri honorificè deposuerunt anno ætatis suæ LXXVI. Quantos verò per XLVI annos [c] Episcopatus, & Presbyteros & Diaconos ordinaverit, & quantas Ecclesias dedicaverit, quis enumerare potest? cujus laus manet in æternum. Et dignum herêdem TATBERHTUM Presbyterum secundùm præceptum sancti Pontificis nostri circumdantes Abbates deduxerunt. Iterum itaque præfatus Abbas syndonem suam paullulum à pedibus ministrantium sordidatam puero suo ministro involutam dedit, præcipiens ei, ut ad Abbatissam sancti Pontificis nostri, nomine CYNEDRYD, eam deduxisset; sibique talem servaret, usquedum iterum Deo volente ad eum pervenisset. quæ præceptis Abbatis primitus obediens, postremò tamen mundare eam præcepit. Et hoc audiens quædam debilis paupercula sanctimonialis per multos annos, ut in Evangelio commentarius *, aridam manum & inutilem habens, ad Abbatissam accedit, cum lacrymis genuflectens adjutavit eam, dicens: In nomine Domini JESU-CHRISTI & pro anima sancti Episcopi tui indulge mihi mea decrepita membra in hoc lavacro lavare. Credo enim indubitata fide, hanc meam manum incurvatam, & brachium longo tempore emarcuatum, in eo lavacro per sancti sudoris commixtionem Deo volente posse sanari. Abbatissa verò religiosa tenuere timens, secundùm fidem suam licentiam dedit. Illa etenim statim cum manu una alteram insensatam calefactæ aquæ lexivæ immersit, syndonemque tetigit: & stipitem aridæ manus cum vestimento fricans lavavit. Deinde (quid magis moror in verbis?) digiti erecti, manus vivificata, brachio roborato à tactu syndonis per fidem sanabatur, sicut mulier sanata erat, quæ tetigit fimbriam vestimenti Jesu; atque gratias agens Domino in mirabilibus suis laudabat eum.

* f. legimus.

LXIII. *Undalense Monasterium ex parte cælitus servatum.*

ALIO quoque in tempore Dominus sanctum suum Pontificem nostrum miranter laudabilem more suo hominibus suis ostendit. Nam supradictum Cœnobium in Undulum, ubi Pontifex noster viam patrum ivit, nobiles quidam exsules cum exercitu causa injuriæ suæ spoliantes, totum combusserunt, excepta una domo, in qua sanctus Pater noster obiit, quam diligenti cura cum titionibus & lampadibus sine cau-

[a] Nempe episcopalibus indumentis, ut tum moris fuisse constat ex Vita S. Cuthberti in Sæculo 2 celata

[b] Ripense scilicet Monasterium, ubi Vvilfridi corpus sepulturâ donatum est, infrà.

[c] Inceptos, nam Beda in lib. 5 cap. 20. ejus obitum statuit *post quadraginta & quinque annos accepti Episcopatus.*

sa

ſa accendere nitebantur. Nam contra naturam ignes eorum detecti, ſtipulo quaſi madefactis facibus exſtinguebantur. Poſtremò tamen unus ex iis audaci animo introgreſſus, fenum aridum intus faciliùs accendere putans, vidit hominem juvenem ſtantem in albis, & in ſua manu crucem tenentem auream. Ille autem ſtatim ut vidit, ſtupefactus, & in exceſſu mentis foras rediens, dixit: Recedamus hinc; ecce Angelus Domini hanc domum defendit. Et ab ea receſſerunt. Deinde etiam, quod multorum teſtimonio comprobatur, erat ſæpis magna ſpinea, quæ Monaſterium circumcingebat: & eam ſtatim flamma ex hac parte devorante exardeſcebat uſque ad locum, ubi crucem ligneam in loca balnei erectam diximus. ibi è regione crucis ignis ille vorax extemplo evanuit: ex altera verò parte Monaſterii ignis ardens per arentem ſpineam ſæpem circumiens uſque ad angulum eminus ſuprà dictæ domus, ibique minuato lumine exſtinguebatur: ibique ea ſola parte ſæpis incontaminata manente, homines quoque malevoli ſuprà dicti vindicante Deo perierunt. Nam quidam nobiliſſimi ex his erant cum exercitibus ſuis poſt intervallum temporis in clara luce excæcati, nihil videntes, ab hoſtibus ſuis improvidi undique coacti, moxque proſtrati & occiſi ſunt: paucique ex ſociis eorum evaſerunt ſigno muniti. Tali igitur prodigio ſanctus Dei Wilfridus precibus injurias vindicavit.

AN. CHR. DCC IX. APRIL. XXIV.

LXIV. *De ſigno circuli.*

IGITUR poſtquam ſanctus Pontifex noſter migravit ad Dominum, ubique Abbates ejus cum ſubjectis ſuis antiquorum hoſtium inſidias timentes dixerunt: Quamdiu vixit optimum caput vitæ noſtræ, frequenter à Regibus & Principibus Brittanniæ tentationes ſuſtinuimus, quibus omnibus propter ſanctitatem Pontificis & ſapientiam, multorumque amicorum ſubſidium finem venerabilem ſemper imponere conſuevit: nunc autem noſtrum eſt planè perfecteque credere, interceſſorem noſtrum per ſignum ſanctæ crucis coæquari Apoſtolis Dei Petro & Andreæ, quos maximè diligebat, & quibus ſubſtantiam ſuam cum ſubditis dedicavit, in conſpectu Dei ſine ceſſatione noſtræ defenſionis tutorem exſiſtere. Et mox hujus credulitatis ſignum in cælo apparuit. Nam anniverſaria die Pontificis noſtri, undique Pontifices noſtri undique Abbates, ſuos ab Oriente & Occidente, ab Aquilone & Auſtro ad ſollemnem diem congregantes, in unum convenerunt, vigiliaſq; veſpere facientes in eccleſia, ubi membra S. Epiſcopi noſtri requieſcunt; Fratribus verò quibuſdam ea hora foris ſtantibus, hebetioris ingenii, ſignum in cælo apparuit: cujus viſionem alternatim uſque mane reticuerunt [a]: craſtina die audientes nuntiatum, grave tulerunt, muſſitantes pro peccatis ſuis ſibi non eſſe revelatum. cujus honeſtate levamen & ſolamen mox ſubvenit. Nam cum ſollemnitatis convivio & cæna finita in crepuſculo veſpertino Abbates cum omni familia ad Completorium orationis exierunt, ſtatim in cælo ſignum admirabile viderunt, quod eſt candidum circulum totum Cœnobium circumdans, quaſi per diem arcus cæli abſque variis coloribus. Namque hujus candidi circuli principium incipiens à cornibus baſilicæ noſtræ ſancto Petro dedicatæ, è regione ubi membra noſtri Epiſcopi requieſcunt, in auſtralem tendens dextertamque partem Cœnobii, amplè circumiens uſque ad aquilonem pervenit. Deinde continuato circulo in Euro-notum orientis cæli ſurſum adhærens finem defixit. Nos verò adorantes laudavimus Dominum mirabilem in Sanctis ſuis,

a Propter religionem ſilentii, quod nocturnis horis à Completorio ſeverè præcipit ſanctus Benedictus in Regulæ cap. 42.

An. Chr. DCCIX. April. XXIV. perspicuè intelligentes murum auxilii divini circa vineam familiæ Domini electam, sicut evidenter de nobis timentibus rei eventus probavit. Nam quia in omnibus regnis citra ultraque Umbrensium vita nostra sub Abbatibus electis utebatur; fratribus videntibus concurrerunt quasi quidam arcus tendentium & sagittas mittentium ac in semetipsis retorquentium: nos autem in nomine Domini magnificabimur.

SUPPLEMENTUM
CARMINIS FRIDEGODI DE S. WILFRIDO.

Ex Bibliotheca Cottoniana.


ÆC eadem sacris jusserunt indere libris,
More eleanteo * soliris bullata sigillis,
Regibus & Clero mittentes, atque popello,
Ut dirimant odii crudelia jurgia prisci.
Et dixere Patri post oscula frontis aquosæ:
Pacificus redeas; subjectis gaudia reddas;
Terris atque polis Jesu Cleronomus * esto.

* more Principum

* heres

XLVIII. Devictis igitur falsi latoribus astus,
Pignere sanctorum multa quoque glore venustus,
Deserit Ausonias multis comitantibus oras,
Alpinosque petit, quo Celtica permeet arva.
Præteriens notos pedetemtim transit Alanos[a]:
Tandem pacatos devenit ad usque Sicambros.
Hinc vexatur aeri per singula membra veterno:
Nec quibat metas pedibus tranare cupitas.
Fertur equo primùm; post hæc gestamine fratrum,
Vocibus & toto Pastorum corde dolentum;
Mutatamque vehunt dilectum pondus ad urbem.
Semianimem insueto componunt debitè stratu:
Perculsique metu, quidnam contingat in actu
Exspectare timent, mortis formidine pressi.
Octonis etenim bis fortè quaterque vigenis
Decubuit horis, pastus fraglamine mentis
Corporis haut escis, aut qualibet arte liquoris.
Demum cùm quinti spirarent lumina solis,
Mittitur è summo (dictu mirabile!) cælo
Archanus Michaël, nitido lampabilis ore,
Quem Pater intendens, non ut fantasma repellens,
Ceu stilbonta * novum lumen, veneratur amicum.
Surgito concivis, nostri non portio vilis:
Et licèt astricolas inter numerere catervas,
Inquit, ab orbatis jam nunc revocaberis agnis.
Postquam bis binis fratres solidaveris annis;
Cum mercede bona temet revocabo, sed ista

* splendentem

a Alani Scythiæ populi, excitante Stilicone in Galliam cum Vvandalis effusi, pars ad Ligerim resederunt, pars ad Rhodanum, de quibus hoc loco Fridegodus agit.

Christotochæ dignas ædes fabricare MARIÆ: AN. CHR. DCC LX. APRIL. XXIV.
Cujus amore ubi cumulantur certius anni:
Novit quid Petro, Petri quid solvis adelpho.
Continuò sanctos sublit vigor integer artus:
Angelicum superam numen recucurrit ad æthram.
Surgitur, & tristes renovantur dignè sodales.
O defesse, sagax curat quem cælica pinax:
Et quia pellacis vitasti gaudia sæcli,
Cum numero vitæ meruisti præmia summæ.

Oceani tumidas exhinc remeavit ad undas, XLIX.
Gurgitis & vasti circumflua terga repressit.
Cantia complacito patuerunt litora rastro.
Jussit Apostolicum BERTHWALDO ferre libellum.
Suscipit, ut decuit; Patris præcepta peregit.
Hinc divi * petiit, supra quem musa revolvit, * f. divus
Lætus EDILREDI patulas fidentiùs aulas.
Cui retulit cessim: lætantur & ambo vicissim.

Approperans ergo, læsus cunctamine nullo, L.
ALDFRIDO Regi direxit epistile * Petri. * epistolam
Illicitum sapuit, non hoc sat justè recepit.
Protulit ambages, sicut fecere priores:
Nolens directis veneramen ferre loquelis.
Quocirca meritum tulit immaturè periclum.
Ultrices etenim patiens in corpore pænas,
Cernere collibuit, quem dudum languidè sprevit,
Multaque conjiciens obiit, malè gesta recensens
Testibus adhibitis se reddere velle negatis,
Si Domini auxilium vitæ daret accumulatum.
Suscepit vacuas ÆDWILF virosus habenas,
In Sanctum furias exercens immoderatas:
Inque brevi periit, violento cive repulsus.

Ut patriæ curam susceptet rite tuendam, LI.
Filius adscitur Alhdfridi sæpe relati.
Qui gravitate proba, Wilfridi subditus ala,
Dilexit nimium, quia noverat esse beatum;
Is jussit proprii quantum tenet orbita regni;
Et coïere simul, Berthwaldo jure calante *. * vocante
Tunc Patris alloquio Rex censuit, omnis & ordo;
Servent ut pariter Wilfridi dogma verenter:
Pacis & Angligenæ firmantur fœdere gentes.

Exhinc convaluere nimis dlorismata * fortis LII. * definitiones
Athletæ, pereuntque mali sophismata civis;
Germinis Hydrei penitus tenuata cicatrix;
Additur atque bonis virtus apodictica * victrix. * demonstrativa
Ipse per obliquas Pastor gradiens regiones,
Ut mater dociles doctrina lacte refovit;
Ut pater ignaros sobria succensuit * ira; * increpavit
Ad lucis patriam cunctos metaliter hortans.
Præscivit porro Michaëlis adesse profatum:
Optabatque gravem Silicernius affore mortem.

An. Chr. dcc ix. Apr. xxiv.

Corruit, & ſubitus perclusit limmata * morbus.
Agmina pullatis coëunt vernacula birris;
Commeat & toto vulgus miſerabile ciclo.
Fit formido gravis, ne fortè recedat ab illis.
Fratribus at plaudas Jesu tecinentibus odas,
Subſtitit, & lætâ ſoſpes perfunditur aurâ.

* conſilia

LIII.

Hactenus excolicum quanto ſudore ſacellum
Emerit, expoſui; numnam miracula quibo?
Ennea * ſi melico Chelim mihi carmine tangant,
Septenaſque jugem * cielico dulcore ſorores *,
Aut ſim magniloqui multus ſectator Homeri;
Non planè abſolvam: dictis jam cedo quibuſdam.
Quos etenim dæmon rabida poſſederat ira,
Effuſis precibus fidei virtute reſolvit:
Et queis debilitas artus devinxerat atra;
Aut oculo fruſtrans, aut linguæ murmure damnans;
Aut greſſus prohibens, aut reumate pectora ſtringens;
Et ſenſu demtos, & morbi tabe peræſos.
Ut frater congrex, ſcelerum (ſicut patet) offex *,
Circumfuſa means docet agmina Chriſticolarum,
Vivifici tetra plaſtica dat theotemata verbi,
Noviter increpitans pigrum decus Archiliorum *.
Hæc ita ſolletti perfecerat undique cura.
Senſit olympiadam * dudum finitier auctam,
Et metamorphoſin præſagit adeſſe cupitam.
Nec minùs ipſe tamen refovens normaliter omnes,
Æthralem vitam teſtatur jure ſequendam.
Quid tricor dictis? dabitur nunc his quoque finis
Credo quidem ſcriptis: ut mors, dilectio fortis.

* Novem Muſæ
* geminem
* ſeptem artes liberales, totidemque mechanicas
* impeditor
* Tribunos
* ſpatium annorum

LIV.

Crebris ergo virum febribus pulſantibus almum,
Concurrunt Monachi virtutum munere macti:
Agmine Paſtorem tantum cinxere globoſo.
His ita conſcriptus, caput extulit, atque ita dixit:
Pullulet in vobis divini gratia roris.
Vos equidem, Fratres, pridem revocaſtis euntem.
Parcite jam, quæſo, ſuperum jam ſcandere regnum
Me juvat, & fragili præjudicio carne reſolvi.
Non vobis ultrà forma conjungar in iſta,
Donec mundanas turbent elementa tenebras,
Viſibus & Domini præſens ſit machina mundi.
Muſcipulos noſtis quos obicit æmulus hoſtis,
Illicibus quærens animos vitiare fignitis.
Ingerit inceſtos laſcivis ſpebus amores.
Tunc oculos pulcris vanos illudit idæis,
Aures & blandis demulget ſæpius arpis *.
Ut fraudem doceat, largiſſima lucra miniſtrat.
Hæc monui ſemper, hæc vobis ipſe frequenter
Oppoſui, nolite moras inferre migranti.
Urgeor, ô defungar, & ô, Fratres, vigilate,
Pyr Flegeton * calidâ ne vos abſorbeat undâ.
Hæc ait, & duræ conſtravit membra quieti.
Spiritus ergo viri Michaël tepetente beati,

* vulgo harpes
* flumen inferni

Vimineo condens corpus Kyriale [a] canistro, An. Chr. DCC IX. Aprilis XXIV.
Exhausit vitro vitalem dignè cruorem.
Inter mærentes, orantes, opperientes
Evasit volucer, carnis ceromate * liber. * visco


Postquam membra sacro tumularunt sacra sepulcro,
Indusias sumsere sibi Fratres venerandi: LV.
Interulamque puer Sancti sudore madentem
Corripuit, normatrici * tulit atque beatæ, * Abbatissæ
Quam sibi flamineo * sociaverat aptè verendo * velo
Egregius heros, redimitam castificando.
Hanc adit organico membris deserta vigore
Clinica, supplicitet poscens se tangere posse,
Pavit secretum depromere virgo fidele.
Tandem compatiens miseræ subnixè petenti;
Vinxit aquis vestem, meruit quibus illa salutem.
Post hæc bachantes dementi pectore quidam,
Wulcanum * tecto, quo transiit ille, adhibebant. * ignem
Sed vis defuncti viventem terruit ignem:
Sævos mitificans, virtutis & omina monstrans.

Annua bis senos confecerat orbita menses,
Subsidibus patris ex omni regione coactis,
Cùm miranda nimis fulserunt signa sub astris.
Quærebant etenim quis tot Pastore vacantes
Excipiat caulas, & ovilia tanta reservet.
Hesperus aëriis sed jam densaverat umbras,
Pernox cura fratrum cùm cælum respicit altum.
Emicuit ciclus tenebrosa per astra coruscus,
Ceu matutinos igniret Phosphorus ortus.
Canduit hic radius Monachûm Cœnobia circum
Officiosè, vias visus liquisse polinas.
Hinc patuit, Domini quia constat vinea firmis
Oratu Wilfridi ævum stabilita gigantis.
Mox apopempæo * grates persolvere summo * apopempæo, id est liberatori
Accelerant, nomenque Patris constanter honorant.
Fistula rurestris cecinit prothemata cavis,
Callosas cani Meligor velut excola sannas,
Enervi trutinans exotica doemina * plectro. * dogmata
Nunc oleate mihi faveas industrius Odo [b].

[a] Id est corpus Christi Domini, seu Eucharistiam. Hic alludit auctor ad illud Hieronymi de Exsuperio Tolosate Episcopo in epistola ad Rusticum Monachum. *Nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro.*

[b] Is est Odo Cantuariensis Antistes, cui Fridegodus carmen istud nuncupavit. Sic ergo Poëta *Breviloquium Vitæ* S. Vvilfridi claudit in codice Cottoniano, in quo errata ferè eadem, quæ in Corbeiensi reperiuntur, insertis capitulorum lemmatibus, quæ in Corbeiensi exemplari antiquiori desunt. Cottonianus liber pro *Balthild* mendosè habet *Brunhild*, quæ annis bene quadraginta ante id tempus occubuerat. In editione nostra pag. 181 lin. 9 pro *capiti cibus* legendum *capsacibus*, unica dictione, ut pag. 190 *capsaces*. Alias minutias persequi tanti non videtur. Ad Odonem quod attinet, nulla mihi videtur fuisse ejus scriptio de S. Vvilfrido præter Fridegodi poëmatium, quod ipse condi curavit. Id colligitur ex ipsius epistola, sanè perquam salebrosissima, quæ Fridegodi carmini in quibusdam codicibus præfigitur sub hoc exordio. *Orthodoxæ Fidei fundamento ancillanti, eidemque ecclesiastico antistantibus proposito quaqua versum orbis, tam instantibus, quamque futuris,* O d o *Doroberniacarum apice ovillarum,* &c. Epistola tota Fridegodi genium sapit, eoque tendit, ut de translatione reliquiarum S. Vvilfridi, deque ejus vita metrica faciat fidem. Nihil in ea historicum reperias præter paucula, quæ sequuntur. *Igitur venerabilissimas beati Confessoris Christi Vvilfridi reliquias indecenti senticosa voragine situ marcidas, immo (quod dictu quoque meticulosum est) P·alatorum horripilatione neglectas, cum inde favente D.o, scilicet à loco sepulcri ejus, quidam transtulissent, reverenter excepi, atque juxta ambitum metropolitanæ, cui gratiâ Dei præsideo, ecclesiæ collocavi, præsertim exigente illo Evangelista testimonio, more videlicet apologetico: Quia ubicumque fuerit corpus, congregabuntur & aquilæ. Itaque tanta tamque digna assiduitatis delecta vel venustate, & editiore eas endotheca decusare, & excerptis de libro vitæ hujus flosculo novo opera pretium duxi carminis venustare.* Hæc satis, superque satis.

An. Chr. DCCIX. April. XXIV. Ut natum retuli stemma tum maximè clusi.
Non epistasin capit, ecstasinque veretur.
Pagina Lector ave: tibi cætera carpe tuapte.



An. Chr. DCCIX. Maii XXIV.

VITA SANCTI ALDHELMI EPISCOPI SCHIREBURNENSIS IN ANGLIA,

à Willelmo Malmesburiensi Monacho scripta anno MCXXV.

Ex ms. codice Bibliothecæ Cottonianæ.

OBSERVATIO PRÆVIA.



X auctoribus quatuor, Egwino *Wictierum,* Osmundo *Sarisberiæ Episcopis;* Eadmero *Cantuariensi,* & Willelmo *Malmesburiensi Monachis, qui S. Aldhelmi gesta litteris mandaverunt, cùm nullum reperire potuissem, variis hac de re litteris in Angliam scriptis; sed unum mihi succurrit, ut opus elogium ex variis scriptorum veterum testimoniis pro more meo adornarem, quod in Saculi tertii parte prima editum est. Tandem verò Vvillelmi libellum ex Bibliotheca Cottoniana consecutus sum beneficio præstantissimi viri Josephi Villiamsonis, serenissimo Britanniæ Regi à secretis & mandatis: quem libellum Actis S. Vvilfridi, qui eodem tempore quo Aldhelmus floruit, eodemque anno mortuus est, hîc subjicere opera pretium duxi, missis longioribus notis & observationibus, quarum vicem supplebit Elogium nostrum. Hic ergo tantùm moneo, hunc Vvillelmi de Aldhelmi Vita libellum ab auctore appositum fuisse operi de Gestis Pontificum Anglorum, uti Vvillelmus ipse pollicitus est in lib. 2 de Episcopis Schireburnensibus, his verbis.* Primus Sciremburniæ sedit pater Aldhelmus, quem hîc tantum loco ordinis nomino. namque quòd ejus Vitam nusquam plenè digestam reperi, spectantque ad eam quamplurima, quæ si in posteros celavero, delinquo; cogitavi annuente Deo in extremo hujus opusculi libro cum ejusmodi materia liberiori congredi otio. *Et certè libellum istum alteri operi fuisse insertum patet ex ipsius initio, uti suo loco adnotabo. Hinc videas Vvillelmi opus de Gestis Pontificum Anglorum, non esse in editis integrum. Ethelvverdus Patricius in lib. 2 Chonicorum cap. 11, de Aldhelmo agit his verbis.* Postque quadriennio, *à morte scilicet Ealdferthi Northumbrorum Regis,* obiit Aldelmus beatus Episcopus, cujus miro artificio edita opuscula leguntur; eratque ejus Episcopatus provinciæ, quæ vulgo *Seavvdscire* dicitur.

INCIPIT VITA S. ALDHELMI EPISCOPI,

à Willelmo Malmesburiensi composita.

Is Adriani discipulus, tum Monachus Malmesburiæ.



I. Beatus Aldhelmus, Saxonica prosapia oriundus, primis imbuendus elementis Adriano Abbati sancti Augustini traditur: quem in arce scientiæ stetisse, qui Anglorum gesta perlegit, intelligit. Ibi pusio Græcis & Latinis eruditus litteris, brevi mirandus ipsis enituit magistris. Cumque jam majusculus à Cantia in West-Saxones remeasset, religionis habitum in Meldunensi

accepit Cœnobio, quod situm in civitate, quæ antiquo vocabulo *Maeldubeti*, nunc *Mealmesbery* vocatur. Id quidam MELDUN, qui alio nomine vocatur MEILDULF, natione Scottus, eruditione Philosophus, professione Monachus fecerat. qui cum natali solo voluntariè carens illuc devenisset, nemoris amœnitate, quod tunc temporis in immensum eo loci succreverat, captus, eremiticam vitam exercuit: deficientibusque necessariis, scholares in discipulatum accepit, ut eorum liberalitate tenuitatem victus corrigeret. Illi procedente tempore, magistri sequaces, ex scholaribus Monachi effecti, in conventum non exiguum coaluere. Horum exemplo & consortio Aldhelmus informatus ad studium, liberales artes plenitudini scientiæ adjecit: quas ut medullitus combiberet, iterum studuit Cantiæ ad pedes Adriani, qui erat fons litterarum, rivus artium: donec valetudine cogente repedaret domum. An. Chr. DCC IX. Maii XXV.

2. Itaque liberalium artium compos factus est, qui tanti contubernalis consortio fruitus sit. Nec ipse sanè suffragio laudum suarum defuit. Nam dixit se primum omnium suæ gentis hominum fuisse, qui ad scientiam metrorum præsumsit ingenium, impulit animum. Ista enim sunt ejus verba in calce libri, quem fecit de schematibus. Hæc, inquit, de metrorum generibus & schematibus pro vilitate ingenii mei habes, multum laboriosè, nescio si fructuosè, collecta. quamvis mihi conscius sim illud Virgilianum posse me jactare: Poesi, &c. instructus,

Primus ego in patriam mecum (modò vita supersit)
Aonio rediens deducam vertice musas.

Litteris itaque ad plenum instructus, nativæ quoque linguæ non negligebat carmina: adeo ut, teste libro [a] Elfredi, de quo suprà dixi, nulla umquam ætate par ei fuerit quisquam, poësim Anglicam posse facere, cantum componere, eadem apposité vel canere, vel dicere. Denique commemorat Elfredus carmen triviale, quod adhuc vulgo cantatur, Aldhelmum fecisse; adjiciens causam, qua probet, rationabiliter tantum virum his quæ videantur frivola, instituisse populum eo tempore semibarbarum, parum divinis sermonibus intentum, statim cantatis Missis domum cursitare solitum. ideo sanctum virum super pontem, qui rura & urbem continuat, abeuntibus se opposuisse obicem, quasi artem cantandi professum, eo plusquam semel facto, plebis favorem & concursum emeritum. Hoc commento sensim inter ludicra verbis scripturarum insertis cives ad sanitatem reduxisse; qui si severè & cum excommunicatione agendum putasset, profectò lusisset operam, profecisset nihil. populum ad sacra revocat. NOTA

3. Præconio itaque nobilis doctrinæ favorabilis quantum haberetur, indicio fuerunt epistolæ amicorum ad eum missæ. Taceo de compatriotis, qui certatim ad eum scripta sua emittebant, ejus judicii censuram subituri. Prætereo Scottos rum maximè doctos, qui idem fecisse noscuntur, quorum aliquos non obscuræ litteraturæ nominare possum, maximè ARTWILUM Regis Scottiæ filium. Hic quidquid litterariæ artis elaborabat, quod non adeo exile erat, Aldhelmi committebat arbitrio, ut perfecti ingenii limâ eraderetur scabredo Scottica. Ex ipso Francorum sinu ad eum causa doctrinæ veniebatur. Ceterum non est narratu facile, quàm efficax fuerit in exhortando diamicos* & discipulos: illos, ut illæsam fidem amicis exhiberent: istos, ut teneros annos ad unguem divinæ ab omnibus consultus. * f. amicos

[a] Quis sit iste sive Elfredus, sive Elfredi liber, ex Auctoribus Anglicanis discere non potui. Harpsfeldius, qui hunc Vvillelmi locum reddit, Elfredum Regem, scilicet Northumbrorum vocat. His verbis, *de quo suprà dixi*, ostendit Vvillelmus, hanc Vitam fuisse insertam in quodam opere suo, in quo de Elfredo aliquid præmiserat. quod de libro Pontificum Anglorum intelligendum est ex dictis in Observatione prævia.

An. Chr. DCC IX. Maii XXIV.

præceptionis ducerent. Verumtamen ut narrationem repetam, summum culmen laudibus ejus litteraturæ imposuit Beda, qui & pro vicinia temporis rem, ut erat, nosset; & pro veritatis studio mentiri nollet. qui post
» enumerationem aliquorum librorum ejus, subintulit: Scripsit, inquit, &
» alia nonnulla, utpote vir undecumque doctissimus. Nam & sermone
» nitidus, & scripturarum tam ecclesiasticarum, quàm sæcularium erat eru-
» ditione mirandus. Poteftne quicquam hac laude sublimius dici?

Beda lib. 5 cap. 19

Quibus studiis potissimùm addictus.

4. Postremò ipsum eumdem testem citabo, quòd licèt omnibus artibus studium numquam abnuerit, quibus tamen potissimum apud Cantiam iterata mansione studens animum impenderet, sic in epistola ad HEDDAM antecessorem suum, laborem exsequitur proprium, com-
» mendat exercitium. Fateor, beatissime Præsul, me dudum decrevisse, si
» temporum volitans vicissitodo pateretur, vicinam optati Natalis Domi-
» ni sollemnitatem ibidem in consortio Fratrum tripudiando celebrare, &
» postmodum vita comite vestræ caritatis præsentia frui. Sed quia diversis
» impedimentorum obstaculis retardati, quemadmodum præsentium la-
» tor viva voce promulgabit, illud perficere nequivimus; idcirco difficul-
» tati veniam precor impendite. Neque enim parva temporis intervalla in
» hoc lectionis studio protelanda sunt, ei dumtaxat, qui sagacitate legendi
» succensus, legum Romanarum jura medullitus rimabitur, & cuncta juris-
» consultorum secreta imis præcordiis scrutabitur; & (quod his multo per-
» plexius est) centena scilicet metrorum genera pedestri regula discerne-
» re, & musicæ cantilenæ modulamina recto syllabarum tramite lustrare.
» Cujus rei studiosis lectoribus tanto inextricabilior obscuritas prætenditur,
» quanto rarior doctorum numerositas reperitur. Sed de his prolixo ambitu
» verborum disputare epistolaris angustia minimè sinit. Quomodo videlicet
» ipsius metricæ artis clandestina instrumenta litteris, syllabis, pedibus, poë-
» ticis figuris, versibus, tonis, temporibusque conglomerantur. Poëtica
» quoque septenæ divisionis disciplina, hoc est acephalos, protilos cum cete-
» ris, qualiter varietur; qui versus monoscemi, qui pentascemi, qui deca-
» scemi, certa pedum mensura trutinentur; & qua ratione catalectici, vel
» brachicatalectici, seu hypercatalectici versus sagaci argumentatione col-
» ligantur. Hæc, ut reor, & his similia brevi temporis intercapedine ap-
» prehendi nequaquam possunt. De ratione verò calculationis quid com-
» memorandum? cùm tantæ supputationis imminens desperatio colla men-
» tis oppresserit, ut omnem præteritum lectionis laborem parvi penderem,
» cujus me pridem secreta cubicula nosse credideram: & ut sententia bea-
» ti Hieronymi utar, dum se occasio obtulit, qui mihi priùs videbar scio-
» lus, rursus cœpi esse discipulus. Sicque tandem superna gratia fretus, dif-
» ficillima rerum argumenta, & calculi supputationes, quas partes nume-
» ri appellant, lectionis instantia repperi. Porro de Zodiaco & XII signo-
» rum, quæ vertigine cæli involvuntur, ratione ideo tacendum arbitror,
» ne ars opaca & profunda, quæ longa explanandarum rerum ratione in-
» diget, si vili interpretationis serie propalata fuerit, infametur & vilescat:
» præsertim cùm astrologicæ artis peritia, & perplexa horoscopi compu-
» tatio elucubrata doctoris indagatione egeat.

Quos libros condiderit.

5. Talium artium voluptate repletus, ipse quoque ex sacratissimo pectoris penu bonæ frugis libellos edidit, ne umquam thesauros tam diu congregatos recluderet, ne nihil umquam ex auditis reponeret. Et primum quidem ingenii periculum dedit in libro, quem ad Britones, ut ad verum Pascha reverterentur, fecit: cujus doctrinam nescio quod infortunium usibus nostris invidit, gaudio subtraxit. Est & liber ejus de

a Hæc epistola non est edita in tomo 8 Bibliothecæ Patrum, nec alibi.

Virginum

Virginum laude, rhetorico compactus lepore, in quo Virginitatis gloriam prædicat, & postea non difficilem esse per Sanctorum cælibatum exemplificat. Ejusdem materiæ versibus heroïcis fecit alterum: cui adjunxit tertium æquè versificum de pugna octo principalium vitiorum. Exstat & codex ejus non ignobilis de ænigmatibus, Poëtæ Symphosii æmulus, centum titulis & versibus mille distinctus. Utrinsque operis præfationem versibus recurrentibus ingeniosè intexuit; ut in illo de Virginum laude, singulæ istius versus litteræ, AN. CHR. DCC IX. MAII XXV.

Metrica tirones nunc promant carmina castos;

singulos versus præfationis à capite ad finem inchoarent, eædemque per numerum versuum retroactæ eumdem versum effingerent. Porro in illo de ænigmatibus aliter commentus est ut hic versus,

Aldhelmus cecinit millenis versibus odas.

Primas & ultimas singulorum in procemio versuum litteras & inchoaret & terminaret, ambasque extremitates easdem faceret. Ostenditque in his, vir veteris litteraturæ, ludum simul & artificium: dum res incuriosas comitaretur facundum & vigens eloquium. Præterea ad quemdam ALFRIDUM Regem Northanimbrorum probè (ut Beda narrat) litteris doctum edidit librum hæc continentem capitula.

De septenarii numeri dignitate, collecta ex veteris & novi Testamenti floribus & disciplinis Philosophorum.

De Ammonitione fraterna caritatis.

De insensibilium rerum natura, qua secundùm metaphoram sermocinari figurantur.

De pedum regulis.

De metaplasmo.

De sinalimpha.

De scansione & ellipsi versuum.

De metro alterna interrogatio & responsio.

Composuit & epistolas multas, quarum plures non exstant; partem quarumdam quas habemus antecessorum nostrorum detruncavit incuria. Sermones ejus minus infundunt hilaritatis quàm vellent. Hi rerum incuriosi verba trutinant, judices importuni, qui nesciunt, quòd secundùm mores gentium varientur modi dictaminum. Denique Græci involutè, Romani splendidè, Angli pompaticè dictare solent. Id in omnibus antiquis cartis est animadvertere, quantum quibusdam verbis abstrusis & ex Græco petitis delectentur. Moderatiùs tamen se agit Aldhelmus, nec nisi perrara & necessaria verba ponit exotica. Allegat catholicos sensus sermo facundus, & violentissimas assertiones exornat color rhetoricus: quem si perfectè legeris, & ex acumine Græcum putabis, & ex nitore Romanum jurabis, & ex pompa Anglum intelliges.

6. Veniente Aldhelmo ad locum prædictum parva ibi admodum basilica visebatur, quam Meildulfum ædificasse antiquitas incertum fabulabatur. Erexit Aldhelmus angustiorem ecclesiam in honorem domini Salvatoris, & primorum Apostolorum Petri & Pauli. Quem promoventem his virtutum successibus in altum nitentem LEUTHERIUS West-Saxonum Episcopus conspicatus, ibidem eum in præbendam, postea in Abbatem erexit, locique illius possessionem, qui sui juris esset, in Abbatis ditionem traduxit. Quæ ædificia.

7. Abbas ergo constitutus Monachos ad votum inducere, famam in bonum ultrà agere, Dei præ omnibus gloriam velle. Cumque industriæ Abbatis favor concurreret Pontificis, tunc res Monasterii in immensum augeri. Currebatur ad Aldhelmum totis semitis, his vitæ sanctimoniam, illis litterarum scientiam desiderantibus. Erat enim quamvis (ut diximus) Abbatis gesta.

An. Chr. DCC IX Maii XXV.

eruditione multiplex, tamen religione affabilis, & simplex: qui adversantes obtineret dicendi fulmine, discentes mulceret nectarco dicendi flumine, ad utrosque ex ejus ore flueret salsi lepotis oratio, ut esset in singulis mirabilis, & in omnibus singularis. Eo factum est, ut Reges Merciorum & Comites, & West-saxonum religione viri qua nobilitas commendabatur generis illecti, plura loco conferrent, quæ & ad Monachorum stipem, & suatum animarum salutem proficerent.

Monachi exercitia.

8. Postquam ergo factus est Monachus, sic eum vitam duxisse competimus. Lectionibus frequenter, orationibus constanter incumbebat, ut, sicut ipse in quadam epistola dixit, legens Dominum loquentem audiret, orans Dominum alloqueretur, tenuitate ultronea victualium pascens animum, nusquam à Monasterio nisi necessariò progrediens; pecuniarum minimè avidus; si quid dabatur, in usus utiles continuò annumerans. Jam verò ut vim rebelli corpori conscisceret, fonti, qui proximus Monasterio, se humero tenus immergebat. Ibi nec glacialem in hieme rigorem, nec æstate nebulas, ex locis palustribus halantes curans, noctes durabat inoffensus. Finis dumtaxat præcantati Psalterii terminum imponebat labori. Fons ille, de nomine Sancti dictus, in valle Cœnobii lenibus scatebris fluens, & visu est delectabilis, & potu suavis. In alia parte urbis fons Danielis dicitur; quia in eo Daniel cælestes noctibus ducebat excubias, qui cum Aldhelmo pontificales accepit infulas.[a] Inter hæc præclaram hujus hominis continentiam describere pæne verecundaretur oratio, nisi esset in facto gloriosæ victoriæ occasio. si quando enim stimulo carnis commoveretur, non solùm illecebræ denegabat effectum, sed aliàs insolitum importabat triumphum. Neque tunc consortium tepudiabat feminarum, ut ceteri qui ex opportunitate timent prolabi: immo verò vel assidens, vel cubans [b], aliquam detinebat. quoad carnis tepescente lubrico, quieto & immoto discederet animo. Deriderí se videbat diabolus cernens adhærentem feminam, virumque aliàs avocato animo insistentem cantando Psalterio. Valefaciebat ille mulieri salvo pudore, illæsa castitate. Residebat carnis incommodum: dolebat nequam spiritus de se agitari ludibrium. Assistunt veritati dictorum meorum, quantum cælibatus amorem foverit, libri de Virginitate præclari, quibus illius honorem definit, pulcritudinem ornat, perseverantiam coronat. Neque enim fas est credi sanctum virum aliter fecisse, quàm docuit; aliter vixisse, quàm dixit.

Episcopatus.

9. At verò aliquot annorum intercurrente spatio Hedda totius West-Saxoniæ Pontifex, apud Wintoniam sedem habens, excessit mundo. Gratissimus fuit hic obitus cælestibus, quòd pro sanctitate præteritæ vitæ numerum eorum ampliaret: luctuosus mortalibus, quòd vix patem possent invenire, qui tantæ diœcesεos circuitum vellet regere. Quicquid enim nunc quatuor Episcopi gubernant, unus tunc ille frenabat, rebelles auctoritate puniens, supplices simplicitate demulcens. Synodali ergo Concilio diœcesis ultra modum protensa in duas sedes divisa: quarum altera Scbirebutniæ, altera esset Wintoniæ, in qua & impar fuit ea divisio, ut unus duos rantùm pagos, alter totum regeret quicquid West-Saxonici tractus immensitas continet. Singulis sedibus suffecti Pontifices pro

a Is est Daniel occidentalium Saxonum cum Aldhelmo Episcopus, de quo Beda in lib. 5. cap. 19, & Vvillelmus infrà.

b Cautè legendus hic locus, nec in exemplum trahendus, etiamsi de hoc Aldhelmi facto, quod nescio unde acceperit Vvillelmus, constaret. Congressum ac colloquium feminarum hoc in casu sola excusat necessitas, adhibita diligenti cautela. Alioquin hac in pugna fugiendo vincitur, non obfirmato vultu resistendo: quod est in periculum ruinamque præceps. Consimile factum optimo viro Roberto de Arbrisellis exprobravere Marbodus Redonensis Episcopus, & Goffridus Abbas Vandocinensis.

scientiæ merito & natalis sui confinio: Wintoniæ prælatus DANIEL, qui esset ejusdem regionis oriundus, & stateratum non egenus. Schireburniam sortitur Aldhelmus, cui sapientiæ prærogativa, & ævi maturitas ad majus culmen adspiraret: tum etiam genitalis terræ caritas suffragaretur; quòd ejus provinciæ indigena esset. Procedit ergo, ut creditur, agente Deo universalis electio, ambiturque à beatissimo sene, ut Episcopatum dignetur. Omnis ætatis & ordinis conflatur sententia, dignum videri præsulatu excocta jam ætate cernuum, litteris uberem, religione nulli disparem. Sin verò natalium dignitatem considerandam putes, quam beatus Apostolus in talibus non prætermisit; quis eo nobilior qui regalem prosapiam contingit linea? Ejus famæ, ejus vitæ semper illum fuisse, de qua numquam vel parum sinistra jactata sit opinio. Suscipiunt igitur collegam Episcopi, patrem Clerici, patronum Laïci. Inde acclamantibus cunctis, reclamantibus nullis, BERTHWALDO primæ sedis Archiepiscopo pro more consecrandus deducitur. Is in veteris contubernii sodalem (nam & pariter litteris studuerant, pariterque viam religionis triverant) electionem factam gratiosè complexus, favorem auxit. Itaque non solùm consecrationem indulsit, sed etiam multos dies secum retinuit, ejus consilio Archiepiscopatus sui pondus allevians, causarum rationem examinans. An. Chr. DCC IX. Maii XXV. — Consecratio.

10. Tunc factum est, ut hisce diebus Dorobernìam pergeret, quod litus Cantuariæ ad XII milia proximum, audiens illic naves appulisse. Portus ibi, ut plerique maritimorum locorum, inquietus, quoniam angustus. Citissimus eò à Morinis transitus paucorum admodum milium trajectu: quo fit ut in illius spatii angustia inter se recurrentes & illidentes fluctus, nimia occasione pelagus exasperent: ibique maximè incurrat ratis periculum, ubi sperabatur periculorum effugium. Jam verò in statione navibus receptis tutissima, quamvis tempestate, quies. Hæc ideo præfuli, quia ad rem quam inferam, attinent. Spatiabatur Sanctus juxta mare, intentusque oculos mercimoniis infigebat, si quid fortè commodum ecclesiastico usui attulissent nautæ, qui è Gallico sinu in Angliam provecti librorum quoque copiam apportassent: conspicatusque librum totius Testamenti veteris & novi seriem continentem, ad emendum intentus à ceteris animum remisit. Cumque gnarus folia evolveret, pretium effringeret *; barbari eum nautica lascivia convicii aggrediuntur; quid ita merces alienas depreciaretur, & attenuaret rerum non suarum valentiam; sua si vellet evenrilaret, extranea suo pretio relinqueret. Horum ille verborum contumaciam solo risu, nihil contrà referens, dissolvit, postremo adhuc pretium libri percunctantem loco eum ignominia deturbant, tensisque rudentibus longiùs à litore se removent. Sed non longè morata divina ultio injuriam Sancti acriùs vindicavit. Procella surgit, turbo sævit; densatur nubes, subducitur dies, pelagi caligo, aërisque horror noctem inducit. Congeminat terrorem ventorum furor, rudentium stridor; antemna sævitiam tempestatis non patitur; latus navis hinc inde tundentibus fluctibus quassatur; defecit ars remigum, decidit peritia nautarum. Et jam pessum ibant, videbanturque in miserorum mortem omnia conspirasse elementa. Tum licèt brutos animos intelligentia subiit, propter injuriam Sancti, cui conviciati fuerant, se luere pœnas. Exclamant ergo in planctum, & supplices tendunt ad litora palmas: orant opem, pollicentur emendationem. Facile fuit beato Pontifici, ut remitteret culpam, qui non doluerat contumeliam. Et primo quidem porrecto contra sævientia flabra Crucis signo, non nihil tempestatis diminuit, & mansuefecit. Mox cùm ipse scapha adscensa, virtute remigum periclitantes adisset; muta- In portu Doroberniæ — librum licetur à Gallis nautis, — * f. efflagitaret — qui ob illatum convicium jactati.

AN. CHR. DCC IX MAII XXV.

ta in bonum omnia; tempestas tota quiescit, turbo conquiniscit, ventorum usus conversus navem impellit ad litus; undæ quæ antè minabantur exitum, nunc sensim allabentes pollicentur obsequium. Potiti ergo nautæ optata stationis arena, librum sponte offerunt, accipiat gratis, dignetur munus famulorum, quos ab ipsis mortis faucibus in siccum evexerit. Appendit ille mercedem æqua lance in medium conferens, ne aut pauperes magno damno emungeret, aut supplicum preces repudiaret. Id volumen adhuc Melduni visitur, antiquitatis venerandum præferens specimen.

Dultingi moritur,

11. Interea beatus Aldhelmus vicini finis non erat nescius. Sordebant jam viro terrena, inhiabatque cælestibus. Ducta itaque vita hominibus placida, Deo placita, post annos Episcopatus quatuor,

Ad superos superûm cultor sociusque recessit,
 Alterat astra solo, mutat & arva polo.
Halitus alta subit, fovet artus hospita tellus:
 Depositumque suum pascit uterque locus.
Impulerat Phœbus bis quina luce Laconas,
 Involucris mundi cùm resolutus abit.

Villa est in pago Sumersetensi *Dulting* vocabulo, in qua hominem exuit, quam pridem Monachis dederat Glastoniensibus, usumfructuarium pactus. Domus obitus ejus conscia in ecclesiam mutata. Fertur in eadem ecclesia lapis, cui Sanctus acclinis morbo decubuerat, cujus ablutione plures ægroti sanitatem iniisse noscuntur. Tunc beato EGWINO Wigornensi Episcopo a visio cælestis affulgens, obitum sodalis innotuit, ut ad locum pergeret præcepit. Ille doloris & amoris stimulis iter maturans, celeriter *Dulting* pervenit; depositaque pro animæ requie oratione, ut pro desiderio & præcepto Sancti Meldunum corpus promoveatur, jubet. Excipiunt interea patronum Meldunenses ingenti ploratu, reverenti affectu. Jungebatur amori veneratio, pugnabatque fides cum obsequio. Nescires quid eligeres, aut in parente affectum, aut in advocato gaudium. si lætarentur ad Deum pro præmisso patrono; sed dolere cogebantur pro amisso vitæ solatio. Inter hos fluctus aliquot extractis diebus tandem sepelitur in sancti Michaëlis ecclesia, ubi sibi vir sanctissimus olim sepulturam providerat. Excessit anno ab Incarnatione Domini DCC IX, ante Bedam XXV *, postquam Abbas à Leutherio factus XLIIII, postquam Episcopus à Berthwaldo V. Eodem anno Wilfridus Episcopus decessit.

Egwino cælitus sciente.

Malmesburiæ sepelitur.

* immo XXVI

Mulier cæca lumen recipit.

12. Cujusdam vici nonindigena, sed incola femina, lucis inops, postero anno, in sollemnitate Patris Aldhelmi, lumen per duos deviginti annos amissum recepit: causam cæcitatis, quam nescio, nolo contexere, cavens loquacitate mea legentium fidem fallere. Hoc constat, quia cùm ante Crucifixum staret, crine flavo in terra soluto spectabilis, sed tenebris oculorum deformis, crebris punctionibus orbes luce vidui cœpere moveri. quibus mulier irritata, primo leni fricatione cruorem emisit: sed cùm majori pruritu atrociore unguium injuria satisfaceret, copiosiori profluente unda, postulata cruorem excepit concha. Ita expeditis obstaculis concavitatem fenestrarum serenum illustravit luminis. Tum affines veracissimi, qui adessent, homines, & plausere miraculo, & usque nunc stipendiario sustentant commodo. Illa sanctioris habitus professa velamen, nullo fraudatur visus dispendio, nisi quantum provectior ætas accedit senio. Vivit ad hunc quo ista scriptitamus annum,

Annus hujus scriptionis.

a De sancto Egwino actum est in Sæculi tertii parte I.

qui est ab Incarnatione Domini millesimus centesimus vigesimus quintus, à transitu sanctissimi Confessoris CCCC XVI, in regno Henrici Regis XXV *, falsariorum qui monetam corruperant per totam Angliam detruncatione [a] notabilis; propter eamdem perinde falsitatem, annonæ caritate & edaci fame, tum præterea indiscreta vulgi clade infamis; eminentissimorum virorum mortibus funestus; præsertim Callisti Papæ, & quinti Henrici Imperatoris Alemanniæ; quibus nulli umquam præstantiores fuerint in officiis utrisque; tonitribus & fulminibus per omnes menses infestus; imbrium continuatione, nullo pæne intermisso die, æstivis etiam mensibus pluvius & luteus. AN. CHR. DCC IX. MAII. XXV. * NOTA.

[a] Huc spectant verba Henrici Huntindoniensis in lib. 7 Historiarum. *Opera pretium verò est audire, quàm severus Rex fuerit in pravos. Monetarios enim ferè omnes totius Angliæ fecit ementulari, & manus dextras abscindi, quia monetam furtivè corruperant. Iste est annus carissimus omnium nostri temporis, in quo vendebatur onus equi frumentarium sex solidis.* De morte virorum per id tempus insignium legendus idem Henricus in Spicilegii tomo 5.

VITA SANCTI BEATI ABBATIS HISPANICI,

AN. CHR. DCC XCVIII. FEBRUAR. XIX.

Auctore anonymo recentiori.

Ex Martyrologio Hispanico & Februario Bollandi.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.



1 INTER *Sanctos Sæculi tertii Benedictini prætermissos retuli hunc* BEATUM *ob eam videlicet causam, quòd in vulgatis ejus Actis nulla de ipsius Monachatu mentio habeatur. Postea verò incidi in quædam argumenta, quæ monasticam ejus vitam probant, atque adeo virum doctrina ac sanctitate insignem Benedictinæ familiæ adscribi posse existimo.* Beati vita cur hic edita.

2 *Beati vitam in litteras retulit anonymus quidam scriptor Hispanus, qui recentioris videtur ætatis. Hanc scriptionem ex Legendario Asturicensi ms. primus vulgavit Johannes Tamains Salazar in Martyrologio Hispanico, & post eum Johannes Bollandus in Februarii tomo 3, cum prævio commentario Godefridi Henschenii. Sanctum Beatum colunt Hispani, præcipuè Asturicenses; eumque vulgo* S. Bieco *appellant. De eo præclarè agit Iohannes Mariana in lib. 7 de rebus Hispanicis cap. 8.* à quo scripta.

3 *Miratur Tamains Salazar, quo titulo Menardus & Yepez (Wionem addit Henschenius) Beatum Presbyterum Monachum dicant:* cùm concors apud scriptores, *inquit Tamains*, sententia sit, illum solam Presbyteri commendationem tenuisse. *Sed Tamaii admiratio procedit ex ignoratione moris antiqui, cùm Monachi quique, qui sacris initiati erant, suscepti Ordinis vocabulis passim insignirentur, abjecta plerumque, rariùs adjecta Monachi appellatione. Sic Hieronymus, sic Beda Presbyteri; sic Paschasius Radbertus Levita, aliique eumdem in modum nuncupantur. Verùm, ne gratis de Beato id dixisse videar, proferenda sunt argumenta, quibus sine dubio acquiescet Tamains, & qui cum eo sentiunt. Primum desumo ex Alcuini libro 1 adversus Felicem, ubi Beatus* Abbatis *titulo donatur. Neque enim apud Visigothos seu Hispanos alii erant Abbates præter Monachos & regulares. Alcuini hæc verba sunt.* Quod verò quemdam Beatum Abbatem, & discipulum ejus Hitherium Episcopum dicitis huic vestræ sectæ primùm contraire; laudamus eos, &c. *At ne fortasse etiam apud Hispanos obtinuisse Abbates sæculares reponat aliquis; alterum argumentum affero ex ejusdem Beati lib. 2 contra Elipandum.* Verè bonum, *inquit*, & verè jucundum habitare Fratres in unum. Unum fratrem dimisimus Monastica professio.

AN. CHR. DCCXCVIII FEBRUAR. XIX.

in sæculo: ecce quantos invenimus in Monasterio. Frater meus sæcularis non tantum me amabat, quantum substantiam meam: ceterum Fratres spirituales, qui sua utique negligunt, aliena non quærunt. Hæc nullatenus sa ulari homini convenire possunt; sed necessariò aptanda Monacho, qui cum unum fratrem dimisisset in sæculo, longè plures spiritales Fratres invenit in Monasterio. Isti sunt spiritales Fratres, in quorum gratiam idem Beatus commentarium in Apocalypsim composuit hactenus ineditum, in cujus præfatione Ambrosius Morales sequentia verba legit. Hæc ego, sancte Pater Ætheri, te petente, ob ædificationem studii Fratrum tibi dedicavi: ut quem consortem perfruor Ordinis, coheredem etiam faciam mei laboris. Hæc, inquam, Monachi verba sunt ad Ætherium tum Episcopum Uxamensem, quem olim Beatus discipulum & consortem Ordinis in Monasterio habuerat. Ista argumenta si legisset Tamaius, mirari haud dubiè desiisset, quòd auctores nostri Beatum dixerint Monachum: nec gravatè tulisset eum Benedictinis sodalibus adscribi.

Benedictina.

4 Opponit Henschenius, etsi constaret de Beati monachatu, non tamen ideo Ordini Benedictino adscribi continuò posse: cùm plura eo tempore fuerint in Hispaniis Monasteria, quæ Regulam non erant Benedictinam amplexa. idque ex eo probat, quòd Menardus noster in præfatione ad Concordiam Regularum, compositam à Benedicto Aniana Abbate, refert Regulam S. Isidori Episcopi Hispalensis, aliam S. Fructuosi Episcopi Bracarensis, aliam alterius item Fructuosi. Scimus quidem tres Regulas pro Monachis sæculo septimo apud Hispanos conditas fuisse, unam à S. Isidoro, alias duas à Fructuoso primùm Monacho & Abbate, dein Episcopo Bracarensi. Non enim Menardo nostro assentior, Fructuosos duos distinguenti. Argumenta hæc retuli in Sæculo 2 ad ipsius Fructuosi Vitam: quæ argumenta probavit Henschenius in Aprilis tomo 2. Deinde has Regulas in nonnullis Hispaniæ Cœnobiis sæculo septimo fuisse observatas nemo jure infitiari potest. Siquidem tam Isidorus, quàm Fructuosus ea pollebant apud Hispanos auctoritate, ut eorum Regulas facilè admiserint Monachi in ea regione aliquanti. At majoris erat ponderis apud eos Gregorii Magni auctoritas, qui in Dialogorum libro 2 Benedictum adeo magnificè prædicaverat, ejusque Regulam insigni elogio commendaverat. Quanto in Gregorium studio affecti essent eo tempore Hispani, illud luculenter declarat, quod Chindasuinthus Visigothorum Rex Taionem Cæsaraugustanum Episcopum Romam direxit ad recuperandam priorem Gregorii Moralium partem, quæ in ea regione desiderabatur. Porro ibidem ea tempestate notissimi erant Dialogorum libri, quos laudant Isidorus, & Paulus Emeritensis Diaconus in præfatione ad Vitam Emeritensium Patrum. Et publicata etiam tum erat S. Benedicti Regula apud Hispanos, ut constat ex iis, quæ attuli in Præfatione Sæculi 1, & in Observationibus præviis ad Vitam S. Fructuosi. Si ergo tanta erat ab eo tempore apud Hispanos Gregorii Magni auctoritas, si notissima Regula tantopere ab ipso commendata; hanc sine dubio accepêre Hispanienses Monachi unà cum Regulis Isidori & Fructuosi, ut in Gallia præstitum vidimus in hujusce tomi Præfatione, ubi sæculo VII diversas in unis eisdemque Cœnobiis Regulas cum Benedictina simul receptas fuisse constat. Accedit, quòd labente sæculo insequente Benedictus Aniana Abbas, Benedictinæ disciplinæ instaurator illustris, cùm Hispaniam adiit contra Felicianam hæresim pugnaturus, idem institutum in illis partibus promovere potuerit. Sanè quæcumque nobis ex calamitosis illis temporibus supersunt primaria Cœnobiorum instrumenta, (nam pleraque intercepit Maurorum procella) Regulam S. Benedicti Monachis impositam fuisse contestantur. Primum invenio Fromista Abbatis, qui unà cum sobrino suo Maximo Presbytero æra DCCCXIX, quæ anno Christi DCCLXXXI respondet, Monasterium S. Vincentii de Oveto condidit in hooorem S. Vincentii Martyris atque Levitæ; & accepit Regulam S. Beoedicti. Alterum æra DCCCXVIII, quod est Adelgastri Silonis Regis filii, pro Cœnobio Obonensi, ad honorem Dei & beatæ Matris ejus, & S. Michaëlis Archangeli, & S. Johannis Evangelistæ, & S. Antonini Martyris, & S. BENEDICTI Abbatis, cujus Ordinem, inquit Adelgaster, in ipso Monasterio constituimus. Et infrà: Damus siquidem, & concedimus hujus serie testamenti Deo, & beatæ Mariæ & omnium Saoctorum Dei, in quorum honore ecclesiam & Monasterium fundamus, & in manu Felicis Abbatis, cui omnia suprà taxata tradimus, ita ut semper permaneat in servitio Dei, & Abbas & Monachi Regulam beati Benedicti perenniter custodiant. Accedit, quòd omnia Monasteria quæ in Catalania Hispaniæ finitima per ea tempora condebantur, eamdem Regulam servabant, ut patet ex veteribus Actis relatis in Appendice Baluziana ad Capitularia Regum Francorum, num. XLI, LXII, LXIII, LXXXIX, XCVIII, CXXXII, CXLII, & CXLV. Hæc de Beati Monachatu.

Yepez tomo 3 Script. 18.
ibid. Script. 24.

Monasterium.

5 Cujus verò Cœnobii Monachus fuerit, id conjectatur Antonius Yepez de Monasterio S. Thuribii Lievanensi, hoc inductus argumento, quòd in charta ejus loci, data æra DCCCLXVI, mentio fit de religioso Presbytero domno Ætherio & Monachis inibi habitantibus. Verùm eo tempore si non decesserat Ætherius, certè jam longè antè Episcopus

erat Uxamensis *, *& quidem eo tempore, quo is cum Beato in Elipandum scripsit, ut patet ex ejus Confessione relata ante medium libri I.* Primus ego Eterius, Oxomæ sedis indignus nominatus Episcopus, qui ab Archiepiscopo Toletano nuncupor esse hæreticus, profero Fidem meam cunctis audientibus. *Erat proinde Episcopus sub annum* DCC XC. *Ego quidem existimo exstitisse aliquando Vallis-cava apud Asturias Monasterium, quod incoluerit, rexeritque Beatus. Nam in Vita sequente eodem secessisse dicitur; idemque locus hactenus ejus cultu ac reliquiis illustratur.*

An. Chr. DCC XCVIII. Februarii XIX.

* Osma Scripta.

6 *Insignis fuit Beati eruditio & doctrina pro funesta illa Maurorum tempestate, uti demonstrant libri duo adversus Elipandum, editi tum ab ipso, tum ab Ætherio ejus discipulo, tametsi eo in opere Beati fuere præcipuæ partes. Sanè utrumque insectatus est Elipandus; sed maximè Beatum. Huc spectat Elipandi epistola ad Fidelem.* Adolescentiam sanè fratris nostri Eterii lacte adhuc alitam, & nondum ad robur perfectæ intelligentiæ perductam vestra fraternitas erudiat: quia non cum magistris optimis, sed cum ignaris & schismaticis, videlicet Felice & Beato Antiphrasio, æquales in virtute, & pares in errore, habuit collationem. *Felix iste videtur fuisse Abbas ille Obonensis, de quo suprà, militans sub Regula S. Benedicti: cui proinde Beatum etiam addictum fuisse, ex ejus cum Felice societate intelligitur. Gabriel Vasquez fatetur se non posse non admirari Beatum & Heterium, quòd tam calamitoso tempore, quo dira Maurorum tyrannide Hispania opprimebatur, controversiam adeo obscuram sui ingenii acumine & eruditione illustraverint. Præter hos libros contra Elipandum duos, qui exstant in tomo 8 Bibliotheca Patrum, scripsit etiam Beatus commentarium in Apocalypsim, hactenus ineditum. Utinam illum quis è tenebris tandem eruat! quem Morales ait se vidisse in ecclesia Vallecavensi, Hispanis* Valcabado, *haud procul à Saldana oppido diœcesis Legionensis: qui locus, ut dixi, Beati memoria & cultu celebratur. Hic opera pretium est observare Acta S. Andreæ Apostoli, quæ recentiora esse putant nonnulli, à Beato memorari sub finem libri I adversus Elipandum, ubi de Christo agens;* Iste est agnus, *inquit*, immaculatus, qui quotidie, ut beatus Andreas ait, in altare crucis sanctificatur; cujus carnes posteaquàm omnis populus credentium manducaverit, & ejus sanguinem biberit; agnus qui sacrificatus est, integer perseverat & vivus. *Quæ ipsissima verba leguntur in vulgatis S. Andreæ Actis.*

1. TEMPORE MAUREGATI Asturicarum Regis, fuit in Toleto quidam Archiepiscopus, nomine HELIPANDUS, qui inter Agarenorum diras procellas CIXILIANO successerat decessori, ex eo quòd ejus fama doctrinæ & sanctitudinis per totam spargebatur Hispaniam. Is erat ex Muzarabibus Gothis oriundus, & nobilitate sanguinis clarus. Illum docuerat ab ejus primis litterarum rudimentis quidam FELIX, Gallus [a] prosapiâ, Episcopus Urgelitanus, pòst hæreticus Nestorianus, qui Christum fuisse filium Patris adoptivum, qua parte homo est, contra fas, contra auspicia, contra omnes humanas & divinas litteras & religiones perdocuit. Fœdam hanc doctrinam per sacrilega epistolarum monita à magistro [b] suxerat Helipandus, qui præceptoris vestigia temeraria comprehensione consectans, adversus omnes Hispaniæ Episcopos & Presbyteros ejus sententiam despicientes, primò scriptis, pòst anathemate usus, est Hispaniam damnabili propositione fœdatus.

Beatus contra Felicianum hæresim pugil.

2. Cùm igitur hæc aggrederetur, in Livaniensibus montanis, quæ inter utrasque eriguntur Asturicas; ex forti dulcedinem, ex silvis Davidem extraxit Deus, ut fortia quæque confunderet: & velut alterum Isaiam

a Id asserere non ausus est Johannes Mariana, quod falsum esse constat ex Eginhardi Annalibus ad annum DCC XCII. ORGELLIS *est civitas, in Pyrenæi montis jugo sita: cujus Episcopus, nomine* FELIX, *natione* HISPANUS, *ab Elipando Toleti Episcopo per litteras consultus, quid de humanitate Salvatoris Dei & Domini nostri Iesu-Christi sentire deberet, utrum secundum id quod homo est, proprius an adoptivus Dei filius credendus esset ac dicendus; valde incautè atque inconsideratè, & contra antiquam catholicæ Ecclesiæ doctrinam, adoptivum non solùm pronuntiavit, sed etiam scriptis ad memoratum Episcopum libris, pervicacissimè pravitatem opinionis suæ defendere curavit.* Festivi verò sunt Hispani, qui si quos habent nebulones, Francis aut Gallis adscribunt: quos autem Scotos insigniores habemus, sibi vindicant, ut multis exemplis patet in Martyrologio Hispanico. Cum Felice ad Hispanos remittendus est Claudius Taurinensis Episcopus, quem genere, non Scotum, sed Hispanum fuisse demonstravi in tomo I veterum Analectorum.

b Falsus est Binius, qui Elipandum Felicis præceptorem appellavit. Certè Dungalus Felicem *hujus erroris magistrum* vocat.

AN. CHR. DCC XCVIII. FEBRUAR. XIX.

loqui nescientem, calculo ignito labia pertingens, suscitavit in Hispania Prophetam, qui adversus errantes Ecclesiæ proceres stilo ferreo inveheretur strenuus. Construxerat Nabuchodonosor statuam, apparentiâ mam, magnitudine proceram, metallis divitem, fama celebrem, & apparatu magnificam: quis illius excellentiam collimavit? minuta petra è monte decurrens. Templi vasa Balthasaris inscitia profanavit: quis ejus ambitionem, & mortem detexit? Duo digiti & brevis stilus. Ergo Deus qui in Helipando Goliath, in ejus errore populum, in ipsius vana gloria Nabuchum, & in illius ambitione Balthasarem conspexerat, ex abjectione plebis, & montanæ speleis Davidem, & plebe ignota blæsum Isaiam, ex monte Beatum, ex silvis ejus digitum, qui hujus Archiepiscopi errores contunderet, surrexit.

Astur Hispanus, Presbyter

3. Iste, qui Beatus fuit & nomine & opere, Hispanus fuit, qui ab illis otiundus asperrimis montanis, originem ab Asturicanis antiquioribus traxit. Erat ordine Presbyter [a] in sacris litteris edoctus, & Fidei catholicæ zelo conspicuus. Hic cùm Helipandi erroneam professionem audivit, protinus per totam illam regionem & catholicum seminare dogma, & hæreticam evellere zizaniam cœpit, quibus obsistens Helipando profectibus, paullatim ejus propalari commenta cognovit. Adfuit quoque catholico operi B. ÆTHERIUS, qui pòst fuit Episcopus Uxamensis, & Beati amicitia [b] fretus: uterque adversus Felicem & Helipandum litteris & sermonibus per populos discurrentes, catholicam veritatem virili & sancta caritate docebant. Istorum etenim efficaciâ plurimi qui Helipandi venenum ebibetant, vinum hæreticum eructantes, ad gremium matris Ecclesiæ sunt contritionis pænitentiâ reversi.

ab Elipando arguitur.

4. Audierat Helipandus opera sanctorum Ætherii & Beati, & adversus istum impensè iratus, epistolam FIDELI [c] Abbati Asturiensi direxit; quâ de sanctis Presbyteris conqueritur, ex eo quòd ipse adstans Toletanus Episcopus, ipsi, tamquam ejus dignitatem & ordinem contemnentes, nullam ab ipso de adoptionis doctrina cognitionem ediscere cogitarent. Quis ergo, prosequitur, umquam audivit, quòd homo Asturicanus & montivagus Toletanos docere & corrigere præsumat? Nonne exemplum ab Arehatico [d] Episcopo insumere poterat, qui audita vestri Beati antiphrasi, ad nostram occurrens sedem, quid tenendum humili percunctatione poposcit? Sed, sicut Dei gratiâ factum est, quod per nos, Episcoporumque Hispaniæ consessum, de Magetianis [e] Spalitanis, qui circa festi Paschatis diem aberrantes, confusam ordinis normam spargebant, obtinetetur victoria: sic in Domino hæresim Beatianam de Asturicarum montanis exstirpare confidimus. Non me latet Ætherium, prout juvenem, deceptum fuisse à Beato, homine silvestri & vaniloquo:

[a] Immo & Monachus, ut superiùs probatum est in Observatione 3.

[b] Fuit hic etiam Beati discipulus, ut Alcuinus tradit, cujus verba in eadem Observatione relata sunt.

[c] Ejus epistolæ mentionem facit Beatus initio libri primi. *Legimus litteras prudentiæ tuæ, anno præsenti, & non nobis, sed Fideli Abbati mense Octobri, in era DCCCXXIII clam sub sigillo directas, quas ex velato advenisse audivimus, sed eas usque VI Kal. Decembris minimè vidimus.* Itaque epistola hæc anno DCCLXXXV ad Fidelem scripta est.

[d] Ascaricum habet Elipandi vulgata ad Fidelem epistola, relata 16. lib. 3 Beati Abbatis, in qua hæc verba. *Hanc epistolam domnus Ascarius Episcopus idro fraternitati tuæ direxi, carissime Fidelis, ut cognoscas, quanta in Christi servis regnet humilitas, quanta in Antichristi discipulis regnet superbia cùm domnus Ascaricus nobis non docentis imperio, sed interrogantis voto ea scribere voluit, sicut illum vera humilitas docuit. Isti verò modo & contraria dicendo, modò & quæ ipsi ignorantem me, quid rectum sit, noluerunt interrogare.* Ascaricus erat Episcopus Bracarensis, quem cum Elipando suggillat Hadrianus Papa I in epistola 97 codicis Carolini ad Episcopos Hispaniæ.

[e] De hac itidem victoria gloriatur idem Elipandus in epistola proximè laudata ad Fidelem. *Ut quod ego & ceteri fratres mei in Hispalitanis tanto tempore dijudicavimus, & Deo auxiliante, tam in festis Paschalium, quàm in ceteris erroribus Migetianorum hæresim emendavimus, : nunc illi,* Beatus scilicet & Ætherius, *è contrario invenimus unde nos arguant.* Et infrà Migetianos istos in *finibus Bæticæ* viguisse ait. Migentium ejus sectæ auctorem, ejusque discipulum Egilam arguit Hadrianus in epistola mox citata. Unde hic in textu legendum *Migetianis.*

quem,

quem, si tibi nostra placent, protinus ad te advoca, quantumque coram Deo, ejusque Ecclesiæ & nobis erraverit, indica: & si in obstinatæ propositionis thecnis perstiterit, nostrâ & totius Ecclesiæ correctione contunde. AN. CHR. DCCXCVIII. FEBRUAR. XIX.

5. Beato post aliquantulum, visitationis ADOSINDÆ [a] gratiâ perveniente, Fidelis Abbas Helipandi epistolam demonstravit eidem: qui prout catholicum virum, & Fidei defensorem decebat, adscito Ætherio opus integrum duobus libris compactum, qui Helipandi errores solidis sacræ Scripturæ locis rationibusque validis confutabat, scripsit. Cujus cùm in manus Helipandi & aliorum sequacium pervenisset codex, illum infestissimis sunt dedecorum ulceribus verbo & paginis insequuti: inter quæ Antiphrasii nomine macularunt. At Deus, cui omnium viscerum arcana patescunt, Beati innocentiæ spiritum à solio majestatis suæ contuens, & purum fidei zelum Presbyteri ab alto longè cognoscens, ab omnibus illum suorum inimicorum periculis liberavit. Contra eum scribit.

6. Nam Helipandus Toleto profectus, Astures & Gallæcos obivit, iisque iu locis multos prava opinione infecit pestifero oris afflatu. Felix Vaccæos in Hispania, Septimanios in Gallia, aliosque in Germania inficere satagens, ab omnibus fuit constanti defensione depulsus. Sic enim apud Reginum [b] Bajoariæ civitatem primo in conventu Episcoporum damnatus, post coram Hadriano Pontifice maximo simulato animo resipiscens: demum apud Francofurtum, ubi præsente Carolo Francorum Rege Concilium fuerat indictum, cui Roma THEOPHYLACTUS & STEPHANUS Episcopi, ex Hispania Beatus & Ætherius pro catholicis missi, interfuere Legati, error cum auctoribus à congregatione Concilii damnatus est. quod & Hadrianus Pontifex fecit. Felicianus error damnatus.

7. Hoc siquidem intellecto Helipandus Toletanus à propositione desilire decernens, Episcoporum congregationem apud Toletum indixit, quâ pænitens confessionis libellum, ubi Filium Dei unigenitum Patrique consubstantialem, non adoptivum, sed naturalem, humili confessione professus, obtulit. A Patribus lacrymarum professione susceptus, reconciliationis beneficium accepit. Hic Beatum & Ætherium, depositâ antiquæ disceptationis malevolentiâ benignè suscipiens, illos Fidei defensores, & catholicæ veritatis patronos, non absque lacrymis & singultibus compellabat. Elipandus resipiscit.

8. Concilio denique soluto, & rebus Fidei in Hispania bene compositis, sedatoque Felicianæ pravitatis jurgio, sanctus vir Beatus Adosindæ Regis SILONIS uxoris, quæ propter Mauregati tyrannidem sacram erat vestem induta, continuus pro animæ suæ remedio exstitit pædagogus; donec apud Vallemcavam secederet, orationibus, jejuniis & sacræ scripturæ studio insistens, super Apocalypsis mysteria librum miro ordine scriptitavit: demum miraculis celebris, Domino, cui servierat, spiritum placida dormitatione commendavit XI Kal. Martii, anno Domini Beatus Adosindæ pædagogus, piè obit.

[a] Adosinda erat Aldefonsi Regis filia, nupta Silonis, cujus regnum Mauregatus, Aldefonsi ex concubina itidem filius, invasit anno DCC LXXXIII. Adosindam se invisisse cum Ætherio tradit Beatus ipse initio libri 1 contra Elipandum: *Cumque nos ad fratrem Fidelem, non litterarum illarum compulsio, sed recens religiosa domina Adosinda perduceret devotio; audivimus illum libellum* (Elipandi) *adversum nos & Fidem nostram in cuncta Asturia publicè divulgatum. Et cùm Fides nostra esset indissoluta, cœpit inter scopulos fluctuare navicula, & dua facta erant. Postea cum tranquillitate, ne siperitia, sed cautiùs videretur una; tunc colloquentes ad invicem*, Beatus scilicet & Ætherius, *diximus*, &c. Hinc arrepta occasio mutuo consensu scribendi unum idemque opus in Elipandum. De Adosindâ item infrà num. 8.

[b] *Dudum*, inquit Eginhardus, *ad palatium Regis, quod tunc apud Reginum Bajoariæ civitatem* (alii Ratisponam vocant) *residebat, ubi congregato Episcoporum Concilio auditus est, & errasse convictus, ad præsentiam Adriani Pontificis Romam missus*, &c. De aliis in Felicem habitis Conciliis lege Prætationem hujusce tomi §. 1.

AN. CHR. DCCXCVIII. FEBRUAR. XIX. — DCCXCVIII. Ejus corpus ibidem sepultum jacuit per tres annos, donec ad honoratiorem locum translatum, reservato brachio pro ægrotorum ad ejus sarcophagum advenientium juvamine, thecâ marmorea inclusum, debito honoris munere custoditur: prout illud & Sanctorum suorum ossa custodire promisit Deus, qui vivit & regnat per infinita sæcula sæculorum. Amen.

MONUMENTA HISTORICA

AD ILLUSTRANDAM PRÆFATIONEM & Acta præmissa.

I.

Petitio, quam ante votum Monachi quislibet facere debet.

Ex tomo 2 Capitul. editionis Baluzianæ.

ad Præfat. num. 33 & seqq.

DOMINO venerabili in Christo Patri illo Abbati de Monasterio illo, qui est constructus in honore sancti illius, simul cum felici Congregatione vestra, quam Dominus de diversis provinciis ad peregrinandum propter nomen suum sub jugo militiæ atque servitutis Christi atque sub protectionis secundùm Evangelium Christi regulariter vobis coadunavit. Igitur audivimus, quòd *Luc. 14.* *Matth. 19.* Dominus noster Jesus-Christus per Evangelium suum adnunciat, dicens: *Nisi quis renunciaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* & alibi: *Qui reliquerit patrem aut matrem, fratres aut sorores, domus aut agros, & cætera propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Petimus ergo beatitudinem caritatis vestræ, ut nos in ordine Congregationis vestræ, dignemini recipere, ut ibidem diebus vitæ nostræ sub Regula beati BENEDICTI vivere & conversare debeamus, quatenus suave jugum Christi & onus ejus leve sentiamus. Igitur nostra fuit petitio, & vestra decrevit voluntas idipsum implere, quod ita fecistis. Abrenunciamus ergo omnibus voluntatibus nostris propriis, ut Dei sola voluntas fiat in nobis, & omnibus rebus quas possidemus, sicut evangelica & regularis traditio edocet. Nihil rebus terrenis ab hac die possessuros nos spondimus, nisi quantum à Patre Monasterii donante aut permittente alimenta aut tegumenta corporis acceperimus. Obedientiam vobis in quantum vires suppetunt, & Dominus dederit nobis adjutorium, conservare promittimus. Stabilitatem conversationis nostræ in Congregatione vestra, teste Domino, devoto animo cum observatione Regulæ usque in finem profitemur servare: nisi tantum (quia ignoramus futura) si fortasse causâ utilitatis animæ accedat, ut per vestrum commeatum discedamus: aut etiam illud si contra voluntates nostras (quod absit) separemur à Principibus vel à barbaris; & ipsum si fuerit factum, in quantum possumus semper ad ipsam Congregationem revertere faciamus; & sub sancto Ordine perseveremus. In reliquo verò per nullum ingenium de prædicta Congregatione vestra vel jugo sanctæ Regulæ, seu de potestate obedientiæ vestræ nullam habeamus licentiam nos abstrahendi aut contradicendi. Quòd si instigante antiquo hoste, aut voluntate nostra propria hoc facere tentaverimus; in nullis modis hoc vindicare valeamus: sed, ubicumque nos missus vester, aut aliquis ex Congregatione vestra invenerit, etiam nobis nolentibus in ipsa vestra sancta Congregatione Deo auxiliante per vosmetipsos faciatis revocare, & secundùm Regulam nos ibidem dijudicare, ut diebus vitæ nostræ sub divina Regula & regimine vestro perseveremus; qualiter in die judicii ante tribunal æterni Judicis ipso adjuvante salvos nos repræsentare possitis. Et quicumque contra hanc petitionem, quam nos bona voluntate scribere rogavimus, & subterfirmavimus, per

quemlibet modum agere aut infrangere voluerit; in primis sciat se à Deo damnandum, quem irritat: & insuper secundùm canonicam institutionem à communione omnium Fratrum sit extranea, usquequo de hac causa ad veram emendationem perveniat. Manus nostræ subscriptione ad honorem domni & patroni nostri Sancti illius hanc petitionem volumus roborare.

Ipsa Promissio.

Ego ille, Domne Abba ille, obedientiam vobis secundùm Regulam sancti BENEDICTI, juxta quod in ista Petitione continetur, quam super istud altare posui, coram Deo & Sanctis ejus, in quantum mihi ipse Deus dederit adjutorium, Deo & vobis promitto custodire, & in quo possum, ipso auxiliante conservo. Amen.

Item exemplar Promissionis, sicut solebant antiqui Monachi Regulam promittere.

IN nomine Domini. Promitto me ego ille in sacro Monasterio beati Martyris sive Confessoris illius, secundùm instituta beati BENEDICTI coram Deo & sanctis Angelis ejus, præsente etiam Abbate nostro illo, omnibus diebus meis in hoc sancto Monasterio amodo & deinceps perseveraturum, & in omni obedientia, quodcumque mihi præceptum fuerit, obediturum. Ego ille hanc Promissionem à me factam manu propria coram testibus scripsi & roboravi.

II.

Alia formula Petitionis.

EGo ille initio conversationis meæ diligenter attendens considero, quòd petitionibus meis primùm non facilis concessus est introitus, sed diu mihi pulsanti via hospitii locus est misericorditer attributus: in quo per paucos dies demoratus, Novitiorum sum domum progressus: in qua mihi dura & aspera primòm à seniore sunt prædicata, & stabilitatis meæ promissio expetita; & ter in anno lecta atque tradita Regula cum admonitione dicentis: Ecce lex sub qua militare vis. si potes observare, ingredere; si non potes, liber discede. Hoc ergo videns ordinatissimum, atque morosum mihi spatium attributum, dubitans aditum * prætermisso, ut me jam vestro corpori sociare dignemini humiliter deposco. Ego tamen hujus Regulæ instituta Domino juvante servare promitto, & propter vitæ æternæ præmium coram Deo & Angelis ejus humiliter militaturum subicio, ita ut ab hac die non mihi liceat collum de sub jugo excutere Regulæ, quam sub tanta deliberatione aut excusare licuit, aut suscipere. Et ut hæc professionis meæ Petitio à vobis firmiter teneatur; ad nomina Sanctorum, quorum hìc continentur reliquiæ, & præsentis Abbatis ill. conscriptam trado in perpetuum habendam, & manu mea roboratam, super altare repono perenniter reservandam. * f. dubietatis aditu

Promissio.

Ego ille promitto stabilitatem meam, & conversionem morum meorum, & obedientiam secundùm Regulam sancti Benedicti, coram Deo & Sanctis ejus.

III.

Epistola Domni KAROLI *Imperatoris ad* ALBINUM *Magistrum, & ad Congregationem sancti Martini Monasterii missa.*

Ex tomo 1 Capitularium Baluziano.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti KAROLUS, *& reliqua.* ALBINO venerabili Magistro, & omni Congregationi Monasterii sancti Martini. Pridie quàm ad nostram præsentiam à vobis missa venisset epistola, adlatæ sunt nobis litteræ à *ad Præfat. num. 76. & ad Elogium Alcuini pag. 166.*

Theodulfo Episcopo missæ, querimonias continentes, de inhonoratione hominum suorum, & non tam illorum, quàm Episcopi hujus civitatis vel contemtu jussionis imperii nostri. quam jussionem de redditione cujusdam Clerici de custodia ipsius elapsi, & in basilica sancti Martini latitantis, sub nostri nominis auctoritate conscribere jussimus; cujus etiam nobis exemplaria misistis, in quibus nos nequaquam injustè aliquid decrevisse, ut vobis visum fuit, putamus. Sed cùm utrasque epistolas, vestram scilicet ac Theodulfi, nobis relegere fecissemus; asperior multo nobis & cum iracundia composita vestra, quàm Theodulfi videbatur epistola, & in nullo erga illum caritatis condimento respersa: sed potiùs quasi reum defendens, & Episcopum accusans, & sub velamine quodam celati nominis continens, [quod] vel posset, vel admitti ad accusationem deberet: cùm hoc omnium &, divina, & humana lege sancitum sit, nulli criminoso alterum accusandi dari licentiam. Quamquam à vobis ad hoc defensus & conservatus sit sub obtentu jussionis nominis nostri, ut qui jam accusatus. & in conspectu populi civitatis suæ judicatus est, accusandi locum habere Cæsarei nominis appellatione deberet, ad exemplum beati Pauli Apostoli: qui apud Principes Judææ à gente sua accusatus, sed nondum judicatus, Cæsarem appellavit, & ab eisdem Principibus ad Cæsarem judicandus missus est. Quod nequaquam præsenti negotio convenit. Paulus enim Apostolus à Judæis accusatus, sed non judicatus, Cæsarem appellavit, & adire permissus est. Hic verò infamis Clericus, & accusatus, & judicatus, & in custodia missus, & de custodia elapsus, basilicam quam nisi post pænitentiam ingredi non debuerat, contra legem ingressus, & adhuc (ut fertur) perversè vivere non cessans, ut dicitis, sicut Paulus Apostolus Cæsarem appellavit, sed nequaquam ut Paulus Cæsarem aditurus est. Illi enim apud quem accusatus, & à quo judicatus atque in custodia missus est, & de cujus custodia evasit, præcipimus ut reddatur, & ille eum ad nostram audientiam, sive vera, siva falsa dicentem, adducat: quia non decet, ut propter talem hominem nostræ primæ jussionis ulla fiat immutatio. Sed & valde miramur, quor vobis solis visum sit nostræ auctoritatis sanctioni & decreto contraeundom: cùm liquido pateat & ex consuetudine veteri, & ex constitutione legum, alterum decreta recta esse debere, nec cuiquam permissum illorum edicta vel statuta contemnere. Et in hoc satis mirare nequivimus, quòd illius scelerati hominis precibus, quàm nostræ auctoritatis jussionibus obtemperare maluistis: cùm nunc clarissimè liqueat, cum

* edit. vetuit

eodem homine amorem discordiæ & inruptionem caritatis de hoc loco velut * egredi. Ipsi quippe nostis, qui Congregatio hujus Monasterii ac servi Dei, & utinam verè, dicimini, qualiter jam crebrò vita vestra à multis diffamata est, & non absque re Aliquando enim Monachos, aliquando Canonicos, aliquando neutrum vos esse dicebatis. Et nos consulendo vobis, & ad malam famam abolendam, magistrum & rectorem idoneum vobis elegimus, & de longinquis provinciis invitavimus, qui & verbis & admonitionibus rectam vitam instruere; &, quia religiosus erat, bonæ conversationis exemplo potuisset informare. Sed prò dolor! aliorsum cuncta conversa sunt, & diabolus vos quasi ministros suos ad seminandam discordiam:, inter quos minimè decebat, invenit, scilicet inter sapientes & Doctores Ecclesiæ: & qui peccantes corrigere & castigare debuerunt, cogitis ad peccatum invidiæ atque iracundiæ prorumpere. Sed illi, Deo miserante, nequaquam adsensum vestris malis suggestionibus præbituri sunt. Vos autem, qui contemtores nostræ jussionis extitistis, sive Canonici, sive Monachi vocamini, ad placitum nostrum, juxta quod præsens Missus noster vobis indixerit, nobis vos adsistere scitote. Et quamvis ad nos missa hîc factæ seditionis vos excuset epistola, venite, & condigna satisfactione injustum crimen eluite.

IV.

Capitula Monachorum San-Gallensium edita circa annum DCCC XVII, *quibus præfixa est epistola* GRIMALDI *&* TATTONIS *ad* REGIMBERTUM *magistrum Scholæ, ut opinor, Monasterii sancti Galli, qui obiit anno* DCCC XLVI.

Ex tomo 2 Capitularium Baluziano.

PRÆSTANTISSIMO & ineffabili dilectione nominando REGIMBERTO præceptori GRIMALTUS, TATTOque supremi auditorum vestrorum discipuli sempiternæ felicitatis salutem. Memoria dilectionis vestræ animis nostris sedulò inhærens, immemores petitionum vestrarum promissionumque nostrarum non esse permittit. Et utinam tam proficienter, quàm spontaneè piam voluntatem vestram implere valuissemus. Ecce vobis Regulam beati BENEDICTI egregii Doctoris, quam benivolus animus vester summo semper optaverat desiderio, direximus, sensibus & syllabis, necnon etiam litteris à supradicto Patre, ni fallimur, ordinatis minimè carentem: quæ de illo transscripta est exemplare, quod ex ipso exemplatum est codice, quem beatus Pater sacris manibus suis exarare ob multorum sanitatem animarum curavit. Illa ergo verba quæ supradictus Pater secundùm artem (sicut nonnulli autumant) in contextum Regulæ hujus non inseruit, de aliis Regulis à modernis correctis magistris collegimus, & in campo paginulæ è regione cum duobus punctis inserere curavimus. Alia etiam quæ à Benedicto dictata sunt, & in neotericis minimè inventa, obelo & punctis duobus consignavimus. Hoc egimus desiderantes vos utrumque & secundùm traditionem pii Patris, etiam modernam habere. Eligite vobis quod desiderabili placuerit animo. Valete in Domino. *ad Præfat. num. 57. & 58.*

Item capitula Novitiarum, de his in quibus præceptum Regulæ & constitutiones novellorum Conciliorum acutiùs nos considerare, & promtiùs exercere jussio imperialis ammonet.*

* *id est novarum constitutionū,*

I. IN primis ut nulla in ullis rebus inter hujus professionis viros in toto regno suo, nisi ubi impossibilitas non permittit, inveniatur varietas: cujus impossibilitatis qualitatem summo studio Missi pro hoc directi satagunt inquirere.

II. Ut ad omnia signa diurna, sive nocturna, secundùm præceptum Regulæ, statim ut audita fuerint, festinetur.

III. Ut locus separatim tardè ad qualecumque signum occurrentibus constituatur.

IV. Ut cum disciplina regolari & reverentia magna divina agantur officia.

V. Ut dictis sex Psalmis primis ad nocturnum genua non inflectant, sed stantes orent.

VI. Ut intervallum post nocturnum in æstivo tempore, usquedum V Psalmi dici possunt, proteletur.

VII. Ut finitis cursibus, incœpturi *Kyrie eleison* genua flectant, & non antè surgant, quàm sanctæ Trinitatis vocabulis perdictis Presbyter dicat, *Per omnia sæcula sæculorum, Amen.* Surgentes autem humiliationem supplicationis sibi vicissim præbeant: & idipsum sessuri in Capitulo, atque recessuri, vel ubicumque tota Congregatio jungitur vel separatur, faciant.

VIII. Ut in ecclesia nemo, nisi quod Regula mandat, loquatur.

IX. Ut *Kyrie eleison, Amen. Deo gratias*, & versus in unoquoque concursu altiùs & distinctiùs atque protractiùs honestè dicantur.

X. Ut Lector in ecclesia priùs benedictionem non petat, quàm omnes sedeant.

XI. Ut versus ad Capitulum, id est *Deus in adjutorium meum*, à Presbytero ter, terque à Congregatione repetitus dicatur: & dicta *Gloria*, post hoc non adjungant *Alleluia.*

XII. Ut *Kyrie eleison* oraturi in Capitulo, utrumque genu flectentes, consona vo-

ce tribus tantùm vicibus dicant, id est *Kyrie eleison*, *Christe eleison*, *Kyrie eleison*. Similiter in refectorio, sed sine genuflexione.

XIII. Ut in Capitulo, seu ubicumque quis increpatus fuerit, statim veniam petens dicat *Mea culpa*; & jussus surgat, & sic humiliter rationem reddat. Et si quisquam hoc facere contemserit, duplici vindictæ subjaceat.

XIV. Ut post Capitulum signum sonetur, ut omnes pariter cum Præposito vel Decanis & uno de Circatoribus in obedientia, ubi injungitur, pergant; exceptis his qui variis occupati sunt obedientiis. Et alter de Circatoribus clastrum providens domi remaneat. Qui Decani & Circatores summa cura provideant, ne quid vel in ipsa obedientia, vel illuc eundo, vel inde revertendo, vel ubi & ubi, inhonestum & nostræ professioni inconveniens fiat, recordantes, [quòd] quicquid à discipulis delinquitur, magistros respicit.

XV. Ut in refectorio horâ refectioni nullius, nisi Lectoris, vox audiatur.

* sic XVI. Ut reficiendi Fratres unum pulmentum cum porn & orto * seu pomis, si sunt, ante se inveniant. Post quæ & alia dentur, quæ Regula mandat.

XVII. Ut ante, nec post horam constitutam quidquam cibi vel potus aliquis sumat, exceptis infirmis. Sed & omnes, sicut uno stringuntur voto, unius Regis bajolant servitium, unum exspectant regni cælestis præmium: ita unum in labore militiæ accipiant necessitatis stipendium.

XVIII. Ut custodia regularis circa infirmos non neglegatur.

XIX. Ut quatuor Fratres juniores, seu quantos exposcerit necessitas, deputentur ad miscendum: qui tamen reficiantur cum ceteris.

XX. Ut ministri omnes, intus forisve, in potu & cibo, vestimentis, ceterisque necessariis ea mensura, qua ceteri Fratres vivunt, contenti sint. Et quando à ministeriis suis vacant, cum aliis reficiantur.

XXI. Ut ad coquinam signum non sonetur. Sed ebdomadarius, facta ministratione, illud tintinnabulum quod ante Abbatem pendit, tangat. Quo sonato, inclinet se idem ebdomadarius atque omnes Fratres, usquedum à Sacerdote benedictio compleatur.

XXII. Ut versu dicto post mensam, incipiat Prior *Miserere mei Deus*, in dextro choro, & chorus sinister procedat. Et sic apertè & distinctè cantando pergant ad ecclesiam.

XXIII. Ut summum silentium post refectionem omni tempore teneatur.

XXIV. Ut certis temporibus occupentur in opere manuum, certis in lectione divina.

XXV. Ut Præpositus, Decani, Circatores, omnesque ministri sæpius privatè, publiceque ammoneantur, ut omnimodis circa ministerium suum sollicìti sint.

XXVI. Ut omnes ad Missas veniant & persistant, sicut & in ceteris divinis officiis facere debent.

XXVII. Ut in æstivo tempore post Nonam bibant Fratres, & postea ad Capitulum pergant.

XXVIII. Ut post omnes Cursus, quando ad refectorium ire oportet, in ecclesia illud signum quod ad refectorium sunat, exspectent; nisi quem necessitas exire compellit.

XXIX. Ut ubicumque sibi obviaverint Fratres, junior benedictionem petens stet in uno loco inclinatus, usquedum tribuens benedictionem Prior transeat.

XXX. Ut absente Abbate Præpositus locum ejus in ecclesia, in Capitulo, atque in refectorio teneat, ejusque vice lectiones in unoquoque conventu interpretetur, & benedictionem legentibus tribuat. Et Præposito non præsente, senior Decanus eadem faciat. qui præsente Abbate propria teneant loca.

XXXI. Ut intervallum post matutinos & ante Primam, hiemis vel æstatis tempore, eo protelетur spatio, quo se Fratres aptè parare, & convenienter orando altaria circuire possint; ut clara luce vel orto sole exeuntes à Prima, vel lectioni vacent, vel injunctam sibi obedientiam subeant.



V.

Qui Monasterium in proprio ædificat, qualiter chartam faciat.

Ex tomo 2 Capitul. Baluziano.

ANTIQUA legum auctoritas & Principum decreta sanxerunt, ut unusquisque dum manet in corpore, de propria quam possidet facultate voluntatem suam litteris inserat, ut perennis temporibus inviolata permaneat. *ad Præfat. num. 107.* Quapropter dum non habetur incognitum qualiter ego ille unà cum consensu Galliarum Pontificum in re mea propria, quæ ex successione parentum meorum mihi obvenit, Monasterium in honore sancti illius ædificavi in loco nuncupante illo, in pago illo, in fine illa, & constituimus ibi Abbatem nomine illum, qui ibidem sanctum Ordinem Deo auxiliante gubernare faciat, & suis Monachis ibi constituat, & per ejus ordinationem ipse, sanctus Ordo perpetualiter sit institutus & conservatus. Propterea donamus & donatum in perpetuum esse volumus ad jam nominato Monasterio sancti illius vel ad Abbate illo ipsum locum ubi ipse Monasterius est constructus, cum omnibus adjacentiis & appendiciis suis & locella seu coloniceis in villas illas in pago illo. Ista omnia quæ superiùs memoravimus, cum omnibus adjacentiis vel appendiciis eorum, quantumcumque ibidem tenere vel possidere videmur per quolibet adtracto, totum & ad integrum cum omni suprà posito ad die præsenti in honore sancti illius pro remedium animæ meæ vel æterna salute dedimus, cum domibus, ædificiis, mancipiis, accolabus, libertis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, strumenta chartarum, libris vel vestimenta, seu ministeria ecclesiæ, mobilibus & immobilibus, omnem rem inexquisitam, quicquid dici aut nominari potest, totum & ad integrum ad suprà scripto Monasterio vel jam dicto Abbati cum Monachis suis perpetualiter protegente Domino tradimus ad possidendum. Et dum omnes Præsules & nobiles personæ agnoscunt & comprovincialibus nostris cognitum est quòd ego ille in mea re propria jam nominatum Monasterium ædificavi, vel Cœnobiolo sancto ibi constitui propter Deum, vel quidquid exinde facere volo, præsenti tempore in omnibus mihi manent libera potestas, propterea per præsentem paginam cum consensu suprà memoratorum Pontificum constituo, ut nullus Episcopus alius civitatis, aut Archidiaconus, aut quilibet ex Clero, aut actores Ecclesiæ nullum ibidem præsumant exercere dominatum, non ad mansionaticos aut repastos exigendo, non ad ministeria describendo, non ad Abbatem mittendo. Cùm verò necesse fuerit chrisma petere, tabulas aut altaria consecrare, sacris ordinibus benedici, Abbas vel Monachi ibidem consistentes à quocumque de sanctis Episcopis sibi elegerint qui hoc agere debeat, licentia sit eis expetere, & illi hoc benedicere vel consecrare. Si verò caritate exigente Pontifex quilibet ab Abbate loci illius ibi fuerit invitatus, simpliciter quæ ei à Fratribus offeruntur accipiat, nulla exenia vel munuscula ampliùs eis quærat, neque de omnibus rebus ipsius Monasterii nullam habeat potestatem. Cùm verò Abbas ipsius loci acceperit transitum, quemcumque de semetipsis Monachi ibidem habitantes secundùm Regulam sancti BENEDICTI meliorem invenerint, ipsum Abbatem ibidem constituant. Quòd si ipsi de seipsis talem non invenerint, cum communi consilio illi saniores Monachi aliunde regularem Abbatem, qui eos sub Regula S. BENEDICTI regat, elegendum in eorum maneat potestate. Quod verò Deus avertat, ne ibi sanctus Ordo tepescat, & ipse Abbas hoc emendare non prævalet aut negligit, potestas maneatur ipsis Monachis, ubicumque in propriis Monasteriis rectiùs & sanctiùs secundùm Regulam sancti BENEDICTI invenerint, expetere, & per eorum salubre consilium ipsum sanctum Ordinem regulariter emendare. Quòd si Pontifex vel aliquis ex Ecclesiasticis ministeriis quislibet vel aliqua emissa persona contra ipsum Abbatem vel ejus Congregationem de supradictis ordinibus vel benedictionibus vel de rebus meis propriis Monasterii per qualecumque strumento aut quocumque modo ad ipsam casam fuit, vel in antea fuerit delegatum, additum, commutatum, vel concessum, vel quidquid ad ipsum Monasterium vel ad eorum homines pertinet, aliquid calumniare, vel inquietare, vel per quodlibet ingenium minuare tentaverit, à glorioso Domino quem tunc Deus regnum Burgondiæ gubernare permiserit, hoc protinus emendetur. Precor igitur glorioso Domino, qui est temporibus modernis, & futuris successoribus Deus regnum Burgundiæ gubernare permiserit, & per Dei tremendum judicium adjurare præsumo, ut præsentem paginam

vel facta mea ex jam dicto Cœnobiolo meo sua fortitudo contra omnem adversitatem pro mercede sua post Deum jubeat defensare atque solidum in omnibus custodire, ut nullatenus ab infestatione malorum hominum possit irrumpi; sed delectet ibidem Abbati vel Sacerdotibus seu Monachis ibidem consistentibus pro vita ipsius & filiorum ejus vel exercitu & omni populo catholico quieto ordine supplicare. Si quis verò, &c.

VI.

Qualiter privilegium condatur.

Ex tomo 2 Capitularium Baluziano.

ad Præfat. num. 107. DOMINIS Apostolicis præsentibus temporibus & futuris, quicumque sub fide catholica pastoralia sectantur officia, ille Episcopus Christi humilis. Opportunum est etiam, ut Deum timentes propter ventura futuraque judicia diligentibus Deum bonum operare, quatenus qui Pontifex vocatur in populo, timentibus Deum succurrat affectus: ut qui sæculum calcant, & Christo servire desiderant, per consensum Pastoris quieti ab omnibus infestationibus vivant. Quapropter dum non habetur incognitum qualiter Monasterium in pago illo, qui dicitur ille, quem illuster vir ille in alode proprio construxit, & pro totius defensionis studio per suam epistolam ad præcellentissimum Domnum Regem Burgundiæ ipsum Monasterium aspicere decrevit, ut communis mercia illius pro fundamento & regale clementia pro defensionis auxilio crescat apud Deum, & nobis jam dicto Domno glorioso Regi illo opportunum est petere, ut privilegium Monachis ibidem habitantibus deberemus largire, ob hoc maximè, quia solet ut morientibus religiosis Episcopis, pastoralem locum suscipiant sæculares, & res quæ pauperibus fuerunt condonatæ, magis per gasindos, quàm per Sacerdotes dispergantur; & ecclesiasticâ vitâ neglectâ, conlata bonorum magis per venatores & canes, &, quod est gravius, per meretrices expendantur; vel religionis norma distructa levitate laïcorum sæcularia injustè consentiantur, & per eorum iniqua consilia Monachorum vitam conturbare præsumant. Propterea ergo ab hac parte semper Christo propitio directore dirigentes communi voluntate ille Episcopus & ceteri consensimus, ut in eis privilegium claro animo confirmaremus. Statuentes ergo jubemus sub testimonium sanctæ Trinitatis & pretiom sanguinis Christi, coram Deo & Angelis atque Archangelis, ut de prædicto Monasterio illo, vel quidquid ibidem tam regio munere, quàm privatorum vel quibuslibet rebus aut corporibus est conlatum, aut in antea conlatum fuerit, nullam exinde Episcopus civitatis illius habeat potestatem, neque Archidiaconus illius, vel ministri & actores Ecclesiæ, aut quilibet ex Clero in rebus prædicti Monasterii nullum præsumat habere principatum, in nullam omnino rem, quod dici aut nominari potest, non pro pasto exactandum, non pro mansionaticos requirendum, non pro totius omnino re repetendo, non pro Abbatem constituendo, non pro ministeria describendo, non pro altaria aut tabulas consecrando, non pro sacros Ordines dedicando, illius civitatis Episcopus nullum ibidem præsumat habere accessum, nisi fortasse per commonem consensum Abbas vel ipsa Congregatio eum caritatis gratia pro sanctæ vitæ meritis crediderit evocandum. Et si fortasse ab eis fuerit evocatus, non hoc in consuetudine vertat, nec munera exinde requirat: sed simpliciter quæ à Fratribus sibi fuerint oblata; & expleto caritatis officio ad propria, sicut de reliqua Regis domo, cum pace discedat: quia dignum est, ut quod Rex hujus sæculi cum suis Proceribus pro commune salute voluit esse constructum, sub integro privilegio sit in perpetuum à calumniandi occasionibus conservatum. Confirmamus igitur jure perpetuo, ut cùm Abbas ipsius Cœnobii de hac vita migraverit, quemcumque sibi Monachi ibidem habitantes secundùm Deum elegerint, absque ullo arbitrio illius urbis Antestitis ipsi sibi Monachi Pastorem instituant, qui eorum sacrum Ordinem instanter attendat. Cùm verò fuerit opportunum Ecclesiam dedicare, aut sacros Ordines benedici, vel tabulas consecrare; quemcumque de religiosis Episcopis Abbas ipse vel Monachi sibi voluerint invocare, in eorum maneat potestate. Et si (quod absit) ibi Ordo sanctus tepescat, & Abbas Monasterii hoc per se emendare neglexerit, aut etiam ipse cum Monachis statuta regularia servare contemserit, etiam si vix pauci videantur de Monachis quorum religio in Christo proficiat; potestas illis maneat quemcumque sibi elegerint de proximis Monasteriis, quem

rectiùs

rectiùs & sanctiùs secundùm Regulam sancti BENADICTI invenerint expetere, ut corum salubri consilio studeant sanctum Ordinem revocare. Statuimus etiam mulierum accessus intra potias Monasterii nullatenus fiat. Nota Si quis itaque constitutionem præsentem pro quocumque conludio mutare conaverit, reus omnipotenti Deo effectus à pace Christianorum omnium habeatur extraneus; & indissolubili anathematis vinculo vinctus, sortem damnationis Judæ proditoris incurrat. Quod privilegium ut in perpetuo tempore conservetur, stipulatione suboixa, manu propria.

VII.

IBBONIS *Archiepiscopi Turonensis Privilegium pro Turonico S. Martini Monasterio.*

Ex ms. codice Thuaneo num. 780, scripto ab annis octingentis.

CONDITOR rerum omnium Deus invisibilis, qui per Prophetarum linguas genus erudivit humanum, qui egregium per Prophetam præcepit nobis Isaiam, si ad Præfat. num. 110. Deum quærebamus & scire illius volebamos vias, debitores nostros repetere non deberemus, omnes & solveremus fasciculos deprimentes, & omne onus quod adgravabat, disrumperemus; & reliqua quæ subsequuntur. si custodiebamus, tunc repromisit omnibus nostrorum criminum ponderibus dejectis, atque delictorum nexibus resolutis, expulsisque peccatorum tenebris, erumpere quasi mane lumen nostrum, ad contuendum scilicet spiritalibus oculis, sequentibus Creatorem, quod & sanitas nostra citius oriatur, & anteibat faciem nostram justitia, & gloria Domini inmarcessibilis colligat nos, tunc invocemus & Dominus exaudiat, clamemus & dicat voce cælitus, Ecce adsum. Cui abysso veteris Testamenti consonat, vel invocat, atque confirmat in voce cataractarum suarum novum ipsius Redemptoris voce: *Dimittite & dimittetur vobis*. & iterum *Quæcumque vultis ut vobis faciant homines, & vos eadem facite illis*. &, *Diliges proximum tuum sicut te ipsum* Hoc ergo mandatum sufficit nobis in totum, in quo legem integram, veterem & novam, & universos Prophetas pendere, & implere Scriptura firmavit. Et de contemplativa vita partem optimam, quam Dominus Mariam elegisse laudavit, sufficere credimus testimonio ejus: quamvis & actualis vita habet cum retributione bonorum operum mercedem suam; tamen præposuit satagenti Marthæ circa plurima se contemplantem Mariam. His ergo tantis atque talibus testimoniis excitatus in anima, decrevi ego in Dei nomine ill. etsi quàmlibet peccator, illius urbis gratiâ Dei vocatus Episcopus, privilegium concedere, atque libertatem congregationi Monasterii basilicæ beatissimi & post Apostolos Galliarum clarissimi Confessoris ill. ubi ipse in corpore requiescit, condonare, in quo venerabilis vir ille Abba præesse videtur, quod jamdudum à prædecessore nostro illo, illius urbis quondam Episcopo, christianissima devotione ad ipsam sanctam basilicam vel congregationem ibidem consistentem fuit concessum, vel etiam per auctoritatem sedis Apostolicæ Papæ urbis Romæ ex consensu ipsius illi hoc privilegium ad instar ex ipsa devotione apostolica fuit confirmatum. Nec immeritò reor eisdem ita viventibus piè atque catholicè hoc supervenire privilegium poterit, qui indesinenter diu noctuque patrono famulantes, placere piissimo Christo contendunt, omni honestate ac moderatione morum corpora coërcentes redigunt servituti, atque suis libertatem Monachis dare: cujus honorem fiscus totum dedit urbi * & * f. uri census, libereque vivere, nomenque Instituit heredis: cujus præfulgente & miraculis coruscante à Regibus singulariter emunitatem urbs nostra tota promeruit, præstante piissimo DAGOBERTO quondam Rege integram emunitatem suscepit; dignum arbitror munus ab eodem impetratum eidem in suo viventibus patrocinio trementibus ulnis proferre. Præfatis ergo Fratribus & Abbati jura servantibus Patrum, cedimus, cessosque volumus ecclesiæ censos, servitutes, opera, mansiones, pastos, moneta, freda, fisco, Episcopo, Judicibus, Missis, & Archidiacono, & omnes consuetudines sæculares amputamus: & quicquid nobis vel eisdem servire, seu dare solebant, resecamus; & quæ iidem possident, vel adhuc largiente Domino à Christianis omnibus conlatum fuerit, sibi semper vindicent, habeant, atque perpetuo jure tempore nostro & successorum nostrorum defendant, eisque proficiat perenni firmitate: nec nobis, ne nostro cuiquam successori quicquam aliud dent, nisi juxta postulationem Fratrum vel statuta sanctorum Patrum, quàm honores inpositæ manus, gradus, benedictionis sub-

ſequentum, altaria, chriſmatis, & olei ſancti; & hoc ipſum abſque ullo præmio ſecundùm ſanctas Scripturas accipiat. Et ſi Abbas ab hac luce diſceſſerit, per electionem memoratæ congregationis Monaſterii, quorum vita perfecta creditur, ſicut Regula ſancti BENEDICTI edocet, in eorum conſenſu ſolidetur: ſicut & auctoritas Papæ urbis Romæ ADEODATI continet per privilegii ſeriem, nullas gravidines à quolibet Epiſcoporum ſub prætextu diſcuſſionis religioſus Abbas vel Monachi ibidem degentes ſuſtineant, neque rurſus hoſpitandi ſibi apud eos licentiam vindicantes, diſpendia his atque inſolentias angariarum imponant, nec per occaſionem regularis diſciplinæ rimandæ atque ſervandæ quaſlibet inportent injurias: ſed liberam licentiam ſimiliter habere ſtatuimus ſalvo profectu Monachi*, quorum regularem cuſtodia religioſum Abbatem qui tum pro tempore præerit præfato venerabili Monaſterio id procurante. Ut ergo quod priſcæ traditionis ejus articulus continet, conſervare nitantur, & * quique ſub ejus reguntur diſpenſatione, ſollerter cuſtodire commoneat, diſtricteque compellat. Reverentiſſimus verò Epiſcopus, in cujus parochia memoratum venerabile Monaſterium, vel res ejus ac poſſeſſiones conſtiterint, faciendæ tantùm ordinationis ac promotionis Sacerdotum atque Levitarum, vel conficiendi chriſmatis ſit tantùm conceſſa licentia: diſpoſitionem autem venerabilis loci gerere, ac converſationem monachicam exquirere religioſo Abbati ejuſque Præpoſito, vel qui beatiſſimi in eodem Monaſterio fuerint, quod etiam præfati Præſules conſona ſententia definierunt, decernimus. Quiſquis igitur quolibet tempore (quod nullatenus credimus) hujus decretum privilegii, quod auctoritate Apoſtolica ſubnixi conſentiendo firmavimus, in totum vel in partem temerare temptaverit, ſuæque præſumptionis audaciam digna emendatione minus correxerit; in perpetuum percellendum vel anathematizandum ſe noverit, non ſolùm tantorum ſententia Sacerdotum, ſed etiam æquiſſimo apoſtolicæ condemnationis aculeo: quoniam violare pertinaciter niſus eſt, quod ſalubriter conſervare debuerat. Et ita quoque hujus privilegii ſanctio firma ac rata indiminutè perſiſtat, atque permaneat, erga quod & præcellentiſſimi totius Galliæ Reges, ut ſcripta comperimus, ad reprimendas Laïcorum infeſtationes edicto præmunire idem venerabile Monaſterium regali pietate dignati ſunt: ita & nos inſpirante Domino plena devotione deinceps in idipſum venerabilem illum Abbatem, ſuam congregationem, vel præfati Monaſterii ſancti illius Antiſtitis volumus confirmare: ut inſpecta ipſa privilegia, tam de ſucceſſore noſtri ill. quàm ADEODATI Papæ urbis Romæ, ſeu confirmationes glorioſorum Regum; ut noſtro tempore vel ſucceſſorum noſtrorum omnimodis inviolabiter conſerventur, & in nulla qualibet parte, ſicut à nobis decretum eſt, corrumpantur. Rogamus & conjuramus ſucceſſores noſtros, ſecundùm ſancti Pauli exemplum, per nomen Domini noſtri Jeſu-Chriſti, ut id ipſum ſentiatis omnes nobiſcum, conſervantes Domini mandatum quod dicitur: *Gratis enim accepiſtis & gratis date.* & illud Propheticum teſtimonium: *Beatus qui excutit manus ſuas ab omni munere.* id eſt nec per obſequium indebitum ſervando, nec per linguam laudando, nec per manum plenam muneribus donum Spiritus-ſancti corrumpatur: ſed illa potiùs intuentur munera immortalia, quæ ſunt cælo condita, de quibus dicitur, quòd oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe & cuſtodientibus legem ſuam. Abbas verò qui eligendus eſt, non eum nativitas, aut divitiæ, vel ingenioſitas præferat: ſed quem ſanctitas morum, & gravitas, vel pietas adornaverint, anteponant. In nullis quoque modis, quos prædiximus, juxta conjurationem diſſentiatis nobis prædictis ſucceſſores, ſi non Martinus conſortio, ſi non Chriſtus ſuo nos * excludat regno, uſquequo venerandos mihi Galliarum Præſules, & Belgicæ, Aquitaniæ Metropolitanos, & omnes confratres & Coepiſcopos ſupplex exoro, ut huic paginulæ pro ſocio veſtro patrono noſtro Sancto illo adſenſum tribuatis, animo ex pleno manibus veſtris infrà ſubſcribentes roborem detis perpetuum: ut æterna vobis præmia hoc privilegium, per orationem quibus datur, perveniat & nobis gratia Dei. Ille, etſi peccator, Epiſcopus hoc privilegium integra voluntate & devotione Monaſterii Sancti illius, ubi ipſi Monachi ſecundùm Regulam ſancti BENEDICTI converſari videntur, ſubſcripſi.

* ſ. Monachorum. & regulari cuſtodia, religioſo Abbate, &c.

* ſ. eos qui

* ſ. vos

VIII.

JOHANNIS *Papæ IV Privilegium pro Sanctimonialibus cujusdam Cœnobii B. Mariæ in Gallia.*

Ex eodem Codice Thuaneo.

DILECTISSIMIS Fratribus Coepiscopis per Galliarum provincias constitutis JOHANNES servus servorum Dei. Quamquam priscæ sacratissimæ regulæ decreta nos doceant, quæ oportet perenniter custodire, & Patrum sanctorum consulta indiminutè servare: attamen & nos quoque super hæc regulariter vota supplicum Christianorum, & maximè orthodoxa fide fulgentium, in omnibus debemus effectui mancipare: quatenus eorum pia devotio apostolicis inviolata permaneat institutis. Quoniam igitur CHLODOVEUS Rex excellentissimus, filius noster, Princeps Francorum, pia & religiosa devotione perspicuus, suis nos scriptis postulasse dinoscitur, & Apostolicæ sedis caput omnium ecclesiarum, privilegium Monasterio beatæ genitricis & semper virginis MARIÆ, vel sanctæ Columbæ, atque sanctæ Agathæ, seu aliorum sanctorum Martyrum, in loco qui nuncupatur il. super pago il. quod viri magnifici ill. pia devotione dediti, nutu & aspiratione divina construxisse noscuntur, in quo decreverunt, ut puellæ Dei sacræ virgines in sanctis studiis & venerabilibus, diuturnis meditationibus & assiduis vitam piam atque contemplativam sub retrusione exercere videantur: pro qua re supplici expetierunt deprecatu, ut privilegium Apostolicæ sedis nostræ in eodem Monasterio concedere deberemus. Quod salubriter annuentes, maximè domesticis fidei, & spe certa salubre futurorum bonorum fulgentibus hoc privilegium perenni auctoritate servandum libenter indulsimus pro divino intuitu. Nec enim nova postulantium vel indulgentium est auctoritas privilegii largiendi, dum profectu * cuncti & plerique præcessores nostri per præterita tempora Apostolicæ sedis Præsules, non solùm sub ditione nostra constitutis, sed etiam in ceteris regionibus positis postulata semper indulgenda sanxerunt, præsertim in regione Francorum, dum profectu * cuncta usque ad fines terræ & Oceani maris terminum sub beati Petri Principis Apostolorum ditione consistant. Unde oportet omnes omnino medullitus ac totis viribus modis omnibus obedire, quæ per beati Petri auctoritatem Apostolica sedes postulata dignoscitur indulgere. Ergo antedictorum virorum, & præsertim interventu excellentissimi filii nostri prædicti Regis, super hoc privilegium suis scriptis enixiùs expetiti postulata concessimus, intercedentibus omnibus Episcopis, & contestatione evidentissima decernimus, tam vicinis, quàm procul à prædicto Monasterio constitutis, nihil audeant usurpare, nihil auferre, nihil contingere, cogente pravæ ambitionis ardore, quæ sub tenore hujus privilegii & norma decernit *, ut videlicet Episcopus quem Mater spiritalis, Paterque Monasterii vel cuncta congregatio voluerit ad celebranda Missarum sollemnia in congregatione Abbatissæ, vel etiam reliquarum juniorum, sacratæ * Deo etiam tabularum altaribus, in quibus Missæ debeant celebrari, habeat facundiam * in eodem Monasterio ingrediendi, ad officium scilicet sacerdotalis ministerii; & tales secum ipse Pontifex introducat, quales vita & religio sancta commendat: quo peracto officio nihil contingens, nihilque ambiens per concupiscentiæ stimulum, vel rapinæ pravitatis ingenia; sed gratis per omnia agens, ad propria mox regredi non moretur, nec convivium intra claustra Monasterii eidem ullatenus præparetur, nihil sic dictus usurpans de rebus Monasterii, non de sacris altaribus indumentis, non de ornamentis, neque sacris voluminibus, nec quicquam majus vel exiguum, sed nec compescere adtemptet. quia si privata concupiscere satis est noxium; quanto magis (si) sacra auferre, aut desideret juri suo mancipare, Deo est inimicus? Unde beoe cùm justum virum describeret Propheta, ait: *Qui excutit manus suas ab omni munere.* Neque enim dicit, *Qui excutit manus ab munere*, sed adjunxit, *ab omni.* Tunc ab omni munere manus excutit, quando in divinis rebus, non solùm nullam pecuniam, sed etiam humanam gratiam non requirit. Interdicentes etiam Episcopo, in cujus parrochia est prædictum Monasterium constitutum, ut nihil contra tenorem præsentis decreti pia postulatione indulti quicquam attemptet, vel ejus successores præsumant prohibita contingere, nec in minimo hanc normam violare: sed pleniùs & in omnibus per singula conservare. Chrisma igitur vel quidquid ad sacra ministeria pertinet, si à Matre & Patre Monasterii fuerit postulatum; aut benedictiones tradere Dei famularum, à quo præviderit, vel elegerit spiritali sanctoque Deo Sacerdote, modis omnibus annuen-

Marginal notes: ad Præfat. num. 23. — * f. profecto — * f. profecto — * l. decernuntur — Monasterii duplex. — * l. sacrandi etiam tabulas altaris, — * f. facultatem

dum: & (ut superiùs dictum est, & sæpe dicendum) nullam potestatem habere convenit Episcopo in eodem Monasterio sub retrusione sanctè viventibus, & theoricam vitam cœnobialis Regulæ militantibus, à * beatissimis patrinibus nostris, quibus non fuit dignus mundus, edicta continent, id est ANTONII, PACHOMII, [&] haut procul à nostris temporibus BENEDICTI Abbatis istius Romæ hujus urbis. Illud præcipuè statuendum decrevimus conservandum, neque in rebus ipsius Monasterii, tam in villis, quàm in locis ubique, vel in ordinandis personis, ad regimen Dei famularum admittendis, non de alio Monasterio, nec de sæcularibus feminis inibi introducendis, excepto quem cuncta congregatio elegerit post mortem Matris Monasterii, ut deberet institui & ordinari super hæc scilicet, neque Vicedominus, neque Archidiaconus, nec quælibet persona in eodem Monasterio habere se potestatem, aut extendere ditionem, vel quicquam immutare vel agere ullatenus præsumat: cognoscentes quia sub Apostolica sede, id est beati Petri Apostoli, ex prædicti Regis consensu & præfatorum virorum postulatione dinoscimur præsentis privilegii indulta concedere. Rogitus verò Episcopus ipsius civitatis à Matre, à Patre Monasterii vel cuncta congregatione, suam exhibeat præsentiam: nec ibidem contra Regulæ institutionem intra claustra eidem Pontifici convivium præparetur, nec quietem Monacharum vitamque solitariam. In quo * supplicamus excellentiæ sanctitatis vestræ bis nominibus illis & ill. cum collegis eorum ex præfato Cœnobio, qui per nostrum præmisso unà cum benedictione venerabili vim ill. eorum Abbate vel Fratrum ob amorem cælestis patriæ ad sedem Apostolicam pro absolvendis peccatorum suorum vinculis sunt destinati, quamvis durum & asperum iter fidem in Domino habentes, incursum vel impedimenta diabolica non pertimescentes, sicut diximus, ad limina beatissimorum Petri & Pauli seu ceterorum reliquiæ, quorum cineribus * in Italia esse prænoscuntur, cum summa reverentia & devotione properare videntur. Ideo supplicantes rogamus, ut ubi & ubi, tam civitatibus, castris, vicis, villis, Monasteriis vestra devenerint præsentia, pro Domini nostri Jesu Christi largire jubeatis alimonia, vel quod eis necessarium vel opportunum fuerit, pro ipso qui dixit: *Qui vos recipit, me recipit; & qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet; & quicumque porrexerit calicem aquæ frigidæ in nomine meo, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* &, *Quamdiu fecistis uni ex minimis meis istis, mihi fecistis.* Valere vos optamus Patri & Filio Salvatorique Christo unà cum sancto Spiritu multis annorum curriculis.

* l. sicut beatissimorum Patrum nostrorum,

* f. Denique

* l. cineres

IX.

Capitula Monachorum ad Augiam directorum.

Incipit Epistola cum XII capitulis quorumdam Fratrum ad Auvam directis.

Ex tomo 2 Capitularium Baluziano.

ad Præfat. num. 146.

DOMINO illi Patri Abbati humiles Fratres vestri ille & ille pacem optant continuam. Quia igitur, sanctissime Pater, vestræ auctoritatis voluntas exstitit, ut huic sanctissimæ legationi nostra parvitas deserviret; placuit & nobis, ut, sicut ipsi injungere estis dignati, quicquid morum honestorum in ordine regulari apud venerabilem illum Abbatem & erga ejus Fratres constituti addiscere possemus, vestræ pandere sanctitati. Ideoque supplices rogamus, ut non tantùm verbis nostris, sed etiam verissimis rebus & exemplis, quæ apud eum & ejus Fratres observari conspeximus, fidem adhibentes, noveritis nos non alia quàm quæ ab ipsis opere compleri vidimus, scripta vobis mittere voluisse. Duodecim igitur capitula ex his omnibus, quæ vos maximè de pernecessariis commonere faciliùs posse credidimus, facere, & vestræ beatitudini destinare curavimus: ita sanè, ut quicquid eadem capitula continent, qualiter absque ullo obstaculo observandum vobis sit, diligentissimè attendatis, quamque necessarium utiliter perpendatis; ne, dum regulares Monachi venerint, qui jussu imperiali tota Cœnobia gentis nostræ, ubi opus fuerit, regulariter instruere debebunt; imparatiores vos inveniant ad ea informanda, quarum partem aliquam hæc capitula quæ sequuntur continent.

I. Primo omnium sciendum est, quemadmodum ad opus divinum se invicem cum gravitate prævenire festinant, sicut dictum est. Relictis omnibus quælibet in manu tenentur, summa cum festinatione currunt, omnes videlicet. Nullus audet hanc constitutionem frangere, quamvis in decrepita sit senectute constitutus.

II. Secundo, ut nullus in Oratorio nullum audet ad alium proferre sermonem; sed

mox ut ingressi fuerint, prostrati orant. Et sic se inclinant ad Abbatem, humiliter inclinato capite stantes exspectant, dum signum sonuerit secundùm. Expleta oratione omnes cum summo exeunt silentio.

III. Tertio, ut sunt equidem cottidie sex per brevem deputati Fratres, sacram offerentes oblationem, incipientes ab Abbate omnes per ordinem, sicut & nos aliquando fecimus. Qui etiam pedes peregrinorum in unaquaque feria lavant. Illuc eundo, & inde revertendo, cum psalmodia vadunt. Si quis autem hanc jussionem transgressus fuerit, gravi subjacet vindictæ.

IV. Quarto, ut in Dominicis diebus omnes pariter secundùm quo ingressi sunt ordine in Monasterium, sic accedunt ad pacem, ad communionem, præter illos qui pro nimia senectute vel infirmitate inter illos stare non possunt. qui tamen separatim communicant. Si quis verò hoc spiritali dono, id est corporis & sanguinis Domini nostri Jesu-Christi, se privaverit; Pater Monasterii, qui præsens semper esse debet, dum communicant, cur hoc illi evenerit, scire debet omnino.

V. Quinto, ut nullus omnino Fratrum, dum lectioni Fratres vacant, sit excusatus à lectione, quin omnes ibidem sint præsentes unà pariter cum Patre Monasterii. Quibus legentibus, horâ qua prævideris Præpositus competere, sive qui in vice ejus constitutus, id est senior Decanus, pulsat signum tintinnabuli, ut ebdomadarii & ceteri servitores juxta præceptum Regulæ accipiant super constitutam annonam Mixtum, ut non sit eis grave jejunium, dum ministrant, sustinere. Lector verò post Sextam, antequam accedat ad legendum, accipiat Mixtum. *ad Præfat. num. 167.*

VI. Sexto, ut in Oratorio post signum Sextæ, omnes in loco sibi deputatu stantes, finita oratione, cum summa reverentia exspectant, dum signum Præpositus pulsaverit ad refectorium. Quo audito, mox omnes undique pariter festinant occurrere, omnino caventes, ut nullus desit, nisi quos Pater occupatos in variis habet ministeriis. Et si quis ad illum versum, qui ante cibum dicitur, non præsens fuerit, similiter & qui post cibum, regulari subdatur disciplinæ.

VII. Septimo, ut in refectorio, facta benedictione, veniant duo Presbyteri ad Abbatem frangentes panem. Et dant ipsi eulogium ceteris Fratribus, stantes, antequam accedant ad mensam. Quibus sedentibus summum est ibi, sicut in sancta continetur Regula, silentium. Ministri autem omnimodo cavent ut nihil desit comedentibus & bibentibus. Et sicut Patri ministratur Monasterii, nisi hospites sint, ita omnibus æqualiter, ut, verbi gratiâ, minimo sicut maximo, seniori sicut juniori, nulli amplius, & nulli minus. exceptis pueris, quibus non eadem quantitas; sed nulla discretio* servatur. Ut autem signum Cellararius ad potum pulsaverit benedicendum, statim octo vel decem surgunt juvenes absque ulla tarditate ad miscendum Fratribus. Si quis autem de ipsis aliquid ibi deliquerit vel excesserit, aut sonitum aliquem fecerit, exceptis his qui ad mensam sedent; prostrati ibi coram Priore tamdiu jacent in terra, usquedum Abbas, vel qui in loco ejus sedet, pulsaverit ut surgant. Similiter post refectionem sedentes per humilitatem satisfaciant.

* *scilicet* qualitatis ciborum

VIII. Octavo, ut per totum tempus æstivum, dum Fratres bis in die reficiunt, post horam orationis Nonam stantes in Oratorio, cum divino tremore orantes, exspectant dum tintinnabuli signum Præpositus pulsaverit ad refectorium. Quo audito, omnes illò conveniunt. Quamvis etiam aliquis bibere non potuerit, se tamen debet præsentare, ne locus ejus appareat vacuus. Et si quis præsens ad dicendum post benedictionem *Amen* non fuerit, sublatur ei portio sua de potu. Postquam autem biberint Fratres, vadunt ad Capitulum: & quod eis injunctum fuerit, laborant usque ad illud signum, quod pulsare solent ante unam horam Vesperæ. Quo audito disjungunt se ab opere. ut sint parati ad signum sequens, quod est ad Vesperum. Illo audito, mox ad ecclesiam cum festinatione solent occurrere, ibique oratione facta, sedentes legunt, vel orant. Finita Vespera exspectant ibidem, sicut & ad Sextam fecerunt, dum signum sonaverit ad refectorium.

VIIII. Nono, ut ad conlationem accesserint, omnes unanimiter occurrunt; debiles & infirmi etiam, si de lecto surgere valuerint, veniunt. Quid de ceteris dicendum est? Lector autem tamdiu legat, usquedum omnes in unum positi compleant.

X. Decimo, ut in Sabbato, quando munditias facere solent, pedes cum silentio lavant, ne detur occasio loquendi. Ibidem verò sedentes conlationem complent, & sic accedunt ad Completorium.

XI. Undecimo, ut defunctorum Vigilia hoc modo ab eis celebratur. Vesperâ solito finitâ, statim Vesperam cum antiphonis celebrant pro defunctis, & post Completorium Vigiliam cum antiphonis vel responsoriis plenissimè atque suavissimè canunt, & post Nocturnas intervallo Matutinos pro mortuis faciunt. Facto autem primo mane, post-

quam se paraverint, Missam celebrant pro defunctis publicam. Omnes ibidem pariter sacram offerunt oblationem pro peccatis mortuorum. Qua percelebrata, statim cantant Primam, si fuerit tempus, aut omni Tertiam.

XII. Duodecimo, quod omnes hospites supervenientes cum lectione divina suscipiunt. Incognitis tamen Monachis ad lectionem omnis pariter conenrrit congregatio, ut Christus in eis adoretur, qui & suscipitur. Qualiter verò ad coquinam sibi invicem serviant Fratres, vel in ceteris locis, & cetera quamplurima, viva voce, Domino auxiliante notum vobis facere curabimus. Ista autem supradicta interim bono certamine adimplere curate. Valeat alma paternitas vestra per multa temporum circula* in Domino sine fine, ut videatis Deum deorum in Sion. Amen.

* curricula

X.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis.

INCIPIT LIBER DODANÆ MANUALIS,

Quem ad filium suum direxit WILLELMUM.

Ex ipso autographo, quod illustriss. Petrus de Marca quondam Acherio nostro concessit.

ad Vitam S. Vuillelmi pag. 71.

CERNENS plurimos cum suis in sæculo gaudere proles, & me DODANAM, ô fili WILLELME, à te elongatam cospiciens procul; ob id quasi anxia, & utilitatis desiderio plena, hoc opusculum ex nomine meo scriptum in tuam speciem formam legendum dirigo: gaudens quòd si absens sum corpore, iste præsens libellus tibi ad mentem reducat, quid erga me, cùm legeris, fili, debeas agere.

PRÆFATIO.

ANNO feliciter, Christo propitio, XI domino nostro LUDOVICO quondam fulgente in Imperio, Concurrente VIII. Kalendarum Julii die, in Aquisgrani palatio, ad meum dominum, tuumque genitorem BERNARDUM legalis in conjugio accessi uxor: & iterum in XIII anno regni ejus, III Kalendarum Decembrium, auxiliante (ut credo) Deo, tua ex me, desideratissime fili primogenite, in sæculo processit nativitas. Volvente itaque & crescente calamitatis miseria hujus sæculi, inter multas fluctuationes & discordias regni, Imperator prædictus viam omnium iisse non dubium est. Nam infra XXVIII regni ejus noo perveniens ad summum, vitam sæculi debitam finivit. Post mortem quoque ejus in anno sequente nativitas fratris tui, qui ex meo post te secundus egressus est utero, XI Kalendas Aprilis in Uzecia urbe. Deo miserante, exorta est. Etenim parvulum illum, antequam baptismatis accepisset gratiam, dominus & genitor utrique vestrûm B.* unà cum ELEFANTO prædictæ civitatis Episcopo, & cum ceteris fidelibus suis, in Aquitaniæ partibus ad suam fecit adduci præsentiam. Sed cùm diu ob absentiam præsentiæ vestræ sub jussione Senioris mei in prædicta cum agone illius jam gaudens residerem urbe; ex desiderio utrorumque vestrûm hunc codicillum secundùm parvitatis meæ intelligentiam tibi transcribi & dirigere curavi.

*Bernardus

ITEM EJUSDEM.

LICET ex multis sim occupata angustiis, ut tuum aliquando intuerer aspectum; tamen hæc una secundùm Deum in arbitrio Domini constat priori. Volueram quidem, si daretur mihi virtus de Deo: sed quia longè est à me peccatrice salus, volo, & in hac voluntate meus marcescit animus. Audivi enim, quòd genitor tuus BERNARDUS in manus domini te commendavit KAROLI Regis. Admoneo te, ut hujus negotii dignitatem usque ad perfectum, voluntati operam des. Tamen, ut ait Scriptura, primùm in omnibus regnum quære Dei, & tunc adjicientur ea, quæ necessaria sunt animæ & corpori tuo fruenda feliciter.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI SEQUENTIS.

I. *De diligendo Deum.*
II. *De quaerendo Deum.*
III. *De magnitudine Dei.*
IV. *De altitudine Dei.*
V. *Item ejusdem de Deo.*
VI. *Item moralis ejusdem.*
VII. *Admonitio ejusdem.*
VIII. *De sancta Trinitate.*
IX. *De fide, spe, & caritate.*
X. *De reverentia orationis.*
XI. *Item ejusdem.*
XII. *De reverentia erga genitorem tuum.*
XIII. *Item ejusdem de Patre.*
XIV. *De exemplis Patrum piorum accipiendis.*
XV. *De Seniore tuo, alia; alia.*
XVI. *De consilio accipiendo, alia, alia.*
XVII. *Item ejusdem de Consiliariis, alia, alia.*
XVIII. *Admonitio singularis ad te revertendum.*
XIX. *Ad propinquos Seniorum tuorum, alia, alia.*
XX. *Ad Optimates Ducum ejusdem.*
XXI. *Ut Sacerdotibus honorem impendas.*
XXII. *Ut animum magnis & minimis flectas.*
XXIII. *Ejusdem admonitio ad mores corrigendos.*
XXIV. *Item ejusdem de quo suprà alia.*
XXV. *Ut superbiam fugias.*
XXVI. *In septemplici dono sancti Spiritus militare. Item ejusdem.*
XXVII. *Admonitio utilis ad comprimenda vitia.*
XXVIII. *Ut contra vitia virtutes opponas.*
XXIX *Ut patientiam mentis & corporis teneas.*
XXX. *Ut facilè vitia vincas, octo beatitudines ore lege, & corde retine semper.*
XXXI. *Ut pauperibus, cùm valueris, adjuves.*
XXXII. *De diversis tribulationibus si tibi evenerint.*
XXXIII. *De reconciliando si aliquid deliqueris.*
XXXIV. *De diversis tentationibus si tibi evenerint.*
XXXV. *Si tribulatio fuerit.*
XXXVI. *Si persecutio fuerit.*
XXXVII. *Si necessitas fuerit.*
XXXVIII. *Si angustia ingruerit.*
XXXIX. *Si infirmitas. Item ejusdem.*
XL. *Ut in omnibus Deo gloriam des.*
XLI. *Item comparatio* VI & VIII *beatitudines virtutum conferentium tibi.*
XLII. *Ut vir perfectus esse valeas admoneo.*
XLIII. *Ut quomodo esse possis immaculatus juvante Deo ostendo.*
XLIV. *De* VII *corporis partibus his qui in te peccaverint, ut dimittas, proponendum.*
XLV. *De gemina nativitate scienda.*
XLVI. *Ut in prima nativitate vigeas opto.*
XLVII. *Ut in secunda perseveret admoneo.*
XLVIII. *De prima & secunda morte.*
XLIX. *Ut mortem primam conspicias denuntio.*
L. *Ut mortem secundam fugias certare.*
LI. *Ut intellectione & oratione vigeas admoneo.*
LII. *De praeteritis, praesentibus & futuris.*
LIII. *Qualiter pro omnibus gradibus Ecclesiae ores insinuo.*
LIV. *Pro Episcopis & Sacerdotibus.*
LV. *Pro Regibus & sublimitate eorum.*
LVI. *Pro seniore tuo.*
LVII. *Et progenitore tuo assiduè ores admoneo.*

LVIII. *Item pro omnibus qui sequuntur, conclude in hoc ubi dicitur: & pro omni populo sancto Dei.*

LIX. *Ut pro omnibus fidelibus defunctis ores, pro valde bonis, & pro non valde bonis.*

LX. *Pro immeritis digna invenies quid agat.*

LXI. *Pro defunctis parentibus genitoris tui ora.*

LXII. *Pro domno Theuderico quondam, & pro omnibus iterum defunctis, ut requiescant in pace.*

LXIII. *Item specialiter pro patre.*

LXIV. *De articulis & metrorum compositis.*

LXV. *De litteris Adam & ejusdem sen'bus.*

LXVI. *De quinqu es ternis benedictionibus in te offerentium, & manentium semper.*

LXVII. *Item de eadem re ad eumdem.*

LXVIII. *De temporibus tuis. Item ejusdem.*

LXIX. *De versis & litteris compositis tuis.*

LXX. *Post verba prascripta de re publica.*

LXXI. *Ut pro me tam in corpore volvente, quàm & post funebra sepulcri pro salute animæ meæ exores rogo.*

LXXII. *Nomina defunctorum subtus transcripta.*

LXXIII. *De Epitaphio sepulcri mei ut scribas rogo.*

De diligendo Deum.

Caput I.

DILIGENDUS Deus atque laudandus, non solùm à supernis virtutibus, sed etiam ab omni humana creatura, quæ graditur super terram, & ad superos tendit. Inter quos adhortor te, fili W. ut in quantum vales, illa semper perquiras, ubi eum dignis & aptis, Deumque diligentibus, ad certum possis scandere culmen; atque unà cum illis ad regnum valeas pertingere sine fine mansurum, Amen.

Item rogo & humiliter suggero tuam juventutis nobilitatem, quasi præsens, necnon etiam illos, ad quos hunc libellum ostenderis legendum, ne me damnent vel reprehendant pro eo, quòd sim temera in tali subiorrare agonisatorio acumine laboris, ut tibi aliquid de Deo dirigero audeam sermonis, &c.

Item admonitio ejusdem.

Caput VII.

ADMONEO te etiam, o fili mi W. pulcre & amabilis, ut inter mundanas hujus sæculi curas, plurima volumina librorum tibi acquiri non pigeas, ubi de Deo creatore tuorum per sacratissimos Doctorum magistros aliquid sentire & discere debeas, plura atque majora, quàm suprà scriptum est. Ipsum obsecra, dilige & ama. Quod si feceris, erit tibi custos, dux, comes, patria, via, veritas & vita, tribuens tibi prospera in mundo largissimè. & omnes inimicos tuos convertet ad pacem. Tu autem, ut scriptum est in Job, accinge sicut vir lombos tuos; sis humilis corde, castusque & corpore, atque erectus in sublime. Esto gloriosus valde, & speciosis induere vestibus. Et quid plura? Hortatrix tua D. * semper adest, fili; & si defuerim, deficiens quod futurum est, habes hic memoriale, libellum O. M. R. ut quasi in picturam speculi, me mente & corpore legendo & Deum deprecando intueri possis; & quid erga me obsequi debeas pleniter intueri potes. Fili, habebis doctores, qui te plura & ampliora utilitatis doceant documenta: sed non æquali conditione, animo ardentis in pectore, sicut ego genitrix tua. Fili W. primogenite, hæc verba à me tibi directa lege, intellige, & opere comple, fratremque tuum parvulum, cujus modò inscia sum nominis, cùm Baptismatis in Christo acceperit gratiam, insinuare, nutrire, amare, ac de bono in melius provocare non pigeas: atque hunc codicillum Manualis à me comprehensum, & in tuo nomine conscriptum, cùm perfectum loquendi vel legendi acceperit tempus, illi ostende, & admone legendo: caro enim & frater tuus est. Admoneo vos, jam quasi utrosque ego D. genitrix vestra, ut inter mundanas sæculi curas oppressi, saltem ad tempus sursum teneatis

* Dodana

Nota

tis

tis cor. Aspicite regnantem in cælis illum, qui dicitur Deus. Ipse vos omnipotens, cujus, quamquam indigna, mentionem facio, frequens unà cum genitore vestro domno & seniore meo B. in sæculo præsenti faciat felices atque jocundos, prosperè in omnibus agentes, & post expletum hujus vitæ cursum, notum faciat cum Sanctis introire lætantes. Amen.

De reverentia orationis.

CAPUT X.

ORATIO dicta quasi oris ratio, &c. Ora ore, clama corde, roga opere, ut tibi Deus succurrat semper diebus & noctibus, horis atque momentis, cùm quieveris in lecto, dic tunc: *Deus in adjutorium meum intende. Domine, ad adjuvandum me festina.* & *Gloria* usque in finem. Deinde orationem dominicam, qua expleta dic, *Custodisti me Deus per diem, custodi me & in hac nocte, si jubes, & sub umbra alarum tuarum merear esse protectus, Spiritu sancto repletus, munimine regio septus, Angelorumque custodia circumdatus, ut in hac nocte, quamvis parum quiescens, somnum capiam pacis.* & si quando evigilavero, infra te per soporem sentiam custodem, qui beato Jacob innixus apparuisti scalæ Salvator. Cùm hoc compleveris, fac crucem in fronte & super lectum tuum in similitudine crucis illius à quo redemptus est hoc modo †, ita dicendo: *Crucem tuam adoro, Domine, & sanctam resurrectionem tuam credo. Crux tua sancta mecum, Crux est quam ut cognovi, semper amavi, semperque adoro, Crux mihi salus, crux mihi defensio, crux mihi protectio semperque refugium: Crux mihi vita, mors tibi, diabole inimice veritatis, cultor vanitatis, crux mihi vita. mors tibi semper.* Et item: *Tuam, Domine, † crucem adoro, tuamque ac gloriosam Passionem recolo, qui dignatus es nasci, pati, mori, ac resurgere à mortuis, qui cum Patre & Spiritu sancto †. Benedictio Patris & Filii & Spiritus sancti descendat & maneat super me servum tuum VV. minimum. Amen.* Ista crux atque benedictio sit semper cum illis, cujus suprà mentionem ego fragilis D. facio frequens, & sicut ros Ermon qui descendit in montem Sion, vel sicut unguentum in capite fusum declinansque in barbam barbam Aaron, ita infusio Jesu Nazareni Filii Dei descendat & maneat super te ubicumque perrexeris, & super fratrem tuum, qui post te ex meo secundus egressus est utero.

Quòd si plus Deo auxiliante fuerint, id consequantur unà vobiscum, quod à me invocatum est suprà, præstante & adjuvante illo qui vivit & regnat per infinita semper sæcula sæculorum. Amen.

Item.

CUM auxiliante Deo surrexeris mane, vel qua hora tibi permiserit tempus, dic iterum tertiò *Deus*, ut suprà, deinde orationem dominicam: qua expleta, dic, *Rex meus & Deus meus, exurge, adjuva me, intellige clamorem meum, quam ad te oro mane, exaudi vocem meam, surge & intende in judicium meum, ut sis hodie præsens in causa mea Deus meus.* Et quid plura, fili? Surgens calcia te, ut mos est, parare in præparatione Evangelii pacis. Decanta horas canonicas, comple officium tuum, ut scriptum est. *Septies in die laudem dixi tibi.* Dic per omnis præparationis tuas capitulas, sicut melius nosti, vel sicut inveneris. Completis ut suprà, dic orationes per proprietates horarum, & tunc in nomine Dei summi egredere in servitio tibi adcrescente temporali, aut quod domnus & genitor tuus jusserit B. aut senior præceperit faciendum K. ita tamen si Deus permiserit.

Item.

XI.

CUM egrederis foras, in mente habe Deum cum signo crucis, & dic: *Miserere mei, pius Pater & perfice hodie gressus meos in semitis tuis, deduc me in via tua. & dirige in veritate tua, adjuva me Deus meus hodie, & semper ut non mihi occurrant calumnia, nec dominetur in me omnis injustitia: sed lætifica cor meum gradiens in bonum, quatenus ea agendo quæ tibi placita sunt, merear te auxiliante ad vesperum pertingere.* Dic quoque: *Benedictus es, Domine Deus, qui adjuvisti me & consolatus es me; tu es benedictus à quo cuncta bona procedunt, qui vivis, &c.*

Admonitio erga Seniorem tuum exhibenda.

XV.

SENIOREM quem habes K*, quando Deus (ut credo) & genitor tuus B. in tuæ inchoationis juventute florigerum vigorem tibi ad serviendum elegit, adhuc tene, quod est generis ex magno utrumque nobilitatis exorto * progenie; non ita serviens, ut tantùm placeas oculis: sed etiam sensui capax, utrumque ad corpus & animam purum & certam illi in omnibus tene utilitatis fidem.

* Karolum
* f. exortû

Ad propinquos Seniorum tuorum.

XIX.

INCLITOS atque præclaros Seniori tuo regiæ potestatis eximios parentes atque propinquos tam ex paternitatis illustrem, quàm ex matrimonii dignitatum ascendente originem, si ad hoc perveneris, ut cum commilitonibus infra aulam regalem atque imperialem, vel ubique utilis merearis esse servitor, time, ama, venera, & dilige eos, atque in omni negotio utilitatum illorum purum & aptum cum exsecutionibus fidelitate, tam mente quàm corpore, certum illis omnibus para obsequium, &c. Tu ergo, fili V. item obtempera jugum * famulantis normam, sisque fidelis Seniori tuo K. quisquis ille est, & suis dignis utrorumque sexuum parentibus atque regalium generis ortis. Est enim dignum ita agere tibi, & omnibus in illorum Regni imperio militantibus totis nisibus te inter eos utiliter atque fideliter opto serviendum. Deus enim eos (ut credimus) elegit & prælegit in regno, dans illis gloriam ad illam tendentem, conformem similitudinis magnæ, quam pollicitus est Abraham, Isaac, & Jacob, prolisque dignis & semini eorum faciat eos omnipotens almus, Rexque fortis atque præclarior summus conformes atque concordes, genitorumque more pacem sequentes hoc præsenti in sæculo, prosperos fulgere, mundumque cum populo in Dei & Sanctorum servitio viriliter regere, protegere, gubernare, & ab hostium & inimicorum undique adsurgentium cunctis tensare, atque defendere, sanctamque Dei videlicet Ecclesiam in religione vera firmiùs coadunare in Christo; videantque proles filiorum suorum dignè Deo placentes, crescentes, florentesque, & per multorum annorum curricula ad alta tendentes, &c.

Ad Optimates Ducum.

XX

OPTIMATES Ducum, & consiliarios illorum, suisque similibus fideliter servientes, totum in partes, & partes per totum, quisquis ille est, vel sunt fulgentes in aula, ama, dilige, & servi frequenter. Exempla dignitatum illorum perquire humiliter, & tene firmissimè. In domo etenim magna, ut est illa, fuitque, & erit pòst, collationes conferuntur multæ. Unus ibi ab alio potest, si vult, discere humilitatem, caritatem, castitatem, patientiam, mansuetudinem, modestiam, sobrietatem, astutiam, ceterasque eum studio operis boni virtutes. Tu ergo, ut puerulus adcrescens, disce à majoribus sensique capacibus, quidquid bonum ab illis auxiliante capi summo poteris almo, ut possis Deo in primis placere, &c.

LX.

ORA pro parentibus genitoris tui, qui illi res suas in legitima dimiserunt hereditate, qui fuissent, vel quorum nomina in capitulis hujus libelli in fine invenies conscripta. Et licèt Scriptura dicat, In bonis alienis gaudet alius; tamen eorum (ut prædixi) hereditates non extranei, sed tuus possider dominus & pater B. * in tantum quod illi remanserunt. ora, hoc possidentes, ora ut eis vivens multo fruaris feliciter tempore. Credo enim quòd si dignè & humiliter erga eum certaveris, pium tibi ex hoc augebit incrementum frugalitatis dignitatum suarum, sicut cedente priùs clementia omnipo-

* Bernardus

tentis Dei tuus genitor aliquid exinde tibi jusserit largiri, in quantum valueris per ampliore, ut illi mercea edcrescat ex eorum animabus, quorum cuncta fuerunt. Ex occupationibus enim multis illi non licet ad tempus. Tu verò dum vales, & licentiam habes, pro animabus eorum jugiter ora. Nec hoc prætereundum est, fili, de illo, qui te ex meis suscipiens brachiis, per lavacrum regenerationis filium adoptavit in Christo. Nomen autem ejus appellatum est, dum vixit, Domnus THEODORICUS*: nunc verò quondam nutritor etiam atque amator tuus fuerat in cunctis, si ei licuisset. Suscepit eum (ut credimus) Abrahæ sinus, te quasi primogenitum parvulum relinquens in sæculo, sua cuncta Domno & Seniori nostro, ut prodesse tibi valerent, in omnibus remanserunt. Pluriora autem & specialia cum plurimis, in nocturnis, matutinis, vespertinis, ceterisque horis per horarum tempora & spatia locorum pro ejus delictis, si aliquid injustè egit, & non pœnituit, in quantum vales, cum valde bonis pluraliter, in quantum potes per orationes sanctorum Sacerdotum, & eleemosynas in pauperibus erogando, Domino sacrificium pro eo offerre jubeas frequenter. Cùm enim pro eo ad Dominum tuas effuderis preces, dic capitulationes tali modo: *Requiem æternam*, &c. *Anima ejus in bonis demoretur*, *In memoria æterna erit justus.* vel sicut meliùs nosti. Cùm compleveris hoc, dic orationem: *Collocare digneris, Domine, corpus & animam famuli tui* THEODORICI *in finibus Abraha, Isaac, & Iacob; ut cùm dies agnitionis tua venerit, inter Sanctos & electos tuos eum resuscitare præcipias, per Dominum.*

* Theodoricus an frater Hecardi Comitis, cujus testamentum apud Perardum pag. 25.

L X I.

MISSARUM namque & sacrificiorum sollemnia non solùm pro eo, verùm etiam pro omnibus fidelibus defunctis frequenter facias offerri. Nulla enim oratio in hac parte melior, quàm sacrificiorum libamina. Dicitur de viro fortissimo Juda: Sancta & salubris est cogitatio orare pro mortuis, & pro eis sacrificium offerre, ut à peccatis solvantur. Requiescat in pace. Amen.

L X V I I I.

QUADORANS in quatuor jam habes annos usque perductos. Si proles secundus tot tempus haberet, in sui personam illi alium transcriberem libellum: & si tantum & aliud tantum, & medium dimidii tantum, in annis volvens, ut speciem cernerem tuam, fortiora tibi in verbis prolixis copularem. Sed quia tempus resolutionis non tardat me meum, & ægritudo angustiarum corpus undique conterit; istum tibi & fratri, ut prosit, quod collegi festinans, sciens me ad tempus prædictum pervenire non posse, velut mellifluum potum favumque permixtum in cibum oris utile gustes semper adhortor. Tempus namque ex quo ad genitorem tuum perveni, vel tuus ex nobis in sæculo processit status, Kalendis mensarum * cuncta feruntur in nobis. Ea primo omnique hujus versu libelli usque ad ultimam ejusdem syllabam cuncta tibi ad pensum salutis scripta cognosce, & quid ibidem geratur lege capita versorum, ut ad ea quæ subtus sequuntur, faciliùs valeas ingredi.

* l. Decembrium

Ad me recurrens lugeo.

L X X I.

EX nimii amoris dulcedine & desiderio pulcritudinis tuæ memetipsam quasi oblitam postponens, janua clausis intus interum ingredi desidero. Sed quia nec digna in numero sum computari præscripto, tamen rogo ut innumeros numerabili affectu pro animæ remedio meæ orare non cesses. V. tibi non latet, qualiter pro infirmitatibus meis assiduis, & pro certis ex causis, secundùm cujusdam sermonem qui ait. periculis ex genere, periculis ex gentibus, &c. Hæc omnia vel cetera his similia pro meis præpedientibus meritis in meo fragili sustinui corpore. Auxiliante etenim Deo & merito genitoris tui de his omnibus evasi fidenter: sed in has ereptiones animus meus reflectitur, * & recurrentium tempora multis in laudibus divinis pigra remansi, & quod agere debui per horas septenas, septenas septena desidiosa adstiti in cunctis. Idcirco supplici affectu totis viribus precor, ut pro meis offensis atque delictis Domini misericordiam jugiter exorare delectet: & me allisam atque gravatam ad superos erigere dignetur. Dum me vivam in sæ-

culo conspicis isto, vigil affectu ita certare stude, non solùm in vigiliis & orationibus, sed & in eleemosynis pauperum; ut ex vinculo peccatorum meorum corporaliter erepta, à pio judice piè merear esse in omnibus recepta. Est mihi modò necesse tua vel aliorum frequens oratio: erit posteà plus & per amplius, ut credo, citius ita esse ventura. Ex nimio amoris dolore, quid in futuris mihi eveniat, valde meus undique animus discutitur; & qualiter valeam in fine liberari, incerta sum ex meritis. Quare? quia peccavi in cogitatione & locutione. Ipsa autem locutio inutilis ad opus pravum usque pervenit. Licèt ita sint, de Dei misericordia numquam desperans ero, nec sum, ero nec umquam; & ut ad recuperationem aliquando pervenire possim, nullum similem tui superstitem relinquo, qui ita certet in me, sicut tu, & multi ex te, nobilis puer, pro utilitatibus domini & Senioris mei, ut meum erga illum in marchis, vel in multis locis non vilesceret servitium; nec à te, vel à me, se separasset, sicut mos est, in aliquibus multùm me sentio debitis aggravatam. De multis verò necessitatibus, non solùm de Christianis, verùm etiam de Judæis, multa ex illorum rebus manibus meis frequenter recepi: in quantum valuit reddidi, & in quantum potero semper reddam deinceps. Quòd si post meum discessum aliquid remanserit ad solvendum, rogo & supplico, ut tu ipse diligenter exquiras, qui sint debitores mei: qui cùm reperti fuerint, non solùm ex facultatibus meis, si remanserint; verùm etiam de tuis quæ habes, & adhuc Deo adjuvante justè acquisieris, cuncta in omnibus facias persolvi. Quid plura? de fratre tuo minimo quid erga illum agere debeas, admonui suprà, admoneo deinceps. Hoc rogo, ut si ad id pervenerit tempus, & ipse pro me exorare dignetur. Jam enim quasi utrosque simul admoneo conjunctos, ut sacrificiorum libamina cum oblationibus hostiarum pro me frequentet offerre dignemini, &c.

NOTA

FINIT HIC LIBER MANUALIS. AMEN.
DEO GRATIAS.

Nomina defunctorum.

QUOS de quibusdam prædictis suprà prætermissis personis his breviatos agnosce, id sunt WILLELMUS, CONNGONDIS, CARISEROA, WITHBUROIS, THEODERICUS GOTHZELMUS, GUARNARIUS, ROULINDIS. Sunt namque ex prædicta genealogia, Deo auxiliante, jungentes in sæculo, quorum vocatio illi manet per cuncta, qui eos creavit, ut voluit. Quid in his agendum est, fili, nisi dicere cum Psalmista: *Nos qui vivimus, benedicimus Dominum ex hoc nunc & usque in sæculum.*

Item.

QUISQUIS de tua migraverit stirpe, quod non est aliud nisi in potestate Dei, quando jusseris, ipse similiter & de domino ARIBERTO* avunculo tuo, rogo tu si superstes fueris, nomen illius cum præscriptis personis suprà jube transcribi orando illum.

*Heriberto, qui cæcatus est anno 830 ex Vita Ludovici Pii.

LXXII.

CUM autem & ego ipsa dies finierim meos, nomen meum cum illorum nominibus jube transcribi defunctum. Quod volo & quasi ad præsens totis flagito nisibus, ut in loco in quo fuerim sepulta, super ipso tecto sepulcri quod operuerit corpus, hos versiculos jube transcribi firmatim, ut cernentes ipsum epitaphium sepulcri, pro me indigna dignas ad Deum jubeant fundere preces SSS. Sed & istum Manualem quem legis, qui legerit umquam verba quæ subtus sequuntur, meditetur ipse, & me jam quasi intus reclusam Deo commendet solvendam.



LXXIII.

Hic lector versiculos Epitaphii lege.

DE terre formatum hoc in tumulo DUODANÆ corpus jacet humatum. Rex immense, suscipe illam: hæc namque fragile tellus undique suum suscepit cœnum ed ima. Rex benignus illi veniam da, ulceris rigata solum illi superrestet dense sepulcri. Tu Rex ejus solve delicta. Omnis ætas & sexus, vadensque & revertens, hic, rogo dicite ire: Agios magne, ejus dilue vincula, diri vulneris antro defixa, septa fluminis vitam finiunt cœnosam. Tu Rex suis parce peccatis, anguis ne ille suam obscurus enimem captet. Orantes dicite ita: Deus clemens illi succurre. Ne hinc pertranseet quis, usquedum legat. Conjuro omnes, ut orent ita dicentes: Requiem illi tribue alme, & lucem perpetuam ei cum Sanctis jube benignus in finem largiri. Amen. Recipiat post funeris ipsa, qualiter ordinem Psalmorum ex parte componens M.

Inchoatio hujus libelli secundo anno obitus LUDOVICI quondam mei fratris, II Kalendarum Decembris sancti Andreæ Missa inchoente, sancto Domini Adventu: finitus est autem auxiliante Deo IV Non. mensis Februarii Purificationis S. Mariæ, Christo propitio regnante, & Rege quem Deus dedit regnando. Qui legis ora pro præscripte DUODANA, & pro scriptore WISLABERTO, qui magno labore hunc codicem scripsit manualem; si merearis Christum videre in æterna felicitate.
FINIT HIC DEO GRATIAS LIBER MANUALIS DOMNI WILLELMI IN EO QUOD AIT EVANGELIUM, *Consummatum est.*

NOTA Duodana soror Ludovici, au Pii. formula *Christo regnante.*

XI.

Capitula Domni ADALHARDI ABBATIS *de Admonitionibus in Congregatione.*

Ex mſ. codice Corbeiensi.

I. IN primis de ecclesia ut conveniamus, & qui sunt qui hoc providere debent. *ad Vitam S. Adalhardi pag. 308.*

II. De humilitate intrandi & exeundi, & cum reverentia ibidem standi & cantandi.

III. De silentio in secretario, seu in ecclesiis; & quando cum processione pergi debet, ut Decanus, vel qui in vice illius est, hoc provideat, ut cum silentio & honestate fiat.

IV. De eo dum Missæ cantetur, huc illucque à pueris vel ab officialibus irreverenter sine causa non discurratur.

V. Ut die dominica omnes qui ullo modo possunt, ad Missam publicam conveniant: & ut officiales ibidem ordinatim stent, & alii juxta quod possunt.

VI. Ut in ipsa die dominica vel in aliis diebus, dum foris officium celebratur, in secreterio non resideat, nisi qui hoc providere debet, vel cui præcipitur, & specialiter nec hebdomadarius Lector.

VII. De cruce decentere, & legere qui non potest, dimittat; & qui potest, se non subtrahat: & qui negligenter facit, corrigatur.

VIII. De somnolentis.

IX. De Responsoriis parvis, Antiphonis, Versibus, & Lectionibus dimissis.

X. De locis non mutandis.

XI. De his qui Psalmos non cantant, aut modicè cantant.

XII. De his qui quando orare debent, loquuntur: & si non loquuntur, aut nihil, aut suppressè respondent.

XIII. De *Kyrie eleïson.*

XIV. De foris exeundo ad Nocturnos, & de his qui tardè veniunt ad Nocturnos, maximè dominicis diebus, quid agi debeat.

XV. De eo quòd ibi, dum opus Dei celebratur, à nonnullis colloquia & risus aguntur, etiam per noctem: & quòd aliqui etiam illos qui hoc non agunt, ad hoc ut faciant incitant.

XVI. In quo loco legi debeat.
XVII. De ordinibus in loco.
XVIII. De sandelibus.
XIX. De Diaconibus qui accepto libro ante altare, Evangelium perlegunt, & lecto Evangelio eb alteri se sobtrahnnt.
XX. De eo quòd ipsa die ad Sextem peucissimi remanent.
XXI. Ut quando communieere debent, si Seniores volunt, signum pergendi ad horam dent juniotibus.
XXII. Ut quando festa Apostolorum vel hojuscemodi evenerint, idem de communione agendum sit.
XXIII. Ut Presbyteri Missa sua expleta, ad Sextam vel Nonam, si convenienter possint, occurrant.
XXIV. De Dormitorio.
XXV. De alta locutione.
XXVI. De conventu duorum vel trium.
XXVII. De omni strepitu vel excussione, sive sonitu.
XXVIII. De refectorio.
XXIX. De versu cantando.
XXX. De *Miserere mei Deus.*
XXXI. De commeatu.
XXXII. De lectione tradende.
XXXIII. De lectione, quando sanguinem minuunt.
XXXIV. De silentio in domo, vel quando aliquis moritur.
XXXV. De obedientia, ut tardè non veniant; ut postquam venerint, cum silentio aut cantando illam faciant; ut sine licentie inde ne pergant, quia pauci ibi veniunt.
XXXVI. De repausatione.
XXXVII. De custodia claustri.
XXXVIII. De motua ioclinatione quando sibi obvians.
XXXIX. De puris nominibus.
XL. De juramento.
XLI. De proprio non dicere.
XLII. Ut ordioes suos, sicut constitntum est, observent.
XLIII. De horis incompetentibus, id est de silentio.
XLIV. De lectione vacandi ant oreodi, ut omnino unusquisque qui alicubi deputatus non est, in onnm de bis duobus inveniatur, & in his locis, in quibus esse debet.
XLV. De exenndi oratorio, & per orationes pergendo.
XLVI. De sedendo in sancta Marie, vel in aliis locis.
XLVII. De miseeodo in sacrario, & citò liberendo.
XLVIII. De tepidè cantaodo, & qui die dominico debet cantare, antè prævideat.
XLIX. De non sedentibus in loeis, in porticu.
L. De scriptoribus solerii.
LI. De orationibus respoudendi.
LII. Ut super alterius drappum non sedeatur.

XII.

OBSERVATIONES.

De Vetula civitate Vallavorum.

ad Miracula S. Filiberti & S. Barnardi p. 563 & 588.

1. *IN Actis hujusce tomi duo exstant testimonia de Vetula civitate Vallavorum, unum ex Chronico Falconis Monachi Trenorchiensis: alterum in libello de miraculis S. Barnardi Episcopi Viennensis. Hic* Aquitanici populi cum Pontificibus Concilinm apud civitatem, quæ dicitur Vetula, io pago Vellevorum celebrasse *perhibentur. Illic Hervens Abbas Trenorchiensis magna ecclesia sua* in comitatn Vellaïco *prædia conquisisse, cum ecclesia S. Georgii* in Vetulæ præastio civitatis. *Hunc locum de Anicio seu Podio Vallavorum interpretatus est eruditus vir Petrus Franciscus Chiffletius in historia Trenorchiensi, ejusque sententia suffragantur auctores quidam recentiores. Et mea quidem hac persuasio erat, dum legi fragmenta Historia Aquitanica, qua ex vetustis membranis eruit*

indicet noster Claudius Stephanotius, indefessus rerum antiquarum indagator. Ex istis enim fragmentis didici, Vetulam civitatem non aliam esse, quàm opidum S. Pauliani modò appellatum, uti subjecta argumenta probant.

2. *Primum desumitur ex ms. Hagiologio, quod apud Fratres Minores Anicii adservatur, continetque hac verba:* IV. Id. Novemb. fit natale & festum S. Georgii Episcopi, & Confessoris, qui versus occidentalem populum ob gratiam prædicationis missus à beato Petro Apostolo ab urbe Roma cum beato Frontone Coepiscopo, semen vitæ, ubicumque commodum noverant, spargentes, Aquitaniam usque pervenere; moxque propropcrantes ad quamdam Vallavensis Comitatûs civitatem, quæ ob antiquitatis privilegia tunc temporis CIVITAS VETULA dicebatur, ibidem sunt suscepti. In hac præfuit beatus Georgius Episcopus, primus doctor Vallavensium, &c. *Atqui sedes episcopalis Vallavorum primùm constituta est eo in loco, ubi nunc cernitur opidum S. Pauliani; ibidemque perduravit usque ad S. Evodium, qui sedem transtulit Anicium, quod duabus inde leucis distat, ubi basilicam in honorem B. Mariæ construxit.*

3. *Alterum argumentum suppeditat historia translationis reliquiarum S. Georgii, primi Vallavorum Apostoli, ex civitate Vetula Anicium: quam translationem Norbertus ejus urbis Episcopus fieri curavit. Is cùm avunculum haberet Vitalem Abbatem. Vicecomitis Podomnatensis* fratrem qui à nonnullis Episcopus electus fuerat, multaque ob id incommoda ab eodem Vicecomite sustinuerat, hanc tandem cum eo concordiam init,* ut pro reformatione pacis, Vetulam civitatem, quæ modò dicitur S. Paulianus. Vicecomiti largiretur. Placuit utrique parti, ea tamen conditione vel pacto, ut primitus sanctorum corpora Georgii & Marcellini de civitate Vetula afferrentur: & ita locus iste S. Pauliani in possessionem Vicecomitis commigraret. Præfixa est certa dies, in qua Sanctorum corpora tollerentur; atque ita constitutum est, ut beatus Georgius, qui primus fuit Pontifex & Apostolus Vallavorum, sedi propriæ redderetur, *id est, loco ubi tum sedes Episcopalis obtinebat. Idem declarat vetus prosa (ut vocant) in die festo S. Georgii à Canonicis Aniciensis Ecclesiæ olim cani solita.*

* de Polignac

Demum pace confirmata
Urbs Vetula sibi data
Fuit, & tunc quoque facta
Translatio S. Georgii
Ab urbe prænominata.

Utrumque hoc testimonium vidit, retulitque Guillelmus de Chalanconio Aniciensis Episcopus in instrumento ab se condito anno MCCCCXXVIII *de apertione tumuli S. Georgii, quam fecit rogatu Canonicorum ecclesiæ collegialis S. Georgii Aniciensis. In eo siquidem instrumento integram refert historiam prædictæ translationis S. Georgii, ex qua superiorem locum protuli; atque fragmentum prosæ mox relata.*

4. *Itaque ex his duobus testimoniis intelligimus, civitatem Vetulam esse opidum, quod nunc vocant S. Pauliani, vulgo* Saint Paulien: *& ex eo loco S. Georgii Episcopi reliquias à Norberto fuisse translatas Anicium. quod proinde à Vetula civitate distinguendum est. Sanè enim opido veteres etiam nunc visuntur inscriptiones, quæ ibi olim fuisse caput gentis Vallavorum satis superque probant. Una est ad parietem ecclesiæ ejusdem loci, in quo exstat lapis quadratus, cui inscripta sunt hæc verba.*

IVLI. . . . . . .
NOC . . . . . . VR
NAT. . . . RVF
R . FINVS
MARIVS
VXORI CAS
TISSIME
P . O

*Seaux *Alia cernitur inscriptio in media via ab opide Situla * ad S. Paultani, qua sic habet.*

D. M.
ET AETERN
AE. MEMORIAE
TVL.....MARTI
AE MARTIOLA.
MATER. POSV
IT.

Tertia legitur in lapide juxta idem opidum, atque hoc modo habet.

EMMAE
MARTIAE
MARCIOLA
MATER POSVIT

Quarta inveanitur in tabula marmorea, ex qua sequentes dumtaxat apices exprimi potuerunt.

.....LVSTRV.....
....E.ETIAM. POST CE
....VM. FIDEM. REPLE.
VI. MEIS, HAEC FVIT
DIVITIAE CVRAM....
....REI....

Omnes ista inscriptiones bonam antiquitatem penitus spirant, referenda haud dubiè ad tempora Romanorum, quorum numismata bene multa circa opidum S. Paultani eruuntur in dies, ac fragmenta marmorea, qua priscum ejus urbis splendorem probant. Ex his fragmentis nuper è media via erutus est lapis, veneranda sanè antiquitatis monumentum; isque instaurando (facinus indignum) molendino (Borbolienis vocant) adhibitus est, ubi hodie visitur sub hac forma.

CAES. PRINCEPS
INVENT.. VIAS
ET. PONTES VETVSTAT.
CONLAPSOS
RES.TITVI. F.

Hac sunt antiqua decora Vetula civitatis, qua sibi restitutam veteris splendoris memoriam non tam mihi, quàm nostro Stephanotio acceptam referre debet. Denique Odo Gissems, Societatis Jesu Presbyter, Ruessium *Vallaverum apud Antoninum & Ptolemaum contendit* Giss. lib. 1 hist. Anicensis c. 26. *esse opidum S. Pauliani, quod olim caput Vallaverum gentis fuit, tametsi modò Arvernis attributum.*

XIII.

XIII.

DISSERTATIO

De origine atque usu veterum Notitiarum.

1 INTER *varia instrumentorum genera, quæ in vetustis Chartophylaciis reperiuntur, unum est (quod vocant) Notitiarum, de quarum origine atque usu hîc mihi incumbit agendum, uti pollicitus sum occasione Notitiæ superiùs adductæ Fulcondi Abbatis sanctæ Crucis seu S. Faronis apud Meldos.* *Ad Otgerii elogium pag. 660.*

2 *Notitiæ ab aliis instrumentis in hoc differunt, quòd illa sollemni modo conderentur, sive nomine donatoris qui rem ecclesiæ suæ seu Monasterio conferebat; sive communi nomine partium, inter quas aliquid transigebatur; & quòd earum personarum ac testium propria subscriptione, aliquando etiam sigillis roborarentur. At verò Notitiæ privata auctoritate fiebant, maximè ad memoriam & documentum posterorum, eorum scilicet, in quorum gratiam fiebat cessio vel donatio. Unde passim Monachis ejus loci, cui donatio conferebatur, inscriptæ erant. Sic in præclaro Notitiarum libro Castridunensis Prioratus, qui à Majori-Monasterio pendet, hoc ferè habent exordium:* Notum sit Fratribus nostris, Majoris scilicet Monasterii Monachis, *&c. Item alio modo:* Nosse debetis, si qui eritis posteri nostri, scilicet Majoris hujus habitatores Monasterii, &c. *De privatis Notitiis loquor. Nam alia Authentica erant, quæ signis personarum ac testium, aliquando etiam sigillis confirmabantur, & quibusvis directa erant in hunc ferè modum:* Notum sit omnibus fidelibus, præsentibus scilicet atque futuris, &c. *Privatæ autem de quibus hîc agere institui, solam rei gestæ narrationem exprimebant, ac nomina testium, qui rei gestæ interfuerant.*

3. *Harum usus invaluit maximè à sæculo* XI, *atque ad triplicem finem instituta sunt. Primus erat, cùm nuda traditione fieret res concessæ investitura, absque scripto publica auctoritate facto, (quod non rarò temporibus illis contingebat;) necesse erat ejusmodi Notitiis rem gestam describi, quæ essent velut historica rei gestæ narratio, in qua donatorum ac testium nomina exprimerentur, signo crucis per donatores nonnumquam adhibito. Huic rei probandæ maximè idoneum est auctoramentum Tetbaldi tertii Campaniæ, Blesarum, Meldorum, ac Carnutensium Comitis, de villa Nantulfi: qui Tetbaldus seu Theobaldus idem ipse est, qui donationi Otgerii Carmentriacensis, de qua Fulcondi Abbatis Notitia edita est, interfuit ac subscripsit.*

NOTUM pene omnibus satisque manifestum credimus, TETBALDUM Comitem Franciæ Palatinum, loci istius, Majoris scilicet Monasterii, defensorem atque Patronum, plurima de rebus suis post mortem patris, ex quo in principatum illius successit, nobis dedisse, & multa dona sive emptiones de beneficiis satellitum suorum perpetuò possidenda libentissimè annuisse. Cùm ergo in dominium S. Martini possessio quædam, nomine Villa Nantulfi, sita in pago Dunensi, cum ecclesiæ cujusdam duabus partibus, quæ est in pago Blesensi, loco qui dicitur Averdonum, devenisset, quod utrumque de casamento illius descendebat; petitionem domni BARTHOLOMÆI Abbatis, qui fortè tunc illum apud Blesium castrum adierat, tam ipse, quàm filius ejus STEPHANUS consuetudinatis liberalitate annuerunt: & uterque SIGNUM SUUM, sicut subtus patet, manibus propriis annotarunt. Qui tamen more suo illo scilicet nobilissimo, nobis quoque per omnia ejus auctoramenta notissimo, à domno Abbate satis humiliter & devotè petiit, ut per hoc sibi centum Missas à Sacerdotibus Monachis juberet celebrari. Quam precem domnus Abbs, utpote qui salutem illius & vitæ longitudinem nobis fore non minùs utilem, quàm illi prævidebat, libentissimè suscepit: & audiente GUIDONE Abbate, & Guarino Præposito, qui fortè tunc aderant, se facturum esse promisit. Factum est hoc, sicut diximus, apud castrum Blesium, intra curiam, retro palatium, prope turrem, patulo inter caminatas ejusdem palatii sito, XV. Kal. Maii, die Dominico post meridianam, testibus istis GILDUINO Vicecomite, HERBERTO de Altri, ALZONE Botello, GAULTERIO Pane-Parato, ARDUINO Ruillo, BONIDONIO Clerico, ODONE Mala-musca, ALBERTO de Vitriaco, MILONE de Bellomonte, RATHERIO de Burgo-medio, ARCHEMBALDO Pejore-lupo, JOHANNE filio Amalrici, ERNALDO Aculeo, HUGONE Præposito, Abbate GUIDONE, HUBERTO Priore, HARBERTO Monacho, ISEMBERTO Monacho, JACOBO Monacho, FULBERTO Monacho, HAIMERICO Monacho, ROTBERTO

Monacho, ADRALDO Monacho, GIRALDO famulo coquo. Signum TETBALDI Comi†tis. Signum STEPHANI filii ejus †.

Hoc auctoramentum est donationis Villa Nantulfi ab Ebrardo Carnutensium Vicecomite, facta anno MLXXIII, *qualem mox referam: ac proinde superior Notitia* anno MLXVI *edita est, quo anno dies* XV *Kal. Maii in Dominicam incidebat. Ex quo intelligitur Theobaldum hunc Campania Comitem eo anno adhuc superstitem fuisse, ac signo crucis præmissam Notitiam cum Stephano filio suo munisse.*

4. *Aliquando verò ejusmodi Notitia condebantur nullo signo ab auctoribus adhibito, nulloque alio authentico instrumento, idque duas ob causas. nempe vel quia sollemni facto rem gestam contestabantur, ut cum concepto monastica professionis voto aliquis res suas Monasterio tradebat: vel quia per aliquam tesseram sollemni more porrectam res concessa investitura fiebat. Prioris generis illustre exemplum habemus tum in Notitia Fulcondi Abbatis Farensiani superiùs edita, tum in subjecta Notitia de donatione villa Nantulfi, ab Ebrardo Vicecomite Carnutensi facta eo modo, quo sequitur in Chartario Dunensi.*

ILLUSTRIS quidam Carnotensium Vicecomes, EBRARDUS nomine, audita Domini voce, quâ dicit, *Nisi quis renuntiavit omnibus qua possidet, non potest meus esse discipulus.* &, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam.* timens ne si ab ista Domini benignissima admonitione se faceret alienum, alienaretur etiam in futuro à regno cælorum; excogitare cœpit, qualiter ad ipsum Dominum propriùs accederet, ipsiusque servitio se familiariùs manciparet. Et quia ad hoc magnum ei faciebant impedimentum & præsens sæculum, & quæque in eo possidere videbatur, nec facile illi erat adimplere quod volebat; maluit omnia omnino relinquere, quàm pro his in perpetuum infernales cruciatus sustinere. Igitur honorem suum & possessiones fratribus suis dereliquit: reliqua autem, quæ in auro & argento habere potuit, pauperibus erogavit: quatinus nihil jam sollicitus de rebus transitoriis, securiùs & expeditiùs inhiaret divinis. Inter illa quidem, quæ Domino per manus pauperum suorum condonavit, dedit nobis, Monachis videlicet Majoris-Monasterii beati Martini, sub regimine nunc agentibus domni Abbatis nostri BARTHOLOMÆI, anno ab Incarnatione Domini MLXXIII, quidquid in dominio habere videbatur in villa illa, quæ villa Nantulfi nuncupatur, quæ in Dunensi territorio consistit, id est medietatem ipsius villæ, & ecclesiam quamdam, quæ apud Averdonum sita est: reliqua verò prædictæ villæ medietas in manu fratris sui, HUGONIS scilicet, domini de Puteolo castro, ad tempus remansit. Non absurdum autem videtur, hic inserere, quòd prædicta villa non solùm ipsa ab omni prorsus exactione liberrima hucusque perseveraverit; verùm etiam in tantum hujusmodi privilegio omnes ceteras antecellit, ut de proximis circumquaque villis ad judicium calidi ferri portandum, & ad bellum campionum clypeo & baculo faciendum ex antiquitate semper illic accusatores & accusati conveniant; totaque causa ad ipsius villæ domini deferatur audientiam. Sed ut ad propositum redeamus, domnus Ebrardus nudus & pauper effectus, patriâ & parentibus suis derelictis, peregrè profectus est. Cumque de peregrinatione illa, in qua multo tempore demoratus est, reverteretur; ad Majus-Monasterium, habitum inibi monachicum suscepturus, devenit: ubi cùm pro quibusdam uxoris suæ impedimentis aliquamdiu in laicali habitu moraretur; venit ad eum Hugo frater ipsius, qui ei in honorem Vicecomitis successerat. Qui cùm ab eo plurima salutis suæ monita audisset; compunctus timore divino, immo etiam commotus amore fraterno, dedit nobis medietatem illius villæ, cujus alteram medietatem jam suprà diximus domnum Ebrardum nobis donasse: & insuper donum ipsius domni Ebrardi auctoritate sua in Capitulo nostro nobis libentissimè confirmavit, & de utroque donum super altare beati Martini portavit. Eodem quoque modo gratantissimè auctorizavit utriusque donationem GUALERANNUS dominus de Bretulio, frater ipsorum. Sed quamvis sic se habeant horum trium fratrum dona & auctoramenta; sciendum tamen, quòd non facta sunt omnia uno die, nec in uno loco, nec sub iisdem testibus: sed de singulis quibusque & loca. & testes distinctè inferiùs subscribuntur.

Primum domni Ebrardi donum factum est apud Blesis castrum in ipsius domo, & affuerunt hi testes. GUALERANUS frater ejus, GUALTERIUS Normannus, BURDINUS; ODO Domna-Maria, ROGERINUS Serviens, GISLEBERTUS Mariscalcus, GUILLELMUS filius Odonis, HEZUO filius Rainaldi, ODARIUS de Paltardo, Domnus Abbas BARTHOLOMÆUS, GUALTERIUS, ARRALDUS, ROTBERTUS de Virsonio, PETRUS tunc Prior, ISEMBERTUS Monachi nostri.

Donum & auctoramentum domni Hugonis Vicecomitis, fratris domni Ebrardi, factum est apud Majus-Monasterium in Capitulo, ubi & affuerunt hii audientes & videntes, domnus EBRARDUS frater ejus, ADAM filius Bernelmi, ANSELMUS filius Arem-

berti, ROTBARTUS filius Berengerii de Aureliano, INGRANNUS filius Guarnerii, HAINRICUS de Pitveris. Et quando misit hujusmodi donum super altare beati Martini, affuerunt GUICHERIUS de Castro Rainaldi, & SULPICIUS de Calvomonte, & multi de hominibus eorum.

Auctoramentum Gualeranni factum est apud Puteolum castellum domni Hugonis fratris ipsius, quando domnus Abbas Bartholomæus quærebat solutionem inter domnum Ebrardum & uxorem ejus; & affuerunt audientes & videntes, qui subnotati sunt testes, Ono Borellus, Ono Malæ-berbæ, SIMON filius Albelici, HERBARTUS Eschancus, HERBARTUS de Tilisco, GILDUINUS frater ejus, Ono. De Monachis, domnus Abbas BARTHOLOMÆUS, GUALTERIUS Monachus, GUANILO Monachus, Ono Monachus, ARRALDUS Monachus bajulus. De hominibus nostris qui cum domno Abbate Bartholomæo inerant, RAIMBALDUS de Columbariis, Ono frater ejus, FROTGERIUS Mariscalcus, BERNARDUS Major, GAUSBERTUS coquus. Sed nec illud est omittendum, quòd hoc quoque sub dono suprà dicto Vicecomes Hugo concessit nobis, annuente ibi tunc domno Ebrardo, & apud castrum Puteolum postea Galeranno fratribus suis, ut quicumque fevati erant de his, quæ ad honorem pertinebant possessionis villæ Nantulfi, fevos ipsos, aut aliquid ex eis, si vellent, vel donarent nobis, vel venderent, vel etiam de nobis tenerent. Quidquid ergo hinc fieret, suo nobis firmavit auctoramento.

5. Præmissa Notitia cùm multa observatu digna contineat, tum illud in primis, quod hic demonstrandum suscepi, apprimè probat, nimirum Ebrardi donationem factam esse sola libera cessione villæ Nantulfi, nullâ hac de re (quod sciam) authenticâ scripturâ editâ: tum quia sollemnis illa sæculi abdicatio sufficiens erat argumentum factæ donationis: tum quia testes, qui interfuerant, id contestari poterant in annos triginta, quo temporis spatio legitima possessionis inducebatur titulus possessione firmatus. Ideoque in hujusce donationis monumentum sufficiebat privata Notitia, quæ rem gestam & testium nomina posteris commendaret. In eo genere est Notitia Fulconis Abbatis de donatione Otgerii, qui tum cùm Monachum induit, Carmentriaci dominium Cœnobio Faroniano largitus est.

6. Alia causa, propter quam ad donationis robur sufficeret privata Notitia citra aliud authenticum instrumentum, inde petitur, quòd rei concessæ investitura fiebat per aliquam tesseram sollemni more porrectam: quæ tessera in rei monumentum servabatur cum litteris notitialibus. Hujus facti exemplum habemus in subjecta Notitia, in qua Radulfus quidam donationem ab se factam celebravit primò traditâ cavillâ caisninâ *in signum investituræ, dein posito* cultello super dominicum altare. *Quam Notitiam hic integram referre libuit, propterea quòd annum signanter exprimat, quo Philippus Rex Francorum Bertream sive Bertradam sibi copulavit, nempe annum MXCII.*

PATEAT omnibus Dei omnipotentis fidelibus, & maximè nostris successoribus, quòd quidam vir armis sæcularibus deditus, RAOULFUS nomine, filius Lancelini de Balgentiaco, concessit & dedit beato Martino, & nobis Monachis suis, ecclesiam S. Johannis de Camario, & quæcumque ad eam pertinebant, jure perpetuo possidenda, si ea quolibet modo, sive dono, sive pretio nobis concederent quidam homines, qui ea de eo tenebant. Erat enim ipsa ecclesia cum omnibus suis appendiciis de fevo ejus. Hæc autem donavit idem Radulfus per cavillam caisninam * domno Abbati BARNARDO in domo Monachorum apud Chilziacum mense Maii, ipso anno, quo PHILIPPUS Rex Francorum accepit uxorem BERTRAAM nomine, uxorem FULCONIS Andegavensium Comitis, anno videlicet ab Incarnatione Domini MXCII. Testes qui ad hoc affuerunt, sunt hii. De Monachis, domnus Abbas BERNARDUS, HILDEBODUS Episcopus, & ANDREAS frater ejus, BARNARDUS Flaëllus, & ROTBARTUS Panitarii, MARTINUS Abbas de Ribomonte, Hugo de Cambone. De famulis, Lealdus de Parciaco, Martinus de Boëtia, Landricus Coquus, Giraldus Rufus, Guinebaldus Camerarius domni Abbatis, Gaulterius de Guitchia, Ingelbaldus Cellarius de Chilziaco, David servitor. Isti fuerunt de parte nostra. De parte illius Hardoinus Rubigo, & Fulcherius de Fonte.

* *une cheville de chesne*

Eodem anno in vigilia Apostolorum Petri & Paoli, veniens præfatus Radulfus in Capitulum nostrum, recepit beneficium nostræ societatis. Et tunc reiterans ipsum donum, quod fecerat apud Chilziacum, & concessionem faciens de ecclesiis de Lanceio, quæ erant de suo fevo; per cultellum Durandi famuli nostri de Sartino, utriusque concessionem misit in manu domni Bernardi Abbatis, promittens se illa nobis adquietaturum ab omnibus hominibus in omni curia secundùm justitiam. Posuit etiam cultellum donum super dominicum altare. Quod viderunt, & audierunt testes subscripti. De suis, Petrus Rufus de Balgentiaco, Guanilo Mischinus de Balgentiaco, Herveus.

Bethlonios, Herlandus frater ejus, Andreas Barba de Blesis, Hardnnus de Marsonio. De nostris, Durandus de Sattino, de cujus cultello donum factum fuit, Gaufredus de Souziaco, Hilgodus de Sattino minor, Gautherius de Guirchia, Gaulterius de Parciaco, Paganus filius Mariæ Tres-denarios, Martinus de Boëria, Rainaldus Major de Botlen, Goffredus Nihardus, Gaulterius Clarellus, Herveus Callidus.

7. *Ex his patet, donum hoc factum esse absque litteris authenticis, primò quidem traditione cavillæ caisnina; postea cultelli super altare positi, quo ritu donatio & investitura celebrata est. Sic Hugo, Vicecomes Carnutensis, Ebrardi fratris sui concessionem superiùs relatam confirmavit, media parte auxit,* & de utroque donum super altare beati Martini portavit, *nimirum donationis tesseram super altare ponendo. Alia sunt ejusmodi donationum nuda ac simplici traditione factarum exempla sexcenta. Verùm tessera traditio non semper à donatore fiebat, sed etiam ab acceptoribus nonnunquam. Insigne hac de re testimonium exstat in Notitia infrà num.* 10 *relata, in qua Tetbaldus quartus Campaniæ Comes donationem parentum suorum, Stephani & Adela, de iis quæ habebant apud Francam-Villam, confirmasse memoratur: Gausbertus verò Panetarius Majoris Monasterii dedisse eidem Tetbaldo* duo paria pellium vulpinarum: ut si fortè (ut fit) prædictus confirmator paterni beneficii oblivioni tradiderit, hanc concessionem se fecisse; sint pro intersignio pelles illæ. *Tantus erat candor, tam candida illorum temporum simplicitas!*

8 *Denique aliquando neque signum crucis, neque ulla tessera, neque sollemne factum intercedebat, sed sola Notitia rei transactæ monumentum ac robur continebat, ut patet ex fragmento subjecto.* Quoniam præteritorum memoria facilè solet oblivionis violentiâ aboleri, utiliter providerunt majores patresque nostri, à quibus statutos terminos transgredi salubriter inhibemur, ut quæcumque notitiæ successorum nostrorum intimari judicaverimus utile, nullatenus negligamus memoriæ litterarum commendare. Illorum igitur sequentes salutiferum institutum, præsenti scripto posteris nostris intimamus, qualiter illustrissima Comitissa ADELA, GUILLELMI senioris Anglorum Regis filia, conjunx autem STEPHANI incliti Comitis Palatini, & Majoris-Monasterii amatrix ferventissima, adquietaverit nobis de Canonicis S. Carilefi Blesensis decimationem parochiæ Francæ-Villæ, quam unà cum viro suo nobis Monachis Majoris-Monasterii donaverat. Cùm ergo nobilissimus Comes STEPHANUS vir ejus isset secunda vice in Hierusalem, anno videlicet ab Incarnatione Domini MCI, venit eadem illustrissima Comitissa, domina & soror nostra, Blesim; & inter memoratos Canonicos atque nos hujusmodi concordiam de præfata decimatione fecit. Illi siquidem Canonici nobis antea decimationem memoratam calumniati fuerant; & ad comprobandum jus suum, litterarum sive cartæ auctoritatem ostenderant, quâ ea dono Comitis Stephani omnes decimationes exartorum, quæcumque in silva Lognia fierent, sibi competere asserebant. Quod etiam donum antequàm nos obedientiam illam Francæ-Villæ construxissemus, vel ædificare cœpissemus, in prædicta foreste sibi factum à suprà memorato Comite Stephano comprobabant. Cui nos auctoritati cùm resistere vel obviare non potuissemus; interventu ejusdem dominæ nostræ Adelæ, immo ipsa faciente, & excambium æquipollens eis promittente, ad hujusmodi concordiam cum ipsis venimus. Cùm enim in eodem castro Blesis ROUULFUS Prior noster esset, vocavit eum ad se Comitissa, &c.

9. *Secunda condendæ Notitiæ ratio inventa est, ut cùm etiam scripto publico fieret aliqua donatio, rem accuratiùs exponeret Notitia in gratiam officialium Monachorum, ad quorum potissimum documentum hæ Notitiæ condebantur: sicque præter chartam principalem & authenticam, eo in casu etiam scribebantur litteræ notitiales, quæ primariis instrumentis robur addebant. Hujuscemodi Notitiæ exemplum hic refero ex eodem Chartario Dunensi.*

FUGAX rerum gestarum memoria litterarum vinculis est alliganda, quæ & præsentibus vel oblita in memoriam revocent, vel ignorata notificent, & futuris antiqua renovent, & præterita repræsentent. Notum igitur fiat & fidelibus universis, & maximè successoribus nostris, quòd ODO Comes & mater ejus BERTA Regina dederunt sancto Martino & Monachis Majoris-Monasterii quemdam servum suum, nomine Ohelmum, qui accepit uxorem nomine Hilduciam, ROTBERTI Vicecomitis Blesensis ancillam, quam ipse Vicecomes dederat cuidam militi suo Herbaldo nominato. Videns autem Ohelmus, quòd propter uxorem suam à dominis illius pateretur molestiam; dedit Herbaldo aliquantum pecuniæ, ut eam faceret liberam. quod & ille fecit, dum tempore quodam profecturus esset Romam. Et ut res rata foret & firma, libertatis cartulam fecit fieri, & tradidit mulieri: quam firmavit etiam Vicecomes Rotbertus, & MILESINDIS uxor ejus. Post hæc mortuo Rotberto Vicecomite & Herbaldo ejus milite, Ohelmo quoque defuncto & uxore sua, filioque eorum Ascelino, jam pæne obsoletâ rei hujus memoriâ, captatâ calumniæ occasione insurrexerunt Rotber-

NOTA

rus & Guillelmus Clericus, alter Rotberti Vicecomitis, alter Herbaldi filius; & in res Ascelini, patrisque ejus Ohelmi, quæ sancto Martino remanserant, inhiantes, cœperunt partem mulieris repetere, negantes patres suos liberam eam fecisse. Quibus cùm rei gestæ veritatem Monachi Majoris-Monasterii retulissent, & Milesindem Rotberti Vicecomitis uxorem, quæ adhuc vivebat, quæque etiam se ab Ohelmo conductam fuisse ut cartam de libertate mulieris firmaret, protestabatur, testem fidelissimam adhibuissent; & illi veritate dissimulata ab incœpta calumnia minimè desisterent; ad postremum cartam eis, quam de libertate mulieris patres eorum fecerant, ostenderunt. Illi adversus tam illustris testimonii claritudinem & tantæ evidentiæ lucem calumniosarum objectionum tenebras offundentes, in sua persistebant pertinacia, nullorum judiciis adquiescentes; sed prædas de sancti Martini rebus agentes, & se pejora semper facturos comminantes. Tum Guillelmus Clericus dedit istam querelam cuidam militi, nomine Landrico, cognomento Bilbo, qui sororem ejus habebat uxorem: ut quasi licentiùs, quàm ipse, qui Clericus erat, in Monachos exerceret ultionem. Qui nimiùm vehemens, & ultra modum infestus, ibi tantum erga illos innocens erat, ubi nullo eos nocere ingenio poterat. Tandem post multa jurgia plurimaque litigia, post multas audientias initas, & præ partium certamine non determinatas, condicto apud Firmitatem-Nerberti Placito, post causæ suæ recitationem cartam Monachi de libertate feminæ protulerunt. Et quoniam neque les, neque consuetudo erat eis belli faciendi, hominem quemdam suum tradiderunt, qui calidi ferri judicio cartam probaret esse veridicam. Tunc illi rectum quod impugnabant, serò licèt, recognoscentes, justitiæ cesserunt; suoque auctoramento cartam firmantes, manuum quoque tactu corroboraverunt. Verùm ne calumniæ suæ fructu penitus privarentur, sexdecim denariorum libras à Monachis acceperunt. Quas illi inquietudine carere volentes, secundùm Apostoli dictum, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt, dare non renuerunt. Ad recidenda verò in posterum omnia succidivæ calumniæ pullulamina, hæc quoque præter priorem cartam facta est Noritia, similiter, ut illa, ab his omnibus firmata, quorum infrà cum testibus qui affuerunt, scripta sunt nomina. Signum Rotberti de Villenolio. S. Guillelmi Clerici filii Herbaldi. S. Guillelmi filii Ernaldi de Monteforti, nepotis Guillelmi Clerici. S. Landrici Balbi. S. Hildeburgis uxoris ejus, sororis Guillelmi. S. Berladii filii ejus, nepotis Guillelmi Clerici. S. Adhelhaidis, filiæ Hildeburgis & Landrici. S. Archembaldi, fratris Landrici. S. Girardi filii Herberti. S. Ernaldi, filii Hugonis Balbi. S. Heinrici fratris ejus. S. Guarnerii de Viridario. S. Sanzonis Senescalci. S. Ansaldi Normandi. S. Hervei, filii Terbaldi. S. Rotgerii, filii Gausfelini-Longi. S. Richardi, fratris Hadebrandi. S. Hadebrandi filii ejus. S. Theodorici filii Rainardi. S. Andraldi Monachi. S. Rodulfi Monachi. S. Gualonis Monachi Prioris. S. Hademari Monachi. S. Genzonis Monachi. S. Gausfredi de Virsone Monachi. De famulis, S. Fulcodii Presbyteri. S. Raimbaldi de Campo-Martis. S. Girbaldi. S. Frotgerii. S. Constantii. S. Maurini. S. Galterii. NOTA

10. Tertius denique Notitiarum usus is erat, ut cùm primaria res transacta instrumenta vel nulla facta fuissent, vel amissa quolibet pacto excidissent, eorum vicem supplerent Noticiæ, valerentque in forensibus causis. Id probat codex Dunensis multis in locis, ex quibus sequentia in exemplum delibo.

QUIA ea quæ pro redemtione animarum ecclesiis ab antecessoribus conferuntur, sæpe solent successoribus calumniatibus infirmari; utile visum est majoribus nostris ea cum testibus litterarum memoriæ commendare. Hanc igitur consuetudinem nos Fratres Majoris-Monasterii retinentes, scripto tradidimus, quòd TETBALDUS filius nobilissimi Comitis STEPHANI & ADALÆ venerabilis Comitissæ, antecessorum suorum, benefactorum nostrorum consuetudinem, immo naturam, tamquam successor non degenerans, imitatus, eo ipso anno quo arma recepit jam factus Miles, id est anno dominicæ Incarnationis MCVII, agentibus nobis sub domno Abbate WILLELMO anno tertio, per deprecationem dominæ nostræ Adelæ matris suæ; jam factus, inquam, Miles, concessit Deo, & beato Martino, & nobis, omnia, id est planum & boscum, & terram & aquam, quæ præfatus pater ejus & mater pro animabus suis nobis contulerant, pertinentia scilicet ad Obedientiam Franciæ-Villæ. Sed quia huic concessioni præsentes adesse omnes nequivimus, loco domni Abbatis & omnium nostrûm fecit hanc concessionem duobus Monachis nostris, Radulfo scilicet tunc Priori de Camartio, & Gausberto Ludovico Panetario nostro: qui videlicet Gausbertus dedit ei duo paria pellium vulpinarum: ut si fortè (ut fit) prædictus confirmator paterni beneficii oblivioni tradiderit banc concessionem se fecisse; sint pro intersignio pelles illæ. Et ne hæc ejus concessio violari possit in futurum, ipse, ut est cernere, signo crucis signavit † ipsum NOTA

parcaminum Ex parte ejus viderunt & audierunt hoc Hugo Albus, Ansellus de Guarlanda, Roibertus de Treeis, Gaufredus Legis doctus, Gunherius de Alneio, Burdinus de Algerria, & Hildegarius frater ejus, Arnulfus de Ligniaco, Petrus de Ligniaco, Radulfus de Ligniaco, Adam de Meldis, Guitbaldus de Meldis, Urfio filius Nevelonis. Ex parte Monachorum, Willelmus de Coldreio, Lotherius famulus de Camartio, Albericus Closarius, & alii.

11. *Eodem spectant plures aliæ Notitiæ, quarum dumtaxat initia huc referre visum est.* Quantum conferat utilitatis tradere scripti memoriæ, quæcumque à Monachis adquiruntur; nostris in causis & negotiis multotiens experti sumus. Cùm enim impulsu diabolico agitati perversi quique nostra nobis insidiis & calumniis suis auferre moliuntur; nos, utpote Monachi & imbelles, non armis, non viribus, sed veterum chartarum auctoritate & testimonio eorum contumaciæ, quantum fas est, obviamus. Quod si fortè negligeremus facere, nihil nobis post modicum remaneret & ecclesiæ; præsertim his temporibus, quando multorum caritas refrigescit, abundante passim malitia, sæviente diabolo contra Dei servos per se & per suos tanto astutiùs & crudeliùs, quantum certiùs novit, quia post mille solutus annos modicum habet tempus. Proinde utilitati posterorum nostrorum pro posse nostro providentes, per præsentem cartulam eorum notitiæ transmittimus, qualiter amicorum nostrorum & familiarium quidam Salomon nomine, dictus de Fractavalle, calumniam quam nobis faciebat de quibusdam rebus ad fevum suum pertinentibus dimiserit, & insuper non solùm illa quæ primò calumniabatur, sed etiam quædam alia nobis gratanter concesserit, &c. anno ab Incarnatione Domini M C I. *Ejusdem generis est alia, quæ incipit hoc modo.* Ex antiqua disceretorum patrum traditione in consuetudinem retinemus, ut ea quæ ecclesiis conferuntur, etiamsi parva vel pauca sint, scripto diligentissimè commendemus: ut si fortè opus sit, ut fit, contra injustos calumniatores cum testibus litteras proferamus. Unde nos Fratres Majoris-Monasterii & nobis, & successoribus nostris providentes, cartulæ huic tradidimus, quod Agnes Montiniaci castri domina dedit Deo, & beato Martino, & nobis per manum domni Gausberti Ludovici, tunc temporis Panetarii & Monachi nostri, pro anima sua & parentum suorum, quamdam sibi ancillam, &c. Actum Dominicæ Incarnationis M C V I I, id est ordinationis domni Abbatis Willelmi anno secundo. *Coronidis loco erit alia Notitia, quæ sequitur.* Prô dolor! ecce dies mali, ecce tempus illud miserrimum, in quo refrigescente caritate, in tantum superabundavit iniquitas, ut eleemosynas, quas pro animabus suis ecclesiis & pauperibus Christi contulit caritativa patrum antiquitas, eas publicè privatimque diripiat & auferat perversa successorum posteritas. Propterea igitur compellente necessitate expedit, ut si quæ ecclesiis sive Monasteriis conferuntur, ea scripto cum annotatis testibus commendentur, qui ea quando opus fuerit, attestentur. Propter hoc ergo ad memoriam posterorum nostrorum, maximè hujus Majoris-Monasterii Monachorum scripto tradidimus, quòd domina Montiniaci, Agnes nomine, calumniabatur nobis Majoris-Monasterii Monachis molendinos de villa Presbyteri, &c.

12. *Hæc sunt quæ de vetustis Notitiis observare visum est in præsens, ne quis id genus instrumenta, quæ nemo hactenus (ut puto) illustravit, aut temere rejiciat, aut insuper habenda esse existimet. Certè si quis attentè ea consideret, non minus utilitatis ex istis Notitiis tum ad historiam illustrandam, tum ad possessiones suas legitimis dominis vindicandas; quàm ex aliis authenticis instrumentis colligi posse, haud dubiè intelliget.*

ADDITIONES ET CORRECTIONES

ad Partem primam Sæculi quarti.

PAgina 43 *lineâ* 6 & 7 *lege* Impetravit. *ibid. lin.* 8 *l.* jussit.

IN VITA S. VVILLELMI *pag.* 72 *lin.* 6 *post* appellat, *adde*, Quod attinet ad cantilenam, quam à joculatoribus suo tempore cani solitam ait iste auctor; ejus fragmenta refert Catellus in historia Comitum Tolosanorum, excerpta ex veteri codice Gellonensi, Vitam S. Vvillelmi versibus rythmicis Gallicè editis complectente quatuor libris: quorum primus est de infantia Vvillelmi, secundus de coronatione Ludovici Pii, tertius de curru seu vectatione Nemausensi, vulgo *du charroy de Nisme*, quartus de monachatu ejusdem Vvillelmi. Unum & alterum ex his fragmentis huc referre juvat.

Oez Seignor Dex vos croisse bonté
Li glorieus li Rois de Majesté,
Bonne chanson plest vous à escouter
Del meillor homme qui ains creust en de,
C'est de Guillaume le Marquis au Cort-nés,

Comme il prist Nismes par le charroy monté.
Apres conquist Orange la cité,
Et fist Guibor baptiser & lever,
Plus l'espousa à moiller & aper,
Et de sos Rome oeit Corsolt es pres
Monlt essauça sincte Crestientés,
Tant fist en terre qu'ès ciex est coronnés.

In alio fragmento leguntur hi versus.

Ge sui Guillaume, de Narbonne fux né,
Dist le portour, Dex en soit aoré.

Denique in alio.

Pere Aymeri ge iray avec ti.
Volentiers, fils, dist li cuens Aymeri.
Li cuens Guillaume en appella son frere
Bernard l'ayné, & Aymenard sa mere.

Hinc intelligimus (si qua tamen vetustis illis fabulis fides) Guitburgem, alteram Vuillelmi uxorem, in expugnatione Arausica fuisse captam, & sacro fonte regeneratam: tum Vuillelmum ipsum Narbone prodiisse in lucem: ad hæc Vuillelmi patrem fuisse Aimericum. Immo verò non Aimericus, sed Theodericus dictus est, ut constat tum ex Martyrologio mox referendo, tum ex Guillelmi vita & testamento subjectis. Ardo in libro, &c.

Ibid. lin. 30 Limbrue *l.* Helimbrue. *ibid. lin.* 33 *post* Pii *adde.* Nisi si Helimbrue superiùs memoratus idem est cum Herberto, omittit & Gerbergam, &c.

Ibid. lin. 38 *post* habemus, *adde.* Manualis istius fragmenta exstant in Appendice hujusce tomi.

Pag. 124 *lin.* 9 *l.* Apostolorum. *ibid. lin.* 29 *l.* sandaliis. *Pag.* 143. VITA ALCUINI *reponenda est ad annum* DCCC IV. *Pag.* 157 *in Nota* a *lin.* 3 & 4 *post* infra *l.* qui decessorem habuit Adalbertum. *Pag.* 159 *in Nota lin.* 5 & 6 *l.* & in constitutione Ansegisi Abbatis Fontanellensis. Secus, &c. *Et in fine hujus Notæ, adde.* Lege hujusce tomi Præfationem num. 96. *Pag.* 162 *lin.* 10 & 11 *l.* quam in tomo 4 Analectorum recudi. *Pag.* 164 *lin. ult. post* cap. 82, *adde.* Certè Vuilfridus Eboracensis Episcopus eo nomine primus in diœcesi sua *instituta ecclesiarum cum Regula S. Benedicti meliorasse* perhibetur ab Eddio Stephano, ipsius familiari & æquali, in Actis ejusdem Vuilfridi ad calcem hujusce tomi relatis. Et sanè, &c. *Pag.* 169 *lin.* 13. *l.* num. 12.

Pag. 181 *num.* 71 *lin.* 5 *l.* annus corrigendus esse fortasse nonnullis videbitur ob sequentia argumenta. *Pag.* 183 *lin. penult. post* convenerant, *adde.* Verùm hic locus non est interpretandus de Synodis, quas Carolus in regno suo cogi præcepit anno DCCC XIII. sed de generali Synodo Aquisgranensi anni DCCC II, de qua egi in Præfatione hujus tomi num. 92. His conjecturis addi posset, &c. *Pag.* 184 *dele totum numerum* 76, & *repone sequentia.* Quæ hactenus retuli de anno quo Alcuinus vitâ functus est, difficultatem habent quidem; at præferenda est Vitæ ejus auctoritas ab homine æquali profecta: maximè cùm ei suffragentur veteres Annales, non solùm rerum Francicarum, sed etiam Germanicarum. In his plurimum apud me valent Annales Fuldenses vetustissimi, quos novos appellat Lambecius in tomo 2 Bibliothecæ Cæsareæ, ubi typis excusi sunt. Porro Alcuini obitum ad Caroli Magni annum regni XXXVI, qui Christiano DCCC IV respondet, ita referunt isti Annales: XXXVI ALCUINUS XIIII KAL. MAII OBIIT. Hoc proinde anno ejus obitus indubitanter collocandus est.

Pag. 185 *in fine numeri* 82 *adde.* Præterea epistola de cæremoniis Baptismi non est Alcuini, sed Amalarii, uti observavit Jacobus Sirmondus in Notis ad Theodulfum, & post eum Stephanus Baluzius ad Capitularia.

Pag. 186 *lin.* 1 *post* cap. 12, *adde.* Homiliarum collectio per Alcuinum typis vulgata est Basileæ anno 1493. & Coloniæ anno 1569. Homiliarium istud ab Alcuino adornatum postea cumavit Paulus Vuarnefridi, Diaconus ac Monachus Casinensis, cujus hac de re Præfationem retuli in tomo 1 Veterum Analectorum. *Ibid. lin.* 38 *adde.* Hoc argumentum accuratiùs tractavi Dissertatione singulari, quæ in Veterum Analectorum tomo 1 edita est, de hac Confessione.

Pag. 187 *lin.* 3 post interpretor *adde.* Id verò verum esse postea observavi in egregio Carnutensis ecclesiæ codice ms. continente librum, qui COMES vocatur. In eo enim hæc verba leguntur post medium. Hunc codicem, qui ab ecclesiasticis viris COMES appellatur, tua, Lector noverit perspicacitas ab eo codice sumtum, quem constat ab ALBINO eruditissimo viro, KAROLO sapientissimo Imperatore præcipiente, limâ rectitudinis esse politum atque emendatum. Qui codex licèt à multis haberetur, à plerisque tamen mendosè & non bene distinctè legebatur. Ob id studii fuit ejusdem Dei cultoris, ut à præfato viro ad purum corrigeretur, & distinctionibus artis grammaticæ pronunciandi gratiâ distingueretur ita videlicet, ut legentibus ejusdem codicis textus iter planum panderet, & audientium auribus nihil inconsonum afferret; simplices quoque errare non sineret. Nobis autem curæ fuit ita hunc emendatè atque distinctè transscribere; sicut ab eodem magistro emendatus exstat atque distinctus, &c.

Pag. 188 *lin.* 27 *post* erat, *adde* Eam verò numeris omnibus absolutam eximius vir Stephanus Baluzius novissimè edidit in calce tomi secundi Capitularium.

Ibid. lin. 29 *post* repræsentarent, *adde.* Hanc epistolam habes in Appendice hujus tomi.

Pag. 198 *in Nota* a *lin.* 7 & 8 Archiepiscopo, *l.* Episcopo.

Pag. 248 *lin.* 46 reclusis, *l.* reclusit.

Pag. 287 *lin.* 47 *l.* sordibus.

Pag. 307 *lin.* 4 *l.* Exstabat olim in diœcesi Tornacensi, modò in Gandavensi prope, &c. *Pag.* 310 *in Nota* b *lin.* 16 *l.* ex filia Desiderii (ut quidam volunt) susceperat.

Pag. 384 *num.* 4 *lin.* 2 OEsiam, *l.* Isaram, & *ita alibi.*

Pag. 386 *lin. penult. l.* DCCC XXXV. *Pag.* 346 *in Nota* c *lin.* 7 propriusne, *l.* adoptivusne.

Pag. 387 *lin.* 26. *l.* monastica. *Ibid. lin.* 45 *l.* renuebat.

Pag. 392 *corrige cifram paginæ.*

Pag. 393 *lin.* 26. *l.* hauserunt.

Pag. 394 *lin.* 32 *l.* qui. *Ibid. lin.* 46 *l.* terram. *Ibid. lin.* 39 *l.* nisibus

Pag. 397 *lin.* 17 *l.* supernis. *Pag.* 398 *lin.* 48 *l.* festivitate

Pag. 407 *in Nota* b *lin.* 8 *l.* in ipso.

Pag. 427 *lin.* 1 *l.* rationem. *Ibid. lin.* 30 *l.* credidisse.

Pag. 446 *lin.* 20 *l.* voverunt.

Pag. 449 *lin.* 34 *l.* Concilium pro.

IN VVALÆ VITA *pag.* 453 *lin. penult. l.* nunc nobis.

Pag. 457 *dele Notam* a, & *lege.* Hic locus de verbo desumtus est ex libro seu Ludo Senecæ de morte Claudii Cæsaris, ubi Drusillam, quam Caius Cæsar ipsius frater vitiasse creditus est, quidam Appiæ viæ curator, ut gratificaretur Caio, cælum adeuntem se vidisse in Senatu jurejurando adfirmavit, &c. Certè ex eodem libro Paschasius transscripsit superiora Adeodati verba: *Quis unquam ab historico juratores exegit. Pag.* 472 *lin.* 5 *lege* quæsierint. *Pag.* 483 *in fine Notæ adde.* Quamquam veri similius est hunc esse Odilmannum Severum Corbeiensem Monachum, cui Paschasius commentaria in Threnos nuncupavit. *Pag.* 491 *lin.*


29 *l.* sibi quidem. *Pag.* 519 *in fine Nota* b *adde.* Quamquam in Appendice duorum annorum ad Historiam Thegani, quæ appendix in tomo 2 Bibliothecæ Cæsareæ à Lambecio vulgata est, Vvalæ obitus refertur ad Ludovici Pii annum Regni XXIII, qui anno Christi DCCCXXXVI respondet. quo anno Ludovicus Imperator colloquium cum fidelibus suis in prædio regali Theodoni mense Maio habuisse memoratur, eoque venisse Legatos HLutarii à partibus Italiæ, scilicet VVALACH, qui erat Abbas, & Richardus perfidus, & Ebarhardus fidelis cum cæteris nonnullis, nuntiantes eum libenter venire ad patrem; si pacificè potuisset. postea verò HLutharius febre bis interea valde laborasse, & minimè potuisse. Tum subdit: Eodem anno supradictus VVALAH mortuus est, & cæteri nonnulli infidelium. *Pag.* 589 *lin.* 43 *l.* utrique. *Pag.* 537 *lin.* 26 *l.* Messiacum, *itemque pag. seq.* *Pag.* 545 *lin.* 2 *l.* suffragia. *Pag.* 569 *lin.* 31 intensioris. *Pag.* 579 *lin.* 30 *l.* videbamus. *Pag.* 599 *ad marg. l.* 852. *ibid. lin.* 6 *l.* Sæculo 3. *Pag.* 614 *lin.* 45 *l.* pervenisset. *Pag.* 615 *lin.* 26 *pro* dare *l.* clare. *Pag.* 635 *in margine l.* Flaviaco. *Pag.* 642 *lin.* 14 *l.* Briegio. *Pag.* 648 *lin.* 49. *l.* intercessione. *Pag.* 658 *lin.* 7 *l. in* Fasoniano & Crispiacensi, *idemque lin.* 8 & 9. *Pag.* 664 *num.* 25 *lin.* 6 *pro* cujus, *l.* quorum. *Pag.* 679 *in Nota* b *lin.* 13 *l.* Latino-Saxonicam. *Pag.* 674 *lin.* 11 *l.* dubiè. *Pag.* 681 *lin.* 28 *l.* accipere. *P.* 686 *in marg. l.* triumphare *Pag.* 689 *in tit. cap. l.* Vvinfridus. *Pag.* 693 *lin.* 7 *l.* Evoricæ. *Pag.* 695 *in Nota* a *lin.* 1 *l.* Nimirum per menses minimùm octo. Per id, *&c.* *Pag.* 701 *in Nota* a *lin.* 3 *l.* Vvest-Saxonici. *Pag.* 725 *lin.* 15 *l.* Tinxit. *Pag.* 726 *in marg. lin.* 8. *l.* XXV, *& sic in duabus pag. seqq.* *Pag.* 736 *lin.* 3 *pro* manu *l.* firmam. *Pag.* 742 *lin.* 13 *l.* refectionis.

MONITUM.

LIBELLOS Aimoïni præfatos duos, quos superiùs pag. 644 exhibui, primus vulgavit Jacobus Brolius Pratensis Monachus, ad cujus editionem ego meam exegi. Animus erat primò Brolianum exemplum conferre cum vetustissimo codice ms. in quo prædicti libri continentur. Sed cùm librum primum membranei codicis penitus convenire cum editis advertissem; id facere supersedi, ratus sufficere, si folia nostra impressa cum autographo compararem. Verùm cùm ad ultimum caput libri primi pervenissem, magnum observavi discrimen inter ipsum autographum atque editos Brolii libros, qui etiam totum librum secundum plurimum contraxit, adhibitis tamen passim ipsissimis auctoris verbis. Dubitavi primùm, num unum & alterum folium quod ad specimen editionis mihi à typographo submissum erat, recudi curarem ad fidem membranei exemplaris. At cùm discrepantiam hanc nihil detrimenti historiæ afferre mihi videretur; satis esse duxi hac de re admonere Lectorem: ut si quis accuratiùs hos libros aliquando publicare velit, recurrat ad fontem, quem indicavi. Unum est tamen quod dissimulare non possum, nempe quòd Brolius non satis consultò loca duo libri secundi in compendium redegit. nempe totum caput XII, & verba quædam capitis XVIII. Nam hic ubi in ejus editis legitur, *eorum fata protegeret*, codex membraneus habet, *fata condimina sua protegeret.* quæ sanè verba aliquanti erat momenti retinere: & ego quidem ea aliaque nonnulla in editione mea restitui, quæ faciliùs admisit correctio foliorum jam impressorum. Alterum verò à Brolio commissum in capite XII. quoniam in damnum historiæ nostræ vergit, hic resarcire visum est ex codice ms. qui sic habet.

Siquidem Nortmanni, quorum livido metu sancti Levitæ & Martyris corpus sublatum recesserat, tunc temporis ex Garonna fluvio à PIPINO *conducti mercimoniis, pariter cum eo ad obsidendam Tolosam adventaverant. Hoc itaque contendentes agonizabant, qualiter urbem caperent; terram autem præda ignisque plaga vastarent, atque incolas exitiabiles ferri mucrone sanguinis sitibundo perimerent. Unde non solùm Tolosani, sed re vera Albienses omnes, ne fortè more solito illis supervenientibus insperatò præoccuparentur, gravi perculsi formidine, huc atque illuc exterriti, mortis periculum evadere concertantes diffugiunt. Monachi verò cùm pro se, tum insuper magis solliciti & paventes pro Sancto, ne in modico perderent quod se cum tanto lætabantur adquisisse labore; provide sacrum ferentes corpus ad alium tutiorem locum secedunt: infistimoque rogantes, quatinus illos in tribulatione præsentis angustiæ ejus Omnipotens precibus dignaretur adjuvare, cujus victricia membra, etiam post mortem pelago immersa, ne ponti voragine absorberentur, potenti dextera gubernavit. Denique Nortmanni post aliquos dies in vanum exacitos, simul cum conductore inani obsidione fatigati recedunt: non, ut conati fuerant, exceptâ in circuitu factâ prædâ, Dei miseratione sanctique Levitæ & Martyris rogatione repulsi, se prævaluisse stomacho lassi dolentes. Monasterii verò Fratres mox ad se famâ securitatis perlata, obviantibus sibi fidelibus sanctum revehunt corpus, dignisque eo in loco, ubi priùs fuerat, officiis venerandum reponunt.*

Totum hoc caput uno & altero versu exprimere satis habuit Brolius, quod restituere in integrum operæ pretium visum est. Invenio quidem in Annalibus Bertinianis Pippinum, Pippini Aquitaniæ Regis filium, Ludovici Pii nepotem, Nortmannis sociatum fuisse nimirum anno DCCCLVII, & DCCCLXIV, quo eodem anno ab Aquitanis captus est. At de Tolosæ obsidione qui accuratè scripserit, nescio an alium reperias, certè neminem Aimoino fide hac in re potiorem.



INDEX

INDEX HISTORICUS

PARTIS PRIMÆ

SÆCULI QUARTI BENEDICTINI.

Littera (a) *initium paginæ usque ad medium* ; (m) *medium usque ad finem* ; (n) *notulas marginis inferioris designat.*

* *Monasteriorum nomina & series habentur sub voce* Monasterium.
* *Topographica vocabula Italicis typis distinguuntur.*

A

B

C

H

Monast.

N

INDEX MORALIS

PARTIS PRIMÆ

SÆCULI QUARTI BENEDICTINI.

Oblatio



INDEX ONOMASTICUS
VOCUM BARBARARUM ET EXOTICARUM.
PARTIS PRIMÆ
SÆCULI QUARTI BENEDICTINI.

A

D

E

F



PARISIIS, Excudebat GABRIEL MARTINUS, viâ Jacobæâ, sub Sole aureo.

MDC LXXVII.

SUMMA PRIVILEGII.

CHRISTIANISSIMI Francorum Regis LUDOVICI XIV Privilegio VII Kalend. Martii anni MDCLX concesso, & ejusdem mensis ejusdem anni V Non. in Typographiæ Parisiensis Codicem relato, cautum est, ut Congregationis S. Mauri R. P. SUPERIOR GENERALIS Libros ab ejusdem Congregationis Monachis compositos, per quem maluerit Typographum, néve alius citra ejus consensum, edat. uti uberiùs Diploma ipsum explicat.

Idem R. P. Superior Generalis facultatem dedit Ludovico Billaine Typographo ac Bibliopolæ Parisiensi, imprimendi Sæculum quartum Actor. Ordinis S. Benedicti, *die 1 Junii 1677.*

